UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Nvclevs Coppensteinivs Conceptvvm Prædicabilivm In Dominicas Festaqve omnia per Annum

Coppenstein, Johann Andreas

Mogvntiæ, 1624

urn:nbn:de:hbz:466:1-51556

Visual Library

Th. 3013.

~~H. VI.~~

as H. 192

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Emit aere suo Henricus Thor Wetter
paderbornae in dtro 3 quadrantib.
anno 1628.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



NVCLEVS COPPENSTEINI, Ex BESSEANIS Conceptib, Prædicabilib, ENVCLEATVS

Autore
~~Hermanno Thor Westen pastore~~
R. P. F. IOANNE ANDREA.
Coppenstein Ordinis Prædicat.
Theologo
In. Euangelia per Annum
Dominicarum, Festorum
Aduent: et Quadragesi:
Cum priuilegio et Consensu
Collegij Soc. Iesu Paderb.

MOGVNTIÆ
Impensis Petri Henningij
Bibliop. Colon.
M. IↃC. XXIV

NVCLEVS
COPPENSTEINIVS
CONCEPTVVM
PRÆDICABILIVM
IN DOMINICAS FESTAQVE
omnia per Annum.

ENVCLEAVIT,

Hoc est:

Extraxit integre: Contraxit perspicue: Digessit methodice: Dispertiit distincte: Illustrauit in margine

R. P. F. IOAN. ANDREAS COPPENSTEINIVS Mandal. Ordin. Prædicat. Theologus, & Parochus Heidelbergensis.

In gratiam occupatiorum; quam quibus vel legere plura: vel seligere pauca: vel distinguer inter congesta, & similia: vel inter dissimilia statuere sit integrum.

EDITIO TERTIA ET COMPLETA.

MOGVNTIÆ,
Sumtibus PETRI HENNINGII Bibliopolæ Colonienſis.

ANNO M. DC. XXIV.
Superiorum Permissu, & Priuilegio.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AVTORIS

HÆREDITARIA NVCLEI SVI TRADITIO.

EGo F. Ioannes Andreas Coppenstein *Ord. Prædicatorum Theologus, & pro tempore Parochus Heidelbergensis*, Nvcleum meum Conceptuum Prædicabilium Tibi, Spectabilis D. Petre Henninge, Ciui ac Bibliopolæ Colonienſi, Liberisqve tvis, Do, Trado, Donoq; perpetuum, typis recudendum, quando, quotiesve libuerit. Idque ita, pro Iure meo in librum meum, volo; vt à quoquam alio per Romanum Impêrium inuadi, imprimique nolim. Fortunet Donum Devs, & Proficiat Eccleſiæ ad Maieſt. Dei Glor.

Ita teſtor

F. Ioan. Andr. Coppenst. &c. m. p.

OPERIS

OPERIS DEVOTIO

DEO OPT. MAX.

DEIPARÆ,

DIVISQVE COELITIBVS VNIVERsis, Ecclesiæ Triumphanti: simul eiusdem suppari Militanti omnis militet Labor, & Liber iste meus; Candido sub Vexillo, & in Candidato FF. Prædicatorum exercitu, terra, poloque; ex hoc, vt ante; & inde, vbique; feliciter, perenniter:

ITA VOVEO.

Ita nunc te NVCLEVM meum

DO, DICO, CONSECROQVE

SERENISSIMO ELECTORI PRINCIPI PALATINO, BAVARIÆ DVCI, &c. MAXIMILIANO, &c. Domino meo Clementissimo.

AD bonam beatamq; meritissimi honoris noui Imperialis ominationem: Ad faustam ELECTORATVS *congratulationem: Ad* DEVOTIVS *eiusdem perennaturi* VOTVM: *Ad Dei, Ecclesiæ, Imperii, Domusq; Bauaricæ gloriam maiorem: Ad autæ Romano-Catholicæ Religionis per omnem Palatinatum restituendæ auspicium felicius: Ad operariorum in nouæ Domini vineæ Palatinæ recolendæ auxilium maius: Ad optima omnia iterum æternumq;*

DO, DICO, CONSECROQVE

Serenissimæ Celsitudinis Vestræ

Seruus in Christo

F. IOANNES ANDREAS COPPENSTEIN Ordinis Prædicatorum S. Dominici Theologus.

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

Aue, Faue Lector Beneuole.

NOVELVM *dem Qualem, & Quare; cum Operis titulus fronte præfert: tum liber ipse loquitur. Addo duo quædam. Alia, quæ* scias, *moneo: Quæ* obserues, *alia.*

I. SCIS *Concionatorum tam grandia, quam multa esse Volumina: vt his plus officiant; istis ad minus sæpe minus seruiant,* 1. Tardioribus *ingenio, ob Conceptuum varietatem:* 2. Afflictioribus *memoria, ob multitudinem:* 3. Scientia infirmioribus, *ob rerum selectissimarum præstantiam:* 4. Mediocribus, *ob horum aliquod vnum:* 5. Præstantibus, *ob occupationes suas alias.*

Hisce vnum omnibus perinde satisfacere velle, est optantis: conari, periclitantis: spondere, dementis.

Equidem volo: Sed responsurum euentum, opto. Sperabo tamen nonnihil ex iis, quæ à me præstantur in hoc Nucleo: 1. *Nimirum in beata rerum Varietate, profuturam* Distinctionem *Tardis:* 2. *in Multitudine,* Breuitatem *Obliuioſioribus:* 3. *Inſcitioribus* Delectum *fore, ad aliquorum vsum:* 4. *Præstantioribus, (qui rerum amant breuitatem, ac medullas; vnoq; omnia capere obtutu; cogitareq; ipsi Adiuncta rerum plura, quam legere:) his, inquam, ad mentem ac saluam seruire studeo. Nam eloquentiam afferunt ipsi paratam: explicare circumstantias, applicare comparata, vel disparata, amplificationes ex rebus, locisq; rhetoricis petere ipsis promptum est.* 5. *Denique Mediocribus ingenio, studio, arte, vsuq; ad ista talia sese exercendi ansam præbeo.*

Vt plane confidam tam Lectori, quam Concionatori, 1. Delectum *fore ex mea Partitione faciliorem:* 2. Ordinem *delectæ ex omnibus materiæ, ex mea subdiuisione distinctiorem:* 3. *distinctam vero* Breuitatem *meam ipsi memoriæ aptiorem & in discendo, & dicendo.*

Atque ita operam hanc meam: 1. *Lectori non ingratam:* 2. *Concionatori commodam:* 3. *Bono Ecclesiæ publico salutarem:* 4. *Deo, Diuisq; Cœlitibus ad gloriam.*

Noui, Latina copiose loquendi felicitas delectat; sed vacuum: At concionaturus eam nil spectat; molestat magis rerum bonarum cupidum circumducta periphrasis, aut variata phrasis, suffarta, phaleratag; verbis. Si quem tamen ista iuuant, hæc illi parata oratorum eloquentiæ deesse non sinit.

Dices: *Hanc, vt explicatam, intelligere cuiusuis est: Breuitas synoptica non nisi doctioribus*

ribus seruierit. At ego *affirmare posse mihi videor: quisquis in meo Nucleo caligauerit, eum in cæteris cæcum fore, & Andabatam.*

II. Porro alia, quæ ipse, vel ad quæ OBSERVES; *mea est in partiendo, suppartiendoq; Methodus ac ratio. In ea viam teneo, modumq; solemnem vnum, ac perpetuum.*

Ergo 1. *cuiusque Euangelij Conceptus in plures seco Partes; & has singulas vnius certi cuiusdam propositi.* 2. *Partis dein cuiusq; subdiuisio fit in Membra:* 3. *ac rursus Membrorum in Articulos. Singula non titulis; sed vel Zypheris Membra maiusculis, minusculis Articulos adnumero: vel paragraphis distinguo. Omnia tum perspicuitatis, in tanta breuitate; tum memoriæ gratia, in ea rerum varietate.*

Stylus (*nec Illatinus*) *Laconizat: ne synopsios condendæ proposito excidat. Idcirco titulum, vt scopum, in cuiusq; Partium fronte præfigo: Et semel præstituisse sat habeo. Nec repeto, cum rerum Articulos, ad eundem directos subticio. Scilicet:* Affero cibum; præmansum non ingero.

Marginalium lemmata præstant tria: *Rerum in textu distinctionem; Connexionem; & singularum sæpe Intentionem.*

Quare legentem esse memorem oportet lecti semel, & intellecti propositi. Quod si memoriam fugerit, continuo Lector in lectione caligabit. Quo in casu se culpet quisque oscitantem; non me vigilantius Laconizantem. Punctim mihi res geritur; vtq; in transcursu. Dico: simul ad aliud auolo. Congero similia: sæpe nec coniugo: Quod id obuium intelligenti putem, & vigilanti. Similium quoque dissimilitudinem, si qua sit, lemmate marginali innuo: connexionem adiuuo: præfixum in scopum collimo.

Itaque dum leges, præripe raptim, & præcipe oculo; quæ exhibet margo. Equidem nolebam mihi interprete: sed lectore opus esse volebam. Omnino attentionem requirit breuitas, & sensum non pinguem, vel obsaturato ventre obuaporatum. Verum nihil de Noctua, nihil de Bœotio Laconum stricta pelta laborat. Amat hic mansum; mœstum illa bubat.

Ego do Compendium; *& hoc meum spondeo nullius esse dispendium. Sicut Homerus olim; quod nucis putamine concluſus esset; non ideo minor erat: sed tanto maior seipso, quanto admirabilior.*

Sed ego Conceptus in nuce, excluſi è nuce; & edidi enucleatos. *Non maiores quidem mole; sed admirabiliores in compendiosa rerum sub oculos positione; & breuitate ipsa perspectiores, quo collectiores. Quæ quidem singula certius inspiciuntur nuda; quam vel cortice obsepta; vel tecta foliis; vel per arboris vastæ ramos diffusa cerni, aut discerni perinde queant. Excussi nucem ex ramis: selegi ex foliis: extraxi è cortice: enucleaui ex putamine: prælo submisi: Tu, Lector amice, oleum elice; excipe;* Vtere; Fruere: Vale.

AVTOR

AVTOR INTELLIGENTIBVS PAVCA: QVORVM AD SALIVAM hic Nucleus.

FIDO; Faues: quicunque leges, breuitatis amator.
Quales Doctores: Docti: Clerusque; Mitrati.
Principibus perſæpe *Viris*; quos arduа torquent:
Et *Clero*; cui ſacra diu, noctuque canuntur
Liminaque, Templique Chorus, Cathedræque teruntur:
Ingeniove Viris meliore peracribus: Aut fors
Pluribus intentis, quam queis ſit adire Diſertos
Integrum vacuis, & pleno attendere templo:
His breuitas hæc noſtra venit per commoda: ſpero,
Pluribus huius erit pretium non vile laboris:
Quo mage delectat paucis percurrere multa;
Quamque oculis, animo ſolerti plura videre.
Interea, *Lector*, noſtrorum hæc Summa laborum eſt:
Beſſeus, ante bonus, ſi nunc quoque *Beſſeus* idem
Sit Breuitate bonus, ſeque ipſo hoc Maior in Vſu,
Quo minor effectus: *Satis* hoc mihi. Cætera, *Ieſu*,
CHRISTI PARÆque *Tibi* DO: DEDICO: CONSECROque.

MONITIVNCVLA.

Inconnexa refert Textus: ſed marginis ordo
Nectit: Diſtinguit. Sic voluit Breuitas.
Nî, quod margo refert, cum Textu legeris vna:
Tadia forte leges: forteque nec capies.
Attentos Breuitas ſibi noſtra ſynoptica poſcit,
Atque Scopi memores. Cætera præſtat Opus.

QVÆSTIVNCVLA.

Volue: Vide; ſtatuine queat: Theſaurus an iſte
Rerum Orandarum forte Libellus erit?
Attamen Orator facundus ab Arte, vel Vſu
Sit, cupiens noſtra ludere in hac Cythara.

CRITICO.

Noſſe cupis penitè, quid præſtitit Enucleator?
Hunc Nucleum Beſſo confer: & ecce, Liquet.

SYNOPSIS

SYNOPSIS MATERIARVM EVANGELICARVM ANNI TOTIVS.

DE PARTIS HYBERNAE DOMINICIS.

DOMINICA I. ADVENTVS. *Erunt signa.* Luc.21. Supremi iudicii, vt obliuio noxia, sic salutaris memoria; 2. adeoq; congenita cunctis. 3. Iudicii vero signa, 4. signorumque modus ac sensus, 5. rebus signatis erunt persimilia, horrifica vtraque.

D. II. ADVENT. *Ioannes in vinculis.* Matth.11. Iustos hic pati, sed suo bono fatale est. 2. At triste malum fœmina. 3. Nec minus Luxuria; & in aulis veritas exosa. 4. Huius interim Prædicator tribulatus peruincit. 5. Baptistæ capti percunctationi vt multa suberat causa; 6. Sic in responso Christi mera inerant miracula: 7. & illustres notæ cum Saluatoris, tum Prædicatoris. 8. Quocirca meritum laudat Iesus amicum.

D. III. ADVENT. *Miserunt Iudæi ad Ioan.* Ioan.1. Cognitio sui necessaria est, vt quæ maxime. 2. Legatio affectatæ ignorantiæ. 3. magistratus arguit rudes, titulorumque admiratores. 4. Sed spernit ista vox clamantis prædicatoris, 5. qui honorum fugitans, de sese modeste sentit; 6. & amat solitudinem, suique mortificationem.

D. IV. ADVENT. *Anno quinto decimo Tiberij.* Luc.3. Prædicanda libere pœnitentia est. 2. Qua omissa, distrahi contigit orbis regna. 3. pro vanitate, & inconstantia mundo consueta. 4. Quo maior elucet his interuentura Messiæ bonitas, 5. & vocati ad prædicandum Baptistæ præsens cultus solitudinis. 6. Ex qua is demum egressus, 7. prædicat mortificationem, viam Domini.

D. INTRA OCT. NATIVIT. *Erant mirantes.* Luc.2. Meditatio cœlestium salutaris, 2. parit notitiam rerum salutarium, & de Incarnatione admirationem ob multa eius admiranda. 3. in quibus signum ruinæ, quam multi Præsules etiam causant. 4. Quo maior in orationibus teneatur assiduitas.

D. I. POST EPIPH. *Iesus annorum XII.* Luc.2. Aduersa vitæ sunt propria, & communia omnibus. 2. Festa cole, 3. & vxorem; sed vsque ad aras: liberis attende. 3. Ne festa infesta fiant, cor custodi: 4. sitque libera ad religionem fuga. 5. quo demum in templo inueniatur

natus inter doctos, non templorum profanatores.

D. II. Post Epiph. *Nuptiæ in Cana.* Ioan.2. Status est triplex,& bonus: 2. sicut & matrimonium cum epulo nuptiali: 3. sed caste diligatur vxor; 4. ducta Dei intuitu,ad honorem Christi. 5. dotes habens vxorias, & Christum in mensa conuiuam, 6.& 8. obmundi & defectum,& vina. 7. Vox *Mulier* docet Deum in Christo, & cognato sanguine ne quid nimis tribuendum.

Dom. III. Post Epiph. *Leprosus.* Matth.8. Vana gloria officit: 2. inficit lepra: 3. proficit oratio: 4. & ritus orantis euincit: 5. Sanat cito Iesus, 6. adque Sacerdotes remittit honorandos. 7.& arguit ingratos.

D. IV. Post Epiph. *Ascendens Iesus in naviculam:* Matth.8. Omnipotentia Dei spectata in mari, 2. quod mundus est: 3. vt nauis Ecclesia. 4. In illo turbante suis præest Iesus: quem abesse cum aduersis ab sese quidam mallent. 5. quod ob Dei præsentiam sæpe fiant motus. 6. At iusti cum hoc malunt iactari despecti, 7. dormitante quasi Domino.

Dom. V. Post Epiph. *Seminans semen suum.* Matth. 13. Deus patienter expectans peccatores ad pœnitentiam, 2. est seminator, tolerans lolium, 3. ob causas iustas. 4. Hæreticos autem eradicari nil prohibens. Interim saluti indormientes mala multa adeant. 5. Nec minora ex magistratus dormitantia, 6. inter tot malos bonis remistos in Ecclesia, subeuntur.

D. VI. Post Epiph. *De grano sinapis.* Matth.13. Orta ex paruo in magnum procreuit Ecclesia: 2. secus regnum mundi, quod exit in paruum, aut nihilum. 3. Omnia in Ecclesia parua sunt specie tenus, non re aut fine. 4. In qua tamen sunt & prædicatores vani, 5.& mali Christiani.

Dom. Septvagesimæ. *Exiit conducere operarios.* Matth.20. Constat labore salus, 2. ad quem Dei nos vocat amor paciscens mercedem. 3. vt debitor, & adhuc tardamus? 4. Quousque? An ad vndecimam senii otium agemus, & infame otium? 5. Sua ancillulis danda merces est, quam ergo procurator operariis dabit? 6. Denarium, cuius vnde fiet æstimatio?

Dom. Sexagesimæ. *Exiit, qui seminat.* Luc.8. Parabolæ de Verbo Dei plures, 2. curiis vsus Dominus, seminator? 3. Prædicatores qualia quomodo ferere oporteat doctrina, 4.& vita. 5. Vas autem surdastris, 6. ac viæ similibus auditoribus, aut ciuium: 7. aut petræ, vt auari, aut spinosis diuitibus! 8. Bona vero terra bonorum operum est rara.

Dom. Quinqvages. *Ecce ascendimus, &c.* Luc.18. Deum esse passum, creditu difficile. 2. Christo autem iugis erat memoria passionis suæ ex multis. 3. Quo sæpius eius Christianum meminisse oportet. quod, heu, non fit. 4. Quin bacchatio pluribus cordi est. 5. hi tradunt, luduntque Dominum. 6. De cœcitate corporali cœcus quærit reluminari, 7. at sunt, qui increpant poscentes bona. Consiliarios quales esse oporteat.

Dom. I. Qvadragesimæ. *Ductus est Iesus in desertum.* Matth.4. Misera vita est, tot cincta tentatoribus, 2. in infami

fami mundo. 3. In quo tamen sanctum est reperire desertum, vbi & Christus fuit, cur autem? 4. Ibi duellauit cum spiritu ambitionis, vanæ gloriæ, 5. idq; tertium.

D. II. QVADRAGESIMÆ. *Filia mea male à Dæmonio vexatur.* Matth 15. Orationi vis inest quanta maxima. 2. eiusque partes sunt quatuor: sed allabora, & ora. 3. & fuge peccatum, oraq; constanter.

DOM. III. QVADRAG. *Eiecit Dæmonium.* Luc.11. Odium Christi ac Satanæ summum. 2. Huius malitia maior, quam vis: Sensusque obsidet, 3. & excœcat, 4. elinguat, ac surdefacit idem.

DOM. IV. QVADRAG. *De quinque panibus.* Ioan.6. De pane Transubstantiato. 2. Maria plura Christi: vnum mundi, quale. 3. De conuiuio Eucharistico.

DOM. PASSIONIS. *Quis ex vobis arguet.* Ioan.8. Dominicæ Passionis memoria ad plurima valet. 2. Inprimis etiam ad testandam vitæ Iesu innocentiam. 3. & doctrinæ veritatem, cuius prædicatores sæpe temnuntur. 4. Sed veritate defecti verti ad calumnias assolent.

DOM. PALMARVM. *Ecce Rex tuus.* Matth.21. Mundi vis, fraus, cursus, exitusque. 2. Alius est Christi triumphantis, mansueti, & demissi. 3. in altis, in lætis mœsti, 4. attamen opere nostro bono gaudentis.

DOMIN. PASCHATIS. *Resurrexit.* Marc.16. Fide sola capere resurrectionem oportet. 2. Et Christum vero oportuit resurgere. 3. nosque in ipso. 4. Eius autem mortui quis status? 5. & quæ mors mortis erat?

D. IN ALBIS. *Cum sero esset, & fores clausæ.* Ioan.20. Cur resurrexit? 2. serum sæpe fert auxilium, at semper verum. 3. Clausaq; penetrans in medio se sistit Mediator: 4. & Pacificator Dei & cordis: apage pax falsa mundi. 5. patent mihi vulnera Christi, vera foramina Petrę. 6. quæ, quod retinuerit Dominus, causæ sunt tam graues, quam salutares.

D. II. POST PASCHA. *Ego sum Pastor bonus.* Ioan.10. Honores Ecclesiastici periculosi. 2. In his, pastorem esse bonum, Iesu similem: 3. suis sibi constantem proprietatibus, 4. ac dotibus tam communibus, 5. quam singularibus: quæ multæ sunt. 6. cum quibus munia præstat pastoralia. 7. Ab eo alius longe est mercenarius.

D. III. POST PASCHA. *Modicum.* Ioan.16. O homo specta finem; medium prehende: 2. Modicumque sustine: & mundi gaudia fuge, 3. damnosissima, 4. & lachrymosissima. 5. In quibus iustos plorare necesse est. 6. At eis sequitur post nubila Phœbus, infinitaq; beatitas.

D. IV. POST PASCHA. *Vado ad eum.* Ioan.16. Aduersorum effectus sunt diuersi in bonis ac improbis; 2. Læta tantum Dei præsentia est; at & ista spem inter ac metum: nam multi perdunt Deum tam in prosperis, quam asperis. 3. Carnalibus autem suas negat consolationes Deus. 4. Consolator vero Spiritus com plura operatur in suis.

D. V. POST PASCHA. *Si quid petieritis Patrem.* Ioan.16. Orationis dignitas non explicabilis vlli est. 2. sed

non omnia dat omnibus, 3. quamuis ipsius vis vincat, & euincat quiduis: 4. si tamen comites adsint virtutes.

D. VI. Post Pascha. *Cum venerit paracletus.* Ioan.15. Præuisa nocent minus. 2. Quæ munia sint Spiritus? præcipuum est testari: quod cum eo commune habent & Apostoli. 3. Interim tristia lætis miscet Deus, 4. at suos præcipue tristibus vrget.

DE PARTIS AESTIVAE Dominicis.

Dominica Pentecostes. *Factus est repente de cœlo sonus.* Act.2. Deus est incomprehensibilis, à quo procedit Spiritus. 2. Maiestatem suam in igne declarat, & operatur, 3. Orbem fœcundans, sed precibus impetrandus: 4. Est autem vehemens in expugnando, & saluando. 5. Testes Apostoli orbis terrores facti, at & reconciliatores. 6. Adeo spiritus vt ventus omnia perflat mirificus operator.

Domin. SS. Trinitatis. *Euntes, docete, baptizantes.* Matth.28. Cur tam & incomprehensibilis, & ineffabilis Deus? 2. Eiusque Vnitas, an & vnde cognosci queat? 3. Huc via duplex ducit, 4. Fidei tamen est princeps via. 5. quam S. Scriptura docet, annuitq; natura.

Domin. I. Post Trinitatem. *Diues Epulo.* Luc.16. Diuitiæ ad mala plura aditum pandunt, 2. at illarum abusus plenis in ea velis inuehitur. 3. Conuiuiorum autem luxus sæpe etiam Paricidialis est, 4. inque Lazaros saturi immites. 5. sed vtrorumque sortem Deus mutat per mortem.

Domin. II. Post Trinit. *De cœna magna.* Luc.14. Ingratitudo perosa Deo est. 2. Cuius Cœna, quia magna, 3. ideo excusatio deterior, 4. inprimis auari centimali, 5. dein Vxorati, maxime luxurioſi malis innumeris obnoxii.

Dom. III. Post Trinit. *Erant appropinquantes Publicani.* Luc.15. Detractores ferè pessimæ, 2. Saluatori directe oppositi, 3. & angue peius fugiendi, 4. & vincendi in bono. Mollis tamen est aditus ad Iesum peccatoribus, 5. requirentem oues perditas, quia mitis est.

Dom. IV. Post Trinit. *Estote misericordes.* Luc. 6. Misericordia Dei multa. 2. Homines efficit Deo similes. 3. Ad eam multa nos inuitant. 4. Vitandum interea iudicium temerarium. 5. Iniuriæque remittendæ, remitti cupientes sibi peccata.

Dom. V. Post Trin. *Duc in altum.* Luc.5. Verbi Dei vis flexanima est, 2. & homo piscis, 3. in piscibus vero cur miraculum ostendit Deus? 4. Noctu piscantur multi prædicatores, sæculares, peccatores. 5. Sed piscatores duplices sunt. 6. Optimi, qui in altum Euangelii ducunt, quod legem veterem multis vincit.

Dom. VI. Post Trinit. *Nisi abundauerit.* Matth.5. Noua lex Veterem multis exuperat. 2. In vtraque tamen multi pharisaizant. 3. Immane scelus homicidium. 4. Ira proin est dira.

D. VII. Post Trinit. *Misereor super turbam.* Marc.8. Misericordia Dei est omnia super, 2. Prouidentia proxima. 3. Et hominum sequela Dei. 4. itemque

que sustinentia magni est. 5. Maior autem & certa Christi beneficentia.

Dom. VIII. Post Trin. *Attendite à falsis.* Matth. 7. Operibus promerenda salus est in Iesu. 2. Pseudoprophetas cauendo, 3. impostura sq; hæreticorum pessimas, 4. vti luporum, quales praui sunt etiam concionatores, 5. subsimiles Christiani mali arboribus infructuosis. 6. Sed quæ proprie arbos dicetur infructuosa. Liquet de pseudoprophetis: proin exscindendi.

D. IX. Post Trin. *De villico diffamato.* Luc. 16. Fama notæ bonæ omnibus esse super omnia debet. 2. At omnium diues, & iudex Deus est, 3. cui & ratio reddenda: proin hæc ab Sapiente præuidenda. 4. Diffamatorum enim accusatores multi sunt. 5. Est tamen in arcto subinde consilium: 6. inprimis ab eleemosyna etiam auxilium.

D. X. Post. Trin. *Videns ciuitatem fleuit.* Luc. 19. O vim lacrymarum, sed manãtium ab oculis saluandorum. Lachrymabilior Solyma, quo gloriosior: 3. sed peccatrix euerti meruit. 4. Christus fletu misericordiam offert, delictaq; dissimilat. 5. quæ merito sunt deflenda. 6. Interim cuique dulce solum patriæ.

Dom. XI. Post Trinit. *De Pharisæo & Publicano.* Luc. 18. Detestabilis superbia est, nocetque plurimum. 2. Sit igitur orantis situs humilis: 3. Detque Deo gloriam: 4. Sui accusator in principio, dein precator: 5. at prædicator sui nequaquam. 6. Quin sui se pudeat magis, ac pœniteat: nam petita sic impetrat. 7. O submissio te quis sat euehat? Deus. 8. Vos autem humiles, quanti non estis Deo?

Dom. XII. Post Trinit. *De surdo & muto.* Matth. 7. Septena Fidei fundamenta notes: 2. quibus subnixa stat charitas proximi: sed à Deo vtraque. 3. Cuius misericordiæ manus tactu consanat, 4. surdos ac mutos ab Satana factos: 5. sed per Iesum ad sese retractos; inprimis à turba: 6. tam noxia, quam praua. 7. Cui cælanda sunt altiora mysteria. 8. Interim super impii iustificatione Iesus mœstum ingemiscit: tanta peccati immanitas est!

Dom. XIII. Post Trinit. *Et incidit in latrones.* Luc. 10. Sine gratia peccator nequit emancipari Dæmoni: 2. quicquid nasutuli Politici ac Leguleii moliantur: 3. Necesse est scientiæ sit comes virtus: 4. Corque Deo detur: qui super omnia diligendus est ex toto corde. 5. Sin': pronus erit lapsus in latrones Dæmones. 6. Nec inde quis liberat, nisi Iesus, sacerdos, & eleemosyna.

Dom. XIV. Post Trinitat. *Decem leprosi.* Luc. 17. Prauorum damnosa societas est, 2. Magis ipsa peccati lepra. 3. Cui obnoxia nobilium castella. 4. Clament, vt mundentur, Confessique venerentur Sacerdotes, 6. Et grati sint Deo, ni perdere malint omnia.

Domin. XV. Post Trinitat. *Nemo potest duobus dominis seruire.* Matth. 6. Grande malum auaritia. 2. Non minus, seruire duobus. 3. Qui bicorpores serui, sunt mulcta digni. 4. Modus opum nocet, non opes, 5. damnosaque est intemperans temporalium solici-

tudo. 6. Parce: nam Deus nostri cura tangitur.

Domin. XVI. Post Trinitat. *Ecce defunctus efferebatur.* Luc. 7. Mors triplex, perinde atrox est. 2. ac necessaria. 3. sed memoranda sæpe, namque commodat ad multa. 4. Mortui etiam honorate sunt tumulandi. 5. Quorum similes sunt peccatores. 6. Viduam miseratus Iesus, 7. reddit ei natum.

Dom. XVII. Post Trinitat. *Et ipsi obseruabant eum.* Luc. 14. Inuidia Dirarum est Furia. 2. Par ei peccatum ex malitia. 3. At obseruatores Iesu & proximi quales? 4. Peiores his momi censorii. 5. Iuit domum Iesus, aditque hydropicus peccator.

Dom. XVIII. Post Trinit. *Diliges Dominum Deum.* Matth. 22. Charitas, virtutum regina, 2. inprimis Deum affectat amare ex toto corde, 3. super omnia, multis de causis. 4. Proximum vero proxime, 5. præsertim in aduersis positum amat vt seipsum, nomine multiplici.

Dom. XIX. Post Trinitat. *Transfretauit.* Matth. 9. Vis & dignitas Fidei immensa est. 2. Charitas debetur patriæ potius, & cognatis, 3. at Deo sæpe, quod vilius est, datur, & pia molientibus obsistit mundus. 4. Hinc cura Pastoribus crescit, & turba improbis adhæresci, multis corporalia duntaxat spectantibus. 5. Quæ prosit fides. 6. ad paralysin peccati sanandam, quo opus est potestate Clauium.

Dom. XX. Post Trinit. *Rex fecit nuptias filio.* Matth. 22. O quam inimicus homini mundus est, 2. degenti in regno Ecclesiæ, 3. sub Rege Iesu, 4. Qui se cum Ecclesia desponsauit. 5. A cuius nuptiis se subtrahunt ob mundana negotia multi; alii ob mundi iugum, cum tamen homo se totum Deo debeat. O mundanæ opes, quam damnosæ estis, & cruciabiles? 7. Itaque nouissima sunt inculcanda.

Dom. XXI. Post Trinit. *De Reguli filio infirmo.* Ioan. 4. Perutiles sunt tribulationes, 2. In his infirmitas ingenita. 3. Illæ Deo nos sistunt, sicut Regulum Christo. 5. O nimium diuersos tristium ac lætorum effectus! 6. At causa non vna Deo suos affligendi. 7. Febres hominum variæ sunt.

Dom. XXII. Post Trinitat. *De rationibus cum seruis.* Matth. 18. Iustitia, & misericordia Dei geruntur omnia. 2. Parabolis cur vsus Dominus? 3. Exempla docent. 4. Iudicandi sunt omnes. 5. quia debitores sumus omnes. 6. Non nullus etiam seruus est nequam. Sed & huius miserendum est. 7. Inprimis autem egentibus faciendum benigne est.

Dom. XXIII. Post Trinit. *Quæ Cæsaris Cæsari.* Matth. 22. Verum naturaliter appetimus, 2. quo frenanda magis periculosa lingua est. 3. Adulatores autem execrandi etiam. 4. Hypocrisis similiter. 5. Denarius anima est, 6. imago in ea est Dei.

Dom. XXIV. Post Trinitat. *Filia mea modo defuncta est.* Luc. 8. Tribulationes sunt vtiles, 2. adorare docent. 3. Defunctæ filiæ sunt plures. 4. De mundi cantu ac risu. 5. De reliquiis, medicis, ac puellis. 6. De peccandi consuetudine.

Dom.

DOM. XXV. POST TRINIT. *Sedebit super sedem Maiestatis.* Matth.25. Iudicabitur corpus & anima, 2. Vniuscuiusque. 3. Resurgent etiam omnes, 4. sed dispares erunt, 5. Resurgunt quoq; non baptizati.

DOM. XXVI. POST TRINITAT. *De Abominatione.* Matth.24. Antichristi nomina. 2. Solymæ vrbis & orbis desolatio. 3. Tribulatio in aduentu secundo. 4. Abominatio Antichristiana, 5. & fraudulentia. 6. atq; tyrannis mala erunt vltima mundi.



NVCLEVS



NVCLEVS COPPENSTEINIVS E CONCEPTIBVS BESSEANIS ENVCLEATIS.

IN DOMINICAS OMNES PER ANNVM.

DOMINICA I. ADVENTVS.

Erunt signa in Sole, & Luna, & Stellis. Lucæ 21.

DE TRIVMPHALI IN IEROSOLYMAM INGRESSV Christi, Conceptus reperientur infra, in Dominica Palmarum.

EXOD. 10. DEVS in Pharaonem, Aegyptiosque diu populo Dei iusto iniquos vindicaturus; præmisit signa & iræ suæ, & cladis venturæ; tenebras, tempestates, bestias, &c. Sic in genus humanum, orbemque animaduersurus, signa ab terroribus immania præire iubebit.

De quibus in præsens.

I. Parte. *De memoria, & obliuione extremi iudicij, quanti sit vtraque.*

II. *Quod originalis agnitio fuerit de Iudice & Iudicio.*

III. *De signis, qualia sint.*

IV. *De signorum modo ac sensu.*

V. *De rebus signatis.*

PARS I.

QVANTI SIT MEMINISSE, VEL obliuisci Iudicij.

Beati sunt immemores iudicij

I. ECclesiastes *cap.* 10. genus humanum bipartitum, velut in theatro, proponit, & ait: *Cor Sapientis in dextera illius: & cor Stulti in sinistra eius.* Id de extremo iudicio interpretatur S. Hieronymus: in quo ad dexteram electi; reprobi ad sinistram statuentur. Rectè ille: At non minus is, qui dixerit: Sapientis cura & cogitatio respectat ad dexteram, Deique iustitiam, & beatorum sortem. Ex quo sequitur, vt sit peccati abstinens, ac recti amans. At stulti cor ad lævam aduertitur per profana mundi, & infanda reproborum. Effectus est, vt sit cooperтum sceleribus; inimicum & iniquum æquitati. Idque quia hic immemor; memor ille iudicij viuit.

Id vix credunt.

1. Testatur id Psalmista, 9. *Propter quid irritauit impius Deum? Dixit enim in corde suo: Non requiret.* Hoc effrenem sceleratorum soluit audaciam; contumaciam roborat; Dei contemptum auget: fugat iudicij memoriam. 2. Vnde sic apud S. Iob 22. blasphemant: *Nubes latibulum eius; nec nostra considerat; & circa cardines cæli perambulat.* q. d. Non est Deus: aut, si vsquam sit; est talpa cæcior: nec vlla tangitur cura nostri. Vah blasphemam cæcitatem. 3. Quid? *Qui plantauit aurem, non audiet? Qui finxit oculum, non considerat?* Psalm. 93. Qui aures, oculosque Deo; idem iustitiam, ac prouidentiam simul tollit: Deumque facit idolis parem: quæ

Deum vident.

Quasi idolum.

oculos habent, & non videbunt: aures habent, & non audient. Ps. 113.

At is omnia videt.

II. Non ita, 1. Propheta Zacharias cap. 3. Vidit is lapidem, se in petram oculorum septem: *Petra autem erat Christus.* 1. Cor. 10. Hic intima perspicit & vndique omnia, 2. Inde gemens, tremensque Iob. 14. *Tu quidem*, ait, *gressus meos dinumerasti*: vt nec cogitatus tenuis te fugiat. 3. Argum finxere Poetæ & oculis centum, & gigãtæa vastitate metuendum. At Deus quoque *magnus Dominus, & laudabilis nimis: & magnitudinis eius non est finis.* Psal. 93. Denique *exultauit, vt Gigas, ad currendam viã*, Psal. 91. Et oculatior Argo est.

Arguendi sunt tales.

Proinde se fallunt ipsi, qui post occisas viduas; alienigenas, ac pupillos oppressos, aiunt: Psalm. 18. *Non videbit Dominus: nec intelliget Deus Iacob.* Hisce inclama Psalm. 114. *Intelligite insipientes in populo, & stulti aliquando sapite.* Talem esse Deum, scitote, qualis Apocal. 1. visus est: *Caput eius & capilli candidi, vt nix: oculi flãmei, pedes similes aurichalco: vox, vt vox aquarũ multarũ: in dextera stellæ 7. De ore eius gladius anceps, & facies, vt sol.* Similis descriptio Da. 10.

PARS II.

Originalis agnitio fuit de Iudice & Iudicio.

Iudex agnoscendus Deus est.

I. IVdicii obliuio, scelerum inuehit colluuiem, & vilipendium offensæ Dei. Hinc querela. Psalm. 9. *Non est Deus in conspectu eorum: inquinatæ sunt viæ illorũ in omni tempore: auferuntur iudicia tua à facie eorum.* Hebraica & Chaldaica versio, loco *Deus*, habet *Heloim*, id est, *Iudex*: q. d. Quia immemores sunt Iudicis ac iudicij, ideo in omne nefas proruunt.

Sic ab O. C. est agnitus.

II. O stulti, qui non agnoscitis Deum Iudicem, quem orbis primordia agnouere. 1. Gen. 1. *In principio creauit Deus cœlum*: Hebræi *legunt*: *Iudex*: Et hoc nomen S. Hieron, Epist. 3. ad Marcellam, inter decem vocabula Dei præcipuè miratur: quod primum voluerit vt Iudex agnosci, ac metui. 2. Per istud, quod prima mundi die Creator *diuisit lucem à tenebris*; intelligit S. Augustin. iudicium, quod in Angelos tulit, bonos à malis sequestrando: Idipsum & hominibus facturum ait. Cæpit ab Angelorum; definet in hominum iudicio mundus. 3. Enoch cur in paradisum translatus est viuus? Vt iudiciũ Dei p̃dicet. Teste Iuda in Canonica: *Prophetauit de his septimus ab Adam Enoch, dicens: Ecce venit Dominus in Sanctis millibus suis facere iudicium contra omnes.* En; quam cito misit iudicij præconem Deus? 4. Et septimo diei subest mysterium. Nam is in ægris est Criticus; quo symptomata mutant; spemque dant bonam: Sic orbi ægro, in ætate septima; ægrique animæ reuocandum ad mentem iudicium est: Ita namque mutabũtur consuetudines praux, crisi supernaturali per gratiam facta in spem vitæ melioris.

Hinc spes est emendationis.

III. Iudicij vis est, quanta tonitrui. Bombyces. (quæ fatales sibi filum trahunt, & suis irretiti laqueis exspirant;) ita ad tonitru perhorrescunt, vt hoc audito moriantur. Ea causa nolis circum perstrepi solet; vt tonitru minus exaudiant. Ita peccator: vermis est, Psalm. 21. *Vermis sum, & non homo.* Et bombycinus, ac byssо indutus; vt Epulo; suisque curis implicitus; exhorrescit ad iudicij tonitru; vt peccato moriatur. Mundus aũt aures ipsi obtundit tinnitu suo; vt fragore iudicij minus terreatur. Hinc, *Aures eorum surdæ erunt.* Mich. 7. 2. Ceruas tradunt musica delectari; sed & illectos ea illaqueari: tonitru autem horrere; atq; vitã eo conseruare. Nec enim prius fœtum effundunt; quam terrore tonitrui pauefactæ iuuentur metu. 3. Fortè huc respexit Iob 39. *Nunquid parturientes ceruas obseruasti?* Bruta est cerua, quæ noxia sectatur,

Nam iudicii memoria est efficax.

Terretque salutariter.

tur, fugit salutaria. At brutus magis homo, qui voluptatum Syrenes deamat, sibi lethales: quiq; salubria iudicij tonitrua despuit, sicque peccatis illaqueatus perit: quia nunquam eorum vterum deponit, adiutus metu iudicij. Quid? Nō hic plus valebit apud nos; quam apud ceruas tonitru? 4. Huius gnara metus Ecclesia, quam vim is habeat, iudicium confert ex Euangelio tonitruis, tubis Angelorum, deliquiis astrorum, terræ motibus, tempestatibus maris, elementorum conturbationibus. Inde etiam hodie prædicat: *Erunt signa in Sole, & luna, & Stellis, &c.*

PARS III.

Signa qualia sint, ac significent.

Signa pœnarum ex historiis.

I. SIgna pœnæ secuturæ præmittere Deus amat: Vt istis moniti, has declinent homines. 1. Sic Neronis anno quarto terra tremuit, sol in meridie defecit: secutæ persecutionis Neronianæ præsagia. 2. *Richobaldus in Chronic.* 2. *Seneca in Quæstion. naturalib.* refert, post Cometæ apparitionem, æstu Oceani duas insulas cum incolis absorptas perijsse. Cometas impendentis mali indices esse docent *Arist. in Meteoris*, *Ptolomæus in proposit.* & alij. 3. Natalem Mithridatis Regis Ponti cometes præiit splendore solem obfuscans, & tantus, vt cœlum ardere videretur, plus quā terræ dimidium occupans. Venturi is Regis crudelissimi nuntius fuit. Ita *Val Max. & Eutropius.* 4. Clades Cānensis Romanorum, 44000. cæsorum à Pœnis, prænonstrata fuit per bouem loquutum, infantum voces ex vtero editas, serpētū volatus. 5. *S. Aug. 5. Ciuit. c. vlt.* prodit, quod excidiū Hierosolymitanum significarit stella gladio similis; Luna noctibus duodecim continuis deliquium passa: ærea templi porta, vix viris xx. mobilis, sponte reserata ruptis repagulit. Ita sub iudicij horam cœli templum patescet. Namque *erunt signa in*: &c.

1. Signant Dei misericordiam.

II. Signa hæc ad Dei misericordia nos aduertunt, qua animæ cōsulamus. 1. Sicut Iudex, reo beneuolus, & repitum excitat; quo monitus reus venientes lictores effugiat. Sic Deus peccatorē præmonet his signis; vt iram fugiat Numinis. Ps. 59. *Dedisti metuentib. te significationem; vt fugiant à facie arcus.* 2. Orbis ingemiscet, omnia contremiscent: & tu securus indormisces? Holofernes, *Iud.* 2. cum Assyriis terram Madian vastat ferro, flammaq;: Damascenorū segetes, arbores, vineas succendit. Horum nuntio in Iudæā perlato, *terror & tremor cecidit super omnes*: dicentes, si talia in res exsensas, quæ nil in eum commisere: qualia in nos statuet rebelles & contemtores sceptri? Si talis Deus in cœlum, stellas, elemēta, terram sæuiet: innoxia, adque nutum parentia: qualis in peccatorem animaduertet?

2. Iustitiā.

III. Signa eadā iustitiam Dei præferūt. Est iustitiæ cum misericordia vinculū indissolubile. *Iustitiæ namq;, & pax osculatæ sunt.* Ps. 84. Et Abac. 3. *Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis.* Et apud Zach. 11. *Assumsi mihi duas virgas, vnā vocaui Funiculū, & alterā vocaui Decorē.* hoc est, Iustitiā, & Misericordiā. Quibus, vt habenis, orbem refrenat à peccatis; ista grauiter, hac suauiter. Decore nunc; & in iudicio vtetur Funiculo, quē anteibunt *signa in sole*, &c.

Significans allegoriæ.

Horum allegoriam sic accipe. Sol iustitiæ, Christus, tunc ira vultum obnubet obscuratū. Luna, Deipara, lumē deprecationis suæ pro peccatorib. negabit. Stellæ de cœlo cadent, id est, Sancti venient ad iudicium.

Signa Zodiaca Euangelij & Christi viuentis qua.

Sol permeat XII. signa Zodiaci annuè. Quæ

Sunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo.

Libraque, Scorpius, Arcitenens, Caper, Amphora, Pisces.

Totidem & in Euangelio reperire est, quorundam in vita obiuit Christus, alia in iudicio percurret. 1. In Arietis signo vidit eum Astrologus, Ioannis 1. dum exclamat: *Ecce Agnus Dei, qui &c.* Præuidit *Isaias* 15. dum orat: *Emitte Agnum Domine, Dominatorem terræ.* 2. In Virginis signo idē *Isaiæ* 7. *Ecce, Virgo concipiet, & pariet.*

3. In Geminis videt eum omnis caro, cum *Verbum caro factū est*, in duabus naturis, & vna hypostasi. 4. Cancrū retrogradū inijt, quādo à sede Maiestatis descendit ad nos, *paulò minoratus ab Angelis.* Ps. 8.

Iudicantis At in iudicio intrabit. 1. Libram iustitiæ, trutinaturus omnia nostra. Tunc fiet æquinoctium, hoc est, dies Beatorum, & nox reproborum æquabuntur pari perennitate. 2. Leonem imbit, quando in furore *montium fundamenta comburet.* Deuter. 32. Heu incendium! *Non est, qui se abscondat à calore eius.* Psalm. 18. Tunc Amos 3. *Leo rugiet, quis non timebit?* Ioel. 3. *Dominus de Sion rugiet, & de Ierusalem dabit vocem suam, & mouebuntur cœli & terra.* O sæuitiam Leonis! At huic it comes clementia: Quia *dulcis & rectus est Dominus.* Psalm. 24. Ideo S. Bernardus eum confert api, cui mel in ore, in cauda aculeus. Sic, Dominus iā *dulcis*, post *rectus* erit.

Signant in Rum. IV. Signa ista luctus erunt. Nam, vt Rege extincto luctum induit aula tota: sic orbis, homine Rege suo sublato, lugebit, magnates cœlorum, præsides elemētorum, terræ vasalli lugebunt. 1. Expressit Ezechiel 23. *Operiam, cum extinctus fuerit, cœlos, & nigrescere faciam stellas eius, solem nube tegam; & luna non dabit lumen suum.* Id ad literam de Rege Aegypti, mystice de Rege mundi, homine, dicitur. 2. Dauid audita cæde Saulis, & exercitus, acerbē planxit, planctumque cunctis indixit. 2. *Regum.* 1. *Filiæ Israel super Saul flete, qui vestiebat vos coccino in deliciis.* Sic natura acerbum hominis casum feret peracerbe, omnesque creaturas ad planctum concitabit: Stellæ cadent, omnia mouebuntur, gement, rumpentur. 3. Vt patrefamilias vita functo lugent filij, serui, parietes, sellæque atratæ, & domus tota: ait *S. Chrys.* Ita homine orbis domino adiudicando morti, orbis lugebit, vigore singulis emarcescente.

Signāt interitū orbis. V. Signa erunt interitus mundi. 1. Cum palatij ianuæ, & fenestra clauduntur, aulæis parietes nudantur, tubæ canunt abitum, stipatores regij procedunt; signum est, Regem parare abitum. 2. Cum bases tremunt, ruina domus imminet: Cum in vultu color, calor in corpore, vigor in sensibus perit: tunc mors præsagitur. Sic cum fenestræ & ianuæ, cœli, Sol, & Luna manu Dei claudentur, aulæa lucis ac diei tollentur, tubæ concrepabunt, Angeli procedent: signum est, abiturum hominem orbis Dominum. Quassabitur orbis: & non fractus illabetur? Color vigorque agris, plantis, &c. peribit: id ipsis finem adesse indicat. 3. Si fausti erat omnis, nato Christo, cœlorum exultatio, cōcentus Angelorum, fulgor stellæ: si mœsti, passo Christo, sol obscuratus, petræ scissæ: quanto magis in die iudicij terræ tremor, squalor cœli, mæror siderum, horror orbis? Hinc exclamat Ezech. 7. *Finis venit, venit finis: euigilauit aduersum te, ecce venit. Immittam furorem meum in te, & iudicabo te iuxta vias tuas.* Ex signis prodigiosis quid nisi prodigiosa colligas?

VI. Signa & obscuratio in sole quia erit necesse est, vt & in luna, stellisque fiat.

Deliquiū solis est or bis. 1. Liquet hinc quantam exempla magnatum vim habeant in bonum, ac malum in vulgus. Cum primates deliquiū patiuntur; inferioribus quid fiet? Si lux sint tenebræ; hæ quantæ erunt? 2. Con-

cussis

cusis à Samsone columnis domus, in qua epulabantur Philistæi, signa, trabes, cæteraque corruebant: *Iudic.* 16. Ita lapsis in vitia proceribus, cæteri sunt in præcipiti. 3. Aaron, & Principes Israelitici vt cœpêre idola cõflare; mox eadem plebs adorabat. *Exod.* 32. 4. Vna solis obtenebratio est siderum omnium: Sic pro axiomate Philosophorum: *Paruus error in principio, maximus est in fine.* Magna, multaque vitia è paruo nascuntur initio. Ita Sathan Iesum cœpit à lapidibus tentare; finiit in regna. 5. Verè Isaias 14. *De radice colubri egredietur crocodilus.* Ex tantulo tantum! Et si tam erunt horrifica signa, res signatæ eiusmodi non erunt?

VII. Significant æternitatem instare solam. 1. Dixit Creator principio, Genes. 1. *Fiant luminaria, & diuidant diem ac noctem, & sint in signa, & tempora & dies, & annos.* Iam in fine confundent diem & noctem: nec erunt in tempora: sed vna dimetietur omnia æternitas; Teste Angelo, Apocal. 10. *Iurauit, quia tempus non erit amplius.* 2. Ergo, sic per Lucam modo Dominus vt per Moysem olim. Exo. 34. *Signa faciam, quæ nunquam visa sunt super terram, nec in vllis gentibus, vt cernat populus iste, in cuius es medio, opus Domini terribile, quod facturus sum.* 3. Apoc. 12. *Signum magnum apparuit in cœlo.* Si is ad vnum sic exclamans obstupuit, quid si vidisset tot, tantaque in iudicio apparitura.

PARS IV.

Signorum quis modus ac sensus.

Sententia interpretũ.

I. CHrys. sermo. 130. de temp. ait, 1. *Sol obscurabitur, nõ quia destruetur; sed quia luce aduenientis Christi superabitur.* Sic ad literam Hier. Euthym. Beda, & Aug.

2. Tropologisant. *S. Greg.* 18. *in Iob. Moral.* & alij. Quod per tenebras, nubes, & c. Scriptura intelligat afflictiones. Vt Isa. 13. *Stella cœli, & splendor earum non expandent lumen suum. Obtenebratus sol,* & c. Sic & Amos 8. *Occidet sol in meridie, & tenebrescere faciam terram in die luminis.* Hoc est in mediis gaudiis obruam eos angustijs. 3. Origenes vult ex fumo terræ incensæ sidera obnubilanda fore. At prius sol obscurabitur, quàm terra succendatur. Alioquin homines exurerentur, nec signa viderent cœli. *Arescent autem præ timore.*

4. *Sententia.* Verè obtenebrescent. Idq; modo quadruplici, secundum *Tostatum. Matt.* 84. *q.* 155. 1. Subtractione radiorũ.

2. Interpositu corporis spissioris. 3. Suspensione claritatis solaris. 4. Eclipsi supernaturali. Nam naturalis non est prodigiosa. Solem & lunam simul pati Eclipsin, hoc innaturale est: Sicut & totum orbem ex Eclipsi obscurari. Durabit ea tres horas, vt in Passione: aut triduum, vt Aegyptiacæ tenebræ. At neutrum certum. Hæc de modo. Iam de sensu. Tum postea de causa.

Sol est signum iustitiæ & vitæ.

II. Sol est symbolum 1. Iustitiæ, luce discernens bonum ac malum. Ideo Orpheo appellatur oculus iustitiæ. 2. Est & vitæ hieroglyphicum. Hinc Regi Cyro somnianti, solem sibi è manibus elabi, interpretes eum propediem morituru augurati sunt: Nec errârunt. Ita sol obscuratus, prænunciat orbi & iudicium, & interitum vitæ. Agno, *Apoc.* 6. sextum sigillum aperiente, signa hæc Euangelica patuêre. Patebunt & in ætate mũdi sexta. At quam terribilia? Id ex subiectis accipe.

2. Fauoris.

1. Ioseph vidit se à sole, luna, ac stellis adorari. *Gen.* 37. Ipsa ea nũc fauent etiam nobis, & obsecundant. At demum in nos insurgent cum Iudice.

3. Vindictæ seruis.

2. Iosuæ ad nutum stetit sol & luna, oppugnanti Amorrhæos, donec omnes delesset. *Ios.* 10. Sic eadem & Christo parebunt vindici. *Vt sumat vindictam de inimicis suis.* Ierem. 46. Et Psal. 145. *Ad faciendam vindictam in nationibus.* Ipse namque

est, Iob 5. *Qui præcipit soli, & non oritur, & stellas claudit, quasi sub signaculo, quia commouet terram de loco suo, & columnæ eius concutiuntur.* Et istud est quod legimus: *Sol cognouit occasum suum.* Psal. 103.

4. Monet sol fugientis ætatis.

3. *Memento igitur Creatoris tui, in diebus iuuentutis tuæ*, id est, modò dum vitam viuis breuem: *antequam veniat tempus afflictionis tuæ, & appropinquent anni, de quibus dicas, non mihi placent; antequam tenebrescat sol, & lumen, & tenebræ.* Eccl. 12. 4. Ecclesiast. *cap.* 46. effert potentiam Iosuæ super omnium Regum potentiam, dicens. *In iracundia sua impeditus est sol, & vna dies factus est, quasi duo.* Potentior est Christus, qui omnium siderum lumen impediet, eritque *dies magna & amara valde.*

5. Confunderetur ob peccata.

5. Isa. 24. ait, *Erubescet luna, & confundetur sol, cum regnauerit Dominus exercituum in monte Sion*, iudicaturus orbem, *& in conspectu senum suorum*, cœlitum, *fuerit glorificatus.* Hinc Ioel 2. & Sophonias 1. eum vocant *diem tenebrarum & caliginis.*

6. Tunc orbis non amplius erit paradisus voluptatis, sed *terra miseriæ, & tenebrarum.* Iob 10.

Dixisti olim de sponsa, Domine, *Pulcra vt luna, electa vt sol.* Cant. 6. At ecce, *Luna tota facta est sicut sanguis.* Apoc. 6. *Sol & luna obtenebrati sunt.* Ioel. 2. Dixisti Dauid, Psalm. 148. Mecum *Laudate Deum sol & luna, laudate eum omnes stellæ & lumen.* At nunc tanto ea *Musica in luctu importuna narratio est.* Eccl. 22.

III. *Sed eccur signa talia in immerentibus sideribus edet Deus?*

Ob peccata.

I. Odio peccati. Vt etiam, quæ ei seruiêre, punire velit. Vere Horatius.

Quicquid delirant Reges, plectuntur Achiui.

Homines, orbis sunt Reges.

Ob hominem.

II. Vt istis peccator perterrefactus, ad pœnitentiam respiciat. 1. Si enim triduanæ tenebræ Aegyptiacæ incolas terruere, *Exod.* 10. quantò magis hæ spissiores? 2. Israelitæ auditis tonitruis, visisque fulgetris territi aiebant, Exod. 20. *Loquere tu nobis: non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur.* Peccatores, in valle Iosaphat terribiliora experturi, quid dicent.

Ob Deum.

III. Vt significet, quod sibi *proprium est misereri semper & parcere*: irascique & cogi ad pœnas. 1. Sic ante diluuium. Gen. 6. *Tactus dolore cordis intrinsecus, delebo*, inquit, *hominem, quem creaui.* 2. Sic fleuit super Ierusalem vastandam. *Luc.* 19. 3. Ideo queritur Isaiæ 43. *Seruire me fecisti in peccatis tuis.*

Ob naturam.

IV. Quia inferiora ab cœlestium, cœlestia ab solis influxu dependent, ideo, cum pessum ire debeant omnia, ab sole fiet initium. Causæ hæ sunt tantæ quanta signa sunt ipsa.

PARS V.

De rebus signatis.

Signa Deo punituro consueta.

PRophetæ diras Dei iras, ac plagas annunciaturi, ad verba parem cultum, gestum, aut signa adhibebant, 1. vt Isa. 20. & Michæas cap. 1. Nudi prædicabant: *Vadam spoliatus & nudus*, ait hic, *faciam planctum sicut draconum.* 2. Ierem. cap. 28. Catena onustus cladem & captiuitatem Ierusalem nuntiabat. 3. Ezechiel induto peregrini habitu, ait Dominus, c. 17. *Fac tibi vasa transmigrationis.* Quo cultu, vultu, signo vtetur præco iudicij? Nil sufficit ad tanta mala repræsentanda; sol, luna, &c. prodire atrata, confusaq; debent? 4. *Apocal.* 10. Angelus iudicium annuntiaturus, nouum habitum præferebat. Facie erat solari, radiis terram penetrantibus, voce leoninum irrugiente; pede hoc mare, isto terram insistente; amictus nube, iride redimitus, in manu liber, verba tonitruantia. Talis etiã, tunc iudex erit. Ideo, *à voce tonitrui tui formidabunt.* Psalm. 103.

Signa Iudicii eruæ sæuissimæ.

Quia

Quia Matth. 24. *Erit tribulatio, qualis non fuit, ex quo gentes esse cœperunt.*

Præiudicia exemplorũ id ostendũt. Si signorum præludia sint talia, qualis factorum erit tragœdia? Magna Samaritanorum fuit calamitas; 4. *Reg.* 17. cum leones, à Deo è desertis in eos immissi, pœnas scelerum sumebant, vrbis, liberorum, pecorum vastatores. Maior in iudicio; cum terra feras, mare monstra, cœlum aues, sepulcra mortuos, orcus dæmones dabit in peccatores. 2. Gabaonitarum angustiæ & mortes multę erant, *Iud.* 19. Iosue eos vndique cingente, cædente; Sole etiam perniciem eorum stante. At ludus hic est ad iudicij mala. Suprà iudex, infrà orcus, circum superi, inferique, intra conscientia. 3. Horribile fuit excidium Ierosolymæ: quod etiam Christus defleuit, At hic *erit tribulatio, qualis non fuit.* Ad eam horrificandam quatuor conuenient: Crux, Tuba, Pressura, Iudex.

Erunt præcipua quatuor. 1. *Crux ante salutis.* I. *Signum Filij hominis.* Matth. 24. id est, vt *Origeni* placet, gloria Christi in cruce parta. Vel (vt Autor operis imperf.) vibices & vulnera Christi. Vel (vt communis Patrum) Crux Christi. Huius figuram gerebat, 1. Serpens æneus, erectus à Moyse, Sanator aspicientium eum. *Num.* 21. Item 2. Ezech. 9. Thau. *Signa T. super frontes virorum gementium.* 3. Signum coccineum, quo Rahab se suosque seruauit. Iosue 2. 4. *Signum fœderis quod do inter me & vos, & ad omnem animam viuentem*, Gen. 9. 5. *Signum, cui contradicetur.* Luc. 2.

Iam necis. At crux alias pacis, vitæ, gloriæ; tunc mutata, erit iræ, & mortis; sic, vt stellarum signa nil sint ad eam. Illis enim homines, his etiam *Virtutes cœlorum commouebuntur.* Matth. 24. *Et plangent se super eum omnes tribus terræ.* Apocal. 1.

Ineuitabilis. Quo tunc fugies peccator? 1. Adam Gen. 3. *Abscondit se in medio ligni paradisi.* Docens, lignum Crucis asylũ fore lapsis. At hic id erit excidium. 2. Iacob idola Laban ad radicem terebynthi, id est, peccata sub cruce sepeliebat, At iam ea crux persequetur. 3. Nocte, qua primogeniti sunt cæsi etiam idola cecidere prostrata. Exod. 12. *In cunctis Diis AEgypti faciam iudicia.* Inde matres è strato surgentes repertis infantibus cæcis confugiturę ad lararia, Deos quoque confractos offendunt: patres item in templis inueniunt: hic nusquam refugium; eoque planctus immanior. At immaniora in iudicio. Nil iuuabit potentia, honor, opulentia, voluptas, fauor, amici, ferui.

II. Tuba *mirum spargens sonum per sepulcra regionum. Coget omnes ante thronum.* Tunc *plangent omnes tribus terræ*, Apocal. 1. Quia Psal. 49. *Deus manifeste veniet, & non silebit: Ignis in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius tempestas valida.* *Tuba planctus hominum.*

Verane hæc tuba? Non; sed vox Iudicis Apoc. 1. *Tanquam vox aquarum multarum.* Et: *Audiui quasi vocem tubæ.* *Et vocis Dei.*

Vox tamen tuba dicitur. 1. Ob conuocationem omniũ, cui tuba seruiebat. *Num.* 10. *Isa.* 18. 27. *Sopho.* 1. *Zach.* 9. 2. Quia maiestatis est signum. Hinc 3. *Regum* 1. Salomone inaugurato tuba cantatum, acclamatumque: *viuat Rex Salomon!* At Christus dicet. *Psalm.* 2. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius.* 3. Ob futuri belli iudicium. Sic Gedeon Madianitis bellum indixit, ac vicit tubarum cantu *Iud.* 7. Bethulienses, *Iud.* 15. fugam Assyriorum persecuti sunt buccinis. Sic in iudicio iudex *accipiet armaturam zelum illius, & armabit creaturam ad vltionem inimicorum.* Sap. 3. 4. Tuba dat signum conuasationis & profectionis *Nu.* 10. Ideo hic vox tubæ cosmophilos conuocare iubebit, & è mundo emigrare. *1. Ad cõuocationem.* *2. Maiestatem.* *3. Iudiciũ.* *4. Migrationem.*

III. PRESSVRA GENTIVM. Expresit, Esdras 4. *Cum venerit dies pressuræ*

pressuræ & angustiæ, alij plorabunt, & tristes erunt. Ioann. 14. In mundo pressuram habebitis. VNDE? 1. Ab hæresibus. Vt enim moribundus varijs cogitationibus: sic orbis tunc erroribus agitabitur, ceu notat *S. Chrysostomus.* Ideo monuit Dominus, Matth. 24. *Videte, ne quis vos seducat. Multi enim venient in nomine meo.* 2. Ab præliis. *Audituri estis prælia. Videte, ne turbemini. Surget enim gens contra gentem.*

3. Ob famem, bella consecuturam. Qualis in Ierosolymitana obsidione cũ matres deuorarunt filios. Cuius similia & ante iudicium fient. 4. Ob maiestatem, & furorem Iudicis ineffabilem 1. Psalm. 89. *Quis nouit potestatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare?* 2. An scelera solum discutiet? Imo ait, Psal. 74. *Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo.* Id metuens Psalm. 142. orat. *Non intres in iudicium cum seruo tuo.* Quid ergo impijs fiet? 3. Suos monuit, Isa. 2. vt cauerent ab eo, *cuius spiritus in naribus*, id est, quiras spirat. 4. Iob. 2. orat. *Non me aspiciat visus hominis*, Iudicis huius. Ideò 14. ait: *Quis mihi tribuat, vt in inferno protegas me, & abscondas me, donec pertranseat furor tuus?* 5. Qualis is visus hominis? Dan. 10. *Antiquus dierum, vestitus lino, facies instar fulguris, oculi instar lampadis ardentis. Similis descriptio* Apoc. 1.

Iudex erit terribilis, & seuerus. 1. ab ira.

2. ab visis.

3. Horrore diei. Heu Psalm. 50. *Auerte faciem tuam à peccatis meis.* Nam Malach. 3. *Quis poterit cogitare diem aduentus eius? Quis stabit ad videndum eum?* 1. Nec Angeli, Quia *contriti sunt montes seculi, incuruati sunt colles mundi ab itineribus æternitatis eius.* Psalm. 90. Vbi *S. Bern.* Angelos intelligit. 2. Hanc suauissimam vocem Ioſephi; Genes. 45. *Ego frater vester Ioseph:* sustinere nequibant fratres: memores peccati sui vnius: Quomodo istam (*Venite ad iudicium. Ite maledicti*) ferent auari, luxuriosi, &c. Præsertim cum ipse singulatim delicta explorabit. Matth. 25. *Esurijui, & non dedistis, &c.*

4. Abvoce.

Negligentiæ seram pœnitentiam hinc æstima. 1. Ioas Rex Elisæum ægrum inuisit, Elisæus vt gratiam reponeret, iubet eum eiaculari contra Syros hostes, quoties vellet. At bis tantum iaculatus est; *Sique septies*, aiebat vates, *percussisses Syriam vsque ad consummationem.* An non is doluerit post, non sæpius se iaculatum fuisse? Quantò dolebit amplius, qui percutiendi dæmonis tam multam occasionem neglexit vecors? Cum id vel aquæ potu præstare potuisset. 2. Dolores hos describere nemo potest. *Apoc.* 10. Ioanni audita 7. tonitrua scribere volenti dicitur: *Noli scribere.* Nec enim sat mẽte comprehendi queunt, minus scripto. Itaque & ego *manum de tabula.*

Non istius memoria negligenda est.

PERORATIO.

COncludo verbis Moysis: Deuter. 29. *Vos vidistis vniuersa, quæ fecit Dominus coram vobis in terra Aegypti. Tentationes magnas, quas viderunt oculi tui, signa illa, portentaq;. Et non dedit vobis Dominus cor intelligens, & oculos videntes, & aures quæ possent audire, vsq; in præsentem diem.*

Respondebitis verbis Israelitarum, in Sichem à Iosue admonitorum, vt Deo inhærerent: Iosue 22. *Absit à nobis, vt relinquamus Dominum, & seruiamus Dys alienis. Dominus Deus noster, ipse eduxit nos, & patres nostros de terra Aegypti*, &c. *fecitq; videntibus nobis signa ingentia.* Quanto maiora nobis prædicta sunt?

1. Quare, vt Dauid ad ministros Sacrorum; sic ad vos ego: 1. Par. 16. *Recordamini mirabilia eius, quæ fecit, signorum illius & Iudiciorum oris eius.* Etenim nil efficacius his, ad peccata cauenda.

2. Nam Psalmo sexto, ad superbos & impios coercendos directo, (vt vult S. Augustin.) demum sic ait: *Exurge Domine, & exaltetur manus tua*, &c. *Iudicate pupillo & hu-*

& humili, vt non apponat vltra se magnificare homo super terram.

3. Quod, si sæpius Gedeonææ tubæ Iudicii nobis insonent: si lagenæ corporum defunctorum collisæ cernantur vacuæ: lampadesque intus, (ignes tartarei,) visantur, tunc vero vincemus facile Madianitas dæmones. *Iud. 7.* Hoc agite. Et audietis istud: Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum.*

DOMINICA II. ADVENT.

Cum audisset Ioannes in vinculis opera Christi Mat. 11:

4. REg. 2. Elia in cœlum rapto, Elisæus, eius discipulus, alios Prophetas per montes ac siluas emisit inuestigatum eũdem. Non quod ipse raptum eum dubitaret; sed vt, eo non reperto, & illi crederent raptum in cœlum esse. Sic Ioannes. De quo nos

I. *De necessitate tribulationum in iustos.*
II. *De fœminæ Herodianæ malitia.*
III. *De luxuriæ malitia.*
IV. *De captiuo documenta.*
V. *Eius percunctatio.*
VI. *Christi responsio.*
VII. *Notæ Prædicatoris.*
VIII. *Præconium de Ioanne.*

PARS I.

Necesse est iustos pati.

Tribulati fiunt 1. aurum.

IVsti sunt aurum: ideo probandi sunt igne. Vtrumque istud pars est beatitatis. 1. Sap. 3. *Tanquam aurum in fornace probauit electos Dominus.* Iob. 6. *Quasi aurum, quod ignem pertransiit, probauit me Dominus.*

2 Dicati Deo.

2. In excidio Iericho omnia hausit ignis; præter aurum, argentum, æs, ferrum, quæ Dominus voluit cõsecrari ad tabernaculum, *Ios. 6.* Similes iusti, non cedunt tribulationibus: quia dicati sunt Deo,

3. Diuites.

Deique seruitio, vt vasa honoris. 3. Ditat his suos Deus. Psal. 134. *Gloria, & diuitiæ in domo eius.* At quales? Ps. 111. *Qui producit ventos de thesauris suis*: id est, tribulationes ex omnium Patrum sensu. 4. Sponsa, vt sponsum sibi deuinciret; hortum adornauit; *Cant.* 4. 1. muro, 2. arboribus, 3. areolis, 4. fonticulis, 5. floribus, 6. fructibus: Et, quasi parum ista; turbulentissimos quoque ventos inuitat: *Surge Aquilo, & veni Auster, perfla hortum meum, & fluent aromata eius.* Ita Electorum animæ sunt Deo horti instructi, 1. gratia Dei, 2. virtutibus, 3. opportunis locis, 4. fluentis gratiarum, 5. desideriis sanctis, 6. meritis: nec desunt venti tribulationum. Quæ eo meliores; quo turbulentiores. 5. Angelos. *Apo. 7.* misit Deus ad excidium orbis; ante tamen eos iusit alas ventorum continere; ne orbem afflarent. Sic diaboli, facti in perniciem orbis, priusquam noceant; tribulationes sistunt: ne hæ afflent iustos. Sciunt enim ab his proficere ipsos. Atq; ita moliuntur perniciem ipsa quiete, & securitate. Mare, terra, arbores ni afflentur ventis, torpescerent. Ita homines non tentati nil sciunt. Hanc quietem æmulatus, imprudens ait, Psalm. 72. *Zelaui super iniquos, pacem peccatorum videns.* 6. Elias, 4. *Reg.* 1. curru igneo, & turbine velificante raptus est: id est, tribulationes, non placido vento. Vt enim ventus festucas euehit: ita tribulatio animas. Ideo Ps. 24. *Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt*: Hier. vertit ex Hebræo; *Tribulationes cor meum sursum ferre fecerunt*: quod prosperitates deiecerunt. 7. Vt tonitrua sterntes excitant, & terrent: ita tribulationes. 8. Arca Noe quo magis vndis intumescentibus fluctuabat; hoc vicinior cœlo fiebat. Vita, diluuium est. Talis Martyrum. Vt cum lapidum imber in Steph. rueret: *Ecce*, ait, *Video cœlos apertos, & Iesum.* Act. 7. 9. Idcirco sponsa sponsi perfectionem describens, ait, Cant. 7. *Statura*

4. *Hortus Dei.*

5. *Semper integri.*

6. *Contemplatiui.*

7. *Vigiles.*

8. *Cœlestes.*

9. *Inuicti.*

tua assimilata est palmæ. Et de se. Eccles. 7. *Quasi palma exaltata sum.* Quia hæc quo grauatur magis, magis exurgit. At animabus dicitur Oseæ 2: *Sponsabo te mihi, in fide,* scilicet perseuerantiæ in aduersis. 10. Fides musicæ percuti debent; & quo acutius feriuntur: hoc sonant iucundius. Emblema est: cui additur epigraphe: *Non percussa silent.* Testis Baptista, vinctus hinc est ab Herode, inde ab Herodiade vexatur, supplicioque destinatur: at hoc fortius prædicat.

10 Grati.

PARS II.

Triste malum fœmina.

BAptista, regij impatiens scandali, Herodem arguit incœstus; quem Naturæ lex refutabat, & Moysis. *Deut.* 25. Ac tametsi plura Regibus liceant, quam aliis: quæ tamen legis sunt diuinæ, arctius eos tenent, ob exemplum. Ideo carceratur, *propter Herodiadem* amicus monitor. *Dux fœmina facti;* Eum necti; quem omnes insontem, sanctum, Messiam credũt. Alius nemo tantum vel audere potuisset. 1. Vere, Eccl. 25. *Breuis omnis malitia super malitiam mulieris.* 2. Ipse Deus nullum, ad exprimendam iram suam ac furorem, emblema potuit reperire aptius; quam fœminam, Iubet *Oseam* c. 1. ducere vxorem; primamque filiam vocare, *Absque misericordia. Quia non addam vltra misereri domui Israel.* (Impias Herodiades ferit oratio: ideo piæ ignoscent.) 3. Zach. cap. 9. vidit mulierem in amphora stantem, cum massa plumbea in ore. Nescienti, quid portenderet, ait Angelus: *Hæc est impietas.* Amphora & infundibulum, quod patet vtrinque, significat garrulitatem, hac illacque perfluentem: Ideo in ore plumbum, vt cogatur silere. 4. Apoc. 9. Nouum Locustarum genus, 1. equis bellicis simile, cum caudis scorpionũ, dentibus leonum, capillis mulierum, potestate nocendi hominibus, significat Spiritus S. nil immanius muliere mala. 5. Apoc. 17. *Mater fornicationum & abominationum terræ* aptius describi nequit, quã per fœminam indutam fastuose, insidentem septicipiti bestiæ, cornutæ decies; hoc est, loquacem, ferocem, capitosam. Hæc meretrix, vera est Herodiadis imago. Fac Octopœiam. 6. Vere Orig. Hom. 7. in diuersos: *Mulier caput est peccati, arca diaboli, expulsio paradisi, corruptio legis.* 7. Elias, etsi CCCC. pseudoprophetas necasset, Regem tamen Achab impium non fugit: 3. *Reg.* 18. 19. At Iezabelem fugit ad deserta, tutior inter feras. Et ante orabat: *Domine, tolle animam meam,* &c. quã in mulierem incidere vellet: Nempe morte peiorem: maxime meretricem. 8. Megolopolitani Venerem statuere cum hac epigrapha: *Dea machinatrix, & artifex.* Nam quæ amat, quid non audet? Cui delicto ignoscitirata? quod ipsa non exercet? Ouid. 6. Metam. *Et nil est, quod non effræno captus amore Ausit.* Talis machinatrix consilii pessimi Herodias; vt vnica mundi Phœnix caperetur Ioannes, ac enecaretur.

Malum fœmina.

1. *Ob insitã malitiam.*

2 *Ob sæuitiam.*

3. *Ob garrulitatem.*

4 *Ob male dicentiam.*

5. *Capitositatem.*

6. *Ob originem peccati.*

7. *Ob persequendi cupiditatem.*

8. *Quia mille artifex.*

PARS III.

Non minus malum luxuria.

1. REx eum capi quidem iussit: at Amor cupidineus suggessit. Crudeles deliciæ, amor & fœmina! Cœcus amor! Ps. 4. *Fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor.* 1. Quia vsu rationis priuant, dein taminant. Hinc expertus orat, Psal. 50. *Cor mundum crea in me Deus.* 2. Quia sicut vinum tollit iudicium, vt homo obbruteseat: sic fornicatio. En Herodem: quæ in eo ratio? Ebrius amore sæuit. 3. Hoc vitiũ generali nomine Iniustitiæ afficit Ps. 118. *Non dominetur mei omnis iniustitia.* Imo, Infernale barathrum est, Ps. 85. *Confitebor tibi Domine Deus in toto corde meo, & glo-*

Quia 1. ebria est.

2. Orcus est.

& glorificabo nomen tuum in æternum, quia misericordia tua magna est super me, & eruisti animam meam ex inferno, hoc est, de carnis peccato. Sic S. Euthymius.

3. Punita semper. II. Vt odit; sic punit id Deus, Genes. 6. *Delebo hominem, quem creaui, à facie terræ: ab homine vsque ad animantia, à reptili vsque ad volucres cœli:* Satis parcit piscibus: qui coitu non generant: ideo castitatis sunt symbolum.

4. Saua. Cui soli non parcit Deus; id solum nõ parcit etiam castissimo Baptistæ. Mira iniustitia! Speculum innocentiæ & virtutũ, Angelorum socius, fax mundi, Messiæ præcursor, doctor omnium, pœnitentium dux, & vnus omnia; Ab incœstuoso, ebrio, truci, impio, politico capitur; libenter auditus plectitur ab templi profanatore, Sacerdotii inuasore, sacrorum venditore, Tyranno, ciuium depeculatore, nobilium prædone, filiorum carnifice, externorum vastatore, pesti patriæ, labe regni: idq; per mulierem scortum, lasciuiæ fomitẽ, Iudææ propudium.

5. Veritate exosa, maxime in aulis. III. Animæ Regis vitam daturus erat confessor veritatis, magister morũ & vitę: & vita ei tollitur? Nimirum veritas exulat aulis: regnat palpatio. Audax ibi, qui loqui veritatem audet 1. Ideo magnũ ducit. Psal. 118. *Loquebar de testimonijs tuis in conspectu Regum, & non confundebar.* 2. *Amos* 7. Idololatriam Ieroboæ Regi exprobrans à summo Pontifice eijcitur aula, & regno. 3. Vt Balthasaro Regi Babyloniorum veritas annuntiaretur; non ausus est Deus ei virum mittere; sed manum *hominis scribentis contra candelabrum in superficie parietis aulæ regiæ* Dan. 5. 4. Nathan propheta Dauidi nũciasse veritatem iussus à Deo, ante alte petit exordium, quam ad rem descendat: & parabola de oue pauperis cæsa à diuite ob luxum conuiuij; eum circumuenit. Lataque ab Rege sententia, edixit demum 2. Reg. 12. *Tu es ille vir, qui fecisti hanc rem.* Adeo plena est periculi functio veritatem insinuare aulicæ potentiæ. *Quocirca bene Lucanus.*

Exeat aula
Qui cupit esse pius. Nam
Virtus, & summa potestas
Non coeunt.

Hac de causa Ioannes nexus est. Pro? Manum, Christi indicem, innecti? Iam verum istud Ps. 149. *Et nobiles eorum in manicis ferreis.* Quid? Linguã, Messiæ testem obmutescere? Eremicolam carceris fieri incolam? Vocem clamantis claudi in antro? Libertatem constringi captiuam? Christi Baptistam teneri ab nequam?

PARS IV.

De captiuo documenta Ioanne.

Deus memor tribulatorum. I. Videtur, *Ioannes in vinculis,* exemplum esse iustorum: quasi quorum Deus obliuiscatur. Psal. 87. *Nunquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua, & iustitia tua in terra obliuionis?* Nam, vt ait S. Chrysostom. *Ioannes magisterium vitæ, sanctitatis norma, schola virtutis, est in vinculis:* quasi & in Dei obliuione. In hac *terra obliuionis, vsque quo peccatores Domine, vsque quo peccatores gloriabuntur?* Psal. 93.

2. Seruator est animarum. II. Attamen etsi corpus patiatur, animam Deus gratia roborat ac recreat. 1. Quia Sap. 3. *Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum malitiæ:* id est, peccatum. 2. idem significat Angelus *Apo.* 1. qui stellas manu præferebat. Quo primum mirus splendor gloriæ iustis accedit. Deinde securitas præstatur beatitatis: quia *in manu Dei sunt.* 3. Tãgi finit corpus Iob. 2. at *Animam illius serua.* 4. Christus suum tradidit corpus: at ait Luc. 23. *In manus tuas commẽdo spiritum meum.* 5. Cuius rei signum lectulus Salomonis quem LX. fortissimi ambiebant, *Cant.* 3. At animam, thalamum Dei, dona gratiæ ambiunt longe plurima:

3 *Fauor mundi vi treuis est.*

III. O fragilis fauor mundi, & gloria! Quanti omnibus ante Ioannes erat? At mox in carcere gemit. 1. Ita Daniel. 5. & 14. omnibus satrapis præpositus hodie, cras leonibus obiicitur in lacum. 2. Sic Paulus, sanato Lystris claudo, Mercurius creditur, Iupiter Barnabas: Act. 14. *Dij, similes facti nobis, descenderunt ad nos.* Ergo Sacrificuli coronas offerunt, parant victimas. At paulo post *superuenerunt quidã Iudæi, & persuasis turbis lapidantes Paulum traxerunt extra ciuitatem.* Vah fidē mundi, ac metamorphosin!

4. *Prædicator veritatis. est tuba.*

IV. Veritatis Præco captus docet Concionatorem, neu sileat veritatem. 1. Ideo *Isa.* 58. Vox eius tubæ comparatur: *Quasi tuba exalta vocem tuam.* Sicut enim tuba castrensis omnium aures stringit, tam ducum, quam gregariorum, & lixarum: ita & prædicator. 2. Isa. 60. Vidit homines, vt nubes volare: Nescit mysterium: Quærit: *Qui sunt isti, qui, vt nubes volant?* Sancti Doctores interpretantur, esse Prædicatores: Qui animis in cœlo suspensi, dum è terra, marique vaporem bibunt: eum mature factum pleni sine discrimine effundunt: cuius cuius agrum attigerit, seu Regis seu plebis. 3. Tales per Ieremiam 16. promissi. *Mittam eis multos venatores: & venabuntur eos de omni monte, & de omni colle*, id est, in aulis, & caulis; in vrbibus, & viculis; per plana, aspera: alta, humilia locorum: lepores, vulpes, lupos, vrsos, apros, &c. venabuntur impertæsi laborum, periculorum. Talis Baptista in desertis, syluis, agris, litore Iordanis, inque vrbe venabatur. Nunc rem indignam vide & præposteram.

Nubes.

Venator.

5. *Vitium premit virtutem.*

V. Ioannes, id est, gratia, est in vinculis, ac vitia dimittuntur libera. 1. Fides vincta est: Luc. 18. *Cum venerit Filius hominis putasne inueniet fidem.* 2. Et spes. Isa. 28. *Posuimus mendacium spem nostram.* 3. Charitas Luc. 21. *Surget gens contra gentem*, &c. Liberalitas: Iere. 6. *A maiore vsque ad minorem omnes auaritiæ student:* & castitas captiua. Psal. 13. *Corrupti sunt, abominabiles facti sunt.* Ita Herodes dominatur; carceratur Ioannes.

6 *Constantia cordati.*

VI. Miranda Ioannis constantia. Tota Iudæa nullus ausus verum dicere Herodi: ausus Ioannes. Pharaonis indurationem viderunt Aegyptiæ: at demum serui dixerunt: Exod. 10. *Vsquequo patiemur hoc scandalum?* Sic Ioannes hic solus. Benè de eo Ps. 118. *Loquebar de testimoniis tuis in conspectu Regum, & non confundebar:* Scilicet vrebat zelus & vrgebat. Idcirco ibidem. *Defectio tenuit me propeccatorib. derelinquentibus legem tuam.*

7. *Solatia in miseriis spiritalia.*

VII. *Cum audisset Ioannes in vinculis opera Christi.* 1. Hoc ipsi in miseriis solatium. Et nostrum esto, audire conciones, legere spiritalia, orare, psallere.

8 *Christũ ob Christũ relinqui.*

VIII. Poterat Ioannes adhæsisse Christo; eoque fruisuauiter, familiariter vti: at prodromus maluit parare vias ei, prædicando pœnitentiam. Sic & nos priuata nostra posthabeamus publicis. 1. Moyses in Sinai perfruebatur Deo: at peccante populo iubetur: Exod. 11. *Descende citò: quia peccauit populus.* q. d. Contemplationem defere; operi insiste. 2. Christus in horto instabat orationi pro se: at eam abrupit præ cura discipulorum. 3. *Leuit.* 12. Non prius Pacifica: id est, hostiæ voluntariæ offerri iubebantur; quam legalia; quæ præcepta fuissent oblata. Ita publica, necessaria, præcepta prius: tum tua, & Consilia perage. 4. Ionathas, in prælio Dei laborans, fessus gustat fauum contra, quam vetuerat Saul. 1. *Reg.* 14. Quia tamen suam prætulerat patris voluntati, damnatur à patre ad mortem: etsi optima Ionathæ esset intentio. Ne ergo zeli proprij opera, quamuis pia, obedientiæ præferamus.

PARS

PARS V.

Captiui Percunctatio.

I. *Tu es qui venturus es?* 1. *S. Greg. Homil. 6.* putat interrogasse: Vt cognosceret, an Christus ipse esset descensurus ad limbum, educendis Patribus. 2. *S. Chrysostomus*: vt alij scirent, ac discerent ex ipso; quod sciebat Ioannes. Alij aliter opinantur. Isti bene literaliter.

Facta est. 1. Ob defunctos.

Mystice verò. 1. Vt ostendat se tam defunctorum, quam viuorum curam tangi. Secundum S. Greg. Ruth. 2. *Benedictus sit à Domino*; ait Noemi de Booz; *quoniam eandem gratiam, quam præbuerat viuis, seruauit & mortuis.*

2. Ob discipulos.

2. Misit, vt discerent esse Messiam. Sic domesticorum habenda est cura. 1. Tim. 5. *Si quis autem suorum, maximè domesticorum, curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.* Hinc Iacob ad suos ista. Gen. 15. *Abijcite Deos alienos, qui in medio vestri sunt, & mundamini; ac mutate vestimenta vestra.* &c. prauarum scilicet consuetudinum.

3. Ob zelũ.

3. Misit, vt zelum animarum captus ostenderet liberis nobis: quo tanto zelemus amplius; nec vllas excusemus difficultates. 1. At similes Israelitis plerique sumus, spem terræ benedictæ obtinendæ abijcientibus, audito; quod gigantes eam incolerent vrbibus munitissimis.

2. Animosior vox illa, Psal. 118. *Anima mea in manibus meis semper; & legem tuam non sum oblitus*, id est, & iam animam exposui pro lege tua. Sic cordate locutus est Sauli Ionathas pro Dauide: Nam 1. Reg. 14. *Posuit animam suam in manu sua.* Ita & Baptista: tum increpando Herodẽ; tum mittendo suos percunctatum: *Tu es, qui venturus est*, &c.

4. Ob mysteria & figuras.

II. Quæ sublimior quæstio? Est ea de diuinitate filij Dei: de veritate Messiæ; de redemptione; de consummatione Prophetarum; de placatione Dei, &c. 1. Tun' *Melchisedech*, *sine patre* humanitus, *sine matre* diuinitus, *sine genealogia*? Hebr. 7. Nam, Isai. 53. *Generationem eius qui enarrabit?* 2. Tun' Isaac, miraculo editus, morti destinatus à patre, & signi victimarij baiulus? *Gen.* 22. 3. Tun' Noe, arcam humanitatis ingressus, diluuio peccatorum nos eripiens, amore ebrius in cruce nudaris, & rideris? *Gen.* 7. & 9. Tun' Iacob, vestibus Esau peccatoris indutus, nocte passionis luctans cum angelo, & sanguinem sudans demum vinces? *Gen.* 27. 31. 5. Tun' Ioseph à fratribus venditus, traditus, veste cruentatus, captus, demum restitutus regnas? *Gen.* 37. 40. Tun' Moyses, ab Herode infans ad cædem quæsitus, dux populi, per mare rubrum passionis, in terram promissionis? *Exod.* 28. &c. 6. Tun' ille Sacerdos summus, post cuius mortem exules omnes reuocati in patriam sunt? *Num.* 35. 7. Tun' Samson, humanæ naturæ captus amore cum ea, vt cum Dalila, in sepulchro congressus, portas, funes, &c. confringens: demum hostium ludus fies? *Iud.* 14. 15. 16. 8. Tun' Dauid, funda carnis promptus, ærumnarum nostrarum lapidib. instructus, Goliath? Satanam) cum exercitu fundes? *Tu es, qui.* &c.

S. Ambrosius, & Rupertus, aiunt non dubitantis, sed admirantis quæstionem esse. Nam audierat ipse: Ioan. 3. *Hic est filius meus dilectus.* Ante cognorat eum exultans: & baptizans: *Domine, vis baptizari à me?* &c.

5. Ob mores.

Moraliter. Ablegemus ad Deum nostras voluntates, intentiones, sensus. Quæramus, hæccine vitæ meæ, & actionum est via bona? Mittamus ad templa familiam; ad Sacra, vt discat, vt pietati adsuescat.

PARS VI.

Christi responsio.

I. ITe, renunciate, quæ. &c. Operibus respondet. Si enim verbo: *Ego sum Messias*: mox æmuli, Ioan. 8. *Tu de te ipso testimonium perhibes.* Quibus tamen alibi dixerat: Ioann. 15. *Opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me.* Et vere. 1. Nam etsi alij Prophetæ miracula patrarint, tamen difficillimè. Adeò vera vel hostium vox Matth. 6. *Nunquam apparuit sic in Israel.* Quare bene Ioan. 15. *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit: peccatum non haberent.* 2. Elias mortuum quidem fuscitauit: Elisæus Naamam à lepra mundauit; at Deo prius impense inuocato: Christus sola voluntate vult, & factum est, 3. Non ipsi: sed per ipsos *Dominus soluit compeditos, Dominus illuminauit cæcos, Dominus erexit elisos.* Ps. 45. 4. Ipsi prædixerunt, Christum similia editurum excellenter: Isa. 35. *Deus ipse veniet, & saluabit nos: tunc aperientur oculi cæcorum.*

1. De singularitate miraculorum.

II. Cur autem cæcorum reluminatorum meminit magis, quam aliorum miraculorum? 1. Ob Isaiæ prophetiam iam dictam: 2. Ob factum his ipsis visum discipulis: 3. Quia Luc. 7. *Cæcis multis donauit visum*, tot alias ægritudines non sanauit, quot cæcitates.

2. De reluminatis.

III. Varia autem hic recensetur conglobata Dominus de Ioanne: eximiæ laudis, gratiæ, ac virtutis singula. Exemplo nobis: ne in vno bono actu sistamus. Quo plura: hoc Deo gratiora præstamus. Placet ei multiplicatio. 1. Genes. 7. *Germinet terra herbam arentem, & facientem semen, & fructum iuxta genus suum.* At magis desiderat animum varia virtutum genera progerminare 2. Sic sponsa. Cantic. 7. *In hortis nostris omnia poma, noua, & vetera.*

3. De diuersitate operum.

IV. Nota vero humilitatem dicti, & animi. Non dixit: ego reddo cæcis visum, &c. sed *cæci vident &c.* 1. Ita Iacob grandæuus: sciscitanti Pharaoni Gen. 47. *Quot sunt dies annorum vitæ tuæ?* ait, *Dies peregrinationis vitæ meæ sunt 130, annorum, parui, & mali.* Nec omnes nominauit, & istos extenuauit. 2. Et tu gesta tua tuus ipse crepabis buccinator? Ita Mundus; similis est Pharisæo: *Luc.* 18. Amat sciri, & videri. 3. Similis fratri prodigi se iactat, Luc. 15. *Ecce tot annis seruio tibi.* Non sic egeris cum Deo. 4. Cum ingrato fortè (vt Laban cũ socero *Gen.* 31.) expostularis. *Per 20. annos seruiui tibi.* Deo dic, cum omnia feceris: Matth. 11. *Serui inutiles sumus, quæ debuimus facere, fecimus.* Præsumptio enim semper in periculo; in tuto humilitas est, *Da gloriam Deo.*

Humilitas Christi.

Coarguit ostentationem mundi.

V. Nota, nec Ioannem in vinculis animo deijci; nec miraculis extolli Christũ. Is nil exprobrat; hic nil derogat Deo. Dicit: *Cæci vident*: non ait, reddo visum. Et tu bona, quæ agis; adscribe Deo: mala tibi: Ita Ioseph, Gen. 45. *Non vestro consilio; sed Dei voluntate huc missus sum. Qui fecit me quasi patrem Pharaonis, & Dominum, &c.* Profanus dixisset: Huc me euexit fortuna; industria, scientia, &c.

Dãda Deo quæ Dei sunt.

PARS VII.

Notæ Saluatoris, ac Prædicatoris.

MYstice. Quæ hic notæ Saluatoris eædem & veri Prædicatoris sunt. Per eos cæci ob ignorantiam, vident: surdi ad verbum Dei, audiunt, &c. Omne genus peccatorum consanatur.

Cæci sunt peccatores. In multis enim offendunt. Soph. 1. *Ambulabunt, vt cæci; qui Domino peccauerunt.* Hos solus Christus reluminat in Sacramento pœnitentiæ.

2. *Surdi* sunt, qui nec tubarum, campanarum, nec tormentorum bellicorũ sonitum audiũt. Sic peccatores nec iudicij extremi tubas; nec iustitiæ & misericordiæ

cordiæ campanas; nec Dei minarum tonitrua, nec inferni tormenta audiunt. Psal. 39. *Tamquam surdus, non audiebam.*

3. *Leprosi* sunt mortalium peccatorum rei; vt enim lepra 1. corpus inflat, 2. sitim excitat, 3. contagio inficit, 4. humorem radicalem vitiat, 5. habitum taminat, 6. rauim causat, 7. membra omnia inuadés debilitat: Ita 1. superbia, 2. auaritia, 3. luxuria, 4. inuidia, 5. gula, 6. ira, 7. acedia. Bene ergo Elisæus Naamano leproso, 4. Regum 5. *Vade, & laua te septies in Iordane.*

4 *Mortui*, in peccatis scilicet plus, quam qui virus hauserunt. Quia 1. Ioan. 5. *Qui non diligit proximum, manet in morte.* At quam acre venenum, quod immortalibus infert mortem? Tale peccatum animabus.

Miraculũ est pauperibus prædicari.

II. *Pauperes euangelizantur.* En; miraculi numero est istud. Væ ergo diligentibus primas cathedras! Nabuchodonosoris arbor vmbrosa omne genus animalium suis fructibus pascebat. *Dan.* 4. Sic prædicator omnibus omnia fiat, ciborum genera præbens varia pro concione.

At prædicare ipsos maius est.

At maius videtur miraculum, *Pauperes euangelizare.* 1. Abiecta mundi elegit Deus, piscatores; non Platones, Aristot. Demost. Cicerones 2. Hinc superciliosè sapientes *Actor.* 4. auditis ijs, obstupuere. Stupet *Augustin. libr. de verbis Domini*, Philosophos & Oratores à piscatoribus conuersos; non hos ab illis. 4. Plane sicut 1. *Regum* 3. Dauid, persequens Amalecitas prælio, reperit in agro seruum Amalecitæ, derelictum ægrum à fugiente hero. Sic Christus, persecuturus mundanos, reperit pauperes, mundi pompam assectari non valentes, & ab hoc relictus: hos duces suos assumit in castra hostiũ?

quæ, genio indulgentia, cædit;
vincit, exscindit.

PARS VIII.

De Ioanne Christi præconium.

Fides amicitia.

QVid existis videre? *Arund. ve. ag? &c.* Dimissis cum responso istis; Ioannem dilaudat reliquis I E S V S. Fidus Deus in amicitia colenda; tenere & constanter diligit etiam in aduersis; inque vinculis. Non enim vincula; sed facta reum faciunt. At secus mundus. Exemplo vide: Aman, dum felix multos numerabat amicos; & ipse inter intimos Regis Assueri erat. Vt autem fors vertit, animusque regis; iam minus omnium in vnum, & animus, & vox, Esth. 7. *En lignum, quod parauerat Mardochæo, stat in domo Aman.* q. d. In malam crucem cum eo, quam alteri parauit.

Laudat ab aliis.

Secus Christus. 1. Laudat captum, nullo suo metu capientis; desertumque ab iis, quibus ante colebatur, simul præfert eum cunctis à vita supra hominem angelica. Neu desistas laudare iustos, licet impijs exosos; quia in ijs Deum laudas. Psalm. 150. *Laudate Dominum in Sanctis eius.*

1. *Desertũ.*

II. Laudat eum, cuius innocentia capti periclitabatur, ne suspecta maleficij fieret. Ita *Num.* 12. Dominus Moysen laudabat, cum Maria & Aaron ei detrahebant, quoniam sequebatur bonitatem. 2. Vt canes latratu & morsu prætereuntem sequentes sunt à bono arcendi, sic & maledici.

2. *Suspectũ.*

III. *Illis autem abeuntibus*, discipulis, Dominus Ioannem laudat in absentia. Quia laus vera ab amore, non ab assentatione oritur. Illa ex Deo; hæc ex diabolo est. 1. Sic *Iudith.* 14. Philistæi Samsonem perdidere; persuasa Dalilâ, vt ei adulans solutionẽ ænigmatis exsculperet. Hinc omnis eius ruina cætera. 2 Recte Diogenes Cynicus adulatores coruis deteriores dixit, quod hi mortuos, illi viuos lacerent.

3. *Absentẽ.*

cerent. Ergo & tu *de absentibus non, nisi bona*. 3. Sic. Ps. 10. *Detrahentem secrete proximo suo, hunc persequebar*. 4. *Exo*. 2. Aegypti plaga erant ranæ; quæ in cœno latent, silentque diu, noctu coaxant. Similes detractores cœnosi.

4. Afflictũ. IV. Laudat captum Dominus, quia fidus in aduersis cultor amicitiæ. 1. Sint alij hirundinei amici, & ad hyemem fugitiui, tantumque æstiui, & ollares. 2. Secus Apostoli, Matth. 26. *Qui mecum permansistis, in tribulatione*, ait Dominus. Et hi tamen sui dein dissimiles, *omnes relicto eo fugerunt*.

5. Constãtẽ V. Laudat eum à Constantia in Dei cultu, minime arundineâ. 1. Vt verum de ipso, Ierem. 1. *Ego dedi te hodie in columnam ferream*. Vera quippe virtus etiam plusquã chalybea est. 2. Virtutis emblema fax est inuersa & ardens; hocque maiorem & flammam, & lucem ejiciens: cũ ista epigrapha: *Vires inclinata resumo*. Fax talis Ioannes in vinculis. Ioan. 5. *Erat lucerna ardens, & lucens*. Vt, quo clausa arctius, eo effulgeret latius. 3. Quid? Vitane arundinea est, à quarto ætatis anno, annis xxv. sic vixisse; sic pro mundo pœnituisse? sic verbo & facto docuisse Regem, milites, ciues, pharisæos? &c. 4. Arundo improborũ est symbolum, 1. quia inconstans, 2. quia in vliginosis nata ac cœnosis, 3. quia foris polita, recta; at ea nodulata. Non talis Ioannes.

6. Modestiũ habitu. VI. Laudat *à non mollibus vestimentis*. 1. Quia

Non est conueniens luctibus ille color. Ouid.

Quo arguit Fastũ. 2. Vestem Adę dedit Deus ad necessitatem verecundiæ, non ad luxum. Mnymosynõ est peccati, & innocentiæ perditæ. 3. Demens is, qui suspendio addictus, in aurea furca & veste, se cuperet suspendi: Dementiores fastuosi luxu. Eccles. 11. *In vestitu ne glorieris vnquam, nec in die honoris tui extollaris*. 4. Stultum est, domum iam ruituram inaurare. Et tu vietum & caducum corpus sic vesties? 5. Esth. 14. *Tu scis Domine, quia abominer signum superbiæ, & gloriæ meæ, quod est super caput meum in diebus ostentationis meæ; & detester illud, quasi pannum menstruatæ*. Et nos gloriabimur luxu vestium, vnde confundi oportet. 7. Scilicet; laudem sibi quærunt malefici ex cauterio, vel stigmate suo.

PERORATIO.

COnstabit recapitulatione dictorum protreptica siue hortatoria: demum per Apostrophen ad Christum precatoriam, vt tribuat ad talia gratiam; excurret ad DIXI.

DOMINICA III. ADVENTVS.

Miserunt Iudæi ab Ierosolymis Sacerdotes & Leuitas ad Ioannem. Ioan. 1.

1. REg. 16. Reprobo iam Saule, prædestinato; Dauide, Samuelem, vngendo Dauidi, mittit Deus in Bethlehem. Propheta putans & natura, & statura maiorem fore destinatum, vertitur diuinitus ad Dauidem, pastorem post fœtantiũ. Sic hic. Extincto regno, nouum missurus Regem Deus; ab æterno destinatum Synagogæ misit. Quæ putans ortu & vita mirum Baptistam Regem fore; hic autẽ eos à se ad Christum vertit, magistrum paruulorum.

Nos ex istis

I. *De interrogatione: Tu, quis es?*
II. *De legatorum, & legantium ignorantia affectata*.
III. *De ignorantia Magistratus noxia Reipubl. ac de vitijs mundi*.
IV. *De voce clamantis*.
V. *De modestia Baptistæ*.
VI. *De cultu solitudinis, & carnis mortificatione*.

PARS

PARS I.

De interrogatione: Tu, quis es?

Cognitio sui est 1. necessaria. I. SImonides Philosophus rogati Pausaniæ, Regi Spartiatarum, vt sibi memorabile dogma traderet; aiebat; *Hominem te esse memento.* Tanti *cognoscere seipsum* ducebat. *2. Vtilis.* 2. Huius ob vtilitatem Philippus rex Macedo sic indies mane primo submoneri se à puero iussit: *Mortalis es, Rex.* *3. Salutaris.* 3. Eliphaz Themanites remedium efficacissimum inquirens contra peccatum, ait Iob. 5. *Visitans speciem tuam, non peccabis.* *4. Peruetus disciplina.* 4. Idē antipharmacum Delphicum, *Nosce te ipsum*, Chilon primus edidit. Vnde

Noscere se, Chilon Spartanus quemque iubebat.

5. Turcica. 5. Torlaci (Turcarum religiosi) specula per plateas circumgerunt; obuijs intuenda præbent: vt sui recordentur visa specie fragili. *6. Christiana.* 6. *Bernardi* vox est: *Præstat scire teipsum, quam si te neglecto, siderum cursus, vim herbarum, & omnium cœlestium & terrenorum naturas tenueris.* 7. *Clem. Alexand. l. 1. Pædagog.* Cognitionem sui omnium scientiarum magistram appellauit. Recte. Quia scientiarum dignitas petitur ab obiecto: at homo est omnium dignissimus. *8. Prima sapientia.* 8. Monstrū Sphyngem sic prisci finxerunt, ceu canit Ausonius:

Volucris, est pennis, pedibus fera, fronte puella.

Hoc explicat Alciatus Emblemate 187. sic:

Prima est prudentis laurea: nosse virum.

9. Sciatur aut pereatur. 9. Idem suasit sponsæ, Cant. 1. *Si ignoras te, pulcerrima inter mulieres; egredere, & abi*, q. d. Quanto gratiosior; tanto sis humilior, te noscendo. Vel: Etsi Pandora fores; te autem nescires; abeas volo.

10. Reprobis auferetur. 10. Inter alia, quæ minatur *Isai. 3.* Deus se Ierosolymitanis ablaturum, etiam *specula* numerat, id est, cognitionem sui: Vt sic in barathrum peccatorum ruant. *11. Datur electis.* 11. E contra, inter Tabernaculi ornamēta erant & specula. *Exod. 7.* quibus sacrificabatur, vt sese intuentes nossent seipsos. *12. Est diuina.* 12. Ipsa æterna sapientia se speculo confert. *Candor est lucis æternæ, & speculum sine macula Dei Maiestatis.* Vt scias veram sapientiam esse: *Nosse teipsum.* Ergo ex te quære: *Tu quis es?*

PARS II.

De legationis ignorantia affectata.

Legatio quanta. I. LEgationi huic nulla similis vnquam. 1. Quia legati erant Sacerdotes, omni Iudææ venerabiles. 2. Vrbs ex qua, Ierosolyma, Iudææ caput, sedes Pontificum, Regum, Templi, Sacrificiorum. 3. Legantes erant Iudæi, gens electi; id est, ex qua Messias expectabatur. 4. Causa; Messias: & quia defecerat sceptrum de Iuda, *Gen. 49.* & hebdomadæ Danielis completæ erant. *Dan. 9.* ac prophetiæ.

Cur ad Ioannem. II. Cur autem crederent Ioannem Messiam, erat: quia natiuitas eius mira, vt ex effœtis; & patre in loquelā resti. tuto. 2. Nominis nouitas & fama: *quis putas puer iste erit?* 3. Vitæ ratio noua à quinto ætatis anno, *Luc. 1.* vt esset Matth. 11. *neque manducans neque bibens*, 4. Eius baptizandi ratio, nulli ante Prophetarum vsurpata: promissa tamen, Ezech. 36. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.*

Cur non ad Christum? III. Cur vere Christum non crederent Messiam, erat. 1. quia eum Galilæum & Nazarenum putabant. Vnde Nathanael Ioan. 1. *A Nazareth aliquid boni esse potest?* Et Iudæi, Ioan. 7. *Scrutare Scripturas, & vide, quia à Galilæa propheta non surgit.* 2. Ab omnibus indoctus, mechanicus, ac vilis habebatur. Matth.

13. *Nonne hic est fabri filius?* 3. Christi agendi ratio similis erat cæterorum, nulliusque adhuc nominis, nec miraculis insignis. 4. Eius ortus putabatur cæterorum similis. Quantum mundus iudicijs suis fallitur?

Error legantium quantus.

IV. Ostupor! 1. Messiæ nomen fore Ioannes, quis legit? Isaias 7. ait: *Nomen eius Emanuel.* 2. Vbi de matre, fore vetulam? *Isa.* 7. legitur: *Ecce Virgo concipiet, & pariet.* 3. Vbi legitur, Ierosolymis nasciturum? Michæas 5. ait. *Et tu Bethlehem non es minima in principibus Iuda.* 4. Vbi, quod è sacerdotali stemmate nasciturus? *Ex Iuda*, dicitur Genes. 49. 5. Ioannes nulla: Christus multa editurus est miracula. Isa. 35. *Aperientur oculi cæcorum.* Magnus ergo stupor eorũ, & error.

PARS III.

De ignorantia Magistratus noxia Reipub. ac de vitiis Mundi.

Magistratus sit sciti.

I. HInc liquet; quam periculosa, & noxia sit ignorantia sedentium ad clauum Reipublicæ. Impia suadere vulgo nituntur, Ioannem esse Messiam: pia dissuadere, Christum non esse. 1. Quin igitur agite, Sap. 6. *Diligite lumen sapientiæ omnes, qui præestis populis.* 2. Ideo Plato libro Reipubl. *Tum fore beatas Respubl. si, qui regerent, philosopharentur.* 2. Nam imperiti nocent. Psalm. 81. *Nescierunt, neq; intellexerunt? in tenebris ambulant. Mouebuntur omnia fundamenta terræ.* 4. Diogenes Cynicus, teste Laertio, æger inuisus, ab amico rogat sepeliri pronus, miranti cur non, vt omnes, supinus? ait. Noui ab indoctis Athenæ gubernabuntur, & ima summis vertentur: tunc resupinabor. 5. Dominus puniturus denunciat, Isaiæ 29

vt beato præsit.

Qua plaga non maior est.

Quoniam miscuit vobis Dominus spiritum soporis, claudet oculos vestros: Prophetas, Principes vestros, qui visiones vident, operiet. Quo quid calamitosius? 6. Aegypti plagarum vna fuit, caligo: Ignorantia præsidum est grauior, quippe qua nec seipsos, nec alios, nec aliud agnoscunt. Ex hac quærunt hi, *Tu quis es?*

Criticei aliorum.

II. Sic hodie cæci omnes quærimus potius; quam, *Quis sum ego?* Epidaurei in aliorum næuis sumus: in nostris vitiis talpæ. 1. Nimirum, Qui habet domum optime sitam, & comparatam, raro exit: nam domi habet, quæ recreent. Qui vero casam sordidam, &c. is forum compita petit per aliena vagus. Ita virtutis inops alios scrutatur; velletque similes sui. 2. *Plut.* ait, esse lamias domi cæcas, exeuntes vero oculos resumere. Fabula hæc: at doctrina ista: Quosdam in noscendis se, cæcutire: in rimandis aliis lynceos esse.

Mundi fucus, & vmbra natalium.

III. Mundus titulos potius; quam merita spectat. *Tu quis es?* 1. sciuit, ac metuit id Moyses. Exod. 3. *Si dixerint: quod est nomen eius; quod dicam eis?* Nempe nominum, quam virtutum studiosiores erant. 2. Optimates Saulis viso Dauidis facinore, quærunt 1. Reg. 12. *De qua stirpe est hic adolescens?* Nouerant; sed per hoc gloriam facti obscurare inuidi studebant. 3. Lyra notat, Iosepho ad clauum è carcere prouecto, indignatos Aegypti proceres parere noluisse; quod nouum & obscurum putarent. At viso patre, esse eum ex Patriarchis ac principibus Chanaan, submississe se. Ita hodie Iudæi; Quærunt, *Quis es*, sic natus, educatus, doctus, mirandus, animosus, &c. similem quæ vidit æras, aut terra? 4. Diogenes interrogatus; *quæ beluarum crudelissima?* ait *Adulator, & Detractor.* Ioannem adulatores prius inuadũt. *Messias es?* Dein Detractores: *Quid ergo baptizas; si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta?* Nouus, en, Daniel in lacu leonum. *Dan.* 14.

5. Men-

5. Mendax munde, Affingis ei opinionem Messiæ; & rem dare nequis: nisi prius alteri eam eripias. Sic Samson, *Iud.* 14. Sociis XXX. vestes promisit: at non habens, tot occidit Philistæos: & horum vestes dedit Oedipis.

Vicus occultum Pharisæorum.

IV. At pugebat Pharisæos, 1. Christum à plebe præferri Ioanni. 2. Messiam tam vilem videri, ipsorumque dignitati imparem. 3. Vulgus mobile ipsum inter vtrumque non satis discernere.

Tentandi praxis.

Dæmon quoque tentabat spiritalem virum, opinione clarum, occasione ambitionis. Sic Adam. *Eritis sicut Dij.* Genes. 3. At obscurum tentat in materia impatientiæ. Vt Saulum, corpore dotibusque maximum, dignum imperio, Regem factum, filij Beliali carpunt dicentes: *Num saluare nos poterit iste?* 1. Regum 10. Sic expectantes Christum, & expetentes cum Isaia 1. *Mitte Agnum Domine Dominatorem terræ.* Et Psal. 143. *Domine, inclina cælos, & descende.* Iam præsentem despiciunt missum, etsi capite cunctis altiorem. Quippe caput Ecclesiæ Christus. 1. Cor. 11. *Caput autem Christi Deus.*

PARS IV.

De voce clamantis.

I. *EGo vox clamantis in deserto*, q. d. Ortum, parentes, patriam, puericiã, vitam, doctrinam, mores meos nostis, nostis venturum Eliam, ex *1. Reg.* 17. 18. 19. & Messiam *Deuter.* 18. ante finem mundi; at alius præter hos promissus est; Isai. 40. *Vox clamantis in deserto, parate viam Domini.* Is sum: & sum Psalm. 28. *Vox clamantis super aquas multas,* Vox *in virtute & magnificentia* percellens milites, Herodẽ &c. *Vox præparantis ceruos:* peccatores ad pœnitentiam; *Et reuelabit condensa* Filij arcana digito indice, *Ecce*: Ioan. 1.

Ioannes est 1 Vox Verbi.

1. *Ego vox.* Huc Philosophi: An non *vox est signum conceptus?* Et Dei Patris conceptus est Verbum; Ioannes autem vox est: Ergo Ioannes est diuini conceptus interpres: id est: Verbi, *fuit in principio apud Deum* Ioan. 1.

2. Miranda vox! Si illa Petri: Marc. 6. *Tues Christus Filii Dei viui*: fuit oraculum; defecit tamen rauca negando: *Non noui hominem.* Vox Ioannis numquam irraucuit: quin & post fata superstes vixit: Marc. 6. *Quem ego decollaui Ioannem, ipse surrexit à mortuis: & virtutes eduntur in eo.* Non is erat, de quibus Isai. quinquagesimo sexto. *Canes muti non valentes latrare*: Vel spe lucelli, vel fauoris, honoris, vel specie boni. Væ! Semaer is *Vox* erat: *in deserto*: Mat. 3. *Facite fructus pœnitentiæ*: Ad Iordanẽ: *Ego debeo baptizari à te.* Incarcere: *Non licet tibi habere vxorem fratris tui.* Ad Messiæ dignitatem oblatam: *Non sum ego Christus.* Ioan. 1. 3. Vere Can. 7. *Collum tuum sicut turris eburnea* semper vocem sonat: caput Christũ corpori Ecclesiæ iungit docens: *Ecce hic est Christus agnus. Turris est*, Idem quia hæretici eum erant impetituri: *Eburnea*; ab robore inuicto, & elegantia præstans. 4. Tria deesse querebatur Oseas 4. *Non est veritas; non est misericordia; non est scientia Dei.* Eadem docet Vox hæc: Veritatem Ioan 1. *Confessus est, & non negauit; quia non sum ego Christus*; Cognitionem Dei: *Ecce Agnus*: Et *Medius vestrum stetit, quẽ vos nescitis.* Misericordiam; dolens animarum per ditionem, erat *prædicans pœnitentiam.*

2. Sonora semper.

3. Inuicta vbique.

II. Et *hæc dicens clamabat.* Luc. 8. Fuit ergo Ioannis & Christi vox vna. Quia idem vtraque docuit, & intendit, & vita exhibuit. 1. Quærit *S. Cyrillus*: cur Moysi dixerit Deus, instituturus LXX. successores? *Auferam de spiritu tuo, & tradam illis.* Num. 11. Respondet: Idem illos,

Est clamãs consone Christo.

quod ipse prolocuturos. Fugeergo spiritus singulares, quos non nouit Ecclesia. 2. *Ezech.*1. Leo, Vitulus, Aquila, homo, rotæ, omnia eodem spiritu mouebantur: *Quocunque ibat spiritus, illuc & rotæ pariter eleuabantur sequentes eum. &c.* Sic in Ecclesia, feroces leones, & fortes milites, tardi boues, ciues, coloni; subtiles aquilæ doctores affabilesque homines: & rotæ diuersæ voluntatum, morum. &c. vno spiritu temperantur. 3. Huc hortatur Paulus, Philip. 2. *Si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis; implete gaudium meum, vt idem sapiatis, eandem fidem habentes, vnanimes idipsum sapientes.*

Est clamãs in publico.

III. *Ego vox.* q. d. Quid agitis? Men' Regem designatis? Vocatis ad delicias, palatia famulitia, curas mundi, purpuram? &c. Non his insueuit: sed eremo, radicibus, pelli camelinæ, Ioui frigido, feris, cautibus. *Vox* sum, & *clamantis*, idque *in deserto.* 1. Ergo verus prædicator explet hoc iussum: Isa. 40. *Super montem excelsum ascende tu, qui euangelizas: & exalta in fortitudine vocem tuam, qui euangelizas Ierusalem.*

Est castigans, non blandiens.

Quam ampla est cathedra & prouincia prædicatoria desertum? Fuge clancularios, angulares euangelizantes. Ama publicos; quorum vbique & doctrina vna *clamat*, castigat: non pompose perorat, aut blanditur. 1. Instar Isocratis: cui idcirco post mortem tale positum monumentum est: teste *F. Paulo in Hebr. libro* 1. *c.* 3. Syren arieti insidens, cum lyra in manu. Sugillabatur vox bona eloquentiæ; sed emascula, inutilis; & blanditiis homines in bruta mutans, ac in syrtes trahens, quasi pellaci cantu syrenum. 2. Talis & Demosthenes notatus est ab Diogene Cynico, ad cauponam eum inuitante, at excusantem se: cui ait: *Dominus tuus cauponam quotidie init; & tu recusas?* Intelligebat populum Athenienses, cuius auriũ is seruus erat blandiloquus. *Aelianus l.* 9. *c.* 19. Vox is erat: at non clamabat.

IV. Ergo pœnitentiæ prædicator.

Est imitãda prædicatori.

1. *Isaiæ* 38. *Quasi tuba exalta vocem tuam;* aduersus arma mundi, carnis, dæmonum. 2. Sic Apostoli fecere; vt *Act.* 2. ebrij crederentur. Et *in omnem terram exiuit sonus eorum.* 3. Sic Christus; Mar. 2. *Cum audissent sui, exierunt tenere eum, dicebant enim, quoniam in furorem versus est.* Sic acres in vitia; habentur fatui, palpones efferuntur. 4. Angelo agente in Sinai cum Moyse, & fulminante cœlo, populus clamat. *Exod.* 20. *Loquere tu nobis Moyses, non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur.* Ita hodie zelosi ægre audiuntur. Prædictum 2. Tim. 4. *Erit tempus, cum sanam doct. non sustinebunt, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros prurientes auribus, & à veritate quidem auditum auertentes ad fabulas autem cõuertẽtur.* O Insensati!

Et si ægre audiatur.

PARS V.

De modestia Baptistæ.

Amans virtutis, fugitans honoris est.

I. IOannes Christum extulit, se humiliauit, respondens negando, & oblatum temsit honorem. 1. Quod nec Adam intellexit, cupiens esse sicut Dij.

2. Nec philosophi, quantumuis virtutem profiterentur, auram tamen popularem sectati, maiores cæteris haberi amarunt, & quasi diuini. Teste Augustino. 2. Hinc Honorem vt Virginem pinxere, ad cuius pedes iacent virtutes captiuæ, vt seruæ. Nimirum virtutem quidem dilexerunt: at honoris amore. Non sic Ioannes, *Angelorum socius* ait S. Augustin. *tuba cœli, signifer Christi, Iudæorum flagellum, parentum gaudium, stirpis decus, mundi speculum, mortis telum, vitæ anua, amicus sponsi.* Et vt Andreas Iero-

Ieroſolymitanus ait, *paranymphus ſponſi, legis ſilentium, interpres gratiæ, oraculorum finis, virginitatis autor.* Et, vt Petrus Chryſol. ait, *Schola virtutis, Magiſter vitæ, hominum Phœnix, &c.* licet tantus eſſet; ſe tamen humiliauit. Etſi Malac. 3. *etiam Angelus diceretur.*

Exempla modeſtiæ.

II. 1. Sic Ioſeph docuit fratres, *Gen.* 46. quomodo Pharaoni reſponderent, altos ſilendo titulos ac ſtemma, geſtaque: ſed *Paſtores ouium ſumus.* 2. Sic Iacob ad Eſau. Gen. 33. *Præcedat Dominus meus ante ſeruum ſuum: & ego ſubſequar.*

3. Sic Angelus *Apocal.* 19. volenti Ioanni genibus eius aduolui, ait: *Vide, ne feceris: conſeruus tuus ſum.* Erubeſce ſuperbe, & vilis puluis. 4. Petrus lapſo ad genua eius Cornelio, ait. Act. 10. *Surge: & ego ipſe homo ſum.*

5. Paulus & Barnabas à Lyſtrenſibus diuinis honoribus afficiendi, aiunt. Act. 4. *Viri, quid hæc facitis? Et nos mortales ſumus ſimiles vobis homines.* 6. Miror elatos: vt Dauid tumentes fluctus. Pſal. 91. *Mirabiles elationes maris!* Cum ſcilicet natura grauis aqua aſcenderet: at terra, homo grauior aſcendit leui ventulo gloriæ afflatus. 7. Saul à Samuele vocatus ad regnum, ait 1. Reg. 9. *Nunquid filius Iemini ego ſum: de minima tribu Iſrael: & cognatio mea nouiſſima? &c.* Meruit humilitas hæc exaltari à Deo.

Ambitio dolet Eccleſia.

III. Rebecca vterum ferens indoluit ex colliſione infantum, vter exiret prior. *Gen.* 25. Ingemiſcit Eccleſia ex ambitione filiorum. Et prior ſæpe exit in lucem hanc Eſau indignus. 2. Vere Eccleſ. 10. *Eſt malum, quod vidi ſub ſole: Vidi ſeruos in equis; & Principes ambulantes ſuper terram quaſi ſeruos.* Peccatores namque citius à mundo euehuntur. 3. Aegyptij, teſte *Pierio in hierogl. pag.* 208. Humilitatem pingebant, genibus nixam: manibus in cœlum extentis; quod inde omnia ſperet: oculis cœlo fixis; quod ibi omnia quærat.

PARS VI.

De cultu ſolitudinis, & carnis mortificatione.

Solitudo eſt Sanctorum.

I. VOX *in deſerto.* En Eliam in deſerto Carmeli. 3. *Regum* 17. 18. 2. En Ducem eorum, qui Hebr. 11. *errant in ſolitudinibus, in montibus, & ſpeluncis, & cauernis terræ.* 3. En qualis 1. *Timot.* 2. deſcribitur. *Nemo militans Deo, implicat ſe negotiis ſæcularibus.* 4. En ſummi Sacerdotis filium Ioannem, qui relicto Anna, Caypha, Herode. &c. integrum ſe ab eorum ſeruat impietate contagioſa: ſoluſque agit. Et 1. Petr. 3. *Quis eſt, qui vobis noceat: ſi boni æmulatores fueritis?*

Securorũ.

Socia Angelorum.

At, ais, quos imiter, non habeo ſolitarios. Eſto, etſi *non eſſet, qui faceret bonum, vſque ad vnum.* Pſal. 52. ſtatue tamen cum Ioanne, *Pſalm.* 70. *Introibo in potentias Domini*, id eſt, Angelorum choros, *Domine, memorabor iuſtitiæ tuæ ſolius.*

Mortificãda caro.

II. En carnis domitorem, purum, pene impeccabilem, angelum! & tu fomẽta peccandi adiicis fomiti peccati, delicias, ac voluptates? &c.

Subtrahe ligna foco, ſi vis extinguere flammam.

Antichriſti prodroma.

1. S. Bernardus tria perſecutionum genera, Antichriſtum præceſſura, refert; Tyrannos, Hæreticos, Voluptates. Et has peſsimum eſſe ait, maximeque ab Eccleſia ſic deplorari. *Iſa.* 38. *Ecce in pace, id eſt, voluptate, amaritudo mea amariſſima.* Nam, vt bene Chryſoſtomus. *Tormenta, Martyres, blandimenta vero faciunt Epicuræos.* Cui malo occurritur in deſerto. 2. Pudeat nos, videre natum nobilem, in vtero ſanctificatum, ſic ſe maceraſſe; & nihilominus prædicaſſe: neque id tamen per auxilium imitari peccatores.

Deus adiutat.

3. Dicamus, & audeamus cum Hebræis, Num. 2. *sicut fecit in mari rubro, sic faciet in torrentibus Arnon*, vbi latrunculi eis insidiabantur. Pugnarunt cum iis, iterque cœptum persecuti sunt victores. Sicut potuit cum Deo Ioannes, sic poterimus & nos.

Aut ea carendũ est gloria.

4. Aut si qui tenelli detrectent; vt Duces ante prælium, *Deut.* 30. proclamabant, sic & nos. 1. *Quis est homo, qui ædificauit domum nouam, & non dedicauit eam? Reuertatur, ne forte moriatur in bello, & alius dedicet eam.* 2. *Quis est homo, qui plantauit vineam, & necdum fecit esse communem, de qua vesci liceat omnibus? Reuertatur. &c.* 3. *Quis est homo, qui despondit vxorem & nondum accepit eam? Reuertatur. &c.* 4. *Quis est homo formidolosus? Reuertatur &c.* En vt ad bella, sic & ad pœnitentiam ineptos, 1. superbos, 2. auaros, 3. voluptuarios, 4. Acedioſos.

PERORATIO.

QVid? Impendite vitam ei, qui dedit corpus. Atteri vultis potius febri, quam pœnitentia? Arcam noluit in templo Dagon commorari Deus 1. *Regum* 5. Nec pium virum in mundo vano, sed *Osee* 2. *Ducam eum in solitudinem, & loquar ad cor eius.* Et sic, facta recapitulatione, perora: simul ora Vocem clamantis, vt pro nobis clamet ad Deum deprecatrix.

DOMINICA IV. ADVENTVS.

Anno quinto decimo Imperij Tiberij Cæsaris. Luc. 3.

IVsit *Numer.* 10. Dominus tubas fieri duas argenteas, quarum vnâ ad epulum, ad prælium alterâ populus inuitaretur. In Euangelio item duæ sunt: Christus, ad prælium: nam *venit non pacem mittere, sed gladium* Matth. 10. Et Ioannes ad beatitudinis epulum inuitat. Huius iam hic clangor auditus est.

De quo

I. Quod prædicanda pœnitentia.
II. De regnorum diuisione.
III. De Mundi inconstantia.
IV. Quod diuisio regni est argumentum excidij.
V. De Ioannis solitudine.
VI. De eius ad mundanos egressu.
VII. De voce eius ad viam parandam Domini.

PARS I.

Prædicanda pœnitentia est.

Pœnitẽtia prædicanda est.

I. DEus mittens Ezechielem, vt prædicaret; ostendit ei manum cum libro, *Ezech.* 2. intus foriſque perscripto lamentis, minis, pœnis, Hic est S. Scriptura, istorum plena; quæ populo prædicet Concionator: in primis pœnitentiam. 2. Prædictum est Psalm. 125. *Euntes ibant, & flebant, mittentes semina sua* pœnitentiæ. vbi Hieronymus. *Ille doctor Ecclesiasticus est, qui lachrymas, non risum mouet.* Et idem ad Nepotianum: *Docente te in Ecclesia non clamor populi, sed gemitus suscitentur. Lachrymæ auditorum laudes tuæ sint.* 3. *Apoc.* 15. Angeli septem niueis, & lineis induti, auroque cincti aureas phialas, ira Dei plenas tenebant, quas in terram effunderent: Tales prædicatores iaciant Sacræ Scripturæ minas ac pœnas in auditores: at in aurea charitate. Sic Rupertus, Beda, Haymo.

1 S. Script. exemplo.

2. Maiorũ.

3. Angelorum.

Figuris liquet idem. 1. *Exod.* 10. Mare æneum 111. bobus innitebatur: Sic doctores in Ecclesia gerant omnem molem amaræ increpationis, proponendo minas, pœnas, &c. *Non alligabis os boui trituranti.* 1. Cor. 9. id est, ait *Greg. l. 2. de cur. pastor. cap.* 3. prædicatorem talia silere non facies.

4. Figurarum.

2. Sit

2. Sit vt tuba Prædicator. Isa 58. *Clama; ne cesses quasi tuba exalta vocem tuam; & annuncia populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorũ.* A tuba est belli, terret, animat: Sic prædicator agat.

3. Duæ tubæ *Num.* 10. debebant esse ductiles malleo factæ, non fusiles: *Sic Origenes homil. 7. in Ios.* Ita prædicatores ait *Greg. 30. Mor. c. 7.* debent ex sacris Scripturis varia argumenta mouendi extundere; nilque dare metui, vel gratiæ. *Ecce labia mea nõ prohibebo; Domine tu scisti. Ps. 39.*

S. Chrysostomi. Talis erat sanctus Chrysostomus, in prima concione ad Constantinopolitanum, coram Imperatore Arcadio. *Hoc primum verbum, ait à Christo, & præcursore accipientes annunciamus: Pœnitentiam agite: approp. &c. Nulla difficultate impediar, quin eandem vobis perpetuo inculcem.*

Abstinendum palpis & respectibus. II. Sanciuit Deus sic olim: *Nec quicquã fermenti, ac mellis adolebitur in sacrificio Domini.* Ac prædicatio est genus sacrificij: nil in ea sit fermenti respectuum, affectuumque; nil mellis assentatorij. Lege prophetas: omnes arguunt, increpant, minantur. At quod iam paruus sit fructus concionum: causa est mel, & fermẽtum mistum.

Vtendum charitate aurea. Cum Sesac Rex Aegypti, 3. *Reg.* 14. omnia vasa, thesaurum, & scuta Salomonis aurea abripuisset; Roboam Rex, eorum loco suffecit ærea. Sic olim aureis scutis instructi erant prædicatores: at iam vix æreis. Inde & par pœnitentia vulgi. Heu!

Et proditione colũbina: sed mœsta. Quod sponsa de præcursore dicit *Cant. 2. Vox turturis audita est: id Theodoretus in 3. Matt.* sic interpretatur. *Turturem nominat præcursorem; cuius vox est pœnitentiæ prædicatio.* Sic namque hodie: *Parate viam Domini, rectas. &c.* Idque in ipso tempore, quo omnia peccata dominabantur: & Tiberius Romanum Imperium, Pilatus Iudæam, Annas & Cayphas Synagogam regebant: ambitiosi omnes, ac flagitiosi.

PARS II.

Historia: de regnorum diuisione.

Sceptrum ab Iuda ablatum. I. VNicum Iudææ regnum in quatuor Præfecturas diuiserant Romani; (tunc summi rerum Domini) ablato Iudæ sceptro. Secundum *Gen. 49. Non auferetur sceptrum de Iuda, & Dux de fœmore eius; donec veniat, qui mittendus est: Et ipse erit expectatio gentium,* id est, Messias. Nam hebraicè est vox *Schilo*, hic, & alibi nusquam Schilo, id est Messias, vel omnium dies & felix.

Datum alienigenæ. Iam vero Herodes Idumæus externorum primus regnum obtinuit: *Matt.* 2. Capto namque Hyrcano eius socero à Parthis ipse Romæ sibi regnum dari impetrauit. At Iudæi non ei fidem iurarunt, nisi 31. anno regni eius: quòd esset exter, sæuus, exosus, Atque tum, anno 32. *Verbum caro factum est.* Herode post infanticidium mortuo, regnum in quatuor Præfecturas est diuisum *anno decimo quinto Imperii Tiberii.* Et quia cœpi, agere pergam historicum.

Orbis Monarchia. II. Monarchiæ 4. extitere per 4. orbis oras. 1. Chaldæorum, autore Nemroth, *Gen.* 10. Cuius pater Assur Niniuen condidit. 2. Persarum & Medorum regna; cœpta sub Cyro & Dario. *Danielis* 5. 3. Græcorum; autore Alexandro Magno *Curtius lib.* 9. 4. Romanorum, autore Romulo.

Præfigurata. Hæ quatuor variis figuris in S. Scriptura sunt designatæ. 1. Zacharias *cap.* 6. vidit quatuor quadrigas ex duobus æreis exire montibus. Ad primas equi rufi: ad secundas nigri: ad tertias albi: ad quartas varicolores erant. Id est, (vt Ruperto. &c. placet) Martyres, Confessores, Virgines, Doctores siue Pastores. Vel, (vt propius ad literam Lyra) Monarchia.

narchia prima Babyloniorum sæua, sanguinolenta. Secunda Persarum, in caligine ignorantiæ degentium. Tertia, Græcorum: cum sub Alexandro cœpit elucere clementia. Quarta, Romanorum; qui iam sæui, iam mites; vtpote variarũ moribus gentiũ imbuti agebant.

2. *Daniel.* 7. vidit bestias quatuor è mari emersas; Leænam alatam: Vrsum tres dentium ordines exserentem: Pardum volantem, & quadricipitem: & bestiam ignotam, cui dentes ferrei. Et hæ depugnabant inuicem. Lyra intelligit 4. Monarchias.

3. *Daniel.* 2. Statuæ Nabuchodonosoræ caput aureum, Babylonios; pectus & brachia argentea Persas; ventrem æneum, Græcos; fœmur ferreum & pedes luteos, Romanos significasse vult Rupertus Tuitien.

PARS III.

Mundi inconstantia.

Vana mundia.

I. HInc idoli vestri, mundi inconstantiam attendite. Cœptum ab Saule Regnum Iudæorum, 1. *Reg.* 9. nunc est quadripartitum: pars Herodis, pars Lysaniæ, pars Pilati, pars Philippi erat. Vere 1. *Cor.* 7. *Præterit figura huius mundi:* Vt nec summa stent imperia. 1. Omnia vt scenicæ personæ sunt, & figuræ mathematicæ. 2. Psal. 38. *Vniuersa vanitas omnis homo viuens. Veruntamen in imagine pertransit homo:* In imagine nec picta quidem; nam hæc constantior; sed in speculo visa: qua quid magis euanidum? 3. Aegyptii fidentem rebus caducis pingebant cum anguilla in manu; quam si premas, erumpit; si laxes elabitur. *Ofallacem hominum spem*, ait Cicero lib. 3. de Oratore, *fragilemque fortunam, & inanes contentiones nostras; quæ in medio sæpe spatio franguntur; & ante in portu obruuntur, quam portum conspicere potuerunt!*

II. Tolerabile hoc; at istud indignum: tantum diffidere Deo; quantum mundo fiditur. Augustinus ait; quoddam esse desperationis genus; in creaturis spem ponere. 1. Psal. 145. *Nolite confidere in Principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus.* Psal. 117. *Melius est sperare in Domino, quam sperare in Principibus.* 2. Romani Spem Deam in Aede Speific formarant; Virgo erat in toga viridi, cum flagello in hac, in illa cum cornicula. Notant spei inconstantiam, iam cantu corniculæ abblanditur; mox flagellat.

1. At miserum, istis fidere.

2. Sunt ficus Ethnicorum.

3. Moyses, *Exod.* 32. adoratum vitulum aureum in cineres redegit, deditque bibendum populo. Arguebat eos stultitiæ, qui rectam vanæ fiderent, vt Deo, iam deuorato.

3. Pœna Iudæorum.

4. *Dan.* 2. Statua miranda laterculi tactu deiecta, comminutaque pondere suo; arguit Nabuchodonosoris animum potentiæ suæ innixum. Idem arguit Tetrarchia vnius olim regni. Quæ eo infelicior; quod à tyrannis, & Pontificibus simoniacis teneretur: quod hi tot annis quiete dominati sint: quod boni ab regimine essent exclusissimi 5. *Iud.* 9. Arbores sibi Regem quærentes, rhamnum denique accipiunt: sed in suum exitium: nam ab hoc exustæ peribant, latent sub vmbra eius: at igne è spinis egresso, correptæ. Ita Sichemitis euenit: quod Abimelech crudelem nuncupassent Regem.

4. Ruina impiorum.

Exitium magnatũ.

III. At ipsę sæpe Regum prosapię, quod deficiant, sunt causa peccatis suis.

6. Interitus prosapiarũ.

1. Id præuidit Psaltes 48. *Relinquent alienis diuitias suas:* qui scilicet iam excæcati auaritiâ opes congerunt, plus statui suo euehendo, quam Dei cultui.

2. Hoc metuit Abraham sibi: Gen. 15. *Domine Deus, ego vadam absque liberis, &c.* & ecce,

& ecce, vernaculus meus, hæres meus erit? 3. Rex Ezechias, 4. *Reg.* 20. audito se moriturum, fleuit amare. Causam fletus dant interpretes, orbitatem liberorum; & regi ad exteros deuolutionem.

7. Excidiũ regnorum.

IV. Ita aribus parta malis regna Reges aut amittunt, aut secum euersa obruunt. Liquet exemplis. 1. Herodes Ascalonita tyrannus vixit, viditq; quadripartiri regnum suum, dominariq; Romanum. 2. Abimelech, trucidator 70. fratrum, vt solus regnaret, breui deletur manu fœminæ. *Iud.* 9.

3. Ieroboam conspirans contra Roboam Dominum suum; vitulis aureis statutis populũ sibi deuinciens: regno & vita simul priuatur. 3. *Reg.* 12, 14.

4. Achab similiter. 3. *Reg.* 16. 20.

PARS IV.

Diuisio regni est argumentum excidij.

Vitium gẽtis diuidit.

I. LIquet in Iudaico. 1. Verissimum Luc. 11. *Omne regnum in se diuisum desolabitur.* 2. Quod si linguarum confusio Babel destruxit: quanto magis voluntatem dissensio potest? Ideo hic Tetrarchæ, & tetrarchiæ numerantur. *S. Greg.* hic notat Iudæorum & Gentilium ferimentionẽ: vt sciatur vtrorumq; Messiam esse Christum; facturum vnam ex iis Ecclesiam. Huius plura erant indicia. Quod nasci inter duo voluit bruta: Quod ouans, asinis insederit: Duos inter latrones medius pependerit. &c.

Christus vnit.

Hoc clarior eius bonitas fit.

II. Sceleratissimorum Pontificum mentio innuit similes populi mores corruptos. Itemq; Dei bonitatem, tunc incarnati: cum orbis minime meretur. Gal. 4. *Quando venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, factum ex muliere.* Id est, quando impleuerant mensuram Patrum suorum.

Amanda ideo plus.

Vnde amorem sui voluit augeri in nobis. Audi Isa. 3. *Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me. Reduc me in memoriam, & iudicemur simul. Narra si quid habes; vt iustificeris. Pater tuus primus peccauit; & interpretes tui præuaricati sunt in me:* q.d. Non tuo merito; sed meo beneficio mero peccata tibi remitto.

Et imitanda ergà inimicos.

Discite benefacere his, qui oderunt vos. 1. Nam id Christus docuit se incarnando. Isa. 45. *Dedi te in fœdus populi vt suscitares terram, & possideres hæreditates dissipatas.* 2. Ideo præcepit Hebræis, ne Idumæos, posteros Esau, odissent; quod fratres eorum essent. *Deut.* 23. Sed quia in hos, & alios, & Deum iniqui erant, similes luteis pedibus statuæ: *Dan.* 2. ideo lapillus Christus è monte B. V. M. lapsus deiecit regnum.

Prolepsis.

III. *Quæres*: Cur Ecclesiastes profanis veteris historijs? 1. Quia, inquam, profanorum & ethnicorum & Pontificum meminit Euangelium. Et profana in loco iuuant belle Ecclesiasticum; vt suis profanos armis feriat. 2. Sic Philistæi deiectis Israelitis fabros & fusores abstulerunt; ne rebellandi occasionem haberent; ex armorum copia: 3. *Reg.* 13.

3. In mundo serpentis prudentiam habere nos voluit Christus: modo virus absit. *Matth.* 10.

PARS V.

De S. Ioannis solitudine.

Ioannes est nobis exẽplum.

I. REgno gentibus in prædam facto, *Factum est verbum Domini super Ioannem in deserto:* Vti Isa. 32. *Factum est verbum Domini ad Isaiam.* Id est. Præcepit Deus, verbum suum annunciaret: viriam annorum xxx.

1. Vocationis diuinæ ad prædicandum.

Disce Prædicatorem esse debere ætate maturum: Eque cœlo vocatum ad docendum. 1. Ideo *Isa.* 6. vidit spiritus, ante Dei thronum volantes alis duabus: at quatuor vinctæ erant. Sic ad quæ obligamur ex voto, vel officio; ad ea

semper aduolemus. At, quæ sponte extraordinarie suscipimus, in eis verbum Dei super nos expectemus. Tanti obedientia est! 2. Oza vector arcæ Domini, lapsantem temere tãgens, occiditur à Deo. 2. *Reg.* 6. Ita intrudentes se in prædicationes, sacraq; officia alia, rei fiunt paris temeritatis. 3. Ergo Hebr. 5. *Nemo assumit sibi honorem; sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* Vnde Ioannes, xxx annis vocem Dei præstolatus est in deserto.

2. *Solitudinis, quæ caret peccata*

II. *In deserto.* 1. Quia in vtero sanctificatus: tametsi non posset peccare mortaliter, hominum tamen fugitans erat. Quoniam homo homini fit pestis. Ideo *Num.* 33. Deus Iudæos inducens in Chanaam, iussit omnes eiici Chananæos: ne per hos deprauarentur. Atque hoc volebat Dauid, 1. *Reg.* 20. Sauli dicens: *Maledicti serui in conspectu Domini: tui eiecerunt me hodie, vt non habitem in hæreditate Domini; dicentes: vade, serui Diis alienis.*

Contemplanti apta est.

2. Solus contemplationi melius vacare poterat. Psalm. 45. *Vacate, & videte, quoniam ego sum Deus.* Vacuis videtur Deus. 1. Hinc *Genes.* 2. sabbatho soli benedixit; quo quieuit, scilicet in quiete benedictionem mereberis. Hinc sponsus de sponsa Cant. 2. *Adiuro vos filiæ Ierusalem, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, quoadusque ipsa velit.*

Amoremque Dei sonet.

3. Hebræis mandarat Deus. Leuit. 6. *Ignis in altari semper ardebit.* Et ar sit; quam diu Ierosolymis erant. At in Babylonem abducti, ignem abdunt: reuersi conuersum in aquam reperiunt: qua aspersa sacrificij signa ab sole accenduntur.

2. *Mach.* 1. Sic quietis in corde ardet amor Dei; quo omnia eorum opera accenduntur; imperfecta absumuntur; perfecta, vt aurum, purgantur. Ad idem acquiescit amor: quando in negotia Babylonica migramus.

3. *Perseuerantia.*

III. Ea Ioannes ab infantia fugit. At sic; vt nec austeritate sua fatigaretur.

1. Qualis Dauid; de quo 2. Reg. 14. *Sit est Dominus meus Rex, sicut Angelus Dei; qui neque maledictione, neque benedictione mutatur.* 2. Felix, qui, vt rupes inter fluctus immotus perstat! 3. Similibus ait Dominus. Luc. 22. *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis. Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus.* Hoc præmium perseuerantibus datur. 4. Ideo Iustus soli: at stultus lunæ mutabili comparatur. Eccl. 27. *Iustus sicut sol permanet: Stultus autem sicut luna mutatur.*

5. Atque Chamæleon, loci, in quo est, colorem attrahit: ita inconstantes pro loco mutantur.

4. *Profectus sui in solitudine.*

IV. Ioannes item erat. 1. vt nobilissimæ aues, quæ in locis inaccessis habitant, hominum exosæ familiaritatem; ne capiantur: ita sanctissimus quisque.

2. Inde S. Bernardus. *O anima mea sola es; vt illi soli te solum serues, quem ex omnibus elegisti.* 3. Iulius Cæsar dicere solebat: *Nunquam minus sum solus, quam dum solus sum.* Sciscitanti, qui hoc fiat, ait, *Huiusmodi seligamus socios, qui meliores nos efficere sua consuetudine possint. Si viuentium consuetudinem consector; omnes in vitia pronos comperio. At solus, mortuorum commercio gaudeo; eorum heroica lectito, ac ad similia extimulor.* 4. S. Antonij vox est: *Si saluari velis; honores & homines fuge.* Fugit S. Ioannes.

PARS VI.

De Ioannis è deserto in Mundum egressu.

A contemplatione ad Actionem pergẽdum.

I. ET *venit in omnem regionem Iordanis.* Deserenda subinde contemplatio, & ad misericordiæ exeundum est Actionem. 1. Vtriusque figura Martha & Magdalena est. *Luc.* 10. 2. Sponsus sponsæ ait: Cant. 6. *Quæ habitas in hortis, amici auscultant te; fac me audire vocem tuã.* quasi dicat. Veni in hospitalia, templa publi-

publicum ; hic amici. &c. 3. Ezechiel. c.1. quæ vidit animalia, habebant manus sub pennis, id est, actioni paratas æque ac contemplationi. At manus erant hominum ; non ferarum. Ne prædicator doctrina bonus, sit vita ferus.

Sic erit hæc efficacior. II. Non sic Ioannes : vtraque sui similis erat. En, Marc. 1. *Parate viam Domini, rectas facite semitas eius.* Docet, quod exercuerat : ideoque efficaciter. 2. Epulo, *Luc.* 16. Angelum, vel ex mortuis mitti rogauit, qui fratribus prædicaret : experta scilicet, aut à se exercita : Vt hoc prædicatio foret efficacior. 2. Hinc mittens Ezechielem *cap.* 12. Deus, ait, *In conspectu eorum portaberis, in caligine egredieris, faciem tuã velabis, & nõ videbis terram.* Ita scilicet prædicator rarus exeat foras, nec nisi exemplaris, mundanarum rerum quasi nec sciens nec videns. 3. Qualis Angelus *Apoc.* 14. visus cum libro Euangeliorum in manu, præteruolasse Babylonem, & clamasse : *Timete Dominum, & date illi honorem,* simulque vrbem corruisse. Sic prædicator est Angelus doctrina : ideo vitâ tantum quasi præteruolet vrbes : terreatque Euangelij voce.

Sit tamen inter homines rarior.

Aut exemplaris. 4. Felix qui trichordon potest concordare hoc cordis, oris, operis. Huc monet Salomon Prou. 7. *Legem meam quasi pupillum oculi tui liga, in digitis meis scribe illam,* id est, opere exhibe.

PARS VII.

De Ioannis voce ad parandam viam.

IOsephum iam Aegypti Dominum, præibat præco clamans, vt omnes genu flexo Dominũ agnoscerẽt. *Gen.* 41. Sic Iesum Ioannes clamans : *Parate.* Prædictũ id de eo. Luc. 1. *Præibis enim ante faciem Domini parare vias eius.*

Mortificãda caro est. I. Quid hoc : *Parare vias* ? Mortificare carnis desideria prius : dein cor sacrificare. 1. Sic *Leu.* 5. turturis aut columbæ sanguis omnis erat profundendus ante, quam offerretur pro peccato. Non vult Deus cor, sibi offerendum fœdari sanguine. 2. Sic Iudæi circumcisi, in desertum introducti, omnes mortui sunt : inibi nati, non circumcisi sunt. Nimirum indigni circumcisione, seu sanctificatione sunt, qui ollarum & carnium desideria circumgerunt. Quare *Parate* animas vestras Deo ; vt Regi alicubi diuersuro.

Sine gratia est incæpax.

Iudith. 10. Formosa erat & natura, & cultu ; at Deus insuper gratiam addidit, vt formosior esset in oculis Holofernis. Sic animam pulchram creatione, & baptismo, vult Deus reddi gratiosiorem. Vere enim & bene de sapientia dictum, Sap. 7. *Venient omnia bona pariter cum illa.*

At Deus.

2. Ita *Esth.* 2. puellæ scitissimæ natura, & cupiente ornatissimas. 3. Salomon, 2. *Par.* 5. ornatissimum Deo templum parabat : at Deo necdum sat dignum iudicabat. Itaq; sua id demum gloria Deus in nebula complebat.

vult esse gratiosissimam.

Quod si descendente ad populum & sacerdotes Angelo, & tantum Dei personam repræsentante. *Exod.* 14. Deus voluerit omnes ante mundari : quanto magis ipso veniente. Ergo. 1. Isai. 1. *Lauamini, mũdi estote, auferte malum cogitationum vestrarum. Parate viam.* 2. Pridie, quam coturnices mitteret carnalibus Deus, iussit vbiq; cani buccinis : Num. 11. *Sanctificamini cras, & comedetis carnes.* Quanto magis ad esum Agni Christi?

Esaj. necessarium.

3. Nullus pannosus atrium Assueri inibat sine capitis discrimine : sed lauti omnes. *Esth.* 4. Et sceleribus putiscentem animam Deo offeres? *Parate viam Domini.*

II. At, quæ via Domini? 1. Nostra voluntas. Per hanc ad nos init Deus : sine hac non vult. 2. Virtutes quoque sunt viæ domini : peccata sunt nostræ.

Quæ via Domini.

Isa.59. *Non sunt viæ meæ sicut viæ vestræ; & cogitationes meæ sicut cogitationes vestræ*, Itane? Ergo Psalm. 24. *Vias tuas Domine demonstra mihi; & Semitas tuas edoce me*, Id est: Decalogum, & Consilia Euangelica: quæ etsi strictiora sunt; In ijs tamen non plus est seu difficultatis, seu tentationis, quam in Præceptis: etiamsi Gen. 49. *Coluber in via & Ceraستes in semita; vt mordeat vngulas equi, & cadat ascensor eius retrorsum.*

Viarum difficultatis.

In via 4. difficultates sunt obuiæ. 1. Si sit aspera. At *erunt aspera in vias planas.*

2. Anfractus & labyrinthi. At *erunt prauа in directa.* 3. Valles. *At omnis vallis implebitur.* 4. Montes. At *omnis mons & collis humiliabitur.* Id est: Superbus. In hoc certe non morabitur sponsus aduenies Iesus, Nam Cant. 2. *Ecce ipse venit saliens in montibus transiliens colles.* Ergo Eccles. 3. *Quanto maior es, humilia te in omnibus: & coram Deo inuenies gratiam.* Facta recapitulatione perora, adque viam hortare parandam Domino.

DOMIN. INFRA OCTAVAM NATIVITATIS.

Erant Ioseph & Maria Mater Iesu mirantes super his, quæ dicebantur de illo.
Luc. 2.

Exod. 25. In Salomonis Templo duo Cherub aduersis oculis Propiciatorium intuebantur, admirabundorum similes. Sic Maria & Ioseph Iesum.

De quo

I. *Quæ vtilitas meditationis.*
II. *De admiratione Mariæ & Iosephi.*
III. *De ruina & signo.*
IV. *De Annæ in templo assiduitate.*

PARS I.

De meditationis vtilitate.

I. Cic. lib. 4. Academ. quæst. ait. *Est animorum, ingeniorumque nostrorum naturale quasi quoddam pabulum Consideratio, contemplatioque naturæ: doctoque homini & erudito cogitatio est viuere.* Quod hic de naturalibus; nos de spiritalibus dicamus, ac Christianis. 1. Sic Psalm. 76. *Meditabor in omnibus operibus tuis.* 2. Iusti perfectiones describens Ieremias 3. Thren. ait. *Sedebit solitarius; & tacebit. Quia leuauit se super se.* Notanda hic tria contemplationi necessaria. Solitudo, Silentium, Eleuatio spiritus. 3. Sed festinato ab Actione necessaria reuertendum est ad contemplationem: sicut mysteriosa *Animalia*, Ezech. 1. *ibant; & reuertebantur instar fulguris.* 4. *Leuit.* 11. Animalia non ruminantia, nec bifida cum vngula, censebantur immunda, inuisaque Deo? sic; qui non meditantur diuina; nec habent charitatem geminam. Hinc sponsæ laudatur *Guttur, sicut vinum optimum, dignum dilecto meo ad potandum, labiisque ac dentibus illius ruminandum*, Cant. 7. 5. Ex tali ruminatione sequitur luminis influxus & gratiæ, necessarius animæ: sicut inferior mundus necessario debet cum cœlesti connecti ob influentias, Psalm. 33. *Accedite ad eum; & illuminamini.* Vtrumque fit per meditationem. Hortatur ad eam Eccles. 6. *Cogitatum tuum habe in præceptis Altissimi; & in mandatis eius assiduus esto: & ipse dabit cor*, id est, intelligentiam diuinarum rerum meditatoribus. At alij Psalm. 81. *Nescierunt; neque intellexerunt; in tenebris ambulant.* 6. Bene igitur Augustin. libr. Meditationum: *Ipsa parit scientiam: scientia compunctionem, compunctio deuotionem: deuotio incendit orationem.* 7. Expertus dixit Psalm. 38. *In meditatione mea exardescet ignis.* Si remittas ab hac;

Meditari cœlestia est 1. Christiani.

2. Iusti.

3. Spiritalis.

4. Deochari

5. Illuminati.

6 Deuotione feruētis.

hac ; refrigescès, vt calida, subtracto foco.

Meditari est iucũdũ. II. Vsurpata fit incunda. Psalm. 118. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua! super mel & fauum ori meo.* Vbi Hieron. *Recte: Post mel gustatum, alius nullus sapit cibus.*

2. Roborat. Hinc istud: *In iustificationibus tuis meditabor*, alias vertit *deliciabor.* 2. Vt Samsonis robur *Iud.* 16. in crinibus consistebat: ita animi, in meditationibus. Ab his si desistas, Isa. 3. *Erit pro crispante crine calui-tium*: id est, ait Hier. *erit vt gens absque cogitatione.* Tunc sic eris Ier. 12. Vt *desolatione desolata est omnis terra: quia non est qui recogitet corde.*

3. Est Deo gratus odor. III. Ergo. 1. Exod. 20. *Sume tibi aromata æqualis ponderis*; id est, dicta factaque Christi patientis & docentis: *& cum in tenuissimum puluerem contuderis* per meditationem; *Pones ex eo in tabernaculum fœderis*: Et gratissimum dabunt odorem Deo. 2. Item Deut. 7. *Recorderis cuncti itineris*, id est, omnium beneficiorum Dei, *per quod adduxit te Dominus Deus tuus annis* xxx. 3. Esth. 4. *Reuoca diem præteritum*, beneficiorum: *metire ventum* vitæ breuitatem: *& ignem pondera gehennæ.* Hoc age: Meditare; & eris cum Maria & Ioseph admirans.

PARS II.

De admiratione Mariæ & Ioseph.

Notitia est admirationis causa. I. *Erant mirantes*: Vti Christus, fidem audiens Centurionis, *miratus est* Mat. 8. Vbi D. Tho. Non admiratione ignorantiæ: sed obiecti magni. Nec enim ignorare poterant puerum verum esse Deum ac hominem. Sciebant id ex reuelatione S. spiritus, salutatione Angeli, Pastorum adoratione, Magorum aduentu, stellæ ortu, prophetiis, &c. Quo autẽ maior est rerum diuinarum cognitio, hoc & maior admiratio. At meditatio maiorem parit notitiam: ideoque & admirationem

Teste Ps. 118. *Mirabilia testimonia tua! Ideo scrutata est ea anima mea.*

2. Inde ignorantia, ingratitudo, tepor Christianorum; quia opera Christi non meditantur. Hinc ardor nonnullorum paucorum: quia meditantur. Psalm. 38. *Concaluit cor meum intra me, & in med. mea exardescit ignis.* *Est & feruoris.*

3. Ipsa est fornax; quæ succensæ ollæ sordes à fũdo sursum agit, ac despumat. Sic agnoscit quis imperfectum suum. 4. Ipsa sunt scopæ, quibus vsus Psal. 74. *Meditatus sum nocte cum corde meo; & exercitabar, & scopebam spiritum meum.* *Et Scopationis.*

4. Aromata concluſa non dant odorem: at recluſa. Pictique tapetes tum agnoscuntur, cum explicantur. Sic mysteria diuina: quæ per meditationem quasi spectatum exponuntur, suntque admirationi, & venerationi. Et *Quis merces congregauit, & misit in sacculum pertusum?* Agg. 1. *Nunquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua; aut iustitia tua in terra oblionis?* Ps. 87. *Est virtutum.*

II. Nouerant omnia Ioseph & Maria, quia tamen audita recognoscebant, *erant mirantes.* Recole & tu. 1. Nam *nil maius; quam quod Deus homo factus est*, ait Damas. lib. 3. Orth. fid. c. 3. Quid admirabilius; humanam naturam vsque ad Diuinitatis vnionem ascendisse? Aut ad eam descendisse Deum? 2. Atque ideo fortasse Angeli, Psal. 103. vocantur ministri, & Heb. 1. *Administratorij spiritus*: Homines autem *Fratres.* Hebr. 2. *Propter quam causam non confunditur fratres eos vocare, dicens; Narrabo nomen tuum fratribus meis.* De hoc gloriatur S. Ber. ser. 2. in Cant. Puto. *spernere me Christus non potest: quia os ex ossibus meis, & caro de carne mea est.* 4. Quid, Quod ipsi Angeli se hominum conseruos fateantur? Ioanni Angelum adoraturo, is ait, Apocal. 19. 22. *Vide, ne feceris. Ego conseruus tuus sum, & fratrum tuorum.* *Incarnatio est digna admiratione, & veneratione omni.* 1. *Quia homines æquat Angelis aut præfert.*

Quare *Agnosce ô homo*, S. Leo ser. 1. de Nat. Christi: *dignitatem tuam; & diuinæ cõsors factus naturæ noli in veterem vilitatem degeneri conuersatione redire.* 6. At hodie *homo, cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientib.* Ps. 48. Non sic Ioseph & Maria.

2. *Mysteria V. T. superat vna incarnatio.*

III. Miratur Dauid, 2. *Reg.* 5. Angelum à Deo missum, qui educeret populum ex Aegypto: *Quæ est autem, vt populus tuus Israel, gens in terra; propter quam iuit Deus, vt redimeret eam sibi in populum, & poneret sibi nomen?*

Quid de Christianis dixisset, à Deo ipso incarnato redemptis? Moyses *Deu.* 4. commendat memoriam Dei descendẽtis in Sinai: & ait: *Interroga de diebus antiquis, qui fuerunt ante te, ex die, qua creauit Dominus hominem super terram; si facta est aliquando huiusmodi res; vt audiret populus vocem Dei loquentis de medio ignis; sicut tu audisti, & vidisti?* Quanto magis iam? cum non Dei vox tantum audita est: sed *ipse in terris visus est?*

3. *Est nouũ miraculũ.*

De hoc Ierem. 31. *Creauit Dominus nouum super terram: fœmina circundabit virum.* Quam nouitatem sic explicat S. Augustin. *Portans omnia verbo virtutis suæ ab infirmitate portatur. &c. De Creatura sua Creator omnium creatur.* 4. Iacob. *Genes.* 32. luctans cum Angelo totam noctem, eum noluit dimittere, nisi percepta benedictione; quantumuis elabi is niteretur: dum demum vinceretur. Sic omnes tota nocte legis luctantes ab Angelo testamenti benedictionem efflagitarunt: Ps. *benedicat nos Deus*: At is restitit; donec ascenderat aurora B. V. M. cuius vtero arctatus fuit.

4. *Dedit benedictionem multam.*

5. *Eamque irreuocabilem.*

5. Iacob, *Gen.* 27. veste mutata extorsit benedictionem paternam: cumque senex *expauit stupore vehementi, & vltra quam credi par est, admiratus est*, volenti ait, *Glossa*, reuocare benedictionem, cœlitus fraus reuelata est; eiusque, significatio Deum nempe inducturum hominem. Eadem & hic Iosephi fuit admiratio. Sic *Rupertus Tuit. in Gen.* 27. Et iuste miratur. Nam *nouum fecit Dominus super terram*, Iere. 31. Adamum è terra; è costa Euam; Christum ex Virgine. Sic *August. ser.* 11. *de temp.*

6. *Ostendit potentiam Dei.*

IV. 6. In quo Mysterio mirificam inesse oportuit potentiam, etiam cœlos rupturam: Vnde Isai. 64. *Vtinam disrumperes cœlos, & descenderes!* Et quia ima summis erant mutanda: homo in cœlum vehendus, Deus in terram mittendus; ideo eãdem orat potentiam Psalm. 143. sic *Inclina cœlos tuos, & descende.* Illam admiratus idem Psalm. septuagesimo ait, *Deus docuisti me. & cæt. vt annunciem brachium tuum, potentiam tuam, & iustitiam tuam, vsq; in altissima, quæ fecisti magnalia Deus, quis similis tibi.*

7. *Humẽ litatem.*

7. Nec in potentia solum: sed & in humilitate *quis similis tui?* Ab extremo ad extremum: è Creatore creatura; è Domino seruus: imo Phil. 2. *Exinanuit semetipsum, formam serui accipiens.* Bene S. Greg. Nyss. in Dialog. cathed. 24. *Magnum & excelsum quid operari, in Deo non est miraculum; sed naturæ eius consentaneum est. At in humilem & abiectum statum descendere, qui omnium supremus est; hoc omnem admirationem superat.* S. Augustin. serm. 21. de temp. ait. *Deum hoc facto se ipsum vicisse.*

8. *Attribuit puelli.*

V. 8. *Erant* etiam *mirantes* puelli qualitates, & perfectionem; etsi tener esset; sapientiam, etsi puer: demum quod Luc. 4. *plenus esset spiritu sancto.* Nam teste Augustin. Epistol. ad Dardan. *Vt in capite omnes sunt sensus, ita & in Christo omnes fuerunt gratiæ.* Non tamen infinitæ, quia anima Christi fuit creata. *S. Thom. part.* 1. *quæst.* 7. *art.* 12. Ipse est, Coloss. 2. *In quo omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi;*

diti; etiam infinitii in verbo. Inde pro infinitis, *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non autem pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi.* Quam bene igitur *vocabitur nomen eius Admirabilis.* Isa. 9. Regina Saba Salomonem mirabatur; iustius Maria Iesum. 3. *Reg.* 10.

Qui quæ mirentur.

VI. At soli iusti mirantes sunt Diuina: vt hic Maria Ioseph, Nam, 1. Profani ad fana stupent; vt milites Holofernis Iudithæ *pulchritudinem stupentes, mirati sunt.* Iudith 10. Nimirum *secundum desideria sua ambulantes, & os eorum loquitur superbiam, mirantes personas, quæstus gratia.* Iudas *in Canonica.* 2. Iusti mirantur diuina, improbi turbantur ad eadem: Vt *Herodes, & omnis Ierosolym. cum eo.* Matth. 3.

Vxores deferant viris

Nota: Ioseph prius, quam Maria peniitur. discant vxores deferre viris suis, quantæcumque sint. Sic Luc. 2. *Ecce Pater tuus, & ego dolentes quærebamus. te.* Eph. 5. *Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino, Quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ.* Sic Sara Genes. 18. *Dominus meus vetulus est.*

PARS III.

De ruina, & signo.

ECce: *positus est hic in ru. & in resur. mul. in Isr. & in sig. cui cont. Et tuã ipsius an. pert. gladius.* Hæc Matri putatur Simeon dixisse; non patri: Vt qui non esset victurus vsque ad passionem. Disce rerum instabilitatem. iam læta sonant: mox tristia canuntur.

Sententiæ de ruina & resur.

I. Porro *ruinam & resur.* varij variè interpretantur. 1. *Beda Theoph.* ad credituros in Iesum interpretatur. 2. *Orig.* ad ruinam suam suæ passionis ac mortis: resurrectionem vero multorum prædestinatorum ad vitam æternam.

3. *Greg. Naz.* ait, opera Christi alijs ad scandalum & damnationem; aliis ad salutem fore. Nimirum vt sol aquilam iuuat; vespertilionẽ oblædit: Ita Dominus Deut. 32. *Ego occidam, & viuificabo: percutiam, & ego sanabo.* 4. *Glossa* ait fore ruinam vitiorum, & resurrectionem virtutum: *multorum*; eo quod peccata, vti & virtutes, nunquam sint sola; sed vnum aliud sequatur.

5. *Mea* est sentẽtia fore multis ruinam, occasionaliter: resurr. vero causaliter. 1. Quia Ose. 13. *Perditio tua ex te Israel: tantummodo auxilium tuum ex me,* vti ex ipsa causa. 2. Dein animarum salutem, vel perditionem Simeon ipse verbis ijsdem spectabat. 3. Vnde Ipse Ioann. 1. *Ego sum resurr. & vita.* 4. Col. 3. *Si consurrexistis cum Christo:* Nulla autem est resurrectio, vbi ruina non fuit prius.

Prælati sunt ruina sæpe suis.

II. *Nota* Christum non esse ruinam multorum: sed positum in ruinam. Nec enim est autor peccati; nec potest peccare ipse. At vero Prælati ipsi hodie multi sunt ruina sibi, & multis. 1. Vt fœmina æthiopem enixa, ideoque accusata, quæ consuesset cum Mauro: illa negans sic tutata innocentiam est; quod pictũ in pariete æthiopem in conceptione fuisset intuita. Vt *Aluarius de planctu Eccles. lib. 1. artic. 69. prodit.* Ita monstrosa peccata vulgi esse constat persæpe ex intuitu superiorum. 2. Oseæ 5. *Audite hoc sacerdotes: quia vobis iudicium est, quoniam laqueus facti estis speculationi. rete expansum super Thabor.* 3. *Genes.* 30. Oues Laban fœtus suos coloratos edebant ad colorem virgarum in canalibus obiectarum tempore conceptus: sic oues sunt Christiani: Canales. sacramenta: virgæ, pastores: fœtus, exempla. Pastorum varietas varios fidelium mores, aut candidos aut atros causat. vt sunt, quæ cernimus; ita viuimus & sumus.

Nota. Cum S. Scriptura vtitur voce *Ruinas*, semper grande excidium significari. Exod. 19. *Caue, ne vnquam eum habita-*

habitatoribus terræ illius iungas amicitias, quia sunt tibi in ruinam, similiter Num. 6. Psalm. 109. *Iudicabit in nationibus: implebit ruinas.* Luc. 6. *Et facta est domus illius ruina magna.*

Christus est signum varie.

III. *Et in signum cui. &c.* In Script. vox *signum* plura significat. 1. Rem significantem. Sic salutis signo Cruci contradicendum ait. Nam ea, 1. Cor. 1. *Iudæis scandalum, gentibus stultitia est.* 2. Miraculum. Actor. 5. *Fiebant signa & prodigia multa in populo.* Psalm. 73. *Signa nostra non vidimus: iam non est propheta.* Sic ortus, vita, exitus Christi vere signum & miraculum est, eiq; contradictum viuenti, mortuo; suscitato. 3. Fœdus. Genes. 8. *Arcum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me, & inter terram.* Sic & Christus est signum fœderis inter Deum & homines & seipsum Thren. 3. *Tendit arcum suum, & posuit me quasi signum ad sagittam.* Iob. 16. *Posuit me quasi in signum.*

O signum mirandum. 1. Signi signum sanguis Agni in superliminaribus, *Exod.* 12. contra Angelum exterminatorem. &c. 2. Serpens æneus, Numer. 21. positus *pro signo, qui percussus aspexerit eum, viuet.* 3. Signum Ezechiæ regi datum, fore sanandum, 4. Regum 20. *Vis, vt ascendat vmbra decem lineis, aut vt reuertatur totidem?* 4. Signum Isai. 1. *Leuabit signum in nationibus.*

PARS IV.

De Annæ in orando assiduitate.

1. *Visitata à Christo.*

I. NOn *decedebat de templo, &c.* Orandi assiduitas *laudatur; At Alget.*

2. *Præcepta.*

1. Sic & dominus Luc. 6. *erat pernoctans in oratione.* 2. Fecit, & docuit Luc. 16. *Oportet semper orare, & non deficere.* 1. Thessal. 5. *sine intermissione orate.* 3. Iac. 5. *Multum valet deprecatio iusti assidua.* 4. S. Chrysost. li. 2. de orando Deum, ait. *Cum videro quempiam non amantem orandi studium, nec huius rei feruida v. hementiq; cura teneri; continuo mihi palam est, eum nihil egregiæ dotis in animo habere.*

3. *Efficax est.*

4. *Signum gratiæ varia.*

5. Vt auis raro excludit oua; quæ foueri cæpta deserit; ita desertor orationis. 6. S. Aegidij vox est apud *Surium tom. 7.* Desistens ab oratione ob distractiones, similis est fugienti è prælio ante victoriam; quam perseuerantes ferunt.

5. *Omissa arguitur similibus.*

7. Vt tabellarius non tantum literas perfert; sed & vrget responsum importune: Talis sit oratio. 8. Iudith. cap. 8. increpat Bethuliæ Sacerdotes ac ciues, ab oratione abstinentes: *Quis estis vos, ait, qui tentatis Dominum? Posuistis vos tempus miserationis Domini; & in arbitrium vestrum constituistis diem ei?*

Assidua

II. Iacob. *Gen.* 32. euicit importunitate, quod colluctator *Angelus benedixit ei eo.* 1. *vincit dem in loco.* Lucta, erat oratio feruida. 2. *Deum.*

2 *Flectit Deum gemitu.*

Cantic. 1. *Murenulas*, vel, vt alia versio, *turtures aureas faciemus tibi.* Id est; assidue gemimus tibi, vt turtur amisso compare.

3 *Fit facilis vsu.*

At assiduitas ea tædiosa est. Non assuetis, inquam. 1. Vt arma Saulis erant Dauidi molesta. 1. Reg. 17. *Non possum sic incedere: non enim vsum habeo.* Ergo sua leui armatura sternit Goliathum. &c. Sic nos humili oratione Dominica & salutatione Angelica. 2. Erit & hoc graue? Audi Hebr. 12. *Omnis disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudij; sed mœroris; postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddit iustitiæ Perora*, facta recapitulatione per communicationem cum auditoribus.

4. *Et perutilis.*

DOMINICA I. POST EPIPHAN.

Cum factus esset Iesus annorum XII. Luc. 2.

TObiæ 10. In Mediam missum Tobiam mater anxie, indies ad montes excurren-

currens, speculabatur aduenturum. Diuque frustrata queritur: *Heu! heu me, fili mi! Vt quid te misimus peregrinari, lumen oc. nostrorum, baculum senectutis nostræ, solatium vitæ nostræ, spem posteritatis nostræ.* Talis Maria & Ioseph. At, Tobia reuerso, exultarunt gaudio.

Hic itaque nos circa ea

I. De aduersis humanæ vitæ.
II. De Matris, filiique exemplo.
III. De cura vxorum, ac prolium.
IV. De festo nefasto; ac amisso Christo.
V. De amisso filio; Matrisque dolore.
VI. De inuentione pueri templo.

PARS I.

De aduersis humanæ vitæ.

Sunt vitæ propria ex instabili mundo.

I Miseriarum cõgeries vita est hominis. 1. Iob. 7. *Vita hominis militia est super terram.* Miles varie agitatur; iam cædit, iam cæditur. &c. nil vsquam certi spondere sibi potest. 2. Vita est vt mare à ventis, & fluctibus instabile; à beluisque infestum. Euripus est indies reciprocans septies. 3. Prou. 14 *Nihil vidi stabile & c. risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat.*

2. Ex statu humano.

Viuimus medii cœlum inter & orcum; at media participant vtrimque. Inde Iob 17. *Post tenebras spero lucem.* Id est, *Post nubila Phœbum.*

3. Quid quod etiam, vt ait S. Chrys. homil. 8. in Matth. *Deus mœstis rebus quædã iucunda permiscet? Quod in omnium Sanct. vita reperies, quæ mirabili varietate contexta est.* Scilicet, Vt mira varietate orbẽ Deus regit dans tempora, tempestatesque, fructusque diuersos: ita & vitam cuiusque microcosmi.

4. Sæpe à mundo.

4. Sed & sui cuique mores sæpe fortunam fingunt. Isa. Eccles. 33. *Præcordia stulti, quasi rota carri; & quasi axis rotatilis, cogitatus illius.* Talis est mundus stultus, & quisque mundi filius Psalm. 82. *Deus meus pone illos vt rotam, & sicut stipulam ante faciem venti:* Nimirum si nolint sapere, quæ Dei sunt.

Communia sunt omnibus.

II. 1. Commune tamen ômnibus est liber Ezechieli, *c.* 2. ostensus intus foris- que perscriptus: *& scripta erant in eo lamẽtationes; & carmen, & Væ.* Quam pauca multis habet is folia annorum vitæ? & quam mala? 2. *Cantic.* 4. Hortus sponsæ variis quidem vernabat floribus: at impetuosis ventis dicebatur, *Surge Aquilo, & veni Auster:* & omne genus calamitatũ perfla vitam florentem. 3. Hæc ager est *Mat.* 13. seminatus à Deo semine bono: at inimicus superseminat zizaniam.

PARS II.

De Matris, Filiique exemplo.

Festa colenda, non profananda.

I. Exlex Deipara legi paret Exod. 23. *Ter in anno apparebit omne masculinum tuum coram Deo tuo.* Et nos festa colamus: idque *secundum consuetudinem diei festi.* Quæ non est otiari, ludere, conuiuari. At ô triste consuetudinum piarum exilium! 1. Iudæi seruant suas: & Christiani suas profanant. Peccant, quando expiare peccata oportet. Leu. 2. *Decimo die mensis septimi dies expiationis erit celeberrimus: & vocabitur sanctus: Affligetisque animas vestras in illo.* sic olim. Nunc contraria: dissolutionis est dies. 2. Voluit Deus: Deut. 16. etiam Paschalibus. *Septem diebus comedi absque fermento afflictionis panem.* At iam quo festum maius, hoc culinæ fumant magis. 3. In Paschate olim lactucas agrestes edere iubebantur *Exod.* 12. At iam cupediæ conquiruntur. 4. Sacrificabant olim festis victimas Deo: id est, humanos affectus bestiales: At iã cæduntur ventri, seruitur passionibus. 5. Orig. *In spiritu diem festum agamus; & spiritalia sacrificia iugulemus.* 6. Iudæi veriti sunt *in die festo* cõprehẽdere Iesũ: *Mar.* 14.

Et nos peccatis non veremur idem. Non sic Duodennis.

A teneris assuesce Deo.

II. *Annorum* XII. *Iesus* se offert Patri. 1. D. Thomas alicubi iudicat, quo tempore vsus rationis incipit, teneri sub p. m. hominem se offerre Deo. 2. Quare Eccl. 12. *Memento Creatoris tui diebus iuuentutis tuæ; antequam veniat tempus afflictionis tuæ, & appropinquent anni, de quibus dicas: non mihi placent.* 3. Thren. 3. *Bonum est viro, cum portauerit iugum Domini ab adolescentia sua:* obediens Deo. 4. Cur *Luc.* 11. Deus, vt immundas aues, cygnum quoque ab ara remouit, noluitque offerri? An quod in sola senecta moriens semel cantet, nõ in vita? Sic quidam dealbati cygni aiunt: in agone pœnitentiam agam. &c. Non sic te docuit Duodennis. Bona indoles mature emicat.

PARS III.

De cura vxorum, ac prolium.

Vxor viri socia esto.

I. *Ascendentibus illis Ierosolymam.* Dedecet vxores prodire solas absque maritis. 1. Gen. 1. *Faciamus ei adiutorium simile sibi:* alia lectio: *quod sit cũ eo,* vt custode, duce. 2. Cantic. 7. *Ego dilecto meo; & ad me conuersio eius,* oculo dilectionis & obseruationis. 3. Psal. 127. *Vxor tua sicut vitis abundans,* in prolificatione, *in lateribus domus tuæ;* non foris sola, vagaque, sed domi inter proles ac familiam. 4. *Exod.* 4. Moyses causam Israelitarum acturus coram Pharaone, secum duxit vxorem; licet ea nulli vsui foret.

Sed vsque ad aram.

Attamen in itatione Ierosolymam, ac reditione separatim ire solebant viri per turmas, ac fœminæ: maioris pietatis causa. 1. Caue. Gen. 1. *Præcepit nobis Deus, ne cõederemus, & ne tangeremus: ne forte moriamur.* En: tactum quoque vetuit. Facilis enim descensus à tactu ad gustum; ab hoc ad vsum. 2. Suam in hoc innocentiam *Iob.* 31. testatus, se consolatur in fimo. *Si vidi solem,* mulierem, *cum fulgeret, & lunam incedentem clare; & osculatus sum manum meam ori meo.* Chaldæi, inter quos habitabat Iob, solem & lunam adorabant. Ita multi vxores, aut concubinas. 3. Psalm. 118. *Beati immaculati.* sed orat: *viam iniquitatis amoue à me:* id est, occasionem: Quacertior vix vlla, quam pellex. Periculum vt dilectioni, sic perditioni proximum. 4. Etiam viri à fœminis separatim sepeliebantur. *Gen.* 23. Sepeliuit in spelunca agri duplici Saram, Abraham: *Glossa*: alia pro viris, pro fœminis alia.

Mores & pietas prolium sit cura parentum.

II. In comitatu erat *ascendentibus illis.* Sint & modo proles cum parentibus in templo. Nam solis domi multa pericula. 1. *Exod.* 32. Aberat à filiis Israel pater Moyses: *& sedebant bibere; & surgebant ludere*: id est, idololatrari. 2. Tempus obseruat Dæmon: Vti Iobo, c. 1. sacrificante, liberi epulabantur, & opprimebantur.

Id Deo gratum.

3. Curam pro liberis Deus recompẽsat parentibus. Ecce: Pentapolim exustu-rus Genes. 18. ait: *Num celare potero Abraham, quæ gesturus sum?* Cur non potes? *Scio enim, quia præcepturus sit filiis suis, & domui suæ post se, vt custodiant viam Domini.* Id circo Eccl. *Filii tibi sunt? Erudi eos, & curua eos à pueritia eorum.* 5. Id egit Tobias cap. 4. Helias in Susanna. *Dan.* 13.

Neque tam opes curentur.

At multi plus opibus, quam prolib. student. 1. Similes solicitis de calceo Sicyonio, vt aiunt; non de pede. *Plut. de educ. liberis.* 2. Aristippus adductum filium se eruditurum patri ait, *mille dragmis.* Patrique idem, *his seruum empsitem,* dicenti respondet: *hoc fac, & habebis duos.*

PARS IV.

De festo nefasto, perdito Christo.

Viclitatio pueri triduana.

I. *Et requirebant eum inter cognatos Nazarenos, in comitatu virorum.* 1. *Orig. hom.*

hom.19.in Luc. putat factum inuisibilem remansisse: Vti & *Ioan.* 8. lapidandus. 2. *S. Bern.* putat eum triduo mendicato victitasse; amore paupertatis. Huc illud 2. Cor. 3. *Propter nos egenus factus est*, vbi S. Basil. legit Græce *mendicus*. 3. Verisimilius est, Angelos ei ministrasse.

Dies festi multis infesti ex culpa.

Remãsit puer. Eheu! in festo perdi Christum? Inque templo? Et quidem id multis. 1. Sic Saul 1. *Reg.* 13. dicto citius offerẽs peccat; regnoque exuitur. 2. Ozias rex thurificaturus, leprosus fit. 4. *Reg.* 15. 3. Pharao natalia sua epulo celebrans, œconomum decollat. *Gen.* 40. 4. Vasthi regina perdit diadema in Regis solenni conuiuio. *Esth.* 1. 5. Philistæi, arca in fanum Dagon introducta, Deum perdunt. 1. *Reg.* 5. Atque ista in Festis. Infeliciter!

Custodia cordis necessaria ad sapientiã.

II. Quid prodest bona tua conseruasse; si Deum non serues? 1. Salomon impetrauit sapientiam, 3. *Reg.* 3. At satius erat sic orasse, ait S. Amb. *Da vt sic te possideam; vt nunquam amittam.* Ergo Prou. 4. *Omni custodia custodi cor tuũ.* Multę. n. technæ hostis, & pericula; vt facile perdatur. 2. Sãson *Iud.* 16. erat fortissimus: At in crinibus ei vis omnis. Sic, si in cogitationes admiseris prauam vnam, succidet hæc alias oẽs robustas; quasi crines Samsonis *Iudic.* 16. 3. Salomon, 3. *Reg.* 10. leones xii. adhibuit throno custodes: ô, si cordi! Similes multi, diligentiores auri, quam animæ sunt custodes. 4. 1. *Par.* 9. Duo custodes templum Salomonis claudebant, & obseruabant, quando arca prodiret in agros. Tute te claude, & obserua. 5. Dauid castra Saulis ingressus, stertentibus Ducibus hastam Regi abstulit, 1. Reg. 26. *Filii mortis estis vos*, ait, *qui non custodistis Dominum vestrum, Christum Domini.* Tales filii; qui Deum in corde non obseruant. 6. Imitare Salomonem, 5. *Reg.* 10. qui ad tẽpli defensionem multa scuta ex auro, & hastas suspendit in templo. Arma nostra cordis seruandi est charitas. Si desint aurea, sume ærea, imitatus Roboam; qui eadem æneis commutauit. id est, timorem & mortificationem arripe.

2 Adrobur spiritus.

3. Terrorẽ hostis.

4 Ad Religionem internam.

5. Adhostes. arcendos.

6. Ad securitatem.

Ætas duodennis lubrica est.

III. Perdebatur puer xii. ætatis anno. Aetas periculosa. 1. In hac pueri in Bethel, irrisores Elisæi, deuorantur ab vrsis. 4. Reg. 2. 2. Prou. 30. *Tria sunt mihi difficilia: & quartum penitus ignoro. Viam nauis in medio mari. &c. & viam viri in adolescentia.* 3. Sunt, qui credant ægrum à paralysi annis 38. cœpisse infirmari ab anno xii ætatis. *Ioann.* 5. 4. Dæmoniacus. *Marc.* 9. à pueritia vexatus fuisse traditur. O damnum, Christum si perdas! Nam infanda succedunt mala, præsentia, & futura. Isa. 24. *Cum cantico non bibent vinum*, id est, peccatum, *Amara erit potio*, malorum subsequẽtium, *bibentibus illam.* Ita S. Thom. interpretatur.

PARS V.

De amisso Filio, Matrisque dolore.

Fuga ad Religionẽ est heroica.

I. NOn temere, nec fortuito deseruit parentes Dominus. Res Patris cœlestis agebatur: In qua non semper parẽtes consulendi. 1. *Hieron.* epist. ad Heliodorum & Nepotianum, *Si super limina domus pater & mater iaceant, vt ingressum prohibeant; per calcatum perge patrem, per calcatam perge matrem; & nudus ad crucis vexillũ euola, Summum enim pietatis genus est, in his fuisse crudelem.* 2. Moyses tribus benedicẽs singulas, Leuiticam sic cõmendat. Gen. 31. *Qui dixit Patri suo, & Matri suæ; Nescio vos, & fratribus suis; Ignoro illos, & nescierũt filios suos, hi custodierunt eloquium tuum.* quo certiores salutis forent.

Quicquid expostulet mundus

Vt Laban cum Iacob, *Gen.* 31. Sic mundus cum Neophytis expostulat: *Cur ignorante me fugere voluisti, nec indicasti mihi, vt prosequerer te cum gaudio, & canticis, & tympanis, & cytharis? Non es passus, vt osculärer*

culare filios meos, & filias? Cur furatus es Deos meos? En. 1. obiicit mundus difficultates ordinum. 2. Offert suas blanditias & oscula. 3. Queritur idola sibi auferri, opes, honores, &c.

Vel sundeas.

4. O quot à proposito retrahuntur dicto simili: *Reuertere fili & dormi*: quo Heli vocatum à Deo Samuelem relegabat ad somnum. Age, animum hunc exue; meliora capesse, & molliora; dormi, fruere opibus, ætate, amicis, &c. O belle: Si clam talibus pergas ad religionem!

Quæstiunculæ tres.

II. Quæris: 1. Cur Ierosolymis manserit? Vt minorennis det specimen sapientiæ; quo adultiori credatur facilius. Nihilominus tamen post dixerunt: Matth. 13. *Vnde huic sapientia hæc & virtutes?* Et Ioan. 7. *Quomodo hic literas scit; cum non didicerit?* 2. Cur ætate duodenni? *Beda* ait: Quia hac se prodit indoles; quo spectet. *Ambr.* ait: Quòd totidem Apostolos erat vocaturus. 3. Cur insciis parentibus? *Euthymius* ait: Ne si dixisset; dissuaderent; Sicque inobediens videretur. *Beda* rectius: Vt alium in cœlis habere se patrem ostenderet facto.

Dolor Matris ex amissione.

III. At indoluit Mater. Et acerbè. 1. Plus quam Ruben *Gen.* 37. non reperto Iosepho in cisterna: *Puer*, ait, *non apparet: & ego quo ibo?* 2. Audire video quærentem. Psalm. 60. *Ostende faciem tuam, & salui erimus.* Cant. 2. *Sonet vox tua in auribus meis* Cant. 1. *Indica mihi, vbi pascas, vbi cubes.* 3. Sisarâ, Tribuno Iabin Regis, *Iud.* 5. agente militiæ, mater eius omni die per fenestram prospiciens eorsum versus, absentiam filij ægre ferebat. Quanto amplius hæc Mater talis Filij?

4. Sic mater Tobiæ. *cap.* 10. *Heu, mi fili? Vt quid misimus te peregrinari?* Plus Maria sub corde tacito. 5. Ideoque cum sponsa Cant. 5. *Surgam, & circumibo ciuitatem per vicos & plateas, quæram quem diligit anima mea.*

At, vt tristis amissio; sic læta inuentio filij inter Doctores. 1. Iacob, viso Ioseph inter Proceres Aegypti, ait Gen. 46. *Iam lætus moriar; quia vidi faciem tuam.* *Gaudium ex inuentione.*

2. Fortè Mater sic ad ipsum: Psal. 29. *Conuertisti planctum meum in gaudium.* Tob. 3. *Non delectaris in perditionibus nostris; sed post tempestatem tranquillum facis; & post lachrymas & fletum exaltationem infundis.* Ps. 9. *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.*

PARS VI.

De inuentione Pueri in templo.

I. REperitur; sed non inter cognatos. 1. Sic enim ipse *Gen.* 12. iussit: *Exi de terra tua, & de cognatione tua.* 2. Et Psalm. 44. *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum; & domum patris tui.* 3. Et Luc. 14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem suam &c. non potest meus esse discipulus.* *Inuenitur non in cognatione.*

II. Reperitur inter Doctores. 1. Iussit Dominus, *Exod.* 25. Vt in templo 7. lampades aurei candelabri arderent. En iam donis 7. S. Spiritus illustrem Iesum, vt perstringit oculos doctorum? *Sed in templo.*

2. Nempe Col. 2. *In quo omnes sapientiæ & scientiæ Dei thesauri absconditi sunt.* Et quod *Luc.* 2. dicatur profecisse *sapientia, & ætate, & gratia coram Deo & hominibus*: id Beda intelligit sic; quod specimen dederit.

Verè is fuit locuples Ezechias, qui Synagogæ legatis aperuit thesauros. 4. *Reg.* 20. Quos? S. Vincentius putat de Messiæ aduentu: Itemque An. xii. hebdomadæ Danielis exactæ? An sceptrum Iudæ defecerit? Quæ Messiæ qualitates? Quæ eius miracula futura, quibus agnoscatur? &c. *Docens.*

III. Reperitur in medio Doctorum. O mutationem! Antea in medio animalium. *Inter Doctores.*

malium inuentus: post in medio latronum. Et recte. Pertinent Doctores ad templum; animalia ad stabulum; latrones ad crucem. 1. Erat inter Doctores, qualis sol inter planetas; propitiatorium inter Cherubinos; Arca inter Tribus Israel. Ps. 21. *In medio Ecclesiæ laudabo te.*

Disertissimus.

2. Erat, quale *lilium conuallium Cant.* 2. inter dumeta, id est, eloquentissimus.

1. Lilium enim Theophrasto est hieroglyphicum eloquentiæ. Vnde Homerus finxit legatos Troianos comesse lilium *Trides* purpureum, tribus aureis lineis insigne. 2. Ad hanc eloquentiam pueri & sapientiam sordet Papirius Prætextatus puer Romanus, sapienti responso curiositatem matris deludens. *Agell. li.* 13. 3. Iosephus, *Gen.* 40. Somnia Pharaoni interpretans. Est infans. Daniel, *c.* 13 lasciuos senes conuincens.

Nõ sic impij, non sic templorum profanatores.

IV. In templo inuentus disputans; At multi inibi sunt vendentes simoniace; aut alia profana, loci prætextu, velantes. 1. Vt Absalon, 2. *Reg.* 15. fingit se oblaturum in templo; cum in fratrem conspiraret, regnum inuasurus. 2. Sacrificuli Dagon. 1. *Reg.* 5. nunquam voluere id limen calcare pedibus, id quod Dagon ceciderat diffractus, quod suus id Deus tetigisset. Et Christiani, ac sacerdotes hodie templum Dei, tam sanctum, sæpe conscelerabunt? 3. Magna erat abominatio, cum C. Caligula statuæ suæ in templo Ierosoly. voluit sacrificari. De qua Christus, Matt. 24. *Cũ videbitis abominationem stantem in loco sancto. &c.* At maior; stans in templo simoniacus, incestuosus, vsurarius &c. 4. De filiis Heli scribitur 1. Reg. 2. *Erat peccatum puerorum grande nimis coram Domino, quia detrahebant homines sacrificio Dei.* Idemque hodie; eheu! verum nimis.

Non sic Religiosi vani.

Et istud peccatum est; spiritalem virum negotiis se ingerere sæcularibus, & vanescere. Quin hos iure vel mundus ipse persequitur; Vt Laban citatis equis Rachaelem persequebatur, raptricem idolorum ipsius. *Gen.* 31. Idola superbiæ, auaritiæ, luxurię. &c. vobiscum fertis in templa, monasteria, adque aras. Vah! Perora facta ex dictis protreptica recapitulatione.

DOMINICA II. POST EPIPHAN.

Nuptiæ factæ in Cana Galilææ. Ioan. 2.

ISraëlitæ, 1. Reg 10. à Samuele Regem domi; militiæ, Ducem postulant. Datur Saul; at licet capite cæteris altior, despicitur nonnullis; deseritur, nec paretur ei. Interim Rex Ammonitarum indicto Hebræis bello obsidet Iabes. Aduolat Saul; profligat hostem: Tum vero omnis Israel ei fidem iurat. Regẽque agnoscit. Ita Iudæi Messiam diu postularunt; qui ipsis honori, hostibus terrori foret. (Nam regifice appariturum opinabantur.) Venit, & capite Diuinitatis altior cunctis. At despicitur. Dum factis nuptiis, miraculum edit; tum primum nouitius discipulorum cœtus in eum credit.

Quare de hoc nos:

I. Triplicem esse statum Christianorum.
II. Quis sponsus? & an bonũ matrimonium?
III. De amore coniugali.
IV. Quomodo vxor ducenda, Christusque inuitandus?
V. De vxorum dotibus, & conuiuiis spiritalibus.
VI. In mundo deficere vinum bonum, abundare malum.
VII. De Christi voce, Mulier.
VIII. De Christi vino ex aqua facto.

PARS I.

De triplici statu Christianorum.

Tres status Ecclesiæ.

I. TRes in Ecclesia sunt status : Deo grati singuli. Virginalis : dum Matrem non nisi Virginem elegit. Vidualis : dum Annæ se in templo manifestare dignatus est. Coniugalis: quem præsens cohonestat. Sunt, qui hos arbori componunt. Coniugalem radici, terra obrutæ : Vtpote curis terrenis pressum. De quo 1. Cor. 7. *Tribulationem carnis habebunt huiusmodi.* id est, vt D. Thom. exponit: *Occupationes, & afflictiones.* Virginalem ac Vidualem; verbo. Continentium statum ramis conferunt diffuse luxuriantibus. Hos falce castigat, putatque colonus, quasi sæuus : at bonus: radicem verò fouet, fodit, stercorat. Nam disciplina seuerior & mortificatio debetur Continentibus : indulgentia quædam corporis coniugatis.

Boni singuli.

Vere Prou. 3. *Pulchræ sunt viæ Domini.* Non vna, qua itur ad astra ; sed plures. Item vere Apostolus. *Ex vna radice*, coniugali, *multi prodeunt rami*, continentium. At omnia pulchra.

At gradu diuersi.

II. Sed ordine tamen. 1. Quo scilicet Arca Noe extracta fuit, fabrica tristega. *Gen. 6.* Hanc *S. Aug. l. 15. de ciu. c. 26.* vult trinum Ecclesiæ statum designare. 2. *Theoph. in 1. Timoth.* 4. confert Matrimonium plumbo : quod onus graue: Viduitatem argento : Cœlibatum virgineum auro.

3. Ecclesia vineæ confertur in Script. At œconomus Pharaonis *Gen.* 40. ait Iosepho : *Videbam coram me vitem, in quae erant tres propagines.* Trium statuum Ecclesiæ vnius. Hi cœlum, terramque fœtu multiplici complent.

4. Seminis euangelici pars quarta, cadens in terram bonam, fecit fructum centesimum, sexagesimum, tricesimum. *Luc. 8.* Id est, vt vult *S. Hier. l. 1. contra Iouin. Et in Matth. Et in Apolog. ad Pamma : Et S. Athan. in epist.* fructum Virginum, Viduarum, Coniugum.

PARS II.

Quis hic Sponsus? & an bonum matrimonium?

Sponsus nō fuit Ioannes.

I. S. *Hier. Beda. &c.* plurimi sentiunt, Sponsum fuisse Ioannem Euangelistam : quòd omnem alias turbam exosa B. V. M. nuptiis cognatorum interfuerit. Infirma coniectura hæc.

Et ratio obstat. 1. Ioannes non fuit Cananæus : Et iam tum erat cum fratre ad Apostolatum vocatus : eratque cum Christo conuiua nuptialis. 2. Omnis S. Patrum antiquitas S. Ioannem virginem permansisse affirmant ; Aug. etiam matrimonium iniisse negat. 3. Aderat Christus, vt præsentia ratum haberet matrimonium ; non vt ratum dissolueret; Sponsum ad se vocando.

4. Ioannis vocatio, & sequela Christi cœpisset, in domo nuptiali : at cœpit ad mare Tyberiados. *Matt.* & *Mar.* 1.

Apocryphū aliud.

Quod *Nicephorus l. 8. c. 30.* dicat sponsum fuisse Simonem Cananæum : Et *S. Antoninus p. 3. sum. tit. 3. §. 5.* sponsam Mariam Magdalenam ; dein vagæ sequacem Veneris : quod matrimoniali esset iam priuata: vtrumque apocryphum est.

Epuli nuptiales vsus peruetustus est.

II. Epulæ porro connubiales sunt antiquissimæ. 1. *Gen. 29.* Laban ad Liæ, & Rachaelis nuptias : Samsoni suus pater; *Iud. 14.* 2. Raguel *Tob. 9.* suæ filiæ. 3. Assuerus. *Esth. 2.* suæ Estheræ magnificas epulas nuptiales parauit.

4. Item Rex suo filio : *Matth. 22.* cui simile est regnum cœlorum. 5. Apoc. 9. *Beati, qui ad cœnā nuptiarum Agni sunt vocati.*

Bonum est Matrim.

III. Matrimonium ipsum hæresibus exagitatum fuit : præcipue quinis. 1. Saturnini, Marcionis, Iouinia. &c. asserentium,

tium, malas esse nuptias: vtpote ob Adæ peccatum inuectas. Nec enim in statu innocentiæ futuras: sed Deum alio modo genus humanum propagaturum fuisse.

Et nuptia 2.

2. Montanistarum, secundas nuptias esse vetitas: easque adulteriis pares docentium. At contra 1. Cor. 7. *Si dormierit vir eius, cui vult, nubat: tantum in Domino.* 1. Tim. 5. *Volo iuniores viduas nubere, filios procreare, matres familias esse.*

Estque sacramentū.

3. Armenorum & Lutheri. Negant hi matrimonium esse Sacramentum; aut vllam conferre gratiam. At contra. 1. Eph. 5. *Sacramentum hoc magnum est: dico autem in Christo, & in Ecclesia:* 2. Hebr. 13. *Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus.*

Et insolubile.

4. Volentium esse dissolubile propria voluntate. At contra. 1. Matth. 19. *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* 2. Et 1. Cor. 7. *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius viuit.*

Infra Virginitatem.

5. Iouiniani, qui matrimonium virginitati anteponebat. At contra. 1. Cor. 7. *Qui matrimonio iungit virginem, bene facit: & qui non iungit, melius facit.*

PARS III.

De amore coniugali.

I. HOnorabile est Matrimoniū. Quia autor eius Creator in paradiso: Idemque occultos, ac mutuos inseruit igniculos. Sensit *Genes.* 2. hos Adam dicens; *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.*

Vxor diligenda est casste, iubente Deo.

Tenentur ergo se amare; at honeste, sesequeiuuare. 1. Nam *propter hanc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ.* 2. Vnde Ephes. 5. *Viri, diligite vxores vestras.* Non ficte, & luxuriose; Vt Sichimitarum Princeps Dinam. *Gen.* 34. Nec assentatorie; vt Samson Dalilam. *Iud.* 16. Nec ob opes; vt Adonias Abisai. 3. *Reg.* 2. Non lasciue; Vt septem mariti Saram. *Tob.* 11. Sed corde puro, *sicut Christus dilexit Ecclesiam.*

Iubente natura.

3. Notat *Magister senten. lib.* 1. Vxorem factam esse non ex capite; ne superbiret, dominarique vellet: Nec è pedibus, ne vir eam mancipij loco haberet. Sed è costa sinistra; vt corde toto comparem vir diligeret, vti alteram se. Ideo Deus ambos non ex diuersa materia creauit; sed vna: & illam ex hac fecit: ne vlla vtriusque foret diuersitas, nisi sexus: sed essent *duo in carne vna.*

Et necessitate.

4. Fingit *Plato in sympos.* duplicia membra omnia Deum homini principio tribuisse. sed quia inde superbe insolescebat; quædam feciisse singula; Vt caput, cor, iecur, &c. Vt ea nobiliora ope ignobiliorum indigeant. Sic & vir opus habeat fœmina; si prolificare velit: Et habitam foueat libentius, vt partem sui.

Frendente Sathana.

5. Satana perdente omnia, quæ Iobi erant; solam vxorem non attigit. Cur? An vt viro exprobraret? Forte. At certius; quia dixerat Deus, *Iob* 2. *Veruntamen animam ipsius serua.* Atqui vxor est dimidium animæ viri. Tanto concordius viuant!

Approbante Deo.

6. Eccl. 25. *In tribus placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo & hominibus: Concordia fratrum; Amor proximorum; & vir, & mulier bene sibi consentientes.*

Dissidiū est tyrannis.

II. Horum enim dissidio nil peius. 1. Vt si duo inimicissimi essent connexi. Sicut istud Mezentij tyrannidem reddidit insignem, quod

Corpora corporibus iungebat mortua viuis:

& viua viuis; vt memphiti sua, & famis rabie se conficerent. Talis est tyrannis coniugum dissidium, eodem attellatorum iugo.

Lepidē.

2. At amore eorum mutuo, honoreque nil melius. Leo Bizantius legatus ad Athenienses seditiosos componendos,

dos, exorsus orationem risum aqualiculo grandi mouebat. Casum is vertit in vsum: dicens. Est mihi vxor me crassior triplo: & vnus tamen lectus capit ambos, cum eadem volumus: sed cum dissentimus; integra domus nos vix capit. Dixit: simul pacem persuasit discordibus cum Magistratu.

Deus præ vxore esto.

III. Amanda tamen est vxor: sed vsque ad aras. 1. Non vt *Luc.* 14. inuitatus ad nuptias cœlestes respondit: *Vxorem duxi, & ideo non possum venire.* Cæterorum nullus dixerat; nolo ire: solus hic rigide abnuit, 2. *Relinquet* quidem *homo patrem & matrem, & adhærebit vxori:* At non Deum. Heu! multis id hodie frequens. Optimè ergo hi Cananæenses; qui Iesum & Mariam inuitârunt. Iosephum iam mortuũ putat Epiphanius.

PARS IV.

Quomodo vxor ducenda, Christusque inuitandus?

1. Vxor ducenda intuitu Dei.

I. QVomodo autem vxor ducenda sit, id ex *Genes.* 2. *Rupertus* obseruat: Quod Deus Adæ soporem immisit, facturus Euam: id est, in ecstasin rapuit. Docet: sensus exteriores occludendos, Deũque intuendum in vxore ducenda, Vxor enim bona donum Dei est: estque à Dei manu sumenda. 2. Prou. 19. *Domus, & diuitiæ dantur à parentibus: à Domino autem propriè vxor prudens.*

Non forma

Ne imiteris filios Seth, *Gen.* 6. Qui capti filiarum Cain forma, gigantes procrearunt; quorum nequitiæ debitum fuit diluuium.

Non fastus causa.

Non imiteris Esau, *Gen.* 28. qui duxit, quas ob fastum parentes non ferebant. Vah purpurissantes vultum, & adulterantes cerussatrices!

Fidelis esto.

Non Samsonem: qui alienigenam, alterius religionis, duxit, *Iud.* 16. & sibi interitum acquisiuit. Quæ pericula vt euites; Christum cum Maria inuites.

2. Inuitatur Christus si sit finis.

II. Tunc inuitas; cum Ipse præcipuus est finis matrimonij: vt ipsi seruiatur tutius; At si Plutum, Venerem, Bacchũ, Iouem nobilem, Priapum, &c. inuites; quid boni speres? 1. Exemplo sint septem viri Saræ, omnes Sathanæ pabula. 2. Felix connubium, quod à Deo: Quod à carne oritur, infelix! Tob. 8. *Filij quippe Sanctorum sumus: ideo non possumus ita coniungi; sicut gentes; quæ ignorant Deum.* 3. Idem, vt cœpta secundet Deus; ita precatus est: *& tu Domine scis, quia non luxuriæ causa accipio sororem meam cõiugem: sed sola posteritatis dilectione; in qua benedicatur nomẽ tuum in sæcula sæculorum.*

Si sit principium.

Si subsit virtus

4. Tunc inuitas Christum; cum virtus spectatur; non dos, non forma. &c. Disce ex Abrahæ seruo Eleezer: Is sic ad parentes Rebeccæ. Gen. 24. *Dominus benedixit Domino meo valde, & magnificatus est: dedit ei oues & boues, argentum & aurum. &c.* En gratus Deo, eius memorat beneficium.

Absit improbitas.

III. Iam, quia fit secius: hinc lachrymæ: probra filiorum, vxorum, ruinaque domus. &c. 1. Cur Ioram, cæsis fratribus, iam Rex solus, lapsus est in idololatriam? 4. Reg. 8. *Filia quippe Achab erat vxor eius: & fecit malum in conspectu Domini.* 2. Achab cur idolis immolauit? Prophetas occidit? Dei cultum profligauit? 3. Reg. 21. *Concitauit enim eum Iezabel vxor sua, & abominabilis factus est: in tantũ, vt sequeretur idola, quæ fecerant Amorrhæi.*

Vt adsit prosperitas.

Inuita Christum: ne, dum in vxorẽ, simul incidas in infernum. Eccles. 25. *Commorari leoni, & draconi placebit; quam habitare cum muliere nequam.*

PARS V.

De vxorum dotibus, & conuiuiis spiritalibus.

Dotes vxoria sunt modestia.

I. DOtes in vxore ducenda quas spectes, 1. sub allegoria accipe Nathanis

thanis prophetæ. 2. Reg. 12. *Pauper nil habebat omnino, præter vnam ouem paruulam; quam emerat, & nutrierat; & quæ creuerat apud eum cum filijs eius, simul de pane illius cõedens, & de calice illius bibens, & in sinu eius dormiens; eratq; illi sicut filia.* Sit ouis vxor,

Sanctitas. dulcis, mansueta. &c. 2. Eccl. 26. *Gratia super gratiam mulier sancta, & pudorata.* En dotes; sanctitas, pudor.

Castitas. 3. Prisci castitatem pinxere Mulierem cum serto è varijs floribus, absque rosa, reti amictam vultu, totoq; corpore. Rosa enim Veneri sacra erat. Ita vxor floreat virtute; & amicta est satis.

Virtus omnigena. 4. Alij pingebant Mulierem gemmis ornatam; inque fronte Pyropis lucebat vt sol: vestitam viliter aduſque pedes. Ita vxoris cultus sint virtutes; non vestes. Pedes sint tecti: id est, raro in publicum prodeant.

Epulis addendi spiritales. II. Christus vero nuptiis adest, ideo quoque ne scandalizeris, ex visis apud nuptias viris spiritalibus. 1. Horum lydius lapis sunt conuiuia, ad quem eorum modestia examinatur. Ad aram, in suggestu, in choro videri, esseque zelosum, ac ædificationi, facile est: at non item in epulis.

2. Magni id sapientia ipsa vel in se ducebat: Eccl. 24. *In plateis, sicut cinnamomum & balsamum, aromatizans odorem dedi*: In publico, in suspectis locis esse integrum, hæc laus est.

3. Ergo Abinuitato Christo, eos inuitare disce; qui amant modestiam, virtutem: idq; in honorem Matrimonij. *Deut.* 14. Iubetur, ad mensam adhiberi Leuita. *Comedes coram Domino Deo tuo, & epulaberis tu, & domus tua, & Leuita, qui intra portas tuas est. Caue, ne derelinquas eum.* Nimirum persona & officium viri talis monet Dei, & honesti.

III. Hodie ad lachrymas citius; quam epulas inuitatur Christus. quia Psalm. 87. *Cum occideret eos, quærebant eum, & reuertebantur, & diluculo veniebant ad eum.* At in prosperitate, *incrassatus est dilectus, & recalcitrauit; incrassatus, impinguatus dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo salutari suo.* Deut. 32.

Non sic timens Dei, & amans: qui ait Psal. 33. *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo.*

PARS VI.

In mundo deficit vinum bonum; abundat malum.

Inopia in mundo ipsa copia est.

DEficiente vino, scilicet Voluptatum, 1. In mundi conuiuijs semper vinum deficit. quia in eo nunquam est vera satietas, & lætitia: sed breuis. 1. Iob. 21. *Ducunt in bonis dies suos: & in puncto ad inferna descendunt.* ô vitam inuitam!.

2. Daniel. 5. Regi Balthasari conuiuium instruxit mundus regificum: At mox defecit vinum & ruit regnum. 3. Luc. 16. *Epulo viuebat quotidie splendide:* At vinum defecit, *mortuus est, & sepultus in inferno.* 4. *Iob*, 1. Filij eius in domo primogeniti epulantur: at euersa domo obruuntur. Defecit vinum, ô defectus infelices!

Omnia desunt mũdo.

Mundo omnia deficiunt: & tamen habere se omnia iactat. 1. Panis: vt Sauli, 1. Reg. 9. *Panis defecit in cistertiis nostris.* 2. Aquæ hausſus: Iosu. 4 *Defecerunt aquæ Iordanis:* & in obsidione Bethuliæ *defecerunt cisternæ:* Iud. 7. 3. Dies: Ps. 77. *Defecerunt in vanitate dies eorum.* 4. Cor & anima: Psalm. 72. *Defecit cor meum, & anima mea.* 5. Peccatores: Psalm. 103. *Deficient peccatores à terra, ita vt non sint.* 6. Vita: Psal. 30. *Defecit in dolore vita mea.*

Præter deum.

Omnibus deficientibus mundo, sola *non defecit de plateis eius vsura & dolus,* Ps. 54. Cælo autem nil vnquam deficit. Ergo. Luc. 12. *Thesaurizate vobis thesaurum non deficientem in cælo.*

II. Nec solum in mundi nuptiis vinum

Mundi vinū quale.

deficit: sed si quod dat; id turbida vappa est. 1. Psal. 74. *Fax eius non est exinanita: bibent omnes peccatores terræ.* Imo Deut. 32. *Fel draconum vinum eorum.* 2. Noxium, quo Noachos etiam mundus inebriat, pudendaque reuelat. *Gen.* 9. 3. Sodomiticum, *Genes. decimo nono*, quo Lotheani incœstus committunt. 4. Vinum sacerdotibus olim vetitum. Leu. 10. *Vinū, & omne quod inebriare potest, non bibetis, tu, & filij tui, quando intrabitis in tabernaculum testimonij: ne moriamini.* 5. Vetitum Nazaræis. Numer. 6. *Vir, siue mulier cum fecerint votum, vt sanctificentur, & se voluerint Domino consecrare; à vino, & omni, quod inebriare potest, abstinebunt.* 6, Vinum est mundi, quod parasius & læno Holoferniś Vagao Iudithæ propinauit: Iudith. 12. *Non vereatur bona puella intrare ad Dominum meum, vt bibat vinum cum iucūditate.* 7. Vinū, quo iustis iniqui detrahunt. Ps. 68. *Aduersum me loquebantur, qui sedebant in porta: & in me psallebant, qui bibebant vinum.* 8. Vinum, quod sponsa reijciebat. Cant. 1. *Meliora sunt vbera tua vino*: vbera consolationum Dei præstant vinis sæculi. Hæc respue; appete ista.

PARS VII.

De Christi voce, Mulier.

Vocis huius causa erat diuinitas Christi.

1. DEipara, vt honori consuleret, & inopiæ coniugum; vtque grata esset pro inuitatione, ait: *Vinum non habent.* Cui seruator: *Quid mihi, & tibi, mulier?* Bis dicta *Mulier est*: hic, & sub cruce, *Ioan.* 19. Aliàs plus decies audiit *Mater Iesu.* Atque illud Antonomastice; cum respectu ad istud, Prou. 31. *Mulierem fortem quis inueniet?*

Montanistæ, & Manichæi inde astruebant; Christum non habuisse verum corpus. q. d. Non te matrem agnosco. At 1. eo se Deum esse declarauit: miracula q; edi non humana potentia. Atque in hoc nil sibi cum matre esse commune, Ita *Orig. Aug. Greg. & communis.*

2. *S. Bern.* tamen *serm.* 1. *in hoc Euang.* etiam de humanitate Christi id accipit. q. d. Hactenus, cum, quæ tua erant, humana egi, *eram subditus tibi*, Luc. 2. at nunc, cum acturus sum, quæ patris mei sunt, ad quæ missus sum; in his *nil mihi, & tibi.* Belle! Aug. tract. 9. in Ioan. *Miraculum exigebat Mater: at ille, tanquam non agnoscat viscera humana, operaturus facta diuina*; sic loquitur. *2. Humanitas eius.*

II. Item *docet, vt ad Dominum conuersi semel, de carnali propinquitate minus simus soliciti*, ait *S. Bern. serm.* 2. *hic.* Malè ergo Episcopi, Canonici: qui Suos Ecclesiis obtrudunt: posthabitis dignioribus. 1. *Fulgosus l.* 4. *c.* 3. refert de Clemente IV. Pontifice. Duas filias nupturas, (quas Iuris professor Bononiæ, ante pontificatum susceperat) dotem ab eo petiisse: At ipsum respondisse: Papæ non sunt filiæ: proinde patrimonio viuite contentæ. *3. Item instructio Ecclesiasticorum ne cognationi plus dent, quam Ecclesiæ.*

2. *Phil. Diez* ait: Cæci sunt triplices. *Illi sunt inter cæcos triplices.*

1. Quos Scipio regit. illi, qui pedum, vel sceptrum gerunt regiminis; & nefande impingunt. 2. Quos catellus ductat. Sunt Legulei forenses: qui ob lucellum de asini vmbra vitiligium instituunt. 3. Cæcissimi, qui manu ducuntur: sunt Præsules, Sacerdotes: qui cognatos, aut liberos ditant ex aræ eleemosynis. Hi suos secum manu trahunt in tartari præcipitium.

3. Themistocli Athenarum Duci, dictum suum infame fuit istud: *Meam vxorem puer regit: vxor me; Athenas ego: ergo Athenas puer meus dirigit.* Turpius viris sacris, Ecclesiarum rectoribus, eos regi affectu sanguinis plus quàm flaminis. *Reguntur à sæcularibus.*

4. Gersonis *l. de vita contemp.* dictum est: *Reus, dum in loco sacro est, comprehendi non potest: At egressus, potest.* Ita bona Ecclesiastica, dum ad pios vsus vertuntur; in asylo ma- *Abutūtur bonis Ecclesiasticis.*

lo manere censentur: at profanis nata, fiunt præda secularibus. Vir igitur spiritalis dic matri: *Nescio te.*

PARS VIII.

De Christi vino ex aqua facto.

I. *Hoc fecit initium signorum Iesus: Et manifestauit gloriam suam.* 1. Nec enim minor requiritur potentia ad vinum ex aqua faciundum; quam e nihilo creandum. Sed gloriam inexplicabilem manifestauit. 2. Age confer infima summis. Neque sartore è lapide magis, quam è nihilo vestem parauerit.

Miracula Epiphania.

Nota. 1. Satanam voluisse in deserto præuertere Dei param in impetrando miraculo à Iesu *Luc.* 4. 2. Item: Christum miracula cœpisse in transubstantiatione, vt hic: Et in eadem desijsse; instituendo S. Eucharistiam.

3. Item: Hoc die retro, Christum à Magis adoratum, Et à Ioanne baptizatum: simul Dei filium vtroq; declaratum. 4. Vinum hoc miraculosum fuisse optimum. *Perfecta enim sunt opera Dei.* Sic cæci, claudi, &c. sanati; cæteris præstabant. Isaiæ trigesimoquinto. *Saliet sicut cervus claudus.*

Defectus temporalia supplet Deus.

II. Deficiente vino nuptiali, tum primum prouidit Iesus. 1. Vt *Exod.* 16. deficiente farina Aegyptiaca, tum demum manna datum est. Ita tum gaudia fluunt cœlestia, cum vanæ deliciæ deficiunt. Vt merito dicas, Cantic. 1. *Meliora sunt vbera tua vino.* Ista gustanti, facile hoc vinum putet, vt villi vappa.

Defectus spiritalia accidunt in vanis.

2. Vt manna quoque defecit, cum fructus terræ promissæ gustarentur: Sic ad terrenas delicias deficiunt supernæ. Teste S. Bernard. sermon. 6 de Ascend. *Præoccupatum secularibus desideriis animum delectatio sancta declinat; nec misceri poterunt vera vanis, æterna caducis, spiritalia corporalibus, summa imis; vt pariter sapias, & quæ sursum sunt, & quæ super terram.* 3. Qui vinum iam facit; is *Ioan.* 6. panem multiplicat. Verus orbis paterfamilias, de quo Prou. 9. *Sapientia ædificauit sibi domum, miscuit vinum, & posuit mensam.*

Porro sex hydrias *Augustin. comment. in Ioann.* interpretatur ad sex ætates mundi: omnes aqua oraculorum de Christo plenas. Aquam in vinum trāsisse ait, cum deficientibus figuris, veritas illuxit. Ideo Luc. vltim. *Aperuit illis sensum, vt intelligerent Scripturas.* *Perora* ex dictorum repetitione hortatoria, cum patho superiorum simili.

Sex ætates mundi.

DOMINICA III. POST EPIPHAN.

Domine, si vis, potes me mundare.
Matth. 8.

De Centurione, Euangelij parte altera, vide Feria V. post Cinerum.

NAaman leprosus, 4. *Reg.* 5. ab Elisæo ad Iordanem mittitur lotum se ibi septies; & sanatur. Hic à Christo missus ad sacerdotes, mundatur.

De quo nos

I. *Vanam gloriam officere.*
II. *Lepram inficere.*
III. *Breuitatem orationis proficere.*
IV. *Situm, perfectionemque orantis cultucere.*
V. *Iesum cito sanare.*
VI. *Ad sacerdotes remittere.*
VII. *Ingratitudinem Deo odibilem esse.*

PARS I.

Vanam gloriam officere.

Virtutes perimit.

I. VAna gloria virtutum hostis, & pestis est, teste S. Basilio. *Inanis gloria*

spiritalium opum est latro; blandus animarum hostis; sub mellis illitu fraudis suæ venena propinat.

2. *Constuprat.* 2. Similis Babylonicæ meretrici, *Apoc.* 17. quæ ostro & auro fucata, poculum porrigit abominationis. Ista alienam laudem induta, virtutum vasa aurea præferens, illectat.

3. *Despoliat.* 3. Ezechias Rex, 4. *Reg.* 20. Assyriorum legatis thesauros ostendit: ideo sic illi Isaias: *Ecce dies venient, & auferentur omnia, quæ sunt in domo tua, & quæ condiderunt patres tui vsque in diem hanc in Babylonem.* Sic, qui proximis ostentant virtutes.

4. *Putrefacit.* 4. Manna reseruatum in diem Sabbathi, recès permanebat; *Exo.* 16. at in diem postridianam seruatum verminabat: sic bona opera in diem gloriæ seruata, reperiuntur integra: at putiscunt verminant. hic ostentata. 5. Moysis manus in sinu seruata, erat pura: producta vero, leprosa, *Exo.* 4. At in S. Scriptura *manus* designat opera.

5. *Taminat* 6. *Venenat.* 6. Basiliscus hominem prior videns, visu necat: visus prius, hominis visu necatur. Sic à nobis agnita nostræ gloriæ vanitas, perit: non agnita, perimit.

7. *Inanit.* 7. S. Arsenius ait: Bene operans ad laudem hominum, similis est haurienti aquam vase pertuso. Mercedem à Domino talis expectet? Fallitur. Matt. 6. *Amen dico vobis; quia receperunt mercedem suam.*

Ergo eas conde. II Matth. 13. *Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro; quam qui inuenit homo; abscondit.* Thesaurus is bonorum est operum.

Ne in flore pereant. 1. Amygdali citius florentes frigore vruntur, nec fructum efferunt: at, quæ serius gemmascunt, brumæ non sunt obnoxiæ. Sic ostentatores recte factorum suorum præcipites, *in fine benedictione carebunt.* 2. Apud Ezech. *c.* 1. animalia duabus volabant; velabant corpus aliis duabus. Sic opera cœlestia hic si texeris ala timoris & humilitatis; protegeris.

Aut auferantur. 3. Vt longum iter habituri crumenam cum auro abdunt: at proferunt alteram cum nummis in hospitiis; periculi causa: Ita cor conde, secretasque virtutes: at os, ad necessaria promenda in mundi hospitio, aperi; sed parce. Ecce Christum: Mundauit leprosum: cauet, ne cui dicat: quo vanæ gloriæ fugiendæ exemplum relinquat.

PARS II.

Lepram inficere.

Arcendi improbi. ECce leprosus veniens: nempe exul vrbibus, in agro venit ad descendentem è monte. O si spiritales leprosi hodie simili lege exularent separati!

Nam vicina nimis pecoris contagio serpit.

1. *Fœtent.* 1. Isa. 5. *Facta sunt morticina eorum, quasi stercus in medio platearum.* Peccatores sunt morticina putida, ac fœtida.

2. Plagam. accersunt. 2. Et hi sæpe in pœnam aliorum peccantium à Deo tolerantur. Leuit. 16. *Si non volueritis recipere disciplinam; sed ambulaueritis ex aduerso mihi: ego contra vos incedam; & mittam pestilentias peccantium in medio vestri.*

3 Improbos pariunt. 3. *Num.* 35. Duobus Tribubus cis Iordanem confidentibus ita Moyses: *Nonne ita egerunt patres vestri, quando misi eos ad explorandam terram, &c. Vos surrexistis pro eis, incrementa & alumni hominum peccatorum; vt augeretis furorem Domini contra Israel. Vos causa eritis necis omnium.* Separandi ergo leprosi ab integris.

Peccatum facit cæcos. II. Vere peccatum est lepra. 1. Adhebetat intellectum. Nam Sap. 2. *Excæcauit illos malitia eorum.* Vt Naas rex Ammonitarum, 2. *Reg.* 11. Galaaditis, prius obsessis, petentibus pacem, hanc dat; sic tamen, vt dexteros oculos erueret eis; ne vtiles in arma rebellarent: Ita peccatum in primis Fidei oculum tenebrat; sæpeque eruit. *Cui*

ruit. *Cui resistite fortes in fide.* 2. Pet. 5. *Sumentes scutum fidei.* Eph. 6.

Surdos. 2. Peccato surdescit anima; vt monitorem non ferat, impatiens verbi Dei. Sicut 3. *Reg.* 2. cum infantes Moloch immolarentur, Sacrificuli tympanis obstrepebant, ne eiulatus miserationem parentibus moueret: Ita peccata aures obtundunt.

Enerues. 3. Manus lepra eneruat bonorum operum. Prou. 6. *Abscondit piger manus sub ascella; & laborat si ad os eas conuerterit.*

Hypocritas. III. *Leu.* 13. Leprosos lex iussit vestem ad latera dissutam gerere, capiteque nudo clamare obuiis: *Declinate leprosum.* Qui secus: puniebantur. At hodie notorij peccatores se cultu vultuque optimorum similes gerunt; & fallunt hypocritæ. 1. Vt angeli lucis. 2. Vt Pharisæi, *sepulchra dealbata.* 3. Vt Iudæi captum Iesum adorant genu flexo; sed deludunt: Ita isti conspuunt, colaphisant.

Ore improbos. Leprosi os obtegere iubebantur. 1. An non *sepulchrum patens est guttur* improborum? Psal. 5. Blasphemant, mentiuntur, inficiunt. &c. 2. Vt dæmones expulsos Christus *non sinebat loqui*, etiam præconia sua; Marc. 1. Sic vtinam Psal. 30. *Muta fiant labia dolosa*, Quia Eccl. 15. *Non est speciosa laus in ore peccatoris.* 3. Iusta igitur increpatio Ps. 49. *Quare tu enarras iustitias meas; & assumis testamentum meum per os tuum?*

Excõmunicatos. IV. Leuit. 13. *Omni tempore, quo leprosus est & immundus; solus habitabit extra castra* Ecclesiæ; id est, contumax in malo, velut excommunicatus esto. Sin' nocet. En: 1. Ozias Rex in fronte percussus à Deo lepra, 2. *Par.* 16. templo quidem eiectus est: at non vrbe: Hinc per annos 52. non erat reperire ropheram: vt notant *Orig. Hier. Chrys.* Ecce pœnam. 2. An non Acham, *Ios.* 7. ob furtum è spoliis Iericho, causa fuit; vt ad vrbem Hai populus fugatus cæderetur? 3. Achabi Regis peccato non pluit triennio. 3. *Reg.* 17. Pœna omnium erat culpa vnius. 4. Ob blasphemiam Sennacherib, Angelus vna nocte occidit 185000. Assyriorum. 4. *Reg.* 10 5. Ob Dauidis peccatum, 70000. virorum cæsa. 3. *Reg.* 24 Ecce quantum vnus malus noceat multis bonis. Liquet ergo lepram inficere.

Noxios cõmunitati.

PARS III.

Breuitatem orationis proficere.

Orationis 1. fides.

I. *Domine, si vis, potes me mundare.* q. d. Credo te Ezechiæ annos XV. adiecisse vitæ, 4. *Reg.* 20. Elisæo dedisse, 4. *Reg.* 4. vt suscitaret Sunamitidis filium: Naamanumque, 4. *Reg.* 5. per Iordanem à lepra mundaret: *Si vis, potes & me mundare.* Sic Amb. Hier. Chrys. Prolixius idem orat Mardochæus, Esth. 3. *Domine mi rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita; & non est, qui tuæ possit resistere voluntati: Si decreueris saluare nos; continuo liberabimur. Subest enim tibi, cum volueris, posse.*

2. Modestiæ *Nota* leprosi modestiam. 1. Hinc lepram: inde Dei potentiam proponit. 2. Quamuis aueat sanari; non tamen ait: *Sana me*, Agè disce: Oratio modesta, quã efficax est? 1. Sic illa Ioannis, 11. *Ecce, quem amas, infirmatur.* 2. Senacharib obsessor Ierosolymæ, 2. *Para.* 12. 4. *Regum* 19. blasphemam dedit epistolam, qua lecta Ezechias, ita: *Aperi Domine oculos tuos, & vide, & audi omnia verba Sennacharib; qui misit, vt exprobraret nobis Deum viuentem.*

3. Breuitas II. Disce breuiter Deo aperire necessitates. 1. Persequente patrem Absalone, Dauid hoc tantum orabat: 2. Reg. 15. *Faciat Deus, quod bonum est coram se.* 2. Heli auditis è Samuele futuris sibi malis ait 1. Regum 3. *Dominus est, quod bonum est in oculis suis faciat.* 3. Idem docemur Matth. 6. *Fiat voluntas tua sicut, &c.* 4. Vt opti-

me soluit, qui auro : sic qui precatione breui. Hæc; vt aurum pondere, non mole; præstat.

Profani Laconismi. 5. Agesilaus rex Laconum subduxit se orationi ampullatoris dicens: *Ne sutor bonus, qui maiorem pede calceum fecerit.*

2. Lysandri, Laconum Ducis, post deuictos Athenienses, epistola erat: *Captæ sunt Athenæ.* Cui ciues rescripserunt. *Sat est; capi.* 3. Idem Philippo Macedonum, multa scisciranti, sic rescribũt. *Ad id, quod scripsisti; Non.* Scribenti eidem, Hostili, an amico modo veniret ad eos? Rescribunt: *Neutro.* Ista *Alexand. ab Alexand. lib. 2. cap.* 18.

Si sermo breuis ad hominem sit efficax: magis ad Dei omniscientiam oratio breuis Matth. 6. *Orantes nolite multum loqui, sicut Ethnici. Putant enim, quod in multiloquio suo exaudiantur.* Ergo non tam multa, quam multum ora.

PARS IV.

Situm, perfectionemque orantis euincere.

Orandi situs. 1. PLenus *lepra*, Luc. 5. *genuflexo*, Matth. 1. *& procidens in faciem*, Luc. 5. *adorauit eum*, Matth. 8. En modum orandi.

1. Sic Eph. 3. *Flecto genua mea ad patrem Domini nostri Iesu Christi.* 2. Sic Iesus in horto agonizans. 3. Cæsarius Arel. hom. 24. *Prostratus in terram orat medicus, & non inclinatur ægrotus?* 4. Gratum irato Deo. Parcit namque prostratis & Leo: sic Deus Iacob. quarto. *Superbis resistit, humilibus dat gratiam.*

Deus vult, & factum est. *Si vis.* Regum in terra nullus, quæ vult, potest. 1. Iob. 23. *Ipse solus est: & nemo auertere põt cogitationes eius: & Anima eius, quodcunque voluit, hoc fecit.* Nam Sapient. 12. *Subest tibi, cum volueris, posse.*

2. Rex Israel misso ad se Naamano ab Benedab Rege Syriæ, vt eum à lepra sanaret, ait 4. Reg. 5. *Nunquid Deus ego sum?* 3. Sisannes Rex Persarum, mirantibus, cur tam potens non impleret, quæ statuerat & volebat? respondit: *Ego sum Dominus verborum tantum, & non rerũ.* 4. Esto,

Quis nescit longas Regibus esse manus?

Non illi tamen sunt omnipotentes; vt Deus, 5. Prisci, ait *Vibrian. l.* 35. Deum pingebant. 1. bicipitem: quod omnia sciret. 2. Truncum pedibus: quod immutabilis: Malach. 3. *Ego Deus, & non mutor.* 3. Mancum manus, quod sola voluntate faciat omnia.

Oratio per. *II. Potes me mundare.* Oratio omnibus partibus absoluta. 1. Fide. Iacob. 1. *Postulet fidẽ. in fide, nil hæsitans.* Sic Dauid Psalm. 20. *Si exurgat aduersum me prælium, in hoc sperabo.*

2. Humilitate Eccles. 35. *Oratio humiliantis se penetrat cælos.* Sic Dauid Psalm. 50. *Non est sanitas in carne mea*: Quare *Miserere mei Deus.* Non orat; vt prius in statu gratiæ, Psalm. 131. *Memento Domine Dauid.* Iam enim sui se pudet, ac pœnitet, dicens; *Secundum magnam misericordiam tuam*; Quia magnum illius peccatum erat. Magnos magna decent dari. Alexander inopi dans magnam vim auri, ait *Do, quod dignum est me dare: non quod mereris.* teste Seneca l. de benef. Sic Deus quasi leproso. Non mereris, attamen *Volo; mundare.* Quid Dei voluntate beneuola maius?

3. Prudentia. Ideo leprosus præuenit potentiam voluntatis mentione, vt effectum causa. Multa Deus potest, quæ non vult: ideo voluntatem prius exorat, potentia vltro sequetur. Chrysost. Op. imperfect. homil. 21. *Non de voluntate Christi ad omnia bona parata dubitat, sed de iudicio voluntatis, Christus enim, cum sit bonus, nociua non vult præstare, etiam si rogetur.* Quo perfectior leprosi est oratio.

PARS

PARS V.

Iesum cito sanare.

Iesus prodigus est sanguinis.

I. VOlo mundare. 1. Quid ais; quid agis; Iesu? De sanguine tuo agitur. Nam sanguis in emundatione lepræ fundendus est. Leuit. 14. *In purificatione eius sumet duos passeres, lignumque cedrinum, & vermiculum, & hyssopum.* Tu is vermiculus in Cruce notaris: Nec metuis? *Volo*, ais, Eia, *Aspergas & me Domine hyssopo.* Psal. 50. *& mundabor.*

Et honoris.

2. Quid, quod ipse leprosus fias oportet prius, quam leprosos mundes? Nam Isai. 53. *Et vidimus eum quasi leprosum.* Quamdiu in sinu Patris latebas, vt *Exod.* 25. dextera Moysis; mundus eras. At productus in mundum, immundus haberis.

Amore iuuandi nos.

II. Atque tu Cherub es, cum expansis alis desiderij tui ad nos aduolans iuuandos, *Exod.* 25. *Volo*, ait. 1. Quia Diuinitatem tuam vis innotescere per istud: *Volo.* Ipse tibi satis es: *Si vis, potes. Sic Tert. lib. 4. contra Marc. &c.* 2. Imo & Humanitatem simul vis esse indubitatam. Ambros. libr. 3. in Luc. *Volo dicit propter Photinum: Imperat, propter Arium: Tangit propter Manichæum.* Hic enim verum corpus eius negabat, ille, Deum Patri æqualem.

Cito iuuat.

3. *Volo.* Vere *bis das, qui cito das.* Ludouicus XI. Rex Gallorum petenti Magistratum in pago, negat. Petitorem actis gratijs abeuntem reuocans quærit, Intellextin'? Cur fic aufugis? Et is, Quia præcise negas. Et alia me domi vocant, quorum interest. Quid tempus ludam, cum opera damnum geminans? Rex miratus, Cur ergo gratias egisti? Is, quia me nil distulisti. Habebis, ait rex, quod postulas: quo bis mihi gratias agas. Ratus & in officij rebus perinde fore expeditum.

4. Expeditis in orando, est Iesus expeditus in dando. Verè de eo, quod *Ouidius in Trist.* de Augusto Cæsare, canas,

Tardus es ad pœnas, Princeps, ad præmia velox.

Causa tactus.

III. *Extendens Iesus manum*, non obstante, quod lex talem ob contactum iudicaret immundum. Sed tactui causa subest. Prima, *Cyrilli.* Vt ostendat carni suæ, ob Vnionem hypostaticam, inesse, vim sanandi. 2. *Ambros. libr. 5. in Luc.* Vt probet Humanitatis suæ veritatem.

3. *Chrysostom. homil. 26. in Matth.* Amb. Euth. Vt ostendat se à lege immunem, & superiorem omni lege: nec posse polluí. 4. *D. Thom. ex Chrys.* Vt doceat, à se tangente sanatum esse.

Causa silentii.

IV. *Vide, nemini dixeris.* E contra, adiuto Dæmoniaco. *Luc.* 8. ait: *Narra, quanta tibi fecerit Deus.* Cur istud? 1. *Hilarius* ait: *Vt salus hac nõ offerretur: sed quæreretur.* Id est: ne reliqui infirmi festinarent ad Dominum, miraculi fama excitati magis, quam interno fidei instinctu. Sic & Ambros. 2. At *Hieron.* ait: Quod verbis nil opus, vbi res ipsa loquebatur. 3. *Chrysostom. Beda &c.* Humilitati id dictum dant. 4. Aut, ne fama de mundato prius ad Sacerdotes veniret; quam ipse se ostenderet. Quicquid id est: Deus ad sanandum nos cituseſt, & certus.

PARS VI.

Sacerdotes par est honorari.

Causa ostensionis iussæ.

I. OStẽde te sacerdoti. Cur? 1. *Tertul. Chrys.* Vt declaret se legis obseruantem. 2. *Theophyl.* Ne, si non se ostendisset, vrbe prohiberetur. 3. *Hier.* Docens suam humilitatem. 4. *Beda:* Vt essent inexcusabiles, si nollent credere illi, cuius miracula approbassent. Ideo subditur: *In testimonium illis.* 5. Docet: quis honor Sacerdotio debeatur etiam in V. lege.

Sacerdotes sunt honorandi.

Quanto maior in noua? 1. Cum, vt ait *Chrys.* lepram animarum Sacerdotes sanent:

...ndi ob ...statem ...lcii.

sanent : non lepram corporum discernant 2. Cum sint iudices animarũ. Matt. 16. *Quodcunq; solueris super terram, erit solutum & in cælis.* 3. Cum suos ipsi habeant lictores. Vnde Apostolus aliquot *tradidit Satanæ.* 1. *Tim.* 1. 4. Cum regale Sacerdotium sic exaggeret idem : 1. *Cor.* 4. *Sic nos existimet homo, sicut ministros Christi.* Et 2. *Cor.* 5. *Pro Christo legatione fungimur.* 5. Adeo, vt nec ab Sacerdotum iudicio porro appellare fas sit: Vt Dæmones quoque sub se habeãt ijdem. 1. Cor. 6. *Nescitis, quoniam Angelos iudicabimus?* id est cacodæmones. 6. Illata sacerdotibus iniuria censetur pro blasphemia. 1. Cor. 4. *Blasphemamur, & obsecramus.* Causa. Quia Deum ij repræsentant. Vnde Leui. 10. *Qui vos spernit, me spernit.*

Eorum vitia tegẽda.

II. Quare vitia Sacerdotum tegenda; non propalanda sunt. 1. Vnde Seruator incredulitatem Apostolorum taxaturus, *Matt.* 8. iussit nauim abduci in altum à plebe. 2. Constantinus Imperator oblatos libellos contra sacerdotes non inspexit; sed exussit; dicens : *Videns Sacerdotem peccantem purpura hac tegerem, ne cuiquam innotesceret.*

Quin & honor est iis prætendendus.

Quare Eccl. 7. *In tota anima time Dominum, & Sacerdotes illius sanctifica. In omni virtute dilige eum, qui te fecit, & Ministros eius non derelinquas. Honora Deum ex tota anima tua; & honorifica Sacerdotes.*

2. Idem allegorice Psalm. 71. *Erit firmamentum in terra in summis montium : superextolletur super Libanum fructus eius.* Montes sunt Sacerdotes : fructus est sacrificium Eucharistiæ. Ob hanc vnus Christianus Sacerdos dignior est omnibus Sacerdotibus, & Patriarchis Veteris Legis ; imo Angelis. Quin etiam Regibus Eccles. 4. *Sacerdoti humilia animam tuam ; & Principi caput tuum.*

Honori par eorum vita esto.

III. At dignitati eorum par sit vitæ honestas. 1. Id prisci hoc hieroglyphico notarunt. Senem pingebant, cuius in dextera sol ; in sinistra horologium esset. 2. Hinc Pythagoræum : *Aduersus solemne loquitur.* 3. Ideo Matt. 5. *Vos estis lux mundi.* 4. Reges Persarum ad bellum ituri vltro inclusam imaginem solis præferebant ostentui cunctis. Talis Sacerdos esto. 5. Esto horologium, ait *Cælius Rhod. l.* 5. *c.* 2. ad quod vrbs tota se dirigit : sic vita Sacerdotis, sit norma plebis : & honori Ecclesiæ, Deo gloriæ.

PARS VII.

Ingratitudo odibilis Deo est.

Ingrati Deo exosi.

1. *Offer munus*: duos passeres: gratitudinis causa. Ingratitudo enim Deo ingratissima est. 1. Ergo Psalm. 102. *Benedic anima mea Domino, & noli obliuisci omnes retributiones eius, qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis ; qui sanat omnes infirmitates tuas.* Namque Deus auersatur auersantes eum ingratos. Liquet ex figura.

2. Lex erat, Ezech. 26. *Qui ingreditur* templum *per viam portæ meridianæ: egredietur per viam portæ Aquilonis.* Ne scilicet Propitiatorio tergum obuerteret. Significat odium ingratitudinis in orante, qui beneficium à Deo accepisset, vel sperasset.

At grati grati.

3. Quare esto vt Columba quæ ad singula ore legens grana in cœlum suspicit: quasi grata Deo, Hinc Cant. 1. & 9. *Oculi tui sicut columbarum.*

Ingrati vita indigni.

II. Ad Ps. 9. *Conuertentur in infernum omnes, qui obliuiscuntur Deum* ingrati, hac cœli aura indigni. 1. Nam *Ingratitudo*, ait S. Bernard. *est quasi ventus exsiccans, & ardens fontem pietatis, rorem misericordiæ, fluenta gratiæ.* 2. Seneca notat, nullam pœnam legibus humanis statutam esse ingratitudini. Tam ingens vitium est ; vt soli Deo vindicandum relinquatur. 3. Diogenes sciscitanti : *Quid citissime senesceret*, ait, *Beneficium.*

neficium. Hoc pulueri ; iniuria marmori inscribitur. *Aelian.* ait *l.* 4.

Tangant ergo nos Dei beneficia, mortuosque suscitent. 1. Sicut 4. *Reg.* 15. ad tactum ossium Elisæi cadauer reuixit. 2. Sicut carbones extincti ad prunas accenduntur. *Perora,* facta repetitione affectus plena istius, quem concione tota præcipue spectasti.

DOMINICA IV. POST EPIPHAN.

Ascendens Iesus in nauiculam. Matth. 8.

IOnas 1. Iussa Dei fugiens per altum, orta tempestate cunctis complorantibus, solus dormit. Excitatus, se & ortæ causam esse ; & sedandæ fore ait, si in mare præcipitetur. Fit. Mare pacatur. Sic Iesus dormit. Excitatur : *Domine salua nos, perimus.* Olim præcipitandus, iussu nunc solo mare sedat.

De quo nos

I. *Quod Dei omnipotentia in mari se declarare soleat.*
II. *Quod mare sit mundus.*
III. *Ecclesia nauis.*
IV. *Quod in aduersis nos præeat Christus ; exemplum discipulorum inuitet.*
V. *Motus magnus cur factus.*
VI. *De iactatione Apostolorum.*
VII. *De dormitione Christi.*

PARS I.

Omnipotentia Dei se in mari declarare sueuit.

1 *In terra & mari se Deus ostendit præcipue.*

I. ETsi orbis totus ; terra tamen & mare potissimum sunt velut theatrum mirabilium operum Dei. 1. Quia, In hisce : non in igne, vel aere, viuit homo : cuius causa omnia sunt creata : Vt Psal. 55. *In Me sunt, Deus, vota tua.* 2. Quia præcones miraculorum Dei, quæ terra mariq; edidit, maxime extollunt. Vt Ps. 105. *Magnalia in Aegypto, terribilia in mari rubro.* 3. Sic Iob. 9. *Qui commouet terram de loco suo ; & columnæ eius concutiuntur. &c. Qui graditur super fluctus maris :* Id est, vt *S. Gregor.* exponit : *Super mundi afflictiones.* 4. *Qui facit Arcturum, & Oriona :* Id est : Ecclesiam 7. stellis donorum S. spiritus illustrem ; Sicut 7. candelabris : *Apocal.* 1. Arcturus vt semper voluitur, mariq; mergitur, & emergit : sic Ecclesia affligitur : at nunquam submergitur. *Ecclesia bono.*

II. Mirabilis Deus in mari, si vsquam : 1. Ideo *Gen.* 1. Diuinitatis indicium dat Moyses hoc : Spiritum Domini super aquas ferri. Ps. 76. *In mari viæ tuæ, & semitæ tuæ in aquis multis.* 2. *In mari vel maxime.*

3. Hieroglyphicum rei impossibilis erant prisci pedes picti super mare : At Deo idem est omnipotentiæ signum.

1. Vt, *Apocal.* 10. Angeli pes super mare, alter in terra, signat, Dominum esse terræ, & maris : Vel Iudæorum, ac Gentilium. 2. Et sicut Iacob dexteram iuniori, *Gen.* 49. sinistram seniori filiorum Ioseph, benedicens imposuit : ita Deus dextero pede mare gentium, sinistro terram Iudæorum presserit : ad horum reprobationem ; electionem istarum. 3. Vnde Psalm. 106. *Posuit flumina in desertum ; & exitus aquarum in sitim : terram fructiferam in salsuginem à malitia habitantium in ea.* Id Augustin. de reprobis Iudæis intelligit ibid. in Comment. *Mysterium de reprobatione Iudæorum, & vocatione gentium per Iesum facta.*

1. Istud Abacuc. 3. *Viam fecisti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum.* S. Hieron. de gentibus exponit. Nam præconibus fecit viam per gentes euangelizandi. 2. Hinc *Apocal.* 19. Verbum Dei equo candido inuectum scribitur. 3. S. Gregor. lib. 34. moral. cap. 48. *Aperuisti iter prædicatoribus tuis inter doctrinas huius sæculi, sordida & terrena sapientes.* Ita in mari Deus. *Per quæ Apostolos & Prædicatores.*

III. Verum & in ventis mirus. 1. Ec-

Item se Deus probat.

clesi. 43. *In sermone eius siluit ventus: & cogitatione placauit abyssum.* 2. Ita hodie Iudæa vidit; & quęsiuit. *Quis est hic, quia mare, & vẽti obediunt ei?* 3. Origenes respõdet: *Cum multa magna & mirabilia fecisset in terra, transit ad mare: quatenus terræ mariq; Dominum se esse omnibus ostenderet.* Rem dixit Origenes.

PARS II.

Mare est mundus.

DIuinæ prouidentiæ symbolum fuit priscis picta nauis, cuius clauũ regeret, & remos impelleret Deus. Idem in mundo hoc vnus est omnia Deus.

Mũdus est.
1. *Varius.*
2. *Vndosus.*

At mundus mare est. 1. Quia varius, tristib. alternat prospera: & risum miscet lachrymis. 2. Momento ad honores surgitur in mundo; & exciditur. Psalm. 36. *Vidi impium superexaltatum, & eleuatum, sicut Cedros Libani: Transiui; & ecce, non erat.* 3. Cadauerum impatiens est: sic mundus non fert mortuos mundo, & sibi ipsis. Sap. 2. *Grauis est nobis ad videndum, &c.* Nam *quæ conuentio lucis ad tenebras?* 2. *Cor.* 6.

3. *Mortuorum osor.*

4. *Minorũ oppressor.*

4. Minores à maioribus piscibus deuorantur in mari: in mundo inferiores à potentibus. 1. Cor. 11. *Sustinentes, si quis vos in seruitutem redigit; si quis deuorat.* 5. In fundo maris nil nisi arena Ierem. 5. *Qui posui arenam terminum mari.* In mundo nil nisi puluis, & vanitas, arenâ sterilior. Roman. 6. *Quem fructum habuistis in illis, in quibus nunc erubescitis?* 6. Pericula in mari? In mundo plura: & animarum maiora, quã corporum in mari. Sanctus Augustinus *Amas sæculum? Absorbebit te. Amatores suos vocare nouit; non portare.* 7. Monstra parit mare? & mundus: Vt bilingues, bicipites, bicordes. Prouerb. 8. *Os bilingue detestatur Deus.*

5. *Sterilis.*

6. *Periculosus.*

7. *Mõstruosus.*

8. Mare est inhabitabile: Et mundus. Hebr. 13. *Non habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus.* 9. Mare amarum est; neque tamen pisces eius salsugi-nem sentiunt: Sic in mundo. Iob. 30. *Esse sub sentibus, delicias reputant.* 10. Mare insatiabile est, pluraque hauriret flumina: Et mundus vsque sitit honores suos, voluptates: nouaq; excogitat. & in omnibus verum est hoc: *Motus magnus factus est in mari*, in mundo.

8. *Hospes militans.*

9. *Amarus.*

10. *Insatiatus.*

PARS III.

Ecclesia est nauis.

Ecclesiæ Indiscissa est.

I. NAuis agitata est, secundum omnes, Ecclesia; Extra quam, vt Arcam Noe, nulla salus. 1. Nullas ea rimas patitur; vt mergi queat: id est, errores, vt errare possit. Cant. 6. *Vnica est colũba mea; vna Perfecta mea.* 2. Scindi, Ecclesiæ est, perdi. Sicut Antiochus rex cum obsesso à se pyrata famoso sic transegit, vt eum cum dimidia classis parte saluum dimitteret. Pyrata se dedit. Rex naues singulas secat medias; iubet, vtram vellet partem, eligat. Sic fregit potentiam pyratæ. Idem Ecclesiæ eueniret, si diuisa scinderetur.

Seruatur diuinitus.

II *Prou.* 30. Quod Salomon non intelligebat, erat *Via nauis in medio mari.* Et quis intelligit, quomodo Ecclesia tot inter fluctus iam diu nondum perierit? qua via se seruet? Stat autem, & æternat infracta. Cur? ob assistentiam S. Spiritus: & promissum Christi. 1. Matth. 16. *Portæ inferi non prævalebunt aduersus eam.*

2. Quia 1. Tim. 3. *Est firmamentum & columna veritatis.* 3. Quare Ierem. 1. *Ne timeas. Ecce dedi te in ciuitatem munitam, & in columnam ferream.* Deinde Ecclesia perennat inter procellas persecutionũ. Hætrinæ sunt: 1. Ab tyrannis, Imperatoribus ethnicis. 2. Ab hæreticis. 2. *Petr.* 2. *Et in vobis erunt magistri mendaces.* 3. Ab peruersis Christianis. Quarta omnium sæuissima erit: Antichristi.

Periclitatur.

III. Inter has Ecclesia est arca Noe, conti-

tur humanitus. continens munda, & immunda animalia, & superat vsq;. 1. *Gen.* 25. Etsi in vtero Rebeccæ fœtus rebelles colliderentur: ipsa tamen non abhorruit: Ita.

2. Esto: sint bella in Ecclesia: ipsa tamen est pacifica. Sint peccatores: ipsa tamen *tota pulchra est amica Dei.* 3. *Apoc.* 12. Mulierem parturientem bestia deuorare conata est: at ista mansit illęsa. Ita demum triumphum Ecclesia auferet inuicta, & integra. 1. Vt inter flammas rubus ardens, at incombustus. *Exod.* 3. 2. Vt sub onere pressa palma, *Cant.* 7. sed opprimi nescia. 3. Est & nauis nata nare, ac maris Domina ire super vndas. Talis Ecclesia superfertur scopulis tyrannorum; monstris hæreticorum; decumanis vndis male Christianorum.

PARS IV.

In aduersis nos præit Christus; exemplum discipulorum inuitat.

Dux Iesus in asperis. I. A*Scendente Iesu in nau.* Ipse primus in periculis maris: in pœnis terræ primus sua constantia amaritudines perfringit, iterque planat. sequatur, cui libet. 1. *Iud* 9. Abimelech pinum dissecans, ramosq; inter milites distribuens, ait: *Quod me videtis facere, cito facite*: hodie nos ab hoste vindicabimus.

2. Sic Luc. 9. *Qui vult venire post me; abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Arripe ramum. Est vitæ.

3. Moyses cum virga in manu præit in mare populum, & ait Exod. 14. *Nolite timere.* &c. Ita Christus præit in mare tribulationum. 4. Qui mare sunt nauigaturi; nauim, seq; ab necessariis instruunt: inprimis nauarcho bono. Sic prouidendũ inprimis, nauclerum Christum habeamus. Hunc conciliato tibi: cæterum, insulta fortunæ, ac tristia ride. Licebit secure per eum, qui te ducit, Iesum.

Exẽplorũ II. *Et discipuli secuti sunt eum.* Nil efficacius roborat inter aduersa, quam exempla Sanctorum. 1. Hinc Iudas ad Israel. 1. Mach. 4. *Mementote, quomodo salui facti sunt patres nostri; cum persequeretur eos Pharao in mari rubro.* 2. Et Iosu. cap. 4. transito Iordane iussit XII. grandia saxa fundo educi, ac in litore poni: signum posteris, & exemplum spei in Deum. Apostoli XII. inhærentes Christo nos plus ad exemplum valebunt nobis? *vis magna.*

At, quid est, quod *turba plurima* Dominum sequitur in terra prosperitatis: per mare autem aduersitatum pauci tantum *discipuli secuti sunt?* 1. *Act.* 26. Perorans vinctus Paulus coram Agrippa Rege, ait: *Opto omnes fieri tales, qualis & ego sum; exceptis vinculis his* q. d. Velim omnes me imitari, & sequi Christũ: sed vincula & passiones non sunt omnium. 2. Omnibus paradisi gaudia parata sunt: Crux tamen est discipulorum. Qui cum ipsi hic trepident; quid facient tenelli mundani? *At tamen tristia paucis grata.*

III. Terra sequuntur, non mari; qui amore sui adhuc tenentur plus iusto. *Amant Deũ multi ob beneficia.*

1. Sic Isaac, quamuis Sanctus, ad Esau tamen plus afficiebatur, quam ad Iacob: quod de illius venationibus subinde vesceretur. Vnde non tam Esau, quam seipsum diligebat. Ita Deum quidam diligunt ob beneficia; mundique ferinam carnem, qua pascuntur oppipare. 2. Sic Psalm. 118. *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas, propter retributionem:* temporalem? an æternam? an vtramq;? 2. Iacob quoque Gen. 28. *Si fuerit Dominus mecum, & custodierit me in via, per quam ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum, reuersusque fuero prospere in domum patris mei; erit mihi Dominus in Deum.* 4. Ita nullus gratis pati amat: amore sui, Prou 22. *Dicit piger: leo est foris.* Pigro ieiunium est leo &c. En & temporalia appetere iustum est: at iis seruire, impium.

Quæ imperfectio est.

IV. Hæc cum Deo amicitia temporalium respectu, valde imperfecta est. 1. Eccl. 6. *Est amicus secundum tempus; non permanebit in tempore tribulationis.* At; *Omni tempore diligit, qui amicus est: & frater in angustiis comprobatur:* Vt per mare secuti Dominum discipuli. *Vos estis, qui permansistis mecum in tribulatione.* 2. Hebræi priùs trepiduli, vt videbant Ægyptios submersos; se vero spolijs dites; tum vero lætum canebãt, Exod. 15. *Cantemus Domino: glorioſe enim magnificatus est.* Breui post, aliqua laborantes penuria, murmurant, Exod. 16. *Vtinam mortui essemus per manum Domini in terra Aegypti; quando sedebamus super ollas carnium.* Varium cor hominis!

Quidam à se Deum abesse vellent.

3. Genezareni, audito quod Dominus eiectos Dæmones in porcos immisisset, & hos in mare: rogant, finibus excedat *Matth. 5.* Ita quidam malũt à se abire Dominum; quam spiritui subiectum corpus suum priuari voluptatulis suillis.

Suspicio Sathanæ de Iob.

4. Diabolus credebat Iob seruire Deo, ob temporalia; Vt ipsum eo etiam nomine apud Deum traduceret. Iob. 1. *Nunquid frustra timet Deum? Nonne tu vallasti domũ eius, vniuersamque substantiam per circuitum: operibus manuum eius benedixisti, & possessio eius creuit in terra. Sed extende paululum manum tuam, & tange cuncta quæ possidet; nisi in faciem benedixerit tibi.* Recte *mentita est iniquitas sibi.* Nam perstitit in fide Iob & dixit: *Dominus dedit; Dominus abstulit: sit Nomen Domini benedictum.*

PARS V.

Motus magnus cur factus.

Motus is fuit supernaturalis.

I. *Ecce motus magnus factus est.* Supernaturalis fuisse videtur; Luca *c. 8.* innuente: *Et descẽdit procella venti in stagnum:* Cum tamen procellæ à ventis, sub aqua clausis, creri soleant. Vt in Psalm. 134. *Educens nubes ab extremo terræ, qui producit ventos de thesauris suis, è mari.*

Et hi Ipsi parent, 1. Psal. 148. *Spiritus procellarum, qui faciunt verbum eius.* Et fecerũt. 2. *Exod.* 14. Siccantes mare, & vt murum hinc, & hinc sustinentes.

3. *Exod.* 10. Auehentes ex Aegypto cyniphes & locustas: Afferentes in castra coturnices.

Motus cau. sæ.

Magnus. 1. Quia timentes; excitare Dominum coacti sunt. 2. Sedatio tanto admirabilior accidit: ait *Origen.* 3. Vt hoc maius gaudium foret; quo maius periculum. Neque id tamen sine Numine: Quia creata nulla insurgunt in Creatorem; nisi homo solus.

1. Fit ob Dei præsen. tiam.

II. Semper insigne quid accidit; vbi Deus adest. 1. Ierosolymam init Dominus: Matt. 21. *Et commota est vniuersa ciuitas.* 1. Arca Domini, 1. *Reg.* 4. venit in castra Hebræorum: mox exultant omnes: vt etiam hostes obstupescerent. Ita. 3. Arca infertur in fanum Dagon: 1. *Reg.* 5. & hic corruit. Sic idola superbiæ, gulæ, &c. ruunt Deo animam subeunte.

Nostro bono.

Sicque alium in hominem mutamur. 1. Vt Saul. 1. *Reg.* 10 cum Spiritus Domini in eum descendisset, fit ex sæuo mitissimus. 2. Psalm. 113. *A facie Domini mota est terra, à facie Dei Iacob: qui conuertit petram in stagna aquarum, & rupem in fontes. Hæc est mutatio dexteræ Excelsi.* Psal. 76.

2. Fit ob Iudam vnum multis nocium.

III. Credit Amb. D. Thom. Beda, ob Iudam motum extitisse. Male domui; in qua impius. 1. Sic ob Ionæ inobediẽtiam, *Ion.* 1. periclitantur in naui omnes. 2. Ob Achan furtum, *Ios.* 7. Israel cæditur victus. 3. Ob Core, Dathan, & Abyron omnes eorum domestici absorbentur viui ab inferno. *Num.* 10. Vbi impietas; ibi tempestas.

Caue igitur familiæ. Sic Dauid Psal. 100. *Oculi mei ad fideles terræ; vt sedeant mecum. Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat. Nõ habitabit in medio domus meæ; qui facit superbiam. Qui loquitur iniqua; non direxit*

direxit in conſpectu oculorum meorum.

3. *Fit ob impiorum pacem.*

IV. An motus cauſa Chriſtus? Non is quidem; ſed init nauim; & mare turbatur, ante pacatum. Ita impiis, vt mari, eſt ficta pax, bellis deterior. 1. Luc. 11. *Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum; in pace ſunt omnia, quæ poſſidet.* Infelix pax impio! 2. Tunc dæmon, vt Holofernes, ait: Iudith. 11. *Ego nunquam nocui viro, qui voluit ſeruire Regi Nabuchodonoſor.*

Quæ bello dirior.

At ſub hoc riſu quantæ lachrymæ? Iſai. 38. *Ecce, in pace hac amaritudo mea amariſſima.*

Nimirum hanc pacem turbat Chriſtus. 1. Edixit Matt. 10. *Non veni pacem mittere; ſed gladium.* 2. Cum amor virtutum intus turbat vitia; tum vero ſurgunt bella intus, foriſque odia improborum.

3. S. Chryſoſtomus ait. *Fur non inſidiatur domui, fœno, ſcutiſque refertæ; ſed auro, opibuſque plenæ: Sic dæmon meritis, & virtutibus inſtructus attentat.*

4. S. Gregor. ait: *Dæmon eos tentare negligit; quos quieto iure ſe poſſidere ſentit.*

PARS VI.

De iactatione Apoſtolorum.

Mundus eſt periculoſus

I. PElago iactantur Apoſtoli. *Gloſſa. Nihil enim in mundo ſtabile.* Time igitur etiam præſente Chriſto. 1. Prouer. 8. *Beatus, qui ſemper eſt pauidus.* 2. S. Bern. *Nuſquã eſt ſecuritas; nec in paradiſo: multo minus in terra.* 3. Cœlo eiecti Angeli: cœtu Apoſtolorum Iudas. 4. Pacatum antea mare fuit: ineunt cum Chriſto Apoſtoli: iam turbat. Cur?

Iuſti mundo ſunt deſpecti, exoſi.

Secuti Dominum in Religionem, carpuntur à mundo, vt deſides. 1. Hinc de tali, vt de Chriſto, dicitur: Sap. 2. *Contrarius eſt operibus noſtris.* Nam paupertate diuitias, humilitate ſuperbiam. &c. mundi arguit Religioſus. 2. Vt Simia ſpeculum horret, & vbi poteſt frangit; ſuæ inibi viſæ fœditatis impatiens: 3 Vtque Camelus limpidam turbat bibiturus; ne gibbi deformitatem intueatur: ita mundus turbat orbis ſpecula, viros bonos. 4. Ioanne aulam Herodis ingreſſo, illa turbat in eum: donec occidiſſet. Nempe auſteritas aulicæ mollitiei contraria videbatur.

2. *Sunt peregrini.*

II. Ideo iuſtos oportet infeſtari: Cum mundus eos habeat peregrinorum inſtar. 1. Ioan. 15. *Si eſſetis de mundo; diligeret &c. vos mundus. Quia vero de mundo non eſtis, odit vos mundus.* 2. Captiuus quamdiu in carcere latet, omnes quieti ſunt: at ſi eruperit, omnes vnum inſectantur. Sic religioſum mundus. 3. Dauid, 1. *Reg.* 17. ante cæſum Goliath, & aliquanto poſt, omnibus charus fuit, & ambibatur, etiam à Rege: At vbi virtutes eius, & gratia innoteſcebat: iam inuidia, odia, perſecutiones ciebantur in vnum. Cauſa ſubeſt.

Suntque Dan des.

3. *Sunt pretioſi.*

Onuſtas pretioſis naues inuadunt pyratæ: dæmon, hanc Apoſtolorum vectricem: in qua *omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei erant* cum Chriſto. 2. Paulus vas gratiæ, cum etiam ad cœleſtia euectus fuiſſet, tum vero 2. Cor. 8. *Datus ei ſtimulus carnis, angelus Sathanæ, qui eum collaphizet. Propter quod ter Dominum rogauit, vt diſcederet à ſe* 3. Nec tutus vel Ipſe Seruator: vel in deſertum perſequitur eum tentator: Matth. 4. *Hæc omnia tibi dabo. &c.*

Sint ergo cauti.

Quare, ſeruus Dei es? *Cuſtodi animam tuam, quoniam ſanctus es.* Pſ. 85. Caſianus refert viſionem eremitæ: Hic in ſpecu orationi intentus vidit Luciferum cum turba dæmonum conſidere ad conferendum, quid quiſque mali patraſſet, Varij varia. Vnus fert palmam: qui xxv annis tentans religioſum, demum impulit ad nuptias. Iam ſibi quis fidat? Vel ipſi iactantur Apoſtoli: Nec tutus ab turbine IESVS: nec ab dæmone intentatus.

PARS VII.

De dormitione Christi.

Præsulum vigilantia est necessaria, & salutaris.

I. IPse vero dormiebat. Præsulum dormitãtia est sæpe turbationum causa.

1. Cant. 7. *Mane surgamus ad vineas: videamus si vinea nostra floruit.* 2. Vigilans super gregem suum nocte tribulationis, est vt luna, noctis præses: quæ licet planetarum sit minima; maiores tamen influxus habet in terrena, cõprimis in aquas, ob vicinitatem. Sic Præsul, vicinus suis residendo, rem rectius agit. (maxime vbi mobile vulgus est:) 3. *Act.* 5. Petro terram obambulante, vmbra eius mortuos suscitauit. Sic Pastor indoctus, at bonus: vel vmbrâ suâ salutaris est. 4. *S. Bern.* ait: si cui phiala pretioso Christi Iesu Sanguine plena daretur custodienda, quanta eam cura custodiret: At vel vna anima æquipollet huic Sanguini.

At Dei maxime.

Ergo vel *surgens prælatus imperet ventis & mari*: Vel imploret Iesum maris Dominum. Nam Psal. 88. *Tu dominaris potestati maris: motum fluctuum eius tu mitigas.*

1. Atque ita eueniet istud Psalm. 107. *In aquis multis ipsi viderunt opera Domini, & mirabilia eius in suo fundo.* Item Psal. 76. *Viderunt te aquæ Deus; & turbatæ sunt abyssi.*

Est omnino solius Dei pacare fluctus; aut ciere: Isa. 51. *Ego Dominus Deus tuus, qui conturbo mare.* Atque id inter mirabilia Dei Dauid refert. Psal. 64. *Qui conturbas profundum maris.*

Inobedientia hominũ

II. Cum autem maria obediant ei, & venti: heu! quod solus homo resistat. Ierem. 5. *Audi populestulte, qui non habes cor: qui habentes oculos, non videtis; aures, & non auditis. Me ergo non timebitis, & à facie mea non dolebitis? qui posui arenam terminum mari, præceptum sempiternum, quod non præteribit: & commouebuntur, & non poterunt: & intumescent fluctus eius, & non transibunt illud: populo autem huic factum est cor incredulum exasperans.* Id est: obedientia insensibilium tuam condemnat inobediẽtiam, tuosque impetus, quos sequeris.

Obedientia rerum caterarum.

III. *Imperauit ventis*: Non extendendo Virgam: vt Moyses *Exod.* 14. Non pallio aquas tangendo: vt Elias ad Iordanem. 4. *Reg.* 2. Sed, vt Creator imperat. 1. Præuidit hoc Sara, Tob. 3. *Post tempestatem tranquillum facis; & post fletum exultationem infundis.* 2. Psalm. 106. *Dixit: & stetit spiritus procellæ.* 3. Psalm. 48. *Nix, glacies spiritus procellarum; quæ faciunt verbum eius.* Et Psal. 118. *Omnia seruiunt tibi. Perora* cum recapitulatione epidictica & graui.

DOMINICA V. POST EPIPHAN.

Simile est regnum cælorum homini, qui seminauit bonum semen in agro suo. Matth. 13.

Simile in Dominica Sexagesimæ.

SPonsus, *Cantic.* 1. Sponsæ spondet: *Murænulas aureas faciemus tibi.* vel, vt LXX, *Similitudines auri.* Eædem notant parabolas, sine quibus non erat Christus mysteria sua prolocuturus. In quibus hodierna facile princeps est.

Occasione cuius nos

I. De patientia Dei, peccatores tolerantis.
II. Quis, qualisque seminator, & quod semen.
III. Quæ causæ Deo peccatores toleranti.
IV. Hæreticos esse eradicandos.
V. De Christianis saluti indormientibus.
VI. De vtriusque Magistratus dormitantia.
VII. Quis inimicus sator sit lolij.

PARS I.

De patientia Dei peccatores tolerantis.

Admiranda est.

I. MIrandum, impios tam patienter à Deo tolerari, ac si eorum nesciret scelera, Dauid abyssum iudiciorum Dei

Dei non capiens, fatetur angi se, ac pene indignari propterea. Vt prope dubitaret; pergeretne, qua cœperat; an pedē strueret. 1. Audi, Ps. 72. *Mei pene moti sunt pedes; pene effusi sunt gressus mei pacem peccatorum videns.* 2. Et Psal. 73. *Vsquequo peccatores Domine, vsquequo peccatores gloriabuntur: & loquentur iniquitatem? Loquentur omnes, qui operantur iniustitiam. Populum tuū Domine humiliauerunt, & hæreditatem tuam vexauerunt.* 3. Similiter Abac. 1. *Quare non respicis super iniqua agentes, & taces deuorante impio iustiorem se, & facis homines quasi pisces maris: quasi reptile, non habens principem?*

Et pene scopulosa.

At pœnitentia commoda.

II. Tanta Dei patientia nonnullis cogitationem mouit: Num Deus rerum nostrarum cura tangeretur? Contra quos sic 2. Pet. 3. *Non tardat Dominus promissionem suam sicut quidam existimant: sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti.* Idem mirabatur vetula Corinthi, viso Stratonico, citharœdo improbo. Quæ eum fixis intuita, roganti causam, ait: *Miror, si te mater nouem ferre menses potuit, cum ciuitas vno te vix die ferre queat.*

Osor improborum.

1. Timon, cognominatus μυσάνθρωπος, bipedum nequissimus, sciscitanti, *quid adeo homines odisset?* ait. *Improbos odi, quia improbi sunt. Probos, quia improbos non oderunt.* Non ita Deus. Sed ait, Ezech. 33. *Nolo mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur, & viuat.* 2. Solon percunctanti, *ecqui fieri posset, ne scelus in republ. admitteretur?* ait teste Stobæo: *Si tam indignarentur illi, quibus non est facta iniuria, quam quibus est facta.*

Modus cauendi scelera bona.

Non ita Deus. Nam etsi Psal. 5. *Odit omnes, qui operantur iniquitatem*: Attamen 1. *Ad pœnitentiam nos exspectat.* Rom. 2. 2. Idem docuit Iesus Petrum, offenso linteo, *Act.* 10. Animalium immūdorum pleno. 3. Ipseque Matth. 13. *Regnum cœlorum simile est sagenæ missæ in mare, ex omni genere piscium congreganti bonos ac malos.* 4. Quales, *Gen.* 25. eodem in vtero nutriebantur Iacob electus, & Esau reprobus. Qui, licet colliderentur; Rebecca tamen non abhorruit; sed patienter eos tulit in vtero, vsque ad tempus partus. Talis Ecclesia tolerat, quos emendare nequit, improbos: Talis & patientia Dei est, *præstabilis super malitia. Ioel.* 2. Talis paterfamilias in præsenti Euangelio.

At melior in Dei patientia.

PARS II.

Quis, qualisque seminator, & semen quod?

Seminator est Deus.

I. DEus est seminator inde à Creatione. 1. Nam cœlum, angelorum semine, hominum, conseuit terram. Hinc de Deo Ierem. 4 *Quasi Colonus futurus es in terra.* Et Ioan. 16. *Pater meus agricola est.* Et Zach. 11 *Homo agricola ego sum.*

2. Ipse prohibuit, Deut. 22. *Non arabis in boue simul & asino.* Quia hoc sibi reseruauit, (ob mysterium,) nascituro. Vti prædictum Abac. 3. *In medio duorum animalium cognosceris*; secundum LXX: scilicet, quod sis agricola natus. 3. Coloni est, senticosam humum cremare: Virgil. in Georg.

Sæpe etiam steriles incendere profuit agros.

Ideo Christus *venit ignem mittere*: Luc. 12. Et milit in Pentecoste ignem exterminatorem vitiorum orbis.

Semen Apostoli.

4. Dedit & semen Apostolos, vt *Hesychius in Comment. in Leuit.* & alij intelliguntistud: Isai. 1. *Nisi Dominus reliquisset nobis semen; quasi Sodoma fuissemus.* Et recte. Nam Isa. 61. *Omnes, qui viderint eos, cognoscent illos; quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus.*

Sunt itaque semen quicunque Christiani Gal. 3. *Si vos estis Iesu Christi; ergo semen Abrahæ estis, secundum promissionem hæredes.*

Et Christiani.

Vt autem boni sunt semen bonum: ita mali malum. Isa. 1. *Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis! De reliquerunt Dominum. &c.*

II. Bonus

Tolerat lolium.

II. Bonus hic Agricola; sed infelix, interuentu zizaniæ. Et in hac quoq; bonus: *Sinite*, ait, *vtraq;*. 1. S. Hieron. hic miratur bonitatem Dei, quod non euellat, non destruat. At ita sæpe bonum semen simul periret. Qui enim malus hodie; cras bonus erit. S. Hier. in Matth. *Datur locus pœnitentiæ: & monemur, ne cito amputemus fratrem. Quia fieri potest, qui hodie prauus, cras resipiscat.* 2. S. August. hom. 5. de pœn. *Si Zizaniis Dei patientia non subueniret: nec Matthæum de publicano Euangelistam; nec Paulum de persecutore Apostolum; nec Magdalenam de peccatrice pœnitentem Ecclesia posside-ret.* 3. *O misericordiã!* exclamat S. Chrys. *sex diebus mundũ, & omnia cõdidit: sex diebus cõsu-luit, nũ Iericho euerteret.* ô patiẽs vox *Sinite.*

1. Vt pareat segeti.

2. Vt pateat sua bonitas.

1. Rom. 9. *Sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam.* 2. 1. Tim. 1. *Fidelis sermo, & omni acceptione dignus: quod Christus Iesus venit in hunc mũdum peccatores saluos facere: quorum primus ego sum. Sed ideo misericordiam consecutus sum; vt in me primo ostenderet Christus Iesus omnem patientiam ad informationem eorum, qui crediturí sunt illi, in vitam æternam.* Hoc in malis boni, quod in eis Dei patescat bonitas.

PARS III.

Quæ causæ Deo, peccatores toleranti.

1. Pretium Iustorum.

PErmagni iustos æstimat Deus. Nam ob vnum plurimis parcit improbis. 1. *Gen.* 18. Sodomæ toti peperciſſet ob 10. 2. *Exod.* 32. Ob Moysen Israelitis delendis omnib. Quot hic spinæ ac lolia!

Imo puniturus indignatur: nec ab vno se iusto impediri. Ezech. 22. *Quæsiui de iis virum, qui se interponeret, vt sepem, & staret oppositus contra me pro terra, ne dissiperem; & non inueni.* Veruntamen *sinite vtraq; crescere, vsq; ad messem.*

Qua causa Domine? *Prima* iam liquet. *Secunda.* Vt bonorum & virtus emicet: & meritum augescat. 1. Aug. *Omnis malus ideo viuit, vt corrigatur: aut vt per eum bonus exerceatur.* 2. Quicquid in rerum natura est, per contrarietatem qualitatum conseruatur: Vt in elementis, animalibusq; patet. Idem & in spiritalibus; vbi pugnæ sunt intus, & foris.

2. Conseruatio.

3. Vnde non prorsum absurda Philosophorum quorundam sententia est, *lib. 1. Physic.* Discordiam & contrarietatem rerum omnium fuisse Principium: interitum vero concordiam. 4. Nec dissentit valde Aristoteles, docens; *Principia naturæ inter se contraria esse.*

Tertia. Viuunt scelerati, vt bonis sint auxilio in temporalibus gerendis; quo iustos alant: & hi commodius Deo deseruiant. 1. Ita 3. *Reg.* 9. Salomon Ethæos, gentesque circum subiugatas, vectigales fecit: Israelitarum vllum diuendi in seruum cauit; sed Duces, Tribunos, alioq; honoratos fieri iussit. Ita Deus suos vilibus rebus misceri noluit: exemit à cura temporalium. 2. Ideo Ps. 104. *Labores populorum*, reproborum, *possederunt; vt custodiant iustificationes eius, & legem eius requirant.* 3. Iosue, *c.* 9. pepercit Gabaonitis, *vt viuant; & in vsum multitudinis vniuersa ligna cædant, & aquas comportent.* 4. Inde 2. Tim. 2. *In domo magna non solũ sunt aurea vasa & argentea, sed lignea, & fictilia.* 5. Atq; vt in aulis non tantum satrapæ, & nobiles; sed & lixæ, calones, cacalæ, agasones. Sic & in Ecclesia electi sunt & reprobi. 6. In Babylonem, 4. *Reg.* 25. Nabuchodonosor captiuos abduxit nobiliores: agricolas reliquit. Ita Deus nobilitatem generis humani destinat cœlo: terræ terrenos. *Qui terrena sapiunt*: piorum *autem conuersatio in cœlis est*, Phil. 3.

3. Auxiliũ in temporalibus.

Quarta. Vt, si quæ bona præstent improbi; ea Deus hic compenset temporalium prosperitate. Nullus enim tam per-

4. Præmiũ temporale impiorum.

peruersus est: quin aliquid boni subinde agat: vt nullas tam bonus, quin subinde peccet. Ideo iusti hic torquentur, vt purgentur. Iniusti vicissim pro benefactis suis temporaneis temporalia recipiunt. 1. Sic *Gen.* 25. Abraham ex asse hæredem scripsit Isaacum : at vernulis quædam munera dedit. Hæreditas nostra in cœlis est: in terris mera munuscula. 2. Quæ S. Aug. ait etiam Romanis à Deo data cũ Imperio ; ob præclara acta etiam in statu peccati.

3. Et talia de congruo esse digna mercede S. Th. ait. Ergo *finite vtrag.*

PARS IV.

Hæreticos esse eradicandos.

HInc volunt nonnulli, etiam hæreticos tolerandos esse; non puniẽdos. Errant. Quia non dicit hic Dominus, parcendum lolio; sed tritico. Ergo si id possit eradicari sine tritici damno ; euellatur; si non possit; sinatur. Sicut Loth, *Gen.* 19. educitur ; & tum primum Sodoma exuritur.

S. Aug. Epist. 48. ad Vinc. *Mea primitus sententia erat ; neminem ad vnitatem Christi esse cogendum, ratione vincendum : Nesictos Catholicos haberemus, quos apertos hæreticos noueramus. Sed hæc opinio mea, non contradicentium verbis, sed demonstrantium superabatur exemplis.* Subiicit de vrbe Hipponẽsi, Donatistis plena : at Imperatorum decreto punita, conuersa est.

Docetur id 1 ex praxi ipsorum.

Merito, ait, suppliciis addicuntur : Si enim raptoribus, sicarijs, &c. leges non parcant; cur sacrilegis, & hæreticis? *Primo*, Quia ipsi hæretici alios hæreticos capitis damnarunt: 1. Vt Caluinus Valentinum Gentilem Trinitarium , teste *Iac. Garscio.* Item Seruetum, teste *Surio.* 2. Suuingliani in Anglia nouos Arianos exusserunt: teste *Nic. Sandero l. de schism. Angl.* 3. Beza anno 1554. tractatum edidit, *De hæreticis à ciuili Magistratu puniendis.*

Secundo, Athenis fuit tribunal δέσμωτες. 1. Ibi Socrates à plusquam 280. iudicibus morti addicitur ; quod Deos nullos esse diceret: Bibitque cicutam. *Laert. lib. 2.* 2. Theodorus impietatis conuictus, veneno propinato, datur neci. *Idem.* 3. De Protagora in exilium pulso, quod diceret. *De Diis, neq; vt sint, neq; vt non sint, habeo dicere:* testatur *Cic. lib. 1. de Nat. Deorum.* Eius libri quoque publico decreto combusti sunt : teste *Lact. lib. de ira Dei.* 4. Diagora Philosophus, patriâ Melo direpta, Athenas concessit, atheismum ibi docens plures, in exilium actus est. Pertinaciter perstante eo , edicitur talentum fore dandum afferenti caput ; duo viuum adducenti. 5. Et Paulus ibidem stetit iudicio. *Act. 17.* quod nouum Deum doceret. *2. Praxi Ethnicorum.*

Tertio. Ius ciuile pœnam capitis in hæreticos sanciuit: flammas in libros. 1. *L. Arian. de hær. & Manich.* Et *L. Quicunq; ibid.* 2. Act. 10. *Multi credentium veniebant confitentes, annunciantes Actus suos. Multi autem ex his qui fuerant curiosa sectati ; contulerunt libros, & combusserunt coram omnibus.* *3. Iure ciuili.*

3. Constantinus Magnus, ait, *Niceph. hist. Eccles. l. 8. c. 18.* edixit, omnes Arrianos libros toto Imperio comburendos. 4. Arator in Numæ Pompilij cadauer aratro forte impegit : reperti simul sunt libri latini de iure Pontif. Max. & Græci de religione. Isti per S. C. sunt asseruati: hi cremati. *Noluerunt. n. prisci viri quicquam in hac asseruari ciuitate, quo animi hominum à Deorum cultu auocarentur.* ait Val. Max. l. 1. c. 1.

Quarto. 1. Exod. 22. *Qui immolabit Diis præterquam Deo soli ; occidetur.* Atqui hæreticus Dei formam credendi, Ecclesiam, Dei vicarium, sacramenta, & sacramentalia reijciens, Deum ipsum abiicit facto; quicquid verbo præferat. Ergo. 2. Deut. 13. *Si surrexerit in medio tui prophetes, aut qui* *4. Lege diuina.*

somnia se vidisse dicat; interficietur. Quia locutus est, vt vos auerteret à Domino Deo vestro. At hæretici sua somnia proferunt, vt diuina. Ergo.

3. Leuit. 24. *Qui blasphemauerit nomen Domini, morte moriatur: lapidibus opprimat eum omnis multitudo populi, siue ille ciuis, siue peregrinus fuerit.* Atqui hæretici blasphemant Christi corpus, Sacramenta, Ecclesiam, Sacrificium, Passionem, mortem, &c. Ergo.

4. *Exod.* 32. Moyses 33000. hominum de cultoribus vituli gladio extinxit.

5. Exẽplis. 5. Iehu, 4. *Reg.* 10. omnem posteritatem Achab, ob impietatem occidit: omnesque sacerdotes Baal.

6. Iosias, 4. *Reg.* 23. idolorum sacrificulos occidit, lucos euertit, ossa mortuorũ combussit.

7. Elias. 3. *Re.* 18. occidit omnes sacerdotes Baal.

8. Mathathias, 1. *Machab.* 2. thurificantem Iudæum ad aram occidit, sileo quæ Nabuch. *Dan.* 3. quæ Darius 1. *Esd.* 7. sanciuerunt.

6. Ratione. *Quinto.* Ratio euincit. 1. Quia *L. 9. Qui ædes. ff. de incend.* adducuntur igni incendiarii. At hæretici domum Dei incendunt: & triticum S. Scripturæ. Illi sunt Herostrati Dianæ incensores: sunt Samsonis vulpes messem exurentes. *Iudic.* 14. 2. Lex Sacrilegos igni adiudicat. At hæretici sunt Sacrilegi. Sancta namque profanant, S. Scripturam adulterant, aras diruunt, statuas, &c. 3. *L. Si quis mummos. C. de falsa moneta.* Adulterantes monetam ad flammas damnantur: At hæretici sunt mangones Scripturæ. Ergo similes fiant Core, Dathan & Abyron factiosorum. *Num.* 16. Hæc vt Theologus; non vt politicus; præscribo nil Principibus, & horum exulceratorum temporum necessitati.

PARS V.

De Christianis saluti indormientibus.

I. *Cum dormirent homines, venit inimicus.* Diabolus otiosis, aut salutis negligentibus serit malas cogitationes, sermones, peccata. 1. Auis, quamdiu volat, immunis ab laqueo est: at non, cum sidit. Nam Prou. 1. *Frustra iacitur rete ante oculos pennatorum.* Ita homo, cuius auceps Sathan. 2. Aqua fluens saporem, vigoremque seruat: stagnans putiscit; ranas, vermesque. &c. generat, Sic anima otiosa: vel negotiosa. 3. In domo deserta mures, aranei, sordes dominantur; dum corruat: Ita anima à Deo non habitata. Ecce Matt. 20. *Relinquetur vobis domus vestra deserta.*

Tales 1. illaqueãtur.

2. Putiscũt & vermicant.

3. Sordent & ruunt.

4. Regula Iuris est: *Priuilegio non vtentes, vel abutentes, perdunt idem:* Sic anima non vtens donis Dei gratuitis. *Labore res paruæ crescunt; otio magnæ dilabuntur:* Sicut concordia & discordia, vt *Sallustius* ait.

4. Excidũt gratia.

II. 5. Filii Dan, (stemma Antichristi) vrbem Lain sine gladio & sanguine inuasere, soloque æquarunt; adeo stertebãt incolæ *Iudic.* 18. Sic dæmon animas.

5. Euastantur.

6. Dauid, 1. *Reg.* 24. se clam in castra, inque tentorium Saulis penetrauit, Regique arma sublegit. Occidisset eum tunc; vel alias, naturæ necessitati seruientem, si libuisset: Ita dæmon Christiano in Ecclesiæ castris, arma surripit dormitanti; siquepotest, occidit. 7. Solon Athen. liberam cuiq; dedit Actionẽ in otiosos. *Laert. l. 2. c. 2.* Similem Deus: vt liceat Tentatori ea vti in otiosos, variis tẽtandos vitiis: vt vel sic exagitentur.

6 Exarmantur.

7 Accusãdi sunt.

1. Thess. 2. *Fratres, non estis in tenebris; vt vos dies ille, tanquam fur, comprehendat. Omnes enim vos filii lucis estis, & dei: non sumus noctis, neque tenebrarum. Igitur non dormiamus, sicut & cæteri; sed vigilemus, & sobrij simus.*

PARS

PARS VI.

De vtriusque Magistratus dormitantia.

In Ecclesiasticis est vetita.

I. CVm dormirent homines. id est, sacri Præsules (ait Chrysost. homil. 45. in Matth. 1.) tum seruntur hæreses ab tanto vigilantiore Satana. 1. Audi Isa. 62. *Super muros tuos Ierusalem, constitui custodes tota die ac nocte non tacebunt.* 2. De hac custodia

2. Est in pœnã populi.

fuit prima Ieremiæ visio. c. 1. *Quid vides? Virgam*, ait, *vigilantem ego video*: Hebræi hic legunt *Amygdalinam*; vt notat Lyra. Atqui, Procopius ait, hanc ceruicali suppositam somnum abrumpere. Quare, cum Deus virgæ istius signo vrbi inimicitiam ostenderet; somnolentia Antistiti, vt hostis, fugienda. 3. Petrum dor-

3. Indignos officii facit.

mientem, vt notat *Rob. Holcot in sapient. lect.* 82.) Dominus non compellat honorabili nomine Petri, quod dederat confitenti; sed ait *Mar. 14. Simon dormis?* q. d. Indigni sũt nomine Præsulis dormitantes.

Exempla vigilantiæ.

1. Alexander Magnus, teste *Ammiano li. 16. & Laert. l. 5. in vita Arist.* globum argenteum super subiectam peluim manu tenebat; cuius excidentis tinnitu excitare tur altius indormiens.

2. Similis gruibus, *Perer. li b. Hierog.* 17. quorum agminis custos constitutus lapillum pede tenet, ne indormiscat: aut eius lapsu euigilet: totum id, cauendo periculo turmæ. Et Sacri Præsules saluti animarum indormient?

Ex dormitantia occisi.

II. Paria de Magistratu politico. Ecce 1. Samsonem perdere gestiens Dalila, *Iud.* 14. soporauit: sicque decapillauit: Ita caro Philistæa nos soporat deliciis, & eneruat. 2. Holofernes ebrius stertens *Iudit.* 13. suopte pugione ab Iuditha truncatur capite. 3. Ab Iahel clauo per tempora adacto lactatus Sisara dormiens necatur. *Iudit.* 4. 4. Isboseth, 2. *Reg.* 4. Saulis filius meridionans; in inguine percussus occubuit. 5. Id Isaias deplorat. *c.* 51. *Si filii tui proiecti sunt, & dormierunt in capite omnium viarum.*

Dormientes in viis non Domini.

III Hæ duplices. 1. Viæ Domini. *Psal.* 15. *Vias tuas Domine demonstra mihi.* Psalm. 13. *Notas fecisti mihi vias tuas Domine.* 2. Viæ dæmonis, Psalm 12. *Contritio, & infelicitas in viis eorum.* Psalm. 34. *Fiant viæ eorum tenebræ* Et, *Vias peccatorum disperdet* Psalm. 142. Zach. 1. *Conuertimini de viis vestris.*

Hæ cauendæ.

Hæ damnant. Vnde Psal. 118. *Viam iniquitatis amoue à me.* Et, *Omnem viam iniquitatis odio habui.* Capita harum viarũ sunt superbia; auaritia, luxuria. 1. Ioan. 2. *Omne quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut conc. oc. aut superbia vitæ.*

Maximæ in ingressu.

Quare sicut dormiens in ingressu viæ ab latronib. infestæ, est in præsenti periculo: sic suggestionibus indormitans. Non sic Dominus, sed *surgite, eamus*: ait. *Ecce, qui me traditurus est appropinquat* Ioann. 14. Tentaris? Ecce peccatum appropinquat; *Surge*, Clama: *Salua nos Domine: perimus* Matth. 8.

Luxuriosis hæ fiunt minæ: Prouerb. 23. *Eris, quasi dormiens in medio mari: & quasi sopitus gubernator amisso clauo in mari*; vt tanto præsentius periculum innuat.

PARS VII.

Quis inimicus Sator lolij.

I. VEnit *inimicus homo*; Dæmon. Sic enim 1. *Pet.* 5. Ipse ferit in agro, non Iudæorum, Turcarum. &c. sed Ecclesię; idque dormientibus. Prælatis; & nocte. Hinc, ô quot mala vitiorum, sacrilegiorum, heresium? &c. Vigilate Principes: aut demum falces stringite. Nunquam satis laudata est Caroli V. clementia; At in hæreticos non bene posita fuit.

Homo magis damnosus, none peior est.

Inimicus homo; Vt nec ipse dæmon magis sit noxius homini, quam homo. Hominis odio nullum dirius. Nam homo leone sæpe sæuior est. 1. *Dan.* 6. In

lacum leonum iniecto pepercere leones: non satrapæ. 2. *Dan.*5. Balthasar Rex nil horribilius conspexit vnquam manu hominis scribente. Non feræ vngulam misit Deus, dira scriptitantem: hac horribilior erat manus hominis.

3. Dauid habens opinionem inter mala tria, ait: 2. *Reg.*24. *Coarctor nimis: sed melius est mihi, quod incidam in manus Domini: quoniam multæ sunt misericordiæ eius* Exhorruit ad manum hostis. Ergo *Inimicus homo* est nomen Satana dignum.

Boni & mali in Ecclesia.

II. *Hic superseminauit zizaniam, & abiit.* 1. Scorpio, vt icit; abit: relinquit corporis succo mistum venenum. Ita mali semper in Ecclesia permisti bonis. *Aug. lib. de hæres. c.* 69. 2. Sic in Arca Noe animalia munda, & immunda. *Gen.* 7. 3. In area paleæ, & grana. *Matth.* 3. Vocatæ ad nuptias fatuæ, & prudentes. Interfunt ijsdē *Matt.*25. Vestiti, & non vestitus nuptiali veste, *Mat.*22. Sic & hic ager.

Anima vn. de zizaniosa.

III. *Nonne bonum seminasti? & c.* 1. Vere mirādum, qui anima sit zizaniosa? Quomodo omnes eius partes instrumenta virtutum, sint facta vitiorum? 2. Arma, quibus nex homini paretur, vetat natura fieri ex arboribus frugiferis: fiunt ex sterilibus. Et homo ferax arbor membra sua facit arma iniustitiæ ad mortem? 3. Si peccatum est monstrum spiritale & diluuium commune animarum; quomodo in anima crescit? 4. Si sit contrarium rationi, cœlo priuet, orco mancipet, immortali mortem inferat: quomodo intrat animam? 5. Si angelos cœlo exuit, innocentia homines, diluuiū inuexit, Christum crucifixit, & inferno debetur; quomodo id in se suscipere audent homines? *Inimicus homo hoc fecit.*

Deus non est autor peccati.

IV. Nequaquam igitur Deus autor peccati esse potest. 1. Pf. 5. *Non Deus volens iniquitatem tues.* 2. Sed Sap. 2. *Inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum.* Ergo impius Melanchton; docens, tam Iudæ proditionem, quam Pauli vocationem Deo adscribendam. Impius Caluinus; asserens, Deum pure autorē peccati: Et qui id negarit, (vult Bucerus,) hūc Deo adimere Diuinitatem.

1. Quam hæresin Bernenses ipsos in Caluino suo damnasse ait *Ebroicensis l.* 5. *de Atheismis Calu.*2. Damnauit *Trid. Conc. sess.*6. *can.* 6.3. S. Basil. in hom ait. *Fatuus est qui nullum Deum credit: at stultior, qui Deum causam peccati statuit.* quod hic Deū abneget; ille bonitatem eidetrahat. 4. *Philo Iudæus l. de profugis,* vult oēs supplicijs addici, qui Deum causā peccati, nō seipsos, statuūt. Sic & Theodoret[9], &c. *Pero-ra:* facta repetitione protreptica, cū argū. dictorū gnauiter, & grauiter cōglobatis.

DOMINICA VI. POST EPIPHAN.

Simile est regnum cœlorum grano sinapis. Matt.13.

NAbuchodonosor *Dan.* 4. vidit arborem ingentem. Ei similis sinapina hæc: vtrique Christus. Qui in primis: *minimus* est *terræ vermiculus, & abiectio plebis:* at iactus in terram, sic creuit post resurrectionem, vt omnes animæ SS. in eo nidificarint, & ex eo pastæ sint. In medio terræ Ierusalem plātatus Iesus, vt arbor, ad cœlum assurrexit vertice: radice descendit ad inferos: Rāmos potentiæ orbe toto diffudit. Excisus in morte fuit, radice hypostatica permanente.

De tali grani arbore tali nos:

I. *De magnis, arte factis minimis, minimoque regno.*

II. *Quid grani paruitas, ad Diuina, totamque Ecclesiam collata.*

III. *Quid*

III. *Quid eadem ad Ecclesiæ adiuncta & contenta.*
IV. *De grano fidei & doctrinæ.*
V. *De auibus.*
VI. *De Fermento.*

PARS I.

De magnis, arte factis minimis, minimoque grano.

Operaque dã magna. I. MIra artis opera quædam celebrantur. 1. Vt Myrmecidis sculptoris quadrigula omnibus partibus perfecta, cum auriga insidente; nec tamen maior, quam quæ muscæ alula tegeretur. 2. Alterius nauis cum omni instrumento nautico; quę cerasi nucleo clauderetur: & apiculæ alis cooperetur in antenna. 3. Plinius refert, Homeri Iliadẽ descriptam totam nuci potuisse includi. 4. Nostra ætate sculptor 11000. Virginũ sculpsit in vna gemma.

4. *Ezechiel cap.* 4. iussu Dei in laterculo totam Ierosol. descripsit, cum suis castellis, turribus &c. licet tantam, vt eam Iosephus dicat 200000. hominum continuisse.

6. *Daniel.* 2. Visus est Nabuchodonosori lapillus in montem maximum excreuisse: At hoc inuisum, & inauditũ, decreuisse montem in lapillum, oceanum in guttam, elephantem in muscam.

Maius. Maius cunctis & mirabilius fecit Deus, omnia contrahendo. Fecit ex Deo hominem, ex Creatore creaturam; è Domino, impassibili, immortali, infinito contrarium. Isai. 10. *Consummationem, & abbreuiationem Dominus Deus exercituum faciet in medio terræ.* Rom. 9. *Verbum abbreuiatum fecit Dominus super terram.*

Maximũ. Istis omnibus mirabilius est, quod Dominus omnem cœlestis gloriæ amplitudinem, & Ecclesiæ monarchiam in omnium rerum minimo grano spectandam hic proponit. *Simile est regnum cœlorum grano sinapis.*

Idque Ecclesia, quæ regnum est. II. Per *regnum* intelligit Ambros. ser. 1. Augustin. sermon. 31. de sanctis *Fidẽ*, Hieron. *Doctrinam Euangelii* vt *Matt.* 21. *Auferetur à vobis regnum.* Alii *Christum:* Alii *Ecclesiam.* Hisce cõsciscо. Quia est de cœlo orta, leges habet cœlestes, in se cœlestia habet, tendit ad cœlos. De hoc Gabriel Luc. 1. *Regni eius nõ erit finis.* Dan. 6. *Regnum, quod in æt at. non dissipabitur.* Ioan. 18. *Regnũ meum non est de hoc mundo.* quod foris niteat, intus sordeat.

Sed paruũ initio. III. *Est simile grano:* Exiguum. 1. Ob suum caput; quod, Philip. 2. *Exinaniuit seipsum. Et nouissimum & despectum* fuit habitum; Isai. 53. 2. Ob doctrinam Euangelii; quæ exterius vilis videtur. 1. Cor. 1. *Nos prædicamus Iesum Christum Crucifixum, Iudæis scandalum, gentibus stultitiam:* Nõ prædicamus Deorum maiestatem, vt olim Plato: Non leges; quales Lycurgus: Non rerum principia; quæ Aristoteles: Non beatitudinem in diuitiis, potentia. &c. sed Crucifixum, paupertatem, &c. Matth. 18. *Nisi efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* 3. Ob ortum eius: in quo habuit piscatores, indoctos: 1. Corint. 1. *Quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, vt confundat sapientes: quæ infirma sunt, vt confundat fortia.* 4. Ob paruum credentium numerum. Vnde sic ad eos, Luc. 12. *Nolite timere, pusillus grex.*

PARS II.

Quid grani paruitas, ad Diuina, totamque Ecclesiam collata?

I. REgnum duplex est, Terrenum, & Cœleste. 1. Terrenum in speciem est augustum: at intus emedullatum. Simile, quoad speciem; cedro. Vt Psalm. 36. *Vidi impium superexaltatum, sicut cedros Libani.* Simile est arbori Nabuchodonosoræ. *Dan.* 4. At cœleste tale, Psalm. 44.

Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus. Ideo simile grano sinapis, specie paruo, vi & efficacia maximo.

Regni terreni pompa & ruina.

2. Terrenum est vastum : vbi cecidérit; cinis est, & vmbra. 1. Vt statua *Dan.* 4. cuius caput aureum ; at pedes imi lutei. O Reges, attendite ad bases regnorum: quantulo lapillo comminuuntur, trahuntque ruinam ô quantam ? 2. *Exod.* 27. Iubet Deus parari lebetes duos, templi cineribus excipiendis : Cineres mundi è tot regnis colligite Reges. At vbi sunt? Nec ipsi supersunt.

Mũdi initia quanta, fines quantuli?

II. Ita & mundus à magnis incipit, contra naturæ ordinem ; & desinit in parua. 1. Substructores turris Babel quanta conceperant? *Gen.* 11. At in confusionem linguarum desinebant.

2. Somnia Nabuchodonosor. sumpserunt initia ab arbore, *Dan.* 4. at desiere in radicem. 3. Contra Dominus, *Matth.* 21. & 27. introitum in Ierosolym. cœpit ab oratione & regno : *Benedictus, qui venit in nomine Domini:* finiit in cruce, *Tolle, crucifige.* 4. Mundus in deliciis spirat : at in tormentis exspirat. Apocal. 18. *Quantum fuit in deliciis ; tantum date illi & tormentum.* 5. Luc. 16. *Dives epulabatur splendide :* at *sepultus est in inferno.* 6. Ioann. 2. *Omnis homo primum bonum vinum ponit ; postea id, quod deterius.* Sic Mundus.

Diuinorũ initia quã tilla: fines quanti?

III. At non sic Deus : qui à minoribus orditur ; & ad summa progreditur ; Ab ærumnis paupertate, Cruce procedit ad gaudia, diuitias, regnum. 1. Iosephum è carcere ad regnum, *Genes.* 39. Danielem *cap.* 14. è lacu ad palatium: Mardochæum, *Esth.* 6. 7. à cilicio ad trabeam euehit: 2. Ipse è cruce ad cœlos transiit. Philip. 2. *Factus obediens vsque ad mortem. &c. propter quod & Deus exaltauit illum. &c.* 3. Ita Deus à grano inchoat ; & exit in arborem tantam.

4. In creatione ab indigesto chaos, (vt Philosophi opinati sunt,) vtque fideles credunt, à nihilo auspicatur ; finit in perfectum mundum. Incipit à piscibus : desinit in hominem. 5. Ita ordo naturæ à minoribus ad maiora progreditur. Prius enim, ait *Aristotel.* vita plantæ, post animalis, tum hominis viuimus.

Ecclesiæ initium à grano.

IV. Ita Ecclesia à grano Christo. 1. Hinc in S. Scripturis ea dici luna solet. *Psalm.* 88. *Cant.* 6. Nam vt hæc sensim in orbem coalescit illustris : ita primum obscura, vsque huc crescit ; donec orbem totum impleat. Vt sola Psal. 71. *Dominetur à mari vsque ad mare, & à flu. vsque ad terminos orbis terrarum.*

Ex hac amplitudine Ecclesiæ sanctus Augustinus telum promisit, quo vno Donatistas confixit, volentes Ecclesiam in vna Africa concludere : in qua sola ipsi reperiebantur. Verba eius sunt: *Ecclesia lunæ similis est. Si quis nouam lunam primo & secundo die non videt, cœcus est.* Quid ergo Caluinistæ negant esse visibilem?

3. Vt cœpit à grano visibili Christo, & piscatoribus ; sic progressa cepit Philosophos, Reges, orbemque ipsum ; & iam tãta est. *Non fuit ex hominibus opus, quia autem ex Deo, ideo dissolut non potuit ; sed præualuit.* Act. 5.

Quia Dei opus est.

Itaque opera Dei ab humili ; mundi, à fastu exordiuntur ; At hæc in infamiam ; illa in gloriam terminantur, & durant ; illa pereunt. 1. Sicuti *Alciatus Emblemate* 124. ostendit in pinu, & cucurbita.

Aeriam propter creuisse cucurbita pinum
Dicitur, & grandi luxuriasse coma:
Cum ramos complexa, ipsumque aggressa cacumen,
Se præstare aliis credidit arboribus.
Cui pinus : Nimium breuis est hæc gloria: Nam te,
Protinus aduenient, quæ male perdit, hyems.

Talis mundus cum suis operibus & regnis

gnis ad Ecclesiam, qualis cucurbita ad pinum. 2. Isai. 55. *Non sunt viæ meæ, sicut viæ vestræ, dicit Dominus. Quia sicut exaltãtur cœli à terra; sic exaltantur viæ meæ à viis vestris.*

PARS III.

Quid grani paruitas ad Ecclesiæ adiuncta & contenta.

TRistia inter & læta fertur Ecclesiæ puppis ac prora. Diximus de tota Ecclesia, quæ grano similis: Iam de partibus quibusdam eius & adiunctis. In his fidelium tentationes pono, Sacramenta, Instituta, Fidem, Doctrinam, &c.

Tentationum initia sinapina sunt fines arborei.

I. Ecclesia grano sinapis est similis, & tentationes magnas è paruo initio. 1. Hæ ordiuntur à lapidibus, & ascendunt ad regna. Et Matt. 4. *Dic, vt lapides isti &c.* demum *ostendit illi omnia regna. &c.* 2. Diluuium à guttis cœpit; creuit in tantum. 3. Iudas ab osculo cœpit; finit in laqueum sibi, in crucem Domino. *Matt.* 22. 4. Axioma Philosophorum est: *Paruus error in principio, maximus est in fine.* 5. Velut Aegypti plagæ. *Exod.* 8. 9. 10. inceptæ à muscis, desiere in amnes cruentos, inque stragem primogenitorum: Sic tentationes ex scintilla gliscunt in incendium. 6. Isa. 14. *De radice colubri egreditur regulus.* Id est, Granum in arborem crescit; tentatiuncula in grande peccatum. 7. Ipsa vulpecula est. At Cant. 2. *Capite nobis vulpeculas quæ demoliuntur vineas*: Peccatum vero Leo est, 1. Pet. 5. *rugiens, & circuit quærens, quem deuoret.* 8. Ezech. c. 47. Fluuium intranti aqua primum ad talos: tum ad genua: dein ad pectus, hinc ad collum pertingebat: dum submersioni proximus esset. Ita tentatis contingit.

In Ecclesia omnia aspectu parua.

II. Quæcunque in Ecclesia sunt, sinapina sunt: id est, parua aspectu; at vi magna. Vt crux, Sacramentorum symbola, paupertas Euangelica, pœnitentia, tribulationes, &c. 1. Non nisi talia grana Christus in sua Ecclesia seminat: In paradiso seminarat arbores vitæ. At hæ mole quidem magnæ; ista vero virtute sunt maiora.

Sed similia in spiritu vno.

2. *Leuit.* 9. Vetuit Deus agrum diuerso semine conseri; ita nec Ecclesia, nec anima conseri debet institutis Dei, & Dæmonis, ac mundi. 3. Item *Deut.* 22. vetuit vsum vestium è lino & lana contextarum; sic nequeunt contexi Gentilismus, & Christianismus; Iudaismus, vel hæresis; item virtus, & fucus hypocrisios. &c. Sit vnum & simplex granum Ecclesia; & qui, & quæcunque sunt in ea.

Et ortu humilia: maxima successu.

Ista ipsa, & singula in ea, à minimo cœpta initio, auxere. Quid minus iacente in præsepio, pannis inuoluto, vt putabatur, fabri filio? Quid minus viuente in deserto, ignoto, &c. Attamen tanto postea; vt Matth. 11. *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista.* Idem censendum de SS. Martyribus, Virginibus, &c. qui *peripsema & purgamentum huius mundi.* 1. Cor. 4. At iam Psalm. 138. *Nimis honorati sunt amici tui Deus.* Felix initium, cui talis obtingit finis!

Finem spectandum mundi.

III. Admonet Granum, finem spectandum; non solum initium. In quo per magna mundum inter & Christum distantia est. 1. Mundus agyrta spondet diuitias: At linteum denique & angustum dat sepulcrum. Spondet delicias; dat morbos. Spondet honores; dat infamiam, inuidiam, dolores, &c. Initia mellea; at finis: absyntheus.

Et Christi.

Contra Deus, 1. *Exod.* 16. Israelitas in Aegypto pauit lactucis agrestibus; at in deserto manna. 2. *Exod.* 7. Moysis virga in Aegypto mutarat aquas in sanguinem; in deserto aquas è petra elicuit. 3. *Iud.* 13. Samson ex asini mandibula, Philistæorum claua lethali, dulcem aquam exorauit; Ita è paruis, ex asperis, &c. emanant sæpe magna, dulcia, dante Deo.

PARS

PARS IV.

De grano Fidei, & Prædicationis.

I. FIdes granum est sinapis. Matt. 17. *Si habueritis fidem sicut granum sinapis*: id est, ardentem. Anno M. C. XXV. Rex Tartarorum Calipha statuit, omnes Christianos eijcere regno. Satrapa quidam suadet, rectius posse à fide abduci: habere enim eos in lege: *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, & dixeritis monti huic: Transi hinc; & transibit: & nihil erit impossibile vobis.* Hoc iussi præstare, dum nequibunt; fidem esse falsam cum lege palpabunt. Rex conuocatis id imperat, intra X. dies præstent; aut occidendos fore: Præsules triduanum indicunt ieiunium, & orationem: stato die adsunt ad vrbem Taurum. Vnus eorum imperat monti, & transfertur. Rex conuertitur. Ita *Paulus Venetus l. 1. de region. Orient. c. 18.* Et *magnum speculum tit. Fides exempl. 1.*

Fides monte trãsfert.

Prædicatores fabulosi

II. Verbum Dei granum est. Eo quid simplicius? 1. Et tñ theoria physica omnis; argumenta philosophica, &c. meræ ad id sunt fabulæ. Psal. 118. *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes; sed non vt lex tua.* Et adhuc tamen aliqui. 1. Tim. 4. *A veritate quidem auditum auertent*; Aliter Dominus qui suam prædicationem instituit humilem verbis; & modo per parabolas, & vulgaria argumenta; nudam simplicitatem demonstrando, sine coloratione oratoria, aut philosophica.

Zeloſi.

2. Pon posi.

2. Mulieres deformes, & superbæ, formam sibi parariam conciliant; at formosæ purpurissam abhorrent: Ita mendacium ingenij humani; & Veritas verbi Dei. Sed heu! Concionatores hodie fere amant ostendere eloquentiam quã virtutem. &c. Non ita Deus; Ier. 23. *Nunquid non verba mea sunt, quasi ignis, & quasi malleus conterens petras?* q. d. Non fucata, non delicata. &c. sed quæ conterere corda valeant lapidea, ferrea, adamantina.

Neruoſi.

3. Vt si obsessor vrbis spargeret flores, rosas, odores, loco pilorum, hastarum, gladiorum, tormentorum. Ita concionator comtulus & promptulus, contra vitia, hæreses que &c. quid efficiet? Persuasionem humanam forte; at non fidem Christianam, nec vitam solide bonam. 6. Ierem. 48. *Maledictus, qui facit opus Dei fraudulenter: & maledictus, qui prohibet gladium suum à sanguine.* Tales fallunt Euangelium, & fraudant: & canentes placentia, sibi gratiam populi aucupantur; non Dei.

3. Vani.

5. Maledicti illi.

III. Oratores vere Christiani exemplum capiant ex Dauide, 1. *Reg.* 17. Hic tum cum Goliath congressus est, cum arma Saulis exuisset. A Deo hoc: Ne victoria daretur armis regiis. Pedum vnctionis, & lapides veritatis, & funda spiritus sternit mundum, peccatum, Satanam.

Veri ac ſimplices, ſed fortes ac certi ictu.

Tales primi piscatores erant prædicatores. 1. Cor. 1. *Videte vocationem vestram, Fratres: quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles; sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus: vt confundat sapientes: vt non glorietur omnis caro.* Hæc de arbore, quæ Ecclesiam: rami vero diuersos status eius significant. Sed quæ *aues* erunt?

PARS V.

De auibus in arbore sinapina nidificantibus.

I. HIlarius ait *Aues* esse Apostolos, qui inter ramos prædicationis harmoniam concinunt. Quo allusit Dauid Psal. 67. *Præuenerunt Principes, coniuncti psallentibus.* 2. S. Gregorius ait esse animas iustorum, quæ alis contemplationis ad mysteria diuina vsque ad Cælitum choros euehuntur. 3, Alij volunt eos esse Confessores, Doctores, Martyres, Virgines. 4. Ego homines intelligo, ad cœlestia conditos.

ditos. Vtque multa sunt auium; sic & hominum genera.

Christiani 1. *Aquila*, regina auium; ab vngu:bus
1. *Rapaces.* sæua, dilaniat alias: sic quidam dominan-
2. *Auari.* di auiditate alios lacerant, & depascunt. Vti Rhamnus *Iud.* 9. igne suo reliquas arbores exurebat. 2. *Pelicanus* suo perfosso pectore pullos sanguine fouet: ita quidam Dei legem perfringunt, & ex alieno
3. *Terreni.* sanguine suos filios locupletant. 3. *Struthio* grauis, volare nescius; volabundus tantum humi cursitat: sic quidam terræ filij mentem sustollere nequeunt, pressi & amore terræ, & pondere. Similes pisci illi, quem Petrus cepit, ore dragmam ferenti: sic isti meras pecunias, opesque loquuntur. 4. *Pauo*, plumis speciosissimus; at
4. *Vani.* voce ingratissimus auium: Ita quidam superbi cultu, natuque magni; at dum loquuntur; ineptias meras, noua, vanaque ampullant; mundum, carnemque crepant, Psalm. 5. *Sepulcrum patens est gutture eorum.*

5. *Religiosi.* 5. *Luscinia*, aedon, acanthis, aliæque tales, corpore sunt exiguæ; & cantu mirificæ: Ita Religiosi coram mundo viles; at cantu diuini cultus, doctrinæ, vitæque harmonia cunctis venerabiles; multis imitabiles; omnibus ædificatorij. Sunt *columbæ*, felle carentes malitiæ, victu simplices: sunt gementes turtures, aridis insidentes ramis peccatorum alienorum, quibus deprecantur veniam. Hæ aues omnes, peccatorum, & iustorum, nidificant in ramis Ecclesiæ, id est, & in statibus variis.

Omnium duo sunt genera. II. Attamen omnes duplicis sunt generis. Vel sunt rapaces, aut feræ: aut cicures & domesticæ. Istæ noctu requirunt nidum; interdiu prædæ inhiant: Hæ etiam de die nidum occupant, pullos excludunt, plumas mundant, vel cantillant: &c. Ita homines duplices. Feri ad arborem Ecclesiæ, aut templi aduolant, cum nox ingruit afflictionis, aut mortis: tum de Deo, anima, sacrisque remediis cogitant. Vbi autem ex morbo, vel malo respirarunt; redeunt ad pristina, similes sui; non Dei. Iusti autem secus; tempori omnia sedatis peragunt, quietisque animis.

PARS VI.

De Fermento.

I. S. *Chrys.* parabolicum fermentum medicum, subleuans massam, & saporem immutans; ait esse Apostolos specie viles, indoctos; qui mundum condiuerunt totum, conuersum in panem sapidum, & gratia subleuatum. Mirabilis Dominus in parabolis. Prius ait, *Simile est regnum cœlorum, grano sinapis, quod homo seminat*: dein, *Fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis*: Vt differentiam denotet inter viri, & fœminæ opera. Indecorum enim foret, seminare mulierem, & virum pinsere.

1. Quare, Vir in domo agere debet conuenientia viro; fœminæ, fœmina. Iuxta illud: *Viri, vxorisque cura diuersa esto in vna domo.*

Omne viro soli quod conuenit esto virile.
Esto fœmineum, quod fœmina sola requirit.

2. Ideo *Deuter.* 22. cautum à Deo, neu quis è lino, lanaque contextum quid gerat. Talis est forma domestica, vbi virilia ac muliebria munia promiscue vsurpantur. 3. Naturæ ordinem est euertere; si vir quæ mulieris sunt; & hæc, quæ viri, tractet. 4. Amphibia sunt isti animalia, viuentes quasi in diuersis elementis aquæ & terræ: Vti mures marini, crocodili, ranæ, mergi. &c. Hoc est mulieris: Prouerb. 31. *Considerauit semitas domus suæ, & panem otiosa non comedit.* Item Tit. 2. *Iuuenculas adhortare, vt sint curam domus habentes.* 4. Dei ordinatio est ista: Genes. 1. *Germinet terra lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum*: pomi poma, pruni

pruna. &c. Magis hoc in hominũ operibus vult Deus, ac sexuum. 5. Ita Dauid distinxit Psal. 122. *Sicut oculi seruorum in manibus dominorum suorum: & sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ.* Liquet, in bene morata familia aliis alia conuenire.

Vocis vnius diuersa significata.

II. Fermentum tamen diuersa notat in S. Script. Vt & vox *Leo* Christũ, Apoc. 5. *Vicit leo de tribu Iuda*: Et Satanam, 1. Petr. 5. *Circuit diabolus tanquam leo.* Vt, *Serpens*, Satanam, Gen. 3. *Serpens decepit me*: Et Messiam, Ioan. 3. *Sicut exaltauit Moyses serpentem &c.* Sic *Aues*, dæmones notant. *Luc.* 8. qui semẽtem verbi Dei à cordibus raptum deuorant: hic iustos vorant.

Fermenti item.

Ita quoque *fermentum* in peiorem partem accipitur: Vt Luc. 12. *Cauete à fermento Phariſæorum; quod eſt hypocriſis.* 1. Cor. 5. *Modicum fermentum totam maſſam corrumpit.* 2. Signat doctrinam & traditionem hominum. Vt Luc. 12. *Cauete à fermento Phariſ. & Saduceorum.* Origenes, *hom.* 5. *in Leu.* 2. putat eam ob causam fermentũ à sacrificiis fuisse excluſum. 3. Signat malitiam. 1. Cor. 5. *Expurgate vetus fermentum, vt ſitis azymi.* Qua forte ex causa cõesturi Agnũ, domi fermentũ asseruare prohibebantur. Exod. 12. *Adhuc primo non erit fermentum in domibus veſtris. Quicunque comederit fermentũ, peribit anima illa de Iſrael.* 4. Signat prædicationem: Vt hic.

Eccleſia eſt fermentatrix.

III. Mulier ergo id fermentum subigens, est Ecclesia. Et quidem Iudith. 11. *Non eſt talis mulier ſuper terram in aſpectu, in pulchritudine, inſenſu verborum.* Et hanc Prou. 31. *Mulierem fortem quis inueniet?* Hæc est *Apo.* 12. amicta sole, premens lunam pedibus redimitaque stellis xii.

Tria fermenti *ſata*, quibus id inseritur; lex est triplex, Naturæ, Moysis, Euangelii. Aut Fides, Spes, Charitas. Aut Oratio, Ieiunium, Eleemosyna. Aut Paupertas, Obedientia, Castitas. Aut Contritio, Confessio, Satisfactio. Hæc enim Ecclesia subigit prædicando, & practicando.

Perora ex repetitis dictis per partes: ac oinsiste in affectu iam prius concitato.

DOMINICA SEPTVAGESIMÆ.

Simile eſt R. C. H. P. qui exiit primo mane conducere operarios.

Matth. 20.

I. NVmine irato, 1. *Reg.* 21. pluuiam diu negante Iudæis; Dauid orans, causam flagelli intelligit, esse peccatum Saulis; ob iniuste cæsos Gabaonitas. Qui ab Dauide rogati per legatos quam satisfactionem expetant, aiunt: *Dentur nobis 7. viri de filiis eius, vt crucifigamus eos Domino.* Dati, in monte ad vrbem Gabaa, crucifiguntur. Respha, mater aliquorum, die noctque adhærens crucibus plorat innocentes, ob patris noxam non ob suã, plexos.

Sic iratus Deus per inobedientiam Adæ, diu negauit pluuiam gratiæ, & misericordiæ. Patribus multum orantibus, vt destinatam diu ac promissam satisfactionem Christum daret. Datus est: & in Vno eo 7. dona Spiritus. Sed ded tus is neci crucique est. Ecclesia, hoc tempore, triste intuens spectaculum, mortem insontis luget, cantu habitu que mutato. Simul Fideles hortatur, vt partæ, per eius mortem pluuię gratiarum participes efficiant vineas suas, & seipsos, in istis, & in Domini vinea laborantes, donec merces annumeretur.

Nos autem in præsens de hoc

I. *Quod labore ad ſalutem opus.*
II. *De Dei nos vocantis amore accelerante, & pacto.*
III. *De vocantis, vocatorumque debito, & horum tardatione.*
IV. *Qui ſint otioſi in hora vndecima.*

V. *Quid*

V. Quid à Vespera, & Procuratore expectandum?
VI. Quales operæ?
VII. Quæ merces operarum?
VIII. Quis, quantusque Denarius?

PARS I.

Labore ad salutem opus est assequendam.

1. *Natura docet in Ethnicis.*

I. OPera bona sunt ad salutem necessaria: ad ea labore opus. 1. *Dij namque laboribus omnia vendunt.* Hoc omnium gentium axioma semper obtinuit. 1. Aegyptiis symbolum laboris erat, pictum bouis caput; vt pote bruti laborioſi. 3. Romani immolantes bouem, coronabant ei caput: innuentes labori coronam deberi. Hæc vana: Accipe sacra.

2. *Docetur ex figuris Legis.*

1. Salomon in templi columnarum basibus, boues & Cherubin efformauit: 3. *Reg.* 7. significans, instar boum nobis in Ecclesia laborandum; si Cherubinis sociari cupiamus. 2. In Exodo iussus est Moyses cortinas lineas, hyacintinas, & purpureas facere. Purpura notat, adusque sanguinem esse laborandum: Linū, quod toties manus subit, & tunditur; denotat mortificationem: Hyacinthus, cœleste præmium declarat. Hinc Cant. 5. *Manus illius plenæ hyacinthis.* Indicat, quod, qui laborat, seque mortificat; is gloriæ hyacinthum promereatur.

3. *Docet Euangelium.*

2. Inde Matth. 11. *Regnum cœlorum vim patitur; & violenti rapiunt illud*; id est, laborioſi, & mortificati; non inertes. 2. Nam 1. Cor. 3. *Vnusquisque propriam mercedem recipiet secundum laborem suum.*

4. *Docent exempla.*

II. Dauid 1. *Reg.* 17. ante debuit Goliatham sternere; quam filiam Regis acciperet vxorem. Sic ante mundum vincas, quam cœlum teneas. *Dedit* enim Deus *potestatem filios Dei fieri.* Ioan. 1. Et *Vita hominis militia super terram.* Iob. 7. 2. Expertus dixit. 2. Tim. 4 *Bonum certamen certaui, cursum consummaui; in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ.* 3. Petentibus honorem sedendi à dexteris & sinistris Christi, hic ait, Mat. 20. *Nescitis, quid petatis.* q. d. per laborem huc itur. 4. Antigonus Rex iuueni imbelli, præmium petenti bellicoſitatis paternæ, ait: *Ego virtuti propriæ, non alienæ, mercedem dare soleo.* Sic Deus *reddet cuique secūdū laborē suū.*

5 *Figura alia.*

5. Isaac, *Gen.* 24. Rebeccæ sponsæ Armillas & Inaures dedit. Hæ sunt fidei; istæ operum sunt symbola. Fide nos Deus donat primo: quæ Iac. 2. *Sine operibus mortua est.* Sine operibus præmium nec speres. 2. Cant. 5. *Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuū.* q. d. Me ama: & ad labora. 3. Debiles manu, & claudos. *Leuit.* 21. ingreſſu tabernaculi Deus lege arcebat. id est. Labori ineptos, aut inuolūtarios cœlo arcet. 4. Animæ ornatus talis sit oportet, Psal. 44. *Omnis gloria filiæ Regis ab intus*, in intentione: *in fimbriis aureis circumamicta varietatibus* foris laborioſis operibus.

Cœli præmium labor est.

III. Opera necessaria sunt. Quia cœlum est eorum præmium. 1. Si enim ob minutum quid terrenum sudemus; magis oportet ob cœlum. Ecce, 2. Iacob, vt Rachaele potiretur coniuge, 7. annis, iterumque 7. laborans seruit: *Gen.* 29. Quid ad cœlum illa? Ro. 8. *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam.* 3. Cicero *in epist. ad Atticum*, audito, fratrem petere consulatum, ei scribit: *Peregrinus es, mi frater; Roma est; Consulatum petis.* Quid: de te, de cœlo dicam? *Non est mollis ad astra via.* Quia cœlum hoc pluris fit, quo constat pluris. Nam *difficilia, quæ pulcra*, At chara, quæ cara, ac rara.

Charum quod labore emptū.

1. Saul 1. *Reg.* 11. gratis, ex sola Dei gratia ad regnum euectus, id tanti non fecit, quanti par; vt se fugâ quoque subduceret, ne eligeretur. At, post Ammonitas profligatos, vt promeruisse id visus est; regnum plurimi fecit. 2. Iacob.

singularem Ioſepho hæreditatem præ cæteris dans, ait, Gen. 48. *Do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo.* LXX. vertunt: *Do tibi Sichimam præcipuam.* Alii ſic: *quam tuli oratione & obſecratione.* Labore cœlum emitur: & vim patitur.

PARS II.

Dei vocantis nos accelerans amor, & pactum.

Deus eſt deamans noſtri.

I. DEus pater, Nos laboratores, ad Eccleſiam vocat, pro beatitudine. Deus *exiit primo mane*: amore noſtri tanto, vt vel quietem abrumperet. 1. Nam Prou. 13. Qui *diligit filium, inſtanter erudit.* Hebraicè legitur, *Mane diluculo erudit.* 2. Amore pellaci quærens adoleſcentem lupa *Prou.* 7. ait: *Egreſſa ſum, vt mane conſurgerem ante faciem tuam.* Sic hebraica lectio. q. d. adeo te ardens depereo. Plus amat nos Deus: vt mane primo exeat. Imo feſtinans, Pſalm. 20. *Aſcendit ſuper Cherubin, & volauit ſuper pennas ventorum* amator tui.

Citus ad inuandũ: tardus ad puniendũ.

II. Miſericordiam præſtiturus *mane exit*: at vindictam parans, tardus & ſerus exit, Gen. 3. *Deambulans ad auram poſt meridiem.* Pedes habet, vt Cherubin, velatos: id eſt tardos ad pœnam: at alas ad gratiã. 2. *Ouid.* de Cæſare canit *in Triſtibus.*

Tardus es ad pœnas, Princeps; ad præmia velox.

Sic Deus. 3. Nondum ſurrexerat ſponſa, cum ſponſus diceret: Cant. 5. *Aperi mihi ſoror mea ſponſa, quia caput meum plenum eſt rore.* 4. Hinc ea vigilantior facta ait, Cant. 2. *Ecce iſte venit: ſaliens in montibus, tranſiliens colles.* Nimirum vt exercitationibus faciat lampades cœli: & aſtris ipſis inuidiam.

3. Vocatione nos præuenit.

III. *Mane exit*: Ab incunabilis nos gratia ſua præuenit. *Iſ.* 49. *Dominus ab vtero vocauit me.* Ieremiæ ait *cap.* 1. *Priuſquam te formarem in vtero, noui te.* Pſal. 21. *In te proiectus ſum ex vtero.* Pſal. 118. *Suſcepiſti me ex vtero matris meæ.* De Baptiſta Luc. 1 *Spiritu ſancto replebitur adhuc ex vtero matris ſuæ.* Paulus Gal. 1. *Cum autem placuit ei, qui me ſegregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiã ſuam*; An parum *mane* ad hos exiit?

Pacto ſemel obſtringit.

IV. Quin & horis exit diuerſis diuerſos aduocans operarios, Patriarchas, Prophetas, Apoſtolos, Martyr. Confeſſores. Et cum ſingulis paciſcitur mercedem. Mirum! Pacta Deum inter & hominem eſſe poſſe, tot illi nominibus debitum.

Pactum ſcripto firmat.

Et pactum nõ ſolùm promiſſo firmat Deus; ſed & ſcripto. Cum tamen ſit Pſal. 114. *Fidelis Dominus in omnibus verbis ſuis, & ſanctus in omnib. operibus ſuis.* Vnde Paulus 2. Tim. 1. *Scio, cui credidi; & certus ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſeruare in illum diem.*

Ceremoniis ſolennizat.

Addit etiam Deus pacto ceremonias; vt ſit inſignius. 1. *Gen.* 15. Pactum cum Abraham firmat ſigno flammæ, ante eum per medium auium, & iuuencarum cæſarum tranſeuntis. 2. *Exod.* 24. In publicatione Legis pactum ſuum firmat aſperſione ſanguinis, ſuper aram & populum facta per Moyſen: Vt ex ſigno cognoſcãt ſanctum eſſe oportere.

Hoc admirandus magis accidit admirandũ.

Mirum! Deum, quaſi hominem, ad certas leges & conditiones aſtringi, fierique debitorem: & noſtrum. Quid, ſi Rex vili lixæ ius daret, quo poſſet ipſum Regem in iudicium vocare; niſi ſtet ſpõte initis cum eo pactis? Et hoc Deus homini dedit. Miratur id Iob. 13. *Contra folium, quod vento rapitur, oſtendis potentiã tuam; & dignum ducis ſuper huiuſcemodi* hominem *aperire oculos tuos; & adducere eum tecum in iudicium?*

PARS III.

De vocantis debito, & vocatorum inſuper tardatione.

Deus eſt hominis debitor.

I. MIranda iſta: ſed magis, quod modum Deus excogitarit, quo ſe ho-

hominis debitorem constituat. Sicut, si quis Dominus allaboret, quemadmodum seruorum suorum potestati sese subiiciat obligatum: atque ex sola misericordia inductus pactum ineat: & deinfacti se debitorem fateatur. Ita vi pacti opera nostra, alioquin ex se nullius valoris, meriti sunt infiniti. Nihilo minus tamen Luc. 17 *Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt, dicite; serui inutiles sumus.* Nã Pom 8. *Non sunt condignæ passi. &c.* Interea 2. Tim. 4. *Reposita est mihi corona iustitiæ: quam reddet, &c.*

Idque ex suo ipsius pacto.

Dauid 2. *Reg.* 12. adolescens iugularat vrsum, aut leonem, &c. Quæ facinora etsi magna; nullum tamen ex iis præmium, aut laudem tulit. At mox vt hominem confecit; gratiam, & filiam Saulis meretur. Cur? Quia Saul ita iurarat. Sic in vinea Domini meremur mercedẽ: quia pactus eam Deus est.

Itaque vltro accurrere oporteret: At iam Dominus etiã exit, nos conductum. Quæ miranda bonitas est. Quid enim hoc? Creatura ante vult esse mercedis certa; quam Creatori quidquam præstet. Quasi nolit ei obsequi; nisi præstet promissum suum, in primis voluntariũ; at nunc quasi necessarium: vt quam ipse sibi necessitatem imposuerit.

At tamen homo est mercenar

Vere nihilominus de homine Iob. 7. *Sicut dies mercenarii, dies eius*, hominis. Inter Mercenarios se & Dauid profitetur Ps. 118. *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes eius, propter retributionẽ* mercedis.

Vã si in vinea dæmonis.

II. At in vinea Domini, non dæmonis, laborandum est. Huius vineæ sunt Gomorrhæ, Vah! sunt Sodomæ, Iericuntinæ; sunt vitiorum omnium. Ps. 43. *Non me inuocasti, Iacob; nec laborasti in me Israel.* q.d. Dum idolis impij sacrificarunt sanguine; tu mihi ne vel amore, aut prece seruiisti. Et si quid laborasti, nõ tamen in vinea mea.

Deus vocat obstrictos vltro accurrere.

Deinde omni hora nos vocat; tametsi hic vndecima ponatur vltima. *Ab vtero vocauit me*; Ierem. 1. Et; *Adolescens tibi dico, surge.* Luc. 7.

At tardamus male nostro

Sed facimus vocati, 1. vt ille, Matt. 8. *Permitte me primum ire, & sepelire patrem meum.* Friuole causamur cunctatores.

2. Agimus, vt vocatus ab Elia Elisæus, 3 Reg. 19. prius *tulit par boum, & mactauit illud; & in aratro boum coxit carnes, & dedit populo, vt comederent.* Ita primas obsequij damus homini; dein, ac vtinam satis, secundas Deo: quin fæces sæpe ac scoriam.

Sub inde & ad mala ab imus.

Quid, quod in alia omnia, quam ad quæ vocamur, non raro abeamus? Idque vel destinata malitia; vel errore, vt Letho contigit. Corrixantibus indies pastoribus Abrahæ & Loth, inuicem hi separati sunt, *Gen.* 13. Loth optione accepta elegit regionem planam, amœnam; sed decliuem, & sceleratam. In qua ditatus, spoliabatur: imo & sui capiebantur: quæ ipsa demum de cœlo periit igne. *Malo vsus cõsilio in eligendo*: ait S. Ambr. Montosa scilicet virtutum reliquerat Abrahæ. Ita vocati à Deo persæpe facimus similes Loth.

Vocat etiã magis obstrictos in Euangelio.

Exit Dominus omni hora: Prima cum Ada stipulatur: tertia cum Noë: sexta cũ Abraham: nona cum Moyse: XI cum Apostolis. Hac in otiosos stomachatur: *Quid statis tota die?* q.d. Quod antehac steterint, minus mirum: at iam tempore gratiæ hic stare, est regredi, & excidere: Adeo multa, & certa suppetunt nunc auxilia Sacramentorum, doctrinæ, exemplorum; vt hæc citra grauem culpam negligi non possint.

PARS IV.

Qui sint otiosi in hora vndecima?

Senex otiosus est.

I. ADolescentes, iuuenes, viri tardantes vocati, aliquam merentur veniam: at Senes horæ vndecimæ, increpan-

Pandi sunt acrius, si tardent. Quo enim se excusent? Iam stant: imo decurrerũt, fessi vanitatis ac pertæsi. 1. Hinc bene S. Cyprian. li. 12. de Abus. *Secundus gradus abusionis est, Senex absque religione, & sanctimonia.* 2. Ezech. ca. 8. vidit abominationes in tẽplo: in his fuere cani, sed lasciui, & dorsũ aræ obuertentes, id est, pietatem auersati. 3. Arbores in vere florentes, æstate virentes, at autumno nullum fructum efferentes, excidendæ sunt: sic Senes Deo otiosi. 4. Eccl. 25. *Tres species odit anima mea, & aggravor valde animæ illorum. Pauperem superbum, divitem mendacem, & senem fatuũ.* 5. *Alciatus* refert priscorum emblema fictum: Amorem & Mortem in idem fortè hospitium diuertisse: mane alterum alterius arma accepisse ex imprudentia: suis dein quemque vti voluisse: at

Hinc iuuenes occidit Amor fallẽte pharetra:
Hinc Mors ipsa suos cogit amare senes.

Amor necabat falce: Mors telis cupidineis hircissare cogebat senes. Ambr. an non otiosi?

Longe aliud reliquit exemplum. 2. *Reg.* 19. Berzellai senex oblatos à Dauide honores recusauit: tum parto in iuuentute contentus decore: tum indignum sene ratus, iam canum sequi aulicas delicias.

Si otiosi in foro; quanto magis in templo, reprehensibiles? Vt sunt oscitabundi in Sacris, Concionibus, precibus. Quid de Canonicis? Quid de otiosis in cœnobiis? In domibus ciuium? In curiis? In tabernis? In lupanaribus? &c.

Et solum otium hic obiectat: non adulteria, homicidia, vsuras. &c.

II. Sed cur otium solum? 1. Quia infame est. 2. Quia malorum complurium radix. 1. Hierony. *Amice Rustice, semper aliquod opus facito, vt te semper inimicus inueniat occupatum. Et sic quantumcunque tenteris, nunquam tamen vinceris.*

2. Tum est infame: vt Philosophi maluerint credere, mundum ab æterno fuisse, quam otium Deo affingere. Nec enim sciebant operationes Dei ad intra; sed solas ad extra; vt Theologi loquuntur: adeo, si Deus otium ageret, non esset Deus. Ioan. 5. *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor.* 2. Hinc Elias pseudodeitatem Baal exsibilans, ait Sacrificulis: 3. Reg. 13. *Clamate voce maiore: forsitan. n. Deus in diuersorio est; aut certe dormit, vt excitetur.*

III. Catonis vox est: Brissonio teste lib. 4. *Homines nihil agendo male agere discunt.* 1. Solon, ait *Diog. Laert. libr.* 9. legem tulit; ne filij alerent parentes senes, aut ægros; à quibus artem nullam didicissent. 3. Aegyptiis lex fuit, ceu prodit *Diod. Siculus*; vt quisque nomen & artem apud Magistratum profiteretur, qua viueret. 4. Pisistratus Athe. tyrannus, teste *Aeliano l. 9. var.* otiosos omnes ad se congregari iussit: dixitq; eis: *Si nec boues, nec semina habetis; de meo accipite, vt terram colatis.* Metuebat ab otiosis coniurationẽ in suum caput. S. Augustinus ait. *Otium, viuentis sepultura est.*

Otium in loco grauius.

Otium est crimen sui.

Est infame.

Ethnicũ detestabile.

PARS V.

Quid à vespera, & Procuratore expectandum?

I. *CVm sero factum*, ob vesperam mortis, vel iudicij extremi, dat mercedem Deus eodem die: Et tu seruo tuo procrastinas suam? Quin & defraudas? 1. Non ita Iob 31. *Si contempsi subire iudicium cum seruo meo, vel cum ancilla mea, cum disceptaret aduersum me.* 2. Hem, quid sapiens? Eccl. 34. *Qui effundit sanguinem, & qui fraudem facit mercenario fratres sunt.* Ergo fraudatio homicidium est. 3. Est & peccatum in S. Spiritum, clamans vindictam.

1 Mundus autem est, vt Laban *Gen.* 31. deceptor iusti Iacobi querentis: *Pater vester circũuenit me, & mutauit mercedem meã decem vicibus.* 4. Est, vt Pharao, tyrannus: qui per diem fessos etiam flagellabat sub vespe-

Fraudatio mercedis est iniusta.

2. Homicidialis.

3. Labanitica.

4. Pharanica.

vesperam. Exod. 5. *En famuli tui flagellis cædimur: & iniuste agitur contra populum tuum.*

Officium Principis iuuat.

II. *Voca operarios, & redde mercedem.* Demandat hoc procuratori; & simul ipse præest rationibus. Et Principes, vt habeant Vicarios, ipsi tamen non ideo sunt omni cura liberi. Oculum adiiciant tum Vicariis, tum subditis. 1. Sic Moyses; etsi haberet 70. seniores. Exod. 18. *Qui iudicarent plebem omni tempore*; Attamen, *quicquid grauius erat, referebant ad ipsum.*

2. Principatus enim sunt onus personale; ideo humeris incumbit Vnius; Isa. 9. *Principatus eius super humerum eius.*

3. Elias vnus erat *Currus Israel, & auriga eius*: 4. Reg. 8. ita Princeps bonus.

Seruus dominans nocet subditis.

At, quia Officialibus minus attendunt Principes; hinc lachrymæ. Saul visis & auditis Galaaditis plorare, (opprimebantur enim ab Ammonitis,) quærit: 1 Reg. 15. *Quid habet populus, quod plorat*: Reque cognita, spondet auxilium: *Et insiluit spiritus Domini in Saul, & iratus est furor eius.*

Et Dominis.

III. Atqui subinde Domini seruos, vt dicitur, adorare videntur: tantumque eis tribuunt; vt & à subditis pene adoratos velint. 1. Similes Nabuchodonosori; qui iussit adorari statuas à se erectas; etsi luteas. *Dan.* 5. Hinc serui videntur esse domini: & vice versa. Quod quicumque seruo displicet; Domino item. 2. Accidit hoc Dauidi. Cui Achis Rex 1. Reg. 29. *Scio, quia bonus es tu in oculis meis, sicut Angelus Dei: sed principes Philistinorum dixerunt: Non ascendat nobiscum in prælium.* Igitur eum ablegat ex aula, Heu! Hæc hodie ruina est regnorum, magnificatio seruorum.

Et regitur à Satana.

3. Ita Satan decepit Achab. 3. Reg. 22. *Ego decipiam illum. Cui Dominus: in quo? Et ille ait: Egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum. Et ait Dominus: Decipies, & prævalebis. Egredere, & fac ita.* Non sic egit hic paterfamilias.

IV. Neque tamen ipse; sed procurator mercedem adnumerat. Recte. Melius enim æstimare de labore sciunt experti, vel inspectores propiores: quam deliciis assueti sæpe Domini. Procurator autem noster est Christus, Heb. 4. *Tentatus per omnia.* 1. Hoc vnum solabatur Iob 14. *Scio quod Redemptor meus viuit*, qui ærumnas has ipse vti inspicit; sic & compensabit. 2. Idem vnice orauit Ps. 71. *Deus iudicium tuum Regi da, & iustitiam tuam filio Regis.* id est: Transfer in filium tuum munus remunerationis, quam mihi datam volebas. 3. Item Psalm. 85. *Da Domine imperium tuum, puero tuo, Christo.*

Expertus Procurator est Christus.

PARS VI.

Quales Operæ?

I. OPerarij in Ecclesia multi, strenui. Quia Eph. 4. *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Euang. alios autem Past. & Doctores, ad consummationem SS. in opus ministerij, in ædificationem Corporis Christi.* Ita tunc:

Ecclesiastæ boni rari.

Nunc vero Matt. 9. *Messis quidem multa; operarij vero pauci.* Quia mundus operas omnes conduxit. Vt 1. Reg. 13. *Faber ferrarius non inueniebatur in omni terra Israel. Cauerant enim Philisthiim; ne forte facerent Hebræi gladium, aut lanceam*, vel ad resistendum, vel rebellandum. Ita mundus arma eripit plebi spiritalia, fabrosque eorum. Prædicatores bonos Philisthæi non abduxerant negotiatores, vsurarios, aulicos: sed fabros & poliones. Ita nec mundus frigidos, vanos aut improbos prædicatores non retardat. Si tamen quos relinquit spiritales, eos tibi inutiles censet; nato sque fruges consumere.

Perfecti quales.

Veri operarij specimen in Hiera Tyrio descriptum est. 3. Reg. 7. *Misi tibi virum prudētem, qui nouit operari in auro arg. ære & ferro & marmore & lignis: in purpura quoque hyacintho, byssо & coccino: & qui sciat celare omnem Scripturam, & adinuenire prudenter, quodcun-*

quodcunque in opere necessarium est. Talis Ecclesiastes esto, aptus in omni materia labora, in summis, mediis, infimis, duris, mitioribus &c. in omni tentatione, affectione, casu.

Catastropha omnium. II. *Voca operarios.* Vbi ergo Nobiles, Philosophi &c. Illi mundi luce euocantur ad alta; at in vespera iudicij extremi vocantur *Operarij.* 1. Tunc magis proderit remisisse iniurias, &c. quam Cæsaris habuisse victorias. 2. Tunc vnus actus humilitatis est pluris, quam Alex. Magni maiestas: Eleemosyna pluris, quam opes Crœsi, Assueri, Crassi. 3. Tunc Isa. 29. *Libanus in Carmelum conuertetur.* 4. Tunc fertilia, pulcra, &c. mundi sterilescent, sordescent, &c. Tunc verum, quod 1. Reg. 2. *Sterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios, infirmata est.*

PARS VII.

Quæ merces operarum?

Bona opera sunt saluti fera; sed in Christo. I. REdde illis mercedem, bonorum operum. Ergo hæretici sunt, qui istam his reddi negant. 1. Contra Gen. 15. *Ego sum merces tua magna nimis.* 2. Mar. 9. *Non perdet mercedem suam.* 2. Mat. 5. *Exultate, quoniam merces vestra magna est in cœlis.*

Fateor, ex nobis *serui inutiles sumus.* 1. At *Sufficientia nostra ex Deo est.* 2. Cor. 3. Et *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Phil. 4. 2. Vt, 4. *Reg.* 2. putiscentes aquas Ierichuntinas Elisæus iniecto sale reddidit dulces: Ita sal nostrum sunt merita S. Crucis Christi. 3. Moysis manus extra sinum erat leprosa; reducta in sinum fit munda. *Exod.* 4. Sic opera nostra extra Christum. Adeo primas operum nostrorum debemus Deo; *qui dat velle, & perficere.* Vnde ait per Psal. 91. *Cum ipso sum in tribulatione.* Ideo inuocatur Sap. 9. *Veni ad me Sapien. Dei. Vt mecum sit, & mecum laboret.*

Qui gratiã habet habebit & gloriã II. Mira dignitas hominis, qui in collegam à Deo adsciscitur, cuius etsi minor pars operis est; ei tamen merces datur *dat pro opi. rib. Christus.* soli. 1. Vt si Dux multa pertulisset in obsidione vrbis; occupatæ vero triumphum Tribuno cederet. 2. Vt fecit, 2. *Reg.* 12. Ioab, castra Rabbath delens, & vrbem Aquarum cogens ad deditionem; prior noluit intrare, sed Regi nunciat, vt prius intrantis sit gloria Regis. Ita Dominus suum donum esse meritum hominis facit.

3. Simile in expugnatione vrbis Ierichо *Ios.* 6. Iussit Dominus omnes stare in acie, muros circumire; cum tamen ipse eos deiicere statuisset, & deiecit. At cooperatores eos esse cupiebat; non egebat. 4. Ioas Rex Israel, 4. *Reg.* 13. eiicit sagittas, at Elisæus tergo eius imponebat manus suas. Sic homo Rex mundi, tela operum bonorum iacit; at Deus prosperat.

5. Sane Isa. 64. *Iustitiæ nostræ quasi pannus menstruatæ.* At in Christo fiunt *gloria & honore coronatæ.* 6. Nam Cant. 5. *Species eius, vt Libani.* In quo monte quasi omnis decor templi creuit; cum omnia ligna inde sint desumta. Ita *omnis species* operum nostrorum est, *vt Libani* Christi. At Christo, Isa. 35. *Gloria Libani data est ei, decor Carmeli, & Saron.* 7. Clare Paulus Rom. 11. *Tu autem cum oleaster esses, insertus es oliuæ & socius radicis, & pinguedinis factus es.*

PARS VIII.

Quis, quantusque Denarius?

Virtutis modum, tempus, munera Deus. I. ET *acceperunt singuli denarios*, æternæ vitæ. At cur vnus idemque singulis; 1. Hæretici aiunt, indicari æqualem omnium gloriam fore ex mera gratia; non ex operibus. 2. Catholici quidam aiunt, Deum, præter omnium opinionem, his minorem, istis maiorem daturum gloriam, quam meriti fuerint. 3. Omnes fere aiunt, mercedem dandam non vitæ tempori; sed operi, operisque charitati. 1. Hunc ad modum Sap. 4. *Consumma-*

ſummatur in breui, expleuit tempora multa. 2. Sic qui vna hora laborarunt nouiſsimi, pares fiunt primis, aut ſuperiores.

Imperfecti ſecus. Hinc Religioſi non ſe efferant ob profeſsionis antiquitatem. Virtutes numerent; non annos. 1. Et iſti ſunt refutati, qui dicebant: *Hi vna hora laborarunt, & pares nobis feciſti, qui portauimus, &c.* 2. Sic & 1. *Reg.* 30. Expugnatores vrbis Sicelech nolebãt eſſe ſocios prædæ eos, qui ad ſarcinas remãſerãt. At ſecus ſanciuit Dauid.

Trutina meriti trilanx. *II.* Recte. Nam meriti magnitudo è tribus maxime ſumitur. *Primo*: Ex temporis diuturnitate. 1. Idem Iacob, *Gen.* 31. queſtus eſt ad Laban: *Viginti annis ſeruiui tibi.* 2. Sic frater prodigi ad Patrem, Luc. 15. *Ecce tot annis ſeruiui tibi.* 3. Sic Ezechias Rex, 4. Reg. 20. *Memento quæſo, quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto.*

1. Tẽporis.

2. Laboris. *Secundo*: Ex difficultate operis. 1. Hinc *D. Th. q. 26. art. 2. ad 8.* putat Martyrem Confeſſori præire multo quoad præmium accidentale. Ergo quiſque ſe animet ad opera ardua, & heroica; dicatque cum Dauid ad Achis: 1. Reg. 18. *Nunc videbis, quæ facturus eſt ſeruus tuus*: præſertim ſi cauſa Dei difficultatem habuerit.

3. Charitatis. *Tertio*: Ex charitatis quantitate. 1. Sic, *Luc.* 2. viduæ denarij duo pluris æſtimati ſunt quam cæterorũ oblata in gazophylacium. 2. Sic, qui vndecima venerunt.

Iuſta querela nullus locus. Quod autem Deus huic maiorem, minorem illi det gratiam: eſt, quia ſic vult. 1. Liquet hic in murmurantis increpatione. 2. Dein, vt in creatione conqueri vna creatura non potuit de altera nobiliore: ita nec in reparatione ad gratiam. 3. Ganyceium puellarum Aſſueri conqueri non poterat de Eſthera, cunctis prælata: ſat iis eſſe debebat, ſe ipſas ex humili euectas ad Regiam Maieſtatem gemmis auroque rutilare, *Eſth.* 2. Ita ſub lege Chriſti, qui vna hora laborant, maiori ſæpe gratia dotantur, quam qui ſub lege Moyſis pondus & æſtum diei tulerunt: Neque tamen, quod conquerantur, habent. *Perora* ex repetitione dictorum, patheticos inſtituta.

DOMINICA SEXAGESIMÆ.

Exiit, qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum. Luc. 8.

Simile in Dominica V. Poſt Epiphaniam.

IN arca Noë, *Gen.* 8. triſtega, ſiue habitacula erant quina. Primum Foricarum; ſordibus egerendis. Secundum, penuarium; victui aſſeruando, Tertium, Cauea ferarum. Quartum, Stabulum animalium cicurum. Quintum, habitaculum hominum, & volucrium. Hæc Figura. Iã Parabola; Iſtis volunt interpretes ſignificari totidem loca diuerſa iacti ſeminis.

Vtriuſque applicatio, & explicatio datur iſta. 1. Terra ſecus viam, ſiue ſentina arcæ, notat Luxurioſos, non niſi immundas cogitationes corde, & ore egerentes. 2. Terra ſaxoſa, ſiue penuarium, indicant ſuperbiam: Quod opes pariant corda ſaxea, & elata. 3. Terra ſpinoſa, ſiue cauea ferarum, ſignificat auaros: qui, quæ dentibus & vnguibus rapiunt, eadem & dilaniant. Nam ſpinæ pungunt, & lacerant. 4. Terra bona, ſiue cubiculum hominum, & ſtabulum cicurum, deſignat animas ſtudioſas virtutum.

Triplex quoque ſtatus Fidelium denotatur. 1. Coniugalis, per cubiculum cicurum animalium. Huic fructus eſt tricesimus. 2. Cœlebs, per hominum cohabitationem. Nam homines in arca ſe cõtinuiſſe, aiunt Doctores. Huic fructus eſt ſexageſimus. 3. Virginalis per aues notatur cœliuagas, & cælicolas: Eſt n. proximus Angelorum: Et fructus illi centeſimus eſt. Nos modo

I. Parabolas quaſdam de Verbo Dei adduximus.

II. *Cur parabolis vsus Iesus: & quis Sator sit.*
III. *Quales esse satores Verbi Dei oporteat.*
IV. *Quæ alia seminatoris sint aduncta.*
V. *De clamore Domini; & auribus populi.*
VI. *Quod semen secus viam.*
VII. *Quod semen cadat super petram? quod inter spinas.*
VIII. *Quæ terra bona: & quis fructus eiusdem?*

PARS I.

Parabolæ quædam, de Verbo Dei.

SScriptura Verbum Dei variis rebus assimilat, ob effecta innumera. *Primo*, PLVVIÆ, Psalm. 67. *Pluuiam voluntariam segregabis hæreditati tuæ Domine:* scilicet Ecclesiæ. 2. Didicit id Dauid à Moyse, Deut. 32. *Concrescat in pluuiam doctrina mea, fluat, vt ros, eloquium meum.*

3. Quem Ioannes vidit, *Apoc.* 1. cano capillitio, oculis flammeis, facie solari, manu stellata; & erat *Vox illius tanquam vox Aquarum multarum.* Quia, vt aquæ terram fœcundant: ita Christi Verbum.

4. Iubetur, Matt. 17. *Ipsum audite.* Nimirum, quia, Eccl. 39. *Ipse tanquam imbres, mittet eloquia sapientiæ suæ.* Talis esto Prædicator.

Secundo SECVRI. Vt 1. Matt. 3. *Iam Securis ad radicem arboris posita est*, id est, Prædicatio, ait hic S. Hieron. ad voluntatem, non ad ramos posita est; & clamatur, Matth. 3. *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Iuste.* 2. Hinc, Dan. 4. *Succidite arborẽ, & dissipate illam. Fortiter hoc quidem, at clementer istud: Attamen germen radicum eius in terra dimittite.*

Male videtur apposita securis; quod nõ excisa stirpitus fuit. Discat ergò Prædicator non solos manes inanium conceptuum ramos amputare, vel iniquitatum: sed ferire radices ipsas. 3. Dauid, 1. *Reg.* 17. ita destinauit lapidem, vt ictu primo Goliathum sterneret ac obtruncaret. Caput pete, Prædicator; non circa pedes vel brachia girato. 4. Arborem totam succidi iussit Dominus infructuosam; *Luc.* 13. non tantum luxuriem ramorum putari. 5. Idem iussit *Deut.* 20. Vt primum Israelitæ terram Chanaan inirent, arbores succiderent infrugiferas omnes. 6. *Exo.* 34. Prohibito omni commercio cum gentibus, iussit quoque sic: *Lucos earum succide, aras destrue, confringe statuas.*

Tertio, Fermento. Vt Luc. 13. *Regnum cœlorum simile est fermento; quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus.* Scio, per fermentum hic intelligi 1. ab S. Aug. l. 1. quæst. Euang. q. 12. Charitatem: 2. Ab S. Chrys. Apostolos: 3. Ab S. Hieron. & Ambr. Iesum ipsum: 4. Attamen ab S. Hieron. Verbũ Dei: per satata tria, tres animæ potentias: irasc: cõcup: rationalẽ. Nam verbum Dei partem rationalem erudit; irascibilem coercet: concupiscibilem frenat: Totam animam sapidã reddit: vt dicat, Psal. 118. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua: super mel & fauum ori meo.*

Quarto, Gladio. Vt Hebr. 4. *Viuus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti.* Sic Orig. hom. 3. in 12. Num. Aug. Epist. 58. & l. 20. ciu. c. 21. (Licet alii intelligant id de Verbo incarnato) Vidit Ioannes *Apoc.* 1. quod *de ore eius gladius vtraque parte acutus exibat*, id est, Verbum Dei, ait Primasius, Aretas. & c. Anceps vero: 1. Ob vtrumque Testamentum; teste Aug. l. 20. ciu. c. 12. 2. Quod verbum Dei in V. T. superfluitates carnales; at in N. T. spiritus dedecora præscindat.

3. Quod contemptores eius in anima, & corpore puniendi sint. *Cant.* 3. Lectus regius Salomonis à LX. fortissimis Israel circumstari dicitur, binos gladios habentibus in manu vnum, alterum super fœmur. Sic Theodoretus ait, Verbo Dei

Dei mentem, manumque armatam esse oportere.

Quinto, Semini confertur Verbum Dei in hoc Euangelio.

PARS II.

Cur in parabolis locutus Iesus: & quis sator?

I. SEminans est Christus. Sic *Hieron: Chrys. hom.* 45. *Iren.* 1. Quod is desinu Patris *exiit*: 2. Quod *suum semen* seminauit. Nam omnes alii non *suum*, sed Christi seminarũt. Vnde Prophetę semper; *Hæc dicit Dominus.* At Christus: *Ego autem dico vobis.*

1. *Ob nostram tarditatem.* Nota vero, quod Matth. 13. *Sine parabola non loquebatur ad eos.* Inde de X. Virginibus, Grano sinapis, Thesauro absc. Margarita pretiosa; Nuptiis; pastore bono; Vinea, Sagena, zizania, Seminante. Cur? An, vt ex rebus creatis assuefaceret ascendere nos ad creatorem? Vtque ex hisce cõdiscere mus? 1. Ita sane Rex quidã; cuius filiolus alphabetum è tabella discere nõ quibat obtusior; tot ei pediſſe quos addidit, quot literæ sunt; singulisq; singularũ nomina literarũ indidit: & sic puellus alphabetũ ocyus addidicit. Ita & Deus res creatas, vsu consuetas, nobis pędagogas dedit in parabolis. 2. Causam dixit per Isaiam, ca. 51. *Fili mi, Ego posui verba mea, vt cum illis plantes cœlos interra*: id est omnibus ex rebus similitudines spirituales elicias. Sic allegorizat Ioel 3. *Stillabunt montes dulcedinem, & colles lac, & mel.* hoc est, ipsum Messiam.

2. *Ob vtilitatem in pietate.*

Christus est sator. II. Et hic est sator: Zach. 13. *Ego sum colonus.* Habet enim omnes proprietates seminantis. 1. Sator, etsi dives sit; vestem tamen humilem induit. Ita Dominus noſtro se vestiuit sacco; eoque demum lacerato, & conscisso. 2. Sator vtitur bobus aratoribus: Dominus Apostolis Prædicatoribus, qui glebas animarum frangant, & noualibus semen credant.

1. *In veste vili.*

2. *Cum bobus.*

3. *Sermone.* 3. Sator sermone vtitur suæ functioni consono: Dominus parabolas duxit non à rebus philosophicis, astrologicis, altis: Sed obuiis, vt colonus. 1. Hoc obstupuit Baruch cap. 3. *In terra visus est, & cum hominibus conuersatus est*: qui Angelis insueuerat. 2. Hac de causa inquit sponsa, Cant. 3. *Tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ*: Nimirum, vt tanto familiarius cum ipso loquatur, & agat.

Humano.

Familiari.

3. Vt, si Rex arcana sua cum rustico communicaturus, amore viri, suum aulicum sermonem mutaret in rusticum, quo melius intelligeretur; mirandum id foret. Ita Dominus; &c. Permagna hæc est gratia.

Et simplici.

Causa, vt doceat. Idcirco Moyses, iussus à Deo omnia sua beneficia populo reducere in memoriam, recensetsingula: demum hoc quasi maximum: inquiens. Deut. 8. *Recogites in corde tuo, quia sicut erudit filium suum homo, sic Dominus Deus tuus erudiuit te*, sermone, moreque tibi vsitato. Hominem impium Balthasarum territat Deus, signo hominis vtebatur. Nam Dan. 5. *In eadem hora apparuerunt digiti, &c.* Signum hominis erant *dextra*: at verba erant supra hominem. Sic Prædicator sermone sit vulgaris; at spiritu & doctrina diuinus. Huic tamen dissimiles sunt Prædicatores Theologizantes ad populum.

PARS III.

Quales esse Satores Verbi Dei oporteat.

I. PRædicatores ergo sublimia, & peregrina non tractent: Similes ficui luxurianti multũ in folia, at in fructũ nullum. 1. Ab hoc S. Franciscus suos dehortabatur, suadebatque gladium assumi ancipitem, *Apoc.* 11. ad excidenda vitia, & inferendas virtutes. Itemque ore geri hunc gladium, impiis ad terrorem: manu autem stellas, iustis ad imitationẽ Sanctorum prælucentes. 2. Sic *Isaiæ*

1. *Non alta tractantes.*

cap. 8. suasum de mysterio Incarnationis: *Sume librum quendam, & scribes in eo stylo hominis.* id est, ad captum humanum. 3. Deus, *Dan.* 5. iram suam denunciaturus Balthasari Regi, manum hominis misit scribentem, vt is hoc melius intelligeret scripturam. 4. Deus iussit Moysi, *Exod.* 38. non tantum aurea vasa parari in tabernaculum, sed & ænea, ac viliora: Sic prædicator minuta non contemnat docere: miscere subinde sublime quid.

2. *Nisi raro.* II. Fas sit tamen quandoque curiosiora, honestaque, vtilia & licita inspergere. 1. Nam & Iudith, *cap.* 10. vsa est lautiore cultu, calamistro, & gemmis: quo gratior Holoferni, & perniciosior foret: suisque salutarior.

3. *Et cum grano.* Tempori tamen & loco seruiet Prædicator, rebusque & personis. 1. Nã Luc. 12. *Quis, putas, est fidelis dispensator & prudẽs, quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis in tempore tritici mensuram?* 2. Mensuram hanc, modumue dicendi didicerat. Paulus 1. Cor. 3. *Non potui vobis loqui, quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tanquam paruulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam.* Prudens doctis docta, rudibus vulgaria prædicabit. 3. Vt Moyses, *Exod.* 34. descendens de monte, legem promulgaturus, velat faciem, tunc mire splendentem: ne ab eo plebs diffugeret. De quo S. Greg. *Coruscantem coram populo faciem velat, qui intimæ claritatis arcana non reuelat.*

4. *Apoc.* 11. Ioannes iubetur metiri templum & aram. Quod Richã. à S. Victore l. 5. part. vlt. Past. sic exponit: *Metiri præcipitur, qui Actiuis siue Contemplatiuis Verbum eruditionis administrare, secundum vtrorumque captum, admonetur.* Ergo prædicaturus ante metiatur auditorium, & noscat mores. Nã S. Greg. in Dialog. part. 3. Past. *Pro qualitate audientium formari debet sermo doctorum.* Vt citharœdus non eodẽ chordas omnes pulsat modo: Sic Prædicator.

III. Quod vt sciat: à Deo discat necesse est. Itaque se prius in Deum includere ac abdere assuescat: vnde hauriat spiritum, quẽ promat. Nã *Exiit qui seminat.* 4. *Cumque zelo.* Exeat etiã prædicator à Deo, ab oratione, ad zelũ animarum: ab rerũ diuinarũ meditatione: ad concionandum populo. 1. Sic, 2. *Cor.* 12. Apostolus exiit è tertio cœlo ad prædicandum. O raptũ! Sed parẽ fructum. 2. Isaiæ, *cap.* 6. os calculo, ab ara accepto, mundauit Seraphin. 3. Apostoli succensi sunt igne S. Spiritus: tantũ vt digne prædicarent. O quam felix ab ara ad cathedram est progressio? Quam ignea fit post orationem peroratio.

PARS IV.

Quæ alia Seminatoris adiuncta sint.

I. *Christus semen est.* EXiit quoque Deus Pater è loco iustitiæ, (vbi concluserat eum peccatum Adæ) in campum misericordiæ; Hic seminat Christum in vtero B. V. Mariæ. Inde hoc semen cecidit secus viã in stabulo. Post idem, cum hominibus conuersatum in saxa incidit, durum genus hominum: vt lapidationi proximus esset. Deinde cecidit in spinas, his coronatus & laceratus est. Demum in terram bonam sepulcri. Vnde resurgens *ortum, fructum fecit centuplum.* Ita oportuit. Nam *Ioan.* 12. *Nisi granum frumenti, cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum afferet.* Hæc allegoria.

II. *Prædicator sit exemplaris.* Iam litera. Qui seminat; manu serit: Prædicator opere doceat, 1. *Leuit.* 19. vetitum, diuerso semine conseri agrum. Quod fit aliud verbo, aliud opere declarando. 2. Ideo *S. Basil. in Psal.* 44. ait, Prædicatoris vestem è duplici texi oportere tela; Verbi, & operis.

Sit publicus. Deinde *exiit* dedie. Qui enim seminat nocte; is iuste suspectatur. 1. Ideo, Prou. 1. *Sapientia foris prædicat; in plateis dat vocem.*

vocem suam 2. Item Dominus interrogatus de doctrina, ait, Ioan. 18. *Ego semper palam locutus sum; & in occulto locutus sum nihil.* 3. Qui secus; *is inimicus homo* est: Quia *cũ dormirent homines, venit.* Matth. 13.

Non auarus.

III. *Exiit seminare:* Vt confundat exeuntes tãtum ad colligendum auarè Mat. 25. *Metis, vbi non seminasti:* Heu! Quot metunt; & non meruerunt; Nemo Eccl esiasticus meretur temporalia, nisi seminarit spiritalia. 1. Cor. 9. *Si nos vobis spiritalia seminamus; magnum est, si carnalia vestra metamus.* Esto: sis doctus; possis serere: at non seris. Cur metis? Vel nomen seminantis incassum geris: messoris vero etiam ad damnationem tibi cadet.

Plus est quam Creator.

Nomen id excellentius est nomine Creatoris: Actanto; quantum gratia superat naturam. Nam Deus, in quantum Creator, orbem creauit, & mera naturalia: At in quantum Sator, mera diuina seminauit: Verbum, Gratias, Sacramenta, &c. Ideo per excellentiam dicitur: *Qui seminat:* quasi *solus* ipse per se; sementem quoque suam sanguine suo irrigauit. Et hoc verè est *semen suum.*

Heu, quot alienum serunt semen carnis, dæmonis: &c. Sed Sap. 4. *Adulterinæ plantationes non dabunt radices altas.* Quem ergo fructũ? Perditionis. Quippe quorum *Deus venter*, eorum *finis interitus* est.

PARS V.

De clamore Domini, & auribus populi.

Causa clamoris Christi.

I. *Vi habet aures audiendi, audiat.* Dominus ter exclamasse legitur. 1. hîc. 2. Ioann. 7. *Qui sitit, veniat ad me, & bibat.* 3. In cruce expirans: *Pater in &c.* 1. Hic autem ipse clamat prædicator Dominus: Quia Ioannes, ante pro eo fuerat *Vox Clamantis.* Ioan. 1. 2. Clamat: quia Verbum Dei dignum auditu est. Ita Pater; Matth. 17. *Ipsum audite.* 3. Quia est *Verbum Vitæ,* mortuis animabus resuscitandis. Sicut *Ezech.* 37. Vox Dei, per agrum sparsa cadauera, & ossa arida, redanimat.

Christiani surdastri

II. Sed *Audiat qui aures habet audiendi* diuina. Nam vana plerique amant. 1. At *Leuit.* 22. Noluit Deus victimam sibi fieri sine auribus & cauda: id est: nouissimorum immemorem, eaque non audientem libenter. 2. Loth. *Gen.* 10. generos suos monuit secum exire, cremandam fore Sodomam. *Surgite*: ait, *egredimini, quia delebit Dominus ciuitatem.* At non audiere: fabulam rebantur. Pereunt. Sic Prophetæ, Euangelistæ, Ecclesiastæ canunt nobis pluuiam sulphureã, & spiritus procellarum diros: at surdis canunt, & ad fabulas conuersis.

1. Deo ingrati

2. Pereunt.

3. Fabulas captant.

3. Demosthenes aliquando de re graui perorabat ad populum Athen. Hoc pertæso, alioque circumspectante, Orator fabulam orditur de asini vmbra. Æstate aiebat, Athenis Megærasiturus agaso in via sub vmbra asini à se conducti, solem declinat. Locator se asinum, non vmbram locasse contendit: pertendit alter contrà: Vnde lis. Dixit. Abijt. Reuocatum rogat populus, pertexat apologum. Quibus ait: *De vmbra asini audire cupitis; de salute Græciæ disserentem audire detrectatis.* Similes & hodie auditores multi. Et hi similes sibi nanciscũtur sæpe oratores. Illi aures asini habẽt; quia hi fauces: Nã asininum rudunt.

4. Nota electionis & reprobationis.

4. Inter cætera gratus Deo Dauid pro beneficiis, etiam gratias agit proauditu: Psal. 59. *Aures autem perfecisti mihi.* S. Hier. ex hebræo vertit: *fodisti.* q.d. æternum me seruum tibi effecisti. Nam, *Exod.* 21. aures perfodiebantur seruo perpetuando. Nota serui Dei, æternum electi, est audire Verbum Dei aure aperta. At nota reprobationis videtur esse audire graniter. Quæ, heu, quam vulgaris?

Vnde semen perit plurimum.

PARS VI.

Quod semen secus viam.

Perditio seminis.

I. *Aliud cecidit secus viam*, scilicet, in priscos Philosophos, aliquam Dei cognitionem habentes. 2. *Aliud* in saxa, *duræ ceruicis* Iudæos : quorum lex in lapideis incisa tabulis, & caro lapideo cultro circumcisa; non corda. 3. *Aliud inter spinas*, Turcas 4. *Aliud in* terram bonam. Ecce 1. Pigros. 2. Obstinatos, 3. Diuites. 4. Fructuosos. Hæc allegorice.

Est informatio Prædicatoris.

Sed eccur Sator bonus, in tria illa loca non bona semen iactauit bonum ? 1. Vt imitemur verbum bonum communicantes omnibus. Exéplo dicentis Rom. 1. *Græcis ac Barbaris, sapientibus & insipientibus debitor sum.* 2. Ad consolationem Prædicatorum ; si zelo eorum minus respondeat fructus. Nam *Aug.* ait. *Magna consolatio membris ex cap.* 3. Quod is, cuius semen est, sterilem potest in fertilem commutare. Iob 14. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine, nisi tu, qui solus es?*

Secus viã 1. sunt peccatores.

II. *Secus viam*, id est, in peccatores ; qui Verbum Dei pessundant. Per horum vias enim volant harpyiæ infernales, aues que feræ, quæ deuorant semen, *Vel :* Cecidit in occasiones peccandi. nam & has habentibus deuoratur semen. 1. Vt Dina, *Gen.* 34. Vrbi Sichem videndæ egressa, defloratur. Reperturam se fœminas rata, viros reperit, & rapta est. 2. Atq; idcirco Deus, *Exod.* 19. daturus legem Moysi, edixit: *Qui tetigerit montem morte morietur.* Sciebat, si tetigissent vel primo pede, eundem & ascensuros fore.

2. Oscitabundi auditores.

Secus viam sunt etiam S. Chrysostomo, *hom.* 45. *in Matth.* oscitabundi auditores, & ociosi, Hi à Prædicatore accipiunt, foruntque Vriæ literas, 2. *Reg.* 11. Putant se exauditis concionibus in die iudicij prouehendos fore ad præfecturam: Et ecce, literas Deo aperiente, inuenientur minus habentes: & dedentur neci: æternumque iacebunt *secus viam* damnati.

3. Luxurio si, qui innotescunt.

3. *Secus viam* sunt quoque venerei furtiui. Furantes Venerem latere putant : at innotescunt cunctis. 1. Cœcus amor. Videri nec vult, nec videt se videri publice. Vti, quæ secus viam sunt, ipsa & in oculis sunt. Difficile occulas amorem. *Quis enim celauerit ignem ?* ait Ouid. At *Beati quorum tecta sunt peccata.* Psalm. 31.

Dant scandala.

2. Thamar, *Gen.* 38. secus viam sedens fefellit Iudam, putantem cum prostituta, non cum nuru, se rem habere. Ita peccatum vt scortum, semper secus viam assidet, insidians viatoribus, sub specie rei multis consuetæ, nec magni momenti: At magna dantis scandala in publicum.

Sunt collegium peccatorum.

3. Ita Isai. 51. *Posuisti corpus tuum, & cor tuum, & desiderium sicut viam ; vnde transeunt omnes.* Et hoc vel maxime de libidinoso dicendum. Nam cæteri peccatores sunt in vno genere peccandi insignes : at luxurioſi patent pluribus, tanquam *secus viam* positi : vti scelerum propudium omnium.

Et excusatores sui.

4. Belle igitur Eccl. 9. *Omnis mulier fornicaria, quasi stercus in via ab omnibus prætereuntibus conculcabitur.* Nullus peccatorum pene verbum Dei vilius pendit, quam Venerei. Adeo multa causantur : iuuentutem præferuidam ; naturam fragilem, occasionem multam, & ineuitabilem; lapsus facilitatem; nec adeo atrocem esse eius immanitatem; facilem ex eo resipiscentiam; Et commune plurimis: summis quoque viris obuium. Vnde sibi blandiuntur in sinu, & Dei Verbum auferri vilipendunt: sicque pereunt.

Eorũ exitus est, deuorari.

III. *Aues deuorant illud.* 1. Sic Oseæ 7. *Extranei comederunt fortitudinem eius, & illi ignorauerunt.* Animæ fortitudo est Verbum Dei. Hoc deuorati, indicium est perpetui interitus : Nam temporaneus non accidit animæ. 2. Ecce, Pistor Pharaonis

raonis videbatur sibi tria farinæ canistra ferre in capite, ciboſque pistorios; & hos ab auibus deuorari. Ioseph ei suspēdium inde auguratur. Sic qui farinam Verbi Dei in capite tantum gerit, non dentibus masticat, nec ruminat eam cogitatione; sed auibus fert propatulam: quid ei, nisi suspendium infernale? 3. Israelitis terram promissionis cultam, ac satam perdunt in herba Madianitæ & Amalecitæ. Sic dæmones voluagi in cordibus, patulis vanitati, deuastant animas, seminaque rapiunt prædicatorum.

Sunt Contemptores Prædicationis.

4. Quin luxuriosi quoq; prædicantem de luxuria exsibilabunt: dicat licet ex *S. Greg. in Moral.* quod omnes ad vnū S. Patres eam suis pingere coloribus nunquā sat potuerint: Dicat cum *S. Hieronymo in Matt.* ea mentem turbari, iudiciū inuerti, spiritum eneruari, animā excœcari, hominem obbrutescere. Et cum *S. Isidoro lib. de sum. bono.* Luxuriosum reddi viuū cadauer, tetrū spirans. Et *cum S. Bern.* Lasciuū subire labores, pericula vitæ & famæ; intus discruciari. &c. Omnia amore (an furore?) amantes exsibilabunt mulierosi.

PARS VII.

Quod cadat semen super petram? quod inter spinas.

Auari sūt obstinati.

I. ALiud *c. super petram.* id est, super auaros ait *S. Tho. Aqu.* Nam his, vt obstinatis, deficit humor gratiæ; ac proinde etiam germinatio. 1. Ideo Tentator, *Matt.* 4. Iesum subuexit in summa petrarum iuga, ostentans illi è rupe omnia regna.

2. Sunt naufragi.

2. Vt rupes sub vndis impactas euertunt naues, aut lacerant: Ita in mundo scopuli auaritiæ naufragium multos subire cogunt. *Heu, fuge littus auarum!* monet Polidorus apud Virg. Æn. 3.

3. Infelices.

3. *Apoc.* 8. Vt Aquila, visa Ioanni, clamat: *Habitantibus in terra væ, væ, væ.* Ita Prædicatores; (quorum vt Aquilæ, *Conuersatio in cœlis est:* Phil. 3.) clament ad terræ filios: *Væ*; ob laborem in parandis opibus: *Væ*; ob anxietatem in conseruandis: *Væ*; ob dolorem in amittendis. Aut: *Væ* libidinosis! *Væ* auaris! *Væ* diuitibus! Idem innuit Ieremias 22. *Terra, audi Verbum Dei.* Væ triplici terræ isti!

4. Inconstantes in bono proposito.

4. Vrgendi sunt. Vti Ioas Rex, 4. *Reg.* 13. Hic inuisens Elisæum ægrum; iussus ab hoc sagittas eiaculari per fenestram, at tres solum excutiens ab Elisæo arguitur. Ita multi seruire Deo incipiunt; sed cito defatigantur. Eiaculantur vnam sagittam boni propositi, suggerente Deo, tanquā Elisæo: iaciunt dein alias: sed non vltra tertiam. Bis forte ieiunant; bis confitentur; ter cauent male sueta; at non vltra. Occurrit petra scrupulosæ difficultatis: mox arescit propositum, & excidit.

Diuitiæ.

II. Aliud cecidit inter spinas diuitum. Nam

1. Lacerant

1. Vt spinæ lanam ouibus auellunt; ita diuites substantiam pauperum.

2. Perdūt.

2. Vt thamnus spinosus, Rex arborum factus, *Iudic.* 9. incendio omnes, & se quoque perdidit eodem; Ita diuites, iam respectati, & animam suam, & aliorum fortunas sæpe eunt perditum.

3 Cruciant Iesum.

3. Vt in Passione Domini corona spinea præcipue eminebat; ita diuites plurimum ad Passionis Dominicæ causam conferunt aggrauandam.

4. Vitiis Deum vrunt.

4. Moyses, *Exod.* 3. viso, ardere in rubo Deum, ait, *Ibo, & videbo visionem hanc magnam.* Et vere prodigium est, Deum in rubo diuitiarum ardere. Nam vt spinæ sunt latibula serpentum; ita diuitiæ cunabula vitiorum sunt ac fomenta. 5. Vnde 1. Timot. 6. *Qui volunt diuites fieri: incidunt in tentationē & laqueos diaboli, & desideria multa inutilia, & nociua, quæ mergunt hominem in interitum, & perditionem.* Quare hoc?

5. Damnāt.

6. Suffocāt.

6. Quia *spinæ simul exortæ suffocauerunt illud.* Nimirum, *Quia importunis cogitationibus suis guttur mentis strangulant*: ait S. Greg. homil. 15. hic. At illa de causa veruit olim

olim Deus ita: Deut. 16. *Non plantabis lucum, & omnem arborem iuxta altare Domini Dei tui.* Ara Dei, est cor nostrum; arbores vero, opes & delitiæ: Harum vmbra cor inumbratum frigescit.

PARS VIII.

Quæ terra bona: & quis fructus eiusdem.

Fructificandum est bonis operibus.

I. ALiud cecidit *in terram bonam*, animâ fide & charitate integram: *Et fecit fructum centuplum*; Vel bonorum operũ, vt Matt. 21. *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.* Vel Beatæ vitæ, secundum 2. Cor. 9. *Qui parce seminat, parce & metet, & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.*

Reclamant hæretici.

Liquet hinc hæresis Caluinistarum, & Lutheranorum. Qui negant, vitam æternam bonis operibus nos promereri. Cum tamen fructus non tam bonitati terræ, quam diligentiæ laborantis respondeat. Item dicentium: Eandem omnium beatorum gloriam esse sine discrimine. Cum tanta hic fructuum sit differentia. Quam quidem differentiam gloriæ S. Patres alij aliis Fidelium statibus, vel Ordinibus diuersam fore dandam in cœlis affirmant. Caluiniani autem ipsos in hoc, vt & in cæteris, impie exsibilant. Sed eos refutat hic terra alia fructificans, quam altera, felicius. Vt stellam stella superat claritate; vt terram terra fertilitate, ita iustum iustus gratia & gloria, sine tamen inuidia.

Saluantur pauci, cur?

II. At, at, Eheu! quantula saluandorum paucitas? Qua de causa? 1. Cor. 19. *Nolo vos ignorare, Fratres, quoniam Patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt. Sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo. Nam prostrati sunt in deserto.* Pauci enim Verbum Dei audiunt cum fructu: pauciores faciunt.

Istis verbũ Dei esto tuba.

O surdos, qui illud audire nequiuerint, cum tamen, id quauis sit tuba sonantius. 1. Isa. 18. *Quasi tuba exalta vocem tuam,* Vt id esse signum belli sciatur: belli in dæmones, carnem, mundum. 2. Atque huc istud *Filij Aaron sacerdotes clangent tubis.* Nu. 20. 3. *Ibidem* iubentur duæ tubæ asseruari in tabernaculo ad bellum indicendum, scilicet vitiis; altera ad virtutem accendendam. 4. Angelus ipse *Apoc.* 1. præco Euangelij, vocem instar tubæ exaltauit. 5. Tubarum sacerdotalium clangore muri Iericho corruerunt. *Iosue* 6. 6. Gedeon tubis cuneos Madianitarum profligauit, deleuit. *Iudic.* 7.

Est malleus.

O exsensi stipites, & *arbores bis mortuæ*; qui Verbi Dei ictus minus persentiscunt! Cum tamen id malleus sit cœlestis. 1. Ierem. 23. *Nunquid non verba mea sunt quasi ignis; & quasi malleus conterens petras.* Ignis, ad accendendos bonos: *malleus*, ad conterendos improbos. 2. Vt enim label Siseræ malleum per tempora adegit, *Iudic.* 4. Ita Ecclesia sathanam transuerberat. 3. At pios delectat: Eccl. 38. *Vox mallei innouat aurem eius.*

Epilogus contra auditores, non factores.

III. Ecquid est igitur; 1. Quod *quidam firmauerunt sibi sermonem nequam*: Ps. 3. Et quod sectentur nouatores *prurientes auribus: à veritate autem auditum auertentes?* 2. Quod alij sint auditores quidem; sed adeo non factores, vt nec obseruatores illius existant? Hi aquam cribro hauriunt vasa pertusa. Omnino, Eccl. 21. *Cor fatui, quasi vas confractum; omnem sapientiam non retinet.*

Similia.

3. Quo venter cibis ingurgitatur; si mox reuomat; Quò semen in saccum pertusum ingeris? Aut cribro aquam hauris? Aut in aquam scribis, vel seminas? Quot audistis Prædicatores; & hos prædicatis ipsos: sed & algetis ipsi: vt tellus sub vltimo posita septentrione?

4. Pluuia vermes, & bufones è terra elicit: eadem & humum facit herbescere, ac fructificare. Quid in vobis Verbum

bum Dei? In hoc vermicat, in isto fructificat.

Estote factores Verbi, non auditores tantum. Iacob 1. Si Rex nuncium cum literis gratiosissimis ad nos destinaret: eum vero nullus vel domo receptaret: quæ hæc iniuria? quam iustæ foret iræ causa? At prædicatio Euangelij est, Prou. 25. *Sicut aqua frigida animæ sitienti; ita nuncius bonus de terra longinqua* cœlorum. *Perora* exrepetitis tam fortiter, quam breuiter.

DOMINICA QVINQVAGESIMÆ.

Ecce, ascendimus Ierosolymam: & consummabuntur omnia.

Luc. 18.

IN Tigri, *Tob. 6.* Ioturo pedes Tobiæ viatore, cete emergens ipsi inhiabat deuorando. Iubente Angelo: *Apprehende branchiam eius, & trahe eum ad te*; *exentera* cor, & fel asserua, morbis medendis, & cæcitati. Piscis Christus est, in Tigri passionis: sed inde emersurus erat, magis vt saluet mundum, quam vt iudicet eum. Exenterari eum vult Dominus, extaque inspici: obseruari cor abyssum bonitatis & amoris nostri; vt redamemus: Fel quoque amantissimæ passionis; vt collyrium cæcitatis humanæ. Id hodie instituit Ecclesia cultu pullo.

Sed de Euangelio nos

I. *Deum & hominem passum esse, difficile captu est.*
II. *Christo de sua passione iugis fuit memoria.*
III. *Christianorum de passo ingrata obliuio.*
IV. *Quod Debacchatio, quam Passio pluribus plus cordi.*
V. *De Traditione & illusione Domini.*
VI. *Quorum cæcus nos moneat.*
VII. *Præeuntes comminabundi quorum sint similes?*

PARS I.

Deum & hominem passum esse, difficile captu est.

DIfficile persuasu est, Christum Deum ac hominem, subiisse mortem; & mortem Crucis. Hinc, 1. Cor. 1. *Iesum prædicamus crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam.* Hoc vero torsit olim Philosophos, omnem cæteroquin doctrinam ac vitam Christianam de facili adprobantes. 1. Moyses, viso ardente, at incombusto rubo, ait, Exod. 3. *Vadam, & videbo visionē hanc magnam.* Non minus est miranda visio in Deo & homine crucifixo, & ea humanitus creditu perquam difficilis. 1. *Difficile Philosophis.*

2. Hinc ipsi Prophetæ de ea inspirati, & vaticinati, obstupuere, Isaias, c. 53. describens nasciturum, docturum, &c. passurum, exclamat, *Domine, quis credidit auditui nostro?* Habac. 3. *Domine, audiui auditionem tuam, & timui.* Idcirco dicitur *Petra scandali, & lapis offensionis* Roman. 9. 2. *Prophetis.*

II. Difficultas vero existit ex duob. in vno discrepantissimis, *Deo & Homine.* Istum descendisse, & passum: Hunc pati tanta potuisse. Ergo 1. Ps. 106. *Ascende vsque ad cœlos, & descende vsque ad abyssos*, ista consideraturus. Quis autem potest, nisi qui credit? 2. In signum istius, Seraphini, Isa. 6. *Duabus velabant faciem eius diuinam*: neque solum; sed & *duabus velabant pedes eius*, Humanitatis. Hinc scias, non solum Diuina, sed & Humana in Christo nobis occulta esse. 3. Idem dicitur, Ps. 17. *Ascendit super Cherubin, & volauit super pennas ventorum, & caligo sub pedibus eius.* Id est, Fecit opera Deus tam alta, quæ omnem superant captum. Fecit & tam humilia, quæ perinde sunt obscura intellectu. *Causa difficultatis.*

III. Philosophi veteres rationem & sensus super ista consuluerunt; & vt impossibilia exploserunt. *Orig. l. 2. contra Celsum;* *Dilemma contra Christum passum.*

Celsum; hunc ita argumentatum tradit: Passio ea fuit aut absolute necessaria; aut voluntaria. Si necessaria; ergo potétia Christi non erat absoluta. Si voluntaria, ergo stulta; quia pro tam ingratis. Fatuus igitur, aut impotens fuit Christus: proinde non Deus. Respondetur, Isa. 53 *Oblatus est, quia voluit.* Et *Ps.* 58. *Sacrificium, & oblationem noluisti, Corpus autem adaptasti mihi, Deus meus, volui*: Quod *Heb.* 10. de Christo exponitur. Imo ipse ait Ioan. 1. *Ego animam meam pono pro ouibus meis.* At vero hoc Philosophia ista cum Christo agit; quod Michol cum Dauide, 2. *Reg.* 6. Rex se regiis exuerat, induerat vili lacerna; præsultat Arcæ: visus ab vxore deridetur vt stultus. Ita Christus, gloria exutus, induit hominem, *formam serui accipiens*, Phil. 2. ridetur à mundo, quasi ista via sit animas nostras in cœlum perducturus. Sed *inanis est Philosophia, secundum elementa mundi huius; & non secundum spiritum.* Col. 2. Nam Psal. 85. *Non est similis tui Domine*: bonitate & natura: *Et non secundum opera tua.*

Dilutio.

Philosophia irridet Christum.

PARS II.

Christo de sua Passione iugis fuit memoria.

Monente Christum natura sua.

1. ECce *ascend. &c.* ad labores Redemtionis 1. Cant. 2. *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles: Similis est Dilectus meus capreæ, hinnuloque ceruorum*; per labores & aspera montium transilienti. Poterat Dominus humanam quidem naturam; sed tamē impassibilem assumsisse, sicque nos redemisse: At maluit viā scopulosam, & præfractos inire anfractus passionis. Vtque est caprea acutissimi visus, & lege sacrificiis debita: Ita Dominus acute præuidit debitam Passionem suam.

2. Comitatu suo.

2. Huius etiam monebat eum Mors & Satan. Ideo Abac. 3. *Ante faciem eius ibit Mors, egredietur diabolus ante pedes eius.* Hic superandus illa præuisa. 3. Abrahā cælauit filium suum, ipsum fore immolandum *Gen.* 22. sciscitantiq; de victima, pater ait: *Deus prouidebit, mi fili.* Sciebat horrorem mortis morte ipsa grauiorem futuram: At Deus Pater filio mortem non celabat: neq; Filius discipulis: *Ecce, ascendimus*, ait. 4. Ammon, filius Dauid, constuprarat fororem Thamar, 2. Reg. 13. *Cum audisset Rex Dauid, contristatus est valde; & noluit contristare spiritum Ammon filij.* Non sic Deus: Etsi aliena essent delicta filii; non propria.

3. Patri suo.

4. Peccata assumpto.

Rursus aliter Dauid, 1. *Reg.* 25. iratus in Nabasum ingratum, ac durum. Huius culpam Abigaili in se suscipienti eam condonauit. *In me sit, Domine mi; hæc iniquitas. Ne ponat, oro, Dominus meus Rex cor suum super virum istum iniquum Nabal; quoniam secundum nomen suum stultus.* At Deus tātum nō condonauit Filio peccata mūdi; vt etiam in eo bis vindicarit: in præscientia scilicet, & in præsentia vindictæ.

5. Et hoc semper suo.

6. Hinc sponsus ista sponsæ, Cant. 7. *Comæ capitis tui sicut purpura Regis iuncta canalibus.* Id est: Cogitationes capitis Ecclesię, *quod est Christus*, sunt sicut passio Christi ipsa, manantes sanguine.

6. Seipso.

7. Fatetur ipse, Ioan. 14. *Mandatum accepi à patre meo: Et coarctor, donec adimpleam illud.* 8. Et Ioan. 3. *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto: ita exaltari oportet Filium hominis.*

7. Iussu patris.

8. Mosis facto.

9. Imo in ipsa gloria sua Transfigurationis alium non habuit sermonē, quam de passione Ioan. 3. *Loquebatur de Excessu.*

9. Gloria sua.

10. Et Baptismum quoque suum ab Ioanne suscepit in signum, ac memoriā mortis suæ: teste Paulo Rom. 6.

10. Baptismo.

11. Eo fine & S. Eucharistiam instituit. 1. *Cor.* 11.

11. Eucharistia.

Quare qui sermo eius in hoc fuit itinere: ea fuit ipsius cogitatio toto vitę tēpore. Vt viuendo semper moreretur: licet

licét *Rom.* 6. semel mortuus sit in ligno. Heu! Itan Vita ipsa Christus mortem semper quasi in vltis, in oculis suis gesserit tua causa: & tu tanti immemor & amoris & doloris viuis? 12. Quin mortem crucis circumtulit vel iam primum natus: Isa. 9. *Paruulus natus est nobis; cuius Principatus super humerum eius.* Id est. Crux victrix, eiusque iugis memoria. Ea principatus erat: Quia *Regnauit à ligno Deus.*

12. *Natiui tate.*

13. *Nomine.*

13. Vel inde nomen accepit, Phil. 2 *Quod est super omne nomen. Vt in nomine Iesu omne genu flectatur.* 14. Suæ ipsum passionis immemorem esse non sinebat illa quondam innumera eius posteritas à Cruce descensura; De qua Isa. 55. *Generationem eius quis enarrabit?*

14 *Christianismo futuro.*

Quare *Sol cognouit occasum suum: Psalm.* 103. Quod sic D. August. interpretatur: Christus assidue præ oculis tulit passionem suam.

PARS III.

Christianorum de Passo ingrata obliuio.

Ex amore est passio Christi.

1. *Ecce ascendimus Hierosolymam.* Quo, Iesu, quo properas in arma, in supplicia, & in odia istis diriora? 1. At *omnia vincit amor.* Vere, Cant. 8. *Aquæ multæ tribulationum non potuerunt extinguere charitatem.* 2. Scipio, quod cæsum exercitum perdidisset, à Romanis carceratur. Lucius clam eum educit cum suo, & illius præsenti capitis periculo. Exclamat hic Val. Max. l 4. *Pro magnum, & inexsuperabile numen Amicitiæ!* Plus potuit vnius amici cordatus affectus; quam omnia Romanorum odia, deposcentium ad mortem vnum. At tuũ verum est amicitiæ Numen, Iesu: Tu verus es Lucius qui hominem liberas, gratiæ perditorẽ, ad mortem damnatum: ficque efficaciter liberas, vt nec Tartara sint impediendo.

Compassio à nobis ob

Ergo à Passo discamus compati, loqui, meditari de passo. 1. Si enim vel iam hic astaret Dominus, ac foret ab Iudæi ad similia abripiendus, pro nobis passurus & sic vellet Ipse: quis non exclamaret cum Dauide, 2. Re. 14. *Ego sum, qui peccaui: Ego: qui inique egi. Isti, qui oues sunt; quid fecerunt?* 2. Triste est, insontem pro sonte plecti. Ideo hoc cauit Salomon, 3. *Reg.* 8. precibus contendens à Deo, ne vnquam sibi tantæ iniustitiæ lapsus contingeret Sed esse orabat *Condemnans impiũ, & reddens viam suam super caput eius: iustificansque iustum, & retribuens ei secundum iustitiam suam.*

culpam nostram debetur illi.

II. Est quidem id, si secus fieret; (vti in Christo Passo factum) deplorandum; At hoc magis; quod tam nunc pauci peccatores talem recolant animis gratis Passionem. 1. Eheu! *Perit iustus; & non est, qui recogitat in corde suo.* Isa. 57. Non quiuis *Iustus*: sed natura *Iustus*, & alios iustificans. De quo Isa. 45. *Rorate cœli desuper, & nubes pluant Iustum*, IESVM.

Eoq; maior quo est multis ea rarior de Iusto.

2. Saul prælio oppetens in monte Gelboe à cunctis filiabus Israel plangebatur: quod *eas coccino vestiebat in deliciis*, & vestibus aureis ornabat. 2. *Reg.* 2. Et non comploremus nos crucifixum in cruce Caluariæ animarum nostrarum Exornatorem? 3. *Omnes qui transibant locum, in quo ceciderat Asal,* (Dux & cursor ceruis ocyor, ab Abner hasta occisus) *& subsistebant:* viso, tantum virum instar gregarii iacere. Non subsistemus viso Crucifixo Illo: nec ingemiscemus super eos qui Psal. 18. *Exultauit, vt gigas, ad currendã viam: à summo cœlo egressio eius.*

De ornatore nostri.

De præcursore.

III. At interrogant Philosophũ quẽdam, *quid citissime senesceret.* hic respondit: *Beneficium*: teste Plutarcho. *Senuit* apud plurimos *Beneficium redemtionis.* Heu! *Obliti sunt beneficiorũ eius mirabilium, quæ ostendit eis* Psalm. 27. 2. Sapienter, & iuste Iacob nomen indidit maiori natu filio *Ephraim*, id est, *Abundantia*: Alteri

At ingrati sumus.

natu *Manasses*, id est, *Obliuio Genes.* 14. Indicans, in beneficiorum affluentia homines istorum excidere memoria. 1. Dauid, 2. *Reg.* 8. (sicut pleriq; Reges) habebat Iosaphat à commentariis, & memoria, qui intento pluribus Regi suggereret merita subditorum, ac obsequia. Et Reginæ nostræ Animæ sua est memoria. Quid ergo rarius suggerit tantum passi meritum? 2. Nauis in statione 4. alligari sueuit anchoris: Et antima nostra 1. Proposito vitæ melioris. 2. Oratione. 3. Sacramentorum vsu. 4. Beneficiorum Dei memoria firmetur. Sin', male agetur cum ea. Audi, Psalm. 118. *Nisi quod lex tua meditatio mea est, tunc, forte periissem in humilitate mea.* 3. Iussi à Deo Sacerdotes ignem perpetuum in ara fouere. *Leui.* 6. Ecce lignum Crucis, flagella, arundinẽ, lanceam, spinas: foue ignem amoris, & compassionis in corde.

Simus grati ob meritum.

Ob animæ firmationem.

Ob debitã Charitatẽ.

PARS IV.

De bacchatio quam Passio pluribus plus cordi est.

De bacchãtes in Passũ multi.

I. *Ecce ascend.* Sequimur? Heu! In contraria potius omnia. Descendimus enim ad Bacchanalia, ad Circæia mundi agmina &c. 1. Absaloni, 2. *Reg.* 15. coniuranti in patrem totus populus adhæsit, Sectarius in arma nefanda. Sic hodie Mũdum, coniuratum contra Christum, sequitur omnis natio. Vah rebellionem! Pro dedecus! 2. Meretrix est visa, *Apoc.* 17. insidere aquis multis, cum aureo poculo, spurcitiarum pleno, cui Reges concũbebãt, & populi inebriabãtur vino prostitutionis. Eadem hodie insidet populis domina. &c. 3. Heu! *Quis me dabit in solitudine diuersoriũ viatorũ, & cœtus prævaricatorum.* Iere. 9. Bonus seruus videns Dñi sui absentis bonorũ dilapidationẽ fieri per cõseruos, optat se procul abesse! sic Ieremias; sic tu. 4. Hocq; magis q; simile accidat hodie Christo, quale Dauid. 2. *Reg.* 16. Hic nudipes, & capite aperto fugiens Absalonem, secessit in montem Oliueti mœstus, mœsto comitante populo. Et ecce; *Egrediebatur inde vir de cognatione domus Saul, nomine Semei, filius Geza: procedebatque egrediens, & maledicebat; mittebatque lapides contra Dauid.* O quot hodie Semei bacchantur in Christum?

Et meretricii.

Fugiendi sunt.

Tentationum initia sinapina.

II. 1. Quin imitantur potius Tobiam, *Tob.* 1. Qui contribulibus ad vitulos Ieroboamiticos adoratum accurrentibus, his declinatis, Ierosolymam ascendebat clam adorans Deum. 2. Huc tempus inuitat; & Ipse Passus, calicem Passionis suæ porrigens, vt bibamus. Nam Psalm. 74. *Calix in manu Domini, vini meri, plenus mixto. Veruntamen fex eius non est exinanita. Bibent ex eo omnes peccatores terræ.*

Christus adeundus.

Ei compatiendum.

3. Bibite salutem: Vocamini. Psalm, 41. *Abyssus* enim nostrorũ peccatorum *abyssum* patientię Christi *inuocat.* Vel etiam econtra: *vocat abyssus* patientiæ Dei *abyssum* nostrorum peccatorũ, *in voce cataractarũ tuarum. Omnia excelsa tua*, tormentorum, *& fluctus tui* irarum, *super me transierunt.*

Si combibamus: & collætabimur. Nam: 1. Psalm. 93. *Secundum multitudinẽ dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* 2. Agamus sicut Leuitę, *Numer.* 1. 4. 7. Castra migrabant? Iam Leuitæ, iussu Domini, vtensilia tabernaculi inter se distributa ferebant. Sic nos arma Passionis feramus 3. Ita Apostolus; Col. 1. *Adimpleo, quæ sup. sunt. Passionum eius* quasi dicat. 4. De fæce nondum exinanita bibo: Arma passi relicta *fero*, & *stigmata eius in corpore meo: Christo concrucifixus.*

1. *Vt colletemur.*

2. *Vt simus cum eo proficiscamur.*

3. *Vt collaboremus &c.*

4. *Vt hostes cedamus.*

Ergo dicat quisque proximo suo; vt Ionathas armigero, quando in castris Patris Saulis erat: 1. Reg. 14. *Veni, & transeamus ad stationem Philistinorum, quæ est trãs locum illum.* Castra intrant, quamuis per

præ-

prærupta montis: cædunt vigilias, stragesque edunt, Ecce, armigero populo Christiano suus adest Ionathas Iesus: ipse fortis est contra portas infernalium solus; te tamen vocat in partem laboris, ac præmii. Quid cessas? Quid respectas ad ollas Aegypti, & Bacchi fumantes?

PARS V.

De Traditione & Illusione Domini.

Bacchãtes tradunt Christum.

I. *Tradetur Gentibus.* Hic dolor Christo non leuis. 1. Vt Sauli, 1. *Reg.* 22. (ꝙ Ionathas filius cum Dauide, obæratorũ & confugarum Duce, Sauli exoso, fœdus icisset:) expostulanti: *Coniur astis omnes aduersum me; & non est qui renunciet: maxime cum & filius meus fœdus inierit cum filio Isaac.* Sic dolet Christo: quod Christianus ineat fœdus cum duce bacchantium Gentilitate: cui quasi traditur. 2. Est, quod conqueratur, Psalm. 68. *Extraneus factus sum fratribus meis; & peregrinus filiis matris me.* 3 Quid Nathan potissimum obiectauit Dauidi adultero, & homicidæ; 2. *Reg.* 12. Nimirum, quod barbaris gentibus eum tradidisset. *Occidisti eum gladio filiorum Ammon.* 4. Quid Moyses fratribus Iosephi probro maxime dedit? *Gen.* 37. Quod insontem vendidissent gentibus Ismaelitis. 5. Hoc in persecutione Saulina Dauid vnice timuit: Ideo sic ad Ionatham ait: 1. Reg. 20. *Si est iniquitas aliqua in me; tu me interfice: & ad patrem tuum,* hostem, *ne introducas me.* Sæpe grauius est ab inimicis occidi, quam ab amicis. Tradendus tamen erat gentibus Dominus.

Hoc dolet Christo quod hostibus tradatur ab Christianis.

Illusio indigna Deo prædicta.

II. *Et illudetur.* 1. Præsagierat id ante: Ps. 21. *Ego autem vermis, & nõ homo: opprobrium hominum, & abiectio plebis: omnes videntes me deriserunt me.* 2. Item Isa. 28. *Vt faceret opus suum; alienum est opus eius ab eo. Vt faceret opus suum; peregrinum est opus eius ab eo.* Quam alienum à Deo, ipsum latronis instar prehendi, necari?

Præfigurata.

Præmonstrauit illusionem suam ante, *Deu.* 25. Si superstes defuncti fratris viduam illiberem ducere detrectasset: *accedet mulier ad eũ corã Senioribus; & tollet calceamentum de pede eius; spuetque in faciem illius.* Ita, (cum Moysesè Synagoga multas proles, cœlesti aptas hæreditati, suscepisset,) Christus, mortui viduam ducere nolens, ob ingratitudinem, auaritiam, &c. nouam ardens Ecclesiam; ab illa conspuitur coram senioribus: & nudatus etiam calceo carnis exuitur, vitaque mortali.

PARS VI.

Quorum Cæcus nos moneat.

Cæcitas est misera.

I. *Caecus sedebat secus viam.* 1. Miser, vti Tobias dicens: Tob. 5, *Quale gaudiũ mihi erit: qui in tenebris sedeo; & lumen cœli non video?* 2. Quale igitur erit animæ cæcæ, tanto nobiliori, quam corpus? S. Antonius id declarauit, teste *Palladio*; quando Dydimum, cæcum eremitam, visitans percunctatur: Nunquid doleret de cæcitate? Et illo silente; at altum suspirãte; ait is: Itan' possibile, te dolere ob oculos, communes cum formicis: & nõ gaudere potius ob internos oculos, cõmunes cum angelis? Est sæpe pœna peccati cæcitas. Hinc Isaias c. 6. *Excæca corpopuli huius,* rebellis Deo *& aures eius aggraua: & oculos eis claude, ne forte videat oculis suis.*

Pœnosa.

II. Nemini tamen vlli defectus corporales debent ad peccatum interpretari. Nam dona corporis pluribus damno fuerunt. Vt 2. Reg. 2. Asaeli sua pedum pernicitas: Absaloni sua cæsaries rutila, Dinæ sua forma: Samsoni suæ vires. Defectus vero corporales humliant animos. Vt Isboseth Saulis filius, à Dauide benigne habitus, ait 2. Reg. 9. *Quis ego sum seruus tuus; quoniam respexisti super canem*

Non exprobranda.

Sæpe à Deo est.

mortuum similem mei? Defectus quoque Deus immittit aliosaliis ad maius animæ bonum, Patet Matth. 5. *Si oculus tuus scandalizat te, eiice eum. Bonum est tibi luscum introire in regnum Dei; quam duos oculos habentem mitti. &c.* Idcirco nemini sunt defectus tales exprobrandi. Eccl. 7. *Non irrideas hominem in amaritudine animæ: Est enim qui humiliat, & exaltat circumspector Deus.* Improbe irrisit Annam Phenenna 1. Reg. 1. *Affligebat que eam æmula eius, & vehementer angebat, in tantum, vt exprobraret, quod Dominus conclusisset vulvam eius.* Hic vero etsi cæcus erat, fuit tamen tanto animosior, vt peteret reluminationem ab eo, cui Pharisæos inimicissimos esse sciebat. Sic plures Coclites celebrantur virtute strenui; Vt Philipp. Macedonum Rex: Annibal Carthaginens. Sertorius Rom. Antigonus Lacedæmonum Dux. Item Isaac Patriarcha, Ahias Propheta, Samson Dux, Tobias, &c. cæci fuere.

Est sæpe animosa.

Petit à Deo & accipit.

III. Domine, vt videam. Magnam rem postulas? 1. Quam tibi humana iam vilescit opulentia? Hæc dimidiæ parti nostri vix subuenire potest. 2. Quanto hunc Vnum antefers omnibus hominibus, qui Vnus optimæ parti animæ potest opitulari? 3. Idem sensit Ioram, 4. *Reg.* 6. tempore famis oranti fœminæ: *Salua me, Domine mi Rex;* Ita respondens. *Non. Saluet te Dominus. Vnde te possum saluare? De arca, vel de torcular?* quasi dicat Dei id est, Rex vt sim, nubibus tamen imperare nequeo. vt pluant.

Apostrophe.

Bene oras, cæce. 1. Hic est Candelabrum cum 7. lucernis accensis: *Zach.* 4. Christus, qui 7. donis S. Spiritus dispellit 7. Cæcitates hominum: superbiam humilitate, auaritiam paupertate voluntaria, luxuriam castitate, &c. 2. Audistin' de eo: *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum?* Ioan. 1. 3. Intellextin' à sponsa *Cant.* 2. Sponsum comparari capreæ. Hanc enim *Orig. ho.* 3. *in c.* 2. *Cant.* ait in præcordiis humorem habere oculis acuendis vtilissimum. Atque talium nos cæcus admonet.

PARS VII.

Præeuntes comminabundi quorum sint similes.

Bonum impedire nefas.

I. QVi præibant, increpabant eum: Marcus ait: *comminabantur, vt taceret.* Et vero hoc deplorandum est: quod, cum in angustiis nostris ad Deum confugimus, sint, qui increpent, impediantq; bonum. Ita Dauidem contra Goliath venientem in castra, increpabat frater Eliab, 1. Reg. 17. *Quare veniisti? Et quare dereliquisti pauculas illas oues tuas in deserto? Ego noui superbiam tuam, & nequitiam cordis tui.*

Grande peccatum est pia desideria remorari. Amos 1. *Super tribus sceleribus filiorum Ammon, & super quartum non conuertam eum, eo quod dissecuerit prægnantes Galaad.* Id est, Animas piis propositis grauidas effudit, & effœtauit.

Consiliarii sint 1. Candidi 2. Taciti.

II. Tales sunt Consiliarij, non sincerũ dantes consilium. 1. *Apoc.* 1. Visus Princeps sedere in throno, & viginti quatuor seniores, albis vestiti, circum: Ita sint candidi Consultores. Nam candor symbolum puritatis est, ait *S. Ambr.* 2. Ideo prisci fanum Consilij habuere subterraneum; quod celanda sint consilia: Et in eo candidam aquilam, cum crista gallinacea diuersicolore: Quod, quamuis pugnacissimis, Regibus consulere ad pacem debeant. *Henr. Farn. l.* 1. *de sim. Reip.*

3. Pacifici.

3. Lacones, nacti victoriam stratagemate, sine sanguine multo, bouem Marti; at cum multo sanguine partam, gallinaceum offerebant. Ergo Consiliarius imitetur Deum, dicatque cũ eo, Iere. 29. *Ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis.*

4 Cauti.

4. Aelianus prodit, Persis in more fuisse; vt consulere volentem reip. sisterent in lamina aurea. Hanc ferebat præmium si reip.

fireip. salutare ipsius consilium accidebat. Sin'infelix; virgis plateatim cædebatur.

5. Tardi. 5. Vt ergo, Ezech. 1. *planta pedis* animalium, *quasi planta pedis vituli*: Sic consiliariorum tarda, & firma sint consilia. 1. Sintque vt *Bos tardus*, ait diuerbium, qui *fortius figit pedem*. 2. Valeat apud ipsos Delphicum istud: *Festina lente.*

3. An ideo Heliopolitæ bouem pro Deo adorarunt: quod bos consilij esset symbolum?

Si *malum consilium consultori pessimum*; iuxta adagium; certe istis male, qui cæco consulebant, vt taceret. Nisi forte eo suaserint; quod ipsos obtunderet clamando, quo minus exaudirent Dominum.

Turbatores Prædicatorum arguendi. Vtinam & hodie essent, qui increparent Prædicatorum zoylos, turbatores, &c. 1. Sponsus est talis, Cant. 3. *Adiuro vos filiæ Ierusalem per capreas, ceruosque camporum; ne suscitetis dilectam meam, donec ipsa velit.* Turbatores adiurat per bestias; quasi his deteriores sint: quæ à clamoribus fugiunt.

Dona Dei referenda in Deum. III. *Vidit, & sequebatur illum.* Felix, qui ab oculis restitutis occasionem sumis Deum laudandi! Quod enim miraculose, vel gratuito datur; id soli Deo debetur. 1. Ita Naaman Syrus, 4. *Reg.* 5. à lepra mundatus sic statuit: *Non faciet vltra seruus tuus holocaustum, aut victimam diis alienis; nisi Domino.* 2. Quam pie Ezechias, 4. *Reg.* 20. annos xv. vitæ longioris datos insumserit? Cum tamen hodie multi, in Confessione sanati ad annos æternos, forte contrarium faciant. 3. Similes Sauli, ab Philistæis liberato, postea vero in liberatorem Dauidem ingrato, & eum persequenti. Imitanda igitur cæci huius gratitudo.

Perora ex dictis repetitis, cum acri admonitione, &c.

DOMINICA I. QVADRAGESIMÆ.

Ductus est Iesus spiritu in desertum, vt tentaretur à diabolo.

Matth. 4.

Siste, Lector amice,

Besseus noster in tomo Concionum Dominicalium primo nullos habuit descriptos Conceptus in Dominicas sequentes septem; Qua causa (neu quam hic desiderares Dominicam) è Quadragesimali eiusdem huc à me compendio transmigratas accipe septenas,

Hoc te volebam.
Perge.

IVcundum spectaculum, 1. *Reg.* 17. videre pusillum Dauidem in arena stantem cum funda, aduersus vastum Goliathū, qui XL. diebus agminibus Israel exprobrarat. Iucundius, in vestitu pastoritio prosternentem ictu lapidis vno turrim carneam. At iucundissimum, hodie videre Christum in deserto, stantem contra dæmonem; qui toti mundo exprobrarat quinque millibus annorum: Videte exutum Diuinitatis armis, humano in habitu, Verbo virtutis suæ, Victorem hostis eiusdem.

Nos de eo

I. Quis tentator hostis?
II. Quodnam desertum tentatoris?
III. Quod desertum Tentati?
IV. De Duellibus ipsis, trinoque duello.
V. Cur trina fuerit tentatio?

PARS I.

Quis Tentator hostis?

I. PLinij vox erat: *Omnibus est mater, soli Natura nouerca est homini.* Adeo cum fletu nascimur nudi, & inermes: in laboribus viuimus, & ærumnis: cum dolore morimur. Natis anima corpori, corpus

Vita vanior, an miserior est?

corpus mundo incarceratur : nec, nisi morte, liberatur. 1. Qualis *Exod.* 2. Moyses vix dum editus fiscellæ includitur, vndis exponitur: quo hæ cunque eum tulerint. Talis vita nostra.

Miserior. 2. Vt haud sciam, vter rectius: Democritus, vanitatis mundanæ risor irremissus: an Heraclitus, humanarum miseriarum deplorator assiduus. 3. Iob certe sic heraclitisat, cap. 10. *Quare de vulua eduxisti me? Qui vtinam consumptus essem: ne oculus me videret. Fuissem, quasi non essem, de vtero translatus ad tumulum.* Cur? Quia

Quia hostibus circundata ac dedita. II. Cicero l. 1. offic. ex Platone scribit: *Non solum nobis nati sumus; sed ortus nostri partem patria, partem parentes, partem sibi amici vendicant.* Deplorandũ ne hoc? Absit. 2. At istud sequens: quia, vt sententia inuersum, sic re peruersum. *Non solum nobis nati sumus; sed vitæ nostræ partem caro, partem mundus, partem sibi dæmones vendicant.* Caro, deliciis: Mundus, diuitiis: dæmon technis. Caro vult foueri, Mundus diligi, dæmon adorari.

2. Vt in medio orbe terra pendula tribus ab elementis vndiq; diuexatur: nã Aquis submergitur occultata, aeris vaporibus corrumpitur afflata, igne aduritur: Sic homo inter tres istos. 3. Bene S. Hier. Epi. ad Helio. *Inde me persequitur luxuria*: ignis, *Inde auaritia conatur irrumpere*; aqua: *Inde venter vult mihi pro Deo esse*; aer. *Prosequitur me, inquam, hostis; cui nomina mille, mille nocendi artes.* Atque hæc sunt prælia, Christo præliata hodie; præliandaque nobis.

PARS II.

Quod sit desertum tentatoris.

Mũdus est 1. Desertũ. 2. Vitiis plenus. I. DVctus est Iesus à spiritu in desertum. Hoc mundus est. 1. Cant. 8. *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens.* 2. Vere mundus desertum est; in quo venti tentationum; tempestates persecutionum; procellæ concupiscentiarum: In quo montes superbiæ; rupes pertinaciæ; cedri ambitionis, monstra, feræque peccatorum sunt.

3. Illud est; quod in pœnam peccati datum homini exilium est, Gen. 3. *Maledicta terra in opere tuo; spinas & tribulos germinabit tibi.* 4. Illud est Desertum Gelboe; cui Dauid, accepta Saulis morte, maledixit; 2. Reg. 1. *Montes Gelboe, nec ros, nec pluuia descendãt super vos*; in quibus tot, tantæque cædes patratæ sunt. At magis *maledicta terra in opere tuo* peccatorum, ô munde. In te cecidit Adam; inque vno hoc omnes cecidere Apostoli, Martyres &c. O theatrum crudelitatis tragicum!

3. *Exilii.* 4. *Maledictus.*

II. 5. Vt mons Caluariæ fuit fœtens, infamis à suppliciis, & sepulcris, & ossibus sceleratorum, aque patibulis, ita mundus hominum pœnis destinatus, putens, infamis, &c. est. 6. *Lucas* 10. meminit deserti, in quo *descendens ab Ierusalem in Iericho, incidit in latrones, qui despoliauerunt eum; & plagis impositis, eo semiuiuo relicto, abierunt.* Adam is fuit. Descendit à gratia in peccatum; exutus à Deo omnibus gratiis; dispiagatur à dæmonibus.

5. *Infam.* 6. *Latronibus.*

6. Hoc desertum Philistæi tartarei iam diu despoliant; in quo nil auditur penè, præter *Mitte te deorsum*; pro ambitiosis, & *Hæc omnia tibi dabo*; pro auaris. Desertum, in quo *sanguis sanguinem tangit* per luxuriam; in quo hæretici clamant; Papista, *si filius Dei es*, si in vera sis fide, & Ecclesia, *dic, vt lapides isti panes fiant*; doce, quomodo fiat transubstantiatio? At *Vade Satana.* Qui vxorem Loth in statuam salis, Gen. 19. *Rupem in stagna aquarum*, Exod. 17. Virgam in serpentem vertit, Exod. 7. Is panem & vinum quoque transubstantiat.

6. *Cam tẽtationi*

PARS III.

Quod desertum tentati?

Desertum est. I. POenitentia, inquam. 1. Hic Angeli se oblectant; manna consolationũ pluit;

1. Pœnitentiæ campus

pluit: fluũt torrentes lachrymárum. Vbi petræ, cubicula: terra, ſtratum: ſaxa, puluinar; feræ, ſocij ſunt; flores, aromata. Vbi orationes ſunt confabulationes: ieiunia, conuiuia: radices, bellaria: ſuſpiria, muſica: flagra, tripudia.

2 Via ad terrã ſanctam.

2. Per hoc Iſraelitæ ex Aegyptiaca captiuitate ingreſſi, 40. annis tetenderunt ad terram promiſſionis. 3. Hoc Dominus mox poſt Baptiſmum iniit. Vti nobis primum fere Sacramentum poſt baptiſma eſt Pœnitentiæ.

3. Eſt alter Baptiſmi locus.

4. Eſt locus illuminationis.

4. Deſertum felix! Thabores; *Matth.* 17. In quo animæ transfigurantur, è terrenis factæ cæleſtiores. Hic eæ clamant: *Bonum eſt nos hic eſſe.* 5. In deſerto Sinai, *Exod.* 19. legem dedit Deus inter fulgura, fulmina, buccinæq; clangores: timuitq; populus. Ita in pœnitentia timor Dei, & legis diuinæ amor inſeritur.

5. Timoris & amoris Dei.

Cur Chriſtus in eo? 1. Quia amat. 2. Quia vult.

II. 1. S. Hieronymus ſic amauit deſertum hoc, vt vrbes adiẽs, ſe ergaſtula adire diceret. Baptiſta reliquit cultam patris domũ; Cælos Dominus, præ amore deſerti huius. 2. Tibi verò, Chriſte, vndenã deſerti amor? In duplici naſceris deſerto; præſepij, & ſtabuli. Moreris in deſerto Paleſtinæ, & Caluariæ. 3. Philoſophi, deſinite iam Deum indagare in cœlo Empyreo, inq; locis imaginariis. Animæ pię, nolite eum quærere in mundo. Cant. 3. *non iacet in terra ſuauiter viuentium*: In deſerto eſt. 4. *Leu.* 10. Iubet Deus, hircũ peccatis totius populi grauatum emitti in deſertum. Ecce tibi agnum hodie emitti.

3. Quia pœnitet.

4. Quia propitiatio eſt.

Audiſti ante vocem clamantis in deſerto: audite iam plorantis Heracliti peccata orbis. 1. Ploratuit olim peccata Babylonis Iſaias: Filiæ Sion, Ieremias: Aegypti & Tyri, Ezechiel: Samariæ, Oſee & Amos: Hic Ieſus, omnium. 2. Neq; hic deplorat peccatum originale: ſed omnia mortalia; venialia, & horum pœnas. Accede anima, & audi clamantem: Ierem. 8. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum; & plorabo die ac nocte!* 4. Hic eſt magnus ille plorator; qui ait: Pſ. 9. *Lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lachrymis ſtratum meum rigabo.* Quia nactus ſum tandem locum, & tempus.

5. Quia plorat peccata.

III. Nouum! Mirum! Deum in deſerto, & plorantem. &c. 1. Vti, *Iſai.* 29. nouum ac mirum olim; ex iuſſu Dei, Iſaiam nudum procedere; pœnitentiam agere tum; cũ Iſraelitæ byſſo incederent. *Vade: ſolue ſaccũ de lumbis; & calceamenta tua tolle de pedibus tuis. Et fecit ſic, vadẽs nudus, & diſcalceatus.* 2. Mirum, ac nouum olim; Ieremiam, cũ Iudęi genio, feſtiſq; indulgerent; prodire catenis onuſtum. Ierem. 27. *Hæc dicit Dominus: Fac tibi vincula, & catenas, & pone eas in collo tuo.* 3. Mirum, ac mœſtum; in tripudijs Ieroſolymę iuſſu Dei Ezechielẽ domo claudi, & fodere parietem. *Ezech.* 8. 4. At miriſſimum; orbe iã tripudiante, à Deo Patre ſuũ deſerto includi Filiũ, actũ Spiritu ſancto, vt ieiunet, ploret, oret.

Et hæc, dũ contraria mundus agit.

Vide, anima, 1. verum Eliam, ſub arborum vmbris in preces & fletus effuſum. 3. *Reg.* 8. 2. Vide Iſmahelem Aegyptiæ Agar filium. Mariæ Filium fame pene emoriẽtem: *Geneſ.* 21. 3. Quid? Quin imo vide Ieſum, velut prodigum filium, *Luc.* 15. domo relicta Patris, in regione longinqua mũdi, quaſi diſſipare ſubſtãtiã Maieſtatis ſuæ; & irretiri meretricib. animabus, cũq; iis ſua prodigere. Et hũc vero iã in deſerto etiam deſertum agere, gemere. &c.

IV. Tu vero S. Spiritus, Domini mei conductor; an & animam meam in deſertum conduces? Vos, Chriſtiani, anne Ducem hunc ſequemini tales; qualis olim Dauid, nudus capite & pedibus exiuit Vrbe per Oliueti montem? Hic ille orat, eſurit, plorat, vigilat. At vos contraria omnia. O mores!

Iſtum, non hunc ſequamur.

Quin potius *Exeat* è mundi *aula, qui cupit eſſe pius*: ait Lucanus. 1. Iſraelitæ, Pha-

Mundifuge.

raonis furorem deuitantes, desertum, vt azylum, petebant, *Exod.* 14. 2. Elias, 3. *Reg.* 18. item, fugiens iram Iezabelis. 3. Item Mulier apocalyptica, *cap.* 12. quam septiceps persequebatur draco.

Cum igitur etiamnum Pharao, Mundus, Iezabel, Caro, Draco, Diabolus vos persequantur: *Fugite de medio Babylonis*, monet S. Bernardus Epistol. 10. *saluate animas vestras.* Eccur? *Periclitatur enim castitas in deliciis; humilitas in diuitiis; pietas in negotio, veritas in multiloquio; charitas in hoc nequam seculo.*

PARS VI.

De Duellibus ipsis, trinoq; duello.

Duella mirauda.

I. ET accedes tentator. Ecce, age, duellum. Huic quod vnquam simile? Duellauit *Apoc.* 12. Draco cum Michaele in cœlis: Eua, *Genes.* 3. cum Serpente in Paradiso: Iob. *cap.* 3. cum Sathana in Chaldæa: Iudith. *cap.* 13. in castris cum Holoferne. Aman cum Mardochæo in Perside, *Esth.* 7. At nihil ad hosce duos veteranos, & peritissimos. &c. Deum cum Dæmone præliari? 1. *Reg.* 17. Dauidem cum Goliath? Agnum cum Leone & Dracone?

Christi robur.

Quid? 1. Qui mundum cataclysmo perdomuit, *Gen.* 7. 2. Qui, *Num.* 16. ignem cœlo toties eiaculatus est: 3. Quique vna die hominum quatuordecim millia cremauit: 4. Qui robur Aegypti cum Pharaone obruit mari rubro, *Exod.* 14.

5. Qui nocte vna primogenitos Agypti occidit, *Exod.* 12. 6. Qui, *Gen.* 19. Pentapolim, Sodomam. &c. è cœlo perdidit:

7. Qui, *Num.* 16. terra dehiscente Core, Dathan, & Abyron viuos inferno dedit:

8. Qui denique, Psalm. 146. *Magnus Dominus, & magna virtus eius:* Et, *Qui facit mirabilia magnus solus*: Is, inquam, in duellum descendit? Cum pari?

Satanæ vis.

At, quis hic? Angelus, *Apoc.* 12. draco, qui tertiam stellarum partem cauda detraxit. 2. Qui, *Genes.* 3. protaplastas in Paradiso expugnauit: & omnem posteritatem prostrauit: 3. Qui Iob *cap.* 2. iustum torsit: 4. Qui, 1. *Reg.* 11. Dauidem adulterij reum fecit: totumque regnum in exitium traxit: 5. Qui, *Tob.* 9. septem Saræ viros strangulauit: 6. Qui, *Matt.* 2. infanticidium per Herodem patrauit:

7. Qui, *Matt.* 27. Iudam ad laqueum ad. egit. 8. Qui Cain, *Gen.* 4. ad fratricidium instigauit: 9. Qui denique plusquam 5000. annorum orbi dominatus est, Et Iob. 41. *Factus est, vt nullum timeret?* Hi Pugiles duo. Iam quæ pugna?

II. Quid agis, quid cogitas Satana? Nihilne meministi primæ rebellionis tuæ euentum? Horresco: Tu Deo pugnabis? Ecquid igitur in nos non audebis? Omnia tentas desperate, Et vltima pene cum Christo.

Si filius Dei es, dic vt lap: q.d. Mira dudum omnium de te opinio, & fama: maiora homine agis: reor Deum te esse, Vt me, vt omnes dubio liberes, age, *Si filius Dei es. &c.* Meminerat, simili se esca, *Gen.* 3. Adamum: & Esau, *Gen.* 25. illaqueasse: itemq; Epulonem. *Luc.* 10. At hic nō istorum est similis. Adam edendo nos perdidit: hic ieiunando nos saluat. &c. Muta locum, & arma. *Tentatio 1. Gula.*

Ergo *Assumsit eum in montem. &c.* Aspice, ait, orbis oras, regna Assyr. Pers. Iudæorum, Romanorum, &c. *hæc tibi: si cadens. &c.* O impudens bestia! *Domini est terra, & plenitudo eius*, Psalm. 25. & tua nec tartara, ni Ipse velit. *2. Tentat. Ambitionis quæ uehit.*

At vide, Christiane, montes, in quos te subuectet; quæ ostentet: Sed te vt præcipitet. 1. Aquila testudinem euehit in cœlum, vt deiectam collidat ad rupem. Ita superbi *Tolluntur in altum, vt lapsu grauiore ruāt*, ait Claud. in Ruffino. 2. Tu, Ambitio, saxum es illud Tarpeium, è quo Romæ præcipitabantur fontes, huc impacto vnco pertracti. 3. Tu furca es infamis, *Esth.* 7. *Vt deuitet totum. Præcipitet. Infamet.*

in quam

Stat. in quam Amanum egisti ipsamet. 4. Tu es, qualis Lycomedes Rex. teste *Plutar. in Thesco*: qui regno pullum Theseum; à te petentem auxilium sese in regnum vindicandi; duc is in montem, tuum illi regnum ostentans, pollicensq; opem: at simul præcipitem inde deturbas. Sic tecũ agit diabolus, superbe. At nihil peragit cum Christo. Ergo ad alia.

3. Tent. vanæ gloriæ. *Assumpsit eum in S. ciuitatem, & statuit super pinn. &c*: O superbia! Angelos cœlo, Adam paradiso, Amanum aula eiecisti: hunc quò? *Mitte te deorsum.* Parumne alte descendit? *à summo cælo egressio eius*, Psalm. 18. in terram, in præsepium, in desertum: breui post ad Crucem, mortem, sepulcrum, infernum. 1. Sol, 4. *Reg.* 20. in gratiam Regis Ezechiæ, reduxit vmbram per decem lineas, quibus descenderat. Et Christus descenderat iam decem lineas per nouem choros Angelorum; dein in decimo, *Homo factus est*. Vere *Minuisti eum paulo minus ab Angelis*. Psal. 8. Sta; *Non vltra*; habet epigrapha columnæ Herculis. Quin, *vltra*: sed non modo. Postea *descendet ad inferos*. Væ tibi!

PARS V.

Cur trina fuerit tentatio?

1. Quia tri. plex natura Christi. I. SEd cur tertium tentat? 1. Dubitabat trinequâ de mysterio Incarnationis quod tribus constat naturis in vna hypostasi: Itaq; impetebat Corpus, per gulam: Animam, per ambitionem: Diuinitatem,

2. Tria sũt peccata præcipua 3. Tria rerum principia. per gloriam vanam. 2. Et vero hæc tria sunt, vnde cætera dimanant peccata omnia: Sicut Physicis tria rerum sunt principia, vnde formantur omnia; Materia, Forma, Priuatio. 3. Sic, 1. Ioann. 2. *Omne, quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis; aut concupiscentia oculorum; aut superbia vitæ.*

4. Quia Tres animæ motus. 4. Cœli voluuntur motu trino: Naturali, Violento, seu motu *raptus* & Trepidationis: sic anima mouetur motu quasi naturali superbiæ, ab occasu humilitatis ad ortum vanæ gloriæ: Violento Ambitionis, ab Oriente gratiæ, ad occidentem peccati: Trepidationis, in gulosis ac vinosis. 5. Homicida Ioab. 2. *Reg.* 18. tribus

5. Quia Tria Satanæ tela sũt. hastis traiecit cor Absalonis, pendentis è quercu: Ita Satan, *homicida ab initio* peccatores, è sterili quercu mundi pendentes, tribus passionibus dictis transadigit.

Istis tria contraria. II. At istis Christus tria validissima obiectat: Gulæ, ieiunium: Superbiæ, humilitatem: Ambitioni, paupertatem. Hi tres sunt lapilli limpidi, quibus Dauid Goliathan strauit primum, deinde in Caluaria Crucis pedo, & quinq; vulnerũ saxis obtruncauit, & opimis expoliauit. 1. *Reg.* 16.

Perora. Vide Iesum Victorem: Philisthæum prostratum, Holofernem obtruncatum, Amanum suspensum, Assuerianum edictum, de nobis delendis, deletum. &c.

DOMINICA II. QVADRAGESIMÆ.

FAs mihi per Te, causâ Tuâ, (Germane Lector, & Romane) quod autor in hac posuit Dominica & exposuit Euangelium de Transfiguratione, in Feriam id quintam, retro proximam, reijcere: exq; ea huc transmigrare illud de Chananæa. Vti, quod Romanus, Germanusq; iuxta hodie pro concione recitare iam à tempore immemoriali consueuimus, adeoq; præscripsimus, Da id preci, da Iuri: & Accipe.

Fili Dauid, miserere mei. Filia mea male à dæmonio vexatur. Matt. 15.

THecuitis vidua, 2. *Reg.* 14. filium suum vnicum, à cognatis ad cædem postulatum, Dauidi supplex cum lachrymis facta, sibi vitæq; condonari impetrauit. Ita Chananæa suam sibi à Domino.

De qua nos

I. Quanta vis insit Orationi?

II. *Quæ partes sint & Orationis & orantis?*
III. *Quæ voces Chananææ quæ Christi?*

PARS I.

Quanta vis insit orationi.

I. INfluentias cœlestes Philosophi admirati semper sunt adeo, vt, quarũ causas rerum indagare nulli quibant, eas ad influxus cœlorum referrent. Huc Euripi, marisque reciprocatio; metallorum sub terra excoctio; varia corporum inferiorum affectio, quod magnes ferrum, festucas succinum trahat; huc refertur. At influxus Orationis nimium quanto maiores sunt, adeoque diuiniores! Vt *omnem exuperet naturam vis orationis*, ait S. Chrysost. hom. 13. in Ephes. Addubitas?

Oratio superat 1. cœlorum vim.

Ecce tibi, 1. Oratio Moysis & Aaron fecit dehiscere seditiosis Core, Datan & Abyron. *Num.* 16. 2. Aperuit, & suspendit mare rubrum transeuntib. sexcentis mil. libus virorum. *Exod* 14. 3. Fornacis Babylonicæ flãmas tribus pueris vertit in rorẽ & Ethesias. *Dan.* 4. 4. Iosuæ, *cap.* 10. Solem stitit. 5 Retro solem egit, *Isa.* 30. Ezechiæ.

6. Eliæ oratio obserauit, & reserauit cœlos pluuiales. 3. *Reg.* 17. 7. Eadem, 2. *Reg.* 18. ignem cœlo deuocauit voracem victimæ, aquarum, saxorumque. 8. Suscitauit mortuos. 3. *Reg.* 16.

9. Farinam, 4. *Reg.* 4. auxit, & oleum. De huiusmodi influxibus ecqui vnquam Philosophi?

2 Naturalem vim.

II. Potestne corpus sine cibo durare saluum quadraginta dies? At oratione potuit in Moyse, *Exo.* 34. In Elia, 3. *Reg.* 19. In Iesu, *Matt.* 4.

Num potest natura, vt, quod natura graue est, aquis innatet? vt securis Elisæi. 4. *Reg.* 6. Corpus aquis inambulet? vt Petri, *Matt.* 14. At oratio id potuit.

3. Animalem vim.

III. Tradit *Arist. l. 2. de nat. anim. c.* 14. ab Remora, marino pisciculo, naues, quantæ quantæ sint, in rapidissimo cursu fisti immobiles. Oratio est piscículus in marilacrymarum: Ruant naues mundi, dæmonum, tentationum. &c. quantiscunq; ventis, velis, remisque; omnes vna fistit oratio iusti.

4. humanam omnia.

IV. Tradit *Plut. in conui. 7. Sapient.* Colloquium Reges inter & Philosophos habitum super hoc quæsito: *Quid fortissimum?* Rex A Ethiopiæ Fortunam. Thales Necessitatem dicebat. Errabat vterque. Oratio est. Nam 1. *Est genus dæmoniorum, quod non ejcitur, nisi in oratione, & ieiunio.* 2. Hæc de Angelis triumphat: Vt in Iacob. *Gen.* 23. 3. Quid? *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Oratione qua sine ruunt cætera.

5. Dæmon. 6. Angelo. 7. Cœlum.

V. Assuerus Rex viginti supra centum prouinciis imperitabat: At ipsi Estheris oratio: Vt diceret: *Etiam, si dimidiã partem regni petieris, dabitur tibi.* Esth. 3. Atque hoc amplius Rex cœli spondet orationi: Marc. 11. *Omnia quæcunque orantes petitis; credite, accipietis, & fiet vobis.*

8. Deum.

Deamabat Assuerus gratiam formæ Estheræ? At plus Deus orationem Chananææ. Quanto magis animæ Christianę Sponsæ, terrestris Deæ?

PARS II.

Quæ partes sint & orationis, & orantis.

Perfecta oratio partes 4.

I. CHananæa ortum duxit, ait *Lactant. l. 2. c.* 14. à posteris Chami, filij Noe; Is ab hoc patre maledictus residebat in Arabia, quæ Chanaan dicta. In huius manu, vt in tabula, ecce depictã orationem perfectam. 1. *Fide*: Quia; *O mulier magna est fides tua.* 2. Item *Patientia & perseuerantia*: Quia, *Ecce clamat post nos.* 3. Item *Humilitate*: Quia, *Etiam Domine: nam & catelli edunt de micis.* 4 Adde *Charitatem*: iam quadrigam habebis triumphalem Elianam. 4. *Regu.* 2. Quæ posset etiam in tertium te cœlum inuehere; vt Paulum.

II. *Accessit ad Iesum*: egressa prius à terra male-

Deo cooperandum ab homine.

maledictionis, Paratus offert Deus gratiam; sed *hominis est, præparare*, & offerre *animam*. Egredere tu, & accede: Deus obuiam ante progressus est. 1. Ex Chanaan botrum ferebant in desertum viri duo. *Numer.* 13. Botrum salutis in mundo tam est graue; vt opus habeas comportitore socio Deo. 2. Nec Seruator solus erat baiulando crucem, Cyrenæũ admisit. *Matt.* 27. Dei est dare; tuum acceptare. Christi est mereri; tuũ, merita tibi applicare.

3. Axioma est Philosophis: *Homo hominem generat, & Sol*: Aristotel. 2. Physic. Ita Christianis hoc: *Deus hominem saluat, & homo.* Augustino istud in ore frequens: *Qui fecit te sine te; non potest saluare te sine te.*

4. Ecce scalam Iacob, *Gen.* 28. Hæc parte vna cœlum; terram altera tangebat; Angelis, eidem innixis. Sic scala iustificationis superne Deum, gratia præuenientem; inferne hominem tangit cooperantem^ianim^abus per eã discurrentibus.

PARS III.

Quæ voces Chananææ: quæ Christi?

Fuge peccatum & eius maturiem.

I. EGressa de finibus. Peccatum fuge: sed & occasiones peccandi; omnesque fines eius. 1. Egressuris Israelitis Aegypto sic mandabat Dominus, Exod. 10. *Cuncti greges pergent vobiscum: non remanebit ex eis vngula.* Peccator, exi: tua tecum tolle omnia; neu vlla remaneat occasio te retrahendi. 2. Sauli iussit Deus, 1. Reg. 15. *Percute Amalec; & demolire vniuersa eius*; pecora, domos, domesticaque. Tu peccatum. 3. Loth è Sodoma egressus nil reliquit, quod retro eum potuisset inuitare. *Gen.* 39. Ita vos: credite Angelis Prædicatoribus; fugite ad montem pœnitentiæ.

2. Occasionem.

3. Locum.

4. Cogitationes.

4. Moysi. *Exod.* 32. parum erat, proturbasse Vitulum aureum; quin & *combussit, & contriuit vsq; ad puluerem: quem sparsit in aquam; & dedit ex eo potũ filiis Israel.* Ita peccatum tu, eiusque cineres cogitationem, & occasionem persequere. 5. Victima pro peccato. Leu. 6. *Cremabitur in altari tota nocte; tolletq; Sacerdos cineres. &c. & auferet eos extra castra. & vsq; ad fauillam consumi faciet.* 6. Sara Abrahæ dixit, *Gen.* 12. *Eiice ancillã, & filiũ eius.* Tu, peccatũ, & matrẽ eius.

Tres peccatrices Euangelicæ.

II. *Domine, miserere mei.* Hãc formulam ex Dauide didicerat, *Ps.* 50. &c. Vtere anima chananæa, & fruere. Scriptura tres mulieres peccatrices memorat: Hæmorroissam Fidei: Chananæam, Spei: Magdalenã, Charitatis exemplum. Vel triũ pœnitentiæ partium imaginem præbent istæ. 1. Contritionis; 2. Confessionis; 3. Satisfactionis.

Perseuerãtia Chananæa.

Non respondit illi verbum: Nec tamen desponditilla animum. Instat: amicos solicitat Christi: Hi monent, *Dimitte eam.* &c. O mulier, Domini quæris gratiam: at nõ metuis offensam; dum, velut eo deserto, conuertis te ad Apostolos deprecatores? Hodie te hæretici in hoc condemnant. At laudat Dominus.

Non sum missus, nisi &c. Non audit illos, non illam: nec illa Ipsum, reclamat: *Domine, adiuua me.* (Fac ethopœiam hic patheticam supplicantis fœminæ, cum Cõmunicatione facta cum Auditoribus. Demum Christum, istis petita abnuentem: *Non est bonum &c.* Eia, age Chananæa, vrge, insta. *Etiam Domine.* Cessas? Perurge. *Regnum cœlorum vim patitur.* Esto violenta. *Sed & catelli comedũt de micis Dominorũ suorũ.* Euge: peruicisti bene peruicax fœmina!

III At cur toties repulsam tulisti? 1. An in pœnam tuam; cuius culpa tua fuit obsessa filia? 2. An, quod Chananæa esses, de maledictione Chami? An, quod preces, in statu peccati factæ, nullius sint pretij? Ioann. 9. *Peccatores enim non exaudit Deus.* Atqui & Publicanum *Luc.* 18. exaudiuit: Et Ezechiam, 4. *Reg.* 10. Sed dolentes de peccato; & pœnose instantes orando.

Tu interim catellum te fateris; non

Iudæam. Ideo non quæris signa, qualia in Aegypto, mari rubro, inque deserto edita fuerant; Non. Sed credis nudè; instas in fide: impetras in opere. *O mulier, magna est fides tua! Fiat tibi sicut vis*: Et nobis. Amẽ.

DOMINICA III. QVADRAGESIMAE.

Erat Iesus eiyciens dæmonium: & illud erat mutum.

Luc. 11.

I. IVcundum 1. *Reg.* 7. intueri, ab Dauide pastore prosterni leonem, ouis direptorem. At à Christo, gregem Paternorum pastore, dæmonem, obsessi diuexatorem; iucundius.

De quo nos

I. *Odia, ac prælia Christi, & Satanæ.*
II. *De potentia, ac malitia Satanæ.*
III. *Cur dæmon suos obcæcet?*
IV. *Cur elinguet?*
V. *Cur surdè faciat dedititios suos Cacodæmon?*

PARS I.

Odia, ac prælia Satanæ, & Christi.

Odium Christi & diaboli æmmū est.

I ODium Dei, dæmonisque est, quantum aliud nullum. 1. Amilcar Dux Cartha. sic oderat Romanos, vt filium Hannibalem, vix dum balbutientem, coegerit iurare in eorum persecutionem. Ita Deus Pater suum Filium. Ps. 109. *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum.* Quia *Psal.* 5, *Odisti Domine, omnes qui operantur iniquitatem.* At præ cæteris fabrum iniquitatis Satanam. 2. Arca fœderis, & idolum Dagon, 1. *Reg.* 5. nunquam eodem consistere loco potuere. Ita nec Arca Incarnationis in eadem cordis ara, vix dum natus de Virgine, stare potuit cum dæmone. Gen. 3. *Ponam inimicitias inter te, & Semen eius, & Ipsa conteret caput tuum.* 3. Isaac vix natus erat, cum ecce odia ab Ismaele. Ergo mandatur, Gen. 21. *Eiice ancillam & filium eius.* Ita vix ostensa Lucifero fuit prædestinatio Christi, cum ecce odit. 4. Aquis diluuij diminutis, *Genes.* 8. columba, & coruus in ea cohabitare nequibant. Ita cessante iræ diuinæ diluuio, Iesus & Satan in eadem Ecclesia.

Perantiquum.

II. Porro hæc odia orbe antiquiora sunt. 1. Apoc. 12. *Factum est prælium magnum in cœlo, Michael & Angeli eius pugnabant cum Dracone; & Draco pugnabat, & angeli eius.* 2. Recruduit hoc prælium in Paradiso, *Gen.* 3. sic indictum, *Ponam inimicitias. &c.* 3. Repræsentatum fuit in Dauid & Goliath. 1 *Reg.* 17. In Iob, 2. & Sathana. In Dauid, 2. *Reg.* 12. & Saule. In Iudith. 13. & Holoferne. In Esau. *Gen.* 13. & Iacob nondum natis, dumque viuerent: Ita in vtero cœli concluſi Christus & Lucifer: ac deinde quoad vixit Dominus mortalis, fuit digladiatio de primogenitura, in cœde infantum; de adoratione, in deserto, de redemptione in Cruce.

Victoria Christi.

III. Ideo iam *Erat eiiciens dæmonium.* 1. Is *erat* Hercules monstrorum orbis domitor; hydrarum, aprorum, leonum. &c. 2. Is *erat* Theseus, Minotaurorum occisor in labyrintho. *In hoc enim apparuit Filius Dei; vt dissoluat opera diaboli.* 1. Ioan. 8. 3. Vti Moyses descendit in Aegyptũ; vt de Pharaonica seruitute eriperet populum; duceretque per mare in terrã promissionis.

Facile vincit.

4. Nimirum talem inferni Hannibal Scipionem; Polyphemus Vlyssem; Goliath Dauidẽ; 3. *Reg.* 17. Statua Nabuchodonosorea lapillum requirebat euersorem. *Dan.* 4. *Petra autem,* 2. Cor. 4. *erat Christus.* 5. Ierichuntini muri, *Iosu.* 6. putabantur inexpugnabiles: Ad clangorem tamẽ tubarum Sacerdotal tum corruunt: Satan ad vocem Christi.

6. Habitans in Aegypti fluuiis draco, aquas corrumpebat. *Ezechiel* 32. Effugatur à Domino aquas reparante. Sic, *Apocalyps.* 12. draco septiceps, & cornuum X. mare mundi insedit: hodie eijcitur.

7. Multa,

7. Multa, magnaque Daniel in Babylone facinora designauit: at maximum, quod, *Daniel.* 14. idolum Bel, omnib. adoratũ, comminuerit. Orbis iam diu adorarat dæmonem; hunc eijcit Dominus.

8. Samson, descendens ad amasian Dalilam Philisthæam, *Iud* 14. leonem suffocatum in via dilacerauit. Iesus deperit vile scortum naturam humanam: Ad hanc descendit; in via energumenam hanc eripit ouiculam leoni à se deuicto.

PARS II.

Potentia & Malitia Satanæ.

Potens dæmon.

I. PRæpotens est Ille leo. Quidquid natura, id & ipse potest: nõ tamen quod supra hanc. Potest assumere corpora; ciere tempestates; scientias edocere; transferre montes; torquere corpora, *Iob.* 2. turbare mentem; vt Sauli, 1. *Reg.* 16. fascinare sensus; vt Nabuchodonosori *Dan.* 4. interimere hominem; vt Saræ viros 7. *Tob.* 5.

Sed malitiosior.

Attamen quam potentia, maior eius est malitia. En, hunc trino malo muletat. Nam *erat mutum*, Luc 11. *Cæcum*, Matt 12. & *Surdum*, addit Theophylactus. 1. Has plagas Adæ inflixit: gerimus posteri cicatrices; sc. occæcationem mentis; silentium voluntatis; surditatem concupiscentiæ 2. Hæ tres sunt haftæ Ioab, 2. *Reg.* 18. quibus cor Absoloni transfixit.

Sensuum obsessor.

II. Hinc suum æstiment periculum, qui sub Talis potestate degunt. 1. Holofernes, *Iudith.* 7. in obsidione Bethuliæ omnes circum fontes & canales obstruxit, & aquæ penuriam inuexit maximam. Ita Sathan corporis sensus capit, tum intellectum. Nam *nihil in intellectu, quod non prius in sensu. Reg.* 2. Amnon, 2. *Reg* 13. omnes excedere conclaui iubet; pessulum obdit, atque sic Thamar sororem incœstuat. Ita (cum *nemo repente malus*) Satan sensim gratiam à nobis effugat: se ingerit: sensus obserit: te obterit. 3. Noe aream ingressus, *Genes* 8. fenestram mox occludit, arcendis aquis. Ita sensus dæmon, gratiæ deferendæ. 4. Galaaditæ, debellatis Ephratæis, *Iudic.* 12. Vada omnia Iordanis obsedere; neu vsquam foret effugium. Ita Satan anima semel fusa prælio: neu vsquam reditus ad cœlum pateat, nec vllus ad gratiam Dei transitus.

PARS III.

Cur Suos obcæcet dæmon.

Excæcat Sathan
1. Vt enecet
2. Vt exarmet.

ERat cæcum. Hoc primum animæ humanæ vulnus. 1. Idem intulere Philistæi, *Iud.* 15. Samsoni: Babylonij, 4. *Reg.* 25. Sedechiæ Regi: Christo, Iudæi, Marc. 14. *Cœperunt conspuere in eum, & velare faciem eius.* 2. Gabaonitis, 2. *Reg.* 11. pacem orantibus dedit Naas, Ammonitarum Rex, ita, vt oculi eis dexteri eruerentur: quo armis essent inutiles. Ita dæmon.

3. Vt deuoret.

3. Aquila suas plumas onerat puluere & arena; hanc inter cerui cornua excutit, vt excæcatus rabiosis discursibus erret, dum præcipitetur, fiatque esca Aquilæ: Sic dæmon animabus nostris, ceruo similatis. 1. Ps. 41. *Quemadmodum ceruus desiderat ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te Deus.* 2. Spiritus hominis ceruo est velocior. estque bicornis, amore Dei, & proximi. Dæmon, in arenaria mundi oppletus, excutit in nos puluerem honorum, opum, voluptatum, inter cornua charitatis; oculosque obcæcat. Inde heu! quo rapide, & rabidè efferimur?

4. Vt illudat.

4. Dionysius Syracusanus Damocli palponi, eius maiestatem, potentiam, felicitatem deprædicanti, ait? *Vin' experiri? Quoniam hac te vita delectat.* Cupientem, in aureo collocat solio ad opiparam mensam, circumque nobilissimos quosque ministros. At supra verticem, è tenui seta strictam romphæam suspendit. Quo is pene exanimis orat, ista carere felicitate

tate sinatur. *Malo*, ait, *Damocles esse, quam Dionysius*. Teste Cic. 5. Tuscul. Ita Satan admiratoribus felicitatis vanæ.

5. Vt feriat. 5. At at: *Nisi conuersi fueritis; gladium suũ vibrauit*. Psalm 7. Hunc ne cernamus; eruit oculos. ita cæcus Balaam, in via non recta, Angelum cum gladio non vidit. Perisset; ni oculatior fuisset asinus; & vocalis idem. *Num.* 22.

PARS IV.

Cur elinguet Sathan?

Elinguat 1. Vt rapiat. ET *mutum*. Elinguat Sathan; ne Deum Diuosque oret opem homo. 1. Lupus raptam ouem ocyus suffocare assolet: ne balatu pastor excitus aduolet. Ita cacogenius. 2. Infelix anima; quæ sic muta! *2. Vt extinguat.* Aeger, cum loquela destitutus est, iam ad extrema deuenisse censetur. Ita, actum est de muto ad precandum, confitendum. &c. Psal. 37. *Factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones*. Causidicus, aut Prædicator ad rauim perorabunt; fœmina item triduum garriet indefessa: attamen isti canes muti erunt in Confessione.

3. Vt Confessionem profanet. Vt dãnet. Pudet? 1. Audi Chrys. ho. 3. de Pœnit. *Pudorem & verecundiam Deus dedit peccato; Confessioni vero audaciam: Inuertit diabolus; & peccato præbet audaciam: Confessioni verecundiam*. 2. Nobilis quidam Angliæ, (scribit *V. Beda l. 5. Hist. Ang.*) Regi aulicus & charus in paucis, ęger ad mortem, inuisitur ab Rege; monetur periculi, Confessione præuertendi. Is, actis Regi gratiis, negat eam se vim morbi persentiscere. Postridie, sæpiusque dein monitus idem, procrastinat; dum obtumescit. Exhalat. Quò vappa anima: quò? Vę muto ad confitendum!

PARS V.

Cur surdefaciat dedititios suos dæmon?

Surdefacit dæmon. I. ET *surdum*. 1. Obsessor qui vrbis est; viarum aut insessor, aut incisor est idem. Sic qui animarum est insidiator: is & sensuum est occupator. 2. Carceris custos facile captiuos obambulare sinit intus; dummodo ianuarum repagula firmata sint foris. Ita ianitor Orci in carcere mundi ire te per vanitates sinit: tantum si sensuum ipse seras asseruet. *1. Vt teneat obsessos. 2. Vel captos.*

3. Furtis, & lacrocinijs assueti domos effringunt, scandunt muros cum sopore pressi dormiunt homines; nondum vigilant. Ita dæmon animas præterit; at vbi sensus fascino sopiuit; hic in eas se insinuat; aut inijcit. 4. Matt. 14. *Noctu, cum dormirent venit inimicus, & superseminauit Zizaniam*. id est, cũ animę in delicijs stertũt. *3. Vt spoliet & macte. 4. Vt loli serat.*

5. Bombyces ad tonitrui fragores emoriuntur. Itaq; ne hunc exaudiant, tinnitibus circumsecus perstrepit herus cũ alias, tum vero, quando tonat. Ita Satan; ne animę, audito tonitru nouissimorum, aut concionum, sibi moriantur viuantq; Deo; negotijs & vanitatib. obstrepit, assuetudine iam sibi familiaribus, vt etsi auritus ad omnia alia homo, surdus tamen sit ad salutaria. *5. Vt mũdi sui viuãt.*

6. Pseudoprophetæ Ammonitarum, immolaturi infantes dijs, personabant tympanis; ne eiulatus mouerent parentibus miserationem: Ita dæmon, mundus, caro delicijs, iris, bellis, curis obtundunt aures; vt pereuntium animarum suarum nec sensum habeant peccatores, nec curam. Hinc omnibus pene mundus hodie obsurduit: morti, iudicio, inferno, conscientiæ &c. *6. Vt nouissimorũ sit obliuio.*

II. 7. Pythagoręi cœlorum orbes suauissimam harmoniam edere suo motu, aiũt: quę si audiretur. (at nequit præ mũdi strepitu,) omnes in sui raperet admirationem. Ita in Cœlestium consideratione mira inest suauitas: at per mũdum stat, & Satanam, quo minus percipiatur. 8. Tradunt cosmographi, Nil accolas pene omnes surdastros esse præstrepitu, quo cum *7. Vt glo[illegible] cœlestu[illegible] nesciatur. 8. Sciatur de solo mundo.*

cum fluuius is de montib. delabitur. Ita fragosum est mare mundi; rapitur sus deq; per impetus: vt incolæ obsurdescãt ad alia. 9. Apes cum aluearia, fauosq; deserere parãt: cymbalis dissonis sisti solẽt: Ita cum mundi fauos, & lustra quis fugere parat; hic Satan cymbala mouet gulæ, sistra luxuriæ, &c. ad sistendum.

9. Eius nugis inhæreatur.

Hæreticus esse videtur hic dæmoniacus.

III. Porro quis cæcus, surdus, mutus: nisi hæreticus; qui Ecclesiam non videt; etsi ea, Isa. 2. *Mons est in vertice montium*; sit Candelabrum super montem posita; sit Tabernaculum in sole: Qui nec solem videt, Christum ipsum in Eucharistia? Qui septem sacramenta, istorum septem candelabrorum, *Apocal.* 1. non videt? Qui visibile Caput Ecclesiæ Pontificem Romanum non videt. Et alia sexcenta talia; ad quæ tam muti sunt profitenda; quam surdi ad audienda.

An eijciendus?

Vos igitur prælules Sacri, quibus potestas est eijciendi dæmones: istos procul e-ijcite: *Auferte malum de medio vestri.*

DOMINICA IV. QVADRAGESIMÆ.

Abiit Iesus trans mare Galilææ, & sequebatur eum multitudo magna. Ioan. 6.

ELias, 3. *Reg.* 17. init domum Sareptanæ viduæ; & crescit oleum indeficiens, 4. *Reg.* 4. Elisæus alteri viduæ solo iussu facit manare oleum, quantum capere, etiam sumta mutuo, vasa aliena poterant. Mirum! Mirius illud: Quod panes viginti hordeaceos sic multiplicarit Dominus benedictione, vt centum viris sufficerint: Mirissimum hoc: quod quinq; hordeaceis, & duob. piscibus satientur quinque millia hominum: sintq; super duodecim cophini fragmentorum.

Atque nos

I. *De Pane trasubstantiato.*

II. *De mari Iesu transito.*

III. *De incomparabili conuiuio Eucharistico.*

PARS I.

De Pane transubstantiato.

I. MYsterium Eucharistiæ est imperscrutabile. 1. Ezechiel, c. 48. *Vidi, gabilis.* ait, *torrentem, non potui transire; quoniam intumuerant aquæ torrentis profundi, qui nõpotest transuadari.* Hic est torrens SS. Sanguinis D. N. I. C. tantis intumescens meritis, ac mysteriis. 2. Aristoteles, quod Euripi septenos indies fluxus, & refluxus capere non posset: dixit, in Euripum se præcipitans: *ergo tute me cape.* Eucharistiæ 7. Spiritus dona, diuinaq; mysteria capere impotentes philosophi, & hæretici; in abysso periere. Sicut & Capharnaitæ, *Io.* 6. Vt & Aegyptij in mari rubro, *Exod.* 14.

Est inuestigabilis.

2. Est immensus.

Deus *Gen.* 2. ab orbe condito constituit in Paradiso fluuium, qui in quatuor alueos se diffunderet. Sic ab orbe recondito in Ecclesia, de suo Corpore Christus instituit fontem, septemplici Sacramentorum flumine dimanãtem: Cuius: *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei vniuersam. Ps.* 45.

3. Est ex Deo.

1. Eucharistia est visus, *Apoc.* 4. & *Dan.* 12. fluuius aquæ viuæ, instar crystalli pellucidus; de sede Dei, de throno Agni promanans. 2. Ea est puteus, ad quem Samaritana adijt, *Ioann.* 4. 3. Puteus Democriti, è quo ipse in fundo latitantem veritatem haurire studebat: At Theologi sunt ij: Qui, quod ingeniose non inueniunt; creduntanimose. O salutaris Hostia! *tibi nomina mille: Mille iuuandi artes.*

II. 1. Tu candelabrum es ex puro puto auro charitatis, & Diuinitatis; septem continens lampades, seu donorum Spiritus, seu Sacramentorum à tuo gratiæ igne collucentes. 2. Tu nãq; Sol es septem inter planetas vnicus, istos illuminans. Tu gratiam essentialiter habes per na-

4. Est præfiguratus

turã: cætera à te per participationẽ. 3. Tu manna es in deserto. *Exo.* 16. 4. Tu panis in cinere Humanitatis coctus Eliæ das robur in Horeb vsq; 3. *Reg.* 19.

5. In te funda est Dauidica, 1. *Reg.* 27. cũ lapidibus quinque limpidis Vulnerum Christi. 6. Arbor vitæ es paradisiaca, *Gen.* 2. 7. Arbor Apocalyptica es. *cap.* 21. quot mensibus diuersos fructus efferens duodecim, *& folia ligni ad sanitatem gentium.* 8. Tu frumentum, quod Ioseph, *Gen.* 41. horrea compleuit Ecclesiæ: de *cuius adipe frumenti satiat te*, ô homo, Deus, *Ps.* 147. 9. Tu panis, cuius farina humanitas: fermẽtum, Diuinitas: aqua, Sanguis Christi: furnus, B. V. vterus: ignis, charitas: pistor, S. Spiritus obũbrans B. V. M. 10. Tu es panis, qui iam 5000. hominũ pascis, O beatitas.

PARS II.

De mari transito: hocq; vario.

Iesu maria.

1. *Abiit Iesus trans mare.* Moyses, multis in Aegypto editis miraculis, sexcẽta millia virorum duxit per mare, sequentium in solitudinem, inibi manna refectorum. Hic Christus quinq; millia in deserto pauit: post alia miracula.

1. Trinitatis.

Hem, Iesu bone, quot Tu maria trãsisti? 1. SS. Trinitatis mare, naui æternæ generationis. Vtq; oceanus vnus duos in sinus diuiditur; in mare rubrum, & Mediterraneum: Ita Deus Pater quasi in Filium sanguine rubricatum, & in S. Spiritum procedentem, quasi medium, ab Vtroq;. Oceanus Deitatis in essentia vnus, in Personis trinus.

2. Incarnationis.

2. Hinc aliud inis mare, in quo virgo, nauis: Humanitas, velum: Charitas, rudens: S. Spiritus, nauclerus. In hoc nouẽ mẽses nauigasti. Quo modo? Psal. 70. *In mari viæ tuæ & semitæ tuæ in aquis multis: & vestigia non cognoscentur.*

3. Natiuitatis & mundi.

II. Ex hoc, in mare mundi prouectus es. heu, quam infame, & exæstuans! 1. Ps. 7. *Viderunt te aquæ Deus: viderunt te aquæ & timuerunt: & turbatæ sunt abyssi.* Quot hic adisti pericula, qualia, quanta? 2. Noe, *Genes.* 8. ex quo arcam inijt, continuis pluuiis, ventis, procellis fuit ludibrium: Ita tu, Iesu. Neq; vlla tibi quies ante ab laboribus, pax ab hostibus: quam columba animæ tuæ, volans ex Arca crucifixi, constitit in ligno montis Caluariæ; 3. Moyses, vix dum natus, in profluentem Aegypti abijcitur: *Exod.* 4. Tu in mare mundi. Tua ibi fiscella, præsepium cum fœno & panniculis est.

Mũdim re qua.

Et tu mare mundi, quid te procellosius? Quid magis infame? 1. In te qui Venti, siue tui, opum, honorum, voluptatum? Siue nostri, passionum? Siue inferni, tentationum? 2. Quot tu Regnorum naufragijs, aut iactationibus illætatus irrisisti? Quot, quantos absorpsisti? Taceo alios: Vel Apostolos non veritus es, quin clamare cogerentur, Matt. 8. *Domine, salua nos, perimus.* Tu mare mortuum, in quo tota vitæ nocte laborantes, nil meriti capiunt. *Luc.* 8. 4. Tu mare Babylonicum, in quo Daniel, *c.* 7. ventos vidit quatuor depræliantes, Carnem, Dæmonem, Mortẽ, Voluptatem: Post quæ prodeunt monstra peccatorum.

Apostoli

Christus

His Iesus iactatus in vadis. His post Troiæ Angelicæ, & Paradisiacæ excidiũ.

---------Terris iactatus, & alto est,
Vi superûm: sæuæ memorem Iunonis ob iram
diuinæ Iustitiæ.

4. Passionis.

III. Neque in hoc fistit alto Iesus. In altius euehitur, Vltra columnas Herculis, aut Pellæi iuuenis: in mare, inquam, Passionis: Quò: Quò Domine? Psal. 92. *Eleuauerunt flumina Domine; eleuauerunt fluctus suos.* Heu, *Mirabiles elationes maris!* Hic furores, & æstus; scopuli; & syrtes, Scylla & Charybdis: Mors & vita. Hic ea experieris; vt dicas Ps. 86. *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me:* Et, *Omnes fluctus tuos in-*

eos induxisti super me. At cum in hoc mare fis delatus, quia voluisti: scias, non enatabis nisi facto naufragio. Et vt Ionas, *cap.* 3. eijcieris in altum Caluariæ & Crucis: triduo absorptus in vtero terræ iacebis corpore: cætera quoque in Ceti, Inferni aluo deges, limbi spes, & res, & omnia: mundiq; Victor, & victoria.

PARS III.

De incomparabili conuiuio Eucharistico.

Eucharistiæ figura.

I. ACcepit Christus *panes; & cum gratias egisset, distribuit.* En, hic eandem substantiam benedictione multiplicat: In Eucharistia vnum Corpus Consecratio facit esse posse multis in locis. Ibi 5000. hominum cibat: in hac, infinita. Ibi duo Apostoli dubitabant de Virtute & Potentia Domini: Philippus ait: *Ducentorum denariorum panes non sufficiunt*: Andreas: *Quid hæc inter tantos?*

Impugnatio hæretica.

In hac de Transubstantiatione duo hæretici Veritatem eius abnegant. Caluinus vult adesse Christum figuratum: Impanatum Lutherus.

Duo insignes.

Scilicet insigne par senum! 1. Quale, quod castissimam Susannam adulterij accusauit: Sic hi S. Eucharistiam idololatriæ insimulant. 2. Quales in Passione testes duo nouissimi. *Hic dixit: Possũ destruere. &c. Sed non erat conueniens testimonium eorum.* 3. Quale latrones duo, quos inter Dominus medius in ara Crucis.

4. Quales Philisthæi, nouis funibus rati se tenturos Samsonem: at is rupit & erupit. Nouis hæresibus isti se posse putarunt Eucharistiam tenere, quasi ad ipsorum captum captam. At Dominus telas ipsorum araneanas diffluit: & Patri acclamat: Ps. 115. *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.*

Conuiuiũ est incomparabile.

II. Hoc est *Sacrum cõuiuium in quo Christus sumitur &c.* Cuius figura fuit istud panum quinque 1. Quid Cleopatræ conuiuium? In quo duæ gemmæ liquatæ, vno haustu sunt ab M. Antonio absumtę, quæ æstimabãtur ducentis quinquaginta millibus coronatorum. Teste *Plut in Ant.* Hic duæ gemmæ, Humanitas & Diuinitas: præ quibus quid vsquam vnquam.

1. In pretio.

2. Quid Antonij Getæ Cos. Rom. conuiuium? In quo tot missus, quot literæ in Alphabeto: & in quolibet missu item tot fercula eduliorũ ab eadem incipientium litera, de nomine. Teste *Spartano.* Hic vero, in vno quot fercula gratiarũ? Stellas cœli numeres licet, neque has tamen numerabis. *2. In cibo.*

3. Iulius Cæsar, deuicto Pompeio, triumphans Romæ publicum dedit epulũ, magnificentiæ ostentandæ, in quo viginti millia mensarum Regifice instruxit, simul vim auri sparsit ingentem. At Christus toti orbi parauit mensam diuinam. *3. In conuiuio.*

4. Pythius Græcus, vir plebeius, Democriti Philosophi pater, tantarum fuit opum vir; vt lauto exciperet prandio totum Xerxis exercitum: qui constabat duodecies centenis millibus hominum, *Herod libr. 7.* Quin Regi abeunti donauit quadringẽtas myriadas auri, & bis mille talenta argenti. Sed hoc quid ad istud? In quo, Dan. 7. *Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei?* Et *Apocalyps. 7. Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus tribubus.* An non Psalm. 110. *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus! Escam dedit timentibus se.* *4. In donis.*

5. Assuerus, 127. prouinciarum Rex, *Esth.* 1. Satrapis ac Dynastis conuiuium apparuit in Susis. At nihil ad nostrum: quale in euangelicis cœnis, prandiisq; indicatur. Cuius causa dictum, Matt. 11 *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Venite & gustate quoniam suauis est Dominus. Accedite, & illuminamini.* *5. In esse dis.*

At pœnitentia animum præparet.

III. At triduo sequendus est Dominus, per tres pœnitentiæ partes. 1. Vasa, *Exod.* 19. in quibus manna colligebatur, esse voluit Deus aurea (ex auro charitatis) intus, & foris. 2. Arca, *Genes.* 9. in qua Noe se recipere debebat, annis centum ædificabatur: Hæc & talis, conscientia sit & tua. 3. Salomon, 3. *Reg.* 6. annos 7. consumsit in construendo templo, pro Arca inibi reponenda. 4. Virgines, *Esth.* 2. ad Assuerum admittendæ, anno ipso gratiam faciei comparabant: Tibi communicaturo quid facto opus? 5. Præsertim cum hinc colligi possint 12. cophini fragmentorum: Nimirum Remissio peccatorum, Gratiæ acquisitio, Dei amicitia: Pœnæ absolutio, vel commutatio, Quies conscientiæ, Consolatio S. Spiritus: Mortificatio, malorum habituũ exterminatio, augmentũ gratiæ: vitæ emẽdatio, promtitudo ad bene operandũ, gloria cælestis.

DOMINICA PASSIONIS.

Quis ex vobis arguet me de peccato? Ioan. 6.

AGnus paschalis, *Exod.* 12. multo ante pascha in vrbem adducebatur: vt eius balatu cuncti monerentur diutius, liberationis Patrum ex Aegypto; & gratitudinis. Ideo Ecclesia hodie exaudiri facit Dominicæ Passionis vocem, vt eiusdem meritis simus gratiores, eorumque participes.

Nos

I. Quo valeat Dominicæ Passionis memoria.
II. De innocentia vitæ Iesu.
III. De Veritate Doctrinæ Iesu.
IV. De Calumniatoribus Pharisæis.

PARS I.

Quo valeat Dominicæ Passionis memoria.

Memoria Passionis 1. revocat ad frugem.

I. THemistocles, Athenienſium Dux, à dissolutiore vita se ad frugem recipiens, noctu plateas obibat: causam rogatus, ait, se Miltiadis tropæis ad æmulationem excitari. Sic *Plutar. in vita.* Quanto magis somnum excutiet nobis memoria Passionis Dominicæ, inque ordinem rediget, ab vanitate auocatos?

2. Sanat.

2. Quid enim vsquam efficacius? vel solus enim aspectus serpentis ænei, *Num.* 21. morsos ab serpentibus consanabat.

3. Seruat pœna.

3. Exterminator Angelus solos eos præteribat, quorum superliminaria sanguine fuerant Agni aspersa *Exod.* 12. sic Passionis memores abhortet dæmon, & peccatum. 4. Orig. in c. 9. ad Rom. ait. *Certum est, vbi mors Christi animo circumfertur, non potest regnare peccatum. Est enim tanta vis crucis, &c. vt ad eius præsentiam totus peccati & carnis fugetur exercitus.*

4 Seruat culpa.

5. Liberat nece.

5. M. Manlius, teste *Plut. in vita, & Liuius,* Eques Romanus, ductus ad supplicium eo peruenit, vnde Capitolium aspici poterat. Exclamabat hic: Itan' Iudices, hodie Manlium occidetis, qui Gallos è Capitolio expulit, patriamq; seruauit, mori paratus? Vnus esse omnibus saluti potuit; non omnes vni? Tunc me prope Ioui parem feciſtis: nunc vinctum ducitis? Hoc moti Iudices, virum absoluerunt. Plus poterit Crux conspecta, ne peccando Liberatorem rursum crucifigas. Recordare, quod est salutare.

6 Reddit memor beneficii.

II. 6. Ioseph. Genes. 30. *cum adiurasset fratres, atque dixisset: Deus visitabit vos: asportate ossa mea vobiscum de loco isto.* Nimirum ob sui memoriam conseruandam, ac beneficiorum præstitorum iisdem in fame, in remissis iniuriis. Iustius hoc Iesus postulat à nobis. 7. Hinc si esse debeatis, 2. Cor. 4. *semper mortificationẽ Iesu Christi in corpore vestro circumferentes.* Quanto magis in anima? 8. Isti sane his sunt similes, de quibus Apocal. 7. *Hi sunt, qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine Agni.* Vel martyrio suopte, Vel cõpassione Christi Passi.

7. Conformat Crucifixo.

8 Æquipene martyrio.

9. Nec

9. Mortificat.

9. Nec enim se molliter tractabit, qui viderit talia passum pro se Dominum. Vti Rebecca, *Gen.* 24. procul conspecto in agris sponso Isaaco, desiliit ex camelo: indecorum rata, se vehi, illo pedes incedẽte. Sic tu. &c. 10. Dauid 2. Reg. 11. *Ecce, ego habito in domo cedrina, Arca autẽ Domini sub pellibus est.* Efficax comparatio tui, & Christi: atquam disparata? 11. Hanc hodie proponit Ecclesia: Vt, sicuti 1. Machab. 16. *Antiochi elephantis ostenderunt sanguinem vuæ & mori*, ad acuendos eos in prælium: ita nos inspecta Passione. 12. Similis matri, quæ visis prolibus conuersari cum patris interfectoribus, ostendit eis vestem paternam perfossam, & cruentam: quo sic eos à consortio talium absterreat, adque cædis vindictam tacite extimulet. Ita nos à mundo, peccatoque refugiamus memoria Passionis: cuius hodie *vexilla prodeunt*: facta Iudæorum conspiratione.

10. Humiliat.

11. Acuit ad imitandum.

12. Absterret ab occasionibus peccandi.

PARS III.

De Innocentia Vitæ Iesu.

I. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Quæstio prima de sua innocentia: Secunda de Doctrina: *Si Veritatem dico vobis; quare non creditis mihi?* Causa quæstionũ erat, quod in se iam conspiratum sciret. Ex iis duabus tota dependet salus. Ex prima: Quia alio qui nos redimere non valuisset; si in debitis ipse fuisset. 1. Quare, Hebr. 7. *Talis decebat vt esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus.* 2. Designatum ita *Leu.* 22. Vbi cautum; neu mancum, aut mutilum offeratur: *vt acceptabile sit; omnis macula non erit in eo.* Ergo dicite cõiurati, *Quis ex vobis arguet me?* Quid igitur in me innocentem fremitis?

Innocens Iesus 1. *Quia Pontifex* 2. *Quia oblatio erat.*

3. Quia talis præfiguratus: 1. *Vt seruatrix Arca,* 2. *Vt Moyses Dux.*

3. Vos appello, legemque vestram. Euolute hanc. 1. Reperietis me Arcam esse, diluuio innantem absque naufragii periculo; seruantemque cæteros. *Gen.* 7. 2. Me esse Mosen, *Exod.* 2. in profluentẽ abiectum, illæsum; Ducemque factum populi, ex Aegypto Satanica, in terram Beatorum. 3. Me esse Iosephum, *Gen.* 40 qui escam salutis defero fratribus, in agro mundi bestiarum ritu viuentibus; à quibus per coniurationem vendar: à Synagoga pellice deinde putipharæa in carcerem compingar, & indigna patiar.

3. Vt Iosephus Saluator.

4. Me Hircum esse emissarium pro peccato, peccatis onustum populi; *Leu.* 10. spectate in desertum Caluariæ. 5. Agnum me esse immaculatum; victimam paschalem *Exod.* 12. futurum. *Quis* igitur *ex vobis arguet me?* Quasi diceret, cum Samuele sanctificato ab vtero, 1. *Reg.* 12. *Ego senui, & incanui, conuersatus coram vobis ab adolescentia mea, vsque ad hanc diem, ecce præsto sum: Loquimini de me coram Deo, & coram Christo eius: Vtrum bouem cuiusquã tulerim, aut asinum: Si oppressi aliquem, &c.* Ita Iesus Synagogæ.

4. *Vt hircus pro peccato.*

II. Et quis illum arguat; cum omnes pro ipso testentur. 1. Vel Iudas. Matth. 26. *Peccaui, tradens sanguinem iustum.* 2. Pilatus: Matth. 27. *Innocens sum ego à sanguine Iusti huius.* Vxor eius: *Nihil tibi, & Iusto illi.* 3. Alia, Luc. 11. *Beatus venter, qui te portauit: & vbera quæ suxisti.* 4. Prophetæ: Ier. 25. *Hoc est nomen, quod vocabunt eum: Dominus Iustus noster.* 5. Dauid, Psal. 20. *Iustus Dominus, & iustitias dilexit: æquitatem vidit vultus eius.*

4. *Talis probatur ab hostibus testibus.*

De Messia Figuras recognoscite. 1. Est insons Naboth, 3. *Reg.* 21. Qui, vt vineam Ecclesiæ tueretur suam; ab Iezabele, Synagoga, accusatus, neci addicitur. 2. Est Absolon pulcer, 2. Reg. 14. *Sicut Absolon, vir non erat pulcher in Israel. A vestigio pedis vsque ad verticem non erat in eo vlla macula;* O Absolon, tu aduersus Dei Patris Iustitiam arma sumsisti: at ab ea cæsus, per desertum mundi fugiens, crinibus Humanitatis tuæ ex arbore Crucis pependisti: tribus in ea clauis transfixus. At tu quoq; cum detondebaris, capillum meritorum

Aciterum præfiguratus est insons; Pulcerrimus.

tuorum vendebas mulieribus Ierosolymitanis: quo mitellas animarum infartiebant. Et te quisquam arguet peccati?

Apelles, pictorum princeps, teste *Plinio, lib. 31. cap. 10.* tabulas suas propatulo exponebat; vt publice culparetur, quod posset. Sic se Iudæis Iesus. At inculpatus. Vt, *Num. 21.* serpens æneus Sanator figuram solam, at non venenum serpentis habebat: Ita Iesus *formam serui, absque peccato. Phil. 2.*

Insons arguere alios potest.

III Bene igitur Iudæos arguebat Ipse.

1. Nam, vt Cic. in Salustium: *Carere debet omni vitio, qui in alterũ paratus est dicere.*

In detractores inuectiua.

At alia iam omnia: & hæc peruersa.

1. In aliorum vitia tam cernimus acutum, quam aut aquila, aut serpens Epidaurius. Vitam inspicimus alienam, despicimus nostram. Isthic talpæ, hic lynces. Nostra in illud manticæ inijcimus, quod à tergo gerimus: quod ante, huc aliena. 2. Bern. *O Curiosum genus hominũ ad cognoscendam vitam alienam, desidiosum ad corrigendum suam.* 3. Nam, vt Senum quidã ad remota clarum tuentur, ad vicina vero cæcutiunt: ita Catones iniqui, Momi, Zoili, Aristarchi, Archilogi. 4. Ita Pharisæus, *Luc. 15. 5.* Ita vultures, aueſque cadariuoræ procul odorantur escam, quam fœtore allectæ lacerant: Sana corpora nil percipiunt.

Vtiles sunt correctioni.

At conducunt bonis. 1. Diogenes Cynicus enim aiebat: *Virtutis studioso aut fidissimus amicus, aut inimicissimus opus esse.*

2. Vnde Philippus Macedo lætari se aiebat, quod Athenienses haberet infensissimos: Eorum enim inuectiuis moneri se, & corrigi.

PARS III.

De Veritate Doctrinæ Iesu.

Agnita veritati resistentes.

I. SI *veritatem dixero, quare non creditis mihi?* q. d. Par vitæ doctrina est. Duo hæc fidem merentur. Sed Iudæi fidem non dabant: quia Veritatem respuebant.

1. Sic Achab Rex Israel, 3. *Reg. 22.* in bello contra Regem Syriæ consuetos 400. pseudoprophetas Baalim audiebat, qui ad aures loquebantur optata: At Michæã refutabat: quia ait: *Odi eum. Non prophetas mihi bonum, sed malum.* 2. Similes hodie, qui non credunt, nisi quod allubet. Quã multa prophetat Euangelium, quæ nulli applacent hominum, vt faciant? Sciunt: Et hoc tantum. Neque audire volunt: Increpiti pro Concione acrius, indignãtur: Querũntur: Temnunt. 3. Similes Pilato, *Matth. 27.* Qui, quid sit veritas, quærit: Dicere parat Dominus: at ipse *exibat foras. 4.* Qualis *aspis surda, & obturans aures*, quo *nõ exaudiat vocem incantantium*, Ps. 57. Tales quot hodie, & quanti, sapientes sibi?

Temtores sunt Prædicatorum.

II. In hisce Prædicatores sumus similes puero Giezi, *4. Reg. 4.* Quem Elisæus cum baculo suo, ad Sunamitidis filium, à mortuis suscitandum misit. Hunc tangit is baculo, mouet: & promouet nihil. *Non enim erat vox, neq; sensus.* Giezi indignatus ait Elisæo: *Non surrexit puer.* Ita Prædicatores mittimur ab Elisæis nostris, cum baculo doctrinæ, ad mortuos. At mortuis prædicamus. Nec baculum sentiunt iudicij, inferni, potentiæ diuinæ, aciræ. Quia *auditum à veritate auerterunt*: Et *obturauerunt aures suas*, ne audiant, conuertantur, & sanentur.

Seductores que alios.

III. Ita Ieroboam, 3. *Reg. 12.* raptor regni Israel, volente Deo, noluit vt ascenderet populus Ierusalem sacrificatum, ne conuertatur cor populi ad Roboam, Regem Iuda, interficiantque ipsum. Idcirco vitulos aureos proposuit adorandos. Ita Sathan cum fascinatis suis agit: Ita Pharisæi cum populo: Ita ipsi inter se. Nolunt vel respectare vitam, vel audire Veritatem Domini.

At non sic vos, Auditores. Este filij aquilæ. Vt hæ pullos ad solis inspectum probant fixum: ita ad fructuosum Veritatis

tatis auditum probatur Christianus. Nã (vt hîc,) *Qui ex Deo est, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.*

PARS IV.

De Calumniatoribus Pharisæis.

Defecti veritate calũniantur.

ADhęc quid Pharisæi? Calumniantur: Nec aliud. *Nonne benedicimus nos; quia Samaritanus es, & dæmonium habes?* O ineptum respõsum! Ad innocentiam aiunt; *Samaritanus es*: Ad Veritatem; *dæmonium habes.*

1. Euenit hisce, vt terræ, iam diu non perplutæ, & exaridæ. In quam quæ demum incidit pluuia, vertitur in ranas, vermes &c. Sic anima, quæ longo peccati ardore emarcuit, resoluta in puluerem vanitatis; cum aqua Prædicationis irrotatur, eam vertit vel in venenum, vel in putredinem deterioris corruptionis. Videas id in Pharisæis euenisse Christo. Huius aqua cœli viua, & verba vitæ, quid apud eos profecere, nisi ad productionem viperarum, bufonum, blasphemiarum. &c. *Nonne benedicimus. &c. O Genimina viperarum.*

Inferunt q; dedecora.

2. Misit Dauid 2. *Reg.* 10. legatos ad Hannon Regem, lugentem patris mortem consolaturos. Is ratus exploratores esse; semiberbes fecit, semique nudos; vestibus ad nates præcisis. Vah infamiam! Maior Christo facta. Missus à Patre, in solatiũ Synagogæ, hæc eum vt pseudoprophetam, despuit, persequitur, pessimis post habet Samaritanis, æquat dæmonijs. 3. In Iosephum tam acerbum fuit odium fratrum, *Gen.* 37. Vt *non possent ei pacifice loqui.* Erat eis Somniator, accusator, morti dedendus, venditius. Talis Dominus Iudæis. Quin iam & Christianis, maxime in eum blasphemuomis. *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?*

Odia exerpens.

Perora. Iesu da nobis aurem audiendi Verbum tuum; *Sonet vox tua in auribus* nostris. Cantic. 2. Age, *Loquere Domine, quia audit seruus tuus*, 1. Reg. 3. Nam Psalm. 118. *Dulcia faucibus meis eloquia tua, super melori meo.* Iesu, tu verè Samaritanus es, Adæq; filius: At & ille es, qui, *Luc.* 10. lapsum in latrones Ierichuntinos mundi excepit, fouet, ac in pristinum restituit.

DOMINICA PALMARVM.

Benedictus, qui venit in nomine Domini. Matth. 21.

EMissa, *Gen.* 8. reuenit in Arcam palmifera columba; signum placati Numinis, & diluuij subsidentis. Iesus, cœlo demissus, vel vtero Virginis egressus, ex agris reuertit palmarius in Vrbem pacis; signum remissæ & iræ Dei, & noxæ nostræ, & pœnæ. O lætam diem: ramosque felices!

Nos

I. De mundi vsu, & exitu.
II. De Iesu triumphante.
III. De Iesu se humiliante, & Mundo variante.
IV. De Iesu ramos inter & vestimenta exultante.

PARS I.

De mundi vsu, & exitu.

Merus mœror in mundo est. Quia captiuat. 2. Diuexat 3 Nouerca est.

I. FLebilis est myrias ærumnarum Mundi. 1. Eas Heraclitus philosophus sapienter, & irremisse deflebat; & hoc solũ agebat. 2. Sic Israelitæ captiui, teste Ps. 136. *Super flumina, Babylonis sedimus, & fleuimus* ærumnas humanas, *dum recordaremur tui Sion.* 3. Lætare, si possis, exul apud hospitem, te continuo diuexantem qua ficta pace, qua aperto marte. Sic namq; mundus assolet.

4. Necat.

4. Iam Plini, ne quere are de Natura, vt nouerca homini, brutis matre: iniquior in Dominum suum hominem Mundus est, quam in bruta. Quibus sponte funditterra, quæ optant: homini vix dum subacta: At mundus subigi sese à quoquã haud

haud finit: sed quoscunque sibi subactos vult ac mancipatos. At talibus suis mancipiis, quid boni volet. Imo quid non mali inferet?

Tyrannizat.

5. Ita regulus serpens visu hominem solo inficit, simul interficit: cæteris animantibus innoxius. Mundus, basilisco venenosior, quantos inficit contagio, quantos & interimit? 6. Pharao, *Exod.* 5: per diem laboribus; sub vesperam flagris obruebat Israelitas, exactorum vsus diritate: Talis mundus, per vitam, ærumnis vrget; sub mortem, pœnis inferni instantibus lancinat.

Pellicit.

7. Ioseph, *Gen.* 19. vix inierat domum Putipharis, iam hinc ab hera ad peccandum illicitur; mox accusatur: vnde ab hero fit nexus. Ita natos mox ad peccatū natura pellicit; mundus sibi innectit: Mors vincula soluit.

Seruit ipsemet.

11. 8. Antigonus Rex Macedonum potestatem regiam, vocitabat splendidam miseriam, vel seruitutem. Quid mundi felicitas: nisi quædam aurea seruitus, & pulcella captiuitas? 9. Vtque Naaman, 4. *Reg.* 5. opib. beatus; at infelix à lepra: ita mundus apparet aureus; cum sit leprosus, ac putidus. 10. Eius imago, Nabucho. donosoræa est statua; in imo lutea fragilis vel ad lapilli ictum. *Dan.* 4. 11. Neq; firmitatis plus mundo est, quam domui, Matth. 7. quam *vir stultus ædificauit super arenam, & descendit Pluuia, & venerunt Flumina, & flauerunt Venti, & irruerunt in domum, & cecidit, & fuit ruina magna.* Hem, qualia circum domum tam male fundatam? cui deijciendæ vel vnum istorum nimium. 12. Vt mare surgit in tumorem: Sic Psal. 36. *Vidi impium superexaltatum, & eleuatum sicut cedros Libani*: mox detumescit: *Transiui, & ecce non erat.*

Leprosus est.

Luteus.

Caducus.

Varius cursu. Certus ab interitu.

III. Tales Euripus mundi affluxus habet, & defluxus. Vt Protheus formas omnes; omnes rerum colores Chamæleō, induit, quibus inhæserit. Vin' exempla? Vel vna dat Roma. 1. Iulius Cæsar 40. victorijs, prælijs innumeris, nobilis; in Curia 22. ictibus Senatorum corruit. 2. In Oriente Alexander Magnus sic, vt hic orbis ei angustus videretur, ac alium quæreret; Babylone extinguitur veneno; dies 30. iacuit inhumatus. 3. Adonibezech, *Iudic.* 1. Regum 78. Rex, sub mensa sua micas legentium; demum regno exutus, fortunæ fit ludibrium. 4. Sedechias, 4. *Reg.* 20. Rex Israel quam potens ac diues? Rapitur in Babylonem, cæsis liberis, exoculatus, vxore violata, euerso regno. 5. Valerianus Imperator Romanus, captiuus fit in Persia. Regi stapedem tenens equum conscenduro; fit demum ephippiarius. 6. Dionysius Siculus ex rex pro sceptro demum spherulam tenet ludimoderator senex. Prisca illa: At innouātur quotidie. Quot ab equo ad asinum; imo ad haram defluunt? Et hic æui cursus est. huc exit gloria mundi.

PARS II.

De Iesu Triumphante.

Manes mundi p titur.

I. EN Iesum, Regem Angelorum, hodie triumphantem: cerne apparatū: audi acclamationes. Iam magnificus; alias nunquam. Natus enim vt orbem inibat? Etsi astra seruirent illi; Reges apparerent; adorarent pastores; Angeli accinerent: Tunc tamen breui post fugatur: nunc post dies quinq;, in Crucem datur. O vita quid es, nisi rota?

Triūphalis est Qui 1. Victima est.

2. Spiritu plenus.

At in fatis sic erat. 1. *Exod.* 12. Ita cū palmis Agnus paschalis introducebatur ex agro, post immolandus in ara. 2. Filij prophetarum, viso quod Eliæ spiritus in Elisæum descendisset, venienti occurrunt, 4. *Regum* 2. demissè Iericho vsq; deducūt, & adorant. Dei spiritum requiescere super Iesum nil ambigunt Iudæi; cuius rapti veneratione Christum sic honorant.

3. Victor est.

3. Dauidi, 1. *Reg.* 30. Amalecitarum à se cæso-

eæforum ſpoliis onuſtus Ieroſolymam intranti acclamatur: *Hæc eſt præda Dauid.* Hæc Chriſti eſt, victo Satana: Ideo *Benedictus: Oſanna.* 4. Stabat Deo, Achabi domum ſtirpitus excidere: 4. *Reg.* 9. Iubet Eliſæo; regnum in Iehu transferat: Iehu Rex proclamatur: certatim mox omnes pallia ei ſubſternũt; acclamãt: *Viuat Iehu Rex!* At viuas Ieſu Rex! Is hodie tibi factus honos eſt. *Dicite filiæ Sion* iſta Prædicatores, &c.

4. Rex eſt.

II. Et vero, Cant. 3. *Egredimini filiæ Sion, videte Salomonem: Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus.* Egredimini de vanitatibus toti; de negotiis tantiſper; vt videatis expectatum annis iam pene 5000. Accurrite; neutimueritis: 1. Non eſt Deus iam tonans ac fulminans, vt in Sinai, *Exod.* 19. 2. Non *Iſa.* 6. Terribilis Deus Sabaoth. Deus exercituum. 3. Non, *Exod.* 25. Deus Zelotes, vlciſcens peccata Patrum. 4. Non is, cuius manus armatæ, inebriãs ſagittas ſuas ſanguine: *Deut.* 32. 5. Nõ, Pſ. 2. *Qui regit gẽtes in virga ferrea, & tanquã vas figuli cõfringit.* Nõ.

Nõ eſt terribilis.

Sed eſt 1. humilis Dauid exutus regiis, paſtoritiis indutus, 1. *Reg.* 17. Sic & contra Goliath nunc procedit. Etſi olim vndiq; armatus ſit proceſſurus contra ſtultum Nabal mundicolam. 1. *Reg.* 25.

Sed manſuetus.

2. Ipſe eſt Noe iuſtus; *Gen.* 9. Quia à more ebrius, ſuam nuditatem paupertatis & humilitatis toti orbi notam facit.

A deũq; latus.

III. *Dicite Filiæ Sion*: Animæ: Ecce mœſta, vt Tobiana mater, humana natura; hodie filium tuum conſpicies: exi obuiã *Tob.* 10. Hodie Iacob ô homo; nuncium accipies: *Ioſeph filius tuus viuit,* & regnat, *Gen.* 24. Videbis, quem nunquam viſurũ putabas. Ite: nihil opus eſt, ad inferos deſcendere ad eum *Ecce* adeſt.

Abſq; Angelis.

At qualiſnam tuus hic triumphus eſt, ô Ieſu? Angeli vbi eſtis? Vbi Cherub? Michael vbi? Vbi Gabriel? Vbi, Dan. 1. *Millia millium miniſtrantiũ ei, & decies centena milia aſſiſtentium?* Vbi *pluſquam decem legiones?*

Abſq; Pũpa mundi.

1. Vidit Roma Cæſarem, curru triumphãtem eburno, tractum 40. elephantis: 2. M. Antonium à leonibus curru tractũ: à ceruis Aurelianum: Et ecce, Orbis Dominum fert Aſina! 3. Nero nunquam inibat Roma m; niſi mille rhedis ſtipatus, & ſoleę mularum eſſent argenteę: teſte *Suetonio.* 4. Seſoſtris, Rex Aegypti, curru vehebatur, à 4. Regibus tracto coronatis, & ſceptrigeris. 5. Salomon plerumq; alebat 40000. equorum, curruũ 12000. Et ecce aſina cum pullo ſunt omnia Chriſto.

Mi Ieſu: 1. Vbi ſunt modo, *ſuper quas ambulas, pennæ ventorum?* *Pſal.* 103. 2. Vbi ſunt Angeli: *Qui ſedes ſuper Cherubin?* Pſal. 79. 3. Vbi, de quibus Pſalm. 67. *Currus Dei decem millibus multiplex: Dominus in eis, in Sinai, in Sancto?* Exclamat hic S. Chryſ. *Naſcitur in præſepio, famet in deſerto, cõuiuia hordeaceis celebrat, pauperibus ſtipatur, hodie aſina vehitur, nudus in cruce emoritur!*

PARS III.

De Ieſu humiliante ſe, & Mundo variante.

In alris humilis.

AT non mireris quin audi ipſum: *Pſal.* 87. *Pauper ſum ego, & in laboribus à iuuẽtute mea.* Quare Matth. 11. *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis.* 2. Ioſeph, *Gen.* 45. Etſi primus à Pharaone: prioris tamen ſortis memor vixit, & humilitatis. Adeoq; voluit & fratres eãdem profiteri apud Pharaonem: *Dicite,* ait, *viri paſtores ſumus nos, & patres noſtri.* 3. Sic Agathocles, Siciliæ Rex, ne ſe filium eſſe figuli obliuiſceretur; abacum figulinis adornatum voluit: teſte *Plutar. in Apoph.* 4. Lechas, Rex Poloniæ, ab aratro ad regnum euectus, veſtes ruſticas in palatio ſuſpenſas in oculis ferebat. *Chron. Pol. lib.* 1. *c.* 5. Mira hæc. At mirabilius, Ieſum, orbis vtriuſq; Dominũ, aſina vehi: aſſumptæ memorem naturæ.

In lætis ſubtriſtis.

1. Epaminondas, Dux Thebanorum, poſt victoriam reuerſus, & poſtridie ab Senatu conſalutandus prodit vili indu-

tus habitu, vultu submœsto. Causam scisci tantibus, ait: *Heri nimiũ mihi placui. Fortunæ metuenda mutatio est.* Ita Iesus, in excitato mortuo Lazaro, quasi infernum occiderat: hodie in tantis honoribus nil insolescit: Sciens futuram mutationem.

2. Philippo Maced. vno tempore tres nuncij aduenere læti: primus de nato Alexandro: secũdus de suorum equorum in Olympico victoria: tertius de vrbe quadem à suis expugnata. Quibus auditis, in cœlum clamauit: *Fortuna moderare lætitiam, & felicitatem tempera: Ne dein simul omnia caput hoc obruant aduersa.* Christo hic quam læta? At post qualia?

Mundus dum blanditur, ti sidiatur.

II. Post lætitiam de Amalecitis deuictis, aduolat, ecce, Dauidi nuncius de occiso Saule, & Ionatha, & exercitu cæso, 2. *Reg.* 1. Sic Christo post paulum ab omnibus deserto, abnegato, prodito. &c. 2. Vah munde! quem hodie colis Regem; cras latronem. &c. proclamas. Hodie Cæsari anteponis; cras Barnabæ postponis Iesum. 3. Ioab Abnerum benigne affatur; mox trucidat. 2. *Reg.* 3. Simulator Mũdus Saluatorem. 4. Sic Leui & Simeon, *Gen.* 41. Sichemo se finguntamicos: mox vitam eripiunt. 5. Aman, quo cum Assuero & Esthera pranderat die, die suspenditur eodem. *Esth.* 5. Christus, quo sic inuehitur in Vrbem die, die exors hospitij exire cogitur eodem. 6. Daniel primus à Rege proclamatur: postridie in lacũ leonum condemnatur. Ista fides est mundi!

PARS IV.

De Iesu ramos inter & vestimenta exultante.

Dum dantur elee. mosyna. Mortificãtur corpora.

I. ECce, ramos abscindunt superfluos diuitiarum, ex arboribus diuites, & substernunt in pauperibus Domino. 2. Ecce, animæ pœnitentium castigant corpus suum, & peccatorum exuuias ad pedes Crucis expandũt: queis stercora viarum suarum obtegunt: Sicut vxor Iacob stramine idola. Sole meridiano subinde cogit æstus exutas ponere vestes: Ita ad imminentem Solem Iesum suas Ieroſolyma, suas item ponit peccator. 3. Ecce, Angeli, & Fideles, passionem commemorantes. Passum præeunt, & sequuntur clamantes: *Osanna. Benedictus.*

Exultat Iesus.

4. Ecce, 1. Ipse *Exultat, vt gigas ad currendam viam*, Ps. 18. 2. Sicut Delphinus exultabundus ludit in vndis, cum cieri persentiscit tempestatem. Heu, quantam præsensit Iesus? 3 Sic Aegyptij in filiorum morte soliti exultare. 4. Sic mortẽ præcipiens Cynus, canit exultans.

Quia amat foris opere.

II. Triumphans autem exultat Iesus, quia nos amat, & desiderat se pascha fieri. 1. Designatus talis, *Num.* 19. in vitula rufa, iussa immolari extra castra, eiusq; cineres ad legalis munditiæ expiationẽ adhiberi. Ardet amore Iesus: rubebit cruore: Vt Passi merita sint expiatio nostra.

Intus maximopere

2. Sed quantumcumque ostenderit amorem, cruorem, meritaque foris; intus tamen in animo eius longe erant maiora. Quales fenestræ Templi aliquæ, intus latissimæ, foris angustæ fuerant: 3. *Reg.* 6. Ita Christi sũt vulnera. Quid, quod amor patiendi tota passione fuerit pene infinities maior? *Ergo egredimini filiæ, expoliantes vos veterem hominem Col.* 3. eiusque vestes substernentes Seruatori.

DOMINICA RESVRRECTIONIS.

Resurrexit, sicut dixit. Marc 16.

IOnas. *cap.* 1. mari fremente, eiectus forte, & absorptus à cete, triduum exegit in ventre: dein effunditur, quasi rediuiuus stãs in litore. *Et ecce plusquam Ionas hic,* Luc. 11. Iesus. Nauigat mare Redemptionis: sæuit tempestas iustitiæ: eiicitur is in mare tribulationum: triduo tenetur in morte: Demum reddit se vitali auræ.

De quo

De quo nos

I. *Quod resurrectio sit fide capienda, non ingenio.*

II. *Quod oportuerit Christum exaltari.*

III. *Quod & nos oporteat in Christo resurgere.*

IV. *Quis, mortuo Christo, status fuerit Corporis, Animæ, & Diuinitatis eiusdem?*

V. *De morte Mortis.*

PARS I.

De resurrectione non ratione, sed fide capienda.

Resurrectio est incõprehensibilis.

TErt. l. de resurr. ait, Nihil esse difficili°, aut admirabili° resurrectione mortuorum. Nisi credas, non intelliges. 1. Ea est fluuius Ezechieli, *cap.* 47. visus adeo intumescens, vt tranari non queat. Item *Apoc.* 5. Ea liber est ille intus & foris 7. signaculis signatus, quem nemo vel aperire, vel aspicere poterat; præter Agnum: *Et animalia clamabant: Dignus es Domine accipere librum, & soluere signacula eius quoniã occisus es, & redemisti nos.* Liber is in cuiusq; anima *intus*, & corpore *foris* scriptus, & innumeris signatus miraculis est. 2. In hoc mysterio, sapientia defecit Salomonis: Prouerb. 30. *Tria mihi sunt difficilia; & quartum penitus ignoro; Viam aquilæ in cœlo:* id est, ascensionem Domini: *viam colubri supra petram*, id est, Resurrectionem: *Viam nauis, in medio mari*, id est, Incarnationem: *& viam viri in adolescentia.* 3. Saducæi negabant resurrectionem: scisciantibusq; super ea, Iesus respondit, Matt. 22. *Erratis, nescientes Scripturas, neq; virtutem Dei.*

Credibilis tamen vel ex Figuris.

II. At nos credimus, 1. quod, sicut Israelitæ simul & Pharaonitæ, *Exod.* 14. sunt Aegypto egressi: verum ad mare cum ventum, hi submersi; illi egressi sunt in terrã sanctam, sine vel morbo, vel vestiũ attritione: Ita corpora ex terra egressa, iudicij Diuini mare transire habent; in quo peccatores peribunt; iusti pertransibunt ad gloriam. 2. Quales duo cum Ioseph capti, *Gen.* 40. ambo è carcere sunt educti: sed hic in malam crucem; ille ad pristinam dignitatem. Ita 1. Cor. 15. *omnes morimur; sed non omnes immutabimur.*

Et Deo possibile.

Et vero potens est Deus nos resuscitare. Nam 1. Qui ex nihilo creauit omnia; qui *potest de lapidibus suscitare filios Abrahæ:* Luc. 3. facilius potest idem mortuos ad resurrectionem conuocare. 2. Ezechiel, *cap.* 37. agrum videns plenum ossibus, interrogatur: *Putasne, viuent ossa ista?* Et ipse: *Domine Deus tu nosti.* Et Dominus sic eum clamare iubet. *Ossa arida, audite verbũ Domini.* Mox anima subintrante constiterunt corpora.

At creditu difficilis.

At Philosophi hæc non credere. Nam 1. Paulus Athenis de resurrectione disserens, explosus est *act.* 17. 2. Refert *Euagrius l. 1. Hist. Eccl. c.* 15. Synesium Cyr. Episc. initio credidisse omnia: at ægre resurrectionem. 3. Quin Apostoli. Nam Marc. 10. *Recumbentibus XI. apparuit Iesus, & exprobrauit incredulitatem eorũ, & duritiam cordis: quia his, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt.* Lucas, *c.* 14. ait eos, viso Iesu, putasse spiritum esse. Thomas, *Ioann.* 20. præfracte ait: *Non credam.* At satis iam est: nunc scimus, quia *Surrexit, sicut dixit.*

PARS II.

Quod oportuerit Christum exaltari.

Resurrectionis certitudo.

I. REsurrectio docetur hodie, 1. Mariis per Angelos. 2. Per mortuos resurgentes, & multis apparentes. 3. Per redeuntes ex Emaus. 4. Per Petrum ex viso domino. 5. Omnium primo per B. V. Mariam, cui dominus primæ apparuit: vt S. Ambr. vult.

Causa triplex.

S. Thomas Aquin. prodit, tribus de causis Dominum resurrexisse. *Prima.* Vt iustitiam diuinam faceret notam; quæ *erigit elisos, & exaltat humiles.* At Dominus Phil. 2. *Humiliauit semetipsũ factus obediens:*

propter quod & exaltauit illum Deus. Fontes tam ascendunt alte, quam alte cadit origo: At Ps. 18. *A summo cœlo egressio* Christi: proinde *& occursus eius vsque ad summũ.*

Figura de exaltatione Christi passi.

1. Ad nutum Iosuæ, *cap.* 10. sol in cœlo substitit: Ad nutum Patris, Iesus in Cruce fixus pepẽdit; dum inimici profligarentur, mundo subacto. Ideo par erat, vt, qui decem gradibus retrocesserat; infra nouem Angelorum choros, & humanum statum; is iam reuerteretur ad gradum pristinum. Sicut & Ezechia ægrotante factum est. 4. *Reg.* 20. 2. Iobo reddita sunt duplicia, postquam patientiam dolorum in fimo deuorasset. Sic Iesu. Quia Psalm. 109. *De torrente in via bibit, propterea exaltauit caput.* In tantum quod Psal. 8. *Gloria & honore coronasti eum* Deus: *Et exaltatum est nomen eius solius.* Psalm. 148.

3. Ioseph, *Genes.* 41. postquã vltima perpessus fuisset; regijs induitur; vehitur carpẽto; Saluator salutatur; Dominus & Princeps Pharaonicæ domus, & possessionis constituitur. Ita Iesus hodie gloria amictus; curru Diuinitatis vectus, Monarcha Saluator fit orbis. Act. 9. *Hic est, qui cõstitutus est à Deo Iudex viuorum, & mortuorum.* Et Ps. 71. *Dominabitur à mari vsque ad mare.* Illi dictum, Ps. 2. *Tibi dabo gẽtes hæreditatẽ tuã, & possessionẽ tuã terminos terræ.*

4. Mardochæus cum omni populo Iudaico neci addictus diplomatis regijs, *Esth.* 7. acto in crucem Amone; eousque prouehitur, vt primus à Rege esset. Ita Iesus. Cui prædictum Psal. 109. *Dixit Dominus Domino meo; sede à dexteris meis; donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorũ.* 5. Moyses, *Exod.* 1. in aquam abiectus; perpessus multa; fit Dux populi. Sic IESVS. Sic & modo. Quare *Exurgat Deus; & dissipentur inimici eius:* Psal. 67.

6. Daniel, *c.* 6. coniectus in lacum leonum, obsignatum, custoditum militibus; ecce egreditur, & cunctos satrapas superegreditur. Ita Iesus; Ideo Ps. 8. *Omnia subiecisti sub pedibus eius.*

PARS III.

Quod & nos oporteat in Christo resurgere.

D. Thomæ *ratio secunda Resurrectionis Dominicæ* est; vt & nos resuscitandos monstraret Deus. 1. Sic Tert. libr. de patient. *c.* 3. aduersus Marc. Et 1. Cor. 15. *Si Christus resurrexit; ergo & mortui resurgunt.* Idque propter Diuinitatem, ait *S. Th. p.* 3. *q.* 36. *art.* 1. cui nostra humanitas hypostatice vnita fuit. Vnde 1. Cor. 13. *Per vnum hominem mors, & per Vnum Hominem resurrectio mortuorum.* *1. Oportu Christum emplo.*

Magnes vi sua ferrum extra centrum rapit sursum. At 1. Cor. 10. *Petra erat Christus:* Et idem Ioan. 19. ait: *Si exaltatus fuero, omnia traham ad meipsum.* Ideo per Ipsum resurgimus tracti. *2. Virtus trahente*

3. Panthera tam grato fragrat odore; tam pulcris est variegata maculis; vt progressa per siluam omnia contrahat animalia. Talis resurgens Iesus, cuius corpus donatum notis Immortalitatis, Impassib. Agilit. & Charitatis, odore gratiosissimo trahit bestias agri, mundi peccatores, & iustos. Cant. 1. *Curremus in odorem vnguentorum tuorum.* *3. Odor gratiarũ*

4. In natiuitate Iacob calcem Esau arripuit sicque simul sunt editi. *Gen.* 25. Ita Humanitas Christi apprehensam tenens Diuinitatem, cum ea resurrexit: & in ea nos omnes. Nam Oseæ 11. *Traham vos in funiculis Adæ.* *4. Meri*

5. Sicut flumen tranaturi cerui, *Plinio* teste, ad id congregantur. Tum validissimus init primus, alius dein super alium; & primi tergo secundus cornuum pondus imponit, secundo tertius, sicque deinceps, dum pertranantes in sicca consistant. Nobis præjit Iesus in flumine lethæo periissemus, ni Dux educeret omnes. Et *5. Auxili*

nes. Et potens est: modo sequamur adinsulas Beatorum.

6. Dono. 6. Elisæus sepultus contactu suo mortuum suscitat, 4. *Reg.* 13. Atqui, ait Euseb. Emiss. Hom. 7. de Pascha te: *Noster Elisæus Christus mortuus, morte sua salutem largitur, & vitam sepultus operatur.* Et Rom. 4. *Mortem nostram moriendo destruxit: & vitam resurgendo reparauit.* Resurrecturum inuocat Psaltes 107. *Exurge gloria mea, exurge psalterium & cithara.* Respondent ibidem: *Exurgam diluculo.* Et Psal. 3. *Ego dormiui, & soporatus sum, & exsurrexi.*

PARS IV.

Quis mortuo Iesu fuerit status Corporis, Animæ, & Diuinitatis eius.

Humanitas fuit imperfecta. I. TErtia causa *Resurrectionis Dominicæ* est apud D. Thomam: Vt corpus & Animam ambo perfectissima redderet. Alterum enim absque altera est imperfectum. Nam vel Christi Corpus in sepulcro exanime, digressa ad inferos anima, verus perfectusque homo non fuit; teste *S. Th. p. 3. q. 50. art. 4.* Et *Arist. 4. Metaph.* negat, mortuum esse verum hominem: nisi æquiuoce. Atque hoc erat, quod tam efflictim à Patre Ipse petierat, Ps. 15. *Caro mea requiescet in spe, resurrectionis: quoniã non derelinques animam meam in inferno; nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Et Ps. 70. *Quantas ostendisti mihi tribulationes multas, & malas? & conuersus viuificasti me, & de abyssis terræ iterum reduxisti me.*

II. At vbinam Diuinitas interea; dum Corpus in sepulchro, Anima in limbo? Fuit hæc ab illo seiuncta: sed à neutro Diuinitas vnquam, Nam, vt ait Damasc. lib. de Incarnat. Verbi: *Quod semel Assumsit, nunquam dimisit.*

Diuinitas semper vnita Humanitati fuit.

Similia. 1. Vt arcus, nimium tensus, dum rumpitur medius; pars vtraq; neruo hæret: Ita Christi Corpus & Anima Diuinitati.

2. Cum miles stringit gladium, hic à vagina separatur; at vterque à milite tenetur: Sic inuictus miles Iesus. 3. Vetuit Deus in Leuitico mortui turturis caput à corpore separari, Ita Christi Diuinitatem ab Humanitate.

Figura. Idem Figuræ præmonstrarunt. 1. *Samson, Iud.* 16. Dalilæ amoribus obsequens, Gazam diuertit. vrbs clauditur ab hoste. At is, in hostis ludibrium, portas abstulit secum in montem. Christus, amore generis humani, sepulcro clausus, in ludibrium hostium, portas Mortis & Orci confregit. 2 *Ioseph, Gen.* 39. nexus nexorum fit magister; eosque secum eduxit; Iesus, in limbo detentos.

Simile. 3. *Catulus leonis* recens effusus tres ipsos dormit dies, mortuo similis: dum parens horrendo rugitu eum suscitet. Sic Iesus: Excitus voce Patris, Ps. 107. *Exurge gloria mea; Exurge psalterium & Cithara.* Et vero *Resurrexit, sicut dixit.*

PARS V.

De morte mortis.

ERgo hodie, ô Cæsar, ô Hercules mũdi, mortem morte destruxisti. 1. Vt Eleazarus, 1. *Marc.* 6. sub elephãtem subiens, (cui insidere Regem autumabat,) bestia suffossa, ignorãter mole oppressus periit: Ita mors, dum maximum elephantorum Iesum parat occidere, occiditur, Osee. 13. *Ero mors tua, ô Mors.*

2. Iacob nocte tota colluctans Angelo sub auroram læditur quidem: sed vincit. *Gen.* 32. Ita Iesus nocte Passionis in Humanitate læditur: at vincit. 3. Saul fugiens è prælio premitur ab instantib. Philistæis: aitque armigero, 1. *Reg.* 31. *Euagina gladium, & perime me.* Facit: simul eodem & se gladio interficit. Iesus ab Iudæis pressus; mandat morti, occide me. Isa. 53. *Oblatus enim est, quia voluit.* At mors per Christum se quoque peremit. 4. Vt Samson, *Iud.* 16. morte ini micos occidit: Ita

Iesus inimicos Crucis dæmones, Mortẽ, & impios. *Cantemus ergo Domino: glorioſe enim magnificatus eſt: equum & aſcenſorem, Mortem & diabolum, proiecit in mare.*

Perora, facta apoſtrophe, ſi placet 1. Ad detentos in limbo: quæ illis gaudia?

2. Ad Viatores viuos; quæ illis ſolatia, & auxilia? &c. 3. Ad B. V. Mariam: quæ dicere cum Iacob poſſit; *Gen.* 45. *Sufficit mihi: quia filius meus* Ieſus *viuit.* Noli Tobiana excurrere amplius in Caluariæ montem: Ecce *reſurrexit ſicut dixit*; *Mulier ecce Filius tuus.* 4. Ad Marias, ne quærant eum in ſepulcro: *Non eſt hic.* 5. Ad filias Ieruſalem, animas; ne egrediantur videre Regem in diademate ſpineo. *Non eſt hic.*

Bene! Non eſt amplius miſer ille Iob in ſimo Noe nudatus: Non eſt, vt in horto ſanguinem ſudans. Sed multum mutatus ab illo, Saluator eſt glorioſus in ſæcula. Amen.

DOMINICA IN ALBIS.

Cum eſſet ſero die illa, vna Sabbatorum; & fores eſſent clauſæ.
Ioan. 20.

IOſeph. *Gen.* 38. inique ab frãtribus habitus; expertus varia in Aegypto; demum Saluator eius effectus; augurationis ſuæ ſcyphum ab ignaris fratrib clam tolli curauit. Qua cauſa furti eos arguẽs, cõplenſque terrorib. vt diu anxios tenuit; tandem ad ſolos ingreſſus ſe prodit. Gen. 45. *Ego ſum Ioſeph frater veſter; quem vendidiſtis in Aegyptum. Nolite pauere, neque durum vobis eſſe videatur, quod vendidiſtis me in his regionibus.* Iam Chriſtus clauſis ob metum, in maxima fame charitatis extinctæ: ecce medius aſtat, mœſtoſq; affatur. *Pax.* &c.

Nos

I. *De cauſis Reſurrectionis Dominicæ.*
II. *Quid, quod ſero veniat Dominus?*
III. *Quid ianuis clauſis ingreſſio; & ſtatio in medio ſibi velint?*
IV. *Quæ pax Chriſti; quæ mundi?*
V. *Qualia Domini vulnera fuerint?*
VI. *Quæ cauſa vulnerum à Chriſto retentorum?*

PARS I.

De cauſis Reſurrectionis Dominicæ.

PRima, apud D. *Th. p. 3. q. 54. art. 4.* eſt Iuſtitia Dei in remunerando Filio, pro meritis tantæ Charitatis, paſſionis, ac Iuſtitiæ. 1. De ea Phil. 2. *Factus obediens vſque &c. propter quod & exaltauit eum Deus.* 1. *Cauſa Iuſtitia.*

2. Ipſe viatoribus, Luc. 24. *Nonne oportuit Chriſtum pati, & ſic intrare gloriam ſuã?*

3. Et Petrus, Act. 2. *Quem Deus ſuſcitauit, ſolutis doloribus inferni; iuxta quod impoſſibile erat, teneri eum ab eo.* q. d. Ex iuſtitia debuit ſuſcitari, ſic meritus. Sicut nec naturaliter teneri poſſunt quædam corpora, ex cẽtro ſuo mota, locoue naturali. Hinc ignis ſub terra diſrumpit montes, vrbes, & quæque, vt erumpat. Sic aer terræ motus efficit coarctatus. Ita nec corpus Chriſti poterat teneri.

4. Debebatur cœlo, & gloriæ: Et hanc gloriam vt manifeſtaret nobis; quo pro ea digne coleretur; neceſſaria erat reſurrectio. 5. Et corpori Chriſti debebatur vnio cum anima, propter vtriuſque vnionem hypoſtaticam cum Deitate: ne imperfecta Humanitas cum Deitate iungeretur, corpore ſeparato.

Secunda. Vt oſtenderet ſuam Diuinitatem. At licet alijs id factum miraculis; reſurrectio tamen ex vi propria ſuperat omnia. 1. Vnde Rom. 1. *Qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in* VIRTVTE, *ex reſurrectione mortuorum.* 2. Tribus, ſe Deum eſſe, docuit Ieſus: Miraculis: Remiſſis peccatis: Reſurrectione, & mortuorum ſuſcitatione. Quæ ipſe præſtitit autoritate propria; non aliena, & conceſſa: vt Elias. 3. *Re.* 1. Eliſæus, 2. *Cauſa Diuinitatis oſtendendæ.*

Iisæus, 4 *Reg.* 4. Nam Ipse ait, Luc. 7. *Adolescens, tibi dico; Surge.* Ioan. 11. *Lazare, veni foras.* Deinde & Se, & alios secum resuscitauit. Ossa Elisei mortuũ excitarũt quidẽ, 4. *Reg.* 13. Sed ipsa non sunt redanimata.

3. *Iosephi in manu tradidit* Putiphar *vniuersos vinctos, qui in custodia tenebantur: & quidquid fiebat, sub ipso erat.* Vnde egrediens, secum captiuos eduxit. At Christo maior erat gratia in oculis Patris. Vnde Apoc. 1. *Habeo claues mortis, & inferni.* 2. Vt igitur moriendo se hominem demonstrauit: ita Deum, resurgendo vi propria.

3. Ideo vocatur 1 Cor. 15. *Primitiæ mortuorum*: Vt notat *S. Epiph. lib. de Incarn. Verbi.* 4. Nullus enim vel ante, vel post eum id potis est. Ideo rogatus, quod signum suæ missionis, vel potestatis daret, ait, Ioan. 1. *Soluite templum hoc, & post triduum reædificabo illud.* Et Matth. 16. *Nõ. dabitur illis signeũ, nisi signum Ionæ Prophetæ* 4. Ezechiel, *cap.* 37. vt populo persuaderet, posse Deũ restaurare Vrbem & Templum; ostendit ei Deus velut signum potentiæ suæ, agrum ossibus mortuorum resurgentibus ad iussum suum.

3. Ob fidem nostram

Tertia. Quod resurrectio sit Fidei nostræ fundamentum, & cæterorum Christi mysteriorum finis. Huc enim respectat Incarnatio, Natiuitas, Prædicatio, Mors, Miracula. &c. 1. Hinc, *Quod si Christus non resurrexit; vana est fides nostra.*

2. Iob. 19. *Credo, quod Redemptor meus viuit; & in carne mea videbo Deum Saluatorem meũ &c. Reposita est hæc spes mea in sinu meo.*

3. Dubij illi, Luc. 24. *Nos autem sperabamus. &c.* arguuntur à Domino.

4 Ob Scripturas figurarum.

Quarta. Vt Scripturæ implerentur. 1. Nam in Christi Resurrectione *Adam* soporatus, *Gen.* 1. iam suscitatus sibi desponsit Euam Ecclesiam; quæ è latere suo exilierat, aperto lanceâ 2. Moyses *Exod.* 2. in fiscella scirpea vndas Nili; Iesus Passionis aquas in Humanitate sua euasit; transitoque mari rubro liberauit electos, reprobos submersit. 3: *Isaac, Gen.* 22. patris gladio subductus est. 4. Passer, *Leu.* 14. pro mundatione leprosi immolandus, dimissus est. 5. Ioseph, *Gen.* 39. & 41. post ærũnas Saluator factus est. 6. *Virga Aaron*, Christus *Num.* 17. in nocte mortis suæ floruit, & fructificauit. 7. Mardochæus *Ehst.* 8. occiso Naamano, indutus byssо, glorioſus apparuit. 8. Ionas *cap.* 3. in Passionum pelagus iniectus: è ceti ventre redditus luci est. Ita Christus, vmbrarũ lux, & veritas,

5. Ob peccata.

Quinta. Rom. 4. *Mortuus est, propter delicta nostra: & resurrexit, propter AEdificationẽ nostram.* Atque id suis Apparitionib. spectauit Dominus: & obtinuit. Vti & hodie vel apud pertinacissimum Thomam.

PARS II.

Quid, quod sero veniat Dominus.

I. IPso Resurrectionis die quintum apparuit Dominus. 1 Magdalenæ, 2. Tribus Marijs. 3. Petro. 4. Euntibus in Emaus. 5. Clausis X. Hæ in Missa repræsentantur quina Sacerdotis ad populum cõuersione. Conuersio tacita significat apparitionem Petro factam. Quod Euangelistæ eam reticeant.

Cum sero esset, sub vesperam. 1. Innuit Domini solicitam properationem solandi, & succurrendi Suis. Ita Sponsus, *Cant.* 5. amore saucius noctem totam circuit quærens Sponsam: *Caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.*

Domini cura suorũ

2. *Sero*: S. Chrysost. Leon. Euthy. aiunt ideo, Vt collectos reperiret prius, quam in diuersa abirent.

Auxilium Dei serum: at verum.

3. Vel, *Moraliter: Sero*: Quia suorum fidem Deus experitur: & adest, cum omne deficit auxilium. Hoc probandi modo Virtutes plurimæ inclaruere: quæ alias latuissent. 1. Sic *Abrahæ* Obedientia in Isaaci immolatione innotuit. *Genes.* 22. 2. *Noachi* pietas longo clarior diluuio facta

Aperitque virtutes multorum.
1. Abr. obedientiam.
2. Noæ pietatem.

facta est: quam si hoc biduo tantum duraſſet. *Gen.* 6. 7. 8. 3. *Iobi* patientia pluribus nunciis plurium cladium, non vno; illuſtrior. 4. *Iacobi* amor in Rachaelem exiniquitate Labani patuit. *Geneſ.* 29.

3. Iobi patientiam.
4. Iac amorem.

5. Auxilium Dei, in obſeſſa *Samaria* liberanda, dilatum, fit inſignius. 4. *Reg.* 6. Ad tantam famem adigi permiſit obſeſſos, quantumuis ſupplicarent; vt caput aſini venderetur 80. ſiclis; ſtercus colũbinũ auro appẽderetur; à matribus proles deuorarentur; Ducib. neceſſaria deficerent. &c. Quo gratior poſtridiana fuit copia, vt farinæ modius veniret denario.

5. Spei toleranciam.

6. *Daniel*, deſertus ab omnib. in lacu inter leones, luculentiſſimum fuit omnibus auxiliantis Dei exemplum. *Dan.* 14. Sex iam dies in fame exegerat; cum ecce *ſero* paſcitur ab Abacuc: & de⁊n liberatur.

6. Fiduciã in Deum.

7. In lacu Genezareth, *Matt.* 8. iactatis, ac deſperantib. Apoſtolis, altum dormit ſecurus Dominus. Excitatus arguit diffidentiam: Vt diſcamus etiam in extremis quibuſq; ſperare. 8. Abacuc, *c.* 2. dicit Dominus: *Scribe viſum; & explana eũ ſuper tabulas: vt percurrat, qui legerit eum.* Quid vero? *Si moram fecerit Deus; expecta illum: quia veniens veniet, & nõ tardabit:* vel *ſero* veniet.

7. Puſillanimitatem propriam.
8. Perſeuerantiam.

9. Bethuliam obſidet Nabuchodonoſor diu: Ozias Pontifex, & omnes ſtatuunt quinto inde die ſe dedere. Hic Iudith c. 8. *Qui eſtis vos, qui tentatis Dominum; Non eſt iſte ſermo; qui miſericordiam prouocet, ſed potius iram excitet, & furorem accendat. Poſuiſtis vos tempus miſerationis Domini, & in arbitrium veſtrum diem conſtituiſtis ei? &c. Expectemus humiles miſerationem, & exquiret ſanguinem noſtrum de afflictionibus inimicorum noſtrorum, & humiliabit omnes gentes, quæcunq; inſurgunt contra nos.*

9. Conſtãtiam.

10. Saul, 1. *Reg.* 23. Vrgebatur ab hoſte: occaſio præliandi optima labebatur: Samuelem immolaturum pro auſpicando bello exercitus operiebant: quo tardante Saul ſacrificat: interuenit Samuel: gemens ait: *Stulte feciſti; nec cuſtodiſti mandata Domini tui, quæ præcepit tibi. Quod ſi non feciſſes, iam nũc præparaſſet Dominus regnum ſuper Iſrael in ſempiternum. Sero* auxilium Dei: at ſat cito. Quia nunquam non bene.

10. Dei cultum præcura temporali.

PARS III.

Quid ianuis clauſis ingreſſio, & ſtatio in medio ſibi velint?

I. *Ianuis clauſis* ingreſſus Ieſus: ſicut vtero clauſo egreſſus, & ſepulcro conſignato ait *S. Greg. Mag. hom. 26. in Io.* Primus Caluinus extitit, qui talem negaret ingreſſũ. Marcionitæ credebant; ſed hinc aſtruebant, Dominum non habuiſſe verum corpus. Iſti cauſa fuit: vt negaret veritatem Corporis Dominici in Euchariſtia. Quod loco indigere id aſſerat.

Hæreſis Marcionitarum.

Aſſeclæ tamen diſſecti ſunt. Alij volunt, pulſanti clauſam, fuiſſe reſeratam. Alij, eam vltro ſe pandiſſe. Alij Omnipotentiâ fuiſſe apertam. Alij per feneſtram eum ſe inieciſſe: Aliud alij ſomniant.

At, vera fuit penetratio corporũ. *Cauſa* 1. Leõtij: Vt Apoſtoli cognoſcerẽt corporis glorificationem; nec de eo ſecundum carnem iudicarent. 2. Theodori Heracleotæ; Vt Diuinitatem declararet. 3. Ethymij: Ne percelleret Apoſtolos; putantes irruere Iudæum, miſſum ad eos comprehendendos. 4. Theophylacti. Vt oſtenderet, quomodo reſurrexiſſet à mortuis. Nimirum, vt huc ingreſſus, ita ſepulcro fuiſſe egreſſum.

Veritas.

Moraliter. Non intrat Deus; niſi vbi ianuas clauſas reperit: Nõ quidem ipſi excludendo: ſed retinendo *Iere.* 9. Mors intrat per apertas feneſtras. Vnde ſepiendæ ſunt aures; claudendi & oculi, vt vana non videant. Ita ſe ſponſa munijt, *Cant.* 5. Vt opus fuerit ſponſo vocare: *Aperi mihi, ſoror mea, columba mea.*

Pietas.

II. *Et ſtetit in medio*: Vt victor, ſuccurrens ne-

In medio Virtus.

rens necessitatib. cuiusq; & sua communicãs bona. Medium amat: Natus in medio animalium, orbis, noctis. Inuentus in medio Doctorum: Crucifixus in medio latronum. Nimirum ostendens, se principium & finem omnis boni existere.

Et Mediator Iesus est. Item, *Se mediatorem esse*, 1. verumque Dauidem; qui Angelum inter cædẽtem, & cædendos medius clamat: *Ego sum, qui peccaui. Ego iniq; egi.* 2. Reg. 24. Atq; ideo fic ad Patrem fidenter audet. Psal. 87. *In me transierunt iræ tuæ.* 2. Verum se Ionam esse; medium inter iratum mare, & socios nauigationis. Ideo hoc desiderium eius: Io. 1. *Mittite me in mare; & cessabit mare à vobis.* Caput suum obiectauit Iesus: at, Ps. 30. *Abscondit nos in abscondito faciei suæ*: alibi, *In oculis faciei.* Ita vere 1. Tim. 2. *Vnus est Mediator Dei, & hominum Homo Christus Iesus.*

Verum medium. III. Tria ad medium Philosophi requirunt: vt medij sit æqualis vndequaq; distantia: Vt de proprietatibus extremorũ participet: Vt extremitates in medio cõbinentur, quę alias incompatibilia sunt. Sic homo est substantia media inter Corpus & Spiritum.

Et Christus est idẽ. Vnde cerne, quanta sit distantia inter hæc extrema, Deum & Hominem Nulla similis. Nam istorum trium conuenit nullum. Et quanta erit accedente peccato Isa. 59. *Iniquitates vestræ diuiserunt inter vos, & Deum vestrum.* Quod daretur medium inter Deum sanctum, immortalẽ: & hominem peccatorem, mortalem? *Homo Deus Christus Iesus*: Hic enim participat ab vtroq; extremorum, Deo & homine; equali distantia: & combinauit eos suo merito. 1. Distantia par est. Quia, quoad Humanitatem, Patre minor est: Ioan. 14. *Pater maior me est*, Et maior hominibus; ob vnionem hypostaticam. 2. Est participatio Attributorum Dei hinc inde humanarum miseriarum.

3. Estq; vnio extremorum Dei & hominis in Christo medio. 1. Hinc 2. Cor. 5. *Deus erat in Christo, mũdum reconcilians sibi.*

Ideo hic semper medium amauit. 2. Et in cœlo visus est tenere idem, *Apoc. 1. in medio 7. candelabrorum aureorum.*

PARS IV.

Quæ pax Christi, quæ Mundi?

Pacificator est Christus. I. PAx vobis. Bellum Deum inter & hominem omnia perdebat. Cœlum, fulmina, diluuia, iustitiam: Terra spinas, idololatriam, bella: Homo, carnis & spiritus pugnas producebat. Christus omnia pacauit. 1. Eph. 2. *Ipse enim est pax nostra: qui fecit vtraq; vnum. &c. Per crucem interficiens inimicitias in semetipso.* Nec enim vna erat in inimicitia vnius: sed omnium.

Athenienses, (*Val. Max. l. 5. 6. 7.*) Apollinem consulebant de suo cum Dorib. bello. Is respondit: Vincetis, si Rex occubuerit. Dores, hoc audito, cauent, ne Regem quisquam occidat. At Codrus, Rex Athen. habitu gregarij in confertam se aciem ingerit: fit cædes vtrinque: Rex ignotus cæditur. Vincunt Athenienses. Ita Iesus, facto Dei oraculo, induit hominem: cæditur. Fit pax.

Pax cordis est vera. II. Dixit simul *Ostẽdit eis manus & latus.* q.d. 1. In his spem habetote. Ad hæc tuta vocat sponsam Cant. 2. *Columba mea veni: in foraminibus petræ, & in cauernis maceriæ* pax tibi à vulturib. esto. 2. q.d. Videte &; æstimate, quanti steterit mihi pax parta, & dignitas Mediatoris? pax, inquam, vera: de qua, Ps. 75. *Factus est in pace locus eius.*

Pax mũdi: 1. falsa. 2. Est hominis idiaria. 3. Est oris tantum. Nam pax mundi est bello deterior. 1. Qualis eorum, Psalm. 27. *Qui loquuntur pacem cum proximo suo: mala autem in cordibus.* 2. Sic Ioab, osculans Abnerum, occidit gladio. 2. *Reg.* 3. Ita versipellis mũdus enecat blandicijs. 3. *Non est pax impijs*: nisi in ore. At piis in corde originaliter: eamque manib. & pedibus re ipsa ostendunt.

4. Est pathetica.

4. Pax mundi contrahitur cum pranis affectibus, primum suauis: at postea, vt Ezechias deplorat, Isai. 38. *Ecce pace amarissima.* 5. Quales serpentes in caduceo Mercurij sese osculantur: ita Mercuriani in mundo, pacis ementitæ Mercurio, *mordent dentibus & prædicant pacem.* Michææ 5.

5. Serpentina.

6. Pernitiosa.

6. Samsonis vulpes caudis colligatæ erãt; sed ad destruendam messem; & sui deflagrationem. Ita in mundo conflantur amicitiæ; sed in aliorum perniciem sæpe.

7. Sæpe discues.

7. Prisci, teste *Pierio* efformabant Pacis signum vt mulierem, offerentem Plutoni sugenda vbera. Nimirum Pax alit diuitias, *Concordia res paruæ crescunt, discordia maximæ dilabuntur*, inquit Salustius.

8. Est mors ipsa.

8. Chilonis vox est: *Amor & pax gerunt manu clauim natiuitatis: at mortis, discordia.* Nam vtraque dissociatas diuidit. Vox *Diuisio*, persæpe in S. Scriptura, pro *morte* capitur: 1. Par. 13. *Contristatus est Dauid: eo quod diuisisset Dominus Ozam.* Dominus autem vel nauis. &c. cum diuiditur, interitui proxima est. Quantum vero pax vnitatum distrahit discordia. Infelix diuisio! Ideo Virginitas Connubio præfertur: quod qui vxorem habet, *diuisus est.* 1. Cor. 7. At qui mundo fores occluserunt, vt cœlibes, & Religiosi, hos veram habere pacem solere, S. Greg. ait, *l. 4. in* 1. *Reg.* 4.

Pax vobis. Nil quærit præter pacem, & amorem. 1. Cato tantus fuit amator pacis, vt insculpi symbolum hoc annulo curarit: *Amicus vnus: inimicus nullus.* teste *Alex. ab Alex. l. 2. c.* 19. 2. Et Gygas Rex in annulo gemmã, (pacis signũ,) gerebat eã, quæ in draconis Indici frõte reperitur. Sic *Plato.*

PARS V.

Qualia Domini vulnera fuerint?

Vulnera vera & realia fuerunt.

I. OStendit eis manus, pedes, Luc. 24. & latus, Io. 20. *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?* Zach. 13. Sic Angeli ad ascendentem in cœlos. Et Isa. 63. *Quare rubrum est indumẽtum tuum?* Vnde vera sunt adhuc vulnera; non ementita. Quæ, vt *Aug Epi. 49 q. 1.* Et *l. 20. ciu. c. 19.* in extremo iudicio ostendet: Ioan. 19. *Videbunt, in quẽ transfixerunt.*

1. Eadem *S. Aug.* putat non hiasse, rupta carne; sed cicatrices, vt signa, in corpore glorioso remansisse. Indecorum enim putat, imperfectionem in glorioso.

Non ingloriam Christi.

2. At melius sententia communis; vera fuisse: Neque ea quicquam afferre imperfectionis corpori glorificato; sed augere gloriam, quantum & meritum. Vt sciffuræ in chirotecis, per quas annuli apparent, decori sunt: Item segmentatio vestium, *colore tralucente alio.*

Sanguis Christi in coll. fuit.

5. Item putatur inde cum omni sanguine fuso resurrexisse, per Angelos in monte, vrbe, cruce, collecto. Sic *S. Thom.* Qui putat ipsum Christi Sanguinem non esse, qui ostenditur in reliquiis Romæ, Mantuæ. &c. Sed ex imagine aliqua forte miraculose manasse. Ita & S. Athanasius. Vt patet in act. Synodi 7. Constantinop.

Præter pauxilla.

2. Quin tamen aliquid *S.* Sanguinis veri adhæserit Cruci, spinis, clauis, sudorio non negandum. 1. Quia, ait Pij II. Extrauagans, id credere, non aduersatur Fidei.

3. Et *Nicephorus hist. Eccl. lib. 1. c.* 20. dicit: B. V. & *S.* Ioannem aliquid *S.* sanguinis collegisse, & sancte obseruasse. Neq; tamen necesse est dicere; Diuinitatẽ ei esse coniunctam: Quia is nec iam est, nec erit pars Humanitatis Christi. 5. Et adorandus tñ est: Quod fuerit Diuinitati vnitus.

Vulnera dicuntur Petra.

II. Vulnera ea mira habent nomina in Scripturis. 1. Cant. 2. *Veni columba mea, in foraminibus petræ; in cauernis macteriæ:* Hebrei vertũt: *in ciuitatibus rupis.* 2. Simile pene est, quod Moysi videre cupienti faciẽ Domini, dicitur *Exod.* 33. *Est apud me locus; & stabis supra petram, & transibo: & abscondam te in foramine petræ; & manu mea protegam te.* 3. Simile Isa. 2. *Ingredere in petram; & ab-*

& abscondere in fossa humo à facie timoris Domini. Petra, est Christus: *fossa humus*, eius humanitas. 4 Ps. 103. *Montes excelsi cervis, & petræ refugium erinaceis.* q. d. Iusti in Deo, Deique attributis quiescunt meditandis: at peccatores in Vulneribus Christi.

Cornua. Eadem dicuntur Abac. 3. *Cornua manibus eius; ibi abscondita est fortitudo eius.* Est enim in Script. *Cornu* signum fortitudinis. Vt Ps. 74. *Nolite extollere in altum cornu vestrum.* Ps. 88. *Cornu eius exaltabitur in gloria.* Vicit in humana infirmitate Dominus: signa gerunt victoriæ pedes, manus, ac latus. Tuque *in his vinces.*

Fontes. Dicuntur etiam *Fontes* 1. Isa. 12. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.* Hebræi legunt: *de Viscerib.* Ex his bibe salutē ô Sampson, pugnando Iesse. Nec enim paulo sunt salubriores; quam tuæ ex mādibula aquæ. 2. Hos fontes obturare, vel incidere nititur Dæmon: vt Holofernes obsessor Bethuliæ, *Iudith. 7.*

Sculptura. 3. Vt Philistæi, *Gen. 26* puteos Abrahæ filio Isaaco obstruxerunt, lapidibus oppletos. *Sic.* &c. Dicuntur *Sculptura.* Zach. 3. *Super lapidem vnum 7. oculi sunt: Ecce, ego calabo Sculpturam eius, & Dominus exercituū.* Id est, ait S. Hier. in Cōment. *Vulnera eius.*

PARS VI.

Quæ causa Vulnerum Christo retentorum?

1. Gloria Christi. CVr voluit Dominus Vulnera retinere? *Causa.* 1. S. Thom. p. 3. q. 54. art. 1. Et Opus. 60. c. 22. in Luc. 24. *Vt in perpetuum gloriæ suæ triumphū circumferret.* 1. Nam S. Chryso. putat, vulnera reliquo corpore fuisse lucidiora. 2. Ita militi cicatrices sunt gloriosæ: vt testes fidei animi, ac virtutis.

2. Fides resurrectionis. *Causa.* 2. Vt fidem nostram de resurrectione astrueret, contra istud Philosophicum: *A priuatione ad habitum non datur regressus.* At omnium priuationum maxima est mors: Ideo resurrectio naturaliter, vt nec doceri; ita nec credi facile potuit; nisi ex dante Deo.

Difficilis captu & creditu est. 1. Ea propter Paulus Athenis diligenter audiebatur, quamdiu de Cultu Dei perorabat; at mox, vt de resurrectione meminit, exsibilatur vti nouorum dæmoniorum assertor. *Act. 17.* 2. Quin, cum mulieres afferrent, resurrexisse Dominum; Luc. 24. *Visa sunt ante* Apostolos *sicut deliramentū verba ista; & non crediderunt.*

3. Hinc Conc. Nicænum Symbolo addidit hæc: *secundum Scripturas*: ex Apostolo. 1. Cor. 15. *Resurrexit tertia die, secundum Scripturas.* 4. S. Aug. articulum de resurr. appellat *Veram & propriam Christianorum Fidem.* 5. Est enim ea euidens Diuinitatis indicium. Hinc Sunamitis videns ab Elisæo filium suum resuscitatum. ait, 4. Reg. 4. *Nunc scio, quia vere Propheta Dei es tu.*

3. Spes in Mediatorē. 3. *Causa.* Vt nostra hinc spes firmetur. Irato enim patri ea prō nobis repræsentat IESVS. 1. Viator voce orabat Ioann. 17. *Ego pro eis rogo*; Hebr. 5. *cum lachrymis & clamore valido.* Quin & ipso sanguine fuso: Hebr. 12. *Accessistis ad sanguinis effusionem, melius loquentem, quam Abel.* At modo à voce, à lacrymis quia abstinet: Vulnera exhibet. *Quorum vis quanta non Patri est? quanta reuerentia?*

Efficax ratio placandi Deum per vulnera Christi. 2. Vt Antipater, Herodis Ascalonitæ infanticidæ frater: (ceu refert *Iosephus Ant. Iud.*) Cæsaris Augusti deditus obsequio, militans aduersa vulnera tulit plurima. Demum proditionis accusatus, noluit Oratorem: ipse dicta die adest: Cæsari pectus suum nudans, ait. *Non sunt hæc proditionis; sed fidelitatis indicia, maxime Cæsar.* Hic spectaculo motus, ipsum amplectitur: absoluit: & arctius amat, quam vnquam dolens iam spectatam viri fidem in discrimen adduci. Quid igitur non valebunt apud Patrem Vulnera Christi?

3. Ideo fidenter 1. Ioannes 2. *Aduocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum.* 4. Et

S. Bern. *Mater ostendit Filio pectus & vbera: & Filius exhibet latus & Vulnera; quomodo ibi poterit esse repulsa; vbi tot concurrunt charitatis insigna?*

Quo magis adoranda nobis.

Iam vero Vulnera istius tantæ charitatis quam apud nos vim habere par est?

1. Si enim 2. Reg. 15. *toto corde vniuersus Israel sequebatur Absalonem*; quod sub portis benigne ius cuique diceret, causasque audiret: quanto magis nos Christum, causas nostras peragentem? 2. Etenim Act. 10. *Ipse est constitutus à Deo Iudex viuorum, & mortuorum.*

4. Indicia amoris Iesu.

4. *Causa.* Seruatorum Vulnerum est, vt suum in nos Amorem testaretur: vtque nos ad redamandum proliceret. 1. D. Th. p. 3. q. 54. *Vt sua morte redẽtis quam misericorditer sint adiuti, propositis suæ mortis indiciis insinuet.* 2. Conclaui intus exæstuante, fenestræ aperiuntur: Intus amore Dominus æstuabat: corpus vulneribus præbet apertum; vt testetur ardorem.

3. Vulnus lateris S. *Aug. lib.* 15. *Ciu. ca.* 26. confert fenestræ in Arca Noachi, per quam emissa columba fuit; Promanauit & Ecclesia de Christi latere. *Hist. Scholastica cap.* 32. *in Genes.* ait vitream eam fuisse, luminiadmittendo. Etsi Hebræi quidam lapidem fuisse pretiosum dicant, instar Pyropi lucentem. Quicquid id fuerit: ista Vulneri lateris aptissima quadrat, per quod Dei misericordia clarissime transparet, immensaque charitas.

4. *Rupertus* quoque *Tuitien. l.* 3. *in c.* 10. *Regum*: Vulneri lateris applicat templi Salomonici ostium vnicum laterale. Nam & Christi corpus templũ est Diuinitatis.

3. Gloria ex humilitate.

Causa. 5. Quia Dominus plus gloriatur insignis humilitatis suæ, quam gloriæ. Vt & nos humilitatem discamus. 1. Nec enim se iã exhibuit glorioſum, vt in Thabor: sed humilem, vulneratum. 2. Saulem quoque prosternens, *Act.* 6. humili nomine, non alio magnifico vsus est: *Ego sum Iesus Nazarenus, quem tu persequeris.*

3. Similiter & Angeli: Marc. 16. *Iesum quæritis Nazarenum Crucifixum.* 1. Cor. 2. *Nos autem prædicamus Christum, & hunc Crucifixum.*

Præfigurat.

1. Ita filij Iacob coram Pharaone; (vt dicere potuissent: fratres sumus tui Vicarii, abnepotes Abrahæ) maluerunt tamen, Iosepho monente dicere. *Viri pastores sumus.* Gen. 47. 2. Sic Isaias *cap.* 4. de ortu Messiæ locuturus, orditur ab humili: *Egredietur virga de radice Iesse.*

3. Ita & Dauid ad summa quæque euehendus, his se humiliat: 1. Reg. 19. *Quis ego sum: aut quis filius Isai?* Præclarus suam hodie Christus demissionem ac modestiam, nobis in exemplum, testatam fecit, & spectatam.

DOMINICA II. POST PASCHA.

Ego sum Pastor bonus. Ioan. 16.

NVm. 16. & 17. Litem, de summo Sacerdote inter Mosen, (qui Aaronem designabat) & Core, Datan, & Abyron Moysen nolentes, ortam Deus sic composuit: Iussit tribuum xii Principes singulos singulas virgas in Tabernaculum inferre: Cuius mane floruisset virga, eum placere Deo. Floruit, fronduit, amygdalinumque fructum extulit Aaronitica virga. Ita de vero Pastore, seu Messia, lis erat Christum inter, & Pharisæos. Hi ex præscriptione pastoralem sibi vendicabant honorem: At Dominus eum se à Patre iamaccepisse docebat: & dicebat: *Ego sum Pastor bonus.*

De quo nos

I. Quam multis Sacer sit periculosus Honor.
II. Quod verus Pastor sit Christus.
III. Veri cuiusque Pastoris proprietates.
IV. Dotes Pastoris boni generatim.
V. Eiusdem dotes quædam singulatim.
VI. Pasto-

VI. Pastoralis Regiminis partes ac munia.
VII. De mercenario.

PARS I.

Quam multis Sacer sit periculosus Honor.

Honos onus I. ONus est, *non tam honos, Prælati potestas*, ait S. Greg. Et Conc. Trid. *Onus Angelicis humeris formidandum.* 2. Veruntamen, 1. Tim. 3. *Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* 3. Interim Regis Agesilai responsum obtinet, apud *Plut. in Apoph.* cum sciscitanti: *Quæ in optimo Principe excellerent*: sic ait: *Principis est, nō mollitia, sed temperantia & fortitudine priuatis antecellere.* Quanto amplius Sacri id Antistitis est?

Ecclesiastici honos imprimis. Omnino graue est onus Ecclesiasticus honos. 1. Hinc Dominus, *Isa.* 22. summo Sacerdotio priuaturus Sobnam, idque in Eliachim trāslaturus, ait: *Dabo clauem Domus Dauid super humerū eius.* q. d. Tam grauis est, vt nō manu geri, sed vix dum succollari queat. 2. Idem Isaias, *c.* 9. de Messia Principe Sacerdotum loquens, ait similiter: *Factus est Principatus super humerū eius.* Vt nec Messiæ manus clauium ponderi sat sint ferendo. 3. *Sed & gigantes gemunt sub aquis.* Iob. 26. Id est, vt vult Rodulph⁹ Flauiensis; *Potentes huius sæculi, sub prouidentia & gubernatione temperati.* Ecclesiastica vero dignitas, etiam abyssus aquarum est.

1. Est Scientiæ. II. Pericles, quoties togam magistratus sumeret, Senatum aditurus; exhorruit officium, & aiebat sibi: *Attende tibi Pericles: Liberi sunt, quos regis; Græci sunt; & Athenienses.* Sic Plut. in Politicis. Quid dicere, vel cogitare par, Pedum sumentes? Nec enim Græcos habent; sed Animas. Bene Martialis ad amicum:

Quæris onus magnum, magnum dum quæris honorem.

2. Pernicio. sus sæpe. 2. Rhamnus, *Iud.* 9. in arborum Regem euectus, & sibi, & istis exitio fuit. Ipse nāque flammis correptus accendit & arbores cæteras.

3. Periculosus. 3. Verissime S. Isidorus l. 3. de sum. bono. *Quanto quisque in superiore constitutus est loco; tanto maiori versatur in periculo.* Quis aūt politicus honor est præ Ecclesiastico? Huius gradus infimus, istius est summus.

4. Tentationum campus. 4. Quare, vt S. Bern. Epi. 42. *Si tentatio est vita hominis cuiusque super teram; quantis, putas, periculis patet vita Pontificis?* Audi. *Si ego*, inquit, *in cauerna latens, & sub modio fumigans, tamen ventos euitare nequeo, & instar arundinis huc, illuc agitor: quid persona super montem, super candelabrum posita?*

5. Ruinosus. 5. S. Greg. in Psal. 71. istud, *Deiecisti eos, dum alleuarentur*: de Prælatis ambitiosis exponit: quos euectos eo ipso deiici putat. O quot *tolluntur in altum, vt casu grauiore ruant?* vt canit Claudianus.

6. Eo sit cautior. 6. Quare, Deut. 22. *Cum ædificabis domū nouam*, dignitatem, *facis murum tecti per circuitum*, murum virtutum: *ne effundatur sanguis in domo tua*; ne sequatur animarum damnatio.

7. Doctus exemplo. 7. Heli summus Pontifex, 1. *Reg.* 4. de sella resupinatus ceruicem fregit. Casus plurium animabus hodie frequens pastorum magis nomine, quam re.

PARS II.

Verus Pastor Christus.

Verus pastor nullus. I. ANte aduentum Christi dispersus grex hominum pastore carebat. 1. Hinc Michæas propheta coram Rege Israel, 3. Reg. 22. *Vidi cunctum Israel dispersum in montibus, quasi oues non habentes pastorem.*

2. Quod Moses miseratus sic orat, Nu. 27. *Prouideat Dominus Deus spiritum omnis carnis, hominem, qui sit super multitudinem hanc, & possit exire, & intrare ante eos: Ne sit populus iste, sicut oues absque pastore.*

Christus promittitur. Exoratus Dominus Pastorem verum promittit. 1. Ezech. 34. *Ego saluabo gregem meum; & non erit vltra in rapinam: & suscitabo super eos Pastorem vnum, qui pascat eas.* Vbi S. Hier. ait: ea de Dauide accipi non

posse; vt, iam diu mortuo. 2. Expositum autem Apostolus, Hebr. 13. *Deus pacis eduxit de mortuis Pastorem magnum ouium, in Sanguine testamenti æterni, Dominum nostrum Iesum Christum.* Eum, qui dixit: *Ego sum Pastor bonus, promissus.*

Expectatur auide. 1. Ipsum Sponsa videre ardebat. Cant. 1. *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie, Ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum.* 2. De ipso Michæas c. 5. *Suscitabimus super Eum Pastores, & octo Primates homines.* Vbi vult Hier. S. Trinitatem loqui de tam eximio Pastore; vt in eo prisci pastores sint resuscitandi 7. præcipui: Abel, Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, Moyses, Dauid. Primates Duces 8. Iosue, Caleb, Othoniel, Ahor, Baraac, Gedeõ, Iephthe, Samson. Hos Iesus æquitate & strenuitate; illos vigilantia vicit. Bene igitur: *Ego sum pastor bonus.*

Maximus omnium.

Requisita in Pastore tria. II. In bono Pastore tria necessaria. 1. Laborum, & molestiarum patiens constantia. Nam pastorale officium ab quot curis est anxium? Iacob apud socerum, Gen. 31. *Die, nocteque æstu vrebar, & gelu, & fugiebat somnus ab oculis meis.* 2. Odium ei & bellum cum lupis est 1. Reg. 17. qui exemplo Dauid: erat Vrsi vel Leonis percussor. 3. Gregem sic pascat, vt is grandescat pinguedine, & numero: & oues morbidæ sanentur, vel separentur, Sic Luc. 2. *Erant custodientes vigilias noctis super gregem suum.* At hæc in Christo: ergo *Pastor bonus.*

Illius idea viua. De eo Nathan coram Dauide, 2. Reg. 17. qualis ouem tractet. *Pauper habebat ouẽ parvulam; quam emerat; & nutrierat; & creuerat apud illum cum filiis eius; simul de pane illius comedẽs, & de calice eius bibens, & in sinu illius dormiens, eratque illi sicut filia:* At de se Christus in Psalm. 87. *Pauper sum ego, & in laboribus à iuuentute mea.* Vnica ouis ei erat humana natura: centesima hæc, ab eo quæsita diu. Hanc suo corpore & calice nutriuit: in sinu suo eam hypostatice sibi vniuit. Fiat igitur oro, quod 1. Pet. 5. *Cum apparuerit Princeps Pastorum, percipietis immarcessibilem coronam.* Tu me pasce Pastor bone Iesu!

PARS III.

Veri cuiusque Pastoris proprietates.

BOnum pastorem reperire, hic labor. Luc. 12. *Quis putas, est fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam; vt det illis cibum in tempore?* Vbi S. Chrys. *Quærit Dominus*, ait, *non quasi ignorans: sed innuere volens huius rei difficultatem, & raritatem.*

Proprietates tres boni Pastoris. At innuit quoque tres proprietates Pastoris. *Primam*, Fidelitatem 1. oris in verbis; quibus manus consonent. Alioquin est bilinguis: Atqui Eccl. 5. *Deuoratio pessima super bilinguem.* 2. Et cordis: Ne hoc ab ore discorder. Qui secus; is *in ore suo pacem cum amico loquitur; & occulte ponit ei insidias.* Iere. 9. 3. Et operis. Ne, vt *inimicus homo superseminet zizaniam.* Matth. 13. Neue sit, vt illi, *Isa. 1. Principes tui infideles, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones.*

1. Fidelitas.

2. Humilitas. *Secundam*, Humilitatem innuit vox *Seruus.* Vt & se tanto honore ducat indignũ: & præstet affabilem. 1. Eccl. 32. *Rectorem te posuerunt? Noli extolli. Esto in illis, quasi vnus ex ipsis.* Sin: iam talis erit euectus, vt ruat: aut per eum subditos Deus puniat. Meminerit is huius Sap. 6. *Iudicium durissimum his, qui præsunt fiet.*

Ne exiens fiat vanus. 2. Iesus cauit, & exẽplo cauere docuit Nam *Matt.* 4. Spiritu bono ducebatur in desertum ad orandum, ieiunandum: &c. At malo reducitur in mundum, in montem vanitatis mundanæ adque summa honorum Ecclesiasticorum fastigia; & in Templi quoque pinnaculum. Ita quidã spiritu incipiunt, sed carne consummãt, etiam Religiosi. 3. Ita Saul. 1. *Re. 15.* humilis primum, iam vero Rex, fit grauis multis; inobediens Deo; arreptus à spiritu nequam;

quam, persecutor iusti Dauidis. Ita quidam Pastores &c. Quare Eccl.3. *Quanto maiores, tanto magis te humilia in omnibus: & coram Deo inuenies gratiam.*

3. Prudentia.

Tertia proprietas Pastoris est: *Prudens.* 1. Si omnibus dictum, Matth.10. *Estote prudentes, sicut serpentes:* certe in primis Pastori talium. Nam 1. Tim.3. *Si quis domui suæ præesse nescit, Ecclesiæ Dei quomodo diligentiam habebit?* 2. De talibus *S.* Bern. lib. de consider. *Rex fatuus in solio, est simia in tecto, quæ nihil componit vel vnit, sed quod compositum est, dissoluit, & diuidit.* 3. Salomon 2. *Reg.*9. quotannis classe in Tharsis missa, præter aurum & argentum, pauones etiam, & simias aduehebat, Et *ecce plusquam Salomon hic, Iesus,* Matth. 6. Cuius in naui, Ecclesia, ô quot pauones, & simiæ? 4. Quorum, (vt Roboam suorum consiliariorum, 3. *Reg.*12.) consiliis pessum it Ecclesia. Præsertim si iuniores sint quorum *in corde stultitia colligata est.* Prou.12. Tribus istis Proprietatibus pastoris addo quartã.

Ne causetur ruina.

4. Paternitas solicita.

Quarta proprietas, *Paternitas:* Vt sit, *quẽ constituit Dominus super familiam suam,* qui Ecclesiæ magis, quam domui suæ præesse sciat, ac velit. 1. *Sin'*: audiat *S.* Greg. *Tot occidimus, quot ad mortem quotidie tepide, & tacentes ire videmus.* 2. *Ezech.* 33. edicit Dominus negligentiæ pastorum, se de eorũ manib. sanguinem pereuntiũ repetiturũ.

Mali Pastoris actus.

Vnde liquet, Pastores socordes, (hoc que magis vecordes,) esse animarũ peremptores, 1. Virulenta pascua eis præbendo vitâ improbâ & doctrinâ vel parum sanâ, aut frigidâ. 2. Necessaria eis subtrahendo Concionum statarum, Sacrorum, &c. 3. Ad impunem subditorum vitam conniuendo. Vt sub tali sint, vt Iudic. vlt. *In diebus illis non erat Rex in Israel: sed vnusquisq;, quod sibi videbatur, hoc faciebat.*

At non sic boni patresfamilias Ecclesiastici? Sed vti, *Exod.* 25. iussum fuit Pontifici, *Pone super mensam panes* quotidie recentes: Sic oues ipsi recentibus quotidie pascunt. Gnari illius *S.* Augu. l. de xii. Abusibus. c. 10. quod *Abusus mundi vltimus sit negligens Prælatus.*

PARS IV.

Dotes Pastoris boni generatim.

CElebres in Script Pastores tres. Iacob in lege naturæ, *Genes.* 31. omnia perpessus pro soceri grege. Dauid in lege scripta. Christus in lege gratiæ. Quibus inspectis plurimæ dotes boni Pastoris conspiciuntur: & necessariæ. 1. Earum elenchus est Hebr.7. *Talis decebat nobis vt esset Pontifex; Sanctus; Innocens; Segregatus à peccatoribus, Excelsior cœlis factus.* Hę cui absunt, is mercenarius est.

2. Quare quod ab pio Rege Iosaphat, 2. *Paral.*19. Suis olim; id nostris hodie dicitur Sacerdotibus *Videte, quid faciatis, nõ enim hominis exercetis iudicium, sed Domini: Et quodcunque iudicaueritis, in vos redũdabit. Sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite. Nõ est enim apud Dominum Deũ iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum:* Quæ sunt apud mercenarios.

3. Moysi, Prælatos constituturo, sic ab Iethro socero consultum est: Exod. 19. *Prouide de omni plebe Viros Potentes, ac Timentes Deum; in quibus sit Veritas: ac qui oderint Auaritiam.* Belle! Beatus Præsul; qui hæc intelligit, & facit. Is verè electus est Domini, & à grege plebis egregius.

4. Mementote igitur illius Iehu Regis, 4. Reg.10. *Eligite meliorem, & eum, qui vobis placuerit, de filiis Domini vestri, eum ponite super solium.*

3. Sumite exemplum ab Saule, vt cunctis maiore, sic & meliore. 1. Reg. 10. *Ecce videtis, quem elegit Dominus: quia non est similis illi in toto populo.* De mercenario autem dixeris: *Vt populus, sic sacerdos.*

PARS

PARS V.

Pastoris boni Dotes quædam singulatim.

Pondus officii.

I. POndus dignitatis pastoralis sic innuit Dominus, Exod. 28. *Portabit Aaron nomina eorum* omniũ tribulium, *corã Domino super vtrumq; humerum*: ob ponderis supportationem, & muneris recordationem. Non autem gemmas, non diuitias portabit: sed nomina singulorum, curas, ærumnas eorum, & pericula.

Prælatis ista cordi sunto. 1. Cura peruigil ouium. Hac causa 3. Regum 6. *Omnes parietes templi per circuitum sculpsit Salomon variis cælaturis Cherubin, & palmis* Pagninus vertit, *cælaturis fundarum*. Vt vndique occurrentes oculis Sacerdotis fundę pastorales, eum officij commonefacerent: & Cherub. quidem, scientiæ; palma constantiæ submoneret.

2. Scientia & Veritas.

2. Ideo duo tantum verba hæc in Rationali inscribi iussa: *Vrim*, & *Thumim*; id est, *Sciẽtia & veritas*. Duo hæc orbitæ sunt, aut rotæ currus Ecclesiastici.

3. Honorũ fuga.

3. Quidam sibi regem optantes aiebant, Isa. 3. *Vestimentum tibi esto* Virtutum; *Princeps esto noster. Ruina autem hæc sub manu mea iam imminet*; Tu vero succurrere poteris ruinæ. At iis responsum est: *Non sum medicus*; vt delictis aliorum succurrã: *& in domo mea non est panis* doctrinæ, *nec vestimentum* charitatis: *Nolite me constituere Principem populi*. Sapienter! At paucorũ est hodie, honorũ fuga similis: quin ambitio frequentior mendax, ab iis se instructissimam simulando.

4. Constãtia.

4. Quid, quod *Apoc.* 1. Angeli oculos flammicantes significare Pastoris scientiæ fulgorem: pedes vero æneos, patientiam infractam, aiunt interpretes?

5. Laborũ patientia.

5. Sicut & animalium oculi rutilantes, (quæ Ezechieli visa, *cap.* 1.) & planta eorũ pedis vituli: iidem esse pastores volunt Peruigiles, ac Laboriosos.

6. Vitæ exemplaru.

6. Similiter Candelabrum aureum, *Exod.* 27. fideles sunt ouiculæ: lucernæ eius aureæ; Præsules sunt, Itaq; præluceãt, vitâ non minus aurei; quam oues.

7. Benignitas compatiens.

II. Accedat misericordia. 1. Alexandrum monuit Aristoteles: *Non esse crudelis circa delinquentes; sed flexilis ad parcendũ: & semper de futuris cogita.* Ideo pastor esto pater. 2. Vt feceris; sic fiet tibi, Dauidicus pastor. Audi: Ps. 30. *Non abscondi misericordiam tuam, & veritatem tuam à concilio multo. Tu autem Domine, ne longe facias misericordias tuas à me.* Quare à clementia, & compassione sis præstans. 3. Pareas monenti M. Antonium Ciceroni in Philip. Ne *ignorans verum iter gloriæ, gloriosum putes, te vnum plus posse, quam omnes; & metui ciuibus tuis, quam diligi malis.* 4. Enimuero Arca Dei Episcopus est: gerat in se tria: *Manna* misericordiæ, & placidæ exhortationis ad bonos: *Virgam* paternæ correptionis in discolos: *Tabulas Decalogi*, sapiętię & discretionis. Sic *S. Greg. l.* 20. *Moral.*

8. Mansuetudo.

8. Isaias *cap.* 6. Pastorem petens orat: *Emitte Agnum Domine Dominatorem terræ.* Quid? Agnus dominetur leonibus, lupis &c? Et vero is *in patientia sua possidebit animam suam*: & sibi commissæ gregis: Luc. 21. *Et vincet in bono malum.* Rom. 12. 6. Quid? Vel in igne currus ecclesiasticus abripiatur licet: tamen pastor is talis tutò sit auriga eius, cui acclametur, *Pater mi, Pater mi!* 4. Reg. 2. Adeo Pastori necessaria bonitas & mansuetudo est!

9. Aguitas sui.

9. Vnde sic monet Gal. 6. *Fratres, si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto; Vos, qui Spiritales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis: Considerans teipsum; Ne & tu tenteris.* O salubre præceptum hoc: *Considera teipsum!* Hoc est illud cœlo lapsum, & valuis Delphici affixum γνῶθι σεαυτόν: Vt prisca fingebat fabulositas.

Austeritas iniqua e

III. Huius negligentes sic priscis pingebantur. Vir erat Sphæram orbis in manu

manu intuens fixis: at à tergo gerens speculum. Talis; qui, se neglecto, aliena scrutatur inanis. Sui autem immemores, vt plurimum in alios sunt crudeliores; & in eos cernunt acutum, ceu serpens Epidaurius: vt vix tolerari queant. Tales præsertim, qui ex humili surgunt. Vnde Claudianus:

Asperius nihil est humili, cum surgit in altũ.

Noxia. 2. Refert *Domin. lib. de stigmat.* Princeps quidam Italus dure premebat subditos. Hi ad eum legarunt idoneum, arte medicum; qui causam ageret populi apud Principem. Is metuens sibi, reperit modum. Obtulit sertum è basilico herba, nomine populi: & hoc tantum. Nescienti quid vellet sertum, poscentique, legatus exponit: Quale sertum ait; talis populus tuus. Herbam si molliter hanc teras; fragrat gratum: at si conteras; fœtet, & viperas progignit. Hoc caue: istud age cum subditis. Dixit: simul persuasit. Ideo hi Ethnici erunt iudices nostri.

Caret benedictione Dei. 3. Quod Esau, *Gen. 27.* exclusus primogenituræ benedictione fuit; causa, in cæteris, etiam hæc erat; quia manus habebat à pilis asperas: læues Iacob. Huius, non illius, similes sint manus Prælatorũ; nequaquam asperæ. Qualia iuniorum erant consilia data Roboæ regi. 3. *Regum.*

PARS VI.

Pastoralis Regiminis partes ac munia.

Rigor disciplinæ temperatus. I. RIgorem tamen benignitati inspergant. 1. Ad oleum suæ Vnctionis, acetum subinde addant lotionis. 2. Ita. 3. *Reg.* 17. in basibus Templi erant boues placidi, Cherubin scientifici; at & leones quoque irati. 3. Ezech. 1. *Quatuor facies vni, & quatuor pennæ vni* Pastori sunto. Facies bouis, tolerantiæ onerum: Aquilæ, prouidentiæ: Leonis, seueritatis: Hominis facies, humanitatis indicium est.

Virtutes 4 pastorales. 4. In Emblemate Martiani Capellæ id intuere. Finxerat Solem in curru, quatuor vasa manu præferentem. Primo vasi ferreo nomen erat *Caput Vulcani*: ex quo flammæ, & fumi. Secundo argenteo nomen, *Risus Iouis*; ex quo Ver, serenitas, deliciæ: Tertio plumbeo, nomen, *Mors Saturni*; ex quo pluuiæ, grando, tempestates: Quarto vitreo nomen, *Mamilla Iunonis*; ex quo semina prodibant, vnde animalia gignebantur. *Cartharius lib. de imag. Deorũ*, id de quatuor tẽporib° anni interpretatur. Recte. Sed & apte accipias licet de Pastoris virtute quadruplici, iã dicta.

Vel de hisce quatuor in Euangelio. Vult enim Dominus Oues 1. *Pasci*, vt à Boue, vel Mamilla Iunonis. 2. *Cognosci*, vt ab Aquila, vel Capite Vulcani. 3. *Defendi*, vt à Leone, vel Morte Saturni.

4. *Congregari* in ouile, vt ab Homine, seu Risu Iouis.

Animam dans pro ouibus. Hæcita præstitit Pastor bonus Iesus, vt in passionem pro nobis rueret: ac demum in Cruce etiam viscera quasi in nos effunderet: vt 2. *Machab.* 14. Razias *Pater Iudæorum* dictus, non valens effugere, è muro se præcipitauit, crepuitque medius. Inde in rupem præaltam excurrit, vnde viscera sua in populum spargens expirauit. Ita Iesus dum nequibat, quia nolebat, effugere manus Iudæorum, ac mortem; se dedit quærentibus eum, præceps in mortem; inque mortem Crucis: Vnde rupto latere quasi viscera sua spargebat. Hinc Zacharias bene orabat, Luc. 1. *Per viscera misericordiæ, quibus visitauit nos oriens ex alto.*

1. Cognoscere oues. II. Cognoscat Pastor oues, in animabus. 1. Sic Gen. 2. *Formatis Deus cunctis, adduxit ea ad Adam; vt videret, quid vocaret ea.* Aspexit coram propius: & inspexit penitius: vt imponeret naturæ nomina quæque suæ conuenientius.

2. Mithridates, Rex Ponti, & linguas suarum nationum callebat XXII. & singulo-

gulorum militum nomina callebat ex memoria: Portentum memoris! At Pastor ait: *Qui Pastor est ouium, proprias oues vocat nominatim, & adducit eas* Ioan. 10.

Residere apud oues. Id quemadmodum fieri potest? 1. Sic, vt Struthio sua excludit oua, solo sci. licet intuitu assiduo. Adsit Pastor ouibus: & præsit, vt prosit. Cognoscat; vt cogat, ducat, flectat, arceat; defendat, laudet, culpet, puniat. 2. Angelus, *Apocal.* 1. in medio septem candelabrorum apparebit. Sic & *Concil. Trident. Sessio. sext. & tert.* iubet Residentiam personalem Curatis.

Non abesse. 1. Alioquin, dormiente Domino in mari, *Matth.* 14. cooritur tempestas. 2. Moyse, *Exod.* 30. absente supra montem Sinai, à Deo ad idolum vituli apostatat populus: Non obstante, quod Vicarium, & fratrem eis reliquisset Aaronem. Hodie, qui ob pluralitatem beneficiorum distractus Præsul, esse vult vbique: nusquam est. Hinc grex Talis est.

Cura animarum præcipua esto. III. *Bonus Pastor ponit animam suam pro ouibus suis.* 1. Sodomorum nequissimorum Rex nequior laudatur; quod subditorum salutem præ opibus duceret. Dicebat is Abrahæ, *Gen.* 14, captiuorum vindici ex manu Regum cæsorum: *Da mihi animas: cætera tolle tibi.* Ita velit bene Pastor bonus: vt is male.

Orandum pro Pastore. 2. Quin & suæ saluti, ouium anteferat salutem. Sic Moyses *Num* 27. dum è mõte prospectaret terram promissam ante, quam moreretur, non petiit sibi vitam longiorem, non ingressum in terram: sed *Prouideat Dominus hominem, qui sit super multitudinem hanc: ne sit populus Domini, sicut oues sine pastore.*

3. Certe Iacob, *Gen.* 33. cum fero Esau pari passu gradi nequibat; causabatur solam gregum curam; non suarum rerum aliarum. *Nosti*, inquit, *Domine, quod paruulos habeam teneros, & oues, & boues fœtas mecum quas si in ambulando fecero laborare: morientur vno die cuncti greges.* Ita Pastor, rerũ gregis satage; simul tua accuraueris *Bonus* bene.

PARS VII.

De Mercenario.

Eius notæ quatuor. I. *Mercenarius autem.* Tria hic prauorũ genera pastorũ: *Mercenarii; Fures; Lupi.* 1 De his graphice Ezech. 34. *Væ Pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos! Lac comedebatis; lana operiebamini: Gregem autẽ meum non pascebatis.* 2. *Quod infirmũ fuit, non consolidastis.* 3. *Quod confractum est, nõ alligastis.* 4. & , *Quod perierat, non quæsistis. Et dispersæ sunt oues meæ; eo, quod non esset pastor: & factæ sunt in deuorationẽ omnium bestiarum.* Quatuor culpat. 1. Fideles non confirmatos. 2. Peccatores non reductos ad sanitatem. 3. Hæreticos non informatos. 4. Infideles non adductos fuisse. Demum per Pastoris absentiam fieri licentiam; & hac oues deteriores: in prædam easdem.

Præfigurata. Hæc Deus per Zachariam populo sic ostendi iubet, Zach. 11. *Sumetibi vasa*, (mitrã, pedũ, &c.) *Pastoris stulti.* Hic cuiusmodi est! quæ agit? *Derelicta nõ visitabit; Dispersum nõ quæret; Contritum nõ sanabit: Id, quod stat, non enutriet; Et vngulas eorum dissoluet.* Ad quæ Eusebius Emiss. ita scribit. *Mercenarius ille est Episcopus; qui in pascendis & regendis ouibus sola temporalia, & transitoria quærit.* Vati lucifugam noctuã; coruũque cadarinorum stridulam hirundinem.

Duplex Pastorum. Duo auium genera amãt templa: Hirũdines; quę nidificãt, pullulant, garriũt. Et bubones, qui oleum noctu exsorbent. Illis boni: his malipastores similes. Vtrique autem sui quam dissimiles?

Moyses, *Exod.* 15. duos Cherubin collocauit supra Propitiatorium, qui hoc fixis intuebantur: Salomon addidit duos alios; 3. *Reg.* 6. sed qui ad ianuam templi respe-

respectarent. Pastores boni gloriam Dei: mali temporalia spectant similiter.

Proprie mercenarius.

II. Mercenarius vero singulatim quis? Qui Pastoratum acquirit simoniace: possidet ob lucrum auare: non residet proxime. 2. Iussit Dominus Moysi aram tabernaculi fieri in plano; noluit per gradus ad id ascendi, id est, per cognationem, munera, promissa, &c. vt *Euseb. Emiss.* exponit.

Tituli eius.

Tituli talium in S. Scripturis sunt infames. 1. Ezechiel: 13. *Quasi vulpes in deserto Israel, prophetæ erant.* Vt in vulpe nil vsui est, præter pellem: Ita præter habitum & nomen in quibusdam Pastoribus vix aliud. 2. Idem c. 22. *Leones rapientes prædam:* ob sitim honorum & opum, 3. Isa. 56. *Canes muti, non volentes latrare* ob reã similium scelerum conscientiam. 4. Psal. 17. *Vt lutum platearũ delebo eos.* Quia vt populus, sic sacerdos lutulentus. 5. Ierem. 10. *Lignum est auro inuolutum.* Rom. 9. *Lapides offensionis & scandali,* ob indurationem in malis. dũ etiam *gloriantur in rebus peßimis.* 7. 1. Cor. 13. *Aes sonãs, aut Cymbalũ tinniens.* Ob vitam doctrinæ diffinitam. S. Gregor. in Ezech. *Scire Prælati debent, quia si peruersa perpetrant, tot mortibus digni sunt, quot ad subditos suos perditionis exempla trãsmittunt.* Hęc vero homicidarũ est descriptio. Item S. Aug. l. de Pastoribus. *Omnis, qui in conspectu eorum, quibus præpositus est, male viuit: quantum in ipso est, omnes occidit.*

Culpa talium.

Pœna est interitus.

Proles Iobi in domo primogeniti, genialiter viuentes, opprimuntur ruina. *S. Greg.* ait: Pastores esse primogenitos inter Fideles. Itaq; apud ipsos, qui ventri seruiunt; cum ipsis vna obruuntur ruina. Homo viuit, etsi cætera langueant membra manca, dummodo caput valeat: Ita Resp. si Pastor valeat.

Esto: Præsit talis domui suæ, & prosit: viuat in speciem fortunate: Attamen 1. vt ait Seneca: *Non faciunt equum meliorem aurea frena; nec hominẽ præstantiorem, humana ornamenta;* Nec Pastorem autoritas; sed probitas. 2. *Apoc.* 10. Angelis phialas iræ Dei effundentibus, vnus suam effudit contra Solem: id est, Episcopum quemque animarum; qui, quod Sol in astris, id in hominibus est.

DOMINICA III. POST PASCHA.

Modicum & iam non videbitis me. Ioan. 16.

Esth. 3. Proposito ferali edicto Assueri de cæde Iudæorum, vna die complẽda in Perside, ingens horum mœror fuit, & planctus. E contra Amani, qui autor illius, elata exultatio. At, postquam Esther intercessit, edictum fuit antiquatum; mœror in gaudium vertit publicum Hebræis: Amano autem gaudium in luctum, & exitium. Ita ex vno Iesu passo discipulis luctus; Iudæis gaudium erat: at vtrumque breue. Nam eo rediuiuo, omnibus omnia in contrarium vtrinque verterunt.

Nos

I. *De fine hominis vltimo, deque medio ad finem.*
II. *Quod, & quale sit Modicum?*
III. *Mundi gaudium quam sit damnosum.*
IV. *Quam idem sit lacrymosum.*
V. *Cur iustorum sit, hic plorare.*
VI. *De Phœbo post nubila.*

PARS I.

De fine hominis vltimo: deque medio ad finem.

I. *Omnia naturaliter bonum appetunt:* ait Arist. 1. Eth. & 4. Metaph. 2. Et vero de hominibus Boetius: *Omnis mortalium cura,* inquit; *diuerso quidem calle procedit; sed ad vnum tandem beatitudinis finem nititur*

peruenire. Est enim mentibus hominum veri boni naturaliter inserta cupiditas: sed ad falsa deuius error inducit. 3. S. Aug. l. 3. de Trinit. c. 8. *Ad appetẽdam beatitudinem natura compellit; Cui Creator indidit.* Ratio vnica: Quia beatitudo noster est finis: propter finẽ autẽ agit omne agens. 4. Idcirco vetuit Deus, *Leuit.* 22. offerri sibi cauda trũcatũ. Quod finẽ in omnibus velit attendi, ac re apse præstari. 5. Hoc omissum ab Ierosolymitanis deplorauit Ieremias Thre. 1. *Sordes eius in pedib. eius; & non est recordata finis sui.*

Finis igitur esse scopus debet omnium desideriorum nostrorum. Indicatur id in rotis apud Ezechielem c. 10. 1. *Quo ferebatur impetus spiritus, eo ferebantur & rotæ.* Spiritus erat finis rotarum; hic autem finis idem impetu trahit nos.

II. Sed cum ad hunc non perueniatur, nisi per medium ipsi aptum; ac propriũ; nostri finis ad Beatitatem medium est Mandatorum obseruatio. Matth. 15. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* 1. Angusta autem hæc via est; non lata. Nam Actor. 14. *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum.* 2. Idem hodie suis denunciat Iesus: sed addidit; *Tristitia vestra vertetur in gaudium.*

PARS II.

Quod, & quale sit Modicum.

I. *Modicum, & non videbitis me.* Vti pater, ita solatur filios Dominus ab vtili ipsorum: *Vado:* sed *vobis parare regnum.* Inde *Modicum, & videbitis me.*

Modicum est vita. Istud *Modicũ*, vt significet triduum passionis; malo tamen significatum eius de vitæ nostræ breuitate accipere, cum S. Aug. & plurimis aliis.

Et hoc mœstum iustis. In isto Modico *flebitis vos; Mundus autẽ gaudebit.* En legatum Testatoris, legatique partitio. Filiis & hæredibus fletum; gaudium Vernaculis reprobis & exhæredibus legat. At vtrumque breue. Aeternitas sequetur vtrumque, heu, diuersa nimis, Ita & Abraham, *Gen.* testamentum instituit bona sua sic partiendo, vt legitimum Isaac hæredem faceret omniũ ex asse: filiis autẽ concubinarũ legaret mobilia, & tẽporalia. Christ⁹ hic terrena terrenis, cœlestib. filiis cœlestia legat.

Mũdo breuis est funestum. At mundani Modici quanta breuitas, & vanitas? 1. Iob. 10. *Laus impiorum breuis, & gaudium hypocritæ ad instar puncti.* Pũctum nec vel subsensum cadit: Gaudiũ, cum præteriit, pro nihilo reputatur.

Simile. 2. *Solinus Polyh. & Abr. in Hex.* aiunt: Cygnum tota vita silere, mœrere: at morte vicina canere. Contrà, Syrenem vita cãtare tota, sub mortem luctu tabescere. Cygno iusti, mundani Syreni similes vitæ cursu, & exitu. Hisce *Risus dolore miscebitur: & extrema gaudii luctus occupat.*

3. Imo, vt in Archisynagogici, luctu *Matth.* 9. tubicines & citharœdi intercinebant: ita in mundo tristia lætis mista sunt. Quin imo vnius in funere hi rident, lugent isti, Exempla docent. Condisce periculo alieno.

Exempla. 1. *Balthasaris aula* Regis deliciis, tripudiisque beata sibi videbatur; at ecce, *Dã.* 5. interuenit manus in pariete scribens funesta, sequiturque mors Regis, & regni amissio.

2. In *aula Nabuchodon.* hinc omnia personabãt tibiis, & cantu, ad statuæ adorationem: ac inde fornax æstuabat; & neci addicabantur iusti. Talis talia miscet mundus: Adorat statuas in iubilo; homines deuorat incendio: At exitum sibi parat similem Nabuchodosoræo.

3. Domus Epulonis, *Luc.* 16. natat vino, turget epulo; luxu diffluit; personat cantu: Omnia adsunt vni. At inde vni Lazaro desunt omnia; præter canum beneficium; Sic in mũdo popinæ, gurgustia, ingluuies, iubila: at breuia omnia. Iustis contraria.

4. Do-

4. Domus filiorum Iob epulis, & gaudiis exultabat: mox quassa ventis æquatur solo; fitque sepulcrum, quibus seruierat domicilium. Ita mundus; in quo, dum vt satyricus ait, Curios simulant, & Bacchanalia viuunt, mors in capita bacchantium conspirat. Vere Iob. 21. *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.*

Gaudium mundi *1. Falsum.*

II. Nihilo minus *Mundus gaudebit*: Quo gaudio? 1. Falso. 1. Prou. 23. *Ne desideres de cibis eius, in quo est panis mendacii.* Cibi eius sunt honores, opes, voluptates, vindictæ. &c. 2. Hæc num deerant Dauidi? Et tamen ea non esuriebat, sed alia; vt diceret Ps. 16. *Satiabor, cũ apparuerit gloria tua.*

2. Breue.

2. Breue gaudium mundi est. 1. Cum ipsa vita *sit vapor ad modicũ parẽs*: Iac. 4. 2. Et Seneca l. 6. Epist. 7. *Punctum est omne, quod viuimus, & adhuc puncto minus.* 2. Et Ps. 143. *Homo vanitati simulis factus est, & dies eius, sicut Vmbra prætereunt.* 3. Psal. 145. *Nolite confidere in Principibus, & in filiis hominũ, in quibus non est salus. Exibit spiritus illorum: In illa die peribunt cogitationes eorũ.* Ecquæ hæ sunt? Aurũ, palatia, vxores, conuiuia, &c.

3. Somniũ

3. Gaudium mundi est somnium. 1. Psal. 75 *Dormierunt somnum suum viri diuitiarum, & nihil inuenerunt in manibus suis.* 2. Nabuch. somniauit statuam auream, æream, ferream: Euigilat; nil videt: imo nec somnii meminerat, *Dan.* 2. Talis hæc vita; mundique phantasmata. Ps. 72. *Velut somnium surgentium, Domine, in ciuitate tua: Imaginem ipsorum ad nihilum redigas.* Et adhuc. *Mundus gaudebit?*

4. Noxiũ

4. Gaudium hoc ô quam noxium est? Rom. 6. *Si secundum carnem vixeritis; morte moriemini. Si autem spiritu facta carnis mortificaueritis viuetis*; Ad carnẽ qui viuit; mũdo seruit; seruiendo que perit.

Et tamen *Mundus gaudebit.*

PARS III.

Mundi gaudium quam sit damnosum?

Carni & spiritui bellicosum est.

I. INfelix gaudium! Tu causa es: quod, Galat. 5. *Caro concupiscit aduersus spiritum; & spiritus aduersus carnem*: quod corpus conspiret contra animam; appetitus contra rationem. 1. Inde lacrymæ; quod Prou. 29. *Qui delicate nutrit a pueritia seruum, corpus, postea inueniet eum contumacem*: Vnde gaudium, quod corpori animam subiicit seruam.

2. Præpostero-rum.

2. O præposterum facinus, ipsique aduersum naturę, ac Deo! Hic dixit: Gen. 4. *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Vbi *S. Bona. 2 sent dist. 38. art. 2. q. 2.* inquit: sicut familia sub nutu domini; ita animæ partes oẽs sub vna ratione sunto.

3. Turpe.

3. Hinc *Arist. 1. Polit.* ait, Corpus regi, regere animam debere Qui autem mancipio dominium dat in Reginam; is mihi hominẽ ex homine exuit; hominis porro indignus nomine.

4. Damnosum.

4. Adam primus homo qualẽ hominẽ exuit: & qualem è paradiso extulit? Heu! quantum hic mutatus ab illo: Primus, Ps. 8. *Gloria & honore coronatus, paulo minoratus ab Angelis.* Secundus Psalm. 48. *Homo cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Fecit vnus pomi gustus; vt ex prænobili fieret homo plebeius orbis Dominus fieret, tribulorum colonus.

At est remedium ab castigatione tui.

II. Sed quid ages cum appetitu nequã; & corpore subdito peccatis, ac animam aggrauante? 1. Quod Angelus inquam, cum pertinace colluctatore Iacob. *Genes.* 32. Qui cum nollet Angelum dimittere; hic eum percussit in fœmore, vt neruo marcescente, claudicaret omni vita. Sis Angelus corpori ipse tuo percussor. *Castiga id, & in seruitutem redige*, cum Apostolo. 1. Cor. 9.

2. Ab sequestrationis.

2. Imitare Saram, *Gen.* 21, Hæc Isaacum

voluit sanctius institutum: at is ab Ismahele ad nefandum seducebatur ludum. Ergo hunc cum Agara domo eijcit in desertum. Tu corpus ad pœnitentiam adige: simul animam seruaueris ab deprauatione Ismahelitica. *Eijce ancillam* carnē cum filio suo Concupiscentia. Sic mundi gaudia spernes: perque te licebit, quod *Mundus gaudebit* infeliciter, breue hic; æternum isthic flebit.

Gaudium Mundi.
1. Obcæcat rationem.

O Cæcum, & excæcans gaudium! Rationem obtenebras: memoriam beneficiorum Dei extinguis. 1. Eccl. 5. *Non enim satis recordabitur dierum vitæ suæ; eo quod Deus occupet delicijs cor eius.* 2. *Non potest*, inquit S. Isidorus lib. de summo bono: *ad contemplandum Deum mens esse libera, quæ desiderijs huius mundi inhiat.* Væ gaudio tali. *Non potest*, ait.

3. Nam vt oculus puluere oppletus cœlum & astra tueri nequit: ita intellectus, mundi gaudiis dementatus, cœlestia. 4. Id sibi euenisse deplorat Ps. 37. *Dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum.* 5. Samson, *Iudic.* 16. pellicio Dalilæ captus capitur oculis: Præsentius menti malum voluptas est.

2. Demētat sapientem.

Nec rationem solum obcæcat; sed & prudentiam adimit. Iob. 28. *Sapientia non inuenitur in terra suauiter viuentium.* Quin obbrutescere facit hominē. 1. Cor. 2. *Animalis homo nō percipit ea, quæ Dei sūt.* Quia Genesis 6 *spiritus meus in homine caro est.*

3. Priuat solatio diuino.

III. Vnde mundani aucupes gaudij, sunt extorres diuini solatij. Nam, Luc. 1. *Esurientes* iustitię *impleuit bonis: diuites* gaudiorum mundi *dimisit inanes.* 2. Iustus es Domine, qui Psalm. 67. *Parasti in dulcedine tua pauperi Deus*; non diuiti. 3. Quam diu superabat farina Aegyptiaca, *Exod.* 16. de cœlo non descendit manna, Defecit illa: hoc pluit. Et *Mundus* adhuc *gaudebit.*

4. Cruciat in ordo.

O gaudium! In quantum verteris tormentum? 1. Iob. 21. *Tenent tympanum, & citharam, & gaudent ad sonitum organi, ducunt in bono dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. &c.* 2. Hic Apoc. 18. *quantum glorificauit se, & in delicijs fuit, tantum date ei tormentum, & luctum.* 3. S Gregor. in serm. *Momentaneum est, quod delectat: æternum vero, quod cruciat.* 4. S. Augustin. *Nulla maior insania, quam pro delectatione momentanea, perdere æterna gaudia; & obligare se ad æterna supplicia.* 5. S. Bern. *Qui in deliciis huius mūdi transigit vitæ suæ curriculum; similis est latroni, qui per prata florida ducitur ad suspendium.* Et tamen *Mundus gaudebit?*

IV. Et quis cum mundo sciens prudēsque gaudeat? 1. Quippe in quo, Isa. 13. *Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt. &c.* 2. Qui, Io. 15. *Iesum odio habuit.* 3. Qui *totus in maligno est positus.* 2. *Ioan.* 5. 4. Cum Iac. 4. *Qui amicus voluerit esse huius mundi; inimicus Dei efficiatur?* 5. Cum Io. 2. *Qui diligit mundum; non sit charitas Dei in illo?* Nam vt Regula Iuristarum habet; *Vere inimicus est; qui inimici amicus est.*

1. Mundi est reprobus.

Quare, vt phreneticus moriendo ridet flentibus amicis: ita mundus; ita peccatores in phrenesi mentis: flentibus interim iustis. Sicut Iesus, Luc. 19. *fleuit super Ierusalem.*

2. Est deplorandus.

Et vero causam flendi maiorem habent iusti; quam alij gaudendi. *Primo.*

2. Vt maleficus ab risu abstinet, dum feralem mortis sententiam expectat: ita in Deo iustus, ancipiti nouissimorum solicitudine suspensus mœret: & tamen cupit dissolui, *Phil.* 1. 2. Absurdū faceret, qui in Vigilia paschatis lasciuiret: Atqui *vniuersum vitæ tempus, &* ait S. Bern. *vigilia est quædam solemnitatis magnæ, & æterni Sabbati, quod præstolamur in gloria.*

Secundo. Cum omne, quod in mundo magnum, iucundū, volupe est; idem fucum redoleat: quis sanus secure gaudeat?

2. Et dili

Percunctanti; quandonam sit vrbs fugienda? respondit Plato: *Cum lucra sunt minora*

minora sumptibus, & commoda incommodis; & probis plures improbi. At in mundo, talia. Nam, *Luc. 19. Totam noctem laborantes, nil cepimus:* Et, Eccl. 1. *Stultorum infinitus est numerus:* Et, Psal. 115. *Omnis homo mendax.* Quare fugiendus est mundus.

PARS IV.

Mundi gaudium, quam sit lacrymosum.

ET *videbitis me.* Dulcis Iesus consolatur suos, Vt, *Gen. 21.* Rebecca Iacobum filium. *Fili, fuge ad fratrem meum Laban; habitabisque cum eo dies paucos, postea mittam, & adducam te in die hac. Pauci dies erunt peregrinationis, & laboris tui.*

Causa flendi.

Plorabitis, & flebitis vos. 1. Nec causæ desunt Heraclitis pijs. 1. Peccata propria. 2. aliena. 3. Vitæ exilium. Ergo Psal. 136. *Super flumina Babyl.* &c. 4. Incertitudo de felici vitæ exitu. 5. Dilatio gloriæ. Ideo Psal. 119. *Hei mihi; quia incolatus meus prolongatus est.* Psal. 4. *Fuerunt mihi lacrymæ panes die & nocte.* &c. Vbi *S. Aug. Quia si dulcis est patria; amara est peregrinatio, & hæc tota die tribulatio.*

1. Quia hic est exilium

2. Multa corruptio.

2. Ea de causa abstinuit à vanitate, Raguelis filia Sara, *Tob. 3.* ait: *Nunquam cum ludentibus miscui me; neque cum his qui in levitate ambulant, participem me præbui.* Optima turtur mundi fuga!

3. Mulea miseria.

3. Fuge; late; defle mundi vesaniam. Quid hæc ad me, inquis? Animas perire, lædi Deum, triumphare infernum; hoc ad te: Si ames Deum, proximum, & te. Amicus quondam Solonis, vt prodit *Val. Max. li. 7. c. 2.* cum mortalium fleret infortunia, Solon in turrim summam educto subiectarum Athenarum tecta ostendens ait: *Cogita quot luctus sub his tectis fuerint, sint, & erunt? Mitte mortalium incommoda, tanquam propria deflere.* Haud scio, hic sapienter locutus fuerit: an iste fleuerit sapientius? Equidem huic dedero calculii. Solon tamen istud dicto commonet: Vrbes esse miseriarum, quanta hominum, collegia: Vnde infero; Tanto etiam maiora flendi seminaria.

Tenenda tamẽ æquanimitas.

II. Sed hoc æquiore sunt animo ferenda priuata; quanto præ his sunt, & plura etiam, communia. Et hoc sensu recte suasit amico Solon. 1. Sicut & Demonax Orator, (vt *Erasm. libr. 8. Apoph.*) promittens flenti mortem defuncti filij, se hunc in vitam reuocaturum; tantum si ipse sibi tres ex omni hominum turba ostendere posset, qui aduersi nihil vnquam sensissent. Diu circumspicienti, ac frustra, ait: *Ecquid igitur te crucias ob id, quod commune omnibus & fatale est?*

Non flendum muliebriter.

2. Legislator Lyciorum sanciuit, vt *Seneca li. de Consolat.* refert, si quando lugere quis velit, habitum muliebrem induat. 3. Diogentes, teste *Laert. l. 6.* interrogatus: quid sibi Philosophia prosit? ait: *Vt nihil aliud, at hoc ipsum, quod ad omnem fortunam paratus sum.* Quanto magis id Christiana disciplina dabit?

PARS V.

Cur Iustorum sit, hic plorare?

1. Vt humiliantur.

I. PLorabitis & flebitis. Vti Iusti omnes in hoc mundo. Et cur. Ne gratiarum dono superbiat. Ideo 1. Dauid: Psal. 118. *Bonum mihi, quia humiliasti me.* 2. Paulus, 2. Cor. 12. *Ne reuelationum magnitudo extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Sathanæ, qui me colaphizet.*

2. Ne pluris iusto fiant.

Secundo: Ne, iusto maior Sanctis honor habeatur tanquam semideis, vnde caute Apostolus de sese ait 2. Cor. 11. *Parco autem: Ne quis existimet me supra id, quod videt in me.* Id circo gloria Deo; nobis hic confusio, & tristitia, *Sic itur ad astra.*

3. Vt glorificetur Deus.

Tertio: Contristantur hic iusti, vt Virtus Dei in vilibus eius instrumentis fiat illustrior. 1. 2. *Cor.* 11. *Sufficit tibi gratia mea: Nam virtus* (Dei) (hominis) *in infirmitate perficitur.* 2. Sane totam Aegyptum in admirationem Dei rapuere vel maxime cyni-

cyniphes, muscæ, & ranæ immissæ *Exod.* 8. Per tantula tantumque vexari posse populum. 3. Ab ipsis etiã Madianitis fuit adoratus Deus, sententiâ Theodoreti: quando innumeras eorum copias occidit per 300. metu semianimes viros duce Gedeone. *Iudic.* 7. Vicisse Deum constitit in paucis. Quid: quod Ioel. 2. ait: *Et eruca fortitudo mea magna, quam misi in vos.* Ita per viles in specie Deus sua patrat miranda. Sed illos tũ humiliari sinit, ac flere, Istas hactenus causas allegat *S. Chrys. in ho.*

4. Vt Coelestia effulgeat. *Quarto.* Idideo': Vt iustorum perseverantia inuicta clarius illucescat: qua Deo, quasi gratis, deseruiunt. Hoc de Iob Satan obiicit. 1. *Nunquid frustrà timet Deum? Nonne tu vallasti eum, ac domum eius, vniuersamque substantiam per circuitum?*

5. Vt cœlestia plus suspirent. *Quinto*: vt electi tanto ardentius ad vitam beatam aspirent. Sicut Iudæi in Babylonia captiui suspirabant ad Ierosolymam: Psal. 136. *Super flumina Babyl. illuc sedimus, & fleuimus, dum recordaremur tui Sion.* Huc respexit, Rom. 5. *Tribulatio patientiam operatur; patientia vero probationem; probatio spem* vitæ futuræ.

6. Vt dignoscantur a vernaculis Dei. *II. Sexto.* Vt ex hoc signo veri amici Dei ab falsis discernantur. Spiritus est, qui à stemmate degenerat. At stemma nostrũ Christus: hic fleuit, viamque Crucis tenuit. 1. Heb. 12. *Tanquam filiis vobis offert se Deus. Quis enim filius, quem non corripit pater? Quod si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes; adulteri, & non filij estis.*

Filii dexteræ. 2. Rachel grauida inauditas passa conuulsiones natum appellauit Benoni, filium doloris: at pater Beniamin, filium dexterę. *Gen.* 35. Ita Ecclesia in tribulationibus Benones parit: quos tamen pater facit Beniaminos, à dextris Dei collocatos. 3. Bene igitur Aschylas Tragicus Gloriam appellauit filiã Laboris. *Beati* enim *Qui lugent: quoniam ipsi cõsolabuntur.* Mat. 5.

Laboris & Gloriæ. 4. Nec Romani eo in loco triumphum agebant; vbi pugnando vicerant. Ideo & iusti hic pugnent flentes. 5. Petrus est reprehensus, *Matth.* 17. quod in die & loco Transfigurationis quæreret tabernaculum requietis. Sic, qui in breui gaudio poneret domicilium.

Filii exulum. 6. Arbores frugiferæ, non steriles, petuntur lapidib. Vnde Nucis querela est:

Nux ego iuncta viæ; cũ sim sine crimine vitæ;
A populo saxis prætereunte petor.

At iusti sunt, *Psal.* 1. *Tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum; quod fructum suum dabit in tempore suo.* Impij autem sunt *arbores autumnales, bis mortuæ. &c.* & Psal. 71. *In laboribus hominum, non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur.*

Filii spei. Agit cum iis Deus, vt medici cum ægris, iam depositis assolent; his, quod libet, licere sinunt seu in victu, seu potu; at spei bonæ infirmis amara propinant, prohibent multa. 1. De hisce *Psal.* 79. *Potum da, bis in lacrymis in mensura.* 2. Qui gustarat, fatetur medico, *Ps.* 41. *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die & nocte.* O duram anangotrophiam! At salutarem.

Sic itur ad astra. 1. Elias, 4. *Reg.* 2. per turbinem raptus in cœlum fuit: Hoc qui optas, non illo mitiora speres. 2. Maximi quique pisces, & optimi in mari salso natare, ac viuere solent; non in dulcibus ac sapidis fluminibus. Ita non in mundi deliciis; sed ærumnis circumferuntur Electi.

PARS VI.

De Phœbo post nubila.

Tristium compensatio. I. TRistitia vestra vertetur in gaudium: Adeo breuis erit illa; hoc æternum. 1. Eo se missum ait Isa. 6. *Vt prædicarem Annũ placabilem Domino; & Diem vltionis Deo.* Ecce pro die tribulationis, annus dabitur consolationis. 2. Id spectauit idem c. 40. dicens; *Quis mensus est Pugillo aquas* afflictionũ; *& cœlos* gaudiorum *Palmo ponderauit?* 3. Hoc Dauid isthoc expressit, *Ps* 83.

In magnitudinem rum bonarum.

Melior

Melior est dies vna in atriis super mille. Ideo *Elegi abiectus esse in domo Domini magis; quam habitare in tabernaculis peccatorum.*

2. *Et dulcedine obliui onis perpessarum.*

Tantæ sunt cœlestes dulcedines; vt vel gustatis iis, dicere queas: Eccl. 9. *Obliuioni traditæ sunt angustiæ priores.* 2. Ioseph, *Genes.* 41. post multos perpessos casus, iam Dominus Ægypti hanc à Deo sibi gratiam collatam prædicat: quod *obliuisci me fecit Deus omnium laborum meorum in terra paupertatis meæ.* Eadem tribulati Sancti donantur obliuione. 3. Abisai, 2. *Reg.* 39. injuriarum Regi factarum ab Semei memor erat; at immemor Dauid. Nam hic die inaugurationis suæ hilariter sic ad eum; *Non morieris. Non est hic dies; vt in eo sit memoria priscorum malorum.* Potuit hoc Dauid amore terreni regni: cœlestis amore quid non poteris? Tantum velis.

3. *Et successione lætarum.*

4. Experta vxor Tobiæ, *cap.* 3. aiebat: *Post tempestatem tranquillum facis, & post lacrymationem, exultationem infundis.* Prisci Iouem duo inter vasa bonorum, ac malorum, pingebant, cum hac epigrapha: *Neque prospera sine aduersis.* Quale est istud, Ps. 74. *Calix in manu Domini, vini meri plenus mixto; & inclinauit ex hoc in hoc.* Consueta Deo hæc mixtio est. Scias; vt perferas. *Vincenti dabitur manna.*

Modici hic.

II. Sed *Modicum:* breuis enim omnis tribulatio. Nam vita breuis est. Illa torrenti similis. Psal. 123. *Torrentem pertransiuit anima nostra* Vnde S. Hier. in Psalm. 109. Cõment. *Audientes sæculi torrentes, nolite desperare: frequenter hic torrens deficit. Videtur quidem tumescere; sed cito deficit, si sustineas.* Vnde & Eliæ *defecit aqua torrentis.* 3. Reg. 17. Dominus ipse, Psalm. *De torrente in via bibit: propterea exaltauit caput.*

Infinitum sit ibi gaudium 1. ex visione Dei.

En, *vertetur in gaudium.* 1. In hoc Isa. 33. *Regem in decore suo videbunt.* 2. Dicent cum Regina Saba, 2. Par. 9. *Beati viri tui. & beati serui tui hi, qui assistunt coram te omni tempore, & audiunt sapientiam tuam!* Quanto beatiores cœlestes aulici. 3. Huiusce spei plenus dixit Psalm. decimoquinto *Adimplebis me in lætitia cum vultu tuo &c.*

2. *Ex tristitium cessatione.*

O quale gaudium; in quo *quicquid petieritis, fiet vobis?* 1. Deus est, Psal, 102. *Qui replet in bonis desiderium tuum.* Mundus replet vanitatibus: At Psalm. 64. *Replebimur in bonis domus tuæ.* 2. Nam si, secundum Aug. in hac vita: *Felicitas est, habere omne, quod cupis, & nihil habere quod caueas.* Magis in æterna. 3. Ibi Isai. 35. *Lætitia sempiterna super capita eorum: gaudium & exultationem obtinebunt.* 4. Hic *Apoc.* 21. *Absterget Deus oẽm lacrymam ab oculis Sanctorũ, & mors vltra nõ erit, neq; luctus, neq; clamor, neq; dolor erit vltra, quæ prima abierunt.* 5. Sic & Isa. 51. *Gaudium & lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus.*

3. *Ex corporũ glorificationc.*

III. O quale gaudium, 1. vbi etiam corpore Matth. 13. *Fulgebunt iusti tanquam Sol?* 2. Vbi subtilitate dotantur: vt Psal. 17. *In Deo meo transgrediar murum.* 3. Agilitate: Isa. 40. *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas vt aquilæ, current, & non laborabunt.*

4. *Ex loco.*

O gaudium in tali palatio! Apo. 21. *Structura muri eius ex lapide Iaspide: ipsa vero ciuitas aurum mundum, simile vitro mundo: Et fundamenta muri ciuitatis omni lapide pretioso ornata. Et Duodecim portæ xii. margaritæ sunt, & plateæ ciuitatis aurum mundum.* 2. *O quam dilecta tabernacula tua Domine virtutũ! Concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini!* Ps. 83. 3. Age, Ps. 41. *Quãdo transibo in locum tabernaculi admirabilis vsque ad domum Dei?*

Ex gaudii magnitudine.

O gaudium, gaudiis omnibus maius! 1. Ratio id docet. Nam Arist. 1. Poster. *Omne quod est per essentiam, maius est & perfectius omni eo, quod est simpliciter per participationem.* Et, 2. Metaph. *Quidquid est causa aliorum, vt sint talia, illud est magis tale.*

Nunc inspice hinc mundum, inde cœlum. Vtrobi sunt gaudia liquidiora? 2.

Omnibus inuicem collatis, sic statuendum est denique ex Arist. l. 1. de anima: *Quicquid potest causa secunda, nobiliori modo potest prima.* Etenim *nobilior causa nobiliorem semper producit effectum.* 3. Hinc euenit contemplatoribus cœlestium, quod S. Greg. Hom. de vno Mart. scribit: *Si consideremus, quanta sint quæ promittuntur nobis in cœlis; vilescunt in animo omnia, quæ habentur in terris.* 4. Et S. Augustinus serm. de gloria cœl. *Tanta est dulcedo cœlestis patriæ; vt si vna gutta in infernum deflueret, totam damnatorum amaritudinem dulcoraret.* 5. Hoccine spectauerit Epulo? *Luc. 16.*

6. Ex incomprehensibilitate.

IV. O gaudium, quod est ineffabile, incomprehensibile! Nam Arist. 1. de cœlo, & 8. Phys. 2. Metaph in 4. sent, distin. 47. *Nullum finitum potest infinitum comprehendere: Cū in ipsis non sit portio.* Imo 1. Phys. *Infinitum, secundum quod infinitum est, nobis ignotum est. Si tibi sint linguæ centum, sint oraque centum:* Si etiam *vel linguis Angelorū loquaris:* eloqueris tamen hic nihil.

7. Ex insatiata saciet.

O gaudium, quod Animum, alioquin rebus hic cunctis insatiabilem, exatiat.

1. Nimirum Arist. 2. de Ani. & 3. Ethic. *A proprio obiecto recipiunt potentiæ perfectionem suam.* Nihil hic oculū, aurem, gustum, &c. satiat. Solus Deus obiectum est vltimum animæ. 2. Aug. l. Cōf. *Fecisti nos Domine ad te; & ideo inquietum est cor nostrū, nisi requiescat in te.* 3. Idem lib. de Ciuit. ex Platone. *Tam dilecta est diuina visio, tantoq; amore dignissima; vt, quicquid haberi possit, ea nō habita, faciat hominē miserum, nō beatum.*

Atque talia, tantaque sunt; quæ, *qui seminant in lachrymis; in exultatione metent.* Psalm. 125.

DOMINICA IV POST PASCHA.

Vado ad eum, qui misit me.
Ioh. 16.

RAphel, *Tob.* 12. pulso in desertum Aegypt. dæmone, 7. virorum interfectore; Tobia reducto filio; patre reluminato; domo eorum felicitatibus multis beata; valedicens, ait: *Iā tempus est, vt reuertar ad eum, qui me misit. Vos autem benedicite Deum, & enarrate omnia mirabilia eius.* Idem Magni Cōsilii Angelus hodie, peractis similibus, dixit.

Nos

I. Aduersa inter diuersos effecta sortiri diuersa.
II. De tristitia muta Discipulorum.
III. Cur expedierit Apostolis abire Domum.
IV. Quid acturus veniens Paraclitus.

PARS I.

Aduersa inter diuersos effecta sortiri diuersa.

1. Mors & Vita.

QVod vni medela est, & vita; virus alteri est, & mors idem. 1. Ita ceruis serpentes sunt salutares; noxii hominibus. 2. Mithridati Regi venenum assuetudine cibus, & vita fuit: mors cęteris. Id in secretis naturæ: Ita & in mysteriis gratiæ. Quod hunc beat; damnat illum. Exemplo sint tribulationes. Prou. 12. *Non conturbabit iustum, quicquid acciderit ei: Impii autem replebuntur malo.*

2. Bonum & Malum.

3. Constantia & ruina.

3. Arbores altum radicatæ ventis pulsantur; sed ramis duntaxat agitatis: Sūma hærentes terra luxantur, vt arescant: aut prosternuntur. Psalm. 1. Iustus *erit tāquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, & folium eius nō defluet.* At vero: *Non sic impii, non sic: Sed tanquam puluis, quem proiicit ventus à facie terræ.* Isa. 11.

4. Quies inquies.

4. Domus duæ, *Matt.* 7. Vna supra petram: stulti super arenam: hæc quassa ventis corruit: perstat illa. Ita iusti & improbi. *S. Greg. Naz. orat.* 26. Sē, refert, propter maris ripam ambulasse, & visis rupibus stare immotis decumanas inter & insanas vndas; ostrea autem, & conchilia alia sus deque ferri; egeri, ac reforberi; talibus, inquam, visis ait mundi se facie-

faciem agnouisse: in quo iusti, vt marpesia cautes: impii, vt stuppa.

5. Perfectio & destructio

5. Igne purius fit aurum; palea, fit cinis. At Sap. 3. *Quasi aurum in fornace probauit electos Dominus.* Ecce tres pueros in camino, *Dan.* 3. Cantant: deliciantur. At, qui circumsecus, exuruntur. Nempe Babylonii erant: id est, peruersi. Ardens in igne Rubus in combustus in deserto Moysi ostenditur. *Exod.* 3. Vt cognoscat Israelitas in Aegypto tribulatos: at non extinctos; sed integros persistere. Felix rubus talis Christianus!

6. Tolerātia.

6. Sic Apostoli, 1. Cor. 4. *In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur, persecutionem patimur; sed non derelinquimur.* Quia inhærebant Deo. Secus, qui deserunt eum, hi pereunt.

7. Charitas di scharitas.

7. Eadem fornace fiunt & carbones nigri & prunæ. Sed frigore isti; hæ calore: Iusti charitate. Rom. 8. *Quis ergo nos separabit à charitate Christi? Tribulatio? an angustia? fames? an, &c. an persecutio?* 8. Duo ex vno egrediebantur carcere. *Gen.* 40. Pistor ad furcam; pincerna ad honorem. Carcer mundus est, in quem electi paradiso, detrusi sumus. Inde dispares egredimur.

9. Spes recta & desperatio.

9. Virga in manu Moysi recta est, & innodis; *Exo.* 4. A terra humi proiecta vertit in serpentem. Virga tribulatio est, Psal. 22. *Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Hæc in manu iusti est ei occasio virtutis; signum prædestinationis: At in terram incidens, in improbos; eis fit virus.

10. Via & inuium.

10. Mare rubrū *Exod.* 14: electis fuit in viā rectā: Pharaonitis in barathrū. Illis ad terrā promissam: his ad interitum tartareum. Quibus omnibus quid diuersius?

PARS II.

De tristitia muta discipulorum.

Læta Dei est præsentia, absentia mœsta.

1. QVia hæc locutus sum vobis, tristitia impleuit cor vestrū. Et vero quidni! In Iesu amisso omnia amiserant. 1. Ergo cum Tobiana sic poterant: Tob. 10. *Heu, heu me: fili mi! Vt quid te misimus peregrinari, lumen oculorum nostrorum, baculum senectutis nostræ? Omnia simul in te vno habētes, te non debuimus dimittere.* Maior Apostolis causa mœroris. 2. Si enim Luc. 10. *beati oculi, qui vident, quæ Vos videtis: & beatæ aures, quæ audiunt, quæ vos auditis. Multi enim Reges & Prophetæ desiderauerunt audire, quæ vos auditis:* Iam iure sunt mœsti, quibus ea subtrahuntur. 3. Quod si, 3. Reg. 10. *Beati viri tui* Salomonis, *& beati serui tui: qui astāt coram te semper, & audiunt sapiētiā tuā:* iā plane iustus est Apostolorū luctus. 4. Vt Dei præsētia læta Ps. 15. *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo: delectationes in dextera tua vsq; in finē.* Ita mœsta absētia Ps. 41. *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte: dū dicitur mihi quotidie: Vbi est Deus tuus.*

II. Ego vado. Bina expositio. 1. *Augustin.* In die Ascensionis meæ ipse *vado*, non Eliæ instar, rapiendus. 2. *Emissenus*: Vado ad Passionem. Tertiam amplector. Nam vtramque semper in oculis tulit dominus: hanc, vt viam: istam, vt finem.

Spes metus. que finis attenti pascit animam.

Disce meminisse & vitæ tuæ, & mortis. Inter vtramque stes cum spe, & metu. 1. Hi sunt duo molares, *Deut.* 24. superior, & inferior; quos vetuit Deus in pignus capi. Inter hos teratur granum *Christus*: neu desit panis animæ.

2. Humiliat.

2. Examen apum, se procul in altum librans, relictis fauis & cunabulis, recessurum, si terræ glebulis ac puluere petatur, reducitur ad alueare. Cogitationes tuas elatiores impete terræ puluere, quod *puluis es, & in puluerem reuerteris*: mox humiliabere, reductus ad limites modestiæ.

3. Mansuetudo facis.

3. Aues ad prædam natæ, vt falco, vultur: teste *Aeliano in variis*: si ferrarii cami. no apponantur; continuo cicurantur. Efferascunt tibi passiones? Memorare gehennam; & mansuescent. Dic tibi *Ego*

vado ad mortem, iudicium, &c.

4. Seruat sibi Iesum.

4. Cogita istud Christi: *Vado*: metue, ne à te relicto vadat. quod quidem ipsa mors est animæ. *Arist. li. 2. de Cœlo* ait, Accessu, recessuque Solis inferiora & generari, & corrumpi: Ita & Christi. Etenim nox, mortis: dies, vitæ semper fuit symbolum. Atqui Christus sol est iustitiæ, & lux mundi. Væ cui *sol occiderit in meridie!* Amos 8. Cyro somnianti, ac si manibus suis elapsus sibi fuisset Sol; Augures respondebant: ipsum Regem moriturum propediem. Et factum. Teste *Richar. Brixio l. de myst. symb.* Vide ne ex iis sis qui dicent: Sap. 5. *Sol intelligentiæ non est ortus nobis.* At vero *Orietur timentibus vobis sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius.* Malac. 4.

III. Et nemo interrogat me, quo vadis? Id est: 1. (*Rupertus*) q. d. Num cogitatis de me deserendo? *Aug. & Beda*: Intelligitis enim me ascensurum. 2. *Leontius, Theophyl.* Loquente me vobis tristia, videmini attoniti iudicium amisisse: nam alias interrogabatis: *Domine quo vadis?* Ioan. 13.

Perdere Deum in aduersis.

Ita quidam sunt: vt amisso per p. m. Deo, non secus, ac prius lætentur. Alii in prosperis quidem conseruare eum sibi student: at in aduersis amittunt. De his Psalm. 48. *Confitebitur tibi, cum benefeceris ei.* Psittaci, cicuresque aues, dum suauiter habentur, brutalitatem exuunt, discunt garrire, aut cantillare: percussæ dediscũt, redeũtque ad brutalem sonum. Ita quidam in lætis laudant Deum: in tristibus obmurmurant.

In prosperis.

E diuerso alii voluptatibus perdunt se; in aduersitatibus seruant. 1. Vt polypus piscis, etsi in mari viuat; ita tamen adhærescit subinde scopulis, vt diuelli nequeat: At si oleo tergum vngatur; recedit. Ita, delinitio soluit; quem vis nulla frangere quiuit. 2. Talis Dauid, Psalm. 72. *Mihi adhærere Deo bonum*: At voluptate delinitus mox effertur in oceanum vitiorum. 3. Talis Sponsa Cant. 1. *Tenui eum, nec dimittam.* Indormiens vero in lectulo deliciarum, Sponsum perdit.

Solus Paulus hæret: Ro. 8. *Certus sum, quod neque mors, neque vita: neque persecutio, neque virtutes; neque creatura vlla poterit me separare à charitate Dei.*

Necessaria felicitati publicæ.

Salomon quatuor enumerat ad reip. salutem necessaria: Prou. 30. *Quatuor sunt minima terræ; & ipsa sapientiora sapientibus, Formica,* (cura cõmeatus) *populus infirmus: quæ præparat in messe cibum sibi. Lepusculus,* alii erucius, (munitio loci) *plebs inualida: qui collocat in petra cubile suum. Locusta,* (vnitas) *Regem non habet: & egreditur vniuersa per turmas suas Stellio,* alii araneus: (Principum fauor) *manibus nititur: & moratur in ædibus Regis.* Quintum, & præcipuum omisit. Idque Pater eius vnicum posuit; Psalm. 45. *Deus noster refugium & virtus.* Sine hoc vno, omnia nihil.

PARS III.

Cur expedierit Apostolis, abire Dominum?

Vt, quod erat sensuale in Apostolis fieret spirituale.

I. *Expedit vobis, vt ego vadam.* Sin' *Spiritus paraclitus non veniet ad vos.* Oberat perfectioni, non præsentia Christi; sed sensualis affectio discipulorum. Ergo, sicut Ezechias, 4. *Reg.* 18. æneum Mosis serpentem fregit: cui eo vsque incensum adolebat populus. Mala gratitudo; etsi magnum beneficium ab serpente olim: Factum vero bonum Ezechiæ. Ita nimiæ Apostolorum affectioni auferenda erat præsentia corporalis Christi, relinquenda memoria. Idcirco *Expedit, vt vadam.*

Cõsolationes spirituales non dantur carnalibus.

Liquet hinc, quantum terrenæ spiritalibus aduersentur consolationes. 1. Ideo expertus ait Ps. 76. *Renuit cõsolari anima mea,* è rebus terrenis: *Sed memor fui Dei, & delectatus sum.* 2. Omnes aues, quæ natant simul & volant, immundæ erant Deo: *Leu.* 11. Ita, qui in mari mundano se oblectant nando, & simul in cœlestibus cõ-

tem-

templando. 3. Vetuit Deus *Leu.* 15. vnum agrum diuerso conseri semine: ita mentem vtriusque affici, cœli, & terræ consolationibus. Se, suamque dulcedinem sensibus hic subtrahit Deus; vt eam reseruet animæ. Ideo *Expedit vobis, vt vadam.*

4. Quamdiu farina Aegyptia suppetebat Israelitis; mãna nõ pluebat. Solatiola terrena sunt farina Aegypti. 5. S. Bern. serm. 6. de Ascens. *Mens occupata carnalibus desideriis, gratiam Spiritus sancti non sperat.* Sæpe creditur esse spiritalis deuotio; & est sensualis affectio, ac delusio. *Nolite credere omni spiritui: sed probate Spiritus, an sint ex Deo.*

6. Abraham, *Gen.* 21. epulum dedit in die ablactationis Isaaci. Quærit ibi *S. Aug.* Cur nõ potius in die Natiuit. aut Circũcisionis? Respondet. Subest sapientia. Tũc *gaudium est in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente*, cum mundi vbera reliquerit. 7. Prodigus, *Luc.* 16. non ante conuiuio patrio recreatur; quam siliquas porcorum reliquisset. Ita & c.

II. Quare *expedit vt vadam.* Nec enim cor esse domus S. Spiritus potest simul & mundi. Amatis animam solitariam. 1. Vnde Ps. 21. *Erue de manu canis* mundani *vnicam meam.* Hiero. ex Hebræo vertit *solitariam.* 2. Solitariis datur Spiritus: Vnde talem miratur Cant. 8. *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum?* 3. Ecclipsim lunæ causat terræ interpositæ vmbra lunam inter ac solem, quo minus hic ad eã possit radiis pertingere; ita nec S. Spiritus radi⁹ ad animã inumbratã terrenis se penetrat.

4. Duæ corrixabantur de prole. 3. *Reg.* 3. Suppositrix voluit eam diuidi, *Nec mihi, nec tibi*: ait. At vera mater cohorruit ad istud, maluitq; totũ aduersariæ tradi. Ita Christi & mundi consolatio de anima cõtendunt, &c. Mundus amat diuisionẽ; vnionẽ Christus. Zelotes est: solum tutũ solus poscit. 5. Christus, *Matth.* 21. eiecit templo etiã necessaria sacrificiis vendentes. Adeo solum soli voluit templum seruire orationi; quãto magis animam?

PARS III.

Quid acturus sit veniens Paracletus.

I. *Si non abiero: Paracletus non veniet ad vos.* Ideo Ioan. 7. *Nondum erat Spiritus datus*, plene: *quia Iesus nondum erat glorificatus.* Ratio Theologis est: Quia Spiritus S. à *Patre Filioque procedit*, Ab his enim mittitur. S. Thom. p. 1. q. 34. S. Aug. l. 4. de Trin. *1. Consolaturus Apostolos.*

At vero *cur expediebat?* 1. sententia & causa est. *Rupertus Tuit.* Si Christus non abiisset ad passionem; non habuisset cõsolationis occasionem; quia non Apostolis accidisset mœror.

2. *Leontius Theophy.* Quod iter demittẽdi S. Spiritus fuerit obseptum, & à Domino aperiendum; *Quippe qui peccatũ moriendo destruxit, & vitã resurgendo reparauit.* *2. Cœlum apertum esse testaturus.*

3. *Aug. Bern. Beda.* Quod terrenus affectus per abitum Domini erat auferendus Apostolis prius. Nam 1. Cor. 2. *Animalis homo non percipit ea, quæ Dei sunt.* Vt cum *Matt.* 16. Dominus quæsisset: *Quem dicunt homines esse Filium hominis?* Deinde: *Vos autem quem me esse dicitis?* Et respõdisset Petrus, ait ei Dominus; *Beatus es S. B: quia caro & S. n. r. t. f. pater m. q. æ in cæ.* *3. Eos reformaturus.*

4. *Maldonatus.* Paraclitus *Non veniet.* Quia à Filio mittendus erat Ecclesiæ, tãquã ab huius Pontifice; qui & S. Spiritũ mitti meruerat; & cuius erat procurare necessaria Ecclesiæ. *4. Merito Christi satisfacturus.*

5. *Euthymius.* Non, quod nõ posset venire; sed quod ita in consilio diuino esset statutum: vt tres Personæ SS. Trinitatis cooperarentur in salutem humanam. *5. Saluti humanæ cooperaturus.*

II. Neque tamen huiusce causam Apostoli exquirebat. Vti Elisæus, 4. *Reg.* 2. comitatus Eliam discessurum non audebat mœstus interrogare, quo iret; dũ *Figura Euangelii.*

transito Iordane Elias diceret, *pete à me, quod vis.* Et is: *Obsecro; vt fiat in me duplex spiritus tuus.* Rapitur Elias, demittit pallium. Quo Elisæus Iordanem pulsans transit siccus. Hoc vico, stantes cis flumen Prophetæ, dicunt, *Requieuit Spiritus Eliæ super Elisæum.* Hæc impleta hodie, promittente Iesu Spiritum Prophetiæ, & miraculorũ. Currus igneus erat Crux amantis Iesu; pallium relictum sunt Sacramenta. Eo secuerunt Iordanes peccatorũ Apostoli.

6. Veniet vt arguat peccatum mundi.

Expedit item; vt, *cum venerit ille, arguat mundum de peccato*: id est, ait *S. Aug. & Chry.* confutabit, & erubescere faciet. 2. *Cyrillus*, De omni peccato conuincet, vt negare non ausit, Nec solos Iudæos, sed totum *mundum arguet* per Apostolorum doctrinam: vitam, miracula, &c.

7. Iniustitiam.

III. Expedit etiam, Vt *arguat eum de iustitia, & iudicio.* Isto vix aliud in scriptura obscurius. 1. *Bern.* sic. Spiritus *S. arguet mundum de peccato*, quod dissimulat; *de iustitia*, quam non ordinat; dum sibi, non Deo eam dat: de iudicio, quod vsurpat; dum tã de se, quã de aliis temere iudicat. 2. *Aug. Cyr. &c.* aiunt, arguendum mundũ ob suam iniustitiã, & demonstrandã fore Iesu iustitiam. 3. *Chrysost. Leon. Theoph.* tantum de Christi iustitia intelligunt idem. Quibus ista fauent è Vet. Instrumento.

1 Psal. 79. *Reuelabit in conspectu gentium iustitiam suam.* 2. *Psalm.* 47. *Ego, cum accepero tempus, iustitias iudicabo.* 3. Psal. 9. *Sedisti super thronum qui iudicas iustitiam.* Quæ omnia de Iudice S. Spiritus prædicta sunt. 4. Act. 10. *Hic est, qui constitutus est à Deo Iudex viuorum & mortuorum.*

8. De iudicio.

9. Vt terreat per extr. iudicium.

Arguet, & ostendet iudicium aliquod extremum instare. Sed vt malefici cruces esse paratas sciunt; non tamen putant se fore suspendendos: donec suspendantur: Ita mundani, &c.

10 Vt doceat veritatem.

IV. Expedit denique, Vt *doceat vos omnem veritatem.* Quia mundus mendacium docet. Ps. 117. *Omnis homo mendax.* Sed, Ps. 116. *Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Non ita Deus. Nam, Ps. 118. *Principium verborum tuorum Veritas.* Spiritus prædicat beatos pauperes, esurientes, &c. E contra mundus. Fugite mundum.

DOMINICA V. POST PASCHA.

Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Ioan. 16.

SAlomoni, 2. *Paral.* 1. cum varia immolasset, nocte insecuta dixit Deus: *Postula, quod vis.* Et ecce plusquam Salomon Christus, postridie immolandus, dixit: *Si quid petieritis, &c.*

Nos

I. De orationis titulis & commendatione.
II. De Explanatione Thematis.
III. De vi & efficacia Orationis.
IV. Quæ virtutes sint potissimæ comites orationis.

PARS I.

Orationis tituli & commendatio.

1. Est virtutũ arx & compendio.

I. ORatio est cultus Dei. Quem enim adoramus proprie: Deum agnoscimus. Est etiam arx virtutum. 1. Et inter has, vt rota princeps in horologij rotis, qua mota, mouentur & cæterę. Nam aliæ virtutes in, & cum hac exercentur: vt sine his ipsa sit nihili. Quid enim oratio, sine fide, spe, charitate, humilitate? &c.

2. Est panoplia Christiana.

2. Hinc Apostolus, cum Christianum instruxisset lorica iustitiæ, galea spei, clypeo fidei, gladio Verbi diuini; tandem panopliam adiicit: Ephes. 6. *Per omnem orationem, & obsecrationem orantes, omni tempore in spiritu, & in ipso vigilantes in omni instantia.* q.d. Ieiunio, pœnitentia, eleemosyna non semper vti potestis; potestis oratione: in qua vna habetis omnia. Nam Cant. 4. *Mille clypei pendent ex ea, & omnis armatura fortium.*

3. Non

3. Est profugatio hostium.

3. Non hinc abludit *S. Chrys. l. 2. de orat.* Vt ciuitas nudata muris ac vallis, captu facilis, nec hosti arcendo est: ita homo nudus ab orationis præsidio. Addit: *Non rugitus leonis sic bestias fugat, vt iusti oratio dæmones.* Nam hæc maior rugitus est. Psal. 37. *Rugiebam à gemitu cordis mei Domine: ante te omne desiderium meum, & gemitus meus.*

4. Neruus anima.

4. *Chrysostomus ibidem* vocat orationem Nerum animæ: vt enim corpus enerue est inutile pondus; neruosum vero mouetur, &c. Ita anima robore orationis instructa.

Epitheta complura eiusdem & elogia.

II. Quam orationis vim tam certam, quam multiplicem eiusdem quoque tituli declarant. *August. tract. de orat.* ait: Orationem nostrorum *Votorum interpretem* ascendere ad Deum. Alibi ait: *Oratio est animæ sanctæ præsidium, Angelo bono solatiũ, Diabolo supplicium, Deo obsequium: Columna virtutum: Deitatis scala: Angelorum cognata, fundamentũ fidei. Beatus, qui te amat, sed beatior, qui te frequentat.* 2. S. Chrys. *Oratio ait, est custos temperantiæ: Virginitatis sigillum: nutrix castitatis, humilitatis initiũ.* 3. Huius Diaconus & discipulus Cassian⁹ de Orat. isthæc. *Oratio est in terrestri corpore incorporea operatio, consistentia animæ ante Deum, suauis clamor cordis: restrictio sensuum; obliuio sui, & omnis creaturæ; portus vago spiritui; verum animæ speculum.* 4. Climacus Gradu. 28. *Oratio est constantia mundi: tentationũ pons; interpositus tribulationũ paries; bellorũ confractio, virtutũ fons, infinita operatio.*

Est ea mẽs salutis.

Cum autẽ *Oratio* ex *S.* Io. Damasceno l. 3. c. 24. Theologis in 4. sent. dist. 15. *sit ascẽsus mentis in Deum*; ea mihi videtur Monti similis ascensu difficilis. Præsertim *Non poterit vulgus ascendere in montem* hunc, Exod. 19. Nam vani mundani sunt inepti orationi. 1. Hæc igitur is erit mons, de quo Ps. 67. *Mons Dei mons pinguis; mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo.* cui dicebatur: 2. Huc missus Loth Genes. 19. *In monte saluum te fac.* 3. De hoc Exod. 24. *Habitauit gloria Domini super montem Sinai*, id est, ait Hieronym. montem exitus è tentatione.

PARS II.

Explicatio thematis.

I. *SI quid petieritis.* Vt sponsus à sponsa digrediens poscit; scribe, qua re cumque egueris; habebis. *Sic* Cant. 8. *Fac me audire vocem tuam.*

Orandus Pater est, dans omnia.

At nota *Primo.* Patrem orari iubẽt. 1. Quippe Iac. 1. *Qui dat omnibus affluenter:* nec quicquam ab alio accipit. Nam Filius à Patre, S. Spiritus ab vtroque Essentiam accipit; Pater nihil ab ipsis. Ac proinde Iac. 1. *Omne bonũ desursũ est, à Patre luminũ.*

Et tantum magna.

2. Et quia Deus Opt. Max. magna quoque dat. Vt Alexand. Magn. petenti munus, donauit vrbem: sed perspecta prius & rei petitæ exiguitate, & petentis inopia, & sua maiestate; ait, *Vt in te conferam beneficium, non quis sis, aut quibus dignus; sed quid me elargiri conueniat, attendo.* Teste Seneca l. de Beneficiis. Et vos, Io. 16. *Omnia, quæcunque orantes petitis, credite, quia accipietis.*

Filiis Dei hæc facta promissio est.

Secundo nota, Verba illa solum esse filiis dicta Dei, At improbi sunt filij satanæ. Io. 8. *Vos ex patre diabolo estis.* Et Ioan. 9. *Scimus, quia peccatores Deus non exaudit.* Sic Isa. 1. *Cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam. Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.*

Cœlestia petẽda esse.

Tertio August. ait, Moneri hic; ne, nisi cœlestia, petamus, vt quæ vere *Quid* sint, cætera sunt nihili. 1. Quare Ps. 4. *Filij hominum vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* 2. Augustin. li. de verbis Dom. *Qui verus Christianus est, non ista temporalia petere debet.* 3. Saul, 1. *Reg.* 15. rogabat Samuelem, oraret Deum, ne regno se priuaret; Tamque importune instabat, vt ei pallium disrumperet; At de venia peccati oranda silebat. Ita multi.

Tempora-

Imo sæpe abutuntur homines oratione, vt

lia sæpe nocent.

ne, vt noxia petant. 1. Vt Rachel, *Gen.* 30. impatiens sterilitatis flagitabat, *Da mihi liberos, alioquin moriar.* Voti facta compos, dolorum pertæsa fuit. 2. Ita & Rebecca, prolis auida orat, *Gen.* 25. & prolem impetrat. Verum post ita: *si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere?* Ergo, exemplo monitus disce meliora orare, modoque meliore.

Orandum est in nomine Iesu. Figuræ tres.

II. Nimirum, *In nomine Meo.* Sic olim in nomine Abraham Isaac, & Iacob (qui figurabant Christum) orabant. 1. Vt Salomon in dedicatione templi. Ps. 131. *Memẽto Domine Dauid, & omnis mãsuetudinis eius.* (Etsi hunc Ps. ipse Dauid putetur composuisse filio, ac tradidisse in dedicatione vsurpandum. Sic Rabbi Salomon.) Ergo cum Dauid, Ps. 62. *In Nomine tuo leuabo manus meas,* id est, orabo. 2. Filij Iacob orarũt Iosephũ in nomine patris sui. Gen. 5. *Pater tuus præcepit nobis, antequã moreretur, vt hæc tibi verbis illius diceremus. Obsecro, vt obliuiscaris fratrum tuorum peccati, atque malitiæ, quam exercuerunt in te.* 3. Ioseph, Gen. 43. sic mandat fratribus: *Non videbitis faciem meam: nisi fratrem vestrum minimum adduxeritis vobiscum.* Nos Iesum; petendo in Nomine eius, & offerendo merita eiusdẽ Patri. Sic enim in nos ea transferuntur.

Simile.

4. Hocque amat Iesus. Similis Duci, plurimis nobili victoriis; sed qui nullo adhuc præmio sit cumulatus ab Rege: Hic moriturus, Regi filios suos commẽdat; ipsis præstet, quod sibi merenti contulisset. 5. Et vero efficax est Filij Nomen præteritum apud Patrem: Vt exclamet Psalm. 8. *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in vniuersa terra?*

PARS III.

De vi, & efficacia orationis.

1. Oratio liberat.

I. VIs orationis est quanta maxima. 1. Ionam è ventre ceti; Danielem è lacu, Tres pueros è camino liberauit.

2. Oratio SS. Patrum impetrauit de congruo Incarnationem; S. Thom. p. 3. & Ps. 11. *Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus.* *2. Impetrat.*

3. Quin Christi de condigno Redemtionem impetrauit. Hebr. 5. *Cum clamore valido & lachrymis offerens, exauditus est pro reuerentia.* *3. Redemnos.*

4. Quid? Ipsam quoque gentium conuersionem. Psal. 2. *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* *4. Conuertit.*

5. Oratio est generale instrumentum ad omnia obtinenda; Sicut *pecuniæ obediunt omnia*: quæ est commune medium contractuum, & mercemoniorum commutandorum. *5. Valet ad omnia.*

6. Caietan. opusc. de Potest. Papæ, ait; Si Papa vellet Ecclesiam Dei destruere; nec alia re vlla retardari posset, solam datã à Deo orationem sufficere ad obsistendum plenariæ pontif. potestati. Sic Iosaphat Rex: 2. Paralip. 20. *Dum ignoramus, quid agere debeamus; hoc solum habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te.* *6. Conuat Ecclesiam.*

7. Impetrat peccatori gratiam iustificantem. Matth. 7. *Petite*, Contritione; & *accipietis: Quærite* Confessione; *inuenietis: pulsate* Oratione, *& aperietur vobis.* *7. Iustificat.*

II. Vincit, cogit, triumphat Deum. Sic is Mosi. Exod. 32. *Dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos.* Vbi Glossa: *Deus fatetur se Moysis orationem teneri, qui postulat se ab eo dimitti.* Ouid. 5. Trist. *1. Vincit Deum.*

Sæpe Iouem vidi, cum iam sua mittere vellet
Fulmina, thure dato sustinuisse manum.

2. Valet oratio contra tyrannos. Baruch. 4. *Clamate ad Dominum, & eripiet vos de manu Principum inimicorum.* 3. Contra dæmones Matth. 17. *Hoc genus dæm. non eicitur, nisi in ieiunio & oratione.* Ambrosius, *Bonum scutum oratio, quo omnia tela inimici repelluntur.* Nam Rom. 5. *In carne militantes non secundum carnem militamus.* *2. Tyrannos.* *3. Dæmon.*

4. Pugnan-

4. Hostes. 4. Pugnantibus Israelitis cum Amalecitis orantem expansis manibus Moysen vicisse constat, Exod. 17. Rom. 15. *Obsecro, adiuuetis me, συναγωνισασθαι* : Id est, confligatis mecum, *in orationibus pro me ad Deum.* Vbi Origen. *Ostendit, quasi agonem haberet certamen orationis.* Sic Cant. 7. *Quid videtis in Sunamite, nisi choros castrorum?* Vbi Theod. *Dum Dei laudes in Choris cantantur, Ecclesia quasi armis gloriosa triumphat, terribilis vt castrorum acies ordinata.*

5. Naturã. 5. Oratio naturam superat. Nam Aristot. 1. de Gener. *Omne viuens, quam diu viuit, indiget alimento conueniente naturæ suæ:* At homo etiam oratione viuit: Vt Moyses 40. dies. 6. Valentior est Angelis. Hi enim sunt motores cœlorum: At cœlos sistit oratio *Iosu.* 10. Claudit, soluitq; in pluuiam. 3. *Reg.* 17.

4. Angel.

7. Creaturas. 7. Valentior est omni potentia creata. Nam *à priuatione ad habitum non datur regressus* : ait Philosophus. At oratio mortuos reduxit ad vitam, 4. *Reg.* 4. cæcosque reluminauit.

PARS IV.

Quæ virtutes sint potissimæ comites orationis?

Humilitas. 1. Instans fortiter. I. HVmilis sit oratio. Eccl. 35. *Oratio humiliantis se nubes penetrabit.* 1. Ideo, Oseæ 12. *Inualuit ad Angelum.* Iacob Gen. 31. *& confortatus est, fleuit & rogauit eum,* q. d. Lucta illa non aliud fuit, quam gemens cordis humiliatio Metuës enim fratrem Esau, orabat opem Angelum.

2. Prostrata humi. 2. Hinc iusti orantes, prosternere se consueuere. 1. Sic procidit Iesus orans. *Matth.* 26. 2. Et ipsa oratio dicitur adoratio. *Exod.* 11. eo quod esse debeat cum submissione tam corporis, quam animæ.

3. Talis fuit Publicani, qui nec oculos tollebat. Luc. 8. *Deus propitius esto mihi peccatori.* 4. Talis oratio Manassis Regis humi prostrati cum lachrymis; *Peccaui super numerum arenæ maris. Et nunc flecto genua cordis mei ad te Domine.*

3. Lachrymosa. 3. Hæc cordis humiliatio lacrymas elicit, Psal. 38. *Auribus percipe lacrymas meas.* Id est, preces lacrymantes. Hæ enim audiũtur; illæ lacrymæ aspiciuntur. Istud Cãt. 2. *Vox turturis audita est:* orationem gemebundam notat.

4. Est efficax. 4. Et ea efficax est. Loquitur enim victorias. Vt Gen. 48. *Dabo tibi partem vnam extra fratres tuos; quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo* : Chaldæa paraphrasis habet, *quam orationibus acquisiui.* Nam Iacob non gessit vnquam bellum.

5. Victoriosa. 5. Hinc Iud. 7. Madianitæ armis & precibus sunt profligati. Balaac, Rex Moabitarũ; quod audisset Hebræos precibus, quam armis potius inire pugnam solere, ideo iisdem eos armis oppugnandos ratus, Balaam conducit, vt à Diis belli successum precibus impetraret, *Num.* 22. Et *Orig. ibid.*

6. Est gratus Deo. 6. Lex immundos censebat pisces, qui pinnis, & squamis carerent: *Deut.* 14. Ita oratio; quæ nec contemplationis pinnis saliat in aerem, nec sub squamis humilitatis, quasi sub lorica, lateat.

Charitas. 1. Operosa. II. Oratio ardeat charitate. Tob. 12. *Bona est oratio cum ieiunio, & elee*: qui sunt actus duo charitatis. 1. Ezech. *cap.* 1. animalia manus hominum sub pennis habebant; id est, sub alis orationis opera latebant charitatis. 2. Apoc. 5. *Senes habebant phialas aureas,* corda charitatis, *thymiamate* bonorum operum *plenas, quæ sunt orationes Sanctorum.* Sed quibus insit intentio recta. Hinc Psalm. 140. *Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo.* Thus nõ fumat, nisi ab igne: nec cor bene orat, nisi ex Charitate. 3. *Apoc.* 2. Angelus, cum thuribulo aureo est ante aram: ita nemo adeat Deum, nisi ardenter oraturus, tactus & aræ, templi, vel orationis reuerentiâ.

2. Cum intentione recta ad Deum.

3. Cum debita reuerentia.

4. Sit vocal. & mẽtalis

4. In tabernaculo Moysis, *Exod.* 27. &

38. aræ duæ erant: ænea holocaustorum, ideſt, Crucis, aut mortificationis. Aurea thymiamatis, id eſt; orationis ardentis Sanctorum. *Bedæ de templo Sal. capite* 12. placet, æneam eſſe vocalis, auream mentalis orationis: & vtramq; calere oportere.

5. Sit exors peccati.

5. Tunc autem adeſſe charitas orationi cenſetur, cum orans non eſt ſciens in peccato mortali. 1. Significabatur id *Leu.* 28. quod nemo immūd⁹ auderet ad æneā adire aram, niſi prius mundaretur. 2. Gēma Diaſcorrides ſtupendas habet virtutes: eas tamen perdit, ſi in os mortui indatur. Ita oratio in ore peccatoris. Vt tali *Oratio eius fiat in peccatum.* Pſal. 108. 3. Bias orta tempeſtate nautis orantibus, viris neq; ait: *Tacete ne Dij sētiāt vos hic eſſe.* Quod improborum preces magis irritent Deū. 4. *Auguſtin. lib. de perf. iuſt.* ait, eſſe ſerpentis genus, quod bibiturum prius omne virus eiectat: Sicque oraturis facto opus eſſe.

Perſeuerātia eſt. 1. Efficax. 2. Pertinax.

III. Oratio ſit perſeuerans, & aſſidua. 1. Iac. vltim. *Multum valet oratio iuſti aſſidua.*

2. Hanc ſolam decet importunitas, pertinacia, & violentia. Quia Matt. 11 *Regnum Cœlorum vimpatitur, & violenti rapiunt illud.* Talis Iacobi cum Angelo luĉta, *Gen.* 31. fuit ſola orantis inſtantia.

3. Eſt verecunde inerecūda.

3. Religioſus in vitis Patrum, orationi deditiſſimus, ſe orare didiciſſe ait ab mē. dicis, ante fores diuitum oſtentantibus vulnera ſua; vt flectant.

4. Eſt humiliter perſeuerās.

4. Eſt oratio vt Regina Eſther, *cap.* 15. quæ oratum ingreſſura ad Regem Aſſuerum, duas ſecum puellas ducebat: alterius humeris innitebatur, quæ eſt humilitas: Altera leuabat ſyrma; quæ eſt inſtans perſeuerantia, ac peruigil. Pſ. 70. *Anticipauerunt vigilias oculi mei.* Cur? In promtu cauſa eſt, vt ſequitur.

5. Eſt exoſa Satanæ.

5. Satan eſt impugnator dirus perſeuerantiæ. Nam *Greg. in Dial.* refert: Fratrem à confratrum orationibus abire citius ſolitum, ac fruſtra ſæpius monitum; deniq; apud S. Benedictum fuiſſe accuſatū. Vidit hic autem ab nigello ipſum è choro euocari. 2. Abrahæ *Gen.* 25. Sacrificium ab auibus infeſtabatur carniuoris, quas abigebat iterum: at fruſtra: Obdormit; & aues abſiſtunt. Ita, ait *S. Greg. l. 2. Mor.* orantes ſedulo à Satana moleſtantur; at dormientibus eſt pax ab ijſdem. 3. Tam intentus ſacrificio Socrates fuit; vt audiēs filij ſui in bello necem, nec vultum auertiſſet. *Val. Max. l. 2. c. 10.* Quanto impenſius intentum eſſe precib. decet Chriſtianum.

DOMINICA VI. POST PASCHA.

Cum venerit paraclitus, ille teſtimonium perhibebit de me.
Io. 15. & 16.

ELiæ, 3. *Reg.* 18. cum ſacrificulis Baalim contentionem de vero Deo, quis eſſet; diremit ſacrificium bouis, ab eo vndātim aquis perfuſū, in ara è XII. lapidib. excitata: ad quam ſupplex Deum inuocabat: Simul ignis de cœlo victimam, & aquas abſumebat. Chriſtus obtulit in ara Crucis; cuius ligna, erant tormenta: victima, Ipſe: Iniuriæ probroſæ, fuerunt aquæ: Iſthic omnes verum Deum agnouerunt, & laudarunt: hic Chriſtum etiam negarunt vel ipſi Apoſtoli. Quare vltimū ſuæ Diuinitatis argumentum daturus Dominus, edicit ſuis, oraturum ſe pro eis, foreq; mittendum S. Spiritum, qui ipſe docebat Chriſtum verum Deum.

Nos ſuperiſtis

I. *Quod præſcita minus ſint noxia.*
II. *De teſtimonio S. Spiritus promiſſi;*
III. *De Teſtimonio Apoſtolorum.*
IV. *De aduerſis prædictis à Domino.*
V. *Cur ſuos velit afflictos Dominus?*

PARS

PARS I.

Quod præscita minus sint noxia.

Præuisa sunt mitiora.

I. REpentina omnia videri grauiora; inquit Cic. in Tusc. *Et præuisa minus ladere tela solent*; ait Cato. 2. S. Gregor. hom. de plur. Mart. *Minus iacula feriunt, quæ præuidentur: Et nos tolerabilius mundi mala suscipimus, si contra hæc per prouidentiæ clypeum munimur.* 3. Diogenes scisciranti; quid eum Philosophia docuisset? ait: *Præuidere aduersa: Et cum aduenerent illa, patienter ferre.* 4. Vt Basiliscus, prior videns hominem, enecat: prius ab homine visus enecatur, aut fugatur: ita, inquit Senecal. de Tranquil: *c.* 11. *Vires rebus aduersis infregit, quisquis prior vidit.* 5. Et idem. 6. q. natur. 3. *Quæ aliis diu patienda lenia fiunt, vir sapiens leuia facit diu cogitãdo.* Sic isti dicto: alij similia facto.

Mors præuisa non est horrida.

II. Anaxagoræ duo simul nuncij afferebãtur carcerato 1. Athenienses ipsi decreuisse mortem: Respondit: *Iam pridem tam aduersus ipsos, quam me, ex æquo natura tulit sententiam.* 2 Idem filios interijsse audiens aiebat: *Sciebam, mortales me genuisse.* 3. Seuerus Imp. vt omnia, sic mortem præuidebat. Ideo loculum sibi paratum habuit ad lectum, quem amplexatus ait: *Tu virum capies, quem totus capere orbis non potest.* 4. Ideo Aegyptij, (prodit *Herodotus l.* 3.) in solennissimis epulis cranium mortui inferebãt, mortis monendis omnibus.

Improuisa parua ladunt non parum.

Refert *Plut. lib. de animi tranq.* Vlyssem, post XV. annos peregrinationis reuertẽtem domum siccis oculis Penelopæ suæ lacrymas tersisse; quia præuiderat: catelli autem sui, præ gaudio emorientis hero, viso morti illacrymasse; quia non præuiderat. Hæc de causa Dominus Apostolis prædixit persecutiones. *Ioan.* 17. *Vt non scandalizemini.*

PARS II.

De testimonio S. Spiritus promissi.

Hæreses de Spiritu.

I. CVm ven. Par. *quem ego vobis mittam à Patre.* Diuinitatem hoc vltimo docturus testimonio, Hæreses confutat. Quia namq; ait, *Mittam à Patre*: 1. Ergo *à Patre, Filioq; procedit*: Contra Græcos.

2. Ergo Filius est Patri cõsubstantialis; cum vnum ambo spiritum mittant. 3. Ergo & S. Spiritus vtrumq; est Deus, non creatura contrarium. 4. Ergo Filius alia est à Patre persona, non eadem cum Patre. Contra Sabellium. 5. Ergo Filius cum esse suum habeat à Patre, etiam *creat à Patre*, id est, cum Patre. Ita Hilar l. 8. de Trinit. *Qui enim dat esse, dat & quæ consequuntur ad esse.* Hic Io. 5. *Non potest filius à se facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem.* Nam, quod facit, à Patre facit. Vt dicitur Gen. 19. *Pluit Dominus à Domino sulphur*, id est, Filius à Patre: Vna enim vtriusq; est actio. Quia opera Trinitatis *ad extra* sunt indiuisa. Ista Theologicãs.

Effectus S. Spiritus.

II. At moraliter. *Cum ven. Spi. veritatis.* Non iræ, fraudis, &c. 1. At dulcissimus, & ditissimus. Nam 1. Cor. 12. *Alij datur per Spiritum sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ.* 2. Viuificãs, Ezech. 37. *Intromittã in vos spiritum meum, & viuetis.* Ita factum ossib. in agro resuscitatis, *Ezech.* 37. 3. Necessarius, Nam vel ipsa cœlorum corpora, per se grauia, ac sine motu, egent motore Spiritu, seu potentia intelligibili: Magis anima nostra S. Spiritu. Hic enim est, *in quo viuimus, mouemur, & sumus.*

Munia S. Spiritus.

Cuius munia sunt varia. 1. Animas ad portum cœlestem appellere: Vt ventus naues Ps. 142. *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* 2. Docere. Inde act. 2. *Cœperunt loqui variis linguis.* Nam prædictum: *ipse docebit vos omnia.* Oculis hyænæ educitur gemma, quæ dormientis supposita capiti futura, & obscura reuelari facit.

Ita S. Spiritus à Patre Filioq; procedens, immissus Apostolis, fecit eos diuina prędicere, obscura cognoscere. &c.

3. Patrocinari infirmis. Rom. 8. *Spiritus adiuuat infirmitatem nostrã.* 4. *Mediari.* Hinc Ezech. 36. *Ponam spiritũ meum in medio vestri.* 5. Constituere. Ps. 50. *Spiritu principali confirma me.* 6. Remunerari fideles. Apoc. 14. *Amodo iam dicit Spiritus, vt requiescant à laboribus suis.* Hinc varia in S. Script. sortitus est nomina: vt *Spir. Domini, Rectus, Sanctus, principalis, bonus deducet me in terram rectam.*

1 *Testis est S. Spiritus.*

III. *Ille testimonium perhibebit de me.* Innumera erant testimonia data à Prophetis, in Domini natiuitate, vita, morte. Neque tamen iis sat creditum fuit. Isa. 53. *Quis credidit auditui nostro?* Ideo & tertia Deitatis persona opus erat teste: Sicq; Ps. 92. *Testimonia credibilia facta sunt nimis.* 1. Et testata est in Baptismo Domini specie columbæ. In trãs figuratione sub forma nubis, Inq; Pentecoste per ignẽ. Itaq; 1. Ioã. 5. *Spiritus est, qui testificatur, quoniã Christus est veritas.*

2 *Aegre creditum illi.*

2. Et adhuc ægre, sed tamen creditum fuit. Vt Iosephum *Gen.* 45. audiens Iacob supereſſe, velut è somno excitus fabulam audire sibi videbatur: ac visis currib. commeatu, donis missis, iam certus credebat. Ita vix creditum Prophetis, ipsique Iesu fuit: at visis S. Spiritus donis, hic tum credebatur.

3 *Credituũ tamen.*

3. Viso, 3. *Re.* 18. ignem super aram cœlo delapsum absumere omnia, iam tum clamabatur; *Dominus ipse est Deus, Dominus ipse est Deus.* Ita misso S. Spiritu. Sed prius orarat Elias ita: *Domine Deus, ostende hodie, quia tu es Deus Israel, & ego seruus tuus.* Sic & Christus orarat prius patrem pro Spiritu mittendo.

PARS III.

De testimonio Apostolorum.

I. PErfecit Apostolos S. Spir. Namquid quid in Discipulis imperfectũ erat, absumpsit. 1. Sicut de Agno paschali consuetum, Lege iubente. Exo. 12. *Si quid residuum fuerit, igne comburetis.* 2. Et impletum in ijs fuit istud Ps. 17. *Ignis à facie eius exarsit, & Carbones succensi sunt: ab eo:* Apostoli. 3. Vasa figulina incocta facile sordes cõtrahunt adhæreſcentes; facile frangũtur: at secus, quæ igne durata sunt. Ita homines expertes S. Spiritus taminantur peccatis; frangũtur aduersis. Secus iusti.

Et Apostoli testes sunt.

II. *Et vos testimonium perhibetis de me.* Ager ossibus plenus redanimatis verbo, Ezech. 37. est mundus: in quo sunt Apostoli & innumeri redãnimati. Inde & ipsi eo constantius Christum testari Deum potuere per omnes orbis oras. 1. Quorum etiam testimonium tãto accidit orbi admirabilius; quanto viri erant inculti-ores & humiliores. Quanto dissimiliores mundo sapienti, potenti, delicioso, terribili? at ipsi contra indocti, &c. *Vere vos estis testes mei, dicit Dominus.* Isa. 43. Vicistis; & mundum conuicistis. Eccuius hoc Virtutis testimonium est talib. cessisse Imperatores, Reges? &c.

1. *Admirabiles doctrinis.*

2. *Admirandi ab origine.*

Nunquid thesauros niuis, & grandinis aspexisti, quæ præparaui in diẽ pugnæ? ait Deus ad *Iob.* 38. Niue frigidiores fuerant Apostoli: & tamen eos Deus parauerat ad expugnandum mundũ. Sic S. *Greg.* exponit.

3. Oculati & auriti testes.

3. *Et vos* ergo *testimonium perhibebitis:* nã vidistis, audistis omnia, *& vobis dedit eum manifestũ fieri, vt testibus præordinatis,* ait Petrus *Actorum* 1. Hinc 1. Ioan. 2. *Quod vidimus, quod audiuimus, & manus nostræ contrectauerunt de Verbo vitæ.* Petr. 1. *Non incertas fabulas secuti, sed speculatores facti illius magnitudinis.* Act. 4. *Non possumus, quæ vidimus & audiuimus, non loqui.*

4. Concordes & constantes.

4. Ad hanc certitudinem testimonij accessit Constantia, & cõcordia testium: tertio & vita inculpata.

Item eorũ imitatores sunt testes.

III. Ad eorũ classem referendi sunt oẽs Ecclesiæ Ordines religiosi, præter sacrũ Clerum:

Clerũ: qui oẽs testimonium perhibuere.

Quo turpius est eos tales reuolui ad cœnum sæculi. Sicut *Deut.* 29. trib. Gad & Ruben alias quidẽ trib. adiuuere in occupanda terra promissionis: verum ipsi deinde trans Iordanem reuersi sunt in amœna loca pascendis pecoribus apta.

PARS IV.

De aduersis prædictis à Domino.

Latis & tristibus aptum esse non est cuiusuis.

I. HAEc locutus sum vobis; vt nõ scãdalizemini. Solatur eos, quos ob testimonij perhibitionẽ multa perpessuros prædixerat. Verum se ijs affore: vt Israelitis *Iudic.* 3. multum angustiatis, Aod ambidexter & liberator eorum à Deo submissus est: quia ad prospera paratus hac: illa ad aduersa. Tales & ipsos fore ambidextros. Manus dexterę mundanæ ideſt prosperitatis digiti sunt, honor, sanitas: forma, diuitiæ, nobilitas. Sinistræ, aduersitatis digiti sunt infamia, egestas, morbi, ignobilitas, persecutio. Periculosæ manus hæ: Vt nec Salomon vnam sine altera petere sit ausus, Prou. 30. *Mendicitatem, & diuitias ne dederis mihi, tribue tantum victui necessaria; ne forte saciatus illiciar ad negandum, & dicam, quis est Dominus: aut egestate compulsus furer. &c.*

2. Solus Apostolus scite vtraque vtinorat: Phil 4. *Ego enim didici, in quibus sum sufficiens esse. Scio & humiliari; scio & abũdare, vbique in omnibus institutus sum: & satiari, & esurire, & abundare, & penuriam pati: Omnia possum in eo, qui me confortat.*

Suis tamen Deus illa temperat.

II. Vt fabri ferrarij ad focum habent lacum aquæ; nec enim sine igne foci tractare ferrum; nec temperare sine aqua possent. Ita suos Deus vstulatos igne tribulationis, aspergit aqua consolationis, seu prosperitatis. 2. Psalm. 65. *Transiuimus per ignem, & aquam; & eduxisti nos in refrigerium* consolationis.

3. Et hoc tale est; quales *Aquæ* Ezech. 47. *quæ ab* templo Salomonis Christi Iesu, *egrediuntur, & vsque ad mare* mundi ac tribulationum *profluunt, & aquas ipsius maris dulces efficiunt*; vt pati iucundum sit. *Pisces vero* bonorum operum, ac meritorum, *quos producebant; quam plurimi, & pulcherrimi erant.*

4. Hisce aquis dulcibus suos aspergit Deus: Vt hortulanus herbas, quas ipse plantauit: Non autem quas terra sponte effudit. His enim ipsa satis dat succi, non item insertis. Ita mundus suos fouet, non quos in eo plantauit Iesus. Sic Ipse Ioã. 15. *Si de mundo fuissetis; mundus quod suum erat, diligeret. Quia vero de mundo non estis; sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.* Quare Psalm. 9. *Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor.*

PARS V.

Cur suos velit afflictos Dominus?

SEd eccur iustos affligi sinit Deus? *Primo.* Quia mundi prospera inducunt obliuionem Dei. 1. Psal. 8. *Homo cum in honore esset, non intellexit.* Et Seneca: *Fortuna, quem fouet, stultum facit.* 2. Vnde tumor. Psalm. 72. *In laboribus, hominum non sunt; & hominibus non flagellabuntur: ideo tenuit eos superbia.* Id quod scite Poeta:

Luxuriant animi rebus plerumque secundis.
Nec facile est æqua commoda mente pati.

1. *Ne prospe rius mundi corrumpantur.*

Cum igitur secunda mundi tãta inuehant mala; aduersa, cui immittũtur, sunt in beneficio ponenda: quod ab ijs retrahant. 1. Bene namque Boetius li. 2. de Consol. c. 15. *Plus hominibus reor aduersam, quam prosperam prodesse fortunã.* 2. Et S Greg. *Nisi tribulationes essent, homines obliuiscerẽtur Dei. Tributationes, quæ nos hic premunt; ad Deum ire compellunt.* 3. Ecce Agar superbiens Saram quasi despiciebat. Eijcitur. *Ge.* 16. Et, (inquit hic S. Auguſt.) *ad hoc affligitur, vt reuertatur.* Cui idcirco Dominus: *Reuertere ad Dominã tuam, & humiliare sub manu illius.*

2. *Vt certius saluentur.*

Secũdo. Tristia conducunt ad beatitudinem acquirendam. 1. Luc. 24. *Nonne oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriã?* Quanto magis Christianos? Bern. *Si oporteat Christum pati, & sic intrare in regnum suum, quomodo nos miseri intrabimus in regnum non nostrum, nisi prius patiamur?* 2. Certe 1. Petri 2. *Christus pro nobis passus est, nobis relinquens exemplum, vt sequamur vestigia eius.* Tribulatio *hæc porta Domini, iusti intrabunt per eam.* Psal. 117.

3. *Vt subarratos cœlo se persentiscant.*

Tertio. Vt gustatis acerbis iusti prædestinationis argumentum præcipiant. Arrha gloriæ est tribulatio vitæ. Bern. *Qui in hoc mundo flagellari non merebitur*; in *alio torquebitur.* Ideo Dauid salutem suam adscribit afflictioni, Psl. 116. *Castigauit me Dominus, & morti non tradidit me.* Ita Tobias c. 11. *Benedico te Domine Deus Israel, quia tu castigasti me, & tu saluasti me.* Atque *hæc* de tribulatione *locutus sum, vt non scandalizemini*, si iustos ea comprehendat. Felix ea infœlicitas est. Qui salutis, idem & Crucis est amans, quin & appetens.

Peroratio. Quare vt dona, vimque Spiritus iam explicatam, experiamini, *date locum Spiritui*, non resistentes illi. Maximus est hospes, parandum hospitium est. Huc opus munditie animi. Nam Matt. 5. *Beati mundo corde.* 2. est opus Virtutum ornatu: Nam Psal. 44. *Omnis gloria filiæ Regis ab intus, in fimbriis aureis circumamicta varietatibus.* 3. Opus humilitate: *Luc.* 18. *Qui* enim *se humiliat, exaltabitur.*

4. Opus oratione feruida. Nam Luc. 11. *Dabit Spiritum bonum petentibus se.* Et Sap. 7. *Inuocaui, & venit in me Spiritus Sapientiæ.* 5. Opus malacia conscientiæ. Nam Psalm. 75. *In pace factus est locus eius.* Quare 2. Cor. 13. *Pacem habete, & Deus pacis, & dilectionis erit vobiscum.* 6. Opus est amore vero: Nam Ioan. 14. *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit; & ad eum veniemus.*

DOMINICA PENTECOSTES.

Factus est repente de cœlo, sonus, tanquam aduenientis Spiritus vehementis: & repleuit totam domum vbi erant sedentes.

Act. 2.

PErfecto, 2. *Par.* 7. Salomonis Templo, in quo 80000. operarum laborarunt toto septennio, *ignis descẽdit de cœlo, & deuorauit holocausta, & maiestas Domini repleuit Domum:* sic nimirũ rite dedicatam. Quo populus in Dei laudes effusior: in victimas Rex: fecit illas boum 22000. ouium 120000. Deo cũ Angelis, Patriarchis, Prophetis annos iam quater millenos in reparationem hominum incumbente: IESVS demum perfecit misso iam Spiritu sancto, &c.

Super quo nos

I. *De Deo, ac Spiritus sancti processione.*
II. *Cur Sanctus Spiritus in igne?*
III. *S. Spiritus necessarius, quomodo impetrandus?*
IV. *Ad quid Spiritus sit vehemens?*
V. *De impletis Spiritu Apostolis.*
Vt. *Spiritus cur sonus, ac ventus dicatur.*

PARS I.

De Deo, ac S. Spiritus processione.

Deus est incomprehensibilis.

I. QVales noctuarum oculi ad lumen solis, ait *Arist. in Metaph.* talis hominum intellectus ad maiestatem Dei contuẽdam. 2. Paulus; *Lucem* enim *habitat inaccessibilem.* 3. Vt Propitiatorium. *Exod.* 25. factum ex incorruptibilibus lignis Setim, à duobus Cherub eo obumbrabatur magis, quo alas isti expandebant latius. Ita Deus immortalis, quo magis consideratur ab intellectu Angelico, & Humano; hoc minus comprehenditur.

1. Quare

Ideo subiiciendus est intellectus.

1. Quare vt, *Ezech.* 1. volantes Cherubim 4. super firmamentum audita voce *stabant, & submittebant alas suas*: ob maiestatē Dei; ita nos, in huius consideratione, sensus submittamus. 2. Sic Dauid eā ingressus contemplationem, mox sensit, & dixit; *Psal.* 72. *Ad nihilum redactus sum.* Hiero. vertit: *Ego insipiens: & nesciui, vt iumentum factus sum apud te.* 3. Proinde *Prou.* 15. *Qui scrutator est maiestatis, opprimetur à gloria.*

4. Qua causa, Ethnici Sphingem ad temporum valuas, aut in vestibulis statuebant. Diuinorum ænigmata & mysteria indicantes non esse perscrutanda, sed colenda.

Hæreses aliquæ de S. Spiritu.

II. Aenigma de S. Spiritu Arius infeliciter soluere conatus, aiebat, Eum esse creaturam Filij: Illudq; de Filio, eum esse Patre minorem in Deitate. Macedonius, S. Spiritum à Filio creatum procedere, non à Patre. Nestorius, Eum à Patre solo procedere: sic hodieq; schismatici Græci.

Procedit à Patre Filioque.

At contra 1. *Ioan.* 16. *Omnia, quæ habet Pater, mea sunt.* &. 17. *Omnia tua, mea sunt*, excepta relatione Paternitatis, ait Aug. Atqui Pater ex Esse suo habet hoc, quod sit origo S. Spiritus. Ergo & filius habet. 2. Deinde si vtrique non sint omnia cōmunia, ergo aliud maius erit discrimen inter eos, quam Relatio. Et hoc esse non potest nisi essentia, Vnde essentialiter differrēt, quod atheum est. 3. Si Spiritus à Filio non procederet, essent vna persona, nec esset Trinitas, sed binitas. Quia inter eos nulla potest alia dari distinctio, præter originalem relationem. Nam in Deo nil est, nisi, Essentia, & relatio.

Pater igitur & Filius, etsi duo sint Spirantes, vnum tamen sunt principium S. Spiritus, & vna spiratione spirant. Sicut tres Personæ sunt vnum principiū creationis, quod eiusdem sint potentiæ, & essentiæ, Hinc tam Spiritus filij appellatur, *Rom.* 8. *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est eius*: quam Spiritus Patris, *Matth.* 10. *Spiritus Patris vestri loquitur in vobis.* Atq; vt illius Diuinitas pateſcat, hodie mittitur.

PARS II.

Cur S. Spiritus in igne.

Relucet in igne Diuinitas.

I. IGnis ait *S. Dionysius Areop. lib. de diu. nom.* rerum est omnium, post hominem, Deo simillimus. Vnde apparens Deus, sub igne apparuit. 1. Vt *Exod.* 19. *Totus mons Sinai fumabat: eo, quod descendisset Dominus Deus super eum in igne.* 2. IESV in Thabor Diuinitatem ostendentis *resplenduit facies sicut sol.* Græce est ἐλάμψατο τὸ πρόσωπον: verbū λάμπειν splendere significat, & ardere. Vnde lampas, quæ simul & lucet, & ardet. 3. Quin idem venturus ad iudicium, in igne apparebit, *Psal.* 96. *Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius.* Hodie & *S.* Spiritus se in igne præbet aspectabilem.

Et regia maiestas.

1. *Imperatores*, prodit Alex. ab Alex. lib. 1. Genial. dier. 2. cap. 38. *Sacrum ignem, vel. ut imaginem Imperij sibi præferri sinebant, eo. que præcipuo insigni, & singulari ornatu vtebantur.* 2. Addit idem. *Sic Iuliani vxor & filia Augustæ appellatæ sunt. Quibus hoc etiam honoris tributum, vt illas quandoque sacer Ignis præiret.* 3. Persis nihil etiam diuinius igne fuit. Nec ibat Rex vsquam, quin Ignifer Mysta præiret eodem.

Deo apparenti comes it ignis.

Neque Deum sacra Scriptura præsentem vsquam describit, quin ignem addat comitem. 1. *Exod.* 3. *Apparuit Moysi Dominus in flamma ignis.* 2. Psal. 17. *Ignis à facie eius exarsit.* 49. *Ignis in conspectu eius exardescet.* 3. Daniel. 7. *Thronus eius flammam ignis.* 4. Idcirco hodie *S.* Spiritus venit in igne.

Igne S. Spiritus agnoscitur.

II. Aptum illi Symbolum ignis est. 1. Vt enim is sub sphæra lunæ non videtur nobis, at hic accensus cernitur: Ita *S.* Spiritus nec cognitus satisfuit, donec hic infra arsisset in mundo.

2. In terris

2. Ignis in sphæra sua nil producit: at extra

operatur vt Creator.

extra eam gignit omnia : Vt Heraclitus, & alij eum rerum omnium dicerent esse principium. Ita S. Spiritus in cœlo nil producit. Nam Pater gignit, Filius cum Patre spirat : neutrum Spiritus Sanctus, sed ad extra producit omnia Creator. Vnde Ecclesia: *Veni creator Spiritus.* Dauid: *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ.*

3. Vt gratiarum largitor.

Ipse est etiam Oeconomus gratiarum: est *Spiritus veritatis*, *Ipse vos docebit omnia.* Ante miseria, & mera cœlestium paupertas hic erat: At ipso veniente Cant. 2. *Hyems transiit, imber abiit, apparuerunt flores in terra nostra.* Verbo, *Non est, qui se abscondat à calore eius. Ps.* 18.

4 Efficit temtores opum eremitæ.

Hodie, quasi in solstitio æstiuo, tantus calor fuit vt plures leuibus induti, vestes facultatum relinquerent, deponerent ad pedes Apostolorum: plures etiam desertorum peterent latibula: alij quoque pellem exuerent, vt Bartholomæus: alij sudarent sanguinẽ vt martyres: alij se spoliari sinerent nuditatem & paupertatem perpetientes : vt Confessores. O æstum nouũ; & hactenus inauditũ! Nec mirum.

Martyres.

3. Exrit lolia mundi, &c.

Si enim ignis elementaris descenderet in terram: (at cœlestis descendit:) necesse foret arescere herbas *vanitatũ*; fontes siccari *voluptatum*; aerem æstuare *gratiarum*; *peruicaciæ* rupes colliquescere, *ambitiones* in fumum abire. Diue Spiritus; *tange tu montes & fumigabunt.*

PARS III.

S. Spiritus necessarius quomodo impetrandus.

Fœcundat orbem.

I. NEcessarius is calor erat. 1. Nam peccato omnia obriguerãt; agri orbis steriles erant, plantæq; vt in hyeme. Talibus, vt fertilescant, ignis solet inijci, ad sentes, caliginemq; exurendam. Ita hodie factum orbi ab agricola Deo. 2. vt Maro in Georgicis.

Sæpe etiam steriles incendere profuit agros.

3. Ideo filius Agricolę ait: Luc. 13. *Ignem veni mittere, & quid volo, nisi vt ardeat?* Quod S. Greg. de Spiritu interpretatur, 4 Origenis in Leuit. hom. 5. votum est, *Vtinam & mea terra accendatur igne diuino: vt vltra nõ afferat spinas*, passionis, rãcoris, &c.

Sed precib. impetrandus est.

II. Orantibus Deum, & cupientibus, igne tali fertiles fiunt agri. 1. Sicut Elias, 3. *Reg.* 18. Carmelum ascendens orat, pluuiam impetrat qua terra suæ fertilitati restituitur. 2. Idem in Carmelo orat; Sacrificium de cœlo exuri impetrat, Baalitasq; exscindi. Ita IESVS cœlos ascendit. Aduocatus noster, & obtinet demitti ignem terræ reparatorem, & extirpatorẽ idololatriæ, testẽ doctrinæ suę: de quo dixerat: *Ipse testimoniũ perhibebit de me.* Io. 13.

Impetrauit sic eum Iesus.

Factum hodie quod *Apocalyps.* 8. dictũ: *Accepit Angelus thuribulum aureum, & impleuit illud de igne altaris, & misit in terram, & facta sunt tonitrua & voces, & fulgura, & terræmotus magnus.* At Iesus is est *magni cõsilij Angelus*, Isai. 6. Sed ante thurificarat aram thure orationum ac meritorum gratissimo Diuinitati.

Sic & Salomon.

Salomonis templum iam Deo victimis consecrandum cum esset, ecce ignis cœlo lapsus id dedicabat. 2. *Paralip.* 7. IESVS ædificiũ, in quo ipse lapis angularis, & superstructi Apostoli, dedicaturus, id igne inauguratur sanctiore. Tunc vero perfectum id erat, cum diceret *Consummatum est*, mox in eadem cruce *cum clamore valido & lacrymis orauit*, sicut & Salomon in dedicatione, sicque descendens *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum* : In primis vero Apostolos, vt prædictum Ps. 74. *ego confirmaui columnas eius.*

PARS IV.

Ad quid Spiritus sit vehemens.

Datur post Passionem

I. DIe quinquagesimo, *Exod.* 19. post deletum Pharaonem, ac maris rubri transi-

ex merito Passi: Cur sit vehemens.

transitum, Lex datur Moysi descendente in montem igne: sic iam quadragesimo die post deuictum Satanam, ac passionem Domini *apparuerunt dispertitæ linguæ tanquam ignis.* Act. 2.

Et *ignis vehementis.* 1. Cur quod igne contra naturam sit descendere, ideoque violentum. Sed & Sanctus Spiritus hactenus cœlos tantum incolere cõsucrat; nunc vero & terras. 2. Siue, *vt Sancto Epiphanio* placet: ideo vehemens: vt significet se in nullo quiescere, qui non vim faciat passionibus prauis, & consuetudinibus. Quippe *Regnũ cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.*

Expurgat infecta.

Cum timetur infecta domus, aut aer, igne ac fumo valido perpurgatur. Vnde Hippocrates Athen. medicus in communi peste, Græciâ totâ iussit ignes fieri, quin & syluam incendit; patriamq; à peste liberauit. Ita Deus hodie pestilentem accendit mundum emundandum.

Expiat polluta.

II. Quæ ab Madianitis, aliisq; ethnicis iure belli acceperant Iudæi, quia contaminatum censebatur omne, ideo mandat DEVS *Num.* 31. *Omne, quod potest transire per flammas, igne purgabitur.* Mundus totus cõtaminatus erat, & *in maligno positus:* & ideo purgandus igne fuit.

Expiatoria tria in vno Spiritu.

Attria semper expiationum genera fuerunt: Ventus, Aqua, Ignis. Vt *Virg. 6. Aeneid.* de animabus purgatoriis canit.

------ *Aliæ panduntur inanes*
Suspensæ ad ventos: Aliis sub gurgite vasto
Eluitur scelus: aut sacro exuritur igni.

Tria eadem vsurpata *S.* Spiritui. Aqua: Vt Ps. 67. *Pluuiã voluntariam segregabis hæreditati tuæ Deus*: Et Ecclesia, *Fons viuus, ignis, charitas.* Ventus. Ideo *factus est repente de cœlo sonus, tanquam Spiritus vehementis.* Ignis: Nam *Apparuerunt illis dispertitæ linguæ tamquam ignis.*

Est salutaris.

III. O Salutaris ignis! Non quali deflagrarunt Sodomitæ; aut Baalitæ: Non qualis in sinai visus; vel quo orbis exueretur: Nam ij sunt ignes iustitiæ ac furoris: Hic amoris est: accendens Cherubinos cæteroscq; Angelos, & animas pias.

Liberat ab hoste.

Archimedes Mathematicus ignem inuenit, quem ex *Syracusarum* vrbe procul in classes Romanas, vrbem obsidentes, eijciebat etiam in medio mari flagrantẽ. At ab IESV missus Ignis, in mundo glaciali flagrat, cogens Satanas soluere obsidionem hominum. Et hic est *ignis, qui ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius. Illuxerunt fulgura eius orbi terræ. Vidit, & cõmota est terra.* Ps. 96.

PARS V.

De impletis Spiritu Apostolis.

Apostoli sunt or bis incẽdiarũ.

I. SAmson, *Iud.* 13. & 15. vt vindicaret in hostes, trecentas vulpes facib. armatas in Philistæorum segetes immisit. Samson IESVS est: Vulpes Apostoli; Ezech. 13. *Quasi vulpes in deserto Prophetæ tui Israel:* Faces, sunt ignitæ linguæ: seges est peccatum.

Videte discurrentes incendiarios sanctos; Ioannes & Philippus per Asiam; per Scythiam Andreas; Thomas per Indos; per Armenos Bartholomæus. Iudas per Arabiã; Simon per Persidem, & cæt. *In omnem terram exiuit sonus eorum.* Ps. 18.

2. *Diuisi per orbem.*

Erant ij omnes ante Spiritus aduentũ carbones atri ac mortui; Petrus negando, Thomas non credendo; omnes fugiendo in Passione: At hodie Ps. 17. *Ignis à facie eius exarsit, carbones succensi sunt ab eo.* Hic ex Pigmæis ac Therfitis reddidit eos Hectores, ac Cæsares.

3. *Sed quãtum mutati à Spiritu.*

4. *Et corroborati.*

Figulus è molli luto vasa igne durat. IESVS figulus noster. Nã *Manus tuæ fecerunt & plasmauerũt me totum in circuitu*; ait Iob. Apostoli vasa erãt, indiga indurationis: ea hoc igne sic perfecta sunt, vt, qui prius ad ancillę vocem trepidabant; iam nec Herodes, aut, Nerones metuerent.

Quamdiu baliſtarius tormenta nondum apparauit, ea pueris & fœminis adeuntur; At inſtructa puluere & igne, cũ exploduntur, iam fugiuntur ab quibuslibet. Tales baliſtæ Apoſtoli poſt acceptũ Spiritum ſanctum.

5. Et metuendi. Gedeon, *Iud.7.* trecentis militibus *dedit tubas in manibus eorum, lagenaſq; vacuas, ac lampades in medio lagenarum*: his concuſſis, inflatis iſtis, Madianitæ exanimantur, debellantur. IESVS in XII. Apoſtolos ignẽ immittit; quẽ vt *theſaurum portabant in vaſis fictilibus*, 2.Cor.4. Illis per martyria cõfractis, eorum tubis concrepantibus, orbis ſimul debellatus eſt. fractus diabolus, peccatum profligatum; idololatria deleta. *Vicit Leo de tribu Iuda!*

Fortiſſimos quoſq; incenderunt. II. Ad ignem ſuccendendum vti ſolemus ſtramine, ſtuppa, &c. At iam ſuccenſo, flagrantique grandiora adiicimus ligna. Feſtucæ erant Apoſtoli ante ignem S. Spiritus miſſum: at poſt, trabes erant grandes ipſi, ipſiq; magnos admouerunt Philoſophos igni, Reges ac imperatores, orbem deniq; vniuerſum.

Heroica facinora ediderunt. Ad ſingula Samſonis facta heroica dicitur: *Irruit Spiritus Domini in Samſon.* Ita & in Apoſtolos, nouos Samſones, ad Reges, Philoſophos, diabolos, &c. tremefactandos, &c.

In dictis, factis, vitaq; nil errarunt. Apud Ezech.c.1. *Spiritus vitæ erat in rotis, & ignis*, circum circa flammæ apparebant, *quaſi carbonum ignis ardentium, & quaſi aſpectus lampadum.* Apoſtoli rotæ per orbem circumrotabantur à Spiritu fulgurantes doctrina, vita, miraculis ſic, vt nunquam errarint, vel extincti ſint. Sicut lapis ἄσβεστος, de quo Poeta.

Qui ſemel accenſus, ſuſceptos detinet ignes,
Extinguiq; nequit:

Inextinguibiles ſciebat, qui dixit: *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti?* Rom.8.

Orbem ad fidem congregarunt. III. Cum magnæ ſunt fundendæ campanæ, magna magnæ fornacis ſuccenſione eſt opus. In Eccleſia Dei iam conſtructa campanis opus Apoſtolis ad conuocandos fideles, ideo ſuccenſi prius ac liquefacti ſunt hodie. Sonuerunt ſic, vt *in omnem terram exiret ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Pſ.18.

Ignis ſupra eos, ſignificat, futuros orbis Reges ac Principes. 1. Vt prædictum Pſal.18. *Conſtitues eos Principes ſuper omnem terram.* 2. Cyrillus ait Ieroſolym. *Sedit ſuper Apoſtolos; vt nouæ coronæ ſpiritales, per linguas igneas, imponãtur capiti illorum.* 3. Nam Regibus olim ignis præferebatur, in ſignum regium. 2. Sic in capite L. Martij perorãtis apparens flammula ei portendit regnum, ait *Iul.Obſeq.c.38.* *Orbi Principantur.*

IV. Ethnicis in medio Aræ perpetuus fouebatur ignis, quaſi homines inter ac Deos mediator. Hinc Virgil. *Orbẽ Deo per Spiritũ reconciliarunt mediatorem.*

Tange aras; medioſq; ignes.

Idem ſignificabat, *Gen.*15. Flamma per medium animaliũ, ab Abraha diuiſorũ, tranſiens. *Apparuit clibanus fumans, & lampas ignis tranſiens inter diuiſiones illas.* Ita hodie, dum fœdus Deum inter ac homines icitur, per fœderis Legatos medios tranſit ignis.

Ethnici quõdam linguas Diis offerebant pro legatis, cauſa pacis vel amicitiæ miſſis. Quin ipſis quoque linguæ dari ſolebant, inſigne legationis. Ita hodie Apoſtolis datę; oblatæ à Chriſto Patri. *Deilegat & linguati.*

Ex agno paſchali immolato, poſt cõeſtionem. *Si quid reſiduum fuerit, comburetis.* Exod.12. Iam Chriſtus in Cruce fuerat immolatus; reliquiæ erant Apoſtoli: hos igne conſumi oportuit ſpiritali. *Et reliqui Agni.*

PARS VI.

Spiritus cur ſonus, ac ventus dicatur?

Proceſſio S. Spiritus. I. FActus eſt de Cœlo ſonus: qui S. Spiritus productionem innuit. Nam Philoſophi docent; ſonum fieri ex colliſione duorum corporum: ita S. Spiritus coniuncta

iuncta Patris ac Filij conspiratione procedit. Ideo *factus est de Cælo sonus.*

Sciri non potest, credi debet.

Sed cur *Spiritus vehementis*? Vt eius effecta permagna indicarentur. 1. Venti originē adhuc nemo certo scire potuit. Dixerunt alij aerem esse agitatū: alij exhalationes æstuantes: alij è terra, cauernisq; procreari. At incerta omnia. Hinc. Ioan. 3. *Spiritus, vbi vult, spirat: & vocem eius audis, & nescis vnde veniat, aut quo vadat.* Si ventorum origo tā est difficilis inuestigatu; quanto magis *S.* Spiritus?

2. *Vade*, Ait Angelus ad Esdram. 4. Esd. 4. *pondera mihi ignis pondus, aut mensura mihi flatum venti.* Cui Esdras. *Quis maiorum poterit facere, vt me interroges de his?* q. d. ænigmata sunt ista insolubilia. Minus sciri Spiritus *S.* potest: credi debet. 3. *Gloria, & diuitiæ in domo* Dei sunt: at is *producit ventos*, nō ex diuitiis, sed *de thesauris suis.* Ps. 134. Hi. e. magis sūt recōditi. Quo minus sciri *S. S*piritus potest: sed credi. Vētus. e. est, in thesauro intimo Trinitatis.

Donum datur lacrymarum.

II. Ventus meridionalis est pluuialis: ita Psalm. 147. *Flabit Spiritus eius; & fluent aquæ* lachrymarum. 1 Hoc afflatus ait *Ps.* 118. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei: quia non custodierunt legem tuam.* 2. Hic expulit Petrum è Palatio: *Et egressus fleuit amare.* Matth. 27. 3. Hic à Magdalena vanitates deflabellauit, collectos in nodum crines pigmentatos sparsit, oculos soluit in fontes, fastum in luctum.

Reuiuificat opera bona.

Plinius l. 2. c. 47. ait: Fauonium, seu Zephyrum, ventum occiduum, plantas elicere in gemmas, & herbas in virorem. Ita *S.* Spiritus flabro bona reuiuiscunt opera, quæ peccati bruma necarat. 1. Nam Ioan. 6. *Spiritus est, qui viuificat.* Rom. 8 *Viuificauit mortalia corpora vestra propter inhabitantem Spiritum*, 2. Sponsa ventos in hortum inuitat. Cant. 4. *Surge Aquilo, veni Auster, perfla hortum meum.* Sic Ecclesia inuocat *S.* Spiritum.

Excelsa ventus agitat. Hinc Horat. lib. 2. Odarum. *Superbis resistit.*

Sæpius ventis agitatur ingens
Pinus, & celsæ grauiore casu
Decidunt turres, feriuntq; summos
Fulmina montes.

Talis *S.* Spiritus. Nam, Luc. 2. *Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.* Deturbauit cœlo Luciferum: Iezabelem è Palatij fenestra in plateam: Pharaonem cū exercitu in mare: Nabuchodonosorem in deserta expulit. E contra, euexit Danielem supra omnes Satrapas Chaldæos: Iosephum in Aegypto.

Humilia euehit.

III. Mirus ventus *S.* Spiritus. Persæ ventos in Diis colebant: quod iis vitam hominum acceptam ferrent. Errabant ipsi. At *S.* Spiritus verus est Deus. 1. Nam *Act. 17. Ipse est, in quo viuimus, mouemur, & sumus.* 2. Id prędictum Ezech. 37. *Dabo vobis Spiritum, & viuetis, & scietis, quia ego Dominus.* *Est verus Deus.*

Suscitat mortuos.

Quin mortuos hic ventus excitat. Ezech. 37. *Deus dimisit me in medio campi, qui erat plenus ossibus*; mox à quatuor orbis oris spirat *& ingressus est in ea spiritus*, & reuixerunt. *steterunt q; super pedes suos, exercitus grandis nimis.* Id hodie factum. ac fit quotidie. Mundus erat, estque mortuorum plenus; at reuixit ad hunc *S*piritum.

Euehit in cœlos.

Apuleius in asino aureo scribit Psychē suam magnificum habuisse palatium; ad quod nulli aditus erat, nisi per ventos. Fabula. At Parabola sic: ψύχη est anima; eius palatium, cœlum: Huc *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam*, Sicut 4. *Reg.* 1. Elias per turbinem, & curru igneo in cœlum euectus fuit.

Peroratio. Quare *Date locum Spiritui sancto*, corda expiate: Ne his eueniat, quod cordi Germanici, qui pater fuit Caligulæ Imp. Illius namque mortui cadauer cum in rogo fuisset exustum, cor ab i-

gne manſit intactum. Conſulti augures aiunt, eſſe veneno plenum fortiore, quã ignis ſit. Itaque theriaca id perlinunt, & in cineres comburi poteſt. Ita in corda peccatis venenata nil operatur S. Spiritus, cui pœnitentia eſt certa theriaca. Quod Eliſæi vaſa vacua eſſent, & munda, oleũ capere poterant. 4. *Reg.* 4. Noſtra Spiritum, ſi fuerint à vanitatibus, paſsionibus vacua, munda ab peccatis.

DOMINICA SS. TRINITATIS.

Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.
Matth. 28.

VIdit, *Gen.* 40. Pincerna Pharaonis vitem vnam, è qua tres propagines exiſtebant. Figura hæc SS. Trinitatis in vnitate, & Perſonarum trium Deitatis in Eſſentia vna. Qualis Oceanus in duos ſe fundit ſinus, Maris Rubri, & Mediterranei: ita Deus Pater, Diuinitatis fons, in duas ſe velut exonerat Perſonas alias. In Filium: De quo Cant. 5. *Dilectus meus candidus, & rubicundus.* Et Iſa. 63. *Quare rubrum eſt veſtimentum tuum?* Inque S. Spiritum: qui medius inter vtrumque, Patris ac Filij quaſi vinculum eſt ac Amor.

Nos circa iſtud

I. De notitia Dei generatim.
II. De vnitate Dei, an ſit, & vnde cognoſcatur?
III. De modo duplici cognoſcendi Deum.
IV. Fides de SS. Trinitate qualis eſſe debeat, oſtenditur.
V. De SS. Trinitate ex S. Scriptura, & Natura.

PARS I.

De notitia Dei generatim.

Deus incõprehenſibilis eſt.

I. SImonides Philoſophus, vt refert *Cic. l. 1. de Natur. Deor.* Sciſcitante Hierone, Siciliæ Rege: *Quid eſt Deus?* tridui deliberationem poſtulauit: quo euoluto, decem, poſt hos, 30. dierum moram expetiit. Inſtãti demum Tyranno ait: *Quo diutius conſidero, eo mihi res videtur obſcurior, & intricatior.* Si id ille de Vnitate Dei: quo magis idem nos de Trinitate Vnitatis?

1. Ob gloriã.

I. Omnino *Lucem habitat inacceſsibilem.* 1. Tim. 6. Humanæ ingenij bolidi hæc abyſſus immenſa manet. 2. Nam Iob 39. *Deus magnus, vincens ſcientiam noſtram.* Plato in Timæo: *Genitorem, opificemq; Vniuerſi & difficile eſt inuenire: & inuentum impoſsibile explicare.* 3. Quid enim? Cant. 5. *Caput eius aurum optimum.* Diuinitatis: *Comæ eius* Attributorum *ſicut elatæ palmarum*, quarum altitudo nequeat vllo creato attingi intellectu: *Nigræ, quaſi coruus*: nobis obſcura in Deo omnia.

2. Ob magnitudinẽ.

3. Ob naturam ſuam.

4. Id fumus Iſaiæ viſus denotat: Iſa. 8. quando vidit Seraphinos circumſiſtentes Deum, & acclamantes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum: & commota ſunt ſuperliminaria cardinum à voce clamantis: & domus repleta eſt fumo.* Iſto, ait ibi S. Hieronymus, excæcati Iudęi poſt Chriſti paſsionem: in hoc etiam angelica caligant ingenia fumo. Agnouit ita Dauid, Pſ. 17. *Poſuit tenebras latibulum ſuum.*

4. Quia ſe vult.

II. Hinc Aegyptiis hieroglyphicum Dei, erat Crocodilus. Cauſa. Quia hic lingua caret. Nec enim effabilis eſt Deus. Audi Iob. 12. *Excelſior cœlo eſt: quid facies? profundior inferno, & vnde cognoſces? Longior terra menſura eius, & latior mari.*

Eſt ineffabilis Deus.

Idcirco Aegyptii, in omnibus ſymbolici, Deum ſic repræſentabant: Hominẽ pingebant vultu graui. (Homo enim imago Dei eſt) Eius ex ore prodibat ouũ. (Orbis vniuerſi verbo creatus.) *Dixit & facta ſunt.* Cum toga hyacinthina ſymbũ inaurata, (cœli indice ſtellati.) Hac ſceptrum Monarchiæ, illa circulum Prouidentiæ gerebat. Caput ſublimes pennæ deco-

decorabant, indices immensæ altitudinis diuinæ.

Periculosa Dei perscrutatio est.

III. Cymba hunc Oceanũ inuecta, submersioni est obnoxia. 1. Ecce vel Angeli iussu torrentem inuasit Ezechiel, cap. 47. & à qua illi primum ad talos, dein ad genua, porro ad renes pertingebat, hic vero procedenti ita intumuerũt aquæ profundi torrẽtis, vt ab eo obruendus esset, ni reuertisset. Ita licet intrare in Deum, & cognoscere, esse vnum. Dein, esse Creatorem omnium: Porro, incarnatum, passumque esse, Altum hoc. Siste. *Non vltra.* Trinum & vnũ esse, non disce, sed crede.

Illa peperit hæreticos.

Hoc portus est; illud vorax Scylla, atque Charybdis. Hæc absorpsit Arium, qui minorem Patre Filium ratione astruebat, non fide. Hausit Macedonium, qui S. Spiritum creaturam esse meram docebat. Abripuit Sabellium, qui distinctionem Trinitatis abnegabat. Nequaquam hic ratio, sed Fides nauiget. Rationi dic Ioan. 4. *Puteus altus est, & in quo haurias, nõ habes.* Bene igitur Innocentius Papa IV. 3 Myst. Miss. c. 8. *Credere iubemur, discutere prohibemur.* Ergo litus rade, orãque lege, altum fuge cymbella mea.

PARS II.

De vnitate Dei: An sit, & vnde esse cognoscatur?

Athei olim qui.

I. TAnta olim & cæcitas, & temeritas, & impietas fuit complurium, vt Atheismum inferre nil erubescerent. Teste *Euseb. l. 4. Præpar. Euang. c. 6.* Illius farinæ fuit Diagoras, Ortheus, Theodorus, Euripides, &c. qui nullum esse Deum asserebant. Protagoræ addubitantis, an esset Deus, libros publico S. C. exusserunt Athenienses. Monstra hæc potius, quam homines.

Deum esse scitur naturaliter.

Quos si exceperis. *Nulla gens est tam inconsueta:* ait Cic. l. 1. de Leg. *nec tam ferrea quæ non, (etiamsi ignoret, qualem Deum habere deceat) tamen habendum sciat.* Consciscit huic vel Epicurus ipse. Idem l. 1. de Nat. Deor. esse Deum sic docet. *In mundo Deus est aliquis, qui regit, qui gubernat, qui cursum astrorum, qui mutationes temporum, rerum vicissitudines ordinesque conseruat, terras, mariaque contemplans.*

Vulgus Deos fecit, & coluit.

II. Verum ab hac scientia vno de Numine homines deriuarunt vltra 30000 Deorum, *teste Eusebio l. 5. Præpar. Euang. c. 11.* Id quod Isa. 2. deplorat. *Repleta est terra eius idolis, opus manuum suarum adorauerunt.*

Sapientes vnum agnouerũt.

Sed is error non fuit nisi popularis, sapientissimi quique ethnicorum vnum Deum cognouerunt, licet non glorificauerunt. 1. Hinc *Aristoteles* vnum Ens primum, in causis primam vnam, in motoribus vnum primum identidem repetit, negans dari progressum in infinitum, demum 12. *Met.* ait, eam omnium esse Philosophorum sententiam, nec esse necessarium magistrum, hoc qui doceat. 2. Ideo *Cic. l. 1. de Nat. Deor.* veritatem hanc appellat *Anticipationem naturæ*, cuius hęc prima sit doctrina. 3. Hanc quod profiteretur Socrates, cicutam bibere coactus est ab Athen. teste *Aug. 8. ciu. c. 9.* Pythagoras in exilium proscriptus, teste *Euseb. lib. 5. c. 10. Hier.* &c.

Exemplũ Deo, vt sapientissime defertur honos à sapientibus.

Refert *S. Cyrillus Alex. inuectiua in Iulianum.* Quod piscator in Milesia verticulo mensam eduxit auream: Consulit Apol. Delphicum quid ea fieri oporteret? Qui respondit.

ὃς σοφίῃ πάντων πρῶτος, τούτῳ τρίποδαν δῷ.

Qui sapientia omnium primus, illi Tripodem dato:

Ergo Milesij vno cõsensu mensam obtulere Thianti: hic Cleanthi: ille Periandro, hic alij, donec Deo cederet Delphico remissa, vt omnium sapientissimo.

Stulti Deũ negant.

III. Proinde stulti, qui Deum negant. 1. Psal. 52. *Dixit insipiens in corde suo, non*

est Deus. 2. Cui omnes creaturæ reclamant; *Ipse fecit nos: non ipsi nos.* 3. Adeoque Psalm. 15. *Cœli enarrant gloriam Dei; & opera manuum eius annunciant firmamentum.* In quo Iob. 38. *eum laudant astra matutina.* id est, Angeli.

Deus facile agnoscitur ex creaturis

Dauid docens Deum sciri facile posse, quod sit. 1. Quia Psal. 18. *In sole posuit tabernaculum suum.* 2. Sua eum opera loquũtur omnia. 3. Protogenes pictor pictorẽ Apellem, vel ex vnius lineæ ductu agnouit: quanto facilius Deum agnoscas tot ac tantis ex operibus eius?

Ex rationibus naturalibus.

Deus est Atlas sustentator orbis. 1. Est primum Mobile. 2. Est Sol; cuius nos scintillulæ. 3. Est Essentia prima, cuius nos numeri sumus. 4. Est Infinitum, extra; non intra orbem collocandum. 5. Est Creditor; cuius omnes debitores sumus, 6. Est vbique Dominus idem. Psal. 118. *Quo à facie tua fugiam? Si ascendero in Cœlum, tu illic es; Si descendero in infernum, ades.*

PARS III.

De modo duplici Deum cognoscendi.

Diui clare, nos obscure videmus Deum. Figura.

I. SEd, qualis est Deus? 1. Etenim 1. Cor. 13. *In ænigmate hic videmus, & per speculum.* Rom. 1. *Inuisibilia enim ipsius per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* 2. Ideo, quos Moses, *Exod.* 37. Cherubinos duos in Tabernaculo efformauit, alis sese tangentes; & Arcam, quam fulciebant, rectis intuentes ac fixis: Eosdem in Templo Salomon. 3. *Reg.* 6. *&* 2. *Par.* 3 constituit similiter; nisi quod obliquis respectarent Arcam. Ita cœlites facie ad faciem contuentur Deum: mortales vero oblique in creaturis, *facies eorum versæ ad exteriorem domum*, naturę scilicet ianuam, qua ad Dei iustitiam intramus.

Exemplum

1. Quid igitur oras Moses? Exod. 33. *Si inueni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam: vt sciam te.* Audi: *Videbis posteriora mea*, in operibus meis: *faciem autem meam videre non poteris.* 2. Sic eum sponsa videbat: *Ipse stat post parietem nostrum* facturæ nostræ, *respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos* creaturarum. *Cant.* 2.

Via duplex cognoscendi Deum.

II. Sculptores in sculpenda statua, eam demendo sculpunt: Pictores vero imaginem pingunt, colores coloribus addendo. Ita nos qualis sit Deus, quædam negatiue asserimus: quædam affirmatiue illi attribuimus.

1. Negatiue Plato ir Timæo: *Quid Deus sit, non noui, quid non sit, noui. Nam scio non esse colorem, neque quidpiam huius generis: sed his præstantiorem esse intelligo.* Similiter August. libro de speculo. cap. 7. *Deus est magnus sine quãtitate, bonus sine qualitate: omnia continens sine habitu, vbique præsens sine situ.*

2. Affirmatiue, addendo vsque perfectius perfectiori, vsque ad vltimum perfectissimum, & infinitũ, quod est Deus.

Ethnicorũ doctrina.

III. Hinc ethnicus Mercurius Trismegistus docuit, *Deum sphæram esse intellectualem, cuius centrum vbique, circumferentia nusquam.* 2. Suidas ait Græcos credidisse Deũ esse quid rationale, spiritale, beatum, mali incapax, & gubernans omnia.

3. S. Cyril. Alex. contra Iulianum scribit: Aegyptios Deum repræsentasse per oculum sceptro affixum, quasi contemplantem ac regentem omnia. 4. Vti & Ezech. 20 *Subiiciam vos sceptro meo.* Et Psal. 33. *Oculi Domini super iustos.* 5. Ier. 1. *Quid vides? Virgam vigilantem ego video*: en sceptrum cum oculo vigili. Verum sat litora rasimus.

PARS IV.

Fides de SS. Trinitate qualis esse debeat, ostenditur.

Fide inquirendus est Deus Trinus, non sensu.

I. NVnc in altum laxemus vela: sed Helicæ & Pharos, Fides esto. Imitemur autem Abraham, qui in monte adoraturus, seruos inferne reliquit cum asinis, ascendit cum gladio, & igne solus, comi-

comitante filio. Ita Philosophiam, rationem, sensus, aliosque seruos omittamus inferne, sumentes gladium verbi Dei, & lucidum ignem Fidei, comitante Humilitate, *adoremus*. Vnitatem capimus ratione: Fide Trinitatem agnoscimus.

Docet id 1. Exemplū seu figuræ.

1. Eliæ. 3. *Reg.* 19. dictum post occisos Baalitas: *Egredere, & sta in monte coram Domino. Et ecce Dominus transit, & spiritus grādis, & fortis, subuertens montes & conterens petras ante Dominū. Non in spiritu Dominus: Et post Spiritum commotio. Non in commotione Dominus. Est post commotionem ignis: non in igne Dominus. Est post ignem sibilus auræ tenuis. Quod cum audisset Elias, operuit vultum suum pallio.* Omnia præcedentia intueri apertis & oculis, & ratione potuit: subtilem Aurā non potuit vel oculis tueri, vel ore profari: ideo obnubit vtrumq;, Et tu crede.

2. Parabola

2. Salomon *Prou.* 3. ait: *Tria sunt mihi difficilia: via aquilæ in cælo: via colubri super terram, & via nauis in medio mari.* Et quamuis in Aquila ascensio: in serpente resurrectio, in naui conuersatio Iesu intelligatur: tamen & de cognitione Dei potest accipi, qua tam euolat alte, vt sub oculis dispareat.

3. Testimonium.

3. Iob. 37. *Magnus fortitudine, & iudicio & iustitia, & enarrari non potest.* Nam Iob 30. *Quod nomen est eius? & quod nomen Filij eius? Si nosti.* quasi dicat. Etsi Deum in creaturis agnoscas: attamen *Generationem eius quis enarrabit?*

Ex effectibus item agnoscitur Deus Trinus.

II. Vidit *Isa.* 6. considentem in throno, cuius maiestas repleuerat domum; & *Seraphin stabant super illud; sex alæ vni, & sex alteri: duabus velabant faciem eius, duabus pedes; duabus volabant; & clamabant alter ad alterum; Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus.* Ambr. Cyr. Hil. de Iesu exponunt istud: At S. Atha Basil. Aug. de Trinitate, ob ter *Sanctus*. Velatur, facies, quia à priori non potest cognosci. Velantur pedes, quia comprehensibilis cognitio de Deo haberi nequit. Ita Theologi. 2. Liquet idem ex Ezech. 40. *Mensus est templum interius, & vestibula, atrij limina, & fenestras obliquas*, &c. q.d. Deus interius fidei mensura capitur, exterius in creatis cognoscitur. Plura *S. Hier.* super idem.

Sed Fides rem peragat tantam: de qua Boetius: *Substantia in Diuinis continet vnitatem: Relatio autem multiplicat trinitatem.* *Ast & in istis fides præpolleat.*

III. Obiter hic nota, in Diuinis duas esse Processiones, siue emanationes intetnas, quæ extra Deum se cognoscentem non exeunt. Vnam ex parte intellectus, hæc Generatio dicitur: Verbū inde procedens, Filius appellatur. Aliam ex parte voluntatis, hæc Spiratio nominatur. Spiratum inde procedens, Amor vocatur, seu S Spir. Adeo vt *Generare* in diuinis sit *cognoscere*: Sed Pater ab æterno cognoscit: Vnde Filius ei coæternus. Et ambo æternum se amant. Vnde Spiritus S. vinculum est vtriusque. Homo dum quid cognoscit, tunc rei cognitæ imago in mente est accidens, diciturque verbum mentis: At in Deo non est accidens, sed mera Essentia; ac proinde Verbū eius est Substantia sua, & Filius consubstantialis. *Processiones in Deo duæ.*

Hinc 1. Psal. 109. *Ex vtero ante Luciferum genui te.* 2. Et Ioan. *Omnia tua mea sunt.* 3. Item Col. 1. *Qui est imago Dei inuisibilis, primogenitus omnis creaturæ.* 4. Et Ipse Iesus, Ioan. 14. *Philippe, qui videt me, videt & Patrem.* 5. Nam Heb. 1. *Est splendor gloriæ, & figura substantiæ eius.* 6. Sap. 7. *Speculum sine macula, & candor lucis æternæ.* *Docetur Scripturis.*

Quo in speculo seipsum recognoscens infinite amat. Inde Ioan. 3. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.*

Ergo tres Personæ; Pater gignens & spirans: Filius non gignens, sed spirans: Spiritus S. neutrum, sed procedens ab vtroque: Patri damus potentiam, Filio sapientām, Spiritui bonitatem: Sic tamen, vt communia sint omnia, distinctum nihil. O-

hil. *Omnia enim in diuinis sunt vnum, vbi non obuiat relationis oppositio.*

PARS V.

De Trinitate ex S. Scriptura, & Natura.

Testimonia S. Script.

I. SAcr. Scripturis ad Trinitatis agnitionem, seu fidem deducimur. 1. Ps. 66. *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus.* En tres in persona: vnus tamen ibidem; *Et metuant Eum omnes fines terræ.*

2. Ita Isa. 6. *Sanctus, Sanctus, Sanctus,* ter. Et tamen vnus *Dominus exercituum.*

Figura aut signa.

Ita & figuræ. 1. Abraham, Gen. 18. *Tres vidit, sed vnum adorauit*, adoratione, qua *soli Deo honor & gloria.* 2. Iacob Gen. 28. incumbens, plures capiti subiecerat lapides: Surgens vnum reperit, *tulitq; lapidem, quem suppoſuerat capiti,* & vnxit.

3. Balthasari inter epulandum tres *apparuerunt digiti, quasi manus hominis, scribētis contra candelabrum.* En manus vnius digiti tres scribentes ad fidei cādelabrum, tam obscura, quæ nemo poterat legere præter Danielem. Et vero Isa. 40. *Quis appendit molem terræ tribus digitis?* Deus. 4. Eccles. 4. *Funiculus triplex difficile rūpitur.* Hebraica legit *filum trinum non cito rumpitur.* Galatinus lib. 2. c. 4. de Trin. *Mysterium* inquit, *trini & vnius Dei non cito discutitur.*

Veritas manifesta.

5. Solus aperte Ioannes in 1. c. 5. *Tres sūt qui testimonium dant in cœlo: Pater, verbum, & S. Sanctus. Et hi tres vnum sunt.* Hæc in Scriptura.

Similia naturalia.

1. Anima.

II. In Natura quid? 1. Anima vna cum tribus potentiis, Intellectu, Voluntate, Memoria. Bonau. in Moral. c. 58. *Constat vnumquemq; seipsum flagrantissimo amore diligere: Minime autem diligeret, nisi se intelligeret. Non intelligeret, nisi sui meminisset.*

2. Sol.

2. Sol, vnus tria habet, corpus, lumen, calorem; quæ vnum solem constituunt. Sol producit lumen: ambo calorem: nec vnum tamen altero est prius. Pater est *Iustitiæ Sol*: Filius *Lux erat vera, quæ illuminat omnem hominem.* Vnde S. Dionys. l. de Diu. Nom. *Laudatur Deus in sole, tanquam in expressa imagine, & primitiua forma totius Diuinitatis.*

3. Isoscelon.

3. Mathematicis in figuris vna est Isoscelon, cuius tres anguli, & eadem Basis. Sic Trinitas in trigonum est trina; sed vt Isoscelon vna.

4. Oxalus.

4. Oxalus gemma, ait *Plin. l. 37. c. 21.* tricolor est; vno latere ignit, vt carbunculus; altero rubet, inspectus recta: obliq; si videris, viret, vt Smaragdus, & vna tamē gemma est. Ita Deut. 4. *Dominus Deus tuus ignis consumens est.* Isa. 53. *Quare rubrum est vestimentum tuum?* Apoc. 5. *Et iris in circuitu sedis similis visioni Smaragdinæ.*

Peroratio. Sed vela contraho; anchorā fidei eijcio; & cymbam in portum salutis subduco. Valeant rationes, sensus abeant: Credatur & adoretur Trinitas. 1. Deus 1. *Reg. 6.* percussit *de populo* Bethsamitarum, 70. *viros & 50000. plebis*, ob curiosam Arcæ aspectionem. Absiste: Neu tibi quid simile. Adora potius, quam explora. *Crede simpliciter, nō curiosè quare.*

2. Sicut diuina illa animalia, Ezech. 11. *cum vox fieret super firmamentum; stabant, & submittebant alas suas*: Sic hac in re facto opus. *Nisi enim credideritis, non intelligetis.* 3. Id indicauit, *Gen.* 32. Angelus iste, qui cū Iacobus luctabatur. *Dimitte me*, ait, *iam enim aurora est*; q. d. lucescit, à te videri non debeo, neque noſci, idcirco *cur quæris nomen meum*? quasi dicat, est ineffabile, admirabile: abstine, & sustine; sat est, Deum hic sub ænigmate cognoſci. Proin *altiora te ne quæsieris.* Ioannes cum quæreret; *Hic autem quid!* audiuit: *Quid ad te? tu me sequere.* Sequere fidem; non rationem. *Crede humiliter.*

DOMI-

DOMINICA I. POST TRINITATEM.

Homo quidam erat dives, & induebatur purpura, & bysso, & epulabatur quotidie splendide.
Luc. 16.

DEus, *Leu.* 1. præcepit, vt Pontifex duos hircos, ad ostium Tabernaculi sisteret Domino; immolaret alterum, alterū peccatis populi, & imprecationibus onustum ejiceret in desertum. Hic, erat Epulo, Lazarus ille.

Super quibus nos

I. *De noxia diuitiarum.*
II. *De Diuite purpurato.*
III. *De Epulone.*
IV. *Quales sint diuites erga Lazaros.*
V. *De vtriusq; morte.*

PARS I.

De noxia diuitiarum.

Diuitiæ hostibus dāt animā.

I. LYcurgus, Legislator Lacedęmoniorum, rogatus ab his, qua maxime re ab inimicis tutiores forent? ait. Si paupertatem colueritis, diuitiis ab rep exulantibus. Ita Christianus ab dæmonibus tutior, quo contentior paucis, ac suo. 1. Nā, 1. Tim. 6. *Qui volunt diuites fieri, incidunt in laqueos diaboli.* Et laqueos hos quæritis filij Dei?

Possidētem enecant.

2. Similes in hoc bombycibus, qui filis se euiscerant, ac emedullant ductis, quo mollem sibi lectulum apparent. At carcerem, & sepulchrum sibi struunt, in quo moriātur. Ita structores diuitiarum, honorum, ac voluptatum mundi.

In peccatū ducunt.

3. Nemroth. *Gē.* 12. Babylam extruens, non verebatur consecuturam confusionem. Ita turrifex opum, ac dignitatum babylonicus. 4. Giezi, 4. *Reg.* 8. accipiens munera ab Naaman, non putasset, se lepra puniendum. Ita multi persuadent sibi, se non agere fœneratorie; simoniacè, sacrilege, auare, aut quoquo modo iniuste.

II. Ergo technas disce Satanæ; & fuge. *Laqueus.*

1. Est is, qualis vxor Putipharis: *Gen.* 39. primo solicitat, rogatq; ad scelus; dein negantem pallio prendit, vt cogat; delusa furit, & calumniatur. Ita tentator pallio diuitiarum te pertrahet, ni relicto illo te in fugam dederis.

2. Alexander Magnus, ait *Plutar. & Q. Curt.* cum Dario de summa regni prælaturus, visa optime instructa acie suorum, simul & prolixas Macedonum barbas, aiebat iocatus: *barbas abrasisse oportuit, ne ansam afferrent hosti.* In pugnam paramur ab Iesu. Quare ansam ne dæmoni afferamus ipsi diuitias, queis prensemur raptādi ad necem.

3. Samsoni crines roboris sui: *Iudic.* 16.

4. Absaloni sua formositatis cæsaries auricoma. 2. *Reg.* 14. fuit exitio. Ita sua Epuloni, sua dromoni in lecto, sua filio prodigo, sua multas habenti possessiones Opulentia.

PARS II.

De Diuite purpurato.

Abusus opum.

I. HIstoria facti, non parabola ficti hic refertur. Ita S. Patres, Aug. Ambr. Chrys. Greg. Iren. Bern. Cum quo dico: *ab his columnis dissimile auellor.* Ratio. Quia in parabolis propria poni nomina insuetum. Hic dives abusu opum vertit opes in suum damnum. 1. Vt aranea succum floris optimum in venenum pessimum. At peccatum pessimo peius est. 2. Vt Israelitæ Aegypto egressi, spolia secum exportarunt Aegypti; at eas post maris rubri transitum contulerunt in idolū. *Exod.* 38. Beneficium vertit eis in scandalum & peccatum. Datæ in cultum Dei, transeunt opes ad cultum idoli. Vere & luxuria & auaritia, &c. *est idolorum seruitus*, Eph. 3.

1. Venenosus est
2. Idololatricus est.

3. Tenebrat
4. Remouet à Deo.

3. Cũ pœna est luna, tunc tantũ patitur eclypsim. Ita turgidi diuitijs, sunt inanes abgratiis, & obscurati peccatis. 4. Proinde vti quo plenior luna, eo remotior est à Sole; ita, quorum *arca flagellat opes*, eorum sunt corda remota Deo. Minima est illi cura de peccato redimẽdo eleemosynis, qui angitur de opibus congerendis. Is doleret de male partis, qui male parere non desinit? Talis hic diues.

Exempla luxus vitium.

II. Quæ damnati causa? 1. Quia *induebatur purpura, & byſſo.* 2. *Epulabatur quotidie splendide.* 3. Lazarum negligebat. Quid futurum est Proteis, & Chamæleontibus nostris, qui in dies formam mutant & colorem vestitus? 1. Heliogabali Imp. tanta erat vesania, vt veste vna semel duntaxat vteretur, nec sæpius vna muliere; vt quæ vnionibus calceos stiparet. Aonij Romani Senatoris luxus tantus, vt *Plinio teste*, annulum gereret coronatorum quinque millibus æstimatum. Similis hic diues byſſo indutus. At hoc quam hodie etiã populare est? Nobile istud, esse turritas capite, calamistratas, mitellatas, fucatas, &c. Quæ deteriora diuite hoc; quia luxuriosa sunt.

Æi infelicitas exitus.

3. Dominici Syluij, Ducis Venet. vxor tanti luxus fuit, vt *Sabellicus, & Damianus* referunt, vt non nisi rore molli manus lauaret, fuscinulis aureis vteretur in vescẽdo, cubile odoribus exoticis suffiebãt famulæ. Morbo autem correpta tam ponticum fœtebat, vt deserta miserrime expiraret. Quanto fuisset potius, imitatam esse Christum vnius vestis gestatione, Apostolos & nudipedes, & lacernosos?

PARS III.

De epulone.

Luxus eõuiuiorum participia sunt.

I. *Epulabatur splendide.* O epulæ; quot malorum vomicæ! 1. Vos Absalonis manus incæstuosi fratris Amon sanguine lauatis. 2. *Reg.* 13. 2. Balthasari Regi, ex Templi vasis pergræcanti, terrorem mortis prouocatis, mortemque ipsam. *Dan.* 5. 3. Herodi sententiam capitis in Baptistam dictatis. *Marc.* 6. 4. Iobum orbum liberis redditis: orbem fauore Dei & gratiâ.

Exempla ethnica.

II. Veteres à quanto luxu notantur infames? 1. *Lucullus* Imper. Rom. ait *Plut.* Pompeio & Ciceroni, dicta opera venientibus ex improuiso cœnam præbet decem millibus Careolorum. Deditque prouerbio locum: *Loquitur, vt Cato. viuit vt Lucullus.* 2. *Cleopatra* Aegypti Regina M. Antonio præbuit vnico hausto gemmam colliquatam & æstimatam centum millibus coronatorum: Et alteram auriculæ detractam addidisset, ni Antonius obstitisset: *Plut. in Ant.* 3. Eius medicus forte culinam ingressus vidit octo ipsos apros vastos in verub' torreri præter obsonia cætera plurima. Scisciranti, ecqui ad Reginam diuertissent? cocus ait: Nemo præter Antonium. 4. *Vitellius* frater in cœnam dedit aduentitiam piscium duo millia: auium septem millia: dicens, *aut Cæsarem, aut parcum esse oportet.* Ita *Suet. in Vitel. c.* 13. 5. *Heliogabalus* vna cœna sibi iussit apponi sexcenta capita struthionum. Sic *Ael. Lamp.* 6. Athenęus lib. 12. prodit *Sybaritam* venatoribus mille, milleque coquis, stipatum ad amasiæ ædes inuisisse. Hoccine epulari splendidè?

O diues, diues, non omni tempore viues.

PARS IV.

Quales sunt diuites in Lazaros.

Diuitis immitis, Stulti.

I. *Erat quidam mẽdicus.* Ad huius vlcera cæcutit diues: ad clamorem obsurdescit: ad miseriam indurescit. 1. Detonent licet cœli: nil tamen rupes percelluntur: Talis hic diues. 2. Talis Nabal. 2. *Reg.* 25. Dauidi, quamuis optime de se merito negauit cibaria. Periisset: ni vxor sapientia prouidisset. Quot hodie ingrati

Naba-

Nabales? quibus in hoc deserto Dei seruis multa precibus ac meritis: *& non est qui recogitet.* Væ!

Lapidei. 3. *Plinius lib.* 2. refert, fluuium esse, in quē arbores aut plantæ coniectæ mox lapidescant. Talis vorago & oceanus diuitiarum est hic epulo: apud quem lapidescūt omnia, vt nil seruiat cuique pauperum.

Infructuosi. 4. Vt arbores, quæ in præruptis stant locis, & inaccessis fructus efferunt feris solum auibus. Ita diuites cum stent in præcipitiis superbiæ, opum eius fructus cedunt coruis orci. Nec enim accessus est pauperibus.

Afflictorū consolatio. II. *Canes lingebant.* Cane peior & angue diues est epulo. At side, Lazare; vt Iob in sterquilinio conside omnia tibi duplo reddentur. 2. Sustine pauxillum afflicte Mardochæe: erit, cum superb. Aman in malam crucem abibit: tu in gloriam. *Esth.* 6. 3. Consolare Daniel, *c.* 6. in lacu leonum posite: Abacuc, te pascet, te Rex educet, ac vindicabit.

4. Spera Elia, 3 *Reg.* 19. fugitans Iezabelis: te famelicum vel corui, vel Angeli pascent, ducent; ac reducent. 5. Age Dauid; etsi mensa Saulis exclusus, in deserto vagus, anceps vitæ, morti deditus: fide, dabit his meliora Deus. 8 Tuque Lazare. Ps. 34. *Iacta super Dominum curam tuā, & Ipse te enutriet.*

PARS V.

De vtriusq; morte.

Mors par. I. *Factum est, vt moreretur mēdicus: & diues,* Nimirum, vt Hor. l. 1. Ode 4.

Pallida mors æquo pulsat pede
Pauperum tabernas, Regumq; turres:

Nam vt sidera, in Oriente orta, post mille cursus ac recursus, demum in Occidente occidunt omnia; ita vno progressi ortu, occumbimus pari occasu, Sed nō euētu pari Nā is in sinu Abrahæ: Epulo inferno cōditur: Heu quali sepulcro hoc?

Sordidi par. 1. Ita *Apoc.* 12. visæ mulieres duæ: Altera inops in sacco: altero in byssо, & auro, cui Reges ministrabant. At continuo subuertitur hæc sententia, quæ fertur *Apol.* 15. *Quantum glorificauit se, & fuit in deliciis; tantum date illi tormentū.* Ista exuitur sacco, induitur regijs, coronatur aurea.

2. Ita Nabuchodonosoræa arbor, *Dan.* 4. (sub qua bestiæ habitabant, & pascebantur, non homines) excisa periit. 3. Ita Dagon Idolum corruit comminutum; sicut Epulo hic.

Hic tunsiones, Ibi consolationes II. At Lazarus. 1. est arca, anteq̄ corruit Dagon: In qua erat Mannapatientiæ, Virga tribulationis; Legis tabularum obseruatio. Tales in hac valle lacrymarum, qui possunt dicere, Ps. 43. *Humiliasti nos in loco afflictionis,* qui hic mundus est. 2. Sicut, 3. *Reg.* 9. in monte Libano lapides sectiparabantur sic, vt in loco Templi tantum componerentur, neq̄ vel ictus mallei audiretur; ita expolimur hic, in monte hoc saxoso mundi, afflictionibus, & in templo gloriæ construimur sine strepitu vel ictus vllius.

DOMINICA II. POST TRINITATEM.

Homo quidam fecit cœnam magnam. Luc. 14.

ASsuerus *Esth.* 11. 120. prouinciarum, ac Persię Rex, anno tertio regni optimatibus epulum parauit lautissimum. Ita. Ita anno 3. prædicationis suæ IESVS orbem inuitauit ad epulas beatitudinis.

De hoc nos

I. *Detestabile ingratitudinis vitium esse.*
II. *Cœnacur magna.*
III. *De vitio excusationis.*
IV. *De emptore boum.*
V. *De vxorato.*

PARS I.

De ingrati animi vitio.

Dicta. I. S. Anctus Bernardus serm. 2. de 7. misericor. *Ingratitudo est gratiæ hostis, inimica salutis: quoniam nil ita Deo displicet.* 2. Petrus Rauennas ait: *Est malorum prouocatio, beneficiorum exinanitio, & meritorum exterminatio.* 3. Seneca: *Nil æque concordiam humani generis dissociat, ac ingratum esse.* Similia id declarent.

Similia. 1. Plut. in Moral. *Serpentem alit, qui apud ingratum beneficium collocat.* Quicquid beneficij in viperam contuleris, nō ideo viperinam exuet naturam, 2. Plutarchus ibidem. *Perinde facit, qui ingrato beneficium confert, ac si cadauer pretioso oblinat vnguēto.* Sensu caret beneficij, proq; eo fœtorem refundit. 3. Pythagoræum est: *Hirundinem sub tectum ne admiseris.* Est ea ingrati Symbolum; auolat insalutato, sordesque relinquit. 4. Non sic ciconiæ, quæ bufones, &c. diripiant, ac venenum dispellunt.

Exempla V. T. II. S. Scriptura vetus ingratitudinem execratur. 1. Angelus, *Iud.* 2. Israelitis eam exprobrat, Vt & Iacob Labano, Gen. 31. *Seruiui in domo tua XX. annis, immutasti mercedem meam decem vicibus, &c.* 2. Iosephi, Genes. 40. *succedentibus prosperis, præpositi tui cernarum oblitus est.* 3. Saul. 1. *Reg.* 19. in Dauidem qualem ingrat. declarauit? 4. Ieroboam in Deum quantam? Qui eum ex plebeio in Regem euexit: Pro quo is contra Deum vitulos aureos adorandos erexit. 3. *Reg.* 12. 5. De Iudæis sic Isai. 1. *Filios enutriui, & ipsi spreuerunt me. Cognouit bos possessorem, & asinus præsepe Domini sui. Israel autem me non cognouit.*

Noui T. Exempla. In Nouo T. *Mat.* 18. Quale exemplum in seruo nequam statutum est? 2. Leprosi nouem, *Luc.* 17. Sanati: sed ingrati. 3. Inter maxima nouissimorum mala temporum, etiam ingrati numerantur, 2 *Tim.* 3. Ex quib. isti, qui negligunt hodie cœnam vocati; vah, quam ingrati!

PARS II.

Cœna cur magna.

I. *Homo quidam, &c.* Deus Pater homo dicitur ob dignitatem humanam, quæ miraculum est creaturarum: Ob suum in homines amorem, qui communia facit omnia: ob filium, qui humanitatem assumere dignatus est.

Fecit cœnam; nimirum *paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Matth. 25. *Magnam.* 1. Quia *Magnus Dominus, & magnitudinis eius non est finis. Psal.* 144. Et Psal. 64. *Magnus, & terribilis super omnes, qui in circuitu eius sūt: & Rex magnus super omnes Deos.* *1. Ob modi paratorem.*

2. *Magnam*, Quia interminabilem. Ioa. 4. *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, fiet fons æquæ salientis in vitam æternam.* *2. Obdurationem.*

3. *Magnam.* Vt distinguatur à cœnis mundi. Hæ quam breues? fastidiosæ? sæpe insidiosæ? aut cruentæ? 1. Ecce Adonibezech Iud. 1. *Dixit:* LXX. *Reges amputatis manuum, & pedum summitatibus colligebant sub mensa ciborum reliquias.* Talis mundus mundanos habet. Huius conuiua fuerat prodigus. *Luc* 15. qui nec siliquas cū porcis habebat: *Nemo enim dabat illi.* 2. Quot colligunt mundi fæces, & amurcas potant? *Veruntamen* Psalm. 74 *Fex eius non est exinanita: bibent omnes peccatores terræ.* *3. Ob prandii olam mūdi.*

4. *Magnam*, Ob fercula eius, quæ mira, maxima, suauissima, tutissima, impermixta dolore. At in mundo contraria. 1. Inuitauit ad cœnam protoplastas serpens; heu quo exitu! *Gen.* 2. 2. Sic primogenitus Iobi fratres suos inuitauit: Exitus erat interitus. *Iob.* 1. 3. Ioseph, *Gen.* 44. fratres genialiter tractat epulis; finis erat incarceratio, quod scyphum ignari abstulissent. 4. Assueri conuiuium, *Esth.* 1. exitum cœstum, dato repudio Vasthi. 5. Balthasar cum proceribus epulabatur; Exitus erat manus terrifica scribens. *Dan.* 5. *Et hæc eximiosa.*

Alia Dei cœna. 1. *Psalm.* 67. *Parasti in dulcedine* *4. Ob apparatum.*

cedine tua pauperi Deus. 2. Et Pſ. 35. *Torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Torrens dicitur, ob amoris diuini vehementiam cum qua ſe Deus beatis communicat: & ob mentium beatarum anguſtos tubulos vix tãti impetus amantis Dei capaces. Attamen toti *intrant* in gaudium Domini. Quam immenſitatem declarat Apoſtolus hac metaphora. *Aeternum gloriæ pondus.* Explicauit iſtis. 2. Cor. 4: *Nec oculus vidit, nec &c.*

3. Si qua in aula calones furfureo, at ſapidiſſimo, veſcantur pane: Rex ſane quod ex optimo polline confectos comedat longe ſapidiores, facile cogitatu eſt. Ita cum hic ex creaturis ſit delectatio peccatori homini, quid non iſthic ex Deo Beatis erit?

5 *Ob æqualitatem.* III. 5. *Magnam.* Quia minimus, quantũ maximus, ea perfruitur. 1. Sicut *Exod.* 16. manna cuique erat cuiuſque ſaporis, & æqualiter omnibus ſufficiebat, etiam us, qui minus collegerant. Menſura erat *Gomor per ſingula cap.* 2. In epulo Ioſephi, *Gen.* 45. fratres ætatis ordine quidem aſſidebant ſed æqualiter participabant.

6 *Ob loci.* 6. *Magnam*: ob loci præcellentiam. Si omnes orbis Reges ac ſubditi ad vnam parandam aulam conferrent; ſi & Angelus, quin Angeli, imo & Deus allaboraret; qualis illa foret? Quis explicaret? At *cœlum cœli Domino.* Hinc Pſ. 22. *Quam dilecta tabern. tua Domine virtutum? Concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini.*

7 *Ob ſeipſum Quia cœna eſt.* Cœna dicitur: quod ſub vitæ veſperam adeatur. Mundus inuitat ad prandia breuis diei, ſed in cœnatos dimittit, deſerens moriturus. 1. Baruc. 4. *Nutriui illos cum iucunditate: dimiſi autem illos cum fletu & luctu.* 2. Imo Pſ. 53. *Conuertentur ad veſperam, & famem patientur vt canes.* 2. Vt Leonides, Athen. Dux, comeſſauit exercitum ſummante congreſſum; *Prandeamus modo tanquam apud inferos cœnaturi*: Sic Cicc. li. 1. Tuſc. 4. Ita ſuos mundus cum Plautino lurcone; *Viuamus hodie; craſtinum Orco deſpondeamus.* 5. Hi ſane Iob. 21. *Ducunt in bonis dies ſuos, & in punctò ad inferna deſcendũt* incœnes.

PARS III.

De vitio excuſationis.

I. *VOcauit multos.* Quin oẽs mortales, ſed alios aliter, aliterque temporibus alijs. *Et cœperunt omnes ſimul excuſare.* 1. *Eſt originale.*

1. Iſtud *Excuſare* ab origine hominum obtinuit, non à Deo inditum, ſed ex culpa acquiſitum, & ad culpam vſurpatum. *Ge.* 2. *Mulier, quam dediſti mihi, dedit, & comedi.* Ipſa: *Serpens decepit me:* Tu: Caro me tentauit, iſte, dæmon me obcæcauit: alius aliud excuſat.

2. Heu! Oculos amiſimus, vitiorum perſpicaces, vt vitijs carere nos, & oculatiſſime videre credamus. Similes Harpaſtæ, *apud Senecam*, quæ ſenio occæcata iuſſit in clariorem domum ac lucem ſe alio deduci; *hic nimis obſcurum videri* aiebat. Cæcam ſe non credebat. 2. *Eſt cœcorum philautorum.*

3. Malum! Hocque peius; quod iſthoc *Excuſare* apprehendatur primum, vt primũ bonum. Pſal. 140. *Ne deflines cor meum in verba malitiæ: ad excuſandas excuſationes in peccatis.* Ergo candida confeſſio ſunt verba virtutis: non folia Adæ & Euæ peccantium. 3. *Eſt prima peccatũ.*

4. Dæmonis armentura deſcribitur *Iob.* 41. *Corpus eius ſicut ſcuta fuſilia, compactum ſquamis* excuſationum: Taleshi in Euangelio hoc. 4. *Eſt Diabolicum.*

O inſenſatos! Ad Principum menſas vocari, & accumbere quam honorificum eſt? 1. Vel primus ab Aſſuero Aman gloriatur; Eſth. 5. *Regina Eſther nullum alium vocauit ad conuiuium cum Rege præter me.* 2. Dauid, 1. *Reg.* 20. ad Ionatham: *Ecce, ego ex more ſedere ſoleo iuxta Regem ad veſcendum.* 3. Idem eius filio Miphiboſeth ait: 3. *Reg.* 9. *Faciens faciam tecum miſericordiam: & tu comedes in menſa mea ſemper.* *Veſaniave nire nolentium.*

4. Eandem gratiam fecit Berzellaio. 3.*Re.*19.Et Rex Babyloniorum Regiloachim captiuo.4.*Reg.*25.

Superbia excusatio.

*II.Villam emi.*Discе ex vngue Leonem; ex voce typhum. Gigas hic Pelion Ossæ imponit, villam villæ, vt dominetur & cæteros inde fastuosè despiciat. O ventosam colicam Ambitionis: quot causaris tormina,& stoliditates capitis?

Nota,tria sunt, quæ imperant mundo, vitia,1.Ioan.2.*Quod in mundo est,aut est concupiscentia carnis;aut Conc.oculorum:aut superbia vitæ.* Hę tres furiæ mundum diuexant.Primæ debetur lapsus Angelorum superbiæ. Secundæ, diluuium luxuriæ. *Gen.*6.*Omnis enim caro corruperat viam suã.* Tertiæ,auaritia,orbisque interitus: cum spinæ suffocatrices comburentur. Nimirum Matth.24.*Tunc refrigescet charitas.*

Væ istorum vel vni deditis! Audi qui Dei militia perscribuntur. Deut. 20. *Qui ædificat Domum nouam, & non dedicauit eam; vadat, vt reuertatur in domum suam. Qui despondit vxori,& non accepit:qui est corde pauidus:vadat & reuertatur in domum suam.* At *vita hominum militia super terram, &c.* Huic inhabiles qui ambitiosè *ædificãt sibi solitudines*; qui amant mulieres; qui sunt inertes.&c.

PARS IV.

De emptore boum.

Auaritia
1. *Deprimit*
2. *Implicat*
3. *Inquinat affectus.*
Conscelerat.

I. *IVga boum emi.* Auaritiæ hic typus est, 1. Nequit in altum librare se aquila, quæ vel ponderi alligata, vel implicata viscо est. 2. Aug. Serm.31.de verb. Dom. Amor *rerum terrenarum, viscus est spiritualium pennarum.* 3. Ardebat rub. inambustus:videre ardebat Moyses:arcebat Dominus; nisi prius se discalceasset. Adeo amor mundi contrarius est cœlesti.Exue sordimenta pedum & affectuum,puluerem excute,& sic accede.

Accesit Samaritana. *Ioan.* 4. audiuit, exarsit, Vel hydriâ relictâ curritad vrbem,Messiam nunciat aduenisse. Nimirum tunc digna Christo discipula facta, cum,quæ *retro sunt; obliuiscitur, extendens se ad anteriora.*

Contra fecit Giezi 4. *Reg.* Cursim sequitur Naamanum, spreta ab Elisæo sibi repetit mentiens: vt ditetur ac superbiat. At mundati opum temtoris lepram accipit cum opibus, harum appetitor auarus,simul leprosus: Sed qui prius cupiditate fuerat obcæcatus.

II.Orem deplorandam! Exclamat Plut.l. de Cupid.*Si quis vltra, quam satis sit, bibat aut comedat,nec tamen satiari queat: medicos consulit,morbi genus, causamque exquirit: at opum insatiatus congestor, ideo se peius in animo habere non credit: quin præ cæteris se sapere putat.* 2. Hydrop. euacuationes præcipiunt & adhibent,non ingurgitationes.

4. *Nonagnoscit morbum suum*
5. *Euacuanda est*
1. *opibus.*

3.Plato apud Stobæum ser. 2. de Iniustit.inquit; *O improbe, ne possessioni augendæ studeas:sed minuendæ cupiditati.* 4 Israelitæ, *Exod.*5. in argilla ac laterculis totos dies distenti, & famelici, flagellabantur vesperi: Tales mundicolæ lutulenti sub Aegyptio Pharaone ait *S.Chry.ho* 40. *in Mat.*

*III.*Heu quanta inuexit mala sola auaritia? Achanum lapidauit:*Ios.* 7. Giezi lepra taminauit.4.*Reg.* 5. Ananiam *Act.* 5. & Saphiram enecuit:suspendit Iudam: IESVM prodidit.

7. *Damnosa est.*

Auri sacra fames quid non mortalia cogis pectora? ô emacians fames, & Stryx pallida! *Semper auarus eget*, & pallet.1.Diogenes scitanti,cur palleret aurum? inquit. *Quia multos habet insidiatores.* 2. S. Greg. Nyss. *Auarum* ait, *dolium esse pertusum, nunquam oppletur.*His consentit Ps.38. *Diuites egerũt, & esurierunt*; Hebræi legunt,*Leones* Hiob internum æstum sunt voracissimi.

8. *Anxia.*
9. *Famelica.*

*IV.*Muli,ac asini quantumcumq; portent onerum, nil tamen inde percipiunt: pascun-

10. *Est Asina.*

11. *Est Dipsas.*

pascuntur carduis. Ita diuites auari. 2. Dipsas serpens; si quem mordet, siti emoritur. Hinc Africani pingebant virum cum dipsade, & duab. fœminis aquam eius inuergentib. ori: quo auarum notabant. Sic *Pierius l. 16. Hierog.*

12. *Est ventus.*

3. Angeli septem phialas plenas iarum Dei effundunt iussi, Apoc. 61. 1. in terram. 2. in mare, 3. in fontes ac fluuios, 4. in solem, 5. in thronum bestiæ, 6. in Euphratem, 7. in aerem. Et septima hæc phiala erat auaritiæ; cæterę sunt aliorum iudices peccatorum mortalium. 4. Hinc auari, vt Chamæleontes, aerem captant. Nam Ventus est mundi thesaurus. 5. Ex aere viuit auarus, adeo vix audet tangere opes: Sic Ethnicis idola, præ reuerentia, tangere nefas: ita hæc est. Gal. 5. *Idolorum seruitus*: Auro viso se delectat, non satiat

Scriptura testimonia.

V. Exosum Deo vitium est. 1. Nam Leu. 11. *Quod ambulat super manus ex cunctis animantibus, quæ incedunt quadrupedia, immundum erit.* Vt vrsæ, simiæ, &c. Talia sunt monstra animalium auari, quorum manus sunt instar pedum in luto: cũ sustolli eas contieniat in cœlum. 2. *Terra, terra, terra, audi sermonem Domini:* Ier. 22. E terra factus, in terram immersus, in terram reuersurus duras habet aures ad diuina auarus, 3. *Vulpes foueas habent.* Vbi Clemens Alex. l. 4. Strom. ait; *Qui in effodiendis & in fodiendis diuitiis versantur, homines prauos, & plane terræ filios vulpes Christus appellauit.*

13. *Exosa Deo.*

14. *Terrena.*

15. *Fraudulenta.*

4. Quare bene ibidem S. Bonau. *Beatus, qui æternam foueam commutat in æternam aulam.*

Est prodiga cœli.

1. Piscem, è cuius ore Petrus, iussu Domini, portorium accepit, *Matt.* 17. Theophylactus auarum intelligit, qui meras opes ore, cordeque crepat, & cogitat: Vti hic *boues* loquitur, & *iuga.* 2. Tali vel cœlum venale est; si aurum des, ius suum oẽ prodigat talis, ac demum ipsum cœlum; licet *Gloria & diuitiæ in domo eius.* Sicut de nepote, qui dilapidatis omnibus deniq; domum prostituebat venalem; Diogenes dicebat. *Sciebam, propediem post vini crapulam, domum hanc euomendam.*

PARS V.

De Vxorato.

Difficilis pugna cum carne.

I. *Vxorem duxi.* Etiam res licita licentiam non meretur, nec veniam. Quid si scorto inhęsisset? Sed & in matrimonio luxuria est, retardans à cœna: 1. Eia *Abstinete vos à carnalib. desideriis, quæ militant aduersus animam.* 1. Pet. 2. 2. Aug. l. de honesto matr. c. 2. *Inter omnia certamina Christianorum; sola dura sunt prælia castitatis, vbi quotidiana est pugna, & rara victoria.* 3. Hier. Epist. ad Fur. *Grandis virtus & solicitæ diligentiæ, superare quod natus sis, & in carne non carnaliter viuere, tecum pugnare quotidie, & inclusum hostem Argi centum oculis obseruare.*

4 Spiritum sedentem in tribunali carnis, velle ius suum tueri, hic labor. Hic vxoratus libere fatetur iam; se aliis vacare rebus non posse.

An ducenda vxor.

Vere *Bonum est homini mulierem non tangere,* 1. Cor. 17. Quia *vxorem accipere: est libertatem vendere* 1. Socrates percontanti, *quid sit vxorẽ ducere,* ait: *Quod nassa concludi.* Vt enim nantes circum nassam pisciculi vellẽt intus esse; sed foris qui sunt int⁹, ita vxorati, ac liberi. 2. Quę his rosę, ac mella videntur; istis sunt spinæ, sunt ac fellea. 3. *Nemo nouit, vbi vae calceus premat: ego sentio:* dicebat Aemilius Paulus cognatis dissuadentibus ne vxori pulcellæ, prænobili, daret repudium. *Plutar. in Aem. Pau.* 4. Cicero repudiata Terentia, roganti Hircio suam duceret sororem, actis gratijs, negat amori & Philosophiæ conuenire, nec eadem sede morari posse. *Hier. l. 1. contra Iouinianum.*

Non ducẽda secũda.

II. Quare, 1. vt Philemon. Comicus aiebat, Hominem in vita semel conscendere mare, mirandum est; at expertum repetere,

repetere, hoc mirum. Mare malorum mulier! Vt mirum non sit, hunc vxoratum venire nequiuisse. 2. Etiam Noe, vel propriæ vitis; non alienæ, vino gustato inebriatus est. *Gen.* 9. Quanto magis retardabit ab salute pellex aliena? Si matrimonij sit sarcina tanta; quãta pellicatus erit.

Nam altera mors est.

Dic potius, quod Abimelech (à muliere ex turri percussus lapide.) ad armigerum, Iud. 5. *Euagina gladium tuum & interfice me: ne forte dicatur, quod à fœmina interfectus sim.*

Pellex maxime.

Collisor faucium leonis, aut vrsi, prostrator Goliathi, Victor Victorũ, superior omni persecutione Saulina, se ipso fit inferior, succumbẽs fœminæ. Et inde heu! in quod mare lacrymarum incidit? Fleuit hoc, dum vixit spem inter ac metum *Cur timebo*, inquit, *in die mala?* Hæc spes, at mox; *Iniquitas calcanei mei circundabit me.* Ps. 48. Id est, luxuriæ iniquitas. Nam Medici in calcaneo venam inesse volunt, excitatricem amoris, ac cupidinis. Similis Achilli, qui corpore toto inuulnerabilis, in calce pedis à Paride vulneratus est. Fabulæ mysterium est. Victorem cæterorum vitiorum omnium à libidine victum esse; quâ bestias, quam homines, magis conuenit superari. Hic vxoratus, instar bestiæ, prærupte inquit: *Vxorem duxi, non possum*; Cum alij duo mollius responderint; *Rogo te habe me excusatum.*

Effectus luxuriæ.
1. Brutescere.
2. Abripi inuitum.
3. Perdere virtutes.

III. Hoc peccatum hominem mutat in alium; ac sæpe exuit, vt brutescat. 1. Vnde istud Gen. 34. *Simeon, & Leui necauerũt Sichem*: Chrys. legit, *necauerunt taurum.* quod ex homine taurum libido fecisset.

2. Aestus venereus Euphrati similis est, rapidissimo, & vorticoso flumini, in quod Angelus sextus effudit irarũ phialam. *Apoc.* 16. 3. Iob. 31. *Si deceptum est cor meũ super muliere, & ad ostium amici insidiatus sum, scortum alterius sit vxor mea, hoc enim* NEFAS *est, & iniquitas maxima* IGNIS *est, vsq; ad perditionem deuorans, & omnia eradicans germina.* Id est, ait S. Hier. *Omnia bona virtutum deuorans.* Tali ab igne procul!

4. Estote ergo *in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.* Id est. *Desideria impudica*, vt Chry. & D. Th. Aq. interpretatur. Vt. n. ignis, sic ea pestis ictu vno corpus inflammat totum. Deinde & inualescit ad cætera se fundẽs circum, & ex peccato in peccatum viam præstat. Demum ex parua scintilla in magnum gliscit incendium. Id metuens ait Iob. 31. *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine.* 4. Vri.

5. Ea est, de qua Daniel. 7. *Ecce bestia similis vrso in parte stetit, & tres ordines erant in ore eius, & in dentib. eius: Et sic dicebant ei; Surge, comede carnes plurimas.* Vt enim vrsus mellis appetens insidiatur aluearijs: Sic venus est ea carnes deuorans puerorum, virorum, senum, ordine trino dentium; sed alio hos; istos alio. 5. Corrumpere ætatẽ.

6. Est ea obfuscatrix ingeniorũ. Quorum stuporem, S. Th. ait, primam esse filiam libidinis. Quis solem Salomonem extinxit? Samsonem exoculauit? Quare, quod S. Hieron. Rustico consuluit: *Fœminæ nomen nouerint, vultum nesciant.* 6. Ingenij

IV. 7. Libido sic hominem destruit vt animæ solum relinquat cadauer, corpori laruam hominis. Ac licet Ps. 38. *in imagine pertransit homo* omnis peccator, at maxime tamen scortator; in quo, quod est, bestiale est. 8. Ideo ad primogenitum Ruben sic Iacob. Gen. 49. *Effusus es sicut aqua: ne crescas*, ad Sacerdotium; quod primogeniti erat; *quia ascendisti cubile patris tui.* Omnia amisit; Nam Leui accepit Sacerdotium, Iudas sceptrum, Iosephius Maioratus. Cur? Quia Ps. 118. *Coagulatum est sicut lac*: vel vt alij legunt: *Incrassatum est velut adeps cor eorum* luxuriosorum; vt stupidum sit. Nam Ps. 57. *Supercecidit ignis, ideo non viderunt solem.* 7. Corpus & animã. 8. Donos alias.

9. Luxu-

9. *Mancipare inferno.*

9. Luxuria fascinat & mancipat ad infernum irretitos, Prouerb. 2 *Inclinata est ad mortem domus eius, & ad inferos gemitus eius. Omnes qui ingrediuntur ad eam, non reuertentur, nec apprehendet semitas vitæ.* Testis hic aspernator cænæ.

10. *Notare infamia.*

10. Prisci sic eam eliminabāt; vt quem eius reum sciebant, eum in lamina aurea fronti affixa, nomen scriptum circumferre cogerent. Ita *Apoc.* 17. Meretricis in fronte scriptum, *Babylon magna mater fornicationum.* Quas epigraphas Tert. lib. de pudicitia vocat *titulos voluptatis.* 3. Israelitę etsi duodecim Medianitarum prælio occidissent, laudem tamen non merebantur, sed iram Moysis: qui ait: Num. 39. *Cur fœminas reseruastis? Nonne istæ sunt, quæ depræceperunt, filios Israel ad suggestionem Balaam, & prænaricari nos fecerunt in Dominum. Ergo cuncta interficite.* Atque isti sunt pauci ex innumeris effectus Luxuriæ.

DOMINICA III. POST TRINITATEM.

Erant appropinquantes ad Iesum publicani & Pharisæi, vt audirent illum.

Luc. 15.

MAria, *Num.* 12. & Aaron clam, palam detraxere Moysi, quod æthiopissam duxisset; quasi id familiæ dedecus esset. Pharisæi Christo; quod peccatores susciperet: quasi rem faceret indignam bono viro.

Nos ex eo ista.

I. *Detractores feras esse pessimas.*
II. *Quod saluator, & calumniator sint opposita.*
III. *Fugiendos esse detractores.*
IV. *Quod benignitas aduersus maledicos sit opponenda.*
V. *Cur benignissimus* IESVS *perditos requirat.*

PARS I.

Detractores feræ pessimæ.

I. DEtractio, malum pessimum. 1. Diog. Laert. lib. de vit. Phil. In conuiuio Xenocrates inter conuitiantes varia varios referre audiens siluit; roganti causam, ait: *Quia locutum fuisse, pœnituit sæpe: tacuisse, nunquam.* 2. Quare prouerb. 23. *Noli esse in conuiuiis potatorum: neque comedas cum eis, qui carnes ad vescendum conferunt.* Id est (vt Greg. 14. Moral. exponit:) *In collocutione derogationis vicissim in proximorum vitia dicunt.* *Detractores sunt garruli.* 2. *Carnifices.*

3. Ideo S. Bonauentura, *in Dieta salut. c.* 19. Detractores lanionum canibus assimilat; quibus dentes ac fauces semper sanguinolentæ sunt. 4. Tales & aues carniuoræ *Leuit.* 11. immundæ censentur: vt iis vesci nefas: Quales ergo hominum rosores viuentium? *Et Canes.*

II. Sane Rom. 1. *Detractores Deo odibiles.* Prou. 6. *Sex sunt, quæ odit Dominus & septimum detestatur anima eius.* Nimirū, testem fallacem, & seminatorem discordiæ. 3. *Exosi Deo.*

2. Quocirca 1. Cor. 6. *Nec maledici, nec rapaces regnum Dei possidebunt.* 4. *Non igitur appelleris stellio in vita tua: & lingua tua ne capiaris, & confundaris.* Eccl. 5.

1. S. Bern. ait: *Nunquid Vipera, est lingua detractoris, ferociſsima?* 2. S. Hier. in Eccl. *Serpens, & detractor æquales sunt. Quomodo enim ille mordens venenum infert: sic iste detrahens pectoris sui virus in fratrem effundit.* 3. Quin amplius Bern. *Detractor, & libens auditor vterq; diabolum portat in lingua.* 4. *Sunt vipera.* 5. *Ac dæmones.*

Ergo Prou. 4. *Remoue à te os prauum: & detrahentia labia sint procul à te.* Labia & ora Pharisæorum hic talia in eum, *qui venit in mundum peccatores saluos facere.*

PARS II.

Quod Saluator & calumniator sint quasi oppositi.

Iesus miserorum Saluator est.

I MVrmurabant Phar. Cur ? 1. Quod Creator adiret creaturas, Rex subditos, Diues pauperes, Redemtor captinos; Messias peccatores, Medicus ægros. Et hæc carpenda fore homini, quis credidisset? 2. Sciscitanti, cur Philosophi diuitum domos ac palatia tererent? Aristippus ait teste Laer. l. 2. *Quia & medici languentium ianuas frequentant.* Quod respõsum laudauit omnis ætas. Et Ipse alias respondit : Luc. 5. Marc. 2. *Non est opus valentibus medico, sed male habentibus.* 3. Phocion Orator Athen. arguentibus amicis, quod improbum patrocinio seruasset in iudicio, ait: *At nemo bonus indiget huiusmodi patrocinio.* Ita Dominus hic: *Non veni vocare iustos, sed peccatores.* Matth. 9. *Ne igitur cõtra Solem loquaris.* Vt Pythagoricũ monet: Vt hic Pharisæi contra innocentem.

Similiter sint & Sacerdotes.

Eorum, vt etiamnum Sacerdotum, Est fouere, tueri, quæ Zelum Dei sapiunt; non rodere. 1. Eorũ arma esse defensiua, vt clypei, debent. Indicio sit turris Dauid, Cant. 4. *Mille clypei pendebant ex ea.* 2. Vel ethnicorum id Sacrificulorum semper fuit. Nam cum Athenis Alcibiades ab vrbe tota abijceretur, bona confiscarentur, honoribus priuaretur ipse; vtq; solennius perageretur iudicium; omnes ad id vocati sunt Sacerdotes. Qui hoc tantum aiebant. *Ad nos supplicatio pertinet; non execratio.* Id est; defensio, non offensio. *Peccatoribus vel Deos ipsos propitiamus orando.*

Detractor sacer & intestabilis est.

II. Quo detestabilior est detractorum vox horum, & os. 1. Vt ranæ per diem latent, silentq; in cœno; sub vesperum coaxant ingratum: ita momi putiscentes vitiorum paludes incolunt, præsente viro claro silent, in nocte vulgi ignari *sagittant in obscuro rectos corde.* Ps. 10. 2. Gallus plus alieno gaudet fimeto, quam domestico: illud euertit, excutit: repertæque gemmæ, vel muscam præfert Ita Zoylus. 3. Scarabæus sordibus innatus, & pastus, odore rosæ aut violæ, vt toxico, emoritur. Ita detractoris vita, & voluptas, sunt sordes alienæ: at mors ipsi laus est aliena.

Est propulator silendorum.

4. Olympiæ locus, vbi Græcorum artes certabãt ac vires, sic constructus erat, vt vox vna septemplici echo resonaret, vnde ἀπταφώνον dictus est: Vocaliores autem sunt voces detractorum.

Est anima putiscens homo.

III. Stomacho, hepateque vitiatis tetri sapores ascendunt, quæ halitum taminant: Ita hominis conscientia, cor, & anima putiscens exhalat memphitim maledicentiæ. Nam Matth. 12. *ex abundantia cordis os loquitur.* 2 Psalm. 5. *Sepulchrum patens est guttur eorum. Quia linguis suis dolose agebant.* 3. Leproso, *Leu.* 13. Sic mandatũ: *Habebit vestimenta dissuta; caput nudum; os veste contectum, contaminatum ac sordidum se clamabit.* Lingua tam purulenta maledicum arguit totum esse leprosum, & noxia in eo omnia, halitum, tactum, vestitum, affatum, &c.

PARS III.

Fugiendi sunt detractores.

NE talis fieret orabat Dauid: Psal. 140. *Pone custodiam ori meo; vt non delinquã in lingua mea.* 2. 1. Idem fugiebat hos contagiosos. Ps. 100. *Detrahentem secreto proximo suo, hunc persequebar.* Quo zelo? Psal. 30. *Erubescant impij, & deducantur in infernum: muta fiant Labia dolosa.* Cur ? *Quia loquuntur aduersus iustum iniquitates in superbia sua & in abusione.* 1. *Fugiãdi.*

2. Eccl. 26. *A tribus timuit cor meum; & in quarto facies mea metuit: Delaturã ciuitatis; & collectionem populi, & calumniam mendacem: super mortem omnia grauia.* Quare Leu. 19. *Non maledices surdo.* De quo S. Greg. in Past p. 3. 2. *Metuãdi.*

Past. p. 3. *Surdo maledicere, est absenti, & non audienti derogare.*

3. Sunt noctuæ. 3. Non absimile Plut. in Moral. *Vt inquit, noctuæ aues sunt inauspicatæ, nocte tantũ volant, & gemunt: sic detractor qui in absentia loquitur.*

4. Corui. 4. Leu. 11. *Comedere non debetis, & vitanda sunt vobis, &c. & omne coruini generis.* De hoc atri sunt & ferales momi. Coruus Gen. 9. emissus ex arca non rediit; nactus forte cadauer. Maledicus, vbi semel rationis ac veri excessit fores, per passionũ mala volat, rancorisq; rostrum in cadaueribus cruentat semper crocitans, & vix ad arcam salutis reuertitur.

5. Locustæ. 5. Locustas vidit Ioannes Apoc. 9. *Similes equis paratis ad bellum; super capita coronæ similes auro: facies hominum, capillus mulierum, & dentes leonum erant.* Interpretes hic detractores intelligunt.

6. Antropophagi. 6. De iis Psalm. 26. *Appropiant super me nocentes vt edant carnes meas.* Iob. 14. *Quare persequimini me, sicut Deus, & carnibus meis saturamini.* Vbi S. Gregorius. *Qui alienæ vitæ detractione pascuntur, alienis carnibus saturantur.*

7. Bestiæ pessima. 7. *Quod si inuicem mordetis, & comeditis, videte, ne ab inuicem consumamini*, Galat. 5. Item Daniel. 7. *Ecce bestia quarta mirabilis, atq; terribilis, & fortis nimis. Dentes ferreos habebat, magnos comedens, atq; comminuens, & reliqua pedibus suis conculcans, dissimilis erat cæteris bestiis, & habebat cornua decem.* Mystice significabat ea Rom. Imperium: Moraliter detractionem. *Glossa* notat, tres alias bestias nominatas esse, Leænam, vrsum, leopardum, at quartam innominẽ esse. Adeo nullis terminis malitia eius contineri potest, vt nomen vnum habere nequeat. Sic Psal. 49. *Os tuum abũdauit Malitia, & lingua tua concinnabat dolos.*

8. Sunt diaboli. 8. Quin etiam diabolus ea nuncupatur. 2. Tim. 3. *Mulieres similiter pudicas, non detrahentes:* Græce est, μὴ διαβόλας: *non diabolicas:* Vt detractor sit Diabol°, & vice versa. 9. Vterq; etiam serpens dicitur, Psal. 139. *Acuerunt linguas suas sicut serpentes.* Hos ait Plinius *hist. nat. li.* 5. linguã habere tenuẽ, longam, trisulcam, ac tetri odoris. Sic & illi vno linguæ ictu lædunt proximum cui detrahunt; se; & audientem patienter: Longa ea se ad mortuos porrigit, vt sagitta eos vulnerans: Psal. 56. *Dentes eorum arma, & sagittæ.* 13. Deut. 23. *Nõ offeres mercedem prostibuli, nec pretium canis in Domo Domini. Quia abominatio est, vtrũque apud Dominum.* At non fidum animal est canis ac vtile? Sed impudens, & quemque allatrans: & maledicorum typus est.

9. Serpẽtes. *Sunt cane peiores.*

PARS IV.

Benignitas aduersus maledicos opponenda est, e xemplo Christi.

I. QVocirca Ouinos dentes amemus, non caninos, Nã de sponsa. Cãt. 5. *Dentes tui sicut grex ouium, quæ ascendunt de lauacro.* Tales sint & filij Sponsæ, Christiani, dentes. 2. Labia etiam, qualia sponsi. Cant. 5. *Labia tua lilia distillantia myrrhã primam. Candida vt lilium: redolentia, vt myrrha.*

3. *Emunctoria*, Exod. 21. *& ea, quæ emuncta sunt, extinguuntur, fiãt de auro purissimo:* Id est, Modeste fiat de proximi defectis sermo; & factus cœletur; vt charitas adsit aurea, quæ corripiat, & occultet. 4. De Bonaso refert Plinius *l.* 10 *nat. hist. cap.* 70. quod, si à venatoribus se premi sentiat, cum ob recurua in ceruicem conua defendere se nequeat; tam tetrum, tam calidum odorem emittat, vt vel solo tactu venatores adurat. Ita detractor, aliis nocendi armis destitutus, rumore sparso nocet.

Piscis est, raiæ genus, qui in obambulantes adripam maris humorem eiicit, tam noxium, vt intoxicatos enecet, quos tetigerit. Deterior lingua est maledici.

Aditus ad Iesum facilis est.

II. Vt susceptо prodigo in pa rē murmurabat filius ita Pharisæi in Christum, quod *peccatores suscipit*. Sicut quoque Maria & Aaron in Moysen ; quod Aethiopissam duxisset vxorem. Hæc autem Aethiopissa anima peccatrix est, quam Dominus accipit in amplexus conuersam.

Quid gratiam Domini vertitis in vitium? Infinitæ misericordiæ est eius, quod audeant ad eum se peccatores aggregare. 1. Arcam aspicere Soli S. Pontifici licuit & accedere: Ios. 3. *Sit inter vos & arcam spatium cubitorum* 200. *cauete ne appropinquetis.* At vera Arca dixit; *Venite ad me omnes.* Mat. 11. 2. Bethsamitarum 3000. morte subita perierunt, quod propius Arcam accessissent, alij metuentes clamabant. 1. Reg. 6. *Quis poterit stare in conspectu Domini Dei Sancti huius?* At hic etiam *peccatores recipit.* 3. Exod. 18. *Cauete, ne ascendatis montem, ne tangatis fines illius: Omnis, qui tetigerit montem, morte moriatur.* At Christum, montem magnum ex paruo lapillo, qui adierit, vita viuet. 4. Assueri vel atrium inire, vel intueri vultum fas nulli, nisi vita periclitante: *Esth.* 4. Holofernis, *Iudith.* 14. inire cubiculum, aut pulsare ianuam nefas! Ad Iesum facilis est aditus.

Deus in medio nostri est refugium omnium.

III. Regi Babylonio Magi de Dijs loquentes aiunt, *Horum non est cum hominibus conuersatio.* Dan. 2. Falsum Nam Deut. 4. *Non est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest nobis.* 2. Azylum sacrum est Iesus. 3. Sicut 1. Reg. 22. *Conuenerunt ad eum, Dauidem, omnes qui erant in angustia cōstituti, & oppressi ære alieno, & amaro animo, & factus est eorum Princeps.* 4. Diluuij tempore, *Gen.* 7. etiam bestiæ ad Noen habuere receptum, ac salutem. Certior & ara, & arca salutis est Iesus Saluator: Ergo *ad eum publicani & peccatores* accurrite.

PARS V.

Cur benignissimus Iesus perditos requirat?

Molliuit respondendo Iesus.

I. QVis ex vobis homo, &c. Liuorem, & scandalum retundit parabola de amissa margarita; & alia de ouicula perdita. 1. Aegyptus ranis abundat, & raniuoris serpentibus Enydris. Contra hos ranæ virgam ore obtendunt, quæ faucibus inhærens necat inuasores Enydros. Itaque pingebant Aegyptij ranam cum virgula in ore, & intuentem Enydrum, cum epigrapha: *Virtute, non vi.* Ita hic Dominus contra Pharisæos. 2. Secundum istud vetus hieroglyphicum, vt *Rich. Brixius tom.* 2. Pingebant vetulam alatam, columnæ astrictam; ad pedes Herculem. Id est. Virtutem veterascere debere, volareque fama ferente: affixam ad innocentiæ columnam, ac tutam ; Hercule fortiorem esse. Talis hic Iesus pastor, requirens sequestratū ab Angelis Adamū.

Nos ouis perdita.

Inde. 1. Isa. 53. *Omnes nos quasi oues errauimus, vnusquisque in viam suam declinauit.*

2. Ezech. 34. *errauerunt greges mei in cunctis montibus, & in vniuerso colle excelso, & super omnem faciem terræ dispersi.* 3. Psal. 118. *Erraui sicut ouis, quæ perijt. Quære seruum tuum Domine.*

Requiritur ob Dei gloriam.

II. Sed cur Domine hanc requiris ouē tam solicite? 1. An, quod ea ad Dei gloriam spectet? Nam Psalm. 113. *Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui descendunt in infernum?* 2. An etiam quia Iob. 10. *Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me totum in circuitu?* 2. Ionæ dixit Dominus. Ion. 4. *Tu doles super hedera, in qua non laborasti, neque fecisti, vt creseret, quæ sub vna nocte nata est & periit: Et ego non parcam Niniuæ ciuitati magnæ, in qua sunt tot homines,* quasi dicat. Etsi plus de hisce doleam, quam tu de hedera, attamen non parcam. Nunc tamen nos quærit.

2. Quia creauit nos

3. An, quod solus nouit optimè pœnarum

3. Ob pœnas

par tas perditis

rum immanitatem, à qua seruatos nos discupit? Certe tanta nō erat euastatio Ierosolymæ, & tamen Luc. 19. *Fleuit super eā.*

4. Obdæmonis tyrannidem.

4. An, quod nota tibi Satanæ tyrannis sit, & leonina rabies circumeuntis? Ita Dauidi dolebat Goliathanus fastus. 1. Re. 17. *Quis, ait, est hic incircumcisus, qui exprobrat aciem Dei viuentis?* Ideo stabat animo, cum hoste congredi, suosque vindicare ab eo. Et vindicauit cum Deo. Sic Iesus ouiculam ex ore leonis aut vrsi eruebat baculo, & habitu pastorali.

Itaque nos iam quasi, vt Dauid trepidos Israelitas, affatur: 2. Reg. 17. *Leo, vel vrsus tollebat arietem de medio gregis*, genus humanum Angelis prædestinatione insertum, *& persequebar eos, & percutiebam, eruebamque de ore eorum, & illi consurgebant aduersum me*: vt hic Pharisæi, *& apprehendebā mentum eorum*, obmurmurantium, *& suffocabam, interficiebamque eos*, in parabolis refutatos. Ergo Christus victoria nostra: *Confidite, quia ego vici mundum: Iam Princeps huius mundi eiectus est.* Et verò tanti est ei vel vna anima, vt ei soli impēdisset, quod nunc omnibus impendit. Nam *venit, vt faceret voluntatem Patris sui.* Atqui, Matt. 18. *Non est voluntas ante Patrem vestrum, qui in cœlis est: vt pereat vnus de pusillis istis.*

Suauis in arguendo Iesus.

III. Notanda est mira Domini benignitas, qua respondens in bono vincit malum Pharisaicum. Non clamat, non contradicit, sed interrogat. Vti hic, & alias *Licet ne cēsum dare Cæsari?* Matt. 22. *Quomodo legis in lege? Diliges, &c. Quis vestrum non educet asinum? &c. Licet ne sabbatho benefacere? &c.*

Vt balena gratissimum odorem effūdit contra tetrum piscículi insidiantis ei, ac pestiferum effundentis, *teste Plinio*: Ita Iesus in hoc mundi oceano contra linguas virulentas vtitur remedio benignitatis odore.

Etsi alia

Mirum! Cum Sap. 16. *Creatura Factori deseruiens exardescit in tormentum aduersus iniustos.* Et Sap. 5. *Pugnabit cum illo orbis terrarum aduersus insensatos.* Cum, inquam, omnis creatura sit aduersa peccatori: Deū tamen læsum stare pro eo, hoc mirum, & magnum. Verè Thren. 3. *Misericordia Domini, quod non sumus consumti.* *omnia sint infesta.*

Quo scelestiores Caini desperabundi. Gen. 4. *Ecce*, inquiunt, *proiecis me à facie tua, omnis, qui inuenerit me, occidet me.* Non sic. Nusquam tutius viuitur, quam ante faciem Domini, sis vel Cain deterior. 2. Augustine, quid expertus ais? *Ego Te offendebam, & tu me defendebas.* 3. Ergo Domine Psal. 30. *Abscondes eos*, peccatores, *in abscondito faciei tuæ, à conturbatione hominum.* *Non igitur desperandū est.*

4. Dicant: *Deus refugium nostrum, & virtus, adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis.*

DOMINICA IV. POST TRINITATEM.

Estote misericordes, sicut & Pater misericors est, Luc. 6.

I. DEvs, *Gen.* 2. hominem ad imaginē, & similitudinem suam condidit, quasi DEVM quendam terrestrem. Esse ea pignus amoris vtrimque debebat. Sed & calcar homini, vt opere similis esse cōtenderet illi, quem referret imagine. Quod vt perfectius assequeretur, posuit illi, vt Sponsus Sponsæ, signaculum suum super brachium eius, *Cant.* 8. Ne cor solum amaret. Sed & manus opus præstaret misericordiæ, Iusticiæ; &c. Vti Deus exhibuit opere, quod gessit in voluntate. Et hoc monet hodie.

Nosigitur

I. De excellentia misericordiæ.
II. De vi, & efficacia eiusdem.
III. De Incentiuis ad eam.

IV. De iudicio temerario.
V. De iniuriis remittendis.

PARS I.

De excellentia misericordiæ.

Ea est hominis propria.

I. Misericordia est alienæ miseriæ *in nostro corde compassio.* Sic August. D. Thō. & Scholastici. Vnde in Deo non reperitur; quia in eum non cadit passio. Opus tamen subueniendi miseris, Deo est proprium; vti bonum agere, & dare. Quo magis nos tāgi misericordia vult in corde, & opere probari: Vt quæ & passiue, & actiue nobis conueniat.

1. Mandata

Ideo tot ad eam monita, Eccl. 3. *Oleum de capite tuo non deficiat.* Et quidem; vt oleum omnibus superfertur liquoribus; ita virtutibus misericordia. Ait *hic Eus. Emis.* 2. Plane vt Deus præ cunctis diligit hominem, ob imaginem creationis; ita homines misericordes præ hominibus

2. Chara Deo.

3. Altior virtutibus omnibus.

alijs amat, ob similitudinem virtutis. 3. Prou. 3. *Misericordia & veritas te non deserāt. Circunda eas gutturi tuo: & scribe eas in Tabulis cordis tui, & inuenies gratiam, & disciplinam coram Deo, & hominibus.* 4. Oseæ 6. *Misericordiam volo, & non sacrificium:* Matth. 9. *Euntes discite, quid est: Misericordiam volo & non sacrif.* Iac. 2. *Superexaltat autem misericordia iudicium:* Id est, vt Aug. in Psal. 143. *Præponderat, exultat & gloriatur miseric. aduersus iudiciū.* Addit Oecumenius in Epist. Iacobæam. *Siquidem misericordes misericordiam consequentur.*

Figura.

1. Fons est omnium virt.

II. Ethnici sane, vt Athenis, aram Deæ Misericordiæ statuerunt: ait *Pausan. & Plut.* Nos eam esse fōtem dicimus in Deo ex quo cætera dimanant in nos dona omnia. Vti *Gen.* 2. Fluuius Paradisi vnus in 4. se diuidit: ita Mis. vna est quadrifida, circumiens omnem orbem. 1. Creationis. 2. Gubernationis. 3. Redemptionis. 4. Glorificationis.

2. Est arca Dei.

2. Miseric. est arca, in qua centuplicatum reperitur in cęlis, quidquid hic manus operata fuerit. Est enim *Exod.* 25. 37. Arca fœderis, è lignis incorruptibilibus Sethim, vestitaque auro: In qua tabulæ legis, Manna; Virga Aaronis. In hanc Matt. 6. *Thesaurizate; vbi neque ærugo, neque tinea demolitur, vbi fures non effodiunt.*

3. Porta cœli.

3. Misericordia est ianua cœli. Ideo ostia ad Sancta sanctorum erant oleagina. 3. *Reg.* 6.

4. Columba pacis.

4. Columba, ad arcam rediens, Gen. 8. *Ore ramum oliuæ virentibus foliis retulit.* Ita Misericordes Cœlum ingrediuntur.

Sospitatrix est, &c.

III. Miseric. dissoluit laqueos damnationis, & luctatorem dæmonem eludit. Vti luctatores oleo se vngebant, vt & fortiores essent, & ne teneri possent. Vt Aug. l. 50. Homiliarum hom. 39. *Ante fores gehennæ stat misericordia, & neminem permittit in carcerem mitti.* Chrysost. *hom.* 5. *de pœnit.* ait, habere nos hic nundinas, in quibus paucis misericordiæ nummulis emere possimus cœlum.

PARS II.

De vi, & efficacia Misericordiæ.

1. Ethnici magnifacta.

I. Estote miseric. Ethnici indignum vita ducebant, qui careret misericordia. Hanc in tristibus, in lætis Amicitiam esse Solem volebant. 1. Ideo Antoninus Verus Imp. teste *Capitolino*, aiebat: *Inhumanum est, humanis casibus non ingemiscere.*

2. Martiani Imp. vox erat: *Eas demum veras esse diuitias ac certas, alienа non rapere, egentibus elargiri sua.* 3. S. Franciscus ait: *Misericordia est amoris Dei parataria;* S. Bonau. in vita cap. 1.

2. Est pro Iustitia.

In S. Scr. Miseric. pro Iustitia accipitur. 1. Prou. 21. *Facere misericordiam & iudicium, magis placet Deo, quam victimæ.* LXX. vertunt *facere iusta:* Rabini, *facere iustitiam.* 2. Hinc 2. Cor. 9. vocat eam *frugem iustitiæ.* 3. Enimuero qui misericordiam ostendit, is & suum cuique reddit: Id quod iustitiæ est:

tiæ est: ac tanti; vt dicat Deus, Matth. 25. *Quod vni ex istis feciſtis, mihi feciſtis.*

3. Ditatur à Deo:

1. Deus, vt miſericordes ditat gratijs; ita & animam, Hinc Oſeæ 1. *Ablactauit eã, quæ erat abſque miſericordia*: Quis? Gen. 16. *Ego Deus Saddai*, id eſt, *qui habet vbera*. 2. De hiſce Cant. 1. *Oſculetur me oſculo oris ſui: quia meliora ſunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis.* Sic Sponſum ab vberibus miſericordiæ ſponſa laudat.

Punitur immiſericordia.

Quo durius puniuntur immites. Aug. li. de Con. vit. *Memento, quid purpurato diuiti contigerit. Non damnatus eſt, quod aliena tulerit; ſed quòd egenti ſua non tribuerit: Et in inferno poſitus ad petenda minima peruenit, qui hic paruanegauit.*

4. Miſericordia beat.

Hier. Ep. ad Nepot. *Non memini me legiſſe malamorte mortuum, qui libenter opera charitatis exercuit. Habet enim multos interceſſores: & impoßibile eſt, multorum preces non exaudiri.* Ergo. *Eſtote Miſ.*

Facit Deo ſuppares. & filios.

II. Non vult nos Patri potentia pares eſſe: vti Luciferi & Eua voluere: ſed miſericordia, Eph. 5. *Eſtote imitatores Dei, ſicut filij chariſſimi.* 2. Sic Aeneas Aſcanio:

Diſce puer virtutem ex me, verumque laborem.
Te pater Aeneas, & auunculus excitet Hector.
Dedecus eſt natis claros habuiſſe parẽtes
Ni ſtudeant illis moribus eſſe pares.

Degeneres ſunt immiſericordes.

Cn. Scipioni, filio Africani, ſed degeneri cognatio detraxit annulum, cui inſculpta Patris erat imago: quod eam virtutibus non æmularetur. *Val. Maxim.* l. 3. c. 5. 2. Alexãder Magnus cognomini adoleſcenti, ſed diſſoluto, ait: *Aut nomen, aut mores muta.* Maximus ſerm. 4. de Fort. Sic & tu Chriſtiani, id eſt, vncti miſericordis nomen.

Eſt Dei propria.

III. Salomon, 2. Par. 3. *Ante fores templi fecit duas columnas*: id eſt, ait Rupertus in 3. Regum 7. *Miſericordiam, & iuſtitiam.* Nã Cant. 5: *Crura eius ſicut columnæ marmoreæ, quæ fundatæ ſunt ſuper baſes aureas.* His autẽ cruribus incedit Deus, vt ait Pſalmiſta. 24. *Vniuerſæ viæ Domini miſericord. & veritas. Hiſce columnis*, ait Rupert. *totum S. Scripturæ ædificium innixum eſt.*

2. Priſci idola ſua pleraque ex ligno oleagino ſculpebant: quod eorum ſit miſereri. Et licet Iouis fieret ex auro; tamen oliuæ ramis coronabatur. 3. Mileſiis, quod inſcij oliuam ſuccendiſſent, oraculum conſultum reſpondit; *quia Miſericordiæ ſymbolum violaſtis, inſignem crudelitatem patiamini.*

PARS III.

Incentiua ad eandem.

1. Quia miſeri ſumus omnes

I. HAec complura ſunt. 1. Quia quiſque eſt ipſe miſerijs obnoxius. 2. Motiu. Deus eam exigit, omiſſamque punit. Ezechiel ca. 16. omnem Sodomæ ruinam adſcribit immiſericordiæ: *Tenebant panem; & omnia bona terræ, & non extẽdebant manum ad dandum pauperi.* Habẽs aridam manum, *Matth.* 14. iubetur eam extendere, & ſanatur: Vbi quidam ait: *Nulla res tantum valet ad ſalutem recipiendã, quam aperire manum extenſam, & dare eleemoſynam.*

2. Mandata eſt nobis.

3. Quia etiã Innata eſt brutis.

3. Motiu. Ea etiam in brutis reperitur. 1. Hoc miratus *Iob*, remittitur ad bruta. cap. 12. *Interroga iumenta, & docebunt te; volatilia cœli, & indicabunt tibi, loquere terræ, & reſpondebit tibi, & narrabunt piſces maris.*

1 Terreſtribus.

Et quidem inter terreſtria, ecce. 1. Elephantes, ait *Aelia. l. 12. Var.* tranſituri flumen, robuſtiores ſe in flumen ſiſtunt, vt curſum frangant aquę, infraque ſe tranſeant infirmiores. Cumque ſenſerint ſicubi tectam eſſe foſſam, qua capiantur: in eam ſe fortiſſimus iniicit, præbetque cæteris dorſum proponte, vt tranſeant. Dein alij proboſcide ramis arborum foſſam implent, vt & ille poſsit emergere. En miſericors auxilium, *Idem l. 8. c.*

l.8.c.14.2. Leo, nisi extrema adactus fame, parua non lædit animalia: quin hæc eum sequuntur, vt diuisam ab eo prędam participent. *Eniumenta.*

2. Volatilibus. Iam *volatilia.* 1. Ciconiæ parentes senio debiles migraturæ alio, humeris supportant Pelicanus sanguine redanimat pullos. 2. Coruus, ait *Aelia. l. 3. c. 41.* cum præsenio prædam quęrere pullis nequit, iis se dat ipsum in escam. 3. Idem *l. 1. c. 19. & l. 11. c. 12.* Delphin si paruulorum suorum quis capitur, horrendo eiulatu cæteris fugam suadet. Dein congregat socios, sicq; insultant in cymbâ vi, vt ni paruulus reddatur, eam submergant. Mortuũ segregatim deferunt, vbi profundissimum, cum magno luctu.

3. Telluri. Demum. *Terræ loquere.* Vbi S. Ambros. monet: *Aspice terram, quam copiose fruges fundit homini? &c.*

4. Quia remunerantur à Deo. II. 4. Motiuum ac incentiuum sit merces quoq; temporalis: Adeo large reddit Deus. 1. Prou. 11. *Alij diuidunt propria, & ditiores fiunt: Alij rapiunt non sua, & semper in egestate sunt.* 2. Prou. 3. *Honora Dominum de tua substantia, & de primitiis frugum tuarum da pauperibus; & implebuntur horrea tua saturitate, & vino torcularia tua redundabunt.*

Exempla. Ecce exempla. 1. Sareptana, 3. *Reg.* 17. quod Eliæ magno affectu succurrisset, sic benedicitur, vt oleum & farina ei non deficerent, dum plueret post triennium.

2. Tiberius Imp. cum etiam insignia & ornamenta imperij fuisset elargitus, monitus ne prodigat res imperij, respondit: *Deus non deerit fisco nostro.* Et ecce, paulo post in Palatio ambulans marmori crucem incisam conspicatus, iubet lapidem eleuari, honore Crucis. Sub hoc similis erat & alter, sub hoc & tertius; ac ibi thesaurus maximus. Quem ipsum continuo elargitur egenis. Sic *Paul. Diac. l. 6. c. 3.*

3. Ethnicus à Christiana vxorem persuadetur elocare pecunias Christo, plus recepturum fœnoris. Ducitur ab ea ad templum; hic repertis egenis distribuit; experturus promissum ac fidem vxoris. Post, vrgente necessitate, expostulans cũ ea de pecunia quasi perdita: quæ ipsum eodem iubet redire. Dumq; dispicit ibidem, quis quid offerret sibi, forte humi conspicit aureum. Affert vxori, emat piscem in prandium. Emtus piscis dum exenteratur, ecce gẽma in eo reperitur, quę vendita fuit trecentorum millium aureorum. Ecce Prouer. 19. *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis: & vicissitudinem suam reddet ei.*

5. Motiuum. Quia opera misericordiæ potissime examinabuntur. Matth. 25. *Esuriui, & non dedistis mihi,* &c. Ideoque Iac. 2. *Iudicium sine mis. ei, qui non fecit mis.* 2. Cõtra Matt. 5. *Beati misericordes, quoniam mis. consequentur.*

PARS IV.

De iudicio temerario.

Subitum iud. est erroneum. I. NOlite iudicare, & non iudicabimini. Quia & hoc est misericordiæ. 1. Et iudicium nostrum est plurimum temerarium, vtpote secũdum faciem, vt Scriptura id vocat. Ioan. 7. *Nolite secundum faciem iudicare, sed rectum iudicium iudicate.*

2. Leprosum, *Leu.* 13. dies 7. segregari, ac inspici iussit Deus; ne sacerdos præpropere quid pronunciaret. Si ita cunctabundos esse conuenit constitutos ad iudicandum; quid par eos agere, quibus id datum non est negotium?

Est improborum. Improbus omnes sui esse similes aut cogitat, aut vellet: quocitius errat iudicio. 1. Vt Nero, Veneri deditus, iudicabat neminem posse abstinere. Idem & Lutheri fuit iudicium; quod & scriptis consignauit. 2. Eccl. 10. *In via stultus ambulans, cum ipse sit insipiens; cæteros putat insanire.* 3. Sic Vagao *Iudith.* 14. mulieroſus etiã Holofernem putabat Iudithæ amplexibus inhære-

inhærere diutius, quod non surgeret instãte hoste. 4. Ita *Luc. 7.* Iudicabat Magdalenam Simon temerariam, ac peccatricem. 5. Ita *Luc. 18.* Pharisæus Publicanum. 6. Sic 2. *Reg. 10.* Ammonitæ iudicarunt pro exploratoribus legatos Davidis, missos Regi consolando, ob mortem patris, & fœderi iiciendo amicitiæ.

Est sordidum. 1. Cucurbitulæ noxium exsugunt sanguinem, non bonum: ita suspicioſi, vt porci lutosi, sordes rimantur. 2. Qui, quod agant, domi non habent, vagantur male feriati; alienaque notant: Ita qui secum non habitant in conscientiis suis. Ista *Plutarchus in Politicis.*

Est ignarũ sui. Sophronius *cap. 134 Prati spirit.* Anachoreta senex scisciranti iuueni, cur tam cito iudicaret? fait: *Quia tute te ipsum non nosti; nec inspicis.*

Medetur ei misericordia. II. Isti temeritati medetur charitas, & misericordia. Quia hæ alienа vt bona, sic & mala, sua esse ducunt. 1. Vnde suadetur Rom. 12. *Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus.* 2. Cor. 1. *Sicut socij passionum; ita & consolationum.* 2. Qui in vrbibus sordes coaceruant vicatim, ac euehunt, vilissimi capite censi habentur. Ita critici suspicioſi, hominum sunt per ipsemata.

3. Vera *Charitas non cogitat malũ.* 1. Cor. 13. Ergo in ipsis mera inest malignitas.

Prodit ex malitia. Ideo Adam, dum innocens erat, nuditatem non agnouit: at puduit eum sui, iam innocens factus. Ita mali male cogitant, & loquuntur. 2. Nota est duplex Aesopi anterior, & posterior mantica. De qua *Persius Sat. 4.*

Vt nemo in sese tentat descendere; nemo:
Sed præcedenti spectatur mantica tergo.

Exstultitia. 3. Cicero libro tertio Tusculan. Quæstion. ait: *Stultitiæ proprium est, aliorum vitia cernere, obliuisci suorum.* Gregorius Magn. *Stulti tanto intensius de alieno iudicant; quanto sua profundius ignorant.*

Psalm. 5. *Linguis suis dolose agebant; iudica illos Deus. Decidant à cogitationibus suis: secundum impietatem eorum expelle eos. Quia guttur eorum est sepulchrum patens:* fœteq; à mortuorum putredine, quibus non parcent. Et tam bono, quam malo viro os suum parant in tumulum: Sicut Raguel, *Tob. 8.* tam iusto Tobiæ sepulcrum parabat, quam aliis septem prioribus, male de hoc iudicans. *Est boni, & malis iniquum.*

III. Non sic bonis erit: Malis male. Nã 1. *Vir linguosus non dirigetur in terra: virum iniustum mala capient in interitu. Psal. 139.* Vel, vt Chaldæus: *Venabitur angelus mortis, & detrudet in gehennam.* Iuste. Nam pœnæ parculpa. 2. Vt enim montes quidam ignem eiectant accensum ex sulphure intus, incensoque aere: ita critici maledici sulphere intus ardent, succenso per flabellũ dæmonis. Quibus imprecatur Psalm. 62. *Ponantur sicut flamma, quæ comburit montes.* 1. *Sibi cacat malũ.* 2. *Ex se ipso.*

3. Pro Maria *Num. 12.* leprosa ob murmurationem contra Moysen, aues sunt sacrificatæ: quæ symbolum sunt garrulitatis. At critico maledico nil garrulius, nilque leprosius. 4. Ideo Baccho sacra fuit pica, pectus alba, cætera atra: talem maledici speciem præferunt candoris ac Veri: at atri sunt, & mendaces picæ. 3. *Est mendax.*

1. Bene igitur, Eccles. 21. *Verba sapientis stratera ponderabuntur.* 2. Sicut prisci in bilance pingebant hinc canem, libere latrantem, inde serpentem, cautum Minerua comitem; Ita sapiens arguit, sed caute. 3. Temerarij erant Melitenses, *Act. 28.* viso adhærere manu Pauli serpentem, dicentes: *Vtique homicida est hic homo; qui, cum euasit de mari, vltio non sinit eum viuere.* *Ergo caue.*

PARS V.

Iniurias remittendas esse.

DImittite, & dimittemini. Et hæc pars misericordiæ est. 1. Eph. 4. *Estote inuicem benigni, misericordes, donantes inuicem: Sicut & Deus in Christo donauit vobis.* q. d. *Si* *Exemplo Dei.*

Deus Dominus, &c. homini, seruo. & c. quanto magis, &c. Matt. 18. *Serue nequam, omne debitum dimisi tibi, quia rogasti me; nonne ergo oportuit & misereri conserui tui?* 2.

Nauta. Vt prudens nauarchus tempestate superante non obnititur contra, sed vela cõtrahit, dum illa desæuiat; atque tum prouehitur. Ita cede malis: silentioque in eos te vindica. Hæc ô quanta est victoria?

Vince bono malum. 1. Aeneas offa melle â Cerbero obiectâ non allatratus vel ad inferos tutus abijt, Ita tu. &c. Nã *Prou. 13. Responsio mollis frãgit iram.* 2. Audi patientiam, Psalm. 128. *supra dorsum meum fabricauerunt peccatores.* Dorsum eis dedit; non pectore se opposuit. Honesta hæc fuga est: *dimittere vt dimittaris.*

Obliuiscitur per Amicitiam. II. 1. Pythagoricum est: *Ollæ abigne remotæ nullum in cinere vestigiũ relinquitur.* id est: Irę memoriam aboleto. *Cyr. l. 5. Strom.*

2. At monet Isidorus *Epist. 12. Iras aquæ inscribendas: amicitias ęri.* 3. Hem ab Ethnicis vincemur Christiani? *S. Basil. orat. de legendis scriptis gentium:* ait. Socratẽ infringentis sibi colaphum nomen fronti inscripsisse imperturbatum, quasi beneficio affectum. 4. *Senecæ l. 2. de ira cap. 33.* Aulico suscitanti, qui possit in aula senescere? dictum: *Iniurias accipiendo: & gratias agendo iniuriantibus.*

Comitas. Quo deteriores, qui nec verbo dignãtur eum, â quo læsi fuere. 1. Alciatus, & Pierius produnt ex Physicis duo tympana diffringenda citius, quam sonũ edant compulsata; quorum hoc ouina, lupina istud fuerit tectum. Ob odium animalium, quod in exuuiis etiam viuit. Tales isti bestiæ. 2. Leo rugit, lupus vlulat, sibilat serpens, crocodilus tamen hisce acutissimis dentib. sæuior est, etsi elinguis sit. Ita elingues inimici sunt crocodili.

DOMINICA V. POST TRINITATEM.

Duc in altum. Laxate retia vestra.
Luc. 5.

Tobiæ cap. 6. Raphaelis iussu feliciter piscatus piscem est, quo dæmonem fugauit, matrimonium prosperauit, cæcitatem patris cõsanauit, Petrus felicius, iussu Domini &c.

Nos de eo

I. De vi verbi Dei flexanima.
II. De piscium, & hominum comparatione.
III. Cur in piscibus miraculum ostenderit Dominus?
IV. De nocturna piscatione, deq; Nihilo.
V. De piscatoribus.
VI. De iussu: Duc in altum.

PARS I.

De vi verbi Dei flexanima.

Nulla eõ par eloquẽtia est.

I. DVlce Dei Verbum est. 1. Expertissimus Ps. 118. *Quã dulcia faucib. meis eloquia tua? Super mel & fauũ ori meo.* Ipsi rupes dedere aquã, cœli mãna, &c. 2. Eccl. 40. *Tibia & psalterium faciunt melodiam, sed super vtraque lingua suauis.* Suauior Verbi Dei, magisque flexanima. Nam Dei est: Luc. 21. *Ego dabo vobis os & sapientiam.* 3. Ex ore Herculis pingebant prisci catenam populos trahentem; Ipsum vero, vt *Alciatus* describit talem:

Arcum læua tenet, rigidam fert dextera clauam.
Contegit & Nemeos corpora nuda leo.

Quo eloquentiæ vim exprimebant: qua feros populos & agrestes domuisset magis, quã robore. At hæc fabula est respectu veritatis in Verbo Dei. Hoc. n. quos populos non perdomuit? 4. Diogenes ita rapiebatur Antisthenis dissertationibus, vt minanti fustigationem, si rediret, se ad pedes abiectum diceret: *Cede: nec enim ita*

nim ita durum reperies baculum, quo me abegeris; quam diu aliquid dixeris, quod discam. Vbi tuus, Christiane, Zelus est Verbum Dei audiendi.

Audiendum Zelose.

II. Ergo ne. 1. Regina Sabę, 3. *Reg.* 10. attētius pendebit ab ore Salomonis; quā tu à Prædicatoris! At is humanam, naturalemque, ac moralem promebat sapientiam. Vere autem. *Beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud!* Luc. 1. Nam *Vt esurire bonam corporis valetudinē declarat*, ait Chrys. homil. 2. in Isa. *Sic sermones appetere spirituales, animæ sanitatem arguit.*

Indicium dat prædestinationis.

1. Qui piscem explorat, recens sit, an putiscens; is aures seu branchias attendit: Ita ex auribus & auditu Verbi Dei æstima Christianum sanum, vel corruptum. *Qui enim ex Deo est, verba Dei audit.* Ioan. 8.

2. Sanæ aures erant dicentis, Psalm. 118. *Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui inuenit spolia multa.* q.d. Vt miles diu obsessor vrbis, spe facta deditionis, ad spolia adspirat; sic ego, &c.

3. Sit vrbs, cuius ciues omnes mortem meruerint: Principis tamen clementia ableget ad eos, non lictores, sed nobiles cum literis gratiæ factæ: quo has animo audirent singuli? Tales leguntur à Prædicatoribus ad peccatores. Ob hasce turba fuit tāta CHRISTVM assectata, irruēs in eum, vt vix in terra locum reperiret: Ergo *ascendit nauiculam.*

PARS II.

Piscium, & hominum collatio.

Mundani vani.

I. *Secus stagnum Genesareth.* Mundus mare est, ab superbia tumidum, auaritia feruidum, spumosum luxuria. 1. Ioan. 2. *Omne, quod est in mundo, aut est concupiscentia, &c.* Nauis est Ecclesia; sagena vero S. Litteræ, pisces homines: Vnde versus:

Ecclesiam pro naue rego: mihi climata mundi
Sunt mare: Scripturæ, retia, pisces, homo.

Minores opprimunt.

1. Pisces minores à maioribus deuorātur. Iac. 1. *Nonne diuites per potentiam opprimunt vos?* Abac. 1. *Et taces, deuorante impio iustiorē se, & facies hominis quasi pisces maris.*

Dulcis eis miseria mundi est.

2. Nati in mari salsuginem non sentiūt: ita cosmophili nō æstimant ærūnas mundi: cuius sal eis mel videtur. Israelitæ Aegypto pasti allio, & porro delectabantur: & præ horum eis memoria dein manna putebat. Ita siliquæ mundi sunt quibusdam tanti; vt nauseent ad cœlestia. Vah porriuoros.

Diuinæ gratiæ egētissimi sūt.

3. Pisces, vt aquigenæ, extra aquas viuere nequeunt; Ita extra gratiam Baptismi, nemo fidelium. Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non potest introire in regnum Dei.* Sicut Naaman sanari nunquam potuisset, nisi lotus in Iordane. 4. *Reg.* 5.

Tentationibus expositi sunt.

4. Pisces nunquam extra periculum sūt, ne capiātur: plura hominib. pericula in mūdo, in fidiæ q; plures à dæmone, carne, mūdo. De Dæmone *Ps.* 148. *Cadēt in retiaculis eius peccatores.* Ecc. 9. *Sicut pisces capiuntur hamo, sic homines in tempore malo, tentationum.* Quare Eph. 6. *Accipite armaturā Dei, vt possitis stare in malo.* Tali die Satā orbē totū in nassam suā pertraxit sub aquis diluuii. *Gen.* 7. Itemq; Aegyptum in mari rubro mensam. *Exod.* 18.

6. Magni pisces in mari salso, minores in dulcib. fluuiis viuent. Ita magnæ animæ in afflictionibus: abiectiores in prosperis degere sinuntur. Magni pisces erāt Iob. Moyses, Dauid, Elias, &c.

PARS III.

Cur in piscib. miraculum ostenderit Dominus?

Concluserunt piscium multit. copiosam. Cur? 1. Vt potentiam ac dominium suum declararet; in obedientia piscium ipsi præstita. Ps. 8. *Omnia subiecisti sub pedibus eius, &c. Et pisces maris.* Olim idem

castra Israelitarum impleuit coturnicibus. *Nu.* 21. Quo suum dominium in cœlum ac terram ostendit. Idem *Apocalyps.* 10. per Angelum, cuius pes dexter super mare, super terram sinister stabat.

2. Quia, cum in diluuio animalia collegisset in arcam, pisces exclusit, relictos diluuio; iam idcirco concludit eos, quasi compensans omissum prius.

3. Quia pisces sunt liberius vagi, quam vlla animalia: nec possunt cicurari vllo modo, vt alia: ideo potentiam declarat; quod illi etiam ad nutum pareant sibi, quasi cicures.

4. Vt Petro talionem redderet gratus pronaui concessa sibi concionanti. 1. Ita Sareptanæ remuneratus est olei multiplicatione, & filij suscitatione hospitium datũ Elias. 3 *Reg.* 17. 2. Sunamitidæ sterili filium dedit pro Elisæo hospitato: eumq; dein mortuum suscitauit. Ecce quam verum *Matth.* 10: *Qui vos recipit, me recipit.*

Vt Prædicatores reddat excitatiores in piscationem hominum, imprimis Apostolos piscatores. Quemque trahit modo &c. cui propensior est: Ita, Magos astrorum studiosos, astro trahit: sic captura piscium hic piscatores.

6. Vt Prædicatores à terra abductos esse debere ostẽderet; sicq; eijcere rete. *Reducite*, inquit, *à terra pusillum.* Ergo relicta auaritia, luxuria, negotijs sæcularibus, moribusque, in altum ducant perfectionis, &c. ac inde sperent felicem in piscatione capturam. Huius figura tubæ argenteæ ductiles fuere; *Num.* 10. quib. populus ad mouenda castra vocabatur. Ita Prædicatores sint purum à scoria argentum, sint sonorum, candidum: sint ductiles, id est, malleo tribulationum facti.

PARS IV.

De nocturna piscatione ac Nihilo.

Noctes infructuosæ.

1. TOta nocte laborantes nil cepimus. Hoc est. 1. Nocte legis Mosaicæ. Nam Heb. 10. *Vmbram habet lex futurorũ bonorum*: In ea nulla capiebatur iustificatio. 2. In nocte mundi, In quo mundani *in tenebris ambulant.* In hac laborant tantum: capiunt nihil. 3. In nocte peccati. *Qui enim male agit: odit lucem.* In hac nil capitur meriti. 4. In nocte mortis. Ad hanc differentes pœnitentiam rarissime quid capiunt. De ea Dominus: *Veniet nox, in qua nemo potest operari.*

Prædicatores vani.

In verbo autem tuo laxabo rete. Nomine Dei inuocato opus quoq; inchoato. Sin': nil capies. Imprimis vero Prædicator. Alioquin cueniet ei, 1. quod puero Elisæi. 4. *Reg.* 4. misso ad reuocandum in viuos filium viduæ. At *Non surrexit puer: non est vox, neque sensus.* 2. Solus Naaman, lotus in Iordane, fuit ab lepra mundatus: 4. *Reg.* 5. Iussu autem Elisæi inibat. Cum tamen plures sexcentis eum intrarint in, iussi, nec tamen sanati sint.

Prædicatores peccatores.

3. Atquam multi concionatores laborant in nocte mundi, & peccati? Hi non solum nil capiunt; sed etiam retia lacerant: vt Apostoli: Nam *Reficiebant retia.* 4. Heu tales; Oseæ 5. *Ventum seminabunt & turbinem metent.* Molendina ventosa molunt vento flante: stãte hoc, stant. Ita ventosi Prædicatores in vẽto vanæ gloriæ. 5. Non sic Apostoli, 1. Thes. 2. *Neque aliquãdo fuimus in sermone adulationis, neque in occasione auaritiæ, Deus testis est: Nec quærentes abhominibus gloriam.*

Sæculares Vane laborantes.

11. Rursus: Quot sæculares mittunt sua retia opificiorum, officiorum, negotiorum, desideriorum: &c. in mare, & nil capiunt? Cur? Quia Isai. 59. *Telas araneæ texuerunt. Opera eorum opera inutila: & cogitationes eorum cogitationes inutiles.* Si resurgerent Cæsares, Reges, Philosophi, &c. dicerent; *per totam noctem laborauimus, & nil cepimus.* Sap. 5. *Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles.* Psalm. 75. *Dormierunt somnum suũ, & nihil*

nihil inuenerunt omnes viri diuitiarũ in manibus suis.

S. Ioann. Damascenus libr. de Barlaam, & Iosaphat refert hãc parabolam. Eam inspersa explicatiuncula reddam. Fuit, (*homo*;) qui criminis reus, morti addicitur. Adit supplex tres ordine amicos, quorum duos summe coluit; tertio neglecto: hos orat, pro se deprecentur. Primus, (*parentes & cognati*:) negat: tantum, ait, te comitabor ad mortem. Aditur secundus, (*Diuitiæ.*) Et hic negat; inuolucrum tamen se daturum ait. Aditur tertius, (*Virtus*:) Hic spondet: apud Iudicem deprecabor pro te, quin & patrocinabor. Ecce, Apocalyps. 14. *Opera eorum sequũtur illos.* At de duob. istis dicas, Iere. 16. *Seruitis Diis alienis, qui non dabunt vobis requiẽ die ac nocte.*

Mundani & peccatores Nil capiunt.

III. Iacob idololatræ Labano seruiens queritur Gen. 31. *Mutauit mercedem meam decem vicibus.* Cum mundo frustra exposulant iniurioso cosmopolitæ; quantumcumque ei seruiant: Nil capiunt. Hoc mundi est: *Nihil.*

Seruiant peccato: *Nil* capiunt. 1. Peccatum Nihil est, ait August. Et hoc *sine ipso*, Deo *factum est Nihil.* 2. Et 1. Cor. 13. *Si charitatem non habeam, Nihil sum.* Quia in statu peccati. Psalm. 72. *Ad nihilum redactus sum, & nesciui.* 3. Ezech. 28. *Nihil factus es, & non eris in perpetuum.*

Vita est Nihil &c.

Quin vita hæc mortalis ipsa est *Nihil* 1. Psalm. 38. *Ecce mensurabiles posuisti dies meos: & substantia mea tanquam Nihilum ante te.* 2. Iob. 7. *Nihil sunt dies mei.* 3. Labores ergo continuare maiorum insignia, nobilitatem, &c. & *Nihil* sunt: Isa. 41. *Ecce vos estis ex nihilo; & opus vestrum ex eo, quod non est.* 4. Quid fama, & gloria? Ioan. 8. *Si ego glorificabo meipsum, gloria mea Nihil est.* 5. Quid dominium in subditos; Gal. 6. *Si quis existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit.*

6. *Permare, per terras currit mercator ad Indos,*

Vt congestet opes.

Sed hæ quid sunt? Sapient. 7. *Diuitias Nihil esse duxi in comparatione Illius.* 7. Quid mundus? Ier. 4. *Aspexit terrã, & vacua erat,* & Nihil.

Ergo *Propter quod irritauit impius Deũ?* Ps. 9. Hinc qui in istis velit quid piscari.

Delphinum syluis, appingat fluctibus aprum.

Itaq; *Duc in altũ & laxate retia vestra.*

PARS V.

De piscatoribus bonis ac malis.

I. *Duc in altum.* Piscatores sunt duplices. 1. Boni ab missione, & vita, aut illa sola, 1. Matt. 4. *Faciam vos fieri piscatores hominum* Petrus *Act.* 2. Piscatus est *piscium ciriter* 3000. Rursus *Act.* 4. ad 5000. Christus quantum iactatus in alto est? Cumque pertulisset omnia; demum Ipse *Veni in altitudinem maris; & tempestas demersit me.* Ps. 68. Idque in Passione. Hic omnes nassæ dæmonis conclusos ac Mortis eripiens, vel mortuus piscatus est. 4. Aegyptii exprimũt liberatorẽ multorum per piscem torpedinẽ. Hic reti captũ sentiens, virus effundit, quod ascendens ad manus piscatoris, torpidas reddit ac semimortuas. Sicque elapso è reti, pisces elabũtur oẽs. Ita IESVS satanæ fecit; *Laqueos contriuit, & nos liberati sumus.* 5. Quia igitur, IESV, *Dirupisti vincula mea, Tibi sacrificabo hostiam laudis. Ps.* 115.

II. Mali piscatores Hæretici sunt. Eunt infausti illi de quibus 1. Iere. 16. *Ecce, ego mittam,* id est, currere permittam, *piscatores multos & piscabuntur eos.* 2. Et Psal. 118. *Cadent in retiaculo eius* Satanæ. 3. Huius farinæ fuit Arrius, anno 318. Cuius verriculum conclusit mũdum. *Totus terrarum orbis ingemuit, & se Arrianum esse miratus est.* ait Hier. Et prodit *Tripart. hist. l.* 4. c. 8. Talis fuit Macedonius, fingẽs *S.* Spiritũ esse

creaturam, anno 388. Talis Pelagius, sub annum 400. negans p. orig. & gratiam; tribuens omnia, cœlum quoq; soli libero arbitrio. Talis Manes, & innumeri hæresiarchæ. Vtinam Europa eos non nosset? Qui omnes caruere acceptis à Deo Patentib. istis: *Duc in altum.* Duxerunt; sed iniusi: non vocati, non missi.

PARS VI.

De iussu: Duc in altum.

Altũ mysteriorum. I. QVis sensus Dicti huiusce? 1. An: In altum mysteriorum diuinorum? Duxit, & dixit: *Tu es Christus Dei viui:* quicquid vulgus de te sentiat. 2. An, *Duc in altum*, id est: Non in solo stagno Genezaret, inque Iudæa prædica: sed *ite in vniuersum mundum* Aug. l. 2. q. Euang. ait, *Hoc*, Duc in altum, *ad remotiores gentes pertinet.* Sicut Isaias dixit: *Tolle signum in gentes; ad eas, quæ propius, & quæ longe.*

2. Orbis totius.

Lex noua præstat veteri. 4. An hic sensus est: Pontifices V. T. viderunt tantum ripam mysteriorum, tu in abyssos prouehare. Tantum differunt lex tabulæ, & lex gratiæ. Placet, quicquid horum senseris.

1. Prohibitione cogitati mali. II. Id figuræ ostendunt. 1. Angelus Danieli, *c.* 10. visus est præcinctus ad renes: *Apoc.* 1. aut circa mamillas: Quod (ait *Richard. à S. Vict. & Pannonius*,) Vet. T. opus ipsum luxuriæ prohibitum fuerit; in Nouo etiam cogitationes. Matth. 5. *Dictum est antiquis: Non mœchaberis: Ego autem dico vobis. Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est.*

2. Perfectione operis. 2. *Orig. hom. 12. in Exod.* Moysis facies resplenduit *Exod.* 24. sed manus leprosæ fuerunt, *Exod.* 3. Quia opera V. T. imperfecta: At Christus in transfiguratione totus resplenduit. Hinc *Galat.* 3. Isti in V. T. pueri vocantur: at Christiani, viri perfecti.

3. Misericordia. 3. In V. T. Moyses præferebat mucronem iustitiæ, & cultrum circumcisionis: at in N. T. *Apoc.* 1. IESVS *habebat in dextera suâ stellas.* 7. misericordiæ.

4. Dignitate. 4. Ps. 135. *Fecit duo luminaria magna, maius, & minus. Solem, in potestatem diei: Lunam & stellas in potestatem noctis.* Vbi Arnobius ait. *Sol radiat in lumine agentibus: aliud in nocte iudaica conuersantibus.* Vere Dominus *in Sole posuit tabernaculum suum.* Psalm. 18. Hinc *Apoc.* 1. visa est Domini facies instar solis radiare: Moysis vero *Exod.* 34. instar lunæ cornutæ.

5. Facultate. 5. Lex V. T. fuit iugum importabile. At in N. T. Act. 15. *Visum est Spiritui S. & Nobis, nihil imponere vobis vltra oneris, quam hæc necessaria.* Vnde sic vocat Iudæos Mat. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis.* Venerunt multi. His dicit Gal. 5. *State & nolite iterum iugo seruitutis contineri.* Vere iugum: nam teste *Lyrano, & Tostato*, erant vltra sexcenta præcepta. At Dominus ait Matth. 11. *Iugum meum suaue, & onus meum leue.*

6. Auxilio gratiæ. 6. Id in Arca significatum, transferenda ex domo Obededom: Ea enim, ait *Lyra ex Rabbinis*, seipsam leuauit, vt portantes Leuitæ onus non sentirent. 1. Par. 15. *Cumque adiuuâsset Deus Leuitas, qui portabant Arcam*: idcirco *immolabantur septem tauri, & 7. arietes.*

7. Veritate rerum. III. Quare. *Duc in altum:* Id est ingredere in plenitudinem Legis. Nam *vmbra abiit, & recessit.* Gal. 4. *Venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum.* Nam Lex vetus inanis erat ab gratia: Vnde Apostolus vocat eam, Gal. 4. *infirma, & egena elementa.* Ideo iussit Deus, vt altare holocaustomatum inane esset, non solidum; *Exod.* 27. & 38. Et ideo Dominus Matth. 5. *Non veni legem soluere, sed adimplere.* Id est, ait Hier. ibidem, *perficere.* Quia Rom. 10. *Perfectio Legis Christus.*

8. Claritate interpretandi mysteria. IV. *Duc in altum*, hoc est: Scripturas interpretare; mysteriorum & Religionis adyta reserato. 1. Et vere Apoc. 10. *tonitrua voces* sunt in noua Lege: Nam in Ve-

tere,

Iere, ait *Rupertus ibidem*, tonitrua confusa, inarticulata erant Prophetarum dicta: in Noua *Locutæ sunt voces*. 2. Inde in V.T. Lex data est in Synai cum tonitruo *Exod*. 19. & in caligine: Et Moyses blæsus balbutiebat: at in N.T. Spiritus Sanctus venit in igne, vt linguæ, fecitque disertos, *& in omnem terram exiuit sonus eorum*. 3. Iere. c. 1. mysterium Triados explicaturus clamat: *â â â, Domine Deus nescio loqui: quia puer ego sum*. At Apostoli plane sunt elocuti. 1. Ioan. 5. *Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus*.

4. Ideo iussit Deus Isaiæ c. 8. *Sume tibi librum, & scribe in eo stylo hominis*, q.d. Non ænigmatico, Mosaicoque: sed hominis Dei Christi Iesu.

9. Cognitione mysteriorum.

V. *Duc in altum*: Id est, in maiorem mysteriorum cognitionem. 1. Ideo *Ezech*. c. 1. visa animalia sunt habere alas quatuor: At Ioanni *Apoc*. 4. habere senas. Quot tanto sit maior in Christianis cognitio cœlestium rerum. 2. Prædictum Ps. 138. *Nox sicut dies illuminabitur*. 1. Heb. 1. *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis: nouissime diebus istis locutus est nobis in Filio*. Quo sub Doctore non plus proficeretur? Inde Christiani dicti sūt Discipuli Dei. Secundum Istud Isa. 54. *Ponam vniuersos suos Doctos à Domino*. LXX. vertunt, διδακτοὺς τοῦ θεοῦ, *Discipulos Dei*.

5. Hinc & Angelos docent Apostoli. Eph. 3. *Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc in gentib. euangelizare inuestigabiles diuitias Christi, & illuminare omnes, quæ est dispensatio Sacramenti absconditi à sæculis in Deo, qui omnia creauit: vt innotescat Principatibus, & Potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformis Sapientia Dei*. Vnde infert S. Thomas ibidem. *Non videtur ergo irrationabile, quod doceant Angelos Apostoli; qui immediate à Deo sunt edocti*. O Altum, in quod Petrus ducere iussus est? Et duxit, Duxereque, ducuntque quot à Petro missionem iussionemque accipiunt.

DOMINICA VI. POST TRINITATEM.

Nisi abundauerit iustitia vestra plus, quam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.

Mat. 5.

DAuid, 2. *Reg*. 10. iustitiæ, & domestico-rum suorū iuxta amans, si qua hosce affici contigisset iniuria, vindicabat. Vt in Legatis ad Ammonitas, iniuria affectis, declarauit. Minus patitur IESVS suorum quemquam despici, vel notari. Quod iniuriam proximi, suam esse ducat. Itaque vetat cuiquam vel bilem cieri. Quod qui sequitur, veram is perfectionem assequitur: Sin' autem, Pharisaicæ iustitiæ affectator est.

Nos ista.

I. *Veteris ac Nouæ Legis comparatio dispar.*
II. *De Pharisaica iustitia.*
III. *De homicidij immanitate.*
IV. *De ira tum iusta, tum dira.*

PARS I.

Veteris ac Nouæ Legis comparatio dispar,

PHilosophi orbem bipartiti sunt in Elementarem, & Cœlestem. Theologi; Legem, in Veterem, ac Nouam. 1. Atque vt Cœlestis est 1. dignior natura. 2. Nullis obnoxia mutationibus. 3. Ab sole illustris. 4. Dispulsis tenebris, nubibus, nebulis serena semper serenat elementa: At vero *Elementaris*. 1. indignior est.

Præstat multis lex noua veterem.

2. Variis obnoxia corruptionibus & generationibus. 3. Luce caret propria.

4. Tenebrat, ac turbat: Ita quoque *Lex Noua*. 1. præstat *Veteri* dignitate rerum. 2. Constantia immutabili. 3. Magistro iustitiæ

stitiæ IESV: Qui fons est & origo omnis boni ad nos dimanantis. 4. Magisterio: Nam elucidat vmbras, eliminat figuras, timores, minas, seruitutes ablegat. Quæ in Veteri contraria erant omnia.

Viuificat. 2. Inde 2. Cor. 3. *Litera occidit, Spiritus viuificat.* Vbi sic S. Chrysost. *Lex Sabbato lignantem, Num. 15. lapidat. Hoc est, quod ait: Litera occidit. Gratia sexcentos homicidas & latrones accipit. Lex vetus deprehensum ex viuo mortuum reddit; Lex nostra reum ex mortuo viuum efficit.* S. August. lib. de spir. & lit. ca. 4. Idcirco ait litera. Occidit, quia vitam & gratiam præstare nequit: At Euangelium dat vtramque, reos absoluit; spem promissis addit.

II. Figuræ id docent. 1. Giezi, 4. *Reg.* 4. seruo datur ab Elisæo baculus, vt viduæ filium suscitet mortuum. Tentat: at nequicquam. Ipsum venire Elisæũ necesse erat. Deus Moysi dedit virgã rigoris Legem: sed nulli vita venit. Venit IESVS; sine virga: homini incubuit: vitam restituit. 2. Lapsum in latrones seminecem pertransit Sacerdos, & Leuites immitis. Humanior Samaritanus eum suscipit, curat; curandumque commendat; & suis id sumptib. Homo displagiatus, ab Lege V. relinquebatur in suo sanguine se volutare semimortuum: Eius misertus est IESVS, deditque eum legi gratiæ.

Iustificat.

Nimirum 1. *Radix & genus Dauid* erat, *Apoc. vlt.* Vt igitur rami omnes è radice succum trahunt: ita ex spe in IESVM omnes V. T. Patres iustificationem trahebãt. 2. Quin & Cherubini, *Exo.* 25. irretortis aspectabãt Propitiatorium salutis. Atqui Deus Roman. 3. *Christum proposuit propitiatorem in sanguine ipsius ad ostensionem iustitiæ suæ, propter remissionem præcedentium meritorum.* Nam IESVS verum est & vnicum Propitiatorium, in Lege noua: At Heb. 10. *Vmbram habet lex futurorũ bonorũ.*

Cœlos reserat. 3. Lex V. non erat cœlo reserando: At 1. Petro dicitur Matth. 16. *Tibi dabo claues regni cœlorum.* 2. Et Steph. ait: Act. 7. *Video cœlos apertos.* 3. Aperti sunt Christo incarnato: & baptizato. 4. Apertas vidit Ioannes portas XII. cœlorum *Apoc.* 12. At 1. in V. T. præcepit Deus, vt Nehemiæ, 2. Esd. 7. *Non aperiantur portæ Ierusalem vsque ad calorem Solis*, Messiæ. 2. Mandatur Num. 35. *Exules & profugi ante mortem Pontificis nullo modo in vrbes suas reuerti poterunt*: Atqui omnes ante Christum erant *exules filij Euæ.* Quo imperfectiores iidem in iustitia: quam nostra exuperare debet.

PARS II.

De Pharisaica iustitia.

Iustitiam-rio.

NIsi abundauerit iustitia vestra. Vox *Iustitia* hic accipitur pro omnium virtutum vsu, secundum vulgatem hunc versum: *Iustitia in se se virtutes continet omnes.* Sic *Chrys.* 2. At *Hier.* ait accipi pro vita à peccatis immuni. 3. *Aug* ait: pro animæ iustæ nitore, oculis Dei grato. Sic *Gen.* 6. Noe iustus dicitur. Tales X. in Pentapoli reperiri Dominus desiderabat. *Gen.* 18. Non igitur pro virtute particulari est accipienda hic Iustitia.

1. Pharisæi cũ est valore operã mereri gratiam.

1. *Pharisaica iustitia* fuit; propriis operibus sic inniti, vt quibus meritum cœleste debeatur, idque suo valore mereantur; nullo ad Messiam respectu. Error. 1. At nos Rom. 3. *Iustificati gratis per gratiam ipsius per Redemptionem, quæ est in Christo Iesu.* Cuius iustitiam participamus per Sacramenta, operaque bona. 2. Nulli erat propitiatio, nisi immolato prius Agno; Sic modo Sanguine Agni Iesu lauamus stolas nostras. 3. Tum aquæ Iericho dulcescebant, 4. *Reg.* 2. cum salem immisisset Elisæus: Ita opera hominum, meritoria cœli facta sunt; cum lignum Crucis in fontem Sanguinis Christi fuisset immissum. Vt à Moyse factum, *Exod.* 15.

1. Externa

2. Pharisaica Iust. tantum externa spectabat

Spectare, nō interna.

ctabat opera, non intentionem. At Matt. 23. *Væ vobis Scr. & Pha. qui mundatis, quod de foris est calicis: intus autem estis pleni rapina, &c.* Christiana non sic. 1. Nam Ps. 44. *Omnis gloria filiæ Regis ab intus.* 2. Ideo sic iussit, Leu. 7. *Offerent caudam*, finem operis, *& adipem qui operit vitalia*, interiorem cordis intentionem: *duos renes: & pinguedinem, quæ iuxta ilia est.* 3. Ita Dauid Psalm. 102. *Benedic anima mea Dominum; & omnia quæ intra me sunt Nomini sancto eius.*

3. Placere hominibus.

3. Pharis. Iust. spectabat gratiam hominum, & gloriam propriam: At nos monemur 1. Matt. 6. *Attendite, ne iust. vestram faciatis coram hominibus vt videamini abeis.*

2. Isti vero Matt. 23. *Omnia opera sua faciunt, vt videantur ab hominib.* Vt ludiones, histrionesq; omnia agunt; vt placeant, & lucrentur. 3. Demum dicent *Sap.* 5. *Ergo errauimus à via veritatis, & iustitiæ lumen nō illuxit nobis, & Sol intelligentiæ non est ortus nobis. Lassati sumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulauimus vias difficiles. Viam autem Domini ignorauimus. Quare Nisi abund. &c.*

4. Fucare exteriora.

4. Pharis. iust. fucata erat: nec enim prauos affectus peccare ducebat. 1. At *audistis, quia dictum est antiquis, &c. Ego autē, &c.* 2. Rex apum cæteris duplo maior, aculeo caret: Sic quo maior es, eo suauior sis intus, absque rancore, peccato, &c. Et externa opera sint animo similia. 3. Est enim, qui minatur, *Psalm. 74. Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo.*

5. Hypocrisare.

5. Pharis. iust. est mera hypocrisis. Mat. 22. *Quid me tentatis hypocritæ.* 1. Nummi sunt adulterini, ærei sed inaurati. 2. Statua sunt Nabuchodo. cuius facies aurea, pectus æneum. *Dan.* 2. 3. Ad mare poma nascuntur rubella; at tactu in fumum tetrum soluuntur: sic opera hypoc. 4. *Struthionis penna similis est herodij, & accipitris. Iob* 39. Quæ aues volatu superant omnes, istę tamen nec humo se sustollere valent: Ita miram quidam præseferunt sanctitatem; præstant nullam.

5. Arx munita loco, muris, fossa, valle, tormentis, &c. videtur inexpugnabilis; at intus vacua est ab puluere, hominibus necessariis: Ita ieiunans, orans, &c. sed in speciem.

6. Arguere peccantes, & peccare grauius.

6. Aquila pullos explorat suos soli oppositos; hunc si fixi queant intueri, genuini sunt; si conniueant, abiiciuntur: Ita si intentio operantis bene sit fixa in Deo.

7. Meretrix se comit, colit ambitiose: *Sic gens prauа & adultera* Pharisaica. De qua Ier. 3. *Tu autem fornicata es cum amatoribus multis.* Ezech. 20. *Cū idolis suis fornicatæ sunt.*

6. Phar. iustitiæ erat, aliena peccata arguere: sua nescire, velare &c. 1. Absalon 2. *Reg.* 16. persequebatur patrem bello: Grande nefas! Reperit amicissimum Patris Chusai in Palatio stātem; exprobrat ei: *Hæc est gratia tua ad amicum tuum? Quare non iuisti cum amico tuo?* En colat culicem, & deuorat elephantem. Ita Luc. 6. *Vides festucam in oculo fratris, non trabem in tuo.* 2. Vt campanæ ad templum omnes vocant: Intersignia hospitiorum omnes inuitant; & ipsa non intrant. 3. Fabri arcæ Noe ipsi non intrarunt eam: perierunt. 4. Diogenes apud *Laertium lib.* 6. bene arguit musicos; quod fides & notas concordarent, moribus vero dissonarent.

5. Non sic Themistocles: Hic negabat se nosse ludere testudine; nosse autem è parua magnam facere Remp. *Augusti. Epist.* 66. Minora libens nesciebat & negligebat: Contra Pharisæi; parua magni faciebant, maxima parui. Sic *Ioan.* 19. Fugiunt inire prætorium Pilati, nec tamen metuunt occidere Iesum.

PARS III.

De homicidij immanitate.

Punitur intus à cō-scientia.

QVi occiderit, reus erit iudicio. Homicidij primus iudex, & vindex est cōscien-

tia, naturaq; exhorrescens facinus. 1. Ita Abigail, 1. *Regum* 25. dissuadēs Dauidi cædem Nabalis: *Non erit tibi hoc in singultum, & in scrupulum cordis, quod effuderis sanguinem; aut ipse tē vltus fueris.* 2. S. Chrys. ait Cainum, per agros vagum, semper tremuisse præ horrore tum conscientiæ de paricidio; tum vmbræ fraternæ, quæ nūquā ab eo abfuit, vsque secuta pœnas exigēs.

3. Dauidi eadem pœna dictatur 2. Reg. 12. *Vriam occidisti: vxorem eius accepisti: Quāobrem non recedet gladius de domo tua vsque in sempiternum.* Sed sæuior gladio fuit ipsi conscientia facti. Hæc somnum ei excussit; gemitus etiam inter Principes, Psalm. 89. *Et peccatum meum contra me est semper;* Vrię sanguis, & vmbra. Ergo. *Non occides.*

Punitur lege. 4. Homicidæ, *Num.* 35. exulare iubebantur vsque ad mortem Pontificis. Adeo execrabiles iudicātur. Quasi, ait *Rabbi Moses l. 3. cap.* 4. occisum terra & incolę lugere debeāt, donec maior fit luctus assumēdus de Pontifice mortuo. Vel: Quod imbuta cęde tellus ab aliis expiari nō possit, nisi morte: Et morte Pontificis, qui vnus pro omnibus mori censetur. Sic *Andr. Masius.* 5. S. Chrysostomus ait: *Quanto maius peccatum Caini sit, quam protoplastæ; ex maledictionis varietate videre licet.* Nam Adæ dictum: *Maledicta Terra in opere tuo.* At maledictio *in Caput* Cain facta est.

Vindicatur à multis. 6. Quod persecutores sunt vnius homicidæ? 1. Cæsi vmbra. 2. Sanguis vindictam clamans. *Quia,* inquit, S. Ambr, l. de Cain: *Deus iustos suos audit, etiam mortuos: quia Deo viuūt.* 3. Terra: Vnde Ambr. *Vox sanguinis clamat de terra: Non dixit, de fratris corpore. Quia frater parcit; terra non parcit.* 4. Creaturæ. Vnde Procopius Gazæus: *Cain vidit virtutes cœlestes; metuebat quoque insidias ferarū acreptikum; quæ Deus ad vindictam creauit impiorum.* Nam cum eius pater, & mater soli in orbe essent; ipse tamen semper tremebat metu.

5. Deus fusi est sanguinis vindex: qui Caino tremorem immisit, in quo vixit 7. ætates: in septima occisus à Lamech.

PARS IV.

De ira tum iusta, tum dira.

Ira columbina bona. I. *QVi irascitur fratri suo, reus erit iudicio.* Ira non omnis peccat. 1. Ps. 4. *Irascimini, & nolite peccare.* 2. Deus ipse irascitur iuste: Ps. 89. *Quis potest iram tuam dinumerare?* Ps. 6. *Domine ne in furore tuo arguas me.* 3. Est ea columbæ ira: Ierem. 50. *Dispersdite satorem de Babylone, à facie gladii columbæ:* Id est: Nabuchodonosoris. Nam Babylon in insignibus gerebat columbam. S. Gregorius *in cap.* 40. *Iob:* ait iram Dei esse columbinam; quod sine perturbatione fit.

Iræ moderandum. 1. Aaron, & filii in Vnctione sua iubebantur offerre similam; *Leu.* 6. sed in oleo frigendam: Id est: Dum ira in sartagine æstuat; sit ea tamen in oleo misericordiæ. 2. Ephes. 4. *Sol non occidat super iracundiam vestram:* Id est moraliter, Charitas non extinguatur in ira. 3. Perianderad pictum fœnum scribebat: *Iram cohibe.* Sic Psalm. 31. *In chamo, & freno maxillas eorum constringe.* 4. Prisci in symbolum iræ moderatæ, pingebant quercum, ramis oliuæ intercurrentibus. Quod animus, ira durus fit lenitate temperandus. Sic *Pier. l.* 51. *Hieroglyphicorum.*

Per clementiam. 5. Clementia, est mare rubrum, in quo bellatores Aegyptij submerguntur. Si malogranata cœperint ab arbore efferri acerbiora; ait *Pierius lib.* 4. tunc coloni ramum pini adalligabant radici; quo amatorem ad se trahente, fructus redibant ad solitam suauitatē. Malogranata fructū vitę bonos significant; Vnde *Exod.* 28. ad vestem Pontificis pendebant circumsecus: Pinus autem mortis est Symbolum, quod succisa nō renascatur. Quare iram temperes per mortis memoriam.

II. Stoici negabant in sapientem cadere iram,

Iræ de decora.

1. Est stulti.

re iram ac perturbationem. *Aug. l. 9. Ciuit.* Certe, Arist ait, Herois esse, tarde irasci, & iræ cito obliuisci. 1. Iob. 5. *Virum stultum interficit iracundia, paruulum occidit inuidia.* 2. Eccl. 7. *Ne sis velox ad irascendum: Quia iræ in sinu stulti requiescit.* 3. *Seneca* libro de ira, ait: Nullam compendiosiorē viam esse ad stultitiam, quam iræ.

4. Rom. 12. *Non vos metipsos defendentes, sed date locum iræ.* Sanctus Basilius. *Date locū iræ, quasi torrēti, qui obuia quæque deuoluit.*

2. Est Sæuientis in seipsum.

Irati in seipsos sæuiunt sæpe. Vt tigris, cui rapti sunt catuli. Quos rapidissimo discursu requisitos si reperire desperet; seipsam dilacerat, Iob. 4. *Tigris periit, eo quod non haberet prædam.*

3. Voluntarie insanientis.

Describitur ira sæuiens. 1. *Aristoteles* ait, esse sanguinis incendium circa cor. *Chrysostomus homilia vigesimaprima in Ioan.* Est ebrietatis species, quæ animam affectib. ebriat. *Est*, inquit, *ebrietate grauior, & dæmone miserabilior.* 2. De ea Prou. 26. *Spinæ nascentur in manu ebriosi*, id est, irati; spinæ sunt inimicitiæ. 3. Chrysostomus homilia vigesimaquarta in Ioan. *Si iratus seipsum intueri posset, nulla vlterius indigeret admonitione. Nihil enim irato turpius.* 4. Prouerb. 30. *Per tria mouetur terra; & quartum non potest sustinere.* Hoc est. *Ancilla, cum fuerit hæres Dominæ suæ.* id est, cum in rationis dominium inuolat passio, quæ illi alias ancillari debet

5. Cicero in offic. *Sicut ciuitas in seditione non potest esse beata; sic animus à seipso dissidens, nullam gustare partem liquidæ voluptatis potest.* 6. Clarius Iacob. 4. *Vnde bella, & lites in vobis nisi ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris?*

Figura æstuantis iræ.

7. Deus Ierosolymæ excidium, & iram suam ostensurus Ezechieli ait, capite quarto. *Sume tibi sartaginem ferream, & pone eam murum inter te, & ciuitatem.* Est ira bulliens sartago. 8. Angelus Apocal. 16. *quartus effudit phialam suam in solem, & datū est illi æstu homines affligere, & igni, & æstuauerunt æstu magno, & blasphemauerūt nomen Domini.* Phiala hæc iræ fuit in solē rationis obfuscandæ effusa ab Angelo Satanæ.

Symbolicū.

9. Martem ait *Cartharius lib. de imagin. Deorum* pingebant prisci cum gladio, quem in seipsum adigeret, & pedes obscura nube inuolutos. Talis & ira sæuit in se obcæcata mente. 10. Fumo ligni viridis apes ex alueario eliciuntur, vt faui tuto auferantur: Sic dæmon choleræ fumo expellit rationem & virtutes: spoliatque animam gratia Dei.

Nota. Per iram tamen hic Dominus intelligit eam, quæ ad homicidium viam præstat. 2. Vocem *Racha*, Chrysostomo esse vocem contemnentis, quasi *Tu.* Augustino, indignantis interiectionem: Hieronymo idem, quod *vesane.* 2. Nota, Apud Iudæos triplex iudicium fuisse. 1. Commune rerum minorum,

2 Synedrion, constans 23. iudicibus.

3. Synedrion maius, ex 72. Iudicibus, summis quibusque viris.

Peroratio. Quare Psalmo trigesimooctauo. *Desine ab ira, derelinque furorem.*

1. *Seneca* ait: Nautæ vela dant ventis cum serenitas inuitat; cum tempestas instat, in portu se continent. Sic tu: Vt Psalmo 76. *Turbatus sum, & non sum locutus.*

2. Athenodorus Philosophus ab Augusto Cęsare discessurus supremam doctrinam dabat: iratus non prius quicquam diceret, ageretue; quam secum tacite Alphabetum recitasset. Cui Cęsar. Mane: Opus es mihi. *Plutarchus in vita.*

3. Ita Sanctus Ambrosius iniunxit Theodosio Imper. in iram prono, neminem ad mortem traheret, nisi 30. dies ab sententia lata effluxissent. *Historia Tripart. libro nono capite trigesimo.* 4. Architas Tarētinus, *Cic. 4. Tusc.* seruis iratus ait: *Fortunati estis, quia irascor vobis.* Quare, Viatores Christiani, Genes. 45. *Ne irascamini in via.*

DOMINICA VII. POST TRINITATEM.

Misereor super turbam. Marci 8.

MAnna, *Exod.* 20. prius missum non fuit; quam farina defecisset Aegyptia. Ita his à Domino non parata in deserto mensa est; dum cibus assumptus per triduanam sequelam defecisset.

Nos ergo

I. *De misericordiæ Dei præcellentia.*
II. *De prouidentia Dei Seruatoris omnium.*
III. *De triduo sequelæ.*
IV. *De triduana populi sustinentia.*
V. *De Christi beneficentia.*
VI. *De Misericordia.*
VII. *De diffidentia Apostolorum, & zelo turbæ.*

PARS I.

De misericordiæ Dei præcellentia.

Testimonia I. abre: THeologis etsi in Deo æqualia sint omnia; inter attributa tamen cæteris eminet Misericordia. 1. Ps. 144. *Suauis Dominus vniuersis, & miserationes eius super omnia Opera eius.* Quæ præcipua quatuor sūt: Potentia, Sapientia, Iustitia, Miseric. 2. August. in Ioan. ait: *Maius opus fuit genus humanum iustificare, quam mundum creare.* At hoc potētię, id misericordię fuit. Genebrard. sic explicat: *Super*, id est, *erga omnia opera sua misericordiam exercet*: nimirū in potētia, iustitia, sapiētia. Adeo his singulis aut præuenit, aut interuenit misericordia.

Ab nomine. 3. Hinc 2. *Cor.* 1. appellatur *Pater Misericordiarum, & Deus totius consolationis.* Non Pater Sapientiæ, &c. 4. Ita Psalm. 58. *Deus meus misericordia mea.* 5. Itē Ephes. 2. *Deus, qui dives est in misericordia.* Quasi nō dives in Iustitia, &c. 6. Hinc orat Ecclesia: *Deus, cui proprium est misereri semper & parcere.* Vt igni proprium est ardere; Angelis, intelligere, &c. Id è cæteris liquet hoc clarius.

Figuræ. II. Visus *Apoc.* 4. sedere Deus in throno simili Iaspidi viridi, & Sardonychi flammeo, id est, (omissis variorum interpretationibus,) in sede misericordiæ virentis, & Iustitiæ ardentis. 2. Ezechieli *cap.* 1. visus est specie hominis; at supernè similis electro, festucas attrahere solito; infernè igni. Ecce, an non Iac. 2. *Misericordia superexaltat iudicium?* Digniorem tenet locum illa inter cætera attributa Dei.

3. Visus Apoc. 1. *Præcinctus ad mamillas zona aurea.* Qua vtraque licet homines lactet; dexteræ tamen tribuitur Misericordia; Iustitiæ sinistra pars indignior. Hac tardior, illa promtior est Deus. Bonum vtrumq; : at acre sinistræ : dexteræ dulcius vber est.

De his Cant. 1. *Meliora sunt vbera tua vino; & fragrantiora vnguentis optimis.*

Et sane Psalm. 24. *Vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas.* 5. Inprimis autem Psalm. 102. *Quomodo miseretur pater filiorū; Ita misertus est Dominus timentibus se: Quoniam ipse cognouit figmentum nostrum; recordatus est, quoniam puluis sumus.* Et hodie ait: *Misereor super turbam.*

PARS II.

De prouidentia Dei seruatoris omnium.

Claues Dei quatuor. I. MIsereor super turbam. Duo nota: Dei misericordiam & turbæ perseuerantiam. Chaldæi scribunt Deum è Zona claues 4. gerere. 1. Pluuiæ: Deuter. 28. *Aperiet Dominus thesaurum suum optimū; cœlum, vt tribuat pluuiam terræ suæ in tempore suo.* 2. Prouidentiæ. Ps. 15. *Aperis tu manum tuā, & imples omne animal benedictione.* 3. Generationis. Gē. 30. *Recordatus Dominus Rachaelis, exaudiuit eam, & aperuit vuluam eius.* 4. Resurrectionis. Ezech. 35. *Ecce ego aperiam tumulos vestros,* Apoc. 1. *Noli timere: habeo claues mortis, & inferni.*

Prouidentiæ scala. Harum quarta pulcherrima est Prouidentiæ. 1. Vnde Psam. 103. *Omnia à*

ze ex-

te exspectant, vt des illis escam in tempore. Dante te illis, colligunt, aperiente te manum tuam, omnia implebuntur vbertate. 2. Prouidentia ea Dei est Scala Iacob. *Gen.* 28. hinc terram, inde cœlum *attingens*, Sap. 1. *à fine vsque ad finem fortiter, & disponens omnia suauiter.* En, latera scalæ sunt Fortitudo, & Sapientia: gradus sunt, creaturæ: Scala tota est misericordia prouidens singulis, etiam animalculis insectis:

Exempla eiusdem. 1. Ecce Alcyones oua sua ponũt, excluduntque non nisi in litore maris, hyeme media, & pro his Deus imperat malaciam ventorum ac maris. Quanto magis prouidet homini? 2. Ad montem Casium, ait *S. Basil. in Hexa. hom.* 8. quotannis locustæ nascuntur innumeræ, certo tempore, quę segetes depascuntur. Et ecce prouidit Deus auis genus, Seleucis dictum, voraciſsimũ, quod omnes deuorat & agrum peste liberat. 3. Refert *Olaus Magnus l.* 25. *hist. c.* 15. in remotioribus Septentrionis partibus ob continuũ ac sæuum frigus non posse sat lignorum suppetere: Itaque prouidit Deus, vt è costis piscium quoque domus cõstitui possint, quo ligna focis sufficiant.

Ita prouidet his Domini sequacibus. 1. Psalm. 14. *Vniuersi qui sustinent te, non confundentur.* At isti *iam triduo sustinent.* 2. Ergo Psalm. 36. *Sustinentes Dominum ipsi hæreditabunt terram.* 3. Et vere ideo Psal. 129. *Sustinuit anima mea in verbo eius.*

PARS III.

De triduo sequelæ.

1. Deus sequentes se pascit. 1. COnsidera autem singularem Dei curam in eos, qui Iesum sequũtur per desertum. 1. Ambr. l. 6. in Lucam. *Gratiæ cœlestis impartitur alimẽtum Christus. Sed non otiosis, non in ciuitate, vel sæculi dignitate residẽtibus: sed inter deserta Christum quærentibus.* 2. Inde dicens Dominus; *Vos estis, qui permansistis mecum intentationibus meis:* mox subdit: *Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum.*

2. Religiosi sunt sustinentes. Porrosimiles illorum sunt Religiosi; qui relictis omnibus sequuntur vnum *triduo* Paupertatis, Obedientiæ, Castitatis. Et vero pascuntur varia cœlesti consolatione. *Triduo* fidei, spei, charitatis, *Triduo* contritionis, Conf. satisfact. *Triduo* orationis, ieiunii, elemosynæ. Ergo Psal. 54. *Iacta super Dominum cogitatum tuum; & ipse te enutriet.* 1. In desertum egressis manna pluit Deus, *Exod.* 20. Non hærentibus in Aegypto mundanis. 2. Neque iis in deserto, qui, vt Rachaeli, *Gen.* 31. Idola patris, ambitionem, amorem proprii, &c. secum portant in Religionem.

Sunt de longe. 3. Religiosi sunt, qui *de longe venerunt*, per contemptum mundi, per paupert. & Castitatem, &c. quæ lõge à mundo sunt. Longe venit, qui venit à toto ad nihil: longius, qui ab esse, ad nõ esse venit, adque omnium, etiam sui priuationem.

Sed alius alii longius. 4. Sed dicitur: *Quidam ex eis*: ergo non omnes. Nec enim id omnium est. Neque omnes Religiosi æque veniunt de longe. Nam quidam longe: qui votum paupertatis habẽt, sed in lauta rerum abundantia. Alij longius, egentiores: Alij lõgissime, ex meris eleemosynis victitantes.

3. Sustinentia meritũ. II. Sustinentia meretur miserationem.

1. Sic Magdalena sustinens ad sepulcrũ sola, meretur videre Dominum. *Marc.* 16.

2. Chananæa instans. *Matth* 13. meretur audire: *ô mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut vis.* 3. Importune pulsans amici fores pro pane, *Luc.* 11. impetrat. 4. Sara formosa, iam septimum vidua, orat; & demum feliciter maritatur. *Tob.* 8. Ita hic turbæ *sustinent.* 5. Quem ergo sequaris Regem potius, quam Iesum? Cãt. 3. *Tenui eum, nec dimittam.* Et quid ni? Nam. Io. 8. *Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes.*

4 Remuner. III. 4. Accurate dies sequelæ numerat

rantis Dei numeratio operum.

Dominus. 1. Sicut actiones Magdalenæ in domo Simonis minutatim notantur. *Luc.* 7. 2. Item vt & Abrahæ: Gen. 22. *Quia 1. fecisti hanc rem, 2. & non pepercisti filio 3. tuo 4. vnigenito; benedicam tibi.* 3. Numerat Dominus omnes gressus, & cogitatus quoque pro ipso factos. Vnde Iob 7. *Sicut mercenarij dies eius.* Vt scilicet *tribuat vnicuique secundum opera eius.* 4. Post sanguinariæ manus scripturam, Daniel ait Balthasari Regi; Dan. 5. *Numerauit Deus regnum tuum, & compleuit illud, appensus es in statera.* Qui regnorum acta singula sic numerat: quanto magis hominum?

5. Assuerus, *Esth.* 6. ingressus conclaue, recensuit in Commentariis coniuratores, & bene meritos. Fidelius Deus suorum merita censet. Nam Iob 4. *Tu quidem gressus meos numerasti.* Quin *& Capilli capitis vestri omnes numerati sunt.* Lucæ 12. Alia non de causa, quã ob remunerationem. *Non enim iniustus est Deus, vt obliuiscatur operis vestri & dilectionis, quam audistis in nomine ipsius.* Hebr. 6. 6. Hoc fiduciam dabat istis *Matthæi* 20 dicentibus: *Hi vna hora laborarunt: nos autem portauimus pondus diei, & æstus, & pares illos nobis fecisti.*

Mundi ratio diuersa.

IV. At discrimen est inter obsequia Domino, ac mundo præstita. 1. Mundus est gratus, vt Laban Iacobo, *Gen.* 31. conquesto. *Circumuenit me, & mutauit mercedem meam X. vicibus.* 2. Vt de Deo *Iob* 30. Sic Cosmophilus de mundo dicere potest. *Sto, & non respicis: clamo, & non exaudis. Mutatus es mihi in crudelem.* 3. Mundus cum suis agit, vt Baal cum sacrificulis. 3. *Reg.* 19. sinit hos vociferari, seque lacerare: nec tamen exaudit. Vocem non habet veræ consolationis mundus.

PARS IV.

De triduana populi sustinentia.

Encomia perseuerantiæ.

I. ECce iam triduo. 1. Isid. l. de summo bono. *Salus solum perseuerantibus datur. Non enim beatus erit, qui bonum facit, sed qui perseueranter facit.* 2. Bern. in epist. *Scias, diabolum soli perseuerantiæ inuidere, quam solum nouit à Domino coronari.* 3. Quare Phi. 4. *Sic state in Domino, Charissimi, & stabiles estote, & immobiles, abundantes in opere Domini semper, scientes, quia labor vester non est inanis.* 4. Bern. Epistol. 129. ad Genuen. *Perseuerantia vigor est virium, virtutum consummatio, nutrix ad meritum, mediatrix ad præmiũ. Soror est pœnitentiæ; constantiæ filia, amica pacis, amicitiarum nodus, vnanimitatis vinculum; propugnaculum sanctitatis.*

Figuræ eiusdem.

II. Mala granata voluit Deus appensa esse ad extremitates vestis Põtificis. *Exo.* 28. Sed mala ea, cum in capite coronam pręferant, mercedem boni operis significant. Verum in extremitatibus vitæ ea appendetur. Hinc Phil. 1. *Confido, quod, qui incipit in vobis, bonum perficiet vsque in diem Iesu Christi,* id est, mortis. Nam dies cæteri sunt nostri: Vt Iob 7. *Dies Mei velocius transierunt.* Psalm. 108. *Sicut fumus dies mei.* Nostri autem sunt; quot per eos sit in nobis, dextrum, aut sinistrum eligere.

1. Sola coronatur.

2. Templum Salomonis annis septem ædificatum est 3. *Reg.* 6. At destructum, vix quadraginta sex annis potuit instaurari. *Ioan.* 8. Ita perseuerans in gratia baptismatis cito in perfectum euadit; at excidens ægre se reparat.

2. Perfecti facit.

3. Iubet Deus *Exod.* 37. offerri sibi primitias frugum; & *Leu.* 24. Decimas. Ita pascit vitæ, operumque & primordia, & finem, quod est ipsa perseuerantia.

3. Est oblatio Deo.

4. Quæ sibi offerebantur animalia; habere Deus ea voluit, *Leu.* 22. aures, & caudam. Quo idem significat. *In cauda quippe finis est corporis*, at hic Sanctus Greg. l. 1. Moral. cap. vlt. *Et ille bene immolat, qui sacrificium boni operis vsque ad finem debitæ perducit actionis.*

4. Est perfecta.

5. Polymita Iosephi talaris *Gen.* 37. est perseuerantia: quæ & totum vitæ cursum obtegit;

5. Est virtutum cõpendium.

obtegit; ait *Gregorius homil. 25. in Euang. Et Ambrosius in 1. Apocal.* Et ea est varicolor: ob virtutū varietatem, quas cōtinet vna.

6. Adante. riora vsq; tendit. 6. Ezechielis c. 1. Animalia *coram facie sua ambulabant; nec reuertebantur.* Ita perseuerantes: Ne accidat Lucæ decimoseptimo, *quod vxori Loth*, non perseueranti: ait *S. August. 6. Ciuit.*

7. Et vincit. 7. Prisci, (ait *Rich. Brix. tom. 2. de Symbolis,*) pingebant matronam canam, alatam, alligatam columnæ, astantemque Herculem. Indicabant virtutis perseuerantiam; quæ vincit omnia.

Sciens huius bona; & mala deficientiæ, orabat Psalm. 50. *Spiritu principali confirma me.* S. Hier. vertit *Spiritu potenti:* quasi dicat heroico.

PARS V.

De Christi beneficentia.

Nutrire diuinū est, I. ACcipiens 7. *panes, &c.* Quod si 7. panibus saturare 4000. sit miraculum, quanto maius est mundi sustentatio? Si potentissimus Rex vel aues regni sui pascere deberet; vix posset: At Deus Psalm. 135. *dat escam omni carni: Et implet omne animal benedictione.*

Benefacere aliis regiū. Celebrantur variorum regiæ liberalitates: at nihil ad illam Dei. 1. Titus Vespas. Imp. recordatus vesperi, neminem à se affectum beneficio per eum diem: aiebat: *Amici, diem perdidi.* Sic Sueton. 2. Alex. Seuerus Imp. irasci solebat, si quo die nemo quid ab eo petisset. *An me die circumacto*, aiebat, *vobis debitorem fieri vultis?* Ita Lamprid. 3. Dionysius Siculus Rex, visis in Palatio filij vasis aureis & arg. ait; *Non est in te regius animus; qui his poculis neminem tibi amicum feceris.* At nulla est munificentia cum diuina conferenda.

Figura de vtroque. Ing; rem Euangelii præsentem. II. Ioseph, *Gen. 37.* videt in agro se erigentem manipulum, à quo adorabatur: indicabat, eum frumenti & condum, & promum futurum, cibaturumque multos. Hic Iesus est hodie.

2. In Pontificis consecratione, *Leu. 8. Num. 6.* ait S. Th. ibidem. *offerebatur vitulus, pro peccatoribus, in holocaustum, auis, quæ erat pacifica, & canistrum panis; vt sciret Sacerdos se assumturum illius seruitium, qui pane cœlesti in deserto pauit filios Israel:* Videlicet vt sciret, se illi seruire, qui pascit orbem. Populus hoc motus miraculo, Iesum statuit creare Regem. Tali enim seruire dignum iudicabat. Quanto magis Deo?

3. In mensa Panum propositionis, *Exo. 23.* ait *Iosephus lib. Antiq. Iud.* Sculpti erant Reges Iuda; sed tecti, ne adorationis foret periculum. At verus Rex Iesus significabatur cum sua panū mensa hodierna, vere adorandus: *Ecce, Rex tuus mansuetus.*

4. *Isa. 3.* Electus quidam in Regem, resignauit, causam dicens: *In domo mea non est panis, neque vestimentum*, quasi dicat: Munificus esse nequeo. At Iesus munificentissimus.

5. Sed & Nutritor est; quæ duo eum & Regem esse, & Deū arguūt. Hinc Iacob, Gen. 28. *Si fuerit Dominus mecum, & custodierit me in via, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum, erit mihi Dominus in Deum.*

PARS VI.

De Misericordia.

Miserendū egenis. I. DIscamus subuenire egentibus, ac misereri. 1. Hanc sibi cœlo datam agnoscit dotem inter alias Iob 3. *Ab infantia creuit mecum miseratio, & de vtero matris meæ egressa est mecum.* Vere *beatus, qui intelligit super egenum, & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. Ps. 40. 2.* Par est, benefaciat egentibus, cui benefecit Deus. Qui, vt Raab exploratores terræ hospitatos; sic nos videtur alloqui. Iosue 2. *Nunc ergo iurate mihi per Dominum, vt, quomodo ego feci misericordiam vobiscum; ita & vos faciatis cum domo patris mei.*

3. Quare sic & pauperes affemur, vt

Dauid

Dauid Miphiboſeth, 2. Reg. 9. *Ne timeas, quia faciens faciam tecum miſericordiam, propter Ionatham patrem tuum, & reſtituam tibi omnes agros patris tui, & comedes panem in menſa mea ſemper.* 4. Nec enim Deũ amat, qui proximi non miſeretur. 1. Ioan. 3. *Qui habuerit ſubſtantiam huius mundi, & viderit fratrem habere neceſſitatẽ; & clauſerit viſcera ſua ab eo; quomodo charitas Dei manet in illo?*

Immites hominibus ſunt beſtiis benefici.

II. Inhumanus in pauperes, ſæpe eſt profuſus in beſtias. 1. Achab, 3. *Regum* 18. in triennali ſiccitate ac fame mittebat *ad nemoroſos fontes aquarum & in cunctas valles, ſi forte poſſimus inuenire herbam, & ſaluare equos & mulos; & non penitus iumenta intereant.* Hominum & orphanorum cura ei nulla. 2. Nabuchodonoſor. *Dan.* 4. ſomniat arborem, cuius *fructus nimius, & eſca vniuerſorum in ea, ſubter eam habitabant animalia, & beſtiæ.* Similes huic arbori quot? Sed, qui inopes ſub ea fouentur? Nulli. At meræ beſtiæ. 3. Canes ſaginãtur; ſed Lazaro ne mica cedit. *Luc.* 16. ô quot taliũ domus epulonũ sũt? Hæc feritas eſt.

Secus humani.

1. Iuſtior Rex Niniue, *Ion.* 3. mandat. *Homines, & iumenta, & boues, & pecora non guſtent quicquam, nec paſcantur, & aquam nõ bibant.* Iniquum cenſebat macerari homines, & beſtias ſatiari. 2. Similis Rebecca, *Gen.* 24. quæ primo dedit potum ſeruo Abrahæ; deinde elephantibus. Et ſeruos ſummi Abrahæ poſtponet Chriſtianus?

Quid; quod quidam egentes etiam aſpere exagitent, dentque nihil? 1. Sic amici Iobo egerunt, *c.* 4. & tantæ caſtigationis culpam inueſtigauere curioſi. 2. Sic Satan exhauſtum ieiunio Dominum exagitauit. Sed hic lapides tantum obtulit; Dominus panes hodie. Cur? Quia ille durus; hic humanus eſt, & miſericors.

Miſericordia fœcundat.

III. Et miſericordia eſt, quæ fœcundat, ac multiplicat. Exemplo liquebit. Eleeſer, *Gen.* 24. vxori quærendæ Iſaaco miſſus; ita ratiocinabatur: Cũ ſit hero meo facta promiſsio; *Semini tuo dabo terram hanc*; oportet, ſit fœcunda Iſaaco quærenda coniux: Sed huius ſignum miſericordia dabit: quæ potum dederit; illa erit. Orat. Venientem Rebeccã appellat: Et illa; *Bibe, quin & camelis tuis dabo potum.* Ita Procopius in *Gen.* 24. ratiocinatur.

Vitam prolongat.

Miſericordia eſt, quæ vitam profert. Liquet in Melchiſedech, (qui & Sem, Noe filius;) Abrahæ panem & vinum offerente. Hunc tum ſenem interrogauit Abraham; quomodo vitam tam longæuam conſeruaſſet? Ait verbo, *Credac*, id eſt, eleemoſynâ. Cui Abraham, in quos ea facta; cum octo tantum animæ in arca fuerint? Ait; in beſtias, eis pabulum porrigendo. Rurſus Abraham; Quantum igitur remuneranda eſt eleemoſyna in homines? Iſta *Fauſtinus, Taſſius ex Rabbinis.*

PARS VII.

De diffidentia Apoſtolorum, & Zelo populi.

Diffidentia Apoſtolorũ.

I. ERant, *qui manducauerant*, 4000. Mirum! Apoſtolos virtutem Chriſti agnouiſſe in vindicta; Luc. 9. *Vis, dicamus, vt deſcendat ignis de cælo, & comburat illos?* Et non in bonitate. Hinc quærunt; *Vnde illos quis poterit hic ſaturare panibus in ſolitudine?* Nimirum in hoc mundi typum repræſentant; Is ſe potentem agnoſcit ad luxum, ad inimicos bello, & iudicio perſequendos, &c. at impotentem ad eleemoſynas, &c.

Fiducia iuſtorum.

Contra iuſti. Inde Phil. 4. *Omnia poſſum in eo, qui me confortat.* Iſa. 40. *Qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem:* Quomodo? Ex infirmis robuſti fient; *Aſſument pennas, vt aquilæ volabunt, & non deficient, current, & non laborabunt.* Ecce, turbæ infractum gerunt animum inhærentes Domino; & diffidentes ſunt Apoſtoli?

II. Imitandæ ſunt turbæ. Non prius paſti

Sobria Sacrorum auditio.

pastiac sufferti adeamus Sacra, & Concione: 1. Sed vt Iudæi, 1. Reg. 9. *Hic est Videns, quia sacrificium est hodie populi, &c. Nec comesturus est populus, donec ille veniat.* 2. Nec Eleeser, *Genes.* 24. voluit gustare cibum prius, quam *loquar*, ait, *sermones meos* prosponsa petenda. At iam; eundum ad templum est? *Etiam si saturati sint, murmurabunt.* Sicut Israelitę, etsi manna saturarentur; tamen in Mosen murmurabant: ad allia, ollasque Aegyptias respectabant. *Num.* 11. Hi in Euangelio non sic.

Quare, *Nolite recedere à tergo Domini*, ait Samuel ad Israelitas 1. Reg. 12. *& nolite declinare post bona, quæ non proderunt vobis.* Dicamus igitur Gen. 48. *Deus, in cuius conspectu ambulauerunt patres mei, Deus, qui pascit me ab adolescentia mea.*

DOMINICA VIII. POST TRINITATEM.

Attendite à falsis Prophetis. Matth. 7.

SYriæ Rex, 1. *Mach.* 2. Antiochus Apollonium armata cum manu Ierosolymam misit, vt eam dolo subiugaret his cæsis, diuĕditis illis. Pacem is amicitiamque prę se ferens simulat alia omnia; Sabbato quoque Templum init. At hic tum in collectos irruit, mactat; vastat omnia, resistente nemine: quod Sabbathum esset. Ne par animarum strages ab simili contingat Apollonio Cacodæmonio, monet Dominus.

Nos

I. De salutis merito, ac medio consequendæ.
II. De pseudoprophetarum generibus.
III. De hæreticorum impostoris.
IV. De lupis.
V. De arbore.
VI. De fructibus arboris.

PARS I.

De salutis merito, ac medio consequendæ.

I. PEruetus est quæstio: An ad salutem promerendam bona sufficiat voluntas sola; an etiam opera bona requirantur? Solam illam sat esse quidam pertendunt, hoc potissimum Canonistarum axiomate nixi: 1. Cap. Omnis cap. homicid. &c. De pœnit. 1. dist. 1. *Voluntas pro facto reputatur*, ad pœnam; ergo & ad præmium. 2. Deinde isto S. Bern. li. de lib. Arb. *Intentio sufficit ad meritum: bona actio requiritur ad exemplum.* 3. Et Glossa in hoc: *Dixi confitebor. Votum pro operatione reputatur.* 4. Et Greg. hom. in Matt. *Nunquam est vacua manus à munere; cum arca cordis repleta fuerit bona voluntate.* 5. Decretal. c. Cum volunt. de Sent. Excom. *Amplius respicit Deus ad spontaneas volũtates, quã ad actiones.* *An Sola intentione absque opere?*

Idem *Figuris* persuadere nituntur. 1. Vt iubet *Leuit.* 22. Deus offerri ex animalibus caudam perseuerantiæ, & adipem bonæ voluntatis, atque vitalia. Vt adeps præcipuum est pecoris; ita voluntas hominis: Vnde.

Quicquid agant homines, intentio iudicat omnes.

Sat, si brutales cupiditates Deo victimemus, & offeramus optimum bonæ voluntatis.

2. In consecratione Sacerdotis, immolati arietis pectusculum, (in quo cor est symbolum voluntatis,) eleuabatur coram Domino, *Exod.* 29. Sic intentio in actione. 3. Hinc Dauid optimum offerebat: Ps. 50. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum.* Sed falsa est ista sententia.

II. Contraria, vera. Tam opera bona, quam voluntas sunt necessaria. Quia 1. *Fides sine operibus mortua est.* Iac. 1. Est corpus sine anima; sol sine luce. 2. Ideo *Satagite*, 2. Pet. 1. *vt per bona opera vestra certã vo-* *Non: Sed opere & veritate.*

cationem & electionem faciatis. 3. Ambr. in officijs. *Non satis est bene velle; nisi sit etiã bene facere.* 4. Arist. 2. Eth : Tria ad perfectionem virtutis requirit: *Scientiam, voluntatem, operationem.* 5. *Theologiæ perfectio est praxis*, ait S. Dyo. I. de mystic. Theolog.

Figuræ idem indicant. 1. Leu. 21. *Habens maculam, cœcus, claudus, mancus, &c. non offert panes Deo:* At talis est nil operans. 2. *Quid statis hic otiosi?* ab opere vllo bono. Matth. 20. His tamen bona voluntas erat: Nam aiunt: *Nemo nos conduxit.* 3. Cant. 8. *Pone me vt signaculum super cor tuum; vt signaculum super brachium tuum*, q. d. Ostende voluntate & opere amorem. 4. Et Dominus hic: *Omnis arbor, quæ &c.* Et *Attendite, &c. vestiment a ouium: intus lupi.*

PARS II.

De Pseudoprophetarum generibus.

Sunt sæuientes.

I. PErsecutiones Ecclesiæ sunt variæ: sed triplices potissimæ. *Tyrannorum*, qui Martyres: *Hæreticorum*, qui errores: *Christianorum* improborum, quiscelera seminarunt. Hæ sunt visæ *Apoc.* 6. indice equo Albo Christi Victoris, Rufo, Nigro, Pallido. Vt Rupertus interpretatur.

1. Gladio.

2. Dolo:

Deinde *Pseudoprophetæ* varii. 1. *Dæmon:* Suasor peccati & agendæ olim pœnitentiæ; Exemplo Dauidis, Magdalæ, Pauli &c. 2. *Caro.* genio & cupiditati indulgendum, fruendum ætate, &c. 3. *Mundus:* autor honorum, opum, vindictæ, &c.

4. *Concionator prauus*, 1. Iere. 5. *Stupor, & mirabilia facta sunt in terra: Prophetæ prophetauerunt mendacium, Sacerdotes applaudebant manibus suis, & populus meus dilexit talia.* 2. Iere. 23. *In Prophetis Ieruſ. vidi speciem adulterãtiũ, & iter mendacij.* 5. *Hæreticus.* 6. Et *Pseudo Christianus.* Hucusq; Orig. in Mat.

3. Verbo,

II. *Pseudoprophetes duplex est.* quoad Doctrinã, & Intentionem. 1. *Doctrina* peruersus fuit 3. *Reg. vlt.* Sedechias persuadens Achabo obsidionem Ramoth Syriæ vrbis. *Qui fecit sibi cornua ferrea, & ait, Hæc dicit Dominus: His ventilabis Syriam, donec deleas eam.* Sed prædixerat Satan: *Ero spiritus mendax in ore eius.*

1. *Intentione*, falsus fuit Baalã. *Num.* 23. & 24. Qui vera & fausta prænunciauit: sed pessimum Balaco Regi Moabitarum cõsilium suggessit, vt cogeret Israelitas immolare idolo Phegor. Talis & Caiphas, qui verum dixit: *Expedit, vt vnus moriatur propopulo:* At malo animo: Hoc genus est *in similitudine adulterij*, adulterans veritatem: Illud *in itinere mendacij.* *4. Voto.*

III. Ergo *Attendite*, priusquam nouitatem acceptetis. 1. *Nolite omni spiritui credere, sed probate Spiritus, an ex Deo sint. Quoniã multi Pseudoprop. exierunt in mundũ:* Ioan. 4. 2. Nam Eccl. 19. *Qui cito credit, leuis est corde.* 3. Eph. 4. *Non simus paruuli fluctuantes; nec circumferamur omni vento doctrinæ.* 4. In Galat. 1. ad peccantes ista Paulus; *Miror, quod sic tam cito trãsferamini ab eo, qui vos vocauit in gratiam Christi, in aliud Euangelium.* Ergo *Attendite.*

PARS III.

De hæreticorum impostoris.

I. LIi Pseudop. sunt hæretici, qui simulant: oues, & reformationes, sed lupi omnia vastant. 1. Talis Balaam, *Num.* 24. qui plaustra benedictionum in Israelitas crepat, sed suadet Moabitis & Madianitis; mulieres in terram Israel mittant, *Scãdalum coram eis edere, & fornicari:* Num. 22. Successit consilium, & 24000. fornicantium cũ eis, & idolis, sunt cæsa, iussu Dei. *Num.* 24. Ita hæretici hodie crepant Scripturas, benedictiones, &c. Sed opiniones fornicatrices immittunt, &c. *1. Balaamitæ consultores: sed Seductores.*

2. *Veniunt in vestimentis ouium*, cum ceremoniis, q. reformatis, abusibus abrogatis, &c. Interim placẽtia canunt; libertatem aperiunt; laxant ad cœlos viam: quę asperiora, planãt ac tollũt; remouẽt aras, *2. Corruptores: quasi correctores.*

aras, Sacra, suffragia pro defunctis, Concilia, &c.

3 Lupi quasi amici certi.

3. Phil. Macedo Athenas obsidens, ciuibus per legatos promittit omnem suæ reip. libertatem tantum si decem sibi dederent Oratores. Hic Demosthenes existebat: Conuenerunt olim, ait, lupi cum pastoribus, dicentes; nullum sibi cũ his vel ouib. esse dissidium; tantum cum canibus, hos remouerent, & pacem fore stabilem. Dedũtur canes, mox lupi grassantur impune. Ita Philippus. Ita hæret.

4. Balãtes, sed & belli gerantes.

II. 4. *Veniunt*; non misi. Ier. 23. *Ipsi currebant & Ego non mittebam eos*: Vt oues sic isti balant fidem, Christum, eleem. temperantiam, castitatem, pacem, &c. Solos oderunt pastores canes. His se bella mouere aiunt; dum omnia vastant, mactant. *A fructibus eorum cognoscetis eos.*

5. Gabaonita mendaces.

5. *Veniunt*, quales Gobaonitæ ad Israelitas. Isti; auditis Iosuæ victoriis, veniunt cum detritis vestibus, panibus duris, vacuis lagenis; dicuntque ad Iosue: Cap. 10. *De terra longinqua venimus, pacem vobiscum facere cupimus.* Credidit Dux & populus, fœdus iciunt: at demũ eos in medio terræ sanctæ habitare rescisc unt. Ita hæretici asinos suos ministros pane suo onerãt; vestes vetustas S. Scripturæ præferunt, quasi qui longe à primitiua venirent Ecclesia. Hoc dolo capti multi *Susceperunt de cibariis eorũ, & os Domini nõ interrogauerunt.*

6. Piscatores caprini.

6. Aucupes imitantur cantu voces auium, quas capere volunt. Sic isti. Sargus piscis, ait *Aelian. l. 1. de Anim. c.* 23. caprarum aspectu delectatur, itaque piscator capræ induit exuuias cornutas, sicq; capit Sargum. Tales caprini cornutique hæretici.

7. Vulpinatores.

7. Vulpes Aesopica, viso curru gallinis onusto, se vt mortuam in viam abiicit, ab pullario in currum iniicitur, quo securo ac læto, ipsa in gallinas etiam sæuit, vorat quantum satis; deque curru desilit. Sic vulpinantur hæretici.

8. Apoc. 13. *Vidi aliam bestiam, ascendentem de terra, habebat cornua duo similia agnis, & loquebatur sicut draco.* Ita hæretici cornua agnina Scripturę gerunt, ac virtutis speciem, at vox eorum enecat animas ac deuorat. 9. Samson reperit leonem à se cæsum, in cuius ore mel, cætera leo erat. *Iud.* 14. Ita hæretici; *Loquuntur pacem cũ proximo suo, mala autem in cordibus eorũ.* Ps. 27. In ore mel; in corde fel.

8 Agni draconei.

9. Leones melliti.

10. Similes Ioabo, 2. Reg. 20. qui *dixit ad Amasam, salue mi frater, & tenuit manu dextera mentum Amasæ, quasi osculans eum.* Hæc fraus. *Porro Amasa non obseruauit gladium Ioab, qui percussit eum in latere, & effudit intestina eius, & mortuus est.* Hæc vis. Ita sub saccaratis verbis gladios ingerunt hæretici.

10. Homicidæ Ioabini.

11. *Apoc.* 9. visum est animal cum facie humana ridebunda: sed caudis scorpionũ. *Impostores hæretici*: (ait in Matt. Theop.) *blandiloquentiam prætexunt, & vitam simulant sanctam; sed intrinsecus latet aculeus.*

11. Scorpiones humani.

12. Refert *Plinius l. 21. c.* 13. In Ponto mel esse, quod sumptum dementat. Causa; quod aculei apum venenati putentur. Ita hær. melle vtuntur; sed ipsi venenati sunt, ac dementant.

12. Apes venenatæ.

Impia sub dulci melle venena latent. Et:

Felle sub agnina latitat mens sæpe lupina.

Bene Tert. lib. de præs. hæret. *Quæ sunt pelles ouium nisi nomine Christiani extrinsecus superficies? Qui lupi rapaces, nisi sensus & Spiritus subdoli?* Eadem *S. Cypr. ad Nouatianum.* Ergo hæreticos caue; fuge, fuga, Aut corripiat flamma vorax, quos non corrigit doctrina verax.

PARS IV.

De Lupis.

Peccatores sunt fera.

I. PEccatores sunt animalium similes. 1. Act. 11. *Vidi linteum magnum, & quadrupedia terræ, & bestias, & reptilia & volatilia cœli.* 2. Iob 30. *Frater fui draconum, & socius strutionum.* 3. Ezech. 21. *Fili hominum,*

increduli, & subuersores sunt tecum: & cum scorpionibus habitas. 4. Luc. 13. *Dicite vulpi huic.* 5. Luc. 10. *Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos.* 6. Luc. 3. *Genimina viperarum.* 7. Fabulantur Poëtæ Circen veneficam socios Vlyssis in varias bestias commutasse; At vitiis eos deprauarat, & viros effœminarat vile scortum.

Sunt diaboli. Proprietates luporũ sunt & hæreticorum.

8. Quin & diabolos efficit ex hominibus peccatum. Ioan. 6. *Nonne ego vos XII. elegi, & ex vobis vnus diabolus est?* Quanto magis lupus? Act. 20. *Scio, quod post discessionem meam intrabunt lupi rapaces, non parcentes gregi.*

1. Maledici sunt.

II. Cur lupi? Quia violenti in doctrina intrudenda; sanguinolenti; seditiosi. Testes, ab Ariana; omnes hæreses: & hodierni expilatores templorum, &c. Psal. 56. *Dentes eorum arma, & sagittæ: & lingua eorum gladius acutus: veloces pedes eorum, ad effundendum sanguinem.*

2. Blasphemi.

2. S. Chrys. ait: Lupus mordet, vlulat; carnes vorat. Non ouis. Mordent hæretici scommatis Deum, Sanctos, Pastores: seque lacerant ipsos. Vlulãt blasphemãdo: Ps. 72. *Ponentes in cœlum os suum.* Carniuori carnaliter viuunt.

3. Damnatas hæreses renouant.

3. Lupi, ait *Aelia. l. 3. c. 6. & li. 8. & cap. 14.* flumen tranaturi, se per caudas mordicus apprehendentes, primum robustissimum iniiciunt, ac sequuntur. Ita hæretici damnatas olim hęreses apprehendunt; vnum secuti hæresiarcham tranãt flumina Sacramentorum, & doctrinæ; quæ *lætificant ciuitatem Dei* Ecclesiam. Vtque Samsonis vulpes caudis colligati, incendunt segetes Christianas, *Iud.* 15.

4. Versuti sunt.

4. Lupi noctu vident acutum. Sic *filij huius sæculi prudẽtiores sunt in generatione sua filiis lucis.* In controuersiis exercitati sunt hæretici: cæterum ne micã habẽt Theologiæ. 5. Lupi noxios habent oculos, *Plin. l. 8. cap. 2.* vt visu vocem eripiant: Vnde Virg. *Lupi Mœrin videre priores.* Et hær. e-

5. Pœnitentiã elidũt.

linguant pœnitentes; vt os *habeant, & non loquantur* in Exhomologesi, *Ps.* 113.

6. Flagitiosi sunt.

6. Famelici, terra saburrant ventrem. Ita hær. cum omnem substantiam sanæ doctrinæ prodegerunt, desperantes se ipsos omnibus flagitiis ingurgitant. In quibus spiritalem *famam patiuntur, vt canes.* Ps. 58.

7. Immemores Dei.

7. Quidam tam obliuiosi sũt lupi; vt si ab esca auerterint oculos, eius mox obliti eam omittant; quęrant aliam. Quot apostatæ, obliti S. Eucharistiæ, siliquas quęrunt, immemores institutionis suæ?

8. Immortaliter oderunt, oues.

8. Odium luporum in oues nec mortuis extinguitur. Nam nerui ouini & lupini in eadem tensicheli; ad nullam symphoniam redigi possunt. Pelles ouinæ lupinis iunctæ consumuntur item. Istud & Alciati Emblema memorat.

Cætera mutescunt, coriumque silebit ouinũ,
Si confecta lupi tympana pelle sonent.

Concionatores praui sunt quidam lupi.

III. Pseudoprophetæ sunt etiam concionatores palpones. Nec enim Prophetæ tantum prædicebant; sed & prædicabant. Qui magis falsi: quam ore à corde, aut vita ab doctrina dissoni? 1. Achan, *Ios.* 7. quod ex præda gentilis Iericho seruasset *regulam auream:* (Hebræi legunt:) *linguam* reseruasset; lapidatur. Ita quidam etiamnum gentilium loquendi seruant vel modos vanos; vel dicta, gestaque vane inferciunt cõcionibus; sicque profanant doctrinam Euangelicam: Ni Herculi clauam extorqueant: fanaque vertant in templa: ac venena ethnica, in remedia Christiana.

Boni descripti.

Meminerint, quod Psalm. 11. *Eloquia Domini argentum igne examinatum, purgatum septuplum:* id est, multum. 2: Sit Prædicator, qualis *Apoc.* 19. visus est insidere equo albo, oculis scintillans, conspersus sanguine; cui nomen *Verbum Dei:* sit, inquam candidus innocentia; scintillans Zelo: conciones Sanguine Christi roran-

tes habeat. Et vero plane sit, Ier. 48. *Maledictus, qui prohibet gladium suum à sanguine,* id est, linguã à reprehensione peccatorũ.

3. Audi Paulum Act. 20. *Contestor vos hodierna die, quia mundus sum à sanguine omnium: Non enim subterfugi, quo minus annunciarem vobis omne consilium Dei.*

Principũ est arcere lupos.

IV. *Attendite à Fal. Proph.* Hoc vobis dictum Prælules, & Principes. Aequum est, vt Adam, *Gen. 2.* à serpente sibi caueat: 2. Noe, *cap. 6.* aquas diluuij præuideat: 3. Abraham, *c. 15.* muscas ab sacrificio abigat: 4. Loth. *ca. 19.* cum suis Sodoma se proripiat: 5. Filij Prophetarum. 4. *Reg. 4.* ab colocinthide abstineant; ne mortẽ in olla degustent. 6. Orent, *Psalm. 143. Libera me Domine de manu filiorum alienorum, quorũ os locutum est vanitatem, sed dextera eorum dextera iniquitatis.*

PARS V.

De arbore.

Homines sunt arbores.

I. *OMnis arbor, quæ &c.* Homines vocantur arbores. 1. Iud. 9. *Ierunt ligna, vt eligerent sibi Regem, &c.* 2. Zacharias de Ierosol. deuastatione cap. 11. ait: *Aperire Libane portas tuas, & comedat ignis cedros tuos. Vlula abies, quia cecidit cedrus, quoniam magnifici vastati sunt, vlulate quercus Basan.* 3. Dan. 4. Nabuchodonosor arbori comparatur. 4. Cæcus Marc. 8. ait: *Video homines ambulantes sicut arbores.*

Infructifera Deo exosa sunt.

Ab iis Deus fructum poscit. 1. Sed queritur Iere. 8. *Non est vua in vitibus; non sunt ficus in ficulnea, folium defluxit.* 2. Deus cum aliis de causis irascebatur Achabo, tum maxime, quod Nabothi vineã fructiferam vertisset in viridariũ voluptatis. 3. *Reg. 21.* 3. Et Dominus ficum infructuosam maledicto arefecit. Mat. 12. *Nũquam ex te nascatur fructus.* 4. Israelitis, terram Chanaan ingressis, præcepit Deus, *Deut. 20.* steriles arbores succidant; seruent fructiferas. Sic *omnis arbor, quæ nõ facit fr. &c.* In cæteris vero istum *Laudis Dei.*

In creatis laudandus Deus est.

1. Circa fimbrias vestis Pontificis tinnabula pendebant, quæ ipso incedente consonarent ad harmoniam. *Exod. 28.* Ita quasi circa fimbriam diuinæ Potentiæ creaturas pendentes oportet operibus, ad quæ creatæ sunt, laudare Deum. 2. Vnde tres in Babylonica fornace. Dã. 13. *Benedicite omnia opera Domini Domino.* 3. Hinc Mat. 25. *Inutilem seruum proiicite in tenebras exteriores.* 4. Item Ioan. 15. *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum, & in ignem mittet.*

Arborum insipidi fructus.

II. Multæ quoque arbores bonæ sunt; at fructum afferunt insipidum. 1. Nabuch. talis erat, Dan. 5. *Et fructus eius nimius:* Sed siluestris, animalib. tantum aptus. Ideo iubetur. *Succidite arborem: discutite folia: dispergite fructus.* Heu malum triplex: 2. Suis Dauid passionibus & cupiditatibus, quib. indulserat, iratus, ait Psal. 34. *Retribuebant mihi mala pro bonis,* quæ ipsis male indulseram, *sterilitatem animæ meæ.*

Bonæ arboris fructus.

Bona erat arbor Sponsa, Cant. 7. *Omnia,* inquit, *poma seruaui Tibi, noua & vetera.* Deo seruia fructus, & te æternum seruasti. 2. Arbor bona Iustus est. Vim suam habet in radice cordis; in cortice exempli boni: in foliis verborum: in floribus desideriorum: in fructib. operum Psal. 1. *Erit, tanquam lignum, quod plantatũ est secus decursus aquarum, quod fructum suũ dabit in tempore suo.* quo scilicet iniuriis afficitur, tentatur, irascitur, &c. tunc dat fructum patientiæ, constantiæ, clementiæ &c.

Cuiusque proprii fructus.

III. In arboreto quæque fructum effert naturę suę proprium: pirus pira, non cerasa, &c. Ita in Ecclesia pro sua quisque vocatione operetur.

Quidam alieni.

Sed quę ista peruersitas: si Religiosus ferat fructus seculares; Sacerdos laicos? &c. 1. Vt si in corpore audire vellent oculi, videre manus, & c. Sic si statuum officia & fũctiones ab alienis vsurpentur.

2. Non ita; Verum Rom. 12. *Sicut in vno corpore multa membra habemus; omnia autem membra non eundem actum habent: Ita multi vnum Corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra, habentes donationes, secundum gratiam, quæ data est nobis, differentes.* 3. Quare, 2. Pet. 4. *Vnusquisq; sicut accepit gratiã, in alterutrũ illã administrantes.*

PARS VI.

De fructibus arboris.

Errores de arbore & fructu eius.

I. *Omnis arbor.* Id est, vt Beda & August. Ench. l. 1. c. 15. voluntas; Vel, Fides, ait Tert. Sed melius, homo intelligitur. Quia hic potest in ignem abiici: non Fides, nec voluntas.

Porro arbor hæc quot ferax opinionum fuit? 1. Sensus autem falsus est iste: Arbor bona, quamdiu bona est, non potest malos fructus facere: & contra. Sic *Chrys. & Beda.* Sed displicet: Quia sic iustus non posset peccare; nec quicquam boni agere peccator: Atqui potest vterque. Nam bonus fide, aut voluntate, potest esse malus opere: & contra; licet diuerso respectu. Ita Trid. Concilium contra S. Augustinum.

2. Deinde occasione arboris huius natus Manichęorum est error, duo statuens genera hominum: Bonos: Malos. Natura bonos non posse fieri malos; aut male agere: & contra. Eos elidunt Aug & Hier.

3. Natus & Pelagianismus; qui peccatũ orig. negabat esse: Quia Matrimoniũ arbor esset bona. Item ille Pelagian. Voluntatem bonam sufficere ex seipsa ad bene operandum; non egere gratia. Refellit Augustinus: *l. 1. de gratia Christi c.* 18.

4. Item is Donatistarum error: Sacerdotem bonum non posse male baptizare: nec contra. Nam baptismum induere naturam baptizantis. 5. Iste Caluinismus. Ex bonis operum fructibus hominem non posse iustificari: sed tantum agnosci: & contra.

Refutati perfunctorie & generatim.

II. At Adam erat arbor bona; malum tamen fructum protulit. Quia quæ naturaliter bona sunt necessario bonos fructus faciunt: at secus possunt, quæ moraliter sunt bona, vel mala; vt homines. Cũ autem homo peccando malũ effert fructum; id alio referendum non est; quam q; relicto Deo, partes sequatur Diaboli.

Sicut Sichemitę spretis Gedeonis filiis alienum sibi elegerunt Regem Abimelechum, *Iud.* 9. Id quod Ionathan Propheta eis exprobrat: *Ierunt ligna, vt vngerent super se Regem, &c. Et dixerunt ad Rhamnum: veni impera nobis: egrediatur ignis de eo, & consumat habitatores Sichem.* Ita peccator regem eligit sibi Satanam; sed in suam perniciem. Nam *excidetur, & in ignem mittetur.*

Damnatio iusta est.

III. O duram sententiam! At iustam, & veram. Quippe 1. Heb. 6. *Horum consummatio erit in combustione.* 2. Ioan. 19. *Omnis palmes, qui in me non manserit, mittetur foras, & arescet: & colligent eum, & in ignẽ mittent.*

3. Et factum par sententiis istis constat. Apoc. 19. *Apprehensa est bestia, & cũ ea Pseudoprophetæ, & viui missi sunt in stagnum ardentis ignis, & sulphuris.* 4. Constat comminatio 2. Reg. 23. *Præuaricatores autem, quasi spinæ, euellentur vniuersi, igneq; succensæ comburentur vsque ad nihilum.*

Pseudoprophetæ semper occisi sunt.

In V. T. magni semper viri vibrarunt securim ad pseudoprophetarum talium excidium. 1. Elias, 3. *Reg.* 18. sacrificulos Baalim occidit, & in torrentem Cisson, vt cœnum, abiecit. 2. Iehu, 4. *Reg.* 10. omnes cultores Baalim deleuit. 3. Iosias Rex 4. *Reg.* 23. omnes sacrificulos idolorum combussit, ac cineres in auram sparsit. 4. Mathathias, 1. *Mach.* 2. Iudæum immolantem contrucidauit ad aram. Iure. Si enim nullos habens fructus sit exscindenda, quanto magis ferens malos?

Peroratio. Quare fugiendi in primis hæretici: eorum librorum lectitatio. Nam Abbas Cyrias (*vt in Prato Spir. c.* 40.) non procul

procul Iordane viuens, visam sibi in somnis B. V. M. inuitat in cellã: quæ ait: Qui intrem isthuc, vbi hostis meus est? Mane excutit omnia, reperit duos libellos Nestorij hæresiarchæ ad calcem Hesichij compactos Tuge Tuga.

DOMINICA IX. POST TRINITATEM.

Homo quidam erat dives, qui habebat villicum, & hic diffamatus est apud illum. Luc. 16.

DAuid, 1. *Reg.* 25. comperta Nabalis ingrata auaritia, in eum ducit armatam manum, ad ipsum cum domo tota delendum: nî ab vxore Nabalis precib. victus ac donis; iram iustam fregisset. At hic Dominus in prodigum suorum vindicaturus: ipsiusmet solertia tali flectitur sic, vt cui omnia libens condonet.

Nos circa hæc

I. De fama notæ melioris.
II. De diuite quis hic, & iudice.
III. De ratione reddenda.
IV. De diffamato.
V. De villici deliberatione.
VI. De capto villici consilio.

PARS I.

De bonæ notæ fama.

Est ea super omnia in Iesu.

I. SPonsum Sponsa extollit; quãtiscumque laudib. potest; vt famam eius celebret. 1. *Curremus*, ait, Cantic. 1. *in odorem vnguentorum tuorum; oleum effusum nomen tuum*: id est, fama tua. Nam Chaldaica paraphrasis sic habet: *A voce miraculorum tuorum, & potentiæ commoti sunt omnes populi, qui audierunt famam potentiæ suæ: & Nomen sanctum tuum auditum est in vniuersa terra, quod electum est magis, quam oleum, quo vnguntur capita Regum & Sacerdotum.* Similes Sponso & filij Sponsi sunto.

2. Ita ênim 2. Cor. 2. De IESV; *Deo autẽ gratias, qui odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco: quia Christi bonus odor sumus.* *In Apostolis.*

Ambo optime. Quid enim præ fama nominis boni? 3. Enimuero Eccl. 7. *Melius est nomen bonum, quam vnguenta pretiosa.* *In Christianis.* *In Ecclesia.*

4. Aemulatur in præconio sponsam Dauid Ps. 44. *Myrrha, & gutta, & casia à vestimentis tuis*: Hebræi legunt, *Omnia vestimenta tua*, seu Humanitatis Christi; seu Christianorum.

II. Nec Ecclesia reperit maius inter merita sua vllum, quam odor sit operum bonorum. 1. Eccl. 4 *Ego, quasi vitis fructificaui suauitatem odoris.* Odorem fructificare, est famam factis exæquare. 2. Sic laudatur Iacob Gen. 27. *Ecce odor filij, mei sicut odor agri pleni floribus, ac fructibus.* 3. Sic Apostoli 2. Cor. 2. *Bonus odor* CHRISTI *sumus*: quasi dicat: Odor noster spirat Crucem, pœnitẽtiã, opprobria: nõ aulã, carnẽ, &c.

Anto. Misaldus l. de Mirab. c. 1. prodit herbam Basilicon, in capite sentientis eam sæpius, generare posse scorpionem, aut viperam: Ita mundi odor venenata generat in animis eum sæpe captantium. Sicque Isa. 3. *Erit pro suaui odore fœtor.* Cloaca. impiorum est vita. *In mundo secus.*

III. At iustorum vita & in viuis; & vero post fata, fragrat imprimis. 1. Nam sic sponsa ænigmatice: Cantic. 7. *Mandragoræ fragrantissimam dederunt odorem in portis nostris.* Id quod *Philo Episcopus tom. 1. Bibliothecæ PP.* istuc intelligit. Sed scito, ex ea herba, præter radicem, asseruari nihil. Et eam odorissimam referre faciem hominis mortui. Ita mortui Patriarchæ, etsi in vita contenti, ac etiam exagitati varie; nunc tamen superstes fama redolet ipsorum, vt mandragora. Ita & Christi, ac cuiusque iusti Christiani. *In mortuis iustis est fragrantissima.*

2. Huc respexit Abigail, 1. *Reg.* 15. quando dissuadebat Dauidi, ne nomen suum viri stulti sanguine taminaret; hocq; ipsi *Sanctorum eos catalogos adscribit.*

ad

ad sempiternam gloriam futurum ; *Si enim*, inquit, *surrexerit homo persequens te, & quærens animam tuã, erit anima Domini mei custodita, quasi in fasciculo Viuentium apud Dominum Deum tuum.* Fasciculus viuentium, chorus est Sanctorum. 3. Nam mos Hebræorum istam tumulis epigraphen sueuit imponere: *Colligat te Dominus in fasciculo viuentium.* In quo non erat colligatus is; qui in Euangelio legitur *diffamatus.*

PARS II.

De diuite, quis hic: deque iudice.

Deus est diues.

I. *Homo quidam erat diues:* Deus Pater. 1. Nam Ps. 111. *Gloria, & diuitiæ in domo eius*, cœlesti. In terrena enim mera paupertas est, ac ærumna. 2. Atque Rom. 10. *Idem Dominus omnium diues in omnes, qui inuocant illum.* 3. Harum quanti sunt diuitiarum termini? Psal. 49. *Meus est enim orbis terræ & plenitudo eius.* 4. Estque plus quã Salomon, 2. Par. 9. *Quia magnificatus est in diuitiis, & gloria super omnes reges mũdi.*

In que se solo.

Quærunt Theologi. *An Deus, solus in se, perfectior sit; quam cum toto mundo consideratus?* Post multa in vtramque, negatur concorditer esse maiorem cum mundo consideratum. Quia finitum additum infinito, hoc nihil exauget; vt nec punctum puncto additum. At Creaturæ sunt puncta, collatæ Deo.

Nec minuitur.

1. Itaque Ps. 46. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis; & magnitudinis eius non est finis.*

2. Vt Oceanum nulla flumina exhauriunt: ita nec Deum.

Omnia dat Dominus; non habet ergo minus.

3. Eccl. 1. *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat.*

Homo villicus est.

II. *Qui habebat villicum*: Deus hominem; cui omnes creaturas locauit; corpusque & animam. Non ergo rerum dominus est homo; sed villicus; etiam sui ipsius. Iob 9. *Dominus dedit, Dominus abstulit: Sit nomen Domini benedictum.*

Quid hoc audio de te? Quam mansuete; iuxta & grauiter? Non æstuat, non bacchatur, non conuitiatur: Sed purgandi sui dat locum reo. *Quid audio?* Imitentur Iudices. 1. Sic Deus, Gen. 2. *Adam, vbi es?* Sic & cap. 4. ad Cain. 2. Sic Nicodemus Ioan. 7. *Nunquid lex nostra iudicat hominem; nisi prius ab ipso audierit, & cognouerit, quid faciat?* 3. Sic Act. 25. Festus. *Non est Romanis consuetudo damnare aliquem hominem prius: quam is, qui accusatur, locũ defendẽdi accipiat.* *Deus mitis Iudex.*

Adhæc tametsi *Deo omnia nuda sunt, & aperta oculis eius.* Hebr. 4. non tamen iudicat, nisi ex oris proprij confessione. Quãto magis Iudices, quorum delatores errare possunt? Est omnino nouerca iustitiæ, præcipitantia. Qua vel ipse Dauid lapsus, cito nimis Sibæ credens delatori Miphibosethi, ait: *Tua sunt omnia, quæ fuerunt Miphibosethi.* 2. Reg. 16. *Et non precipiens.*

III. Non sic diues hic: Sed *Redde*, ait, *rationem.* Disce, *quia mitis est, & venit tibi mansuetus.* Vt sis & ipse. 1. Sic Elias ad Achab, 3. Reg. 19. *Non ego turbaui Israel, sed tu, & domus patris tui; qui dereliquistis mandata Domini, & secuti estis Baalim.* 2. Deus eidem soli. 3. Reg. 19. in monte ostendit austeritatis temperiem: Primo *Spiritus grandis & fortis* ipsi occurrit, *subuertens montes, & confringens petras coram Domino*: Verum *Non in spiritu Dominus.* Secutus est terræ motus: Hunc ignis vehemens omnia depopulans. *Et post ignem sibilus auræ tenuis*; Hebræi legunt, *Vox emissa subtilis*: Et *in hac Deus.* Quo ei innuit; mirum non esse, quod durior illa correptio Achabum non emendarit, sed exasperarit. Nã *sermo mollis frangit iram: durus suscitat.* Notat etiam ibi *Cajetanus*, Visiones priores fuisse imaginarias: At postremam, veram: Quod similiter inanes abeant castigationes duriores. *Vult clementer obiurgari.*

Sponsus, inter cæteras Sponsæ dotes, ait, Cant. 4. *Labia tua sicut vitta coccinea*, id est: præ amoris ardore rubentia. Sicut enim *Et ex charitate.*

enim ait *Philo Epiſc.* Funiculus coccineus ex feneſtra Raab propoſitus ſignum fuit amicitiæ ipſam inter & hoſpitatos exploratores: ita *& labia coccinea.* Ita iuſti increpatio proficiſcatur oportet ex amore; vt famæ non officiat, proficiat ſaluti.

Mixta ſeueritate. Viſus eſt Dominus, *Apoc.* 1. cum gladio ancipite in ore; id eſt, ſeueritate: ſed & cum ſtellis in manu: id eſt, multa cum bonitate: Vt, etſi metuendus; plus tñ amãdus ſit. Talis ſit cæterorum corrector.

Cant. 4. *Mel, & lac ſub lingua eius,* Sponſi. Eximia laus hæc. At quam diſſimiles ij, Pſal. 13. *Venenum aſpidum ſub labiis eorum?* Hos caue: Et *Ignem gladio ne foderis*: vt Pythagoricum monet: hoc eſt. *Iratum ne irrites*: nam ignis eſt cholera. Non effudit ignem hic diues; ſed cum moderamine rationis reddi poſtulauit rationem.

PARS III.

De ratione reddenda.

Vt ſera hæc tamen certa eſt. I. AT tu hoc meditare: *Redde rationem.* 1. *Omnes enim nos,* 2. Cor. 5. *manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti: Vt referat vnuſquiſque, prout geſſit.* 2. Lenis quidem Dominus eſt: ſed memor. Audi in metaphoris: Cant. 5. *Crura eius columnæ marmoreæ; quæ fundatæ ſunt ſuper baſes aureas*: quaſi dicat: Tardigradiſſimus eſt; quia longanimis, ac patiens.

De omnib. reddenda. *Redde rationem* 1. Cogitatuum: Sap. 1. *In cogitationibus enim impij interrogatio erit.*

2. Dictorum. Matth. 12. *De omni verbo otioſo, quod &c.* 3. Factorum. Eccl. 12. *Cũcta, quæ fiunt, adducet Deus in iudicium.* 4. Iuſtitiarum. Pſaltes: *Cum accepero tempus, ego iuſtitias iudicabo.* 5. *Rationem redde* de Anima, Sanguine Ieſu redempta: De Corpore, templo S. Spiritus: Quod *ſi quis templum Domini violauerit, diſperdet illum Deus.* 1. Cor. 6. 6. De temporalibus, in quibus furta, fraudes, artes illicitæ, faſtus, deliciæ, ludi, odia. &c.

Sapiens eſt præuidet. II. Is ſapiens; qui iudicia Dei præuidet ſæpius. 1. Sic laudatur Nabuch. Dan. 2. *Tu Rex cogitare cœpiſti in ſtrato tuo, quid eſſet futurum poſthæc.* 2. Et Ioſeph futurorum præuiſor ſapientiſſimus eſt habitus. Geneſ. 41. *Num inuenire poterimus talem virum, qui ſpiritu Dei plenus eſt?* 3. Et lane is talis eſt, qui proſpicit ſibi de futuro hic, vbi *Miſericordia Domini plena eſt terra*; vt ſe ea repleat: Quod eat ad terram iuſtitiæ. Tãtoq; erit infelicior ibi; qui omnem hic miſericordiam negligit, aut prodigit.

Ac meditat. 1. Iob exhorreſcens tribunal iuſtitiæ, orat: cap. 10 *Dimitte me, vt plangam paululũ dolorem meum; antequam vadam ad terram tenebroſam, & opertam mortis caligine.* 2. Nobile par adoleſcentum vixit in deſerto; vt prodit *V. Beda in hiſt. Anglic.* Alter, Egbertus, ægrotans in cogitatione hac; Reddenda ratio eſt: è lecto ſe humi abiecit pœnitens; ſimul vouit, ſi ſuperuixerit, indies ſe totum Pſalterium oraturũ, corpuſque maceraturum. 3. Ita cogitat, & villicus. *Quid faciam?*

Præuiſa monet pœnitentia. III. *Redde Rat.* 1. Zacharias *cap.* 2. in viſo, ait, *Leuaui oculos meos, & vidi; & ecce vir, in manu eius funiculum menſorium.* Et tu leua oculos ad funem iudicialem, operum tuorum menſorium. 2. Helchias Sacerdos, 4. *Reg.* 22. inter ſcruta templi librum reperit legis: Ioſiæ dat Regi: qui legit forte minas in capita eam negligentium. Tertius Oldam prophetiſſam conſulit, omnemque remouet idololatriam. Fac quoq; ſimiliter: & beatus eris *ex terrore, & vitiorum reiectione.*

Neglecta deplorat. Infelices, qui ſecũs! En, vt deplorentur. 1. Ierem. 12. *Poſuerunt vineam meam in diſſipationem, luxitque ſuper me. Deſolatione deſolata eſt omnis terra. Quia nullus eſt, qui recogitet corde.* 2. Iſa. 44. *Neſcierunt, neque intellexerunt. Obliti enim ſunt; ne videant oculi eorum, & intelligant corde ſuo, non recogitãt in mente ſua, neq; cognoſcunt, neque ſentiunt.*

De idololatria loquitur, cui adeo immersi erant.

Instituēda est sapiēs. Amasis Rex Aegypti sanciuit: Quisq; quotannis apud præfectos rationem redderet vitæ, artis, domus, &c. Solon eandem legem & Athenienſibus dedit. Qui lautius viuere, quam pro censu, deprehendebatur; is furti similiter puniebatur. Ita diues *Matth.* 28. ponit rationem cum seruis.

Super vocatione sua cuiusque. *IV. Redderat. vill. tuæ*, hoc est, functionis, & vocationis: quam scire, & explere quisque tenetur, ait *D. Thomas, part. 3. q. 67. art. 3. Tuæ*, non alienæ. Quare, rerum tuarum satage. Sit *lumen oculorum tuorum tecum.* Psalm. 33. Ne forte *derelinquat te virtus tua. Attende tibi. Nosce teipsum.*

Nō aliena. Miserum ac pudendum, quod *Pes fatui facilius in domo proximi:* & hunc melius norit, seipso. Similis Esau, qui *Gen.* 26. foris vagabatur in agris: At Iacob domi suæ se continebat. Hoc bonorum est; illud improborum.

Tecum habita: & noris, quam sit tibi curta supellex.

PARS IV.

De diffamato.

I. *IAm non poteris villicare.* Hoc in agone mortis cuiq; dicetur. 1. Ioan. 9. *Veniet vox, in qua nemo poterit operari.* 2. Quare, *Dum tempus habemus, operemur bonum:* Gal. 6. Luc. 19. *Negotiamini dum venio.*

Vicarii sūt villici. Sed *Quis hic villicus?* 1. Dæmon, ait S. Gaudentius. 2. Apostoli, ait Hieron. & Præsules Ecclesiæ. 3. Populus Iudaicus: ait Tert. 4. Quilibet diues, ait Ambros. Chrysost. S. Thom. Augusti. &c.

5. Peccator quicunq; est œconomus diffamatus, ait Maldon. Qui, quę deberet dispensare vt villicus; possidet, ac dissipat, vt Dominus Communia hic sunt, ex natura rei, omnia. Vt fluminis vrbem transeuntis aqua, non est vnius; sed omnium ciuium: ita opes mundi sunt incolarum. *Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum.* Psalm. 113. Propria fecit hominum malitia.

Tres sunt celebres Oeconomi: Eleeser, Gen. 24. *Qui præerat omnibus, quæ habebat Abrahā* & Ioseph, *Gen.* 39. Quem Pharao, *constituit Dominum domus suæ, & Principem omnis possessionis suæ.* Abdias Achabi dispensator. 3. Reg. 18. Qui *timebat Dominum valde*: ideoq; fidelis.

Eorum accusatores sunt dæmones. II. *Et hic diffamatus erat.* A plurimis conseruis, &c. 1. Ab Cacodæmone. Hic Iobum apud Deum diffamat cap. 1. *Nunquid Iob frustra timet Deum?* Ideo Angeli, Apoc. 12. *Proiectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat eos die ac nocte.* 2. Ab Angelis: Qui dicunt patrifam. Matth. 13. *Vis imus & colligimus Zizania.?* Qui *Matt.* 18. Conserui crudelitatem in conseruum denunciant Domino. Vnde monet, Matt. 18. *Nolite contemnere de pusillis istis, qui in me credunt. Quia angeli eorum semper vident faciem Patris mei*: quasi dicat: Erunt accusatores vestri.

2. Angeli.

3 Resinanima. 3. Ipsa in anima accusabunt peccatorē. Abac. 2. *Lapis de pariete clamabit; & lignum, quod inter iuncturas ædificiorum est, respondebit.* Adeo Rom. 8. *Omnis creatura ingemiscit, & parturit vsq; adhuc*; quod peccatori seruire cogatur: quod à fine suo excidat, qui est Dei gloria. Vt conqueri possit. Ps. 118. *Funes peccatorum circumplexi sunt me*: quominus finem attingam creationis.

4 Merita priora pria. 4. Ipsa merita sua priora peccatorem accusabunt, quod ab eo dissipata fuerint. Nā Ezech. 18. *Si auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatē, nūquid viuet? Omnes iustitiæ eius; quas fecerat, non recordabuntur.*

Spe tamen salua peccatori fa-cta. III. Nota dici: *Quasi dissipasset*: Ne spes omnis peccatori adimatur, superesse gratiæ locum. 1. Prælio victum Ioab consolabatur Dauid. 2. Reg. 11. *Non te frangat res ista; varius est euentus belli, & nunc hunc, nunc illum consumit gladius. Confortabellum aduersus*

aduersus vrbem. Ita peccato victum soletur illud *Quasi* : Varius enim vitæ euentus est ; *& in multis offendimus omnes.* 2. Esto ; clament aliqui: Dan. 4. *Succidite arborem ; præscindite ramos ; excutite folia eius ; & dispergite fructus eius.* Ergone stirpitus peribit? *Verumtamen germen radicum eius in terra finite, & rore cœli irroretur.* Dictum factum.

3. Factum simile villico est.

Bona dissipata peccatoris.

IV. Peccator dissipat bona Fortunæ, Naturæ, corporis, ac animæ ; Et Gratiæ, virtutum infusarum, & acquisitarum. Id Deus Ezechieli declarat istis, c. 5. *Sume tibi gladium acutum, & capillos tibi rade ; & assumes stateram ponderis , & diuides eos. Tertiam partem igni combures in medio ciuitatis ; tertiam gladio concides, in circuitu eius ; tertiã vero aliam disperges in ventos.* Ad literam isthæc captiuitatis Iudaicæ prænunciant ærumnas ; sed etiam significant sic omnia eos bona fortunæ, naturæ, gratiæ disperdidisse igne venereo , gladio irarum, vento vanitatum &c.

PARS V.

De villici deliberatione.

Opera non verba iudicio valent.

I. *Quid faciam?* Dominum iratũ habeo ; instant accusatores ; atrox diffamatio est ; certa bonorũ dissipatio est ; rationes poscuntur ; amouebor à villicatione. *Quid faciam?*

Cur non ais. Quid dicam? 1. Quia 1. Cor. 4. *Regnum Dei non est in sermonibus,* sed operibus. 2. Nam *quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius?* Respondet. *Innocens manibus, & mundo corde,* q. d. Opera manuum necessaria sunt ad salutem. 3. Non sat Isaaco verbis dedisse benedictionem, nisi manibus quoq; contrectasset gnatum. *Gen.* 27.

Prudentia sæculi.

II. Quid faciam. 1. Vox est deserti à Deo, ac redire cupientis in gratiam. Vti illa Iob. 7. *Quid faciam tibi ô custos hominũ?*

Ignara spiritalis consilij.

Quare posuisti me contrarium tibi? 2. Vox est & callidi, sicut *filij huius sæculi prudentiores sunt in generatione sua filiis lucis.* Matth. 27.

1. Ita dormientibus in horto discipulis Iudas vigilat, armat milites. 2. Noctuæ, bubones, noctu vident ; per diem cæcutiunt. Ita mundani sunt lyncei ad peccandum, talpæ ad bene operandum.

Cõscientia fluctuans.

3. Scripturam manus in conuiuio Balthasaris, *Dan.* 5. nemo potuit legere Sataparum ; solus Daniel potuit. Ita cœlestium ignari sunt terreni.

Mundani inquieti sunt.

III. Quid faciam? Mundanus nequit absque negotio viuere. 1. Cæsar octuagenario Senatori Rom. dedit vacationem à muniis reip. ait *Seneca l. de breuit. vitæ.* Hic is se in feretro collocatum efferri curat, quasi mortuũ. Significans se viuere, vt agat aliquid. Adeo insueuerat negotiis mundi. 2. Et Dauid suadet Vriæ, 2. *Reg.* 12. domi suæ quietem capessat. At militarem inquietem quieti prætulitis domesticæ. Simile plerisq; mundani, & hic villicus.

Insueti asperis.

IV. Fodere non valeo. Hæc diuitum ad incitas redactorum vox est. Moraliter: Ieiunare , in monasterio viuere , peccata plangere, aspera sequi non valeo.

Mendicare erubesco: & à Deo irato veniã orare ac sperare vix audeo : peccata tot mea erubesco: *Quid faciam?*

PARS VI.

De capto villici consilio.

Eleemosyna abolet peccata.

Quid? Ad misericordiam in proximũ confugit: Cõseruis remittit: gratiam ab eleem. sibi quærit: Ac reperit ; laudatus etiam à Domino. Qui serui prudentiam proponit in exemplum, dicens: *Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis.* Id est, ait Hieron. de diuitiis, peccatorum plurimorum occasionibus ; vt bene positæ sint, & occasio, causaq; salutis. 1. Ita Nabuchodonosori suasit Daniel, c. 4. *Peccata tua eleemosynis redime.* 2. Bonum, & iuxta certum. Nam Eccl. 3. *Sicut aqua extinguit ignem: sic eleemosyna resistit peccatis.*

Seruat naturam.

3. O vim eleemosynæ: maiorem totius vi naturæ; quæ nec vnum abolere peccatum valet. Neque id potuit totum diluuium, non ignis Eliæ de cœlo deuocatus: non Samaritana fames: non Circumcisionis culter: non Aaronis sacrificia: Eleemosyna potuit.

Placat. Vincit bello

II. Placat ea implacabilem. 1. Iacob, *Gen.* 33. sciens iram Esau, ait secum: *Placabo eum muneribus.* 2. Ita Rex, *Luc.* 14. non valens *cum* 10000. *resistere venienti cum* 2000. *missis legatis*, pauperibus: *rogat ea, quæ pacis sunt.*

Iudicio.

Psalm. 111. *Iucundus homo, qui miseretur & commodat, disponit sermones suos in iudicio: quia in æternum nõ commouebitur*, quasi dicat: Securus ac lætus agit, aduocatum sibi conciliat inuictum per eleemosynas.

Seruat in periculo.

Raab, *Ios.* 2. exploratores spicis cooperuit, quæsitos ad necem: Ideo in excidio rursus & ipsa meruit seruari. Spicæ sunt eleemosynæ, quæ seruant in excidio mundi. Ergo Luc. 11. *Quod superest, date eleemosynam.*

Ditat.

III. Hæc data liberaliter, ditat etiam dantem. 1. Vidua Elisæo dedit; & recepit oleum in redundantia. Quo plus trãsfundebat in vasa; hoc plus de vase suo manabat. Sinas in vasa tuarum opum intrare misericordiam; & ea centuplicabit opes. 2. Vt putealis, quo plus exhauritur; hoc copiosius inferne subintrat. 3. Aquæ

Gratiam parat.

stagnantes putiscunt; ranas, bufones, &c. progignunt: fluentes vero nitent argenteæ, sanæ: Ita thesauri conditi peccata aiunt: expositi gratiam prouocant.

Fructificat

4. Frumentum conditum fit esca murium: creditum terræ fructificat. Sic opes

Generosi est animi.

non in arca, nec in tuis, sed in manibus pauperum crescunt. Psalm. 111. *Dispersit, dedit pauperibus: Iustitia eius manet in sæculum.* 5. Aquilam multæ sequuntur aues: quod de præda sibi reliqua pascat eas: At vultur, & vrsus, quam deuorare nequeunt, abscondunt: hoc ignobiliora sunt animalia: Aquilæ, sunt eleemosynarij, auari, vultures, fœdique vrsi.

Perora. Facta recapitulatione, & communicatione cum auditoribus institutâ. *Quid audio de te* Pastor? *Redde rationẽ.* Heb. 13. *Ipsi enim peruigilant quasi rationem reddituri pro animabus vestris.* Qualem Iacob reddidit Labano. Gen. 31 *Viginti annis fui tecum; oues tuæ, & capræ steriles non fuerunt; arietes gregis tui non comedi, nec captum à bestia ostendi tibi: ego damnum omne reddebam. Quicquid furto deperibat, à me exigebas.* Item Ieremias c. 13. *Vbi est grex tuus, qui datus est tibi? Pecus inclytum tuum? Quid dices, cum visitauerit te? Nunquid dolores non apprehendent te, quasi mulierem parturientem!*

Quid audio dete Sacerdos? Vixisti vt præco, an vt prædo? Vt Sacerdos, an sacrilegus? Prælati instar, an Pilati? Vt doctor, an seductor? Certe 1. Corint. 4. *Sic vos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.*

DOMINICA X. POST TRINITATEM.

Cum appropinquaret Iesus Ierosolymam, videns ciuitatem fleuit super eam. Lucæ 19.

MArdochæus, *Esth.* 6. Regis quidem Assueri iussu à Principe Aman circumducebatur per vrbem cultu & honore regio: at animo tacite gemebat instantem Iudaicæ gentis cædem, toto iam regno indictam. Ita hic Iesus futurorum præuisor.

Circa quod nos

I. De efficacia & præstantia lachrymarum.
II. De Ierosolymitana clade.
III. De causa cladis.
IV. De lachryma Christi.
V. De peccatis deplorandis.
VI. De amore patriæ.

PARS

PARS I.

De efficacia, & præstantia lachrymarum.

Lachrymarum præconia.

I. SAnctarum Lachrymarum magna semper laus extitit apud S. Patres.

1. Cassianus in Psalmos ait, fletum esse cibum animarum, robur sensuum, peccatorum absolutionem, & lauacrum.

Bern. in serm. *Deliciæ Angelorum sunt lachrymæ nostræ.* 3. S. Hier. in Epist. *ô lachryma humilis, tua est potentia, tuum regnum. Tribunal Iudicis non vereris; accusatoribus silentiũ imponis. Non est, qui te accedere vetet. Magis crucias diabolum, quam pœna infernalis. Quid plura? Vincis inuincibilem, ligas omnipotentem, inclinas Filium Virginis.* 4. Et Dominus Matth 5 *Beati, qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.*

Exempla.

1. Beatus fuit Dauid. 2. *Reg.* 12. per lachrymas: his enim vitam, regnum, victorias, &c. debet. 2. Ezechias mortis sententiam lachrymis ad XV. annos prorogari fecit. 4. Reg 2. *Nam conuersus ad parietem fleuit.* 3. Petro, Matt. 26. lachrymæ gratiam restituerunt. 4. Veniam Magdalenæ impetrarunt. *Luc.* 7. 5. Hinc Chrysostomus, *hom.* 15. *in Matth.* eas secundum baptisma nominauit.

Dant temporalia.

Baptizant. Eluũt peccata.

1. Proinde suadet Ierem. 19. *Laua à malitia, Ierusalem, cor tuum, vt salua fias*: quasi dicat: Messias quidem sanguine eluet: at tu lachrymis id interim præsta. 2. Huc Psal. 73. *Tu contribulasti capita draconum in aquis*, id est: peccata capitalia committentium. 3. Præmonstratum fuit peccata olim in mari rubro submergẽda fore. Sicut Exod. 14. *Aquæ operuerunt currus & equites cunctũ exercitus Pharaonis. Nec vnus quidem superfuit ex eis.*

Beant.

II. Beati igitur, *qui seminant in lachrymis*: quia *in exultatione met.* Psal. 125. 1. Vim earũ notat, qui clamabat. Psal. 125. *Auribus percipe lachrymas meas.* Alij legunt: *Lachrymas meas repone in ventrem tuum*, intimæ quasi essentiæ. 2. Conduntur eæ in thesauris Dei; sunt tuba pietatis, ianitrices cœli, bases pœnitentiæ, aduocatæ peccantium.

Thesaurizant Deo.

Sunt præpriamortalium.

Iob. 10. *Dimitte me vt plangam paululum dolorem meum; antequam vadam.* 2. Psal. 38. *Quoniã aduena ego sum & peregrinus, remitte mihi vt refrigerer, priusquam abeam, & non reuertar.* En vitæ prolongationem petierunt, non alia de causa, quam lachrymarum. 3. Est hic vallis lachrymarum: par, vt in exilio, sicut captiui Hebræi *super flumina Babylonis*; hic *sedeamus ac fleamus, dum recordamur tui Syon.* Psal. 136. *In salicibus suspendamus organa* mundi, memores sterilitatis nostræ.

Non mundi.

4. Babylonii ad musicam auditam adorant statuam Nabuchodonosoræam: *Dan.* 3. Veri Israelitæ etiam vultus auertunt. 5. Dicunt Psal. 6. *Lauabo per singulas noctes lectum meum: lacrymis meis stratum meum rigabo.*

Sunt beandorum.

III. Deus olim angelos emisit dicens. 1. Ezech. 9. *Ite, signate omnes, qui lugent super iniquitates, quæ fiunt in medio Ierusalem.* Nota hic, 1. Beare lachrymas. 2. Lugere pro peccatoribus signum esse prædestinationis. 2. Dauid 1. *Par.* 14. ethnicos expugnarat, fuderat, fugarat: *Dereliquerunt que ibi Deos suos; quos Dauid iussit exuri.* Cur? quærit Augustinus. *Quia*, inquit, *cum lachrymis sacrificarunt eis: cum soli Deo regium hoc sacrificium debeatur.*

Sunt sacrificium Deo.

Dignæ Iesu.

Et ipso Iesu dignæ sunt lachrymæ: Nã *videns ciuitatem fleuit super eam.*

PARS II.

De Ierosolymitana clade.

Solymæ amœnitas.

SAlem, Iebus, Solyma; demum Ierosolyma ab Dauide nuncupata, mõti peramœno insidebat, mollibus cincta montibus, hinc Moria, in quo Templum; inde Syon, in quo arx. In ea ante deuastationem erant incolæ plusquam 200000.

Clades.

Ob peccata clades passa varias est: Diripuit

ripuit eam Antiochus: Nabuchodonosor euertit: Vespasianus excidit. Quod, qui vidit, descripsit *Iosephus libr. 6. ca. 15. de bello Iud.* tempore obsidionis periisse, ait, peste, fama, gladio 1100000: venditos 30. homines vno denario. Iustũ iudiciũ Dei!

Prædicta.

1. Prædictum Psalm. 68. *Fiat habitatio eorum deserta; & in tabernaculis eorum non sit, qui inhabitet.* 2. Daniel. 9. *Finis eius vastitas, & post finem belli statuta desolatio.* 3. Isai. 1. *Relinquetur filia Syon, vt vmbraculum in vinea, sicut tugurium in cucumerario.* 4. Matth. 23. *Ecce, relinquetur vobis domus vestra deserta.* 5. Vastationem Deus iusit Ezechielẽ, *c.* 4. depingere in laterculo, cum toto apparatu obsidionis: Quod alij de Chaldæorum, at Rupertus de Romanorum euastatione intelligit.

Euastatio.

Tanta fuit tunc vrbis maiestas; vt, teste *Galatino libro 4. de arcan. cap. 59.* eam dicerent *hortum fructuum aureorum.* Tantarum ciuitas diuitiarum erat at Syri, Babylonij, Romani fructus eos autũ narunt.

Instauratio, sed cum defectu multo.

II. Reuersi, 1. *Esdr.* 3. è Babylone restaurarunt quidem templum: sed quinque ei defuisse refert Galatinus: Ignis sacer, olim cœlo lapsus in aram, Arca, Rationale, oleum vnctionis. Responsa Dei. Vel, vt alij, Arca, Vrna mannæ, Virga Aaron, Flores eius & amygdala, & Velum arcæ. Ergo *cecidit Babylon; cecidit, & fuit ruina illius magna.* Luc. 6. Ita de Idumæis, dicturis, facturisque, Psalm. 136. *Exinanite, exinanite vsque ad fundamentum in ea.* Hic Dominus: *Veniẽt dies, &c.*

Cæcitas vrbis eiostenditur signis palpabilibus.

At tanta cæcitas, vt non cognoscas.

1. Phreneticus, quo maiore laborat vesania, mortique propior est, eo minus sentit, vel curat; at astantes compatiuntur: Ita peccator quo maior, hoc minus cognoscit; At Angeli dolent, &c. 2. Vt *Threnorum* 1. Ieremias: *Sordes eius in pedibus eius: nec recordata est finis sui.* Sic iam Dominus. 3. Isaias c. 20. prænuncians captiuitatem Assyriam, nudus per vrbem oberrauit. 4. Ieremias c. 27. catena grandi onustus, Babylonicam captiuitatem prædicebat. 5. Ionas 3. *cap.* eo modo nudus init Niniuen, quo balæna eum resputrat. 5. Iesus hodie lachrymans init. *Non lætatur in perditione vitiorum*; vt ait Sapiens *c.* 1.

PARS III.

De causa cladis Ieroſolymitanæ.

Peccata causa ruinarum.

I. PEccata publica sunt euersorum regnorum, ac vrbium causa. 1. Sic Pentapolis periit igne de cœlo. Samaria fame punitur: orbis diluuio, Solyma euastatione perit. 2. Peccata sunt causa Reprobationis sola. Oseæ 3 *Perditio tua ex te, Israel; tantum ex me auxilium tuum.*

3. Itaque Dominus defleuit culpam, & pœnam. De hac Oseæ 2. *Comedite eam bestiæ agri, & visitabo super eam dies Baalim, quibus accendebat incensum.* Male impiis! At, Isa. 79. *Ne tradas bestiis animas confitentiũ tibi.* Chaldæa paraphrasis sic: *Populus bestiarũ similibus animas discentium legem tuam.* His *relinque semen*: istis nec *lapidem super lapidẽ.*

Mala Sy ma.

Causa flendi hoc maior; quod præterita, præsentia singulorum Cleri, populi, &c. & futura vrbis videret, vt Homo Deus. Ideo cum Sophonia, *cap.* 3. Flebat, & quasi dicebat: *Væ prævaricatrix, & redempta ciuitas! Principes eius in medio eius, quasi leones rugientes: Iudices eius lupi, vespere non relinquebant in mane: Prophetæ eius vesani, viri infideles, Sacerdotes eius polluerunt Sanctum, iniuste egerunt contra legem.*

Cuiusq; vrbis vitia.

II. Vnde 1. bene Amphides dixit *Vrbes, theatra fortunæ & tragœdiarum.* 2. Et Stratonicus Athen. egressus Heraclæa, respexit ad vrbem curiosius; interrogantique causam, ait. *Pudet si videar exire è lupanari.* Adeo flagitiosa Heracleotarum vita erat. At præ Solyma sceleribus nulla fuit vrbium vnquam.

Non auti honesta.

Saxones prisci, teste *Goropio*, fœlicem statum

ſtatum repræſentabant per ſtatuam armatam (militari concordia,) nudam pectore, (id eſt, fidam,) diuerſicolorem (in varietate ordinum, & opificiorum;) cũ bilance, (iuſtitiæ;) iuxta eam vrſus, (catulorum amantiſsimus,) idemque pugnando ſupinus quaſuis beſtias vincit: Ita cœlum qui ſpectat, quaſuis ærumnas tolerat. Statuæ adſcriptum: *Certam victoriam polliceor venerantibus.* Non talis Sodyma: Sed Iſai. 1. *Omne caput languidum, & omne cor mœrens.* Ideo *Non relinquetur* &c.

Animæ peccatricis vaſtitas.

III. Significat ea ruinam animæ peccatricis. Heu qualis rerum qualium hic vaſtitas? 1. Senſit Dauid, & dixit: *Ad nihilum redactus ſum; & neſciui.* 2. Si omnes creaturæ in cœlo & terra conſpirarent in hominem, nocere tantum non poſſent; quantum peccatum. 3. Imo nec Deus vllis pœnis aliis lædere poteſt tantum. Proin orco debetur peccatum: Adeo malum culpæ ſuperat infinitis modis omne malum pœnæ. 4 Deinde culpæ malum repugnat Diuinitati; non pœnæ malum: Vt Deus in aſſumpta humanitate potuerit, quaſi, mori: at non peccare: potuit induere formam ſerui, & peccati; non peccatum. D. *Th.* 1. *q.* 48 *art.* 6. ait: Malum culpæ maius eſt omni malo pœnæ ſenſus, & damni. Quem id igitur in anima lapidem ſuper lapidem relinquat?

PARS IV.

De lachryma Chriſti.

Dominus fleuit quater.

I. QVater Dominus fleuit. Primò, Sap. 7. *Primam vocem ſimilem omnibus emiſit plorans.* Dein, *Ioan.* 11. Lazarum ſuſcitãs. Tertio, in Cruce, Hebr. 5. *Cum lachrymis & clamore valido exauditus eſt.* Quartò hic, M. Marcellus, ait *Val. Max. l.* 5. *c.* 1. viſis ex edito loco Syracuſis, ab ſe expugnatis, fleuit: Ita Dominus visâ Solymâ, totâ ab vitiis iam vaſtata.

Flere pie decet.

Ethnici dedecori ducebant lacrymari Regẽ. Vnde Alex. Magn⁹ Poëtam occidit, ꝙ ſuâ tragœdiâ Regẽ fecerit lachrymari.

1. Sed Prou. 12. *Viſcera impiorum crudelia.*

2. Et Amos 6. *Væ, qui opulenti alis in Syon! Nihil compatiebantur ſuper contritione Ioſeph.*

3. Et fletu ſuo Dominus eam barbariẽ refutat. 4. Docent lacrymæ contemnere mundum. Eccl. 2. *Riſum reputaui errorem. Et gaudio dixi: Quid fruſtra deciperis?*

Proinde 1. Eccleſ. 7. *Meleus eſt ire ad domũ luctus quam ad domum cõuiuij.* 2. Dominus, Ioan. 6. *Væ vobis, qui ridetis, quia flebitis.* 3. Iac. 4. *Riſus veſter in luctum conuertetur.* Et nunquam legitur riſiſſe Dominus.

Fletu miſericordiam offert.

II. *Fleuit ſuper eam.* Offert enim miſericordiam prius; quam iuſtitiam ſtringat.

1. Sicut præcepit olim Iſraelitis. Deut: 20. *Si acceſſeris ad expugnandam ciuitatem, offeres ei primum pacem. Si acceperit, & aperuerit tibi portas, cunctus in ea populus ſaluabitur, & ſeruiet tibi ſub tributo: Sin autem fœdus inire noluerit, & cæperit contra te bellum, oppugnabis eam.* Ita Deus agit cum homine.

2. Id indicatum fuiſſe in Nube, & Columna ignea putat Clemens Alex: *Quos ergo nubes non fouet* miſericordiæ, *ignis vaſtat: Et ideo, quiſquis reiicit vmbram refugientem, ignem ſentiet amburentem.*

Punit Deus & protegit

Fleuit, oculo vno miſericordiam, altero iram fundens venturam. Vna Deus protegit peccatores, altera manu punit.

1. Iob. 14. id innuit: *Quis tribuat, vt in inferno protegas me & abſcondas me, donec pertranſeat furor tuus?* Vindicem orat eſſe, & patronum ſibi. 2. Ita Deus & Cherub in Propitiatorio conſidebant, *Exod.* 25. Hoc autem erat coopertorium Arcæ; in qua legis tabulæ. Significatur Leges & peccata tegi, quaſi, ne videns ea vindicet iuſtitia. 3. Pſalm 31. *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata*, id eſt, diſsimulata à Deo, vſque dum pœnitentia deleantur. 4. Ezech. 10. *Expãdi amictum meum ſuper te, & ſuper ignominiã tuã.*

Diſſimulat delicta.

5. Iſa.

5. Isa. 38. *Proiecisti post tergum tuum omnia peccata mea.* Sic hic *videns ciuitatem fleuit.* Vbi vnquam super pagum fleuit?

Dolet ob delicta nostra.

III. Maledictæ vrbes, quæ domino lacrymas cietis. 1. Cogitis ad pœnam : Isa. 1. *Heu! consolabor de hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis.* Dolentis vox hæc, & coacti : Sic & tu, Ecclef. 22. *Super mortuum plora: defecit enim lux eius. Et super fatuum plora: defecit enim sensus eius.*

Orandum pro peccatoribus.

2. *Super* hic significat *propter.* Et propter hominem flebit Deus ; cui omnes aliæ creaturæ sunt gaudio ? Psal. 103. *Lætabitur Dominus in operibus suis.* Hæc *perseuerant in ordinatione eius*: at homo exorbitat hetroclitus. 3. Ideo *Pœnitet*, ait, *me fecisse hominem*, Gen. 6. Et iam flet propter eum.

Tardus ad vindictã.

IV. Adeo dissimilis est hominibus in vindicando. Hi *exultant, vt captâ prædâ*, de occasione vindicandi nacta : 1. At tu Domine *Non delectaris in perditionibus nostris.* 2. Imo dictans sententiam diluuij, Gen. 6. *dolore cordis tactus intrinsecus es.* 3. Vnde miratus Domini in se sæuitiam Iob quærit, Cap. 10. *Nunquid oculi carnei tibi sunt: & sicut videt homo, tu videbis ?* Hui! homo hostem vt toruum intuetur.

PARS V.

De peccatis deplorandis.

Deflenda sunt peccata propria.

I. DIsce tua ipse peccata flere. Nec frustra: 1. Ezech. 18. *In quacumq; hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius non recordabor.* 2. Idcirco Dominus, Luc. 23. *Nolite flere super vos, & filios vestros*, qui peccastis. 3. Et Petrus *exiuit foras, & fleuit amare.* Luc. 21. 4. Purgatorium nulli extinguet vllus oceanus ; at vna potest lacrymula. 5. Flagrat domus ? affusâ aquâ deflagrat. Ardes concupiscentia ? Iniecta pœnitentię lacryma suffocat ardorem. 6. Tunc proxima serenitas est ; cum nubes resoluũtur in aquas. Rumpe nubem peccatorum ; & fluent aquæ dolorum: & vero etiam gaudiorum.

Lugenda sunt & aliena.

Nec tua solum : sed & aliorum deplãge delicta. 1. Sic Paulus, Rom. 6 *Tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo. Optabam enim anathema esse pro Christo pro Fratribus.* 2. Item 2. Cor. 2. *Ex multa tribulatione & angustia cordis scripsi vobis, per multas lachrymas : Vt sciatis, quam charitatem habeã abundantius in vobis.* Hanc negligi charitatem queritur Augustinus : *Sunt ne in te, Christiane, viscera compassionis ; qui plangis corpus, à quo recessit anima ; & non plangis animam, à qua recessit Deus ?* 4. Ideo de anima iusti, Cant. 7. *Oculi tui sicut piscinæ in Hesebon.* Cum igitur tanta sit hodie materia flẽdi: *Quis dabit capiti meo aquã, & oculis meis fontẽ lacrymarũ, & plorabo die ac nocte?* Ier. 9.

Sed id iam pene est tãtum Religiosorum.

II. Sed eheu ; planctus peccatorum alienorum iam pene in solis cœnobiis coarctatur hospes : rei foris *exultant in rebus pessimis*, & ijs indormiunt. Qualis in tempestate Ionas cap. 1. cum *clamarent viri ad Deum suum, & miserunt vasa, quæ erant in naui, in mare ; vt alleuiaretur ab eis ; & Ionas dormiebat sopore graui.*

Queis non peccati in manitas.

Vacuos habent cœnobitæ animos ad agnoscendam peccatorum & multitudinem, & magnitudinem, 1. Vt Petrus ad Simonem Magum, Act. 8. *In felle amaritudinis, & obligatione peccati video te esse.* 2. Vbi malitiam peccati notat infinitam: sicut Redemtionis pretium infinitum est. 1. Cor. 6. *Emti enim estis pretio magno.* Duo infinita in vno peccato mortali : 1. offensæ Dei spreti ; 2. & spreti pretij redemtionis. 3. Sicq; posset in Deum cadere dolor, infinite doleret ob peccatum. Hinc Eph. 4. *Nolite contristare Spiritum Sanctum Dei.* 4. Quin & fugat Deum è templo suo peccatum ; non quidem effectiue : cum sit Deus omnipotens : sed demeritorie, ait Scotus, per peccatoris & Dei auersionem mutuam. Vt, *Genes.* 31. ab Iacob Laban auersus : *Video faciem patris vestri, quod nõ sit erga me, sicut heri & nudius tertius.*

PARS

PARS VI.

De amore Patriæ.

Amor patriæ est naturalis.

I. FLeuit *super eam*: Forsan vt iustum in patriam amorem ostenderet. Hunc natura inseuit omnibus; vt vel sanguinem pro ea fundere dulce sit, & gloriosum. Exemplis plena omnia. 1. Codrus Rex Athen. (audito oraculo, tum pacem fore patriæ, si Rex oppetiisset:) vel mentito habitu se hostium ferro obiicit. 2 M. Curtius Rom. caput pro vrbe deuouit, in apertum fori chasma eques insiliens, manesque placauit, hiatu coeunte.

3 Dauid, 1. *Reg.* 17. amore patriæ Goliathum aggressus est cum Deo. 4. *Iudith. cap.* 10. se Assyriis obtulit & Holoferni; patriamque liberauit. Esther pene similiter.

5. L. Sylla victor in Prænestinos gladio sæuiens, vni iussit parci quondam hospiti suo: qui aiebat: *Nolo patriæ meæ extinctori vitam debere.* 6. Vt cicada, sole superæstuante, moritur potius in loco, vbi nata est, quam inde cedat longius. 7. Hinc prisci quidam, ait *Plinius*, natos primum in terram deponebant, quasi in gremiũ veræ matris communis. Terramque dicebant *ter bonam*: quod natos excipiat: viuos sustentet: mortuos recipiat.

8. Hinc patriam miseratus est Dominus. 9. Ita & Dauid pro suis peccatis deprecans Ps. 50. *Miserere mei Deus*: statim patrię memimit: *Libera me de sanguinibus Deus*: id est, de hostica sanguinolentia: Et *Benigne fac Domine, in bona voluntate tua Syon; vt ædificentur muri Ierusalem*: quę ipsius patria.

Tria mala ciuitatis suiusque.

II. *Fleuit super eam.* 1. Nam Eccles. 26. *A trib. timuit cor meum, & à quarto facies mea metuit; Deleturam ciuitatis, & Collectionem populi, & Calumniam mendacem.* Contentio, Conspiratio, Calumnia vrbis sunt tria pessima Kappa. Hæc futura deflet Dominus. 2. Quidam ait: *Pallas, vrbium Domina, tribus immanissimis beluis delectaris; Noctua, Dracone, & Populo*: Hoc est: Ignorantia noctiuaga, Inuidia visu acutissima, & turba populari. Hæc fleuit Dominus, vt homo: etsi Deus.

Sinite plorare; quia dignitas imperatoria non impedit illum esse hominem; aiebat Philosophus suadentibus Imperatori, ad triste nuntium acceptum flenti, vt flere desisteret: quod indignũ esset Imperatore.

DOMINICA XI. POST TRINITATEM.

Duo homines ascenderunt in templum, vt orarent: vnus Pharisæus, & alter Publicanus.

Luc. 18.

ISaias 40. ait: *Omnis vallis exaltabitur, & omnis mons & collis humiliabitur. Et erunt prava in directa, & aspera in vias planas.* Factum hic in duobus istis, & dictum à Domino: *Omnis, qui se exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur.*

De quo nos

I. *De superbiæ detestatione.*
II. *De orantis Pharisæi fastu.*
III. *De orantis gloriatione.*
IV. *De precum submissione.*
V. *De laudis propriæ amantibus.*
VI. *De orantis Publicani pudore.*
VII. *Paræneſis, seu præconium Humilitatis.*
VIII. *Enconium humilium.*

PARS I.

Detestatio superbiæ.

Superbia vitiorum teterrima

I. SVperbia, ait Aug. 4. ciuit. c. 15. *est peruersæ celsitudinis appetitus.* Vel vt lib. ad Inno. *Est inordinatus amor propriæ excellentiæ.* Addit D. Tho. 2. 2. q. 162. *per quam se quis extollit supra id, quod est ei præfixum diuina regula.* Alludens ad illud 2. Cor. 10. *Nos non in immensum gloriamur; sed secundum mensuram regulæ, quam mensus est nobis Deus.* Vel

vt alij: Superbia est propriæ conditionis præsumptuosa existimatio.

Auertit à Deo. Est ea vitiorum teterrimum. 1. Quia quo magis vitium retrahit à Deo; eo est grauius; Sed illa maxime retrahit: ergo. 2. Quia alia peccata contingunt ex infirmitate, vel ignorantia: at superbia ex malitia, quia non vult. 3. Hanc *Glossa* in istud Ps. 28. *Emundabor à delicto maximo*, ait, id est, *à superbia*, vitiorum capite.

Causat peccata omnia. II. Quia fons est & causa aliorum peccatorum. 1. Nam 1. Topic. *Propter quod vnumquodq; est tale, illud magis est tale*: Sed Eccl. 10. *Initium omnis peccati est superbia; & qui tenuerit eam, replebitur male dictione, & infines subuertet eam.* 2. Ideo Tob. 4. *Superbiam nunquã in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas. Quia in ipsa initiũ sumsit omnis perditio.* 3. Hinc Greg. l. 31. Mor. *Radix cũcti mali, & regina omniũ vitiorũ superbia est.*

Se æquat Deo. III. Ea est sæuior in Deum cunctis, cui par esse vult, dum nulli subesse, quod solius est Dei. 1. Aug. in Spec. c. 18. *Deus est, supra quem nihil, sine quo nihil, sub quo, cum quo, in quo totum, à quo omnia, per quem omnia, & in quo omnia.* Hæc superbia sibi arrogat. 2. Vnde quasi diuinas assumens proprietates, 2. Thes. 2. *Extollitur supra omne, quod dicitur Deus.*

Virtutes elidit omnes. IV. Est virtutum, bonorumq; omniũ grando, pestis, diluuium. 1. Greg. *Sicut humilitas omnia vitia extirpat, omnesque virtutes colligit, & roborat: sic superbia omnes virtutes destruit, & eneruat.* 2. Vt aquila, ad prædam nata, testas, testudines, nuces altissime euehit, vt in petram deiecta elidat: sic arrogantia superbos. 3. Ps. 72. *Deiecisti eos, dum alleuarentur.* 4. Poëta: *Tollunt in altũ, vt casu grauiore ruant.*

Præcipitat.

Odit eam Deus. V. Eam Deus plus cæteris detestatur. 1. Prou. 8. *Superbiam, & arrogantiam ego detestor*, 2. Iud. 9. *Superbi non placuerunt tibi ab initio.*

Punit maxime. Hinc præcæteris vitium id punit semper Deus. 1 Ps. 30. *Retribue abundanter facientibus superbiam.* 2. Quin & *Domos superborum demolietur Dominus.* Prou. 18. 3. Ac eoque *Et substantia superbi eradicabitur.* Eccl. 21. Exemplum dictorum liquet in Euangelio.

PARS II.

De orantis fastu Pharisæi.

Duæ ciuitates. I. AVgust. 14. ciuit. c. vlt. *Amores duo duas fecerunt ciuitates, Amor Dei vsque ad cõtemtum sui, erexit ciuitatem Dei: Amor autem sui vsque ad contemtum Dei, erexit ciuitatem diaboli.* Patet in duobus his orantib. Vnus est ciuis huius, de quo Iob. 14. *Ipse est Rex super omnes filios superbiæ.* Alter ciuis Illius, *qui humilia respicit, & alta à longe cognoscit.*

2. Pharisæo similis frater prodigi, iam humiliati, instar Publicani: Is ait Patri Luc. 16. *Tot annis seruio tibi, sed postquam filius tuus hic,* (nõ ait,) *frater meus, qui dissipauit omnia cum meretricibus, redijt, occidisti ei vitulum saginatum.*

Situs orantium prius. II. Pharisæus *stans, apud se orabat.* Situs arguit fastum. 1. Non sic orauit Salomon, 3. *Reg.* 8. sed nixus humi genib. 2. Item & Dan. c. 8. 3. Moyses, *Num.* 16 loquens cum Deo se humi prosternebat. 4. *Apoc.* 24. seniores cum cœlitibus proni adorabãt. 5. Et Dominus *Luc.* 22. *procidit in faciem suam* orans in horto.

Genuflexio Iudaica. Orauit contra ritum Iudæorum stando. His enim genuflexio consueta; vt 3. *Reg.* 8. & 2. *Par.* 6. *Dan.* 6. *Micheæ* 6. & c. Deinde Christiani situm orandi sine immutatione transtulerunt ab Iudæis: Atqui flexis oramus. Ita *Maldonatus.*

Superbia est impietas. III. Quicquid id est, stetit præsumtuose, non pie. 1. Superbia in Scrip. vocatur impietas. Vt Abdiæ 1. *Superbia cordis tui extulit te.* Chaldæi legunt: *Impietas cordis tui seduxit te.*

Filiæ dæmonis enumeratæ. 2. Dæmon olim duxit vxorem; suscepit ex ea nouem filias, has in mundũ dedit

dit nuptui;nonam iussit esse communé. Dedit 1. Superbiam Principib. ac Prælatis. 2. Simoniam Sacerdotibus. 3. Hypocrisin Religiosis. 4. Rapinam militib. 5. Vsuram mercatorib. 6. Mendacium mechanicis. 7. Pigritiam nobilib. 8. Murmurationem operariis. 9. Luxuriam Omnibus, etiam mendicabulis.

PARS III.

De orantis gloriatione.

Oratio fastuosa.

I. *DEus tibi gratias ago, quod non sum sicut cæteri hominum.* 1. *S. Bern.* explodit hanc orationem minime bonam: Similem mendicanti, & simul vtramque auro plenam ostentanti; Aut gestanti, torques, armillas, coronam, purpuram, &c. 2 Dauid ostendebat suos defectus: *Miserere mei Deus, quoniam infirmus sum: sana animam meam, quia peccaui tibi.* 3. Non ita Pharisæus. Ac proinde Ps. 108. *Oratio eius fiat in peccatum.*

Da gloriã Deo, ex quo omnia.

Non hic orandi est modus: sed 1. Interrogate prius cum Ioan. 1. *Quod est opus tuum? Qua terra tua? & Quo vadis?* Agnosce Deum, & adora Isa. 26. *Omnia nostra operatus es in nobis Domine* 3 Deus est; *in quo viuimus, mouemur, & sumus.* Deus ait, Ioan. 15. *Sine me nihil potestis facere.* 4. Omnis ars, ac venus picturæ debetur pictori, nõ penicillo: Ita. 5. Psalm. 113. *Non nobis Domine, non nobis, sed Nomini tuo da gloriam.*

6. Iure ciuili cautum est; ne vllus opifex sua insignia, vel nomen affigat vsquam in ædificium, quod sumtibus publicis constituit. Ita; 7. *Quæ Dei, Deo.* 8. Sic Paulus: *Non ego, sed gratia Dei mecum.*

9. Sitho Dux Athen. quod Cotym Regem profligasset, rempub. liberasset, & c. cũ actis gratiis mire euehe retur, ait: *Diis agendæ grates, habendæ laudes: Ego manum tantum ac laborem contuli.* Et tu Pharisæe,

Sin' perdes omnia.

quæ de quo prædicas?

Ezechiæ, 4. *Reg.* 20. ostentanti thesauros Babyloniis Legatis, iratus ait: *Et auferentur omnia, quæ sunt in domo tua, & quæ condiderunt patres tui, vsque in diem hanc, in Babylonem. Non remanebit quicquam.* Sic euenit huic thrasoni, ait *S. Aug.*

Id Cœlites agunt.

II. Christianæ perfectionis est; Adscribere Deo, quod in nobis boni, quod mali, nobis. Hinc humilitas nobis, inde gloria Deo surgit. 1. Sic Apocal. 4. *Seniores XXIV. adorauerunt Viuentem in sæcula sæculorum, mittentes coronas ante thronum Dei*: à quo acceperant. *Nec enim* Ps. 47. *gladio suo possederunt terram, & brachium eorum nõ saluauit eos: Sed dextera tua, & brachium tuum.*

Sibi nil tribuendum.

Itaque nemo sibi ab meritis suis blandiatur, fidens ipsis, minime solis. 1. Namque omnia sunt leuissimo momẽto mobilia, Adam paradiso; Salomon sapientum numero; Apostolorum, Iudas excidit. 2. Vocatio nostra est de contingentibus. Iudas damnatur, latro saluatur; Magdalena in gratiam recipitur, publicanus item. Quis igitur sibi ex se quidquam spondeat?

PARS IV.

De precum submissione.

Preces sint gratiarũ actiones.

I. *GRatias ago tibi.* Bonum exordium precandi. 1. Sic præscriptum, Phil. 4. *Cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescãt apud Deũ.* 2. Sic Ipse orat Dominus, Mat. 11. *Gratias tibi ago Pater, Domine cœli & terræ.*

Sint accusatoria sui.

Sed Pharisæe, superbas agis tu gratias: Hinc ab superbia incipis ipsa. 1. Nescis dictum, Prou. 18. *Iustus in principio est accusator sui*: Quanto magis te oportuit? 2. Nescis misso ad prædicandum Ieremiæ dictum, *vt euellas, ac destruas* prius vitia, dein *ædifices* spirituale ædificium; *& plantes* virtutes in hortulo animæ.

Non laudatoria.

II. Si cui è secta vena primum effluat sanguis purus; corruptũ maneat: hoc vero ominosum medicis symptoma est: bonum; si contra. Sic in orante Deũ. At

tu primum, *Ieiuno bis, &c.* Hem, fœces & amurca remanet in corde.

Sed humiles. Irato iudici ostentare opes, iactare delicta; stultitiæ est: prudentiæ, his tacitis, misericordiam orare. Sic *Ios.* 7. Gabaonitæ, vt gratiam apud Iosuen inuenirēt; laceris vestibus, miserabilesque acciderunt illi supplices, & vultu pallentes; etsi cum fuco. Sic iustus orator absque fuco.

Non fucate. III. Refert *Aelianus, in Variis l.* 7. Cæcum senectionem Legatum Spartham capita legationis percensuisse: Tum Regem Archidamum extitisse: *Quid*, ait, *hic sani diceret; cuius non animus tantum, sed caput etiam fucis contaminatum est.* Nam quo minus oculi attenderentur, capillos infucabat. Similes deliri, queis squalidus vitiorum situ est animus: & foris mentiuntur lucem & Angelum.

Quod habes boni, da Deo. Lex erat Deut. 15. *Non operaberis in primogenito bouis: & non tondebis primogenita ouium:* At opera bona sunt primogenita. Nam gratia Dei præueniente & adiuuante fiunt: licet cooperantibus nobis, quod posterius est Pellis nostra est, vellus seu lana Dei. 7. Ab hoc vitio securus *Iob* 31. ait: *Si lætatum est in abscondito cor meum: & osculatus sum manum meam in ore meo: quæ est iniquitas maxima & negatio contra Deum Altissimum.* At is manum osculatur, qui opera manuum dilaudat suarum. Thesaurus absconditus est tutus.

PARS V.

De laudis propriæ amantibus.

Laudis cupidi sunt indigi laudis. I. COntra multi peragere nil posse videntur, nisi laudibus excitentur. 1. Vt organa haud insonarint; ni folles ab alio leuati adspirent ventum. 2. Nautæ non egrediuntur portu in malacia; sed flante vento secundo; tum vela faciunt. Ita superbi folles ac vtres prouehuntur, dum afflantur vanis rumusculis 3. O dānum! Pauxillum aceti in doliū infusi vinum omne facit acescere: ita virtutum corruptrix superbia est.

4. Sicut quidam cerebelli tam imbecilli sunt, vt vno vini haustu capiantur: sic nonnulli tam in virtute infirmi, vt istius aceti odore inebrientur; ac vacillent.

Iusti secus. Contra Iusti, ait S. Gregor. *quo altius ad Deum virtutum dignitate præcedunt: eo subtilius se indignos esse deprehendunt. Quia, dum luci proximi sunt, quicquid eos in seipsis latebat, deprehendunt.* Talis Iob erat. c. 9. *Si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea.*

Admirator sui, est contemtor proximi. II. At Pharisæus alterius est toni. *Non sum sicut cæteri, &c.* Arist. est sententia: *Qui non est sicut cæteri homines: aut aliquid melius est omni homine, sicut Deus, aut aliquid vilius omni homine: sicut bestia.*

Contemtus proximi mala multa affert, & perniciem autori. 1. Vt enim mare, quo se purget, ad litus, & agros vicinos eiicit sordes, eisque relinquit: ita superbus, vt videatur hoc integrior, alios cōspurcatore. Sic Pharisęus. 2. Vt inclusus sub tellure aer terræmotus causat, & erumpens disijcit omnia: ita superbia erumpit cū clade famæ alienæ. Tumebat Pharisæus, sed pati debuit publicanus.

In eo virtutes male habitant. III. *Ieiuno bis &c.* O male collocatas Virtutes apud animum superbum! 1. Sūt eæ seruæ Naamanis; 4. *Reg.* 5. quæ exire seruitute gestiunt. 2. reginæ; quæ truncatæ, & constrictæ; ac nudæ micas colligunt sub mēsa Regis Adonibezech. *Iud.* 1. 3. Sunt gēmæ plūbeo annulo inclusæ. 4. M. Collius iocans Galbæ gibboso, sed ingenioso, aiebat: *Ingenium tuum male habitat:* At virtutes in Pharisæo peius.

Est que hypocrita. Ita Michas, habens idolum domi hæreditariū, conduxit Leuitam, qui ipsi sacrificaret, & ait: Iud. 17. *Nunc scio, quod bene mihi faciet Deus, habenti Leuitici generis Sacerdotem.* Credebat sub titulo Leuitæ omnē suam idololatriam celatum iri. Similes hodie quot? Vti & Pharisæus.

Alio

Alio Dauid spectabat; Ps. 118. *Ad omnia mandata tua dirigebar: omnem viam iniquam odio habui.* Id est. Bonum sectatus, malum omne fugi: non aliquod solum. 1. Qualis, qui omnibus in vrbe optime custoditis, vnam portam relinquat apertam hosti. Matt. 11. *Tollite iugum meum super Vos.* quasi dicat, *totos*, nō super humeros tātū.

PARS VI.

De orantis publicani pudore.

Quis Publicanus.

I. *PVblicanus autem à longe stans:* Id est, vt quidam Trapezita, seu mēsarius fœnerator. Vel vt D. Thom. Hugo Card. exactor portoriorum: Vel, vt Eutym. peccator publicus in vsuris. Vt fuerit: certe Pœnitens erat: *Deus esto mihi propitius peccatori.*

Preces eius quales.

In hac oratione laudabiles 4. conditiones sunt. 1. Timor: *stans à longe.* Vere Initium sapientiæ timor Domini. 2. Pudor. *Nolebat oculos in cœlum leuare.* Ita peccatores *Conuertantur, & erubescant valdè velociter.* Ps. 6. 3. Pectoris percussio. Nam *Cor contritum, & humiliatum Deus non despicies.*

Confessio nuda. Psal. 31. *Confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti iniquitatem peccati mei.*

Pudore humiliat.

II. Pudor peccati perquam laudabilis, ac salutaris est. 1. Achabum 3. *Reg.* 12. ita peccati sui puduit, vt semper dein capite demisso incesserit. 2. Manasses ait, 2. Par. vlt. *Non sum dignus intueri altitudinem cœli, præ multitudine iniquitatum mearum.* 3. Asaeli ait Abner, se persequenti; 2. Reg. 2. *Recede, & noli me persequi: ne compellar confodere te in terram, & leuare non potero faciem meam ad Ioab fratrem tuum.* Quid? Bello virū persequebatur; occidere noluit; ne erubesceret coram fratre occisi; & tu Deum læsum intuebere?

2. Veniam impetrat.

3. Peccatū auget.

Gratus Deo est.

III. Si tñ *erubueris, saluares est.* 1. Nā sic de spōsa sponsus, Cant. 4. *Sicut fragmen mali punici gena tua.* Nam verecundia vt non fit virtus, tamen *color hic virtutis est*, ait Philosophus, Vt fit sponsa Dei sancta; humiliat se tamen. 2. Esdras talis, 1. Esd. 9. *Deus meus, confundor, & erubesco leuare faciem meam ad te; quoniam iniquitates nostræ supergressæ sunt caput nostrum: & creuerunt vsque ad cœlū.* 3. Dauid Ps. 13. *Tota die verecūdia mea cōtra me est; & cōfusio faciei meæ cooperuit me.*

Exosa Deo impudentia arrogātia.

IV. At Pharisæe, *Frons meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.* Ierem. 3. Te iactas eum, qui non es: & superbis: Publicanus fatetur eum se, qui est; humilemq; se esse ignorat. Ridetur merito Epicurus, quod se Sapiētem diceret; & hoc ipso esset insipiens. Græciæ 7. Sapientes, ab Græcia; non ab seipsis sic appellati sunt.

Grata modestia sui accusatoria.

Sponsa, Cant. 4. erat *Hortus conclusus soror mea Sponsa, hortus conclusus, fons signatus.* Omnia eius clausa erant bona: non exposita in vanitatē. Talis hic publicanus; plenus humilitatis, pudoris, &c.

Quæ oras impetrat.

V. Neque certior est via quid obtinēdi precibus, quam per animi demissionem. 1. Sic Sponsa: *Nigra sum, sed formosa filia Ierusalem.* 2. Oras? Prius Ps. 39. *Reuela Domino viam tuam.* Hoc est, ait Amb. *aperi conscientiam tuam, ne eam sæculi istius grauet vmbra, vel carnis.* Ideo hic primo; *Deus, propitius esto.*

In Humilitate vna sūt omnia.

O vim humilitatis! Omnia mysteria Domini adscribit illi *S.* Greg. *Ad hoc Dei filius infirmitatis nostræ formā suscepit, adhoc Inuisibilis, non solum visibilis, sed etiam despectus apparuit, adhoc probra, tormēta sustinuit: Vt superbū nō esse hominē doceret humilis Deus.*

PARS VII.

Præconium humilitatis.

Humilitas 1. Beat. 2. Honorē dat.

I. APud *S.* Patres præcipua laus est humilitatis, titulisque afficitur mirificis. 1. Climacus scribit: *Vt Superbia ex Angelis dæmones fecit, sic humilitas ex dæmonibus Angelos efficere potest.* 2. Quo eam amplectimur arctius; hoc plura in nos con-

fert bona. Quo honor fugitur longius; hoc sequitur is prius. Ideo Sauli dicitur, 1. Reg. 15. *Nonne, cum paruulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es?*

3. Deo amatur.

Minores amauit semper Deus. 1. Adam duorum erat liberorum pater; Abelum iuniorem dilexit Deus. 2. Abrahæ erat Ismael & Isaac: hic gratus Deo *In Isaac vocabitur tibi semen: Quia hunc elegit Dominus.* Gen. 21. Et, *Iacob dilexi: Esau autem odio habui.* 3. Iacob multos habuit filios: at Deus dilexit minores Ioſephum, & Beniamin. Deus Luc. 1. *deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.* 4. Missus à Deo Samuel in domum Isaiæ, in filium huius maiorem Eliab oculos vertit Regem vngendum; sed *adhuc paruulus est & pascit greges*, Attamen 1. Reg. 16. hunc elegerat Deus. 5. Et ipse, Matth. 18. *Nisi efficiamini, vt paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum:* Innuit, solis humilibus cœlū patere. 6. Matt. 19. *Sinite paruulos ad me venire.* Adeo Deus Ps. 137. *humiliat respicit in cœlo, & in terra.*

Eius magister Iesus est.

II. Tanti est humilitas; vt magister illi par nullus; nec verba docendæ paria; Ipse Dei filius facto eam docuit, Matth. 11. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Vbi S. Greg. *Non ait, discite à me miracula patrare, mortuos suscitare, fugare dæmones, mūdos condere nouos, &c.* Græciæ vrbes omnes Homerum sibi vendicabant; ita virtutes singulæ humilitatem; quæ terror vitiorum est. Adeo virtus vniuersalis est. Hinc Dominus eam *Iustitiæ* nomine affecit, cū Baptista illi certaret humilitate, Matth. 5. *Sine modo; sic enim decet nos implere omnem iustitiam.* Vbi *Glossa* air, id est, *humilitatem*, Et hæc vna fuit saluti Publicano; vt perditioni sua Pharisæo superbia.

Est vniuersalis virtus virtutum.

PARS VIII.

Enconium humilium.

Humiles sua non norunt.

I. ESt superborum de meritis, humilium de peccatis suis loqui. 1. Hinc Rufino percunctāti ex S. Francisco: quid de se ipse existimaret, is ait, Quod de maximo peccatorū. At, inquit ille, nec fur, latro, nec adulter, &c. es ait ille: Si, qualem mihi, Deus & illis gratiam dedisset; maiora præstarent; & ego in maiora ruerē, ni Dei me seruaret bonitas immerentem.

2. Iusti ipsi sua non norunt bona. Quia vt, qui in obuersum intuens solem, simul & in domū; nil videt eorum, quæ in domo sunt: ita humiles, in Deum omnia referentes, in se nil suum vident; nisi quod fuliginosum. 3. Vnde Sponsa Cant. 1. *Nolite me considerare, quod fusca sim; quia decolorauit me sol.* 4. Dauid, quia alias ait. *Inops & pauper sum ego*, humilitatem tamen suam norat vnicam: eaque fretus ait Ps. 130. *Domine, non est exaltatum cor meum; neque elati sunt oculi mei; neque ambulaui in magnis, neq; in mirabilibus super me.* Ecce cor, oculi, pedes, caput, omnia humilia. Sed *humilis corde, & cor contritum* est princeps.

In Dei visuunt.

II. Ferunt esse fontem, in quo faces accensæ extinguuntur; extinctæ accenduntur; si immergantur: Ita succensus superbia ad Deū accedens; emoritur; Vt Pharisęus: humilis vitā aufert; Vt Public.

Vincūtur cum vitiis

Chabriæ Ducis Athen. dictum est: *Agmen ceruorum fortius est duce Leone; quam leonum duce ceruo.* Ita copiæ vitiorum duce humilitate fortiores sunt copiis virtutum, quarum Dux superbia fuerit. In Pharisæo erat. *Ieiuno, do decimas, &c.* Virtutes; sed cum superbia: In Publicano nihil; at humilitas: Et hic iustificatur præ illo. Vicit humilitas!

Iustificatur.

III. Hæc causa est nostræ iustificationis: reprobationis vero superbia. 1. Quæ facit, preces non exaudiri. *Peccatores Deus nō exaudit*; Glossa, id est, *superbos.* 2. Hinc Bias Prienæus nauigans cum sceleratis, orta tempestate orantibus Deos, ait: *Tacete, ne Dij infensi vos hinc abnauigare sentiant.* Nam, qui se exaltant, hos humiliant dij.

Exaudiūtur orātes

3. Qua-

In cœlo reponuntur.

3. Quare vt aurei nummi in bilance optimi descendunt; & hi in thesauris ponuntur: qui autem leuiores eleuantur, ij extruduntur: Ita superbi reprobantur; accepti sunt humiles. 4. Nã Eccl. 10. *Odibilis Deo est omnis superbia.* At Iudith 9. *Mansuetorum, & humilium semper tibi placuit deprecatio.*

Perora, facta vtrorumque contentione per oppositа ad effectum placentiæ Dei, in humilitate, & displicentiæ in superbia.

DOMINICA XII. POST TRINITATEM.

Adducunt ei surdum & mutum; & deprecabantur, vt imponat illi manum. Matth. 7.

DAuid, 2. Reg. 11. *vt vidit; vt perijt; vt eum malus abstulit error.* Nam, cum visa è solario lauante se, vt peccauit semel; in plura abiit inde peccata: diu quasi mutus ac surdus Deo relictus. Hinc Psal. 37. *Ego, sicut surdus, non audiebam; & sicut mutus non aperiens os suum.* Quæ calamitas hodie est complurium: habetque exemplum in Euangelio.

Circa quod nos

I. *De septem Fidei fundamentis.*
II. *De fide, & charitate adducentium surdum, ac mutum.*
III. *De manu Dei tangente ipsum.*
IV. *De surdo, ac muto ipso.*
V. *De sanandi abductione ab turba.*
VI. *De nocumento turbæ.*
VII. *Turbæ altiora mysteria sunt celanda.*
VIII. *De ingemiscente Iesu.*

PARS I.

De septem Fidei fundamentis.

FIdes Christiana, etsi per se indubitata; septem innixa tamen est fundamentis. 1. De quo Prou. 9. *Sapientia ædificauit sibi domum; & excidit columnas 7.* 2. *Apoc.* 5. Visum grande volumen, sigillis 7. munitum, intus ac foris conscriptum.

I. Fundamentum. Oracula Prophetarum, de omnibus articulis vaticinãtium. Idque ex Dei instinctu. 1. Iuxta Actor. 10. *Huic Iesu, omnes Prophetæ testimonium perhibent.* 2. Et illustrius 2. Pet. 1. *Habemus firmiorem propheticum sermonem: cui benefacitis attendentes. Hoc ipsum intelligentes, quod omnis prophetia Scripturarum propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu S. inspirante locuti sunt S. Dei homines.* 3. Cum igitur solus Deus futura contingentia norit: iuxta Isa. 46. *Annunciate, quæ futura sunt, & sciemus, quia Dij estis:* Sequitur Prophetias esse infallibiles.

II. Fund. S. Script. consensus & harmonia; in tanta Scriptorum eius varietate; concordantium tamen in altissimis articulis, aliter atque aliter indicatis; *humanam notitiam transgredientibus*; Vt *Albumasar. lib. 1. Commut. diff.* 4. loquitur: *Aug.* 10. *Ciu.* hoc vtitur contra hæreses, in quibus mera dissensio.

III. Fund. Autorum scribentium libros sacros sanctitas & vita: Vt Moses *Dilectus Deo, & hominibus.* Eccl. 46. Et ex ordine cæteri, vt Apostoli. Quorum vnum quis arguet de mendacio, qui ora mendacib. obturant.

IV. Fund. Quicquid lex Christiana vel credi, aut fieri præcipit, omne rationi, æquitati, honestati, &c. consentaneum est: vt, cui nil obiici queat, Ps. 18. *Lex Domini immaculata, conuertens animas.*

V. Fund. Martyrum constantia; quibus pro Deo, in causa diuina patientibus, Deus; singulare auxilium non impertiuisset: si res ipsius non acta fuisset. Vnde, secundum Hieronymum, Martyrium sapit quid supra hominem.

VI. Fund. Fidei immota perseuerantia, tot inter insultus & Imperatorum; & Amicorum; & hæreticorum; & impiorum.

rum. Vt illud Gamalielis *Act.* 5. manifestissimum sit factum: *Si ex hominibus erit consilium hoc, aut opus, dissoluetur: Si vero ex Deo est, non poteritis dissoluere illud.*

VII. Fund. Miracula. Hinc Ioan. 11. *Opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me.* Et confirmare volens discipulos Baptistæ, ait Matth. 11. *Renunciate Ioanni, quæ auditis, & vidistis; cæci vident, claudi ambulant.* &c. Hinc D. *Th.* 3. *p. q.* 43. *art.* 4. edita docet miracula esse sufficientia ad confirmandam fidem; tum propter speciem; nam omnem potestatem creaturæ potentiæ excedunt. Ioan. 9. *A sæculo non est auditum, vt quis aperiat oculos cæcinati. Nisi esset hic à Deo, non poterit facere quicquam.* Tum ob modum, quo ea fecit: Nam propria virtute; non alia inuocata superiore; vt Moses, &c. Marc. 1. *Quænam doctrina hæc noua? Quia in potestate spiritibus immundis imperat & obediunt ei.* Et hodie. *Bene omnia fecit; & surdos fecit audire, & mutos loqui.*

PARS II.

De fide & charitate adducentium surdum, ac mutum.

1. *Adducunt ei surdum, & mutum*; non à natiuitate, vel casu; sed ex obsessione dæmonis, aiunt Theophylactus, & Euthymius. Quod tamen vix probabile. Cum rem tam notabilem Euangelista non siluisset: Et *Matthæus* 9. *Lucas* 11. expresserint idem de alio muto. At hoc in medio esto.

Charitas proximi cõmendata.

Adducunt: ex charitate proximi. Huius sanctissimi quisq; studiosi fuere. 1. Moses, annis 40. pastor ouium soceri Iethro, salutis Hebræorum fuit studiosissimus. Iamque Ductor eorum effectus etiam animam pro eis despondet: Exod. 32. *Aut dimitte illis hanc noxam; vel, si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* 2. Abraham pro Pentapoli supplex Domino ait, Gen. 18. *Nunquid perdes iustum cum impio? Absit à te, vt facias hanc rem. Non est hoc tuum, qui iudicas omnem terram; nequaquam facies iudicium hoc.* 3. Dauid, visa populi clade ob suum peccatum, orat. 2. Reg. 25. *Ego sum, qui peccaui. Ego inique egi: isti, qui oues sunt, quid fecerunt? Vertatur, obsecro, manus tua cõtra me.* q. d. Etsi plures sint in regno peccatores; ego sum pessimus. 4. Paulus Ro. 9. *Optabam anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem.* 5. Dominus, curato paralytico in sabbatho, calumniatoribus ait; Ioa. 5 *Pater meus vsque modo operatur; & Ego operor*, quasi dicat, Pater non cessat benefacere hominibus vllo die. Et tu cessabis; qui Deo indiges, & proximo.

II. Adducunt; cum viua fide de Domini potentia; si vel manu tangeret, fore sanandum. Fides ea nitebatur duobus. 1. Eximiæ existimationi de Domini benignitate ad benefaciendum. 1. Factis ab eo miraculis aliis. *Fides à Deo est.*

Et ea fides tamen donũ erat Dei. Ephes. 2. *Gratia saluati estis per fidem; & hoc non ex vobis; Dei enim donũ est.* Et Rom 12. *Vnicuiq; diuisit Deus mensuram fidei.* Sed Ioan. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum*; Id est, ait Augustin. & Chrysost. *Nisi fidem ei dederit.* Vnde dicitur Act. 13. *Crediderunt, quotquot erant præordinati à Deo.*

Ergo fides est infusa. 1. Vt stella, Magos ducens ad adorandum, & offerendum, facta recens à Deo fuit, non vna ex creatis: Ita fides à Deo infusa est, non vna moralium virtutum, quæ ducit ad colendum Deum. 2. Huius figura fuit columna ignea Israelitis ex Aegypto egredientibus prægressa. *Exod.* 13. 3. Isaac Rebeccam sibi despondet; *Gen.* 24. datis ei armillis, & inauribus aureis; idque ad fontem potatis camelis; Ita Deus baptizatis fidem dat, & operosam in ea charitatem. Oseæ 2. *Sponsabo te mihi in fide.* Rom. 10. *Fides ex auditu est.* 4. *Hieram.* 3. Reg. 5. *dabat Salomoni ligna*

ligna cedrina & abiegna iuxta omnem voluntatem eius ex Libano : Itemq; *marmor*, quo ad Templum vtebatur, nō erat in regno Salomonis natum : sed aliunde ista inferebantur: Ita in animæ templum Deus aliunde immittit bases fidei, &c.

PARS III.

De manu Dei tangente infirmum.

I. ET *deprecabātur eum; vt imponat illi manum.* Et opus, & preces ad salutem proximi contulerunt. Si minus re iuuare ; at orare Deum pro indigo promptū esse cuiuis potest, vt peccatori surdo ad salutaria aurem aperiat : mutoq; ad laudes, & grates Dei, det vocem.

Manus Dei duplex.
1. Iustitia.

Imponat manum. Hæc gemina Deo : Ps. 100. *Misericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine.* Manus Iustitiæ rigida est. 1. Docet Iob. 19. *Miseremini mei, miseremini mei, vos saltem amici mei, quia manus Domini tetigit me.* c. 13. *Manum tuam longe fac à me ; & formido tua me non terreat.* 2. De hac Psalm.

2. Misericordia.

20. *Inueniatur manus tua omnibus inimicis tuis.* Manus Misericordiæ leuis & lenis est. Psalm. 143. *Emitte manum tuam de alto, & eripe me de aquis multis.* Hæc imponi rogabatur. Tum quod scirent, sic plures eū persanasse: *Mar.* 1. 5. 8. *Matth.* 8. 9. 19 *Luc.* 13. Tum, quod & Prophetæ sic sueuerint sanare. Id quod Ethnici quoq; non ignorabant. Vt Naman, 4. Reg. 5. *Putabam, quod egrederetur ad me ; & stans inuocaret nomen Domini Dei sui, & tangeret manu sua locum lepræ, & curaret.*

Hoc opus homini sanando.

II. Arduum opus, sanare hominem. Tota manus requiritur ; cum ad condēdum orbem digiti sufficerint. 1. Ps. 8. *Videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum.*

2. Et Isa. 40. *Quis appendit tribus digitis molem terræ ?* Imo visi tantum digiti Dei Regibus sunt horrori. Dan. 5. *Apparuerunt digiti, &c. tunc facies Regis* Balthasaris, *commutata est, & cogitationes eius conturbabant eum.* 4. Dæmones effugant: Luc. 11. *Digito Dei eiicio dæmonia.* Et ad sanandum hominem manu est opus tota?

PARS IV.

De surdo ac muto.

Surdi & muti sunt reprobi.

I. AT Centurionis puero restituendo sat erat verbum. *Dic tantū verbo & sanabitur puer meus.* Cur hic nō item? Quia surdus, & mutus erat, ad diuina vel audienda, vel prædicanda. Quod reprobationis est signum. Hinc Leu. 22. *Bouem, & ouem, aure & cauda amputatis, voluntarie offerre potes, votum autem ex his solui non potest.* Ita surdi & muti, à Deo sunt reprobi: Eorumq; preces sunt mutuæ Deo ; Deus surdus ipsis.

Arte vsuque dæmonis fiunt muti ad Dei laudes, preces, voces.

Nimirum sic dæmon animabus eripere vocem sueuit, & auditum ; neu quādo victimare queant Deo preces, grates, laudes offerendo, vel audiendo. Hæc. n. sacrificia istis potissimum sensibus patrantur. 1. Sic Iobum afflicturus Satan, greges primum victimales, vt oues, extinguebat: non camelos & asinas. Vt præriperet placandi Numinis occasionem.

2. Ita Iudam obstinauit : vt *Oratio eius fieret in peccatum.* Psalm. 108. non in remedium. 3 Ita omnis victima impiorum abominabilis *Prou.* 15. ab eo redditur.

4. Hoc agit, & satagit vnum, vt peccatori Ps. 33. *Non sit salus in Deo eius :* maneatque reprobus. Ecce tibi, Hebræis poscētibus, Exod. 32. *Surge, fac nobis Deos, qui nos præcedant* ; ait Aaron : *Tollite inaures aureas de vxorum, filiorumq; & filiarum vestrarum auribus & afferte ad me.* Non torques, brachialia, scyphos, &c. Vt significetur ; erepto auditu, cætera omnia ad idololatriā prona esse, adq; scelera quæcunq; alia.

Muti in confessione.

II. Videtur hic non prorsus fuisse mutus, sed ægriloquus. Nam Græce dicitur μογιλαλος, id est, qui vix loquitur. Et de sanato dicitur, *& loquebatur recte.* Ita muti multi, qui loquuntur, sed non recte, ma-

xime in Confessione. 1. At væ, hic, *qui abscondit scelera sua, non dirigetur. Qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur.* Prou. 28. 2. Expertus inde damnum, ait Psal. 31. *Quoniam tacui, inueterauerunt ossa mea, dum clamarem tota die.* Ossa virtutes sunt: vt, caro, pro peccatis accipitur, Inde Psal. 34. *Omnia ossa mea dicent tibi; Domine, quis similis tibi?* Virtutes putrescũt, dũ homines surdescũt, & mutescũt.

Attamen in S. Scr. voces *Surdus & mutus* ambigue sumuntur. In bonam partem Psal. 37. *Ego tanquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum.* Et alibi. *Factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones.* Et iterum, *Dixi, custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea, posui ori meo custodiam: cũ consisteret aduersum me peccator, obmutui, & humiliatus sum.* In partem sequiorem. Isaias 42. *Surdi audite, & cæci intuemini.* Michææ 7. *Aures eorum surdæ erant.* Lucæ 7. *Leprosi mundantur, surdi audiunt.* Matth. *Surde & mute Spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo.*

PARS V.

De sanandis abductione à turba.

CEremonias adhibuit Sanator plures. 1. *Apprehẽdit eum de turba seorsum.* In turba infelicius succedit salutis cura. Ergo Ierem. 51. *Fuge de medio Babylonis, & saluet vnusquisq; animam suam.* 2. *Digitos imponit in aures* vnctas saliua: Quicquid ab sancto deriuatur, tactu eius sanctificatur. Dignum, quod in Reliquiis colatur: Hæresis licet ringatur. 3. *Oculos subleuat.* Ostẽdens misero, vnde opem petat. Psal. 112. *Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cœlis.* Ps. 120. *Leuaui oculos meos in montes, vnde veniat auxilium mihi.* 4. *Suspirat*; vt & tu peccari condoleas.

Non sequimur Deũ, nisi trahamur.

II. *Apprehendit eum.* Adeo nemo sequi potest; *nisi Pater traxerit eum* quasi violẽter. 1. Loth. *Genes.* 19. Angeli monuerant mali, exire suaserant; & tandem *dissimulanteillo, apprehenderunt manum eius, eduxeruntq; eum.* 2. Ita Ioann. 6. *Nemo potest venire ad me; nisi Pater meus traxerit eum.* 3. Vult etiam sponsa trahi; Cantic. 1. *vt currat in odorem vnguentorum sponsi.*

4. Et Dominus Ioan. 12. *Ego, si semel exaltatus fuero, omnia traham ad meipsum.* Ora igitur. Ps. 143. *Emitte manum tuam de alto, & eripe me, & libera me de aquis multis.*

Cur seorsũ ductus.

III. *De turba seorsum.* An non gloriosius, turba propius inspectante? At docet vanæ gloriæ fugam, aiunt Hiero. Chrysost. Theoph. Euthym. Vel, quod multi miraculo essent indigni. Vel, vt commodius funderet preces. Vel, vt diuersis modis suam potentiam ostenderet; alias enim aliter.

Turbam cet.

Sed maxime ideo: Quia, vt bene Cassiodorus: *Nimia turba vitiorũ sine certamine vincitur; quando solitudo gratiæ suffragatur.* Qui solitarius agit; emori peccata cogit. Quod enim concupiscat, nil videt, audit, sentit nihil.

Fœminarum maxima.

Heu: quam nocent contubernia hominum; & vero fœminarum? 1. Loth. *Gen.* 19. Nec inter filias tutus. 2. Nec apud sororem Ammon, 2. *Reg.* 13. Nec Absalon continentiæ potens inter vel patris concubinas. 2. *Reg.* 16. 3. Nec Salomon inter vxores. 3. *Regum* 15. 4. Eccl. 42. *In medio mulierum noli commorari. De vestimentis enim procedit tinea, & à muliere iniquitas viri: melior est enim iniquitas viri, quam benefaciens mulier; & mulier confundens in opprobrium viri.* 5. Item Prou. 6. *Nunquid potest quis abscondere in sinu suo ignem, vt vestimenta illius nõ ardeant? Aut ambulare super prunas; & non comburentur plãtæ eius?* Sic videre mulierem, est ignem igni iungere.

PARS VI.

De nocumento turbæ.

Turba obstat homini.

I. SEd & aliæ nocent mundi terræ. Id quod ex eo æstimato. *Domus Dei*, 3. Reg. 6.

dicari Deo. Reg. 6. *cum ædificaretur: de lapidibus dolatis, atq; perfectis ædificata est; & malleus, & securis, & omne ferramentum non sunt audita:* At cum esset perfecta; Ecce *Nebula impleuit domum Domini; non poterant Sacerdotes stare, & ministrare propter nebulam.* Ita in operibus corporalibus, nullum est impedimentum, vel contradictio: at vbi Deo nos dedicare incipimus; mox intus, foriſque nebulæ obiiciuntur. Ergo *de turba seorsum.*

Maculat. Cur in luna maculæ? Non quod in ipsa insint? sed quia terræ est vicinior; cuius eam humiditas propior afflat. Sic & turba vicinum turbat. Ergo *de turba seorsum.*

Cauenda est. Audi Iobum 12. *Interroga volatilia cæli, & indicabunt tibi.* Quid? quæ? Apes, inquâ, Hæ ingruente hyeme, vel tempestate, aut vento; conſciæ ſuæ infirmitatis, non se librant in altum; sed condunt in apiarium. Sic ventosam fuge turbam, fuge periculosam: Isa. 32. *Et erit vir, sicut qui abscondit ur à vento & celat se à tempestate.*

Est sylua malorum. II. *De turba seorsum* cede è mundo: qui est ager zizanioſus; *Matth.* 13. Est clima Sodomæum, *Gen.* 18. cede cum Loth: Est regnum Babylonium; in quo ad ſonitū fiſtulæ adoratur ſtatua peccati, *Dan.* 3.

Est hostis. Qui iuratum habet inimicum; fugit ipſum: quin & addictos ipſi ſocios. Tu mundum fuge, & mundanos. Nam Eccleſ. 7 *Qui timet Deum: nihil negligit.*

Idololatra est. Abrahamo Deus, *Gen.* 12. iuſſit; *Exi de domo tua; & cognatione tua.* Cur? Terra Chaldæa erat idololatrica tota. Sic inter vitia nec optimus ſat tutus est. Et quæ Chaldæa periculoſior mundo hoc, & ſęculo nequam!

Immunda. III. Quis perambulet aſpera loca ac ſenticoſa, pedes illæſus? Et in mūdo quis volutabitur inoffenſus? Quis permeabit cum affectibus intaminatis?

Deferēda. Sponſo ad oſtium pulſanti Sponſa ait: Cant. 5. *Expoliaui me tunica mea; quomodo induar illa? Laui pedes meos; quomodo inquinabo illos?* Sic & tu reſpōde, cum amor mūdi pulſat te: Tunica, ambitio, &c. eſt: pedes, affect⁹ sūt: poſita hęc ſemel, neu reſumas.

Si nec ſponſo ſat ſponſa fidebat euocanti; tu mundo fidas, ac tali? En totam Lothi familiam corruptam ex cohabitatione Sodomitarum: vxor immorigera ſaleſcit in ſtatuam; filiæ vſq; ad incæſtum exardeſcunt. Ergo beatus qui *de turba seorsum.* *Corruptrix.*

PARS VII.

Turbam altiora myſteria cælanda.

I. SEd cur *seorsum*? An etiam, quod turbæ ſacra myſteria non ſint vulganda; ne eorum vileſcat dignitas? Ita reor.

1. Ideo Eliſæus, 4. Reg. 4. *ingreſſus clauſit oſtium ſuper ſe, & ſuper puerum: & orauit ad Dominum:* Sicq; ſolus ſolum ſuſcitauit mortuum. 2. Ita, Ieſus, Matth. 9. *Cum eiecisſet turbam, intrauit, & tenuit manum eius; & dixit: Puella surge.*

3. Quin & Ethnici ſacra ſua ſeruauere ſecreta. 1. Hinc Cæſar laceros Sybillinos libros iuſſit Pontifices ſua ipſos manu deſcribere; neu profan⁹ legeret. *Sic Dion. Caſſ. l. 54. hiſt Rom.* 2. Tarquinius ſuperbus Tulliū Duumuirum inſutum culeo viuū in Tyberim abiecit, quod Rituū ſacrorū librum Petronio credidiſſet deſcribendum, iam tritum, ac lacerum. Ita *Val. Max. l. 1. c. 1. 3.* Aegyptij templorū valuis Sphynges affigebāt: Indicio; ſacra eſſe ænigmata, & ſilenda: Sic *Clem. Alex. l. 5. Strom.* *Sic Ethnici.*

4. Deus iuſſit, *Exod.* 26. Sanctis ſanctorū oppandi velum: Tabernaculum, *Leuit.* 16. obtegi cortinis: ne vulgarentur Sacra. 5. In Eleuſiniis ſacris ſacrificuli clamabant inchoaturi: *procul hinc, procul ite profani:* Nec iis interesse licebat, niſi initiatis. Alcibiades, inuictus Athenienſibus Dux, quod non initiatus iis adfuiſſet; accuſatus est capitis; ac perægre abſolutus. *Plut. in vita eius.* *Sic Deus.*

II. *Misit digitos suos in auriculas eius*: id est, S. Spiritus charismata. De quo Ecclesia: *Dextera Dei tu digitus.* Luc. 11. *In digito Dei eicio dæmonia.* Id est, vt Matth. 12. ait. *In spiritu eicio.*

Iustificatio impii.

Surdi huius, & muti curatio significat impij iustificationem: Sed hæc est opus S. Spiritus, ac maius quam mundi creatio, teste *Aug. & D. Thom.* Ergo. *Quid per digitos Redemptoris, nisi dona S. Spiritus designãtur,* ait *S. Greg. hom. 10. in Ezech.*

Misit digitos suos, id est, virtutem miraculorum. Est enim Iesus manus Patris: Vt Psalm. *Emitte manum tuam de alto*: Sic Orig. hom. 27. in Num.

Atributa Christi.

In ea manu Patres quinque notant digitos. 1. Minimus, humilis obedientiæ.

2. Medicus, misericordiæ peccatorum sanatricis. 3. Medicus, miraculorum operator. 4. Index, prudentiæ. 5. Pollex fortissimus, Passionis & mortis.

Et salutem infricuit: Ostendens, ait *Euthym.* omnes corporis partes, ob vnionem hypostaticam, esse salutares.

PARS VIII.

De ingemiscente Iesu.

Causa gemitus.

I. SVspiciens in cœlũ ingemuit. 1. Quia in immensum amauit salutem humanam. Vnde tantus hic dolor eius fuit; quantus amor erat. Hic enim causa doloris est.

1. Amor nostri

2. Grauitas peccati.

2. Quia solus peccati grauitatem norat, & pensabat. Quam nec Angeli, nec ipsa B. V. Maria sat queunt comprehendere: quomodo peccatum malitia mortalis perdat bonum summum & immortale. Necesse est malum sit incomprehensibile, quod perdit bonum incomprehensibile.

3. Infelicitas peccatoris.

3. *Ingemuit*: Quia solus peccatoris miseriam norat: quod & summum bonum amisit Deum, & eum habet hostem ac persecutorem. Psalm. 33. *Oculi Domini super iustos; & aures eius in preces eorum. Vultus autem Domini super facientes mala: Vt perdat de terra memoriam eorum.*

Ob iratum Deum.

II. Heu Dei ira quam res dira est? Iacob *Gen.* 31. vel Labani soceri mutatum vultum non sustinuit: & Dei quis feret? 2. Cain, *Gen.* 4. sensit iratum, & dixit: *Ecce, eicis me hodie à facie terræ, & à facie tua abscondar, & ero vagus, & profugus in terra. Omnis qui inuenerit me, occidit me.* Eadem cuique sors peccatori.

Ob inimicas creaturas.

Nec mirum. Nam anima, à qua recessit Deus, omnes in se creaturas armat; vt nesciat, vbi corruet. Sensit id Psalm. 70. *Dixerunt inimici mei,* dæmones, *qui custodiebant animam meam; consilium fecerunt in vnũ, dicentes: Deus dereliquit eũ, persequimini, & comprehẽdite eum, quia non est, qui eripiat.*

Iram Dei quis ferat.

Absalon, 2. *Reg.* 14. quam acerbe tulit à patris se conspectu arceri? *Obsecro*, ait, *vt videam faciem Regis. Quod si memor est iniquitatis; interficiat me.* Neque tamen oderat eum pater: At Deus est, qui & odit peccatorem. Amano *Esth.* 7. videre Assuerum iratum, morte grauius videbatur: eo maxime, quod summa omnia ab eo accepisset, Regis quondam ipse deliciũ. Exitus erat: *Suspensus est Aman in patibulo, quod parauerat Mardochæo; & Regis ira quieuit.* At peccator quanto plura ab Deo accepit? Et Deus ipsi nunc iratus est; non metuet Ipsum? Non Angelos? &c.

4. Immensitas pœnarum.

III. 4. Ingemuit: quod pœnarum nostrarum immensitatem solus: Ideoq; ab creatura incomprehensibilem. 1. Quo igitur amore, ac dolore fleuit super Ierusalem; eo hic ingemuit super hominem peccatorem. 2. Quid: Dei Filius gemit ob peccatum; peccator cachinatur?

Peccati grauitas

Quid est, quod peccati grauitatem nõ sentit? Quia peccatum in suo centro est, in voluntate nimirum residet: At cum primum inde emouetur per pœnitentiã, iam tum eius sentitur grauitas. Vt elementa, ait *Arist.* in suo centro grauia non

sunt;

sunt; at extra hoc, grauant. Nam homo viuus in fundo iacens oceani, huius pondus non sentit: at in ficca iacens sub vase aqua pleno, pondere opprimitur: Sic iacens in voluntate peccati, & peccandi, leue ducit, aut nihil peccatum: at ex eo extractus voluntatis malę oceano, tum grauitatem sentire peccati incipit, ac dolet. Dauid Psal. 37. *Sicut onus graue, grauatæ sunt super me.* Et mox *Afflictus, & humiliatus sum nimis, & rugiebam à gemitu cordis mei.* Ideo & Iesus ingemuit.

IV. Denique miserum persanauit, ac tantum non beauit. Hic fructus alienę fidei & charitatis adducentium ipsum. Sic *Matth* 8. Viuæ Centurionis fidei donatus est seruus eius: Sic filia matri Chananææ: Sic S. Stephani precibus Paulus: Sic Monicæ S. August. Qui de illo, serm. 2. & 4. de S. Steph. *Nisi Stephanus orasset; Ecclesia Paulum nō haberet.* Deque Augustino Ambrosius Monicæ ait: *Impossibile est, vt filius tantarum lachrymarum pereat.* Quare impletum Isa. 35. *Tunc aperiētur oculi cœcorum; & aures surdorum patebunt.* Et Sap. 10. *Sapientia aperuit os mutorum, & linguas infantium fecit disertas.* Itaque *bene omnia fecit.*

DOMINICA XIII. POST TRINITATEM.

Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho, & incidit in latrones. Lucæ 10.

DAuid, 1. *Reg.* 30. in procinctu persequendi incendiarios vrbis Siceleg, relictum ab fugientibus in via seruum ægrum Aegyptium benigne susceptt, ac fouit: Ita præsens Samaritanus.

Circa quod nos

I. De gratia iustificante.
II. De politicis multiscius, sed rerum salutis ignaris.
III. Iungendam scientiæ virtutem esse.
IV. De dilectione Dei ex toto corde.
V. De lapso in latrones.
VI. De Sacerdote, & Samaritano.

PARS I.

De gratia iustificante.

I. FIdes, & Theologia docet apud *D. Th. 1. 2. q. 111. a. 9.* Et *2. Sent. dist. 28. a. 8.* Nil posse hominem operari boni, quod cœlo sit dignum, ni gratia Dei adiuuetur. *Sine gratia opera non sunt meritoria.*

1. Nam Arist 3. de anima, ait: *In omnium rerum natura semper est aliquid, quod potest facere omnia illius genera.* 2. Ostendit exemplo, 1. Meta. & 7. Phys. Nam *in mouentibus & motis non est processus in infinitum, sed necesse est venire ad aliquem motorem primum.* Ita bonas actiones necesse est à Primo Agente deriuari.

3. Nam, vt ait Plato in Timæo: *Omne esse est à primo Esse, vt omne verum est à primo Vero: sic omne bonum est à primo Bono.* 4. Clarissime Arist. 1. Polit. *Sine Deo nihil est possibile.* 5 2. Cor. 3. *Nō sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis: sed omnis sufficientia nostra ex Deo est.* 6. Ioan. 15. *Sine me nihil potestis facere.*

2. Peccator non potest per se resurgere.

II. Rursus. D. Th. 1. 2. q. 109 a. 7. Existens in peccato mortali emergere sine speciali Dei gratia non potest. 1. S. Anselmi vox est. *Homo seipse in puteum dare; sed non educere potest.* 2. Hinc de peccatore Prouerb. 23. *Eris, sicut dormiens in medio mari, & quasi sopitus gubernator amisso clauo.* 3. Ionas huius figuram dicti fert facto. 4. Augustini vox est. *Homo sibi vitam eripere potest, sed non reddere.* Ita peccator *homo per malitiam occidit animam suam.* Sap. 16. At dein Psal. 77. *est spiritus vadens, & non reuertens.*

Est mancipatus Satanæ.

III. Chrysostomi sententia est: Homo per peccatum se obligat Satanæ vt domino, mancipium. Vt, qui elegerunt Regem; Regem pati debent eundem: At Satan, Iob. 41. *Ipse est Rex super omnes filios superbiæ:* quem libere peccantes, libere eli-

gunt: ac proin pati debent obnoxij: ni Deus eripiat: 2. Iacob cum filijs, tempore penuriæ, in Aegyptum commigrauit, vt biennij, vel triennij tempus ibi hic morarentur. Sed contigit patrem extingui; durare sterilitatem; mori Patriarchas; morari inibi posteros annis 400. redigique in seruitutem. Dum eos Deus educeret in manu forti, & brachio excelso. Idem euenit pertractis in peccatum.

Miraculose emancipatur.

3. Vnde nemo exit; nisi miraculo eductus. Nam vt *Aug. lib. de lib. arbit.* Maius est opus peccatoris iustificatio, quam mundi creatio. 4. Ratio Arist. in Postpræd. ait: *A priuatione ad habitum impossibilis est regressus per naturam*, Vt, amissi visus nulla est recuperatio naturaliter. At peccatum excæcat animam. Sap. 2. *Excæcauit eos malitia eorum.* Quare ad lumen gratiæ non datur regressus naturaliter. Vti hic lapsus in latrones, periisset, ni Deus ipsum seruasset.

PARS II.

De politicis multisciis; sed rerum salutis ignaris.

Sunt oculista.

2. Adamita.

I. ECce *Legisperitus*: at ignarus sui, & cœli, & vitæ. 1. Similis oculo, qui videt omnia, se vnum non. 2. Similis Adæ; qui Doctor creatus creatis reb. omnibus nomina dare sciuit, apta naturæ cuiusque, at sibi vni non: se vel nudũ esse nesciebat.

3. Bestia.

Tales hodie multi scioli; at suorum nescij, atque salutis, rerumque conscientiæ. 3. Sæpe est hisce vt quisque talium dicere queat Ps. 21. *Vt iumentum factus sum apud te* in spiritalibus *& ego semper tecum* in regẽdis subditis, regno, rep. &c. Ita politici sunt, terrena sapiũt, atqui, vt 1. Cor. 2. *Animalis homo non percipit ea, quæ Dei sũt*: sic ipsi.

4. Achitopheliani.

4. An non, 2. Reg. 16. 17. *consilium Achitophel, quasi si quis consuleret Deum?* In rebus tamen animę bruto erat brutior; vt desperatus se ex laqueo suspenderet. Tales aquilæ, ac lynces in sæcularibus multi; talpæ in spiritalibus. Quia sunt, qualis Ps. 48. *Homo, cum in honore* gratiæ *esset, non intellexit*: sed floccipendit, & excidit: *Et* ideo *comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.*

5. Et idem illis, quod euenit Dauidi, Ps. 37. *Dereliquit me virtus mea: & lumen oculorum meorum.* in politicis acutum, *non est mecum* in spiritualibus. Quid? Vicerat Goliathum, Philistæos, hostiles exercitus, leones, vrsos, &c. & vt Deo seruiat, *dereliquit eum virtus, & lumen oculorum?* Ita cœcutit hic Doctor; *Domine, quid faciendo, vitam, &c.* Indocte Doctor, alios docere potes, teipsum non potes. *5. Cœci.*

6. Syrius mundi.

6. Ita *Rex Syriæ dixit* Naamani, 4. Reg. 5. *Vade & mittam literas ad Regem Israel, &c.* quibus eum commendabat, vt iuuaretur, quo à lepra mundaretur: & mundatus est ab vrraque lepra: Rex autem sibi ipsi non sapuit ad salutem animæ similẽ. Similes Syri ac Reges multi, dirigunt alios bene: se negligunt, vel euertunt. Ps. 49. *Peccatori autem dixit Deus: quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu vero odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos retrorsum.*

7. Arcisfabri.

7. Sunt vt arcę fabri, qui ipsi diluuio periere, cum Noacho ac filiis arca saluti esset. *Gen. 6.*

8. Reprobi.

8. Eiusdem metuens Apostolus ait: *Timeo, ne, cum aliis prædicauerim. ipse reprobus efficiar.* 1. Cor. 9.

9. Damnos.

II. Sed esto, sint qui sciant alia, at nesciant spiritalia: sapiant aliis ac consulãt, non sibi. Verum, esse doctos, & eos etiam noxios aliis, hoc vero intolerabile.

10. Ligna mortua.

1. Inquirunt, vt Herodes, de Christo nato: Scripturas euoluunt, non vt Deum colant, sed impietatem suam stabiliant.

2. Produxit Deus, Genes. 2. *lignum vitæ in medio paradisi, lignumque scientiæ boni & mali.* Talia sunt isti ligna, at infructifera: sæpius noxia. 3. Similes seruo, *Matth.* 25. qui talentum abscondit in sudario; sibi

11. Seruipigri sæpe nequam.

sibi inutilis, damnosus Domino per solam cessationem: Quid si etiam aduersus ipsum vsus talento fuisset? id quod peccatoribus commune est, proprium ac perpetuum.

12 *Astrorũ ignes fatui.* 4. Vt astra, etsi facta ad bonas influentias, sæpe tamen pestilentes producunt influxus, secundarum interuentu causarum: Ita docti, qui, *Dan.* 2. comparantur splendori firmamenti, & stellis. 5. Sunt vt ager ille consitus semine bono: zizania tamen plenus.

PARS III.

Iungendam scientiæ virtutem esse.

Quærens malum. I. *Magister, quid, &c.* Versipellis tẽtator est, non quærit vt discat, sed, num quid ignoret Dominus, rescisc at. 1. *Os tuum*, Psalm. 9. *abundauit malitia, & lingua tua concinnauit dolos.* 2. Hæc percunctationis tuæ vestis ex lino, & lana contexta est: contra vetitum, *Deut.* 22.

Ponderosam tamen moues quæstionem; non vt hodie plures scholæ; An Deus sit in locis imaginariis? An serpens ante Adę peccatum constiterit pedibus? *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes.* Ps. 118.

Quæstio bona de bonis operibus. Deinde. 1. Vt veterator fuerit; non erat tamen Lutheranus, aut Caluinianus, qui opera bona esse saluti abnegant: At is ait: *Quid faciendo.* 2. Ille etiam Paterfamilias mercedem dat operariis, *Matt.* 20. nõ otiosis. 3. Quin & conuersus quærebat Paulus, Act. 9. *Domine, quid me vis facere.*

Scientia comes virtus sit. II. Par indiuisum esto scientia & Virtus: perniciose dissociantur. 1. In ora vestis Pontificiæ esse tintinnabula, & mala punica alternis debebant: ita in Doctore, Scientiæ & virtutis actus simul appareãt. *1. Actionis.* Tintinnabulum habebat is legis peritus; sed malum granatum nullum. 2. Vitium doctorum & istud est, non consulere Antiquitatem, Consensum maiorum ac retro sæculorum Traditionem: sed altius sapere, credere sibi, cæteros suo subiicere iudicio, & despicere. Hi carnales sunt. Contra hos *surgunt indocti, & cœlum rapiũt: ipsi cum doctrinis suis, ecce, in carne & sanguine volutantur*; aiebat de se *S. Aug. l. 8. Conf. c. 8.*

3. Iustitiæ. 3 Arsenius Arcadij & Honorij Imp. pœdagogus ac magister, cũ spreto mundo eremum coleret; idiotam senẽ quendam identidem consulebat subditus illi; rogantibus causam, ait: *Huius rustici illiteratam iustitiam fateor me nondum didicisse.*

4. Bonitatis. 4. Hyppomachus Dux, refert *Plut. l. de cupid. diuit.* audiens laudari quendam à longitudine corporis, ac manuum; ideoque gymnicis duellis aptũ: ait, Bene quidem, si corona in alto pendens deripienda foret: at iam robore solido & dexteritate certandum est. Ita est; Si doctus celebretur, at non perinde vir bonus.

5. Charitatis. 5. Ecce Paulum, 1. Cor. 13. *Si habuero omnem Scientiam; charitatem non habuero: nihil sum.* 6. Ideo Ps. 118. *Bonitatẽ, & Disciplinam, & scientiam doce me.* 7. Potuerunt isti quidem ostendere Herodi, *Matth.* 2. Christum in Bethleem nasciturum; sed loco se mouere, Magosque comitari adoratum noluerunt. Nimirum se respectibus pascisat habebant. 8. Alia Sponsus ornamenta spondet Sponsæ Cãticorũ 1. *Murænulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.* Quid? Quis aurum vidit argẽgento illustrari? At charitas aureæ perfectionis, condecoratur argento scientiæ. Quæ duo diuinum quid efficiunt.

6. Disciplina. *7. Sequelæ Dei.* *8. Perfectionis.*

Similia cõtrariorum de doctis, sed improbis. III. Alioquin, 1. *Cor.* 13. Argentum solum; *est velut æs sonans, aut cymbalum tinniẽs.* 2. Velut idolum, quod oculos habet, & non videt, manus, & non palpat. 3. vt camini, eminent quidem supra domum altiores, sed domus pars sunt fuliginosissima: Tales doctores, affectuum & vitiorum interiori fuligine defœdati: Exparuaij scintilla sæpe magnum excitant incendium. 4. Sunt vt montes, qui etsi

etsi sæpe sint fontipari, fœnipari, fructiferi, amœni; cœlestis influentiæ proximi: in iis tamen sunt sæpe Gelboini steriles, fragosi, ibicumq; nidi, &c.

5. Idem proinde, quod arbori Nabuchodonosoræ, eueniet ijs qui similes illi sũt. Erat *fructus eius nimius* quidem, Dan. 4. sed *subter eam habitabant animalia; & bestiæ: & ex ea vescebatur omnis caro.* Ingrata arbos, bestias pascens meras; non homines: Ideo Dominus; *Succidite arborem, discutite folia, dispergite fructus.* Quot sunt Doctores eximij cætera omnia: sed vel auripetæ, vel honoripetæ, vel hæredipetę; aut aliter improbi? *Arbores autumnales, bis mortuæ*, ait Iudas. Ergo *omnis arbor, quæ nõ facit fructũ bonum, excidetur, & in ignem mittetur.*

Sunt ij quidam Naamanes, qui cunctos præstant honoribus, opibus, gratia, potentia, scientia: Sed & vitiorum lepra. Qualis hic Leguleius.

PARS IV.

De Dilectione Dei ex toto corde.

Cor Deo debetur.

I. *Diliges Deum tuum ex toto corde.* Chrys. ait. Primum, quod postulat, est cor: primum igitur illi consecrandum est. 1. Hinc Psalm. 30. *Cor mundum crea in me Deus: & spiritum rectum innoua in visceribus meis.* Non petit pedes, ad ambulandum audacius; non manus, ad bellandum fortius, &c. Omnia sunt nihili; ni cor sit rectum. 2. Cor est quasi primum Mobile, cæteros mouens orbes: Ita cor omnia, quæ corporis sunt, regit.

3. Ezech. 1. *Quocunq; ibat spiritus: illuc, eunte spiritu, & rotæ pariter eleuabantur, sequentes eum. Spiritus enim vitæ erat in rotis.* Ita cor regit animæ potentias. Ideo Deo debetur, vt nobilissimum.

4. Exod. 13. *Sanctifica mihi omne primogenitum tam de hominibus, quam de iumentis:* Cætera vsui reliquit. At cor in homine est primogenitum: teste *Arist.* primum & vltimum viuens. Amor item in virtutibus est primogenitus: Ergo Deo sacrandum cor & amor.

Id fons amoris est vtriusq;

II. *Augustinus* ait, cor esse fontem, è quo duo existunt flumina; quibus cœlum & terra exundat. Nimirum Appetitus terrenorum fœdæ aquæ: at illimis vndæ alter; vnde amor cœlestium. Ergo *Diliges Dominum Deum, &c.*

Diligẽdus ex toto Deus est.

1. S. Bernardus id ita explicat: *Sic Deum diliges: vt nullis voluptatum illecebris ita capiaris, vt ab eius amore, & obsequio disiungaris.*

2. Moysi ait Pharao, Exod. 10. *Ite, & sacrificate Domino: oues tamen vestræ, & armenta remaneant:* Cui Moyses confestim: *cuncti greges pergent* nobiscum. Non remanebit ex eis vngula, quæ sunt necessaria in cultum Dei. Ita & mundus suggerit: greges sensuum ac facultatum exteriorum deliciis relinquamus: Sed *ex omnibus viribus tuis* dicit Dominus: id est; Ex omni, quod in anima, corpore, circumq; est; nil in te, vel extra te supra Deum diliges.

Amori Dei omnia post. ponenda.

Et nota, cor primo nominari, demum mentem, id est, intellectum. Nam piæ mentales meditationes manant ex corde diligente. Hinc Cant. 2. *Introduxit me in cellam vinariam: ordinauit in me charitatem:* Vt ea 1. debeatur Deo, tum mihi, dein proximo: Et 1. corde, 2. anima, 3. mente. Idq; ita: vt potius mũdum, & omnia perdas, quam Deum.

Etiam in veteri lege.

Sic Moyses fecit, Exod. 32. *Ponat vir gladium super fœmur suum: & occidat vnusquisque fratrem suum, & amicum, & proximum.* Quia vitulum adorarant: Honori Dei cunctos postponebat. Dictum factum. Cæsis 20000. hominum ait, *Cõsecrastis hodie manus vestras Domino, vnusquisque in filio, & fratre suo: vt detur vobis benedictio*, qui amorẽ Dei prætulistis, amori proximorum.

Eoq; magis in Noua.

III. Quod si tale in veteri Lege patratum; quanto magis in Noua præstandum est? Nam in cœna dans idem mandatum

datum ait, Ioan. 13. *Mandatum Nouum do vobis*: quia nouo modo, & exemplo id ipse implerat, Et vero impleri cupit à nobis, pro cuiusque virili.

Ob finem hominis. Et ad hoc creatus homo est. Quærit Picus Mirandula. Cur omnibus creatis demum hominem crearit Deus? Iam enim cuncta distribuerat, Angelis cœlos, terram animalibus, aerem auibus, piscibus vndas: Reliquum homini nihil. Nec illa quicquã de suo cedentiure ipsi. Respondet, sua sint cuique, sed homini Deus. 1. Ps. 15. *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei. Tues, qui restitues hæreditatem meã mihi.* 2. Ps. 141. *Portio mea Domine in terra viuentium.* 3. Et alibi *Pars mea Deus.* Vere *Beatus populus, cuius Dominus Deus eius.* 4. August. 1. Conf. cap. 3. *Fecisti nos Domine ad te, inquietũ est cor nostrũ, donec quiescat in te.*

Cuius pars Deus.

Amoris pondus. Ergo hoc sit pondus, ad quod appendes omnia opera tua, *Diliges Dominum Deũ tuum.* Pondus erat Hebræis duplex, *Leuit. 5. Exod. 3.* Publicum seu commune, & Sãctuarij, hoc exactius erat: Ita pondus amoris iam nũc. Commune est pro mundi more & amore, Sanctuarij Religiosorum ac perfectiorum est.

Et meritis. Amor similis est notæ arithmeticæ, ô nullam vocant. Huic si præponas vnitatem, valet 10. si addas o, valet 100. si aliud, valet 1000. Ita tantum valent actiones piæ, quantus amor.

Cur diligẽdus Deus. IV. Dignum est Deum diligi; Quia, Dominus Deus, Tuus est. Quia Bonus, Iucundus, vtilis. Ob Potentiam, Sapientiam, Clementiam. 1. Sic dilexit eum Susanna, *Dan. 13.* quæ mori maluit, quam duobus consentire senecionibus. 2. Sic herum tuum Ioseph, *Gen. 29.* heræ se negans, *Quomodo possum hoc malum facere, & peccare in Dominum meum?*

Diuisus amor punitur. *Ex toto* vult diligi, non ex parte, 1. Vt 1. *Reg. 5.* Philistęi eodem in templo Arcam & Dagon colere volebant, sed irato Deo vtrumque perdiderunt. 2. Filij Aaron, *Leu. 10.* quod ignem nouum & alienũ accerræ imposuissent, à Domino occiduntur. Sic qui amorem profanum cordi imponunt, eius fumus Deo odibilis est. 3. Meretrix parui pendebat infantem dissecari, 3. *Reg. 3.* At Salomon saniori iudicio totum matri reddebat, sic amor, animæ fœtus, non est diuidendus, dandus Creatori totus. 4. Cain, *Gen. 4.* quod optimum de sacrificio, retinuerat sibi, deterius Deo offerebat, fit reprobus, ac inde paricida. Diuisus amor signum reprobationis est.

PARS V.

De Lapso in latrones.

Peccati malitia. I. ET *quis est meus proximus?* Respondet Dominus per pãrabolã: simul qua docet peccati malitiam, è qua omnis miseria manat, & diluuium malorum. 1. Nã *peccatum* Hebræi dicunt *Aberem*; ab radice *Aben*, id est, *vniuersalis destructio.* 2. Nec mirum. Deum eiicit animo, simul omne bonum. Patet in Saule peccatore, 1. Reg. 28. *Quid me*, ait Samuel, *interrogas, cum Dominus recesserit à te?* 3. Eccl. 9. *Qui in vno peccat, multa bona perdit.* 4. Deut. 28. *Maledictus erit in ciuitate, maledictus in agro, maledictum horreum tuum, & maledictæ reliquiæ tuæ: maledictus eris ingrediens, maledictus egrediens.* Hanc miseriam repræsentat *Homo quidam descendens.*

Ad lapsus. II. *Homo*, Adam, (vt S. Patres consentiunt) integer vndique in Ierusalem paradisi: *descendebat* ad appetitus inferiores, (cuius *conuersatio in cœlis* erat, Philipp. 3.) Et *cum in honore esset, non intellexit; comparatus iumentis insipientibus similis factus est illis*, Ps. 48. Patet idem in prodigo, *Luc. 15.* Illustri loco natus, voluptates consectatus, ad incitas veniet. Quoties casum deflerit suum ante, quam ad patrem reueniret? At flebilior status est peccatoris. Ex

quanto, à quantis excidit; ad qualia, quousque?

Eius corruptio. Sed Adami nostri statum triplicem intuere, Creationis, Lapsus, Reparationis. Quam beatus in primo; tam infelix in secundo. 1. Vtque dolium vini totum corrupit aceti gutta; vnus pestilens vrbem; ita peccatum hominem destruxit; truncauit vndique arborem; vt fructibus efferendis esset inepta. 2. Vt cadauera, dum vis balsami durat, durant incorrupta: at eadeficiente, deficiunt. Sic gratia in homine.

Dæmones latrocinãtur. III. *Incidit in latrones*: Dæmones, raptores gratiarum, virtutum. 1. Hi sunt, 4. *Reg.* 20. Babylonii fures qui Ezechiæ thesauros diripiũt. 2. Hi sunt latrũculi Chaldæi, qui greges & armenta Iobi abripiunt *Iob.* 1. 3. Latrunculi Amalec, qui Dauidis Siceleg vrbem incendunt. 1. *Reg.* 30. 4. Sunt dracones, *Apoc.* 12. qui cauda stellas cœlo detrahunt planetasque despoliant. 5. Est Satan, Iere. 31. *quasi latro insidians in solitudine* mundi; subindeque se in formam Angeli induens: vt decipiat.

Prædãtur. IV. *Qui despoliauerũt eum.* 1 Sponsa conqueritur Cantic. 5. *Tulerunt pallium meum custodes murorum.* 2. Et Iob 10. *Expoliauit me gloria mea, & abstulit coronam capiti meo: & quasi arbori euulsæ abstulit spem meam.* Ita per peccatum dæmones grassantur in animam. Despoliant eam pallio charitatis, corona iustitiæ. Vulnerant in facultatibus naturæ, intellectus, voluntatis, memoriæ, appetitus ac semiuiuum relinquũt: vt, quod viuit; magis peccato, quã bono viuat. Vti ait Iere. 4. *Sapientes sunt, vt faciant malum: bene autem facere nesciunt.*

PARS VI.

De Sacerdote & Samaritano.

Vetus Lex inefficax gratiæ est. I. SAcerdos, & Leuites pertranseunt. Nec enim illius Sacrificia V. T. erant abolendo peccato: nec huius prælectio Legis erat saucio persanando. 1. *Nihil enim ad perfectum adduxit Lex* Mosaica. Neque iustificationem affert Nam Galat. 4. *Ex operibus Legis non iustificabitur omnis caro.*

2. Id ostendit Elisæus, 4. *Reg.* 4. Præmisit puerum cum baculo ad hospitę filium suscitandum: At nequicquam. Oportebat ipsum venire: mortuo se superextẽdere: Sicque *calefacta est caro pueri, & reuixit.* Seruus Moyses: Lex baculus: IESVS Elisæus: puer mortuus humanum genus: superextensio erat acceptio formæ hominis ac serui.

Omnium vno Iesu salus. II. Queis vlla tamen vnquam in Veteri Lege facta fuit gratia; ea respectu Christi prouenit. 1. Hinc Apoc. 12. dicitur *Agnus occisus ab origine mundi*, 2. Et Apoc. vlt. *Radix, & genus Dauid.* Nam vt ab radice vis omnis est arbori, ita generi humano gratia omnis per IESVM: vt cuius merita ab initio mũdi operata sunt. 3. Hinc 1. Cor. 10. *Bibebant de spirituali consequẽte eos petra: petra autem erat Christus*: crux erat virga percutiens; aquæ erãt gratiarum dona. 4. In Propitiatorium, *Exod.* 25. duo Cherubin fixi stuebantur: Id est, in Christum duo populi, Iudaicus, & Christianus.

5. Serpentem æneum, *Num.* 21. respiciẽtes sanabantur à serpentinis morsib. Serpens erat Christus; itaque in veteri Lege respectiue sanabat; in noua effectiue reapse suscipit lapsum in latrones.

Sacerdotes imitentur pietatem in lapsos. III. Similiter vult, vt in primis faciãt Sacerdotes in Ecclesia. 1. In cuius signum præcepit, Exod. 4. *Assumto vnctionis oleo vnges Tabernaculum cum Vasis suis, vt sanctificentur.* Ita omnes Ecclesiæ ministros voluit esse oleo trãquilliores, & misericordes in lapsos: non hos pertransire. At, eheu! sæpe Samaritanus laicus benignitate superat Sacerdotes. Quo magis hi vituperandi; laudandus iste.

Laici liberalitatem in egentes. Semper debiliori succurrendum est. 1. Vt cor, etsi in medio corporis situm mem-

membris robur impertiat : parti tamen sinistræ potius, vt debiliori : ita potius pauperi propter Deum dandum ; quam diuiti propter amicitiam. 2. Vel vt Lucullus amicis conuiuio exceptis, ac splẽdorem, sumtusque admirantibus, ait: *Nonnihil vestra causa: sed maxima pars Luculli causa fecit:* Ita pauperi des ipsius ; at tua maxime causa. Data enim eleemosyna plus tibi danti, quam accipienti confert. 3. Deus, *Leu.* 1, noluit integram sibi victimam offerri ; sed in frusta concisam. Cõcide opes tuas, ac disperge. Reiiciebat ideo forte Deus olim, *Deut.* 14. animal, vt immundum ; quod vngulam non diuidebat. Sic immundus, qui amorem sui non diuidit etiam in proximum. Diuisit Samaritanus.

Samaritanus Iesus. IV. Qui IESVM repræsentat. Ioan. 8. *Nonne benedicimus nos, quia Samaritanus es tu.* 1. Et ille peccatori, ait S. Ambrosius: *Tunc appropinquauit, quando factus est compassionis nostræ susceptione finitimus: & misericordiæ collatione vicinus.* 2. Ille ex equo ; id est, è cœlo descendit ; & seipsũ humilians *factus est obediens vsque ad mortem.* Phil. 2. 3. Ille vna in doctrina sua dedit oleum gratiæ, ad amorem ; & vinum iustitiæ, ad timorem excitandum. Vnde Psalm. 59. *Potasti nos vino compunctionis.* Quia Roman. 1. *Ira Dei reuelatur super omnem impietatem hominum.* 4. Ille demum panniculis Sacramentorum obligauit vulnera nostra porro curanda.

DOMINICA XIV POST TRINITATEM.

Cum ingrederetur Iesus in quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri Leprosi.

Luc. 17.

NVncium, 4. Reg. 5. de Naaman à lepra per Elisæum consanato, vt primum in Syriam venit ; magnam haud dubiẽ admirationem excitauit. Maiorem decem leprosorum mundatio per Galilæam commouit.

Circa quam nos

I. De vitanda prauorum societate.
II. De lepra peccati.
III. De castello, Decemque leprosis.
IV. De Leprosorum clamore.
V. De Sacerdote, lepræ iudice.
VI. De regressu Samaritani.

PARS I.

De vitanda prauorum societate

I. IMproborum deuita consortium 1. Nam monet Pythagoricum: *Quæ nigricantes habent caudas ne gustato.* 2. Hiid. l. 9. Soliloqu. *Melius est habere malorum odium, quam consortium : Sicut bona multa habet Communis vita sanctorum, sic plurima mala societas affert malorum* 3. Hinc *Plato* vetat ab improbis conueniri pueros: ab nutricibus fabulas narrari, aut cãtari lasciua. 4. Pro. 1. *Fili mi, si te lactauerint peccatores: ne ambules cũ eis, Prohibe pedẽ tuũ à semitis eorũ: pedes enim illorũ ad malũ currunt.* *1. Testimonia.*

Propheta Iehu, dure & iuste ad Achab ista, 2. Para. 19. *Quare impio*, Regi Iosaphat, *præbes auxilium? Et iis, qui oderunt Dominum, amicitia coniungeris? Idcirco iram Dei merebaris.* 2. Elisæus 2. Paral. 20. *Quia*, increpat Iosaphat eundem, *habuisti fœdus cũ Ochozia*, filio Achab: *percussit Dominus opera tua, cõtritæq; sunt naues, nec potuerũt ire in Tharsis* ad aurum aduehendum. Nam classem suam iunxerat classi illius. Tantum nocet improborum societas. *2. Exẽpla. Achab. Iosaphat.*

3. S. Ambros. in c. 14. Luc. *Non turbatur nauis, quæ Petrum vehebat: Sed illa, quæ Iudam habebat: & sic multa discipulorum merita naufragabant. In vtraque Petrus: sed qui suis meritis firmus est, turbatur alienis. Caueamus igitur perfidum: caueamus proditorem : ne per vnum plurimi fluctuemus.* Idẽ serm. decathedra *Iudas.*

Petri. *Tranquillitas est, vbi solus Petrus nauigat, tempestas, vbi Iudas adiungitur. Vnius igitur delicto cunctorum merita quassantur.*

3. *Institua Pythagoræ Dei.*

II. Idcirco Pythagoras monebat: *Ne cuiuis dexteram iniecieris.* Delige, quem diligas. Vide, cui fidas. 2. Sanciuit olim Deus ita, Exod. 34. *Non accipies vxorem de filiab.* Idololatrarũ *filiis tuis*: *Ne fornicari faciant filios tuos in Deos suos.* 3. Quid matrimonia? Imo & amicitiæ vetitæ ibidẽ: *Caue, ne vnquam cum habitatoribus terræ illius iungas amicitias, quæsint tibi in ruinam.*

4. *Rursus exempla Seth. Prophetæ.*

Filij Seth, quidam erant quasi semidei, Deo gratissimi. Ducunt filias Cain; mox eo prolapsi sunt impietatis: quæ, nisi diluuio, dilui nequibat. *Gen.* 6. Adeo perfectis quoque pernitiosa est improborum societas. 2. Suo id malo sensit Prophetes vir Sanctus, missus à Deo in Samariam, 3. *Reg.* 13. sed quod apud alium, iniussu Dei; cœnatum diuertisset; à leone in via discerpebatur. An non 1. Pet. 5. *Aduersarius vester, tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret?*

Loth.

3. Esto: vixerit Loth: *Gen.* 19. inter Sodomitas integer vitæ: At paucorũ id est: Et demum exire coactus est ab Angelo. Cui est chariorum talium societas; quam salutis propriæ securitas: eum manet insignis calamitas; vtinam non æterna infelicitas!

Iob.

4. Exemplo sic Iob 34. *Quis est vir, vt est Iob? Qui bibit subsannationem, quasi aquam. Qui graditur cum operantibus iniquitatem: & ambulat cum viris impiis.* Non id quidem Iob: sed calumniator eius etiam hinc eum arguere nitebatur, quo tãtas fuerit commeritus ærumnas.

Leprosi.

Vt igitur leprosi ab aliis sequestrabantur, vt ij, qui *steterunt alonge*, Luc. 17. Sic prauis ab bonis arcendi.

PARS II.

De lepra peccati.

Vt Lepra, sic peccatũ. Deturgat.

I. ECce X. *leprosi*, corpore, at significatione vniuersi peccatores contra Decalogum. 1. Nam lepra corporis humorem & decorem corrumpit: animæ, peccatum. Vnde Ps. 13. *Corrupti sunt in anima & appetitu, & abominabiles facti sunt in decore per maculam peccati.* Clarius Ezech. 16. *Abominabilem feci ti decorem tuum.*

2. *Inficit.*

2. Lepra contagione inficit: Ideo Deus Moysi. Deut. 5. *Præcipe filiis Israel: vt eiiciant omnem leprosum extra castra: ne contaminent ea.* Ita peccatum est contagium vicini. Ideo Psalm. 100. *Nõ habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam.*

3. *Fœtet.*

3. Lepra halitum & os corrumpit. Ita Psam 5. *Sepulchrum patens est guttur eorum.* Quid odoris grati ex cadauere putri de sepulchro prodeat? Minus è mortuæ animæ sacco hoc. Quam fœtent iuramẽta, turpiloquia, mendacia, crapulę, luxuriæ? &c. 4. Lepra siti ardet perpete. Ita Isa. 5. *Multitudo eorum* peccatorum *siti exaruit.* Semper arent, & ardent affectus & appetitus. Vnde *venter impiorum insatiabilis.* Prouer. 13. Hieron. *Libido famẽ patitur sui.*

4. *Sitit.*

5. *Abominabile est.*

5. Lepra deformatum reddit & abominabilem. Et Peccatum. Eo Psalm. 118. *Iniquitatem odio habui & abominatus sum.* Prou. 27. *Abominantur iusti virum impium.* Oseæ 9. *Intrauerunt ad Beelphegor, & abalienati sunt in confusionem, & facti sunt abominabiles.* Et ita abominabiles, vt teste Hugone lib. de Bono Conscientiæ, *Tolerabilior sit canis putridus hominibus, quã Deo anima peccatoris.* Adeoque auersatur; vt eum perpetuo prinet conspectu suo, remotum longissime in profundum, & obscurum.

6. *Eneruat.*

6. Lepra corporis vires addit, membrorum vsum impedit; ac eneruat. Ita peccatum eneruat animam; mutilat potentias; detruncat sensus, manus, pedes. Quales 70. Reges & Principes manibus pedibusque truncos sub mensa sua micilegos & ossilegos habebat Rex Chanaan Adonibesech, id est, doctor tempesta-

pestatis:: At talis doctor est & Rex dæmon, aut peccatum; quod perinde reddit inutilem peccatorem. Ideo par pœna culpæ; Matt. 22. *Ligatis manibus, & pedibus mittite eum in tenebras exteriores.*

7. Excæcat. 7. Lepra visum exedit, At peccatum excæcat. *Supercecidit ignis, & non viderunt solem.* Ps. 87. *Excæcauit eos malitia eorum,* Ps. 113. *Aures habent, & non audient,* Fastidiuntque omnia; Prouerb. 27. *Anima saturata* peccatis, *calcabit fauũ* rerum cœlestium.

8. Incurabilis est. 8. Lepra naturaliter est incurabilis; Ita Iere. 30. *Insanabilis est fractura tua.* Vnde Theologis dicitur *peccatum summum malum.* Cuim autem persanatur; fit miraculo. Aug. Comment. in Ioan. Et li. de gratia. Maius est, de impio facere *pium, quam de nihilo creare cœlum & terram.* Et D. *Thom.* docet *Maximum Dei opus esse, remissionem peccatorum.*

Lepræ, & peccati species sunt 7. II. Ad hæc lepræ genera sunt 7. Et peccati septem. Et quidem designata fuit 1. *Superbia* in lepra Oziæ Regis, 2. *Paral.* 26. Qui ex fastu Sacerdotalem sibi functionem arrogans, lepra in fronte punitur.

2. *Auaritia,* in Giezi. 4. *Reg.* 5. 3. *Luxuria* in Iacob. 2. *Reg.* 3. Cui Dauid sic imprecatur: *Non deficiat de domo Ioab fluxum seminis sustinens, & leprosus.* 4. *Inuidia,* in Maria contra Moysen æmula & murmurante. *Num.* 12. 5. *Gula* in leprosis istis: qui, 4. *Reg.* 7. Assyriorum ingressi castra, se ingurgitarunt. 6. *Ira* in Naaman. 4. *Reg.* 5. in Elisæũ irascente, quod ad se non exiret, iuberetque lauari in Iordane. 7. *Acedia* in manu Moysis intra sinum, *Exodi* 4.

Luxuriosi sunt Leprosi. III. Libidinosi tamen præcipue leprosis sunt similes. Nam *Leu.* 13. tria leprosorum genera notantur. 1. In crinibus calueſcentes. 2. In colore solo, non scabie. 3. In crinibus, & colore simul. Ita luxuriosi triplices. 1. in solis cincinnis calamistrandis, pingendis. Qui sæpe, vt Absalon, iisdem laqueantur. 2. In solo intuitu, & colore: Vtij, qui impune loquuntur obscœna; etsi à facto sint alieni. Et hi inficiunt scandalo audientes. 3. In vtroque cooperti lepra peccati verbo, & facto, & cogitatu. In tales sanciuit lex, vt arcerentur vrbe; vestem gererent apertam, caput nudum, os obturatum: clamarentque se leprosos.

Tales vrbicolæ meretriculæ vestem dissutam gerunt; carnem, pectusque nudant, frontem ostentant: os confessioni obturant, se profitentur peccatrices; nolunt dicere, meretrices. Arcendæ sunt pestes pellaces istæ.

PARS III.

De castello, & Leprosis Decem.

Arces vitiorum sedes. I. Ecce *castellum* ingresso Iesu decem isti occurrunt. Itan' ad castella reperiũtur leprosi? 1. Hic in castello Bethaniæ Lazarus mortuus; *Ioan.* 11. Martha sanguinis fluxu laborans; libidine Magdalena. 2. *Matt.* 14. In Herodis palatio incœstuosa Herodias, & nex Baptistæ, epulæ, choreæ. In castro Balthasaris, *Dan.* 5. conuiuia concubinarum, vasa templi rapta, & profanata.

Nobiles stemmate, non virtute. 1. Eclipses in luna & sole sunt maxime notabiles; ita peccata in ijs, qui regnant inter homines, vt astra. Heu, quot hodie nobiles maiorum sanguine, non virtute similes? De decora maiorum, & Nobilitatis sunt carcinomata, seu vlcera tales.

2. His dicas, licet; ꝙ Anacharsis Philosophus, obiicienti patriæ barbariẽ; (nam Scytha erat;) respondit. *Mihi quidem probro est patria; at tu patriæ.* Sic illi ignobiles à vitiis animi, sunt probra prosapię.

Luna similes. 3. Romani Lunatos gerebant calceos, soli nobiles: quod se lunæ similes profiterentur. Atqui vt noctis Regina.

Pallida luna pluit; rubicunda flat: alba serenat.

Ita Nobiles, præsides vulgi obscuri; si

ipſi ſint flagitioſi, tũ effuſe pluunt ſcelera ſubditi. Si fuerint ira præferuidi, armis prompti, aut ventoſæ gloriæ auidi; ſubditis facile excitant turbas. Sin' pietate ac virtute cãdidi; fœliciter præſunt cũ Deo.

Confuſio à ſimili.

II. *Et vnus erat Samaritanus.* Reor in cõfuſionem Iudæorum ita factum diuinitus. Nã cæteri nouem Iudæi erant. 1. Sic Iere. 2. *Tranſite ad inſulas Cethim; & videte, ſi factum eſt huiuſmodi, ſi mutauit gens Deos ſuos.* Probrum eſt, quod Ethnici ſint iuſtiores. 2. Ita, 2 *Reg.* 4. Voluit Deus Arcam à Philiſthæis capi, vt cernerent Iudæi, ab iis eam maiore habendam in honore. Ionam Deus minorem Propheten miſit in Niniuen prædicatum, vt Iudæi cõfunderentur, qui nec maiores audirent, nec, vt Ethnici, pœniterent.

Simile ſimili.

III. *Decem leproſi.* Multi hi. Ita *aues concolores volitant*: & malis mali aggregantur.

1. Ad Abſalom, 2. *Reg.* 15. conueniunt 10000. & cum eo coniurant aduerſus Dauidem. 2. Pharaoni adgregatur Aegyptus tota, *Exod.* 14. 3. Cum Herode, *Matt.* 2. omnis Ieroſolyma turbatur. 4. Samſonis vulpes 300. *Iud.* 15. currunt iunctis caudis ad ſegetum incendium. Ita hic X. *Leproſi*, & hi *viri*: Si pueri ad malũ cõſpirarent, tribueretur ſtultitiæ: fragilitati ſexꝰ, ſi fœminę: At iam malitiæ, quia *viri decem.*

Praui arcendi.

IV. *Steterunt à longe.* Quia *Num.* 5. Lex & vrbibus, & hominum affatibus eos prohibebat. 1. Vt mortuus adoleſcens *Luc.* 7. efferebatur ex vrbe. 2. Vt *Gen.* 2. Adam Paradiſo: 3. Lucifer *Apoc.* 12. cœlo pulſus: 4. Regno Nabuchodonoſor, *Dan.* 4. Ita arcendi ſcandaloſi, contagioſique ſunt à cœtibus, & affatibus hominum.

Situs reuerentiæ.

Ad hæc *ſtant à longe* reuerentiæ ergo in Meſsiam. 1. Vti & *Publicanus*, Luc. 18. *à longe ſtans, nec oculos ad cœlum leuare audebat.*

2. Fratres item Ioſephi, *Gen.* 45. vultus eius viſa maieſtate, & culpæ ſibi conſcij; accedere propius non audebant.

PARS IV.

De leproſorum clamore.

Ardor precandi aduerſus.

1. VOcem leuauerunt. Clamor index deſiderij eſt, & pietatis. 1. Sic Pſ. 119. *Ad Dominum, cum tribularer, clamaui: & exaudiuit me.* 2. Afflictio accendit deſiderium velut igne; ſicque excutit vocem; vt globum fiſtula ænea. 3. Ioab, 2. *Reg.* 14. inuocatus abſalomo ſæpius, adiret pro eo ſupplex Dauidi, non audit: At vbi ignis dominatur in agris eius, iam tum feſtinabat oratum pro eo Regem. 4. Creditor monet debitorem; non ſatisdat: mittit ei apparitorem, qui eum vel in ius vocet, vel pignora ducat hic, ille approperat.

Inſtantia ſupplicãdi.

II. *Simul leuauerunt vocem.* Vt mouerent efficacius, & citius. 1. *Hæc vis Deo grata eſt*, ait Tertull. Nam, vt Philoſophi aiunt: *Vis vnita fortior eſt ſeipſa diſperſa.* Voxque communitatis, quam ſingularitatis plus habet energiæ. 2. Clama: Ipſe *Sanat omnes infirmitates noſtras, & redimit de interitu vitam noſtram.* Pſal. 101. Eſt regreſſus peccatori, ac receptum habet ad Patrem vel ſero: Vti prodigus, etſi miſerrimus. Luc. 15. *Nam ſera nunquam ad pœnitentiam via eſt*, Seneca Tragicus.

Vota communia.

III. *Miſerere noſtri.* Communiter, en, pro communitate ſupplicant. 1. Ita *charitas non quærit, quæ ſua ſunt*, publica ſpectat, & in hiſce ſua reperit. 1. *Cor.* 13. 2. Vnde monet Iacobus, 5. *Orate pro inuicẽ, vt ſaluemini.*

Oratio breuis.

Tam Efficax, quam breuis oratio: *Ieſu.* Item credunt eſſe Meſsiam. *Præceptor*, En obedientiam offerunt. q. d. Dixiſti adoleſcenti, Luc. 7. *Surge*, & filiæ Archiſynagogi, *Surge.* Marc. 5. & ſurrexerunt. *Et noſtri miſerere*: dic, quæ vis, & factum puta. *Miſerere.* nullum noſtrum eſt meritum, &

Iuſtitiam tuam veremur, miſericordia tua nos ſuſtentat.

PARS

PARS V.

De Sacerdote lepræ iudice.

Cur ad Sacerd. missi.

I. ITE, *ostendite vos Sacerdotibus.* Cur? An vt cognito miraculo conuertantur Sacerdotes? aut confundantur? 2. An, quod lex iis iudicium commisit? *Leuit. tertio.* 3. An, quod publicas regiminis Ecclesiastici ceremonias vidit obseruatas? 4. An, vt ne ansam arriperent in eum, tanquam præuaricatorem legis? 5. An, vt quia *venit non soluere legem, sed adimplere?* Matth. 5. Hinc & circumcisus, præsentatus, Agnumque paschalem comedit ritu solenni. 6. An, vt fidem eorum experiretur? An, vt eam confirmaret iudicio Sacerdotum, vere mundos esse; 7. An, vt doceret peccatores se ostendere Sacerdoti debere?

Confessio auricularis astruitur.

Hinc siquidem omnes Orthodoxi auricularem Confessionem non incongrue astruunt. Quo & ista faciunt. Isa. 43. *Narra, si quid habes, vt iustificeris.* Rom. 10. *Ore autem fit Confessio ad salutem*, tam illa peccatorum secreta, quam publica fidei. Psal. 31. *Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam: Et tu remisisti iniquitatem peccati mei. Si confiteamur nobis peccata nostra.* 1. Io. 1. *Fidelis est, & iustus, vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.*

Sacerdotes honorandi. 1. Etiam vitiosi.

II. S. Hieron. de alio leproso. *Matth.* 8. ad summum sacerdotem misso ait, voluisse Dominum docere reuerentiam Sacerdotum. *S. August. & Cyp. Epist. ad Rogatianum.* volunt Sacerdotem, quamuis vitiosum, honorandum tamen. Exemplo Iesu qui respondere dignatus est Annæ, & Cayphæ: item Scribis, & Pharisæis. Et iussit Matth. 23. *Omnia, quæcunque dixerint vobis, seruate, & facite.*

2. Sunt Alumni Dei.

Hinc docet *Cyrill. Alex.* honorem Sacerdotum: quod partem in terra promissionis nullam eis assignarit Deus; sed de sua eos voluit mensa ac censu viuere. Vt vere canerent ipsi, Ps. 15. *Dominus pars hæreditatis meæ.*

Regum similes.

1. Certe Philo Iudæus scribit: *Ex his rebus liquet*, (priuilegiis, tributis, decimis, &c.) *iuxta Legis iudicium, Sacerdotes æquiparari honore ac maiestate Regibus. Siquidem illis conferri tributa imperat.* 2. Quin etiam Gen. 47. *In vniuersa terra Aegypti quinta pars soluitur Regibus; & factum est quasi in legē:* Absq; terra *Sacerdotali, quæ libera ab hac cōditione fiunt;* Sic vel Pharao eos honorabat. 3. Sic omnis Aegyptus, teste Platone: πρῶτον μὲν τὸ ἱερέων γένος ἀπὸ τῶν ἄλλων χωρὶς ἀφορισμένον: id est: *Principum quidem Sacerdotum genus ab aliis est sequestratum.*

4. Ita titillantur quoque Psal. 44. *Constitues eos Principes super omnem terram.* 5. Ierem. 1. *Ecce constitui te super gentes, & regna, vt euellas, & dissipes, ædifices, & plantes.* 6. In cœlo Deus *Gen.* 11. fecit duo luminaria magna. In terra duas supremas dignitates. Pontificiam, quæ diei cœlestium; & Regiam, quæ nocti temporalium præsit.

Sunt Angeli.

Quin & Angeli dicuntur Sacerdotes Malach. 2. *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius: quia Angelus Domini exercituum est.* Et 1. Corint. 11. *Debet mulier velamen habere super caput suum propter Angelos*, id est, Sacerdotes, aiunt ibi interpretes concorditer.

Sunt Dii.

Quid, quod Dii appellentur? *Exod.* 22. *Applica illum ad Deos*, id est, Sacerdotes: Ibidem. *Diis non detrahes.* Et Psalm. 81. *Ego dixi: Dij estis, & Filij Excelsi omnes.* Hinc functiones eorum diuinæ sunt omnes.

A Deo solo puniendi.

III. Quare, sic honorandi sunt, sicut audiendi. At Matth. 10. Luc. 10. Ioan. 13. *Qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit.* 1. Notant Chrysost. serm. 2. de Epiph. Et Salvianus l. 1. de Prouid. Ambos Mariam & fratrem Aaronem perinde in Mosen peccasse detractione sua: Mariam tamen lepra percussam, non Aaronem: quod Sacerdos esset. Adeo &

Deus

Lapsus eorũ tegendi. Deus pepercit honori. 2. Constantinus Magnus, oblatos sibi libellos contra Sacerdotes nonnullos, in Conc. Nicæno, abiecit in focum, dicens: *Si cernerem peccantem Sacerdotem, vel in foro, eum purpura mea contegerem.*

Digressio inuectiua in irreuerentes eorum. Quos olim tãti fecere Monarchæ, eos vix tantulo dignatur hodie ciuis, aut calo. Quid, quod in mensis, in circulis traducantur Sacerdotes impune? 1. *Maledictus puer Cham; seruus seruorum erit fratribus suis*: quia Patris nuditatem risisset: At Sacerdos præ patre tantum est, quantum sacrum præ profano. 2. Dauid Saulis cædem ac sociorum deploratistis, 2. Reg. 1. *Nolite annunciare in Geth, neque in compitis Ascalonis; ne forte lætentur* hostes ethnici: quanto minus, (inquit ibi Bacharius, Sanct. Augustini æqualis,) Sacerdotum lapsus erunt propalandi, in confusionem Religionis?

Pœna eorũ Deo reseruatur. Mirum videtur, Dominum ipsum flagello nundinatores eiecisse Templo? Respõdet S. *Anacletus*, ideo factum, quod Sacerdotes essent; quorum castigandorum authoritatem sibi soli Dominus reseruauit.

Honorandi sunt vt cõuiua Dei. IV. Aman honori sibi ducebat maximo, Esth. 5. quod *Regina nullum alium vocauit ad conuiuium cum Rege, præter me*, ait: *apud quam etiam cras cum Rege prandiurus sum.* Quanto Sors maior Sacerdotis; qui Iesu conuiua est, inuitante quotidie Ecclesia? Quo nec Angeli aspirare audent.

Vt Angeli. 2. Volenti Ioanni *Apoc.* 19. honorare Angelum, hic ait: *Vide ne feceris: conseruus enim tuus sum*, q.d. Angelos oportet Sacerdotibus deferre. 3. Quis Ierosolymitanos conuocauit, quis instinxit, vt palmas, vestesque substernerent asino Domini? Non nisi, quia Dominum orbis veheret. At Sacerdotes throni sunt Dei, ianitores cœli.

4. Refert *Iosephus Antiq. Iud. l. 11. c. 8.* Alexandrum Magnum in Ierosolymam duxisse, iratum, quod Iudæi Dario tulissent auxilium, quem iam debellarat ille. Pontifex, tristi audito aduentu, cum Sacerdotibus occurrit venienti. Rex eo viso, descendit equo nixisque humi genibus adorans, ait. *Non hunc; sed Deum adoro: cuius principatu Sacerdotij functus es.* *Adoratio Ethnico.*

1. Deus voluit Sacerdotem à Duce populi obedienter honorari. *Num.* 27. Sic ait Mosi: *Tolle Iosue filium Nun, virum, in quo est Spiritus Dei, qui stabit coram Eleazaro Sacerdote: ad verbum eius egredietur, & ingredietur Ipse, & omnes filij Israel.* 2. Iudith c. 8. Sacerdotes ab officij authoritate sic hortatur: *Vos, qui estis Presbyteri in populo Dei, & ex vobis pendet anima illorum, ad eloquium vestrum corda illorum erigite.* *Antistes Principibus.*

Quare Eccles. 7. *In tota anima tua time Deum; & Sacerdotes illius sanctifica.* Vtrumque vno facto docuit hodie Dominus: Quod miraculum non multo ante mortem patrauit. Sicut & illud de suscitato Lazaro; deque Eucharistia instituta. Nempe *erat lux vera.* At fax ante, quam moriatur, scintillas maiores excutit: ita Iesus illustriora miracula, quo morti vicinior.

PARS VI.

De regresso Samaritano.

I. VNus autem ex illis regressus. At vbi nouem? Vah ingratos animos. 1. Romani seruum donatum libertate, si ingratus extitisset, ad seruitutem retrahebant. 2. Leges ciuiles hæreditatem ingrato filio abiudicant. 3. Lex Mosaica *Leu.* 7. vetabat carnes victimæ gratiis agendis, in crastinum asseruari. Ita gratiarum actio non procrastinanda. *Ingratitudo detestabilis.*

1. Noe cessante diluuio, continuo *ædificauit altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus, & volucribus mundis, obtulit holocaustum super altare.* Gen. 8. En cita gratitudo: *Gratitudo sit cita & integra.*

sed

sed & integra corporis ac Spiritus; quod indicant pecora & volucres. 2. Dein & munda. Ita Leu. 7. *Si progratiarum actione oblatio fuerit, offerens panes absque fermento,* id est, absque peccato, corde mundo.

3. Ergo *Qui grate beneficium accipit, primam eius pensionem soluit,* ait Seneca l. 2. de Benef. c. 22.

Similia ingratorū.

II. 1. Ingrati similes sunt mari. Hoc omnes fluuios dulces haurit; nec tamen de salsugine sua remittit. 2. Similis agro, in quo semen bonum seminatum est, effert tamen lolium. Matth. 13. 3. Similis Iudæ; multis cumulato beneficiis, at proditori demum facto.

Malefactores benefactorum.

Cæterum in duobus consistit ingratitudo. 1. Obliuisci benefactorum.

2. Benefactorem offendere. 1. Vt luna, quæ omne lumen à sole accipit, ipsum tamen subinde obscurat; suo interiectu causans eclypsin. 2. Platanus ob vmbras colitur pergratas; at vetula diffinditur in focum. Ita benefactor multis ob dona colitur; demum malum ei reponitur.

Bene cœptum, male finitum, perditum est totum.

III. *Non est inuentus, nisi hic Samaritanus?* Tres Samaritani in Euangelio celebres. Susceptor lapsi in latrones. *Luc.* 10. Inuitatrix ciuium ad Christum, iuxta puteū. *Ioan.* 4. Demum hic leprosus. Qui vnus, bene cœptum finit bene. 1. Ecce *Multi vocati* ad sanitatem, *sed pauci electi,* & ex decem vnus. 2. Thren. 4. *Sunt inclyti, & amicti auro purissimo, quomodo computati sunt in vasa testea, opus manuum figuli?* 3. Similes statuæ Nabuchod. Cuius caput ab auro cœptum, deficit in æs, ferrum, denique in lutum. *Dan.* 2. 4. Similes bombycibus, quam diu alūtur viridibus foliis, tenelluli sunt, facileque emoriuntur: at duriores sunt, si aridis pascantur. Ita beneficiis lactati infirmiores sunt, quam aduersis solidati.

DOMINICA XV. POST TRINITATEM.

Nemo potest duobus Dominis seruire. Matth. 6.

PHilistæi, 1. *Reg.* 5. in eadem ara cum Dagon idolo statuerunt Arcam Dei captam à sese, vt ambo adorarent. At nefas id esse Deus ostendit prostrato Dagon. Par hic iudicium fert de Deo, & Mammona.

Super quo nos

I. De auaritia detestanda.
II. De seruitio duobus addicto quale sit.
III. De seruis duorum, quales sint
IV. De Mammona iniquitatis.
V. De sollicitudine temporalium nimia.
VI. De Dei cura nostri.

PARS I.

Auaritiæ detestatio.

Auaritia est infelix malorum radix.

DVæres, quæ maxime impellunt ad maleficium; *Luxuries, & auaritia sunt.* ait Cicero l. 2. ad Heren. 2. Val. Max. l. 3. *Auaritia neque habendo fruitur felix; & cupiditate habendi miserrima est.* 3. S. Chrys. in Matth. *Auaritia est insatiabilis ebrietas, iniustitiæ fomes: Auarus communis omnium hostis.* 4. Hier. *Auaritia est bursa Principum, cellarium latronum, rixa parentum, sibilus hominum.* 1. Tim. 8. *Est radix malorum omnium.*

5. Bern. in Cant. *Est fornax in qua omnia Christi opprobria, sputa, claui, lancea, flagra, crux, mors, &c. procusa sunt.*

Est ignis.

1. S. Basilius Hom. 17. in Ditescentes. *Mare terminos habet: nox leges non transgreditur: solus auarus nullum circumscribit tempus, terminum nescit: sed ignem imitando omnia comprehendit, ac depascitur.* 2. Mich. 6. *Adhuc ignis in domo impy, thesauri iniquitatis;* Quæ ista? *Mensura minor; iræ plena.*

Est infernus.

Quin Aug. Epist. 3. auaritiam inferno confert. *Auarus,* ait, *similis est inferno. Infer-*

nus enim quantos mortuos deuorat, nunquam dicit: Satis est. Sic, etsi omnes thesauri cõfluxerint in auarum, nunquam satiabitur. Isa. 57. *Impij, quasi mare feruens, quod quiescere non potest.* Inprimis auari. Nam Chrysostom. hom. 36. in Matth. *Vt sine fluctibus mare nũquam: sic animi auarorum nunquam absque turbatione. Et antequam priora componant, alia inuaserunt.*

Est mare inquietũ.

Est ianua orci.

Hugo de S. Vict. l. de claustro animæ. *Superbia clausit diabolo cœlũ; gula Adæ paradisum: Auaritia diuiti aperuit infernum.* Secundum istud 1. Tim. 6. *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa, & inutilia, & nociua; quæ mergunt hominem in interitum, & perditionem.*

Est materia Iudicii extremi.

II. Auaritia intribus mundi malis est vnum 1. Ioann. 2. *Omne, quod est in mundo aut est concupiscẽtia carnis, aut conc. oculorum. aut superbia vitæ.* His tria respõdent à Deo & consignata iudicia: 2. De superbia Angelorum, punita præcipitio: Et Psalm. 73. *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.* 2. De carnalibus, punitis diluuio. *Omnis quippe caro corruperat viam suam.* Gen. 6. 3. De auaris, puniendis in extremo iudicio. Matth. 25. *Ite maledicti. Esurui; & non &c.* Et hoc erit omnium terribilissimum. Quare, vt S. Ifid. lib. de summo bono: *O pestis maligna auaritiæ, semper bonis animis detestanda; quid inconcussum dimittis? Tu genus humanum confudisti; tu comitem Christi ab Apostolatu deiecisti.*

Est idololatria.

Ephes. 5. *Auaritia est idolorum seruitus.* Vbi Sanctus Thomas, 1. Quia finem vltimum quasi constituit Diuitias. 2. Quia spem in has ponit. At hæc duo sunt idololatrica. Sicut Hebræi datum serpentem æneum, vt eo viso sanarentur; peruerso affectu dein adorarunt, thus illi adolentes: donec 4. *Regum* 18. Ezechias eum comminuit. Ita auari datas necessitati opes, tantum non adorant.

Demum peribunt cum ipsis. Eccles. 21. *Qui ædificat domũ suam impendiis alienis, quasi qui colligit lapides suos in hyeme.* Græci vertunt: *qui congregant sibi lapides ad tumulum sepulchri.* Quod hyeme ædificatur, nõ solidatur: moxq; dissoluitur & corruit: Ita *male parta male dilabuntur,* & sæpe ruina obruunt collectorem suum. Manna plus colligentibus in crastinum vermicabat. *Num.* 11. *Exod.* 16. Ita congestæ opes in putorem animæ vertunt auaro, abominabilem Deo. Quia Deo seruire non potest.

Finis tim interitus.

PARS II.

De seruitio duobus addicto, quale sit?

I. NEmo potest duobus Dominis seruire, Deo & diabolo, ait S. Aug. 1. Nam Eccles. 2. *Væ duplici corde labiis scelestis, & peccatori ingredienti terram duabus viis.* 2. Negant etiam Philosophi; & *D. Th. 1. q. 1. a. 3.* hominem plures habere fines posse: Dixi hoc: *Quia nemo potest duobus Dominis seruire.* 3. Nequiuere Dagon & Arca in templo consistere eodem, vel coli, 1. *Reg.* 5. 3. Neque Deus cœlestia impertit; dũ terrenis inhiatur. Sicut *Exod.* 14 & 16. non pluit manna prius, quam farina defecisset Aegyptia.

Est damnabile.

Impossibile.

Idololatricum.

4. Degenerum aquilæ genus describit *Plin. l. 10. c. 5.* quod pisces captat in aquis. Pede id altero est anserino, ad nandum; aquilino altero, ad pugnandum natum: Tales biformes, bifrontes, bicipites, bicorpores, bipsychici, bidii, monstra denique sunt, qui carni simul & Spiritui, mundo ac Deo, terræ ac cœlo seruire posse videri volunt. 5. Finxerunt poetæ Hippocentauros, & Satyros, (hique fuere forte) qui formas gererent corpore binas; hominis vnam honestam, capræ aliam salacem, ac hircissantem. Designarunt autem animos hominum hac ad bestialitatem, illac ad humanitatem, ad

Monstrũ

Fabulosũ.

Immundũ. ad instar vertumni, versatiles. 6. Vespertilio, *Leu.* 11. abominabilis Deo est, & in immundis censetur: Quod biformis sit; alis, auicula; serpens, pectore nudo. Tales sunt nycticoraces, qui desideriis volare vellent; at pectore toto nudi serpentem terriuorum, & humirepum repræsentant. 7. Nequeunt amores duo, vel affectus vno consistere animo magis, quam vno in cœlo soles duo. Quale quid Alexander Magnus respondit Dario Persarum Regi, suum ipsi regnum dimidiatum offerenti: *Nec cœlum*, ait, *duos soles, nec regnum vnum duos habere Reges potest.* Superbe; at sat vere.

Intolerabile. 8. Noluit Dominus, *Deut.* 22. agrum vnum semine conseri diuerso: noluit arari in boue & asino iugo iugatis vno: noluit vestes lana linoque mixtim contexi, vel indui Et tu amores iugabis dispares? Affectus seminabis dissimillimos? Opes coaceruabis, terræque, polique? Sic habe. *Nemo potest seruire duobus.*

Vetitum. Quare (vt Ios. 24.) *Nunc timete Dominũ, & seruite ei perfecto corde, atque verissimo, & auferte Deos alienos.* Responditque populus: *Absit à nobis, vt relinquamus Dominum, & seruiamus Dijs alienis.* Ecquis oculus vno cœlum, terram altero conspexerit? Perinde id impossibile est animo.

PARS III.

De seruis duorum, quales sint.

Serui tales sunt. I. QVi tamen id conantur, ranæ sunt Aegyptiæ coaxantes ineptum. Ranæ sunt amphibiæ, terra viuunt & aqua: sed sunt & Aegypti plagarum vna: Exo. 8. *Percutiã omnes terminos suos ranis:* Adeoq; Psalm. 104. *Edidit terra eorum ranas* etiam *in penetralibus Regum ipsorum.* Vah, quot putres in orbe sunt ranæ huiusmodi! in cœnosa luxuria coaxant: in terra pœnitentiæ gradiuntur, scilicet. Quo passu, norunt Confessarii: quin Deus:

1. Ranæ.

2. Sint homines duo, & Domini iidẽ; at humoris, vt aiunt, diuersi. Hic Democritus aliquis, ille Heraclitus; vel hic Epicurus, ille Socrates; vt hic Cæsar, ille Sardanapalus vel Heliogabalus; quis vir bonus reperiatur, qui vtrique seruire se posse confidat? Neque tamen hi tantum distant, quantum Deus & Mammona. *2. Neutri sufficientes domino.*

3. Qui nihilominus his seruire volent; Samaritanorum sequaces sũt: qui, 1. *Reg.* 5. Deo & idolis vnam superstitionem confinxerunt seruam. *3. Sunt Samaritani.*

II. Et quæ merces est, quæ data mandata seruis mundi? 1. Expertus Iacob. *Gen.* 31. bis septenni seruitio, quod Labano seruiuit durum, periculosum, infructuosum. Nisi quod lippa ei Lia supponeretur, pro formosa Rachaele; Sed & hac sterili. Et rem talem ac tantillam tanti empsites? *Ego pœnitere tanti non emam:* ait Socrates de caro scorto Laide, magno emenda. At pluris emuntur à mundo voluptatulæ, tituli, diuitiolæ: Idque annorum vitæ totius seruitio, heu, & vah, quali? *Merces eorum 1. Laborare & decipi.*

2. Tali, quales Amalecitæ; qui cum seruum haberent, quamuis fidum; ægrum tamen deserebant. 1. Reg. 30. *Puer Aegyptius sum*, ait ille: *Seruus Amalecitæ: dereliquit autem me herus meus; quia ægrotare cœpi.* *2. Deseri.*

In uno, & Mundo serui, Carnique & Auerno. Tribus seruieris? Non potes duobus. Vnus est Dominus, & hic Deus, Iesus uus.

Notat *Tertull. lib. contra Hermog.* Deum post hominem creatum appellari Dominum in Genesi, non ante. Quod creata cætera velut nihili duceret; at hominem dignum, cuius Dominus esset Deus, & solus. Et homo illa præ Deo poneret posthabito? Dignus plane, qui infra cuncta deturbetur. *Domino seruiendũ soli.*

III. Iam vero, cum duobus seruiri non queat, qui pluribus poterit? At Io. 8. *Qui facit* *Serui vitiorum innumerorum.*

facit peccatum, seruus est peccati. Quot igitur sunt genera peccatorum, tot & dominorũ. Quot autem peccatis multi seruiunt?

1. Vnde Isa. 49. *Hæc dicit Dominus ad contemptibilem animam, ad abominatam gẽtem, ad seruum Dominorum* superbiæ, iræ, luxuriæ, &c. 2. *Peccator tot est seruus Dominorum, quot vitiorum*, ait S. August. 3. Et Diogenes Cynicus, *Laertio teste*, Alexandro gloriãti, orbis se Dominum esse totius, inquit: *Nequaquam, ô Alex. es Dominus sed seruorum meorum Seruus*, id est vitiorum. 4. De talibus Ierem. 6. *Seruietis Diis alienis die ac nocte, qui non dabunt vobis requiem.*

PARS IV.

De mammona iniquitatis.

Oportet habere non nocet.

ET *Mammonæ*, id est, diuitiis. Has enim seruire homini oportet. Non dixit: Non potestis diuites esse, & Deo seruire. Nam copiosi fuerunt Abraham, Iacob, Iob, Tobias, &c. & serui Dei simul eximij.

Sed modus habendi.

1. Si fœda sit, & non ferenda seruitus sub tyranno; fœdior illa, quæ sub Pluto Mammonio. Obtrudit aurum; deludit specie; & bulga demum plena reperitur stercore. 2. Quam hic verum Psalm. 75. *Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt in manibus suis Viri Diuitiarum*; non sui iuris, sed serui istarum. 3. Hi ab Deo reiiciuntur, qui auide hauriunt diuitias; non, qui moderate: Sicut Gedeonis milites Iud. 7. *Qui manu & lingua lamberint aquas, sicut solent canes lambere; separabis eos seorsum. Qui autem curuatis genibus biberint; in altera parte erunt.*

1. Cum seruitute.

2. Euentu vano.

3. Cum auiditate.

Itaque Psalm. 61. *Diuitiæ, si affluant, nolite cor apponere.* Cor accommodare licet, non dare: non apponere sic, vt, *Vbi thesaurus, & cor tuum sit.*

4. Cum effectu auiditatis istius, qui est.

II. Hoc efficit idololatram. 1. Sicut Exod 12. Spoliis Aegypti ditati Hebræi, *argentum & aurum suum fecerunt idola, vt interirent.* Ose. 8.

1. Idololatria.

2. Ita Iudas cecidit; volens in Apostolatu viuere, & in Mammona: *Matth.* 27.

2. Apostasia.

3. Ita Giezi seruus Elisæi, & Pluti, munera sectatus Naamani. Quæ merces? 4. Reg. 5. *Lepra Naaman adhærebit tibi, & semini tuo vsque in sempiternum.* Quam corpus eius plenum lepra; tam vitiorum plena omnium est auaritia.

3. Peccati.

4. Speciem sume ex meretrice Apoc. 17. *Mulier erat circũdata purpura, & coccino, & inaurata auro; & lapide pretioso, & margaritis; habens poculum aureum in manu sua:* Ecce inauratam Auaritiam. Sed nũquid aliud? *Poculum plenum abominatione, & immunditia fornicationis eius.* Vti hæc, sic & auara anima, est prostituta mundi concubina, & pellax succuba.

4. Abominatio.

5. Fuit Templum 4. *Reg.* 25. Iudæis simul & Aerarium publicum; & diuitiarũ domicilium: Fuit vero & idem hoc causa, cur bello ab Chaldæis, Syris, Romanis appeteretur; expilaretur; demũ vastaretur. Habent auripetę in hoc & sui exitus exemplum: *Nescitis, quia templum Dei estis vos?* 1. Cor. 3. Quid igitur eadem in ara Dagon, & Arca? *Qui templum Dei sic violauerit; disperdet illum Deus.*

5. Denudatio.

PARS V.

De solicitudine temporalium nimia.

NOlite soliciti esse. Quantum enim curæ temporalibus impendimus; tãtum animæ detrahimus. Quippe diuisa est. 1. Israelitis sacrificare cogitãtibus, ait Pharao, Exod. 5. *Otiatur; & ideo hæc loquitur. Plures reddat lateres, paleas etiam quærat: Vt sic ei non vacet alia cogitare.* Ita Satan de cultu Dei solicitis ingerit cogitationes alias, occupationes mouet & obiicit, vt distineat, & abstineat. Sed *nolite soliciti esse.* Et Matth. 24. *Videte ergo, ne grauentur corda vestra crapula, & ebrietate, & curis huius sæculi.*

Est ex abi Satana.

Stolidus foret, qui scansurus montem præ-

Est onus voluntarium stolidorum.

præcliuem, onus inutile assumeret. Talis, qui *ea quæ sursum sunt, quærit*; & se vel terra, vel cura onerat. *Non est mollis ad astra via.* Quo durior fit onere tali opum. Et vel maxime, si pondus accesserit vitiorum. Est autem cupiditas tam vitiorũ genitrix, quã nutrix curarũ. En & geminum pondus. Nec alterum vnquam absque altero est. Ergo *nolite soliciti esse.*

Est Iezabel.

II. Sed & crudelis est, ac sanguinaria Iezabel auaritia, 2. *Reg.* 22. quæ mites efferat Achahos, & innocui sanguinis accẽdit siti. 2. Est mula vectrix Absalomi, 2. *Reg.* 18. quæ pręcipitem rapit in arma virum, inque patrem filios armat, ius omne profanat; sed demum ex arbore pendulum hastis hostium obiectat. 3. Est Megæra, quæ Dei quoque Filium in summa euehit montium sæcularium principatuum, in excelsa pinnarum ecclesiasticarum, in ima vallium deuehit, ac intima desertorum; tentat & attentat omnia, tantum *vt cadens adoraueris eam.* Matt. 4. ô Mammonam omnis inquitatis!

Est Absalomi mula.

Est Dirarum vna.

Est furanima.

4. Bene Lucas *cap.* 12. *&* 16. asseclas eius fures, & latrones cordis humani sub parabola vocat; Apostolus 1. *Tim* 6. Retia & laqueos diaboli. *Ouidius* 1. *Metam.*

Effodiuntur opes Irritamenta malorum.

5. Ego eas Circes veneficas, & incantatrices, Medæas, ac Syrenes marinas, Orci Diras, Furias, Megerasque libens appellarim. Sic Animum fascinant, & abripiunt totum, hominemque ex homine exuunt:

Quod Apelles pictor fassus est. Hunc ægrum Rex Archesilaus inuisens, clam ei sub ceruicali bulgã auri subtrusit. Eam reperienti, & exclamanti puero, dum sterneret lectum: ait Apelles: *Tace Furtũ Regis est.* Et is: Imo dederit indigentię tuæ. *Dedit*; ait Apelles: *Sed his donis animum mihi & cor dudum surripuit.*

Maledicitur à Deo.

III. Maledicti sunt tales. 1. An ideo Deus, *Gen.* 1. benedixit volatilibus, & natalibus: non item terrestribus animantibus, quod, qui bestiarum adinstar *terrena sapiunt*, ac quæritant; indignos benedictione subindicet? Dignos vero, qui mẽte, cœlestium meditabunda, volant; aut animo, nouissimorum ac infernalium memore, per profunda natant? 2. Et merito. Nam vt terræ, auri feraces, rerũ sunt cœterarum steriles: ita aurifodinæ animæ sunt litore Tagi & Pactoli, aurifluorum fluminum, steriliores. 3. Adeo ardor adulterii, (quod animus cum auri scorto, auri pellacis amãs committit,) succum exugit omnem religionis, & exsiccat cor auarum, ac aridum

Est sterilis.

Vredo anima.

Adultera.

Cor huiusmodi cognoscitur; sicut adultera in veteri lege explorabatur. *Num.* 5. Ad Sacerdotem adductæ, aqua ab eo diris deuota, & maledicta, & aliquantulo terræ mixta, & amara, dabatur bibẽda. Ab qua si crepabat, rea erat: Sin'; innoxia. Talis aqua Diuitiæ, ex se adiaphoræ, sed auaris maledictæ; amaræ ob laborem acquirendi; fluxæ ob aleam perdendi: Hæ haustæ auari animam crepare faciunt ac necant; at bonis viris sunt innoxiæ. Quia isti sunt adulteri mammonæ: non hi.

PARS VI.

De Dei cura nostri.

Fidendum prouidentiæ Dei.

I. NOlite solliciti esse, de crastino. 1. Sic Leu. 7. Sancitum. *Victimæ carnes eadẽ comedentur die, nec remanebit ex eis quicquam vsque mane.* Innuit, præsentibus fruendũ cum gratiarum actione, cæterum Dei prouidentię non diffidendum esse. 2. Idem in mannæ collectione significatũ, Exod. 16. *Vt nullus relinquat ex eo in mane. Qui non audierunt Moysen: sed dimiserunt ex eo quidam vsque mane, & scatere cœpit vermibus, atq; computruit.* 3. Idem docuit Do-

1. Quia sic iubet.

2. Quia animam dedit.

minus *Matth.* 5. istis; *Panem nostrum Quotidianum da nobis Hodie.* Noluit nos in mensem, annum, &c. petere.

II. In idem hic affert rationes. *Prima: Nonne anima plus est, quam esca: & corpus: plusquam vestimentum?* quasi dicat: qui dedit animam, qui corpus; dabit idem & sustentationem vitæ Dominus, quamdiu hanc superstitem esse voluerit. Secundum Philosophicum hoc axioma; *Qui dat esse: dat & quæ sequuntur ad esse.*

3. *Alites alio.* *Secunda ratio Respicite volatilia, quæ, &c. Nonne vos pluris estis?* q. d. Iniqua foret Dei prouidentia, nires curaret humanas solicitius: quam animales brutorum.

Sed auium meminit hic potius, quam aliorum animantium, ob tria. 1. Quod prouidentiæ exemplum è cœlo peti oporteat; *Respicite volatilia cœli:* & in terram desini: *Considerate lilia agri.* 2. Quod quasi ab altrice terra absint longius cœliuagæ. 3. Quod brutis terræ & auxilia plura sint ab natura ad pabulandum; & esca eis vicinior. Vt formicæ industria, quæ, Prou. 6. & 39. *populus infirmus,* Sed *qui præparat in messe cibum sibi.*

Poterat, ait *Chrysosto. hom.* 22. proferre exemplum Moysis, 40. dies conseruati sine cibo, *Exod.* 24 Eliæ 3. *Reg.* 17. ab coruo pasti: Baptistæ 30. annis in deserto victitantis, Matth. 3. At maluit obuia, quam sublimiora, ac rara.

4. *Facit crescere.* *Tertia ratio. Quis vestrum cogitans potest adiicere ad staturam cubitum vnum?* q. d. Vt crescitis absque cura vestra, sed Dei prouidentia; ita & victitabitis. Suadet igitur Apostolus, 1. *Pet* 5. vt omnem curam in Deum proiiciamus: *Quoniam ipsi est cura de nobis.* Ita & Psal. 54. *Iacta super Deum cogitatum tuum, & ipse te enutriet.*

5. *Lilia vestit.* *Quarta. Considerate lilia agri, &c.* q. d. Deus non de necessariis solum; sed & de decoris prouidet istis inanimis; quo magis Sui similibus hominibus? Exemplum cape ex Israelitis, 40. annos per deserta vagis: Attamen ingratis sic exprobrat, Deut. 18. *Vestimentum tuum, quo operiebaris, nequaquam vetustate defecit, & pes tuus non est subtritus: en quadragesimus annus est.*

III. Quocirca iuste infert Dominus porro sic: *Nolite soliciti esse, dicentes: quid manducabimus; aut quid bibemus; aut quo operiemur: Hæc enim omnia Gentes inquirunt.* Summa veritas hæc dixit. 6. *Gentili est cura auxia corporis.*

Talem fiduciam ad Dei prouidentiam Esdras habebat, è Babylone captiuum educturus populum Ierosolymã. Quamuis via longa, aspera: difficultatesque multæ: & inops populus: noluit tamen à Cyro quicquam commeatus petere. *Exempli.*

3. Esdr. 8. *Erubuit petere auxilium à Rege: Qui dixeramus Regi, Manus Dei nostri super omnes, qui quærunt eum in bonitate.*

Quare *nolite soliciti esse.* 1. Hoc statuite: quod Epicteto percunctanti: *Quis diues esset?* respondit Socrates: *Cui satis est, quod habet:* Ac rursus: Quis ditissimus? Ait: *Qui paucissimis contentus est.* 2. Item, Quod alteri scisciranti, *Quæ via compendiosissima ad opulescendum?* respondit Democritus Philosophus: *Si cupiditatum pauper fueris.* *Epilogus.*

DOMINICA XVI. POST TRINITATEM.

Ecce, defunctus efferebatur, filius vnicus matris suæ: & hæc vidua erat. Luc. 7.

ELias, 3. *Reg.* 17. in Sareptam prope Sidonem veniens viduæ filium ad vitam reuocauit: fama mox late factum differente. Ita in Naim IESVS.

Super quo nos

I. *De triplici mortis genere.*
II. *De mortis necessitate.*
III. *De oblitione, & memoria mortis.*
IV. *De morte, & honore funebri.*

V. De

V. De explorato defuncto.
VI. De luctu viduæ.
VII. De excitato defuncto.

PARS I.

De triplice mortis genere.

Mors occidit lanceata.

I. PEccati malitia ineffabilis est, & trinæ mortis inuectrix: Naturalis in corpus, Spiritalis in animam: & in vtrumque Damnationis. 1. Vti Ioab, 2. *Reg.* 18. Absolomum, rebellem patri, è quercu pendentem lanceis tribus transfuerberauit, ac vitæ, honorumque cursum abrupit. Ita Adamum peccantem in Deum plagis tribus peccatum affecit; ac vitæ, honorisque filum incidit. Rom. 5. *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum: & per peccatum mors.* 2. Vidit Daniel, cap. 7. *Ecce bestia alia similis vrso in parte steterit: & tres ordines erant in ore eius, & in dentibus eius: & sic dicebant ei: Surge, comede carnes plurimas.* Belua hæc effera peccatum est cum rictu faucium ter mortalissimo. 3. Fingitur Poetis triceps, triquefaux canis Cerberus, ad orci ianuam excubitor, qui, Virg. Æn. 6. *tria maxima guttura pandens,* latratibus territat vmbras. Typus is peccati est, habentis trifaucem malitiam deprauatæ Voluntatis, Affectus peruersi, & Conscientiæ sæuientis.

2. Vorat dentata.

3. Territat trifaux.

4. Concutit orbem.

4. Tria, inquit Salomon, *Prou.* 30. esse, per quæ terra moueatur, quartum eam penitus sustinere non posse. Tria illa sunt mortis genera dicta: peccatum est quartum intolerabile: terra autem mota homo est: *Terra, terra, terra, audi verbum Dei.*

5. Terret memorata.

5. Idem Eccles. 20. *A tribus timuit cor meum.* Et quis ad trium iam dictorum memoriam non exhorrescat? Ipsa Domino sanguineum expressere sudorem.

6. Diffiagiat omnes.

6. Apoc. 9. *Tribus plagis occisa est tertia pars hominum, de igne de fumo, & de sulphure.* Plagio hic peccatum est trinequam.

II. Id Lapillus est, *Dan.* 3. de monte Satanico, in pedes luteos statuæ Nabuchodonosoreæ, Adami scilicet, deuolutus, & hominem strauit morte corporali. Erat corpus ante vti nobilis, nulli vectigale, non morbo, non fami, non frigori, non morti, &c. At peccatum ei nobilitatem, immunitatem, vitam abstulit: vt illi subsit decreto: *Puluis es, & in puluerem reuerteris.*

1. Mors corporis necat.

2. Idem in anima spiritale homicidium designauit, dum de statu gratiæ eam deturbauit. Rom. 6. *Existimate vos mortuos quidem esse peccato.* Ephes. 2. *Cum essetis mortui in delictis, & peccatis vestris.* Ita est: Omnis *Anima, quæ peccauerit ipsa morietur.*

2. Anima damnat.

3. Idem mortem genuit sempiternam damnationis. De qua Ioann. 6. *In peccatis vestris moriemini.* Dictum factum. Nam Ps. 48. *Sicut oues in inferno positæ sunt: mors depascet eos.*

3. Inferni vindicat.

1. *Mors* corporis quidem *omnium terribilium terribilissimum est,* ait Arist. 3 Eth. 2. At mors animæ dirior: Psaltes: *Mors peccatorum pessima.* 3. Mors vero inferni sæuissima. Aug. 13. Ciu. cap. 2. *Ibi erunt homines semper in morte, ac per hoc nunquam viuentes, nunquam mortui, sed sine fine morientes.* Et Dominus: *Timete eum, qui potest animam & corpus mittere in gehennam.* De prima in præsens agit Euangelium.

Singulæ terribilissima.

PARS II.

De mortis necessitate.

Morien-dum est.

I. THecuitis Dauidē Absalomo vt reconciliaret, ait, 2. Reg. 14. *Omnes morimur, & ~~velut~~ aquæ dilabimur in terram.* 2. Heb. 9. *Statutum est omnibus hominibus semel mori.* 3. Dauid. *Quis est homo, qui viuit, & non videbit mortem?* 4. Orig. in Psal. 33. ait Duo pharmacopolia Deum instituisse; ex herbis vnum, medendis morbis; aliud in S. Scriptura, animæ curandæ; morti nullum. Sap. 1. *Nullum est medicamētum exterminij:* 5. Alex. Magnus se Iouis Ammo-

Ammonij filium, Deoque natum Deum coli permisit, ac voluit: poscentibus ab eo Philosophis mercedem aliquam pro obsequiis suis ait: Poscite, quicquid optaueritis. Et ij: *A morte nos immunes præsta.* Quibus ille: *Nemo dat, quod non habet.* Cui illi: Quid igitur audis acclamatores: *Rex, æternum viues*; Ioanni *Apoc. 6.* visa est peruagari omnia pallido mors inuecta caballo: Hic, quem naribus afflat; necat.

Mnimosynon Mortis. Spectaculum vitæ.

II. Pontifex Iudæorum, *Exod. 28.* duabus insculpta gemmis nomina gerebat XII. Patriarcharum, vt horum intuitu viueret memor mortis, & virtutis. 2. Græci, ac Romani ludis Circensibus vitę cursum repræsentabant quadrigatum quatuor celerrimis flexibus atque reflexibus. Earum Aurigæ colorati significabant quatuor anni tempora. Equi qui quatuor item colorati, humores corporis. Vnde Sap. 5. *Aestimauerunt lusum esse vitam nostram & conuersationem vitæ compositam ad luerum.*

Idolum humani generis.

Simile Deus Nabuchodonosori; se immortalem credenti ostendit, *Dan. 2.* in statua: cuius caput aureũ Reges & Principes; brachia argentea Prælatos brachij sæcularis, & Ecclesiastici; venter & fœmora ænea milites; pedes lutei homines notabant. Hunc colossum lapillus deiicit

Plaga corporis.

mortis. 4. Ioel. *c. 1.* Quatuor orbis plagas ab irato Deo immittendas, vt narrat, ait, *Residuum erucæ comedit locusta, & residuum locustæ comedet bruchus, residuum bruchi comedet ærugo*; Id est, fors, morbus, gladius, mors omnia depascent.

PARS III.

De obligatione, & memoria mortis.

Est amica I. dæmoni.

MOrtis memoriam detergit animis dæmon; renouat Prędicator. 1. Sic & intulit, & abstulit Satan Nabuchodonosori memoriam somnij de statua; sed retulit eam cum Deo Daniel, eiusdem & interpres extitit, 2. Noluit Deus victimã, *Leu. 21.* quæ cauda & auribus careret; Ita, ait Glossa, nec vult immemorem nouissimorum. 3. S. Athanasius inquit ideo Dominum maledixisse ficui, quod eius foliis nuditatem protexisset Adam; quasi memoriam lapsus ac miseriæ propriæ obruisset iisdem.

Inimicus Deo.

Memoria mortis.

II. Hinc animalium induitur exuuiis homo; Quod, ait Orig. hom. 6. in Leuit. *decebat; vt peccator se talibus indueret, quæ essent insignia suæ mortalitatis, ne posset prætendere obliuionem, vel ignorantiam suæ mortis. 2.* Nõ est Melior schola, quã sit mortis memoria. Ideo in officinã figuli Deus sitim misit Iere. 18. Etenim, Eccl. 1. *Ibi audies verba mea* Officina, est mortis schola: figulus natura; nos, vasa, denique rerum vicissitudo; rota. Nam Eccles. 1. *Generatio præterit: & generatio aduenit*: Illa mortuorum, hæc viuentium processio est. 3. Cœci nati oculos Dominus luto perlitos aperit: Notitia tui tuos aperit tibi. Et ea est, quæ Psal. 138. *Mirabilis facta est scientia tua ex Me.*

1. Est propria hominis.

2. Scholæ optima.

3. Scientia maxima.

Ignorantia sui mala.

Tam ea salutaris est: quam noxia ignorantia sui. Inde enim quę nascantur mala prisci innuebant, picto homine cum pedibus leoninis quatuor, facie muliebri; corpore toto plumato. Id est: infantia quadrupes; bipes iuuẽtus, senecta tripes. Aut aptius forte: *Concupiscentia oculorum* leonina, *concupiscentia carnis* fœminina: *superbia vitæ* plumea, ventosaque. Hæc trifariam incurruntur, ferociter, muliebriter, & leuiter, si te non noueris.

Cognitio sui necessaria.

III. Sin' te nosti: 1. Tum vero gratum ac crebrum offeres sacrificium super aram notitiæ tui. Ideo Exod. 20. *Altare de Terra facietis mihi: & offeretis super eo holocausta, & pacifica vestra.* 2. S. Bern. totus toto libro de Consideratione ad Eugenium Papam, aliud non vult, quam cognitionem sui à seipso incipere, & in seipso desinere oportere. 3. Vnicum hoc votum

votum erat S. Augustini: *Domine norim te: norimme.* At mors intimis essentiæ nostræ inhæret principijs. Iã vero, cũ *scire; est rem per causas cognoscere*; Certe tum optime nosmet cognouerimus; si nostra principia inspexerimus: quæ sunt lutum, mortalitas, fragilitas, & vanitas.

Parit memoriam mortis.

1. *Chrysostomus in* 16. *Matth.* ait, illum venire post Christum; abnegare se; tollere crucem suam; qui memor mortis degit: ad quam singulis passib. quisq; ducitur, vt capitis reus. Huic non libet ridere, catullire, ludere. 2. Referunt, Lazarum resuscitatum fuisse argelastũ, & quasi apathon. Scilicet expertorum memorem.

Hæc defendit à dæmone.

IV. Ioseph. *Gen.* 50. mandauit, in exitu Israel de Aegypto, sua secum ossa asportari. Factum: sed aiunt Rabini, Arcam Dei cum Lege Moysi, Virga Aaronis, & Manna cœli præijsse: agmen vero clausisse arcam Iosephianam. Nimirum illa tutabatur ab hostibus visibilibus: hęc inuisibilib° satanæ. Inqua ité tria: Lex vitę & mortis. *Omnib. statutum est semel mori.* Virga, iustitiæ, Ps. 75. *Tu terribilis es: & quis resistet tibi? Ex tunc ira tua.* Manna, Spei nostræ *Credo, quod surrecturus sim: hæc Spes requiescit in sinu meo.* Vt Iob ait.

Libidinem frenat.

Moysem, Deutero. 34. *Sepeliuit Dominus in valle Moab contra Phogor* Idolum Priapæum Luxuriæ: Vt nimirum mortis memoria iustam refutaret ac refrænaret.

Abducit à vitijs.

Nam quoniam Ps. 72. *Non est respectus mortis eorum; ideo tenuit eos superbia: operti sunt iniquitate, & impietate sua.* S. Hieronymus, vertit sic: *Non cogitãt de morte sua; ideo, &c.* Quare sic precare: Psal. 39. *Notum fac mihi Domine finem meum.*

Cicurat effrenes.

1. Aegyptiis multæ immissæ plagæ sũt; vt ab obstinacia resipiscerent: vt muscæ, ranæ, grando, tonitrua, tenebræ, sanguis aquarum, strages animalium: denique mortes primogenitorum. *Exo.* 12. Ad has Israelitas etiam abire coegerunt: quin dederunt, quæcumque poscerent. 2. Exãploratores duodecim terræ promissæ, Moyse missi, *Num.* 13. secure omnia perãgrarunt, ac perlustrarunt, fructuumque specimen comportarũt: Quia id temporis, ab peste tota terra grassante, erat plurima vbiq; mortis imago. Ad eum dein Iosue duos mitteret; omnia erant intuta: Vt ij etiam ab Raab essent occultandi. *Ios.* 2. Nimirum, quia in alta pace luxuriabantur incolæ. Adeo castitas mitigat animos, efferat impuritas.

Semiramis Regina suo mausulæo inscripsit hos characteres. Q. R. P. E. D. M. Q. Q. V. S. Id est. *Quisquis Regum pecunias eguerit? demoliens monumentũ, quot quot volet, sumito.* Darius Rex Persarum legit; aperuit: cadauer reperit, & hoc tantum: simul epigraphen: *Nisi malus: & pecuniarum inexplebilis fores, mortuorum loculos nunquã mouisses.* Acris castigatio hæc ab mortis memoria in auripetas, & auaros. *Confundit auaros.*

PARS IV.

De more, & honore funebri.

In veteri lege.

I. *Efferebatur filius.* Vnde Exequiarum decus laudabile est. Nam vsurpatum semper. 1. Abraham Saræ electum coemit sepulcrum, *Gen.* 23. 2. Iacob, *Gen.* 50. Ex Aegypto in patrum infertur sepulchrum, tota nobilitate Aegypti comitante. 3. Tobias mandat: *Cum acceperit Deus animam meam: corpus meum sepeli.*

In Noua.

1. Lazarus, *Ioan.* 12. honorifice conditus fuit. 2. Et *Stephanũ sepelierunt viri timorati.* Act. 23. Iesum Ioseph & Nicodemus: Et vero *Erit sepulchrum eius gloriosum* Isa. 11.

Celebrantur & funerum deductiones. 1. Abneris funus, 2. Reg. 3. Dauid & omnis Israel prosecuti sunt luctu publico. 2. Saulis, & cum eo cæsorum, Gabaonitæ, Quibus idcirco per legatos amplissimas egit gratias Dauid. 3. Iudas 1.

Mach.12. per ampla misit oblata Sacris faciundis ac precibus, pro cæsis prælio. 4. Tobiæ laus magna, quod in mortuos sepeliendos pius extiterit. *Tob.12.*

II. Item ethnicis adeoque impiis curæ fuerunt sepulturæ. 1. Nam Alexander Magnus amici Hephæstionis funus luctu duxit longo, & toto cum exercitu; quin & equis detonsa iuba: vrbem, vbi decessit ille, nudabat muris.

2. Refert *Val. Max. l. 1. c. 7.* quod Poeta Simonides ad mare inambulans, reperit cadauer, humat. Post multo transfretare paranti defunctus apparet; dissuadet nauigationem in præsens: fore namq; periturum. Acquiescit Simonides & collegis dissuadet; at frustra. Hi vix dum è portu egressi, sub oculis Simonidis mergũtur. 3. *Idem* alias è cœna euocatus ad duos iuuenes; exit ad portam: reperit neminem: corruit domus: obruit vniuersos, seruato Simonide.

III. Variis variæ tumulationes vsurpatæ fuerunt, *Lotophagi* in Africa defunctos in mare abijciebant: *Hungari* in lacus: *Bactriani* canibus obiectabant, publice ad hoc altis: sic *Cic. 1. Tusc. & Hier. li. 2. cõt. Ioui.* Massagetæ eos deuorabant; imo filij senes parentes ægros iugulabant etiam. *Alex. ab Alex. l. 3. c. 2.* Tybareni ex pertica suspensos ad solem exsiccabant, quos maxime dilexerant, vt præsentes intuerentur. *Scythæ* se viuos cum charissimis defunctis consepeliebant. Aegyptij pyramides suis statuebant, Iudęi suos in desertis, ac montibus sparsim defodiebant. *Matth.18. Mar.5. Luc.8.* Ideo hic *efferebatur.*

PARS V.

De exportato defuncto.

Peccator est mortuo similis.

I. ELatus hic, est peccatoris typus. 1. Corpus à morte gelascit: Et anima ab peccato. vnde peccata in pœnam Deus minatur: Iere. 6. *Gelu, sicut sal effundam super terram.* Vtq; bruma nocet floribus: ita peccatum virtutib. 2. Mortuus est ponderosus: At peccato nil grauius. *1. Frigore. 2. Pondere.*

1. Nam mare onera supportat omnia: Ionam tamen peccatorem ferre non quiuit. 2. Terra est solidissima: Ps. 107. *Fũdasti terram super stabilitatem suam non inclinabitur in sæculum.* At peccato ferendo non est: Nam sub Core, Dathan, & Abyron disrupta dehiscebat. 3. Cœli, *solidissimi sunt, sicut æ refusi*, Iob. 37. Luciferi tamen peccatum sustinere non valebant. Et anima fert. Heu! *3. Fœtore.*

4. Mortuus fœtet: Et peccatum. Psal. 5. *Sepulcrũ patens est guttur eorum.* 5. Mors necat: Et peccatum. Vtq; sæpe fulmen ensem absumit illæsa vagina: sic animam peccatum. Apocal. 3. *Nomen habes, quod viuas: & mortuus es.* Quin Eccl. 8. *Vidi impios sepultos: qui etiam, dum adhuc viuerent: in loco sancto erant.* *4. Mortu. 5. Sensuum destitutione.*

6. Mortuus est exsensus: & peccator: Prou. 29. *Vulnerauerunt me, & non dolui: traxerunt me, & non sensi.* Inde peccati nec pudor, nec dolor, nec vllus sensus.

II. *Efferebatur* ex vrbe, simul ex memoria hominum. 1. Psalm. 30. *Obliuioni datus sum, tanquam mortuus à corde.* 2. Ideo sepulcrum dicitur terra obliuionis. Psalm. 87. *Nunquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua: & iustitia tua in terra obliuionis?* Id est, in inferno, vbi Deus impiorum obliuiscitur: ait Genebr. Ibid. *Sicut vulnerati dormierunt in sepulcris, quorum non es memor amplius.* *Defuncti sepeliuntur obliuione.*

Efferebatur mortuus; quia patre orbus, à quo honeste institueretur. Et hæc sæpe causa mortis liberorum est. 1. Thren. 5. *Pupilli facti sumus absq; patre: matres nostræ quasi viduæ.* 2. Inprimis autem *Quartum penitus ignoro, viam viri in adolescentia.* Prou. 30. *Parentes causa mortis liberorum.*

PARS

PARS VI.

De luctu viduæ.

Acerbitas funeris ostensa.

I. Filius vnicus matris suæ. Quo funus acerbius. 1. Dauid 2. Reg. 1 *Doleo super Ionatha, quia sicut mater vnicum amat filium: ita ego te diligebam.* 2. Ieremias monet populum, *Luctum vnigeniti fac tibi.* Item *Amos* 8. *Zach.* 12. 3. Annæ luctum audi: Tob. 10. *Heu; heu fili mi, vt quid te misimus peregrinari, lumen oculorum nostrorum, baculum senectutis nostræ, solatium vitæ nostræ, spem posteritatis nostræ.* 4. Thecuitis, 2. *Reg.* 14. Dauidē Absalomo reconciliare hisce conata est. *Mulier vidua ego sum: Et ancillæ duo erant filij: & alter alterum interfecit. Et consurgens cognatio: Trade, ait, eam qui percussit, vt occidamus eum, &c. & quærunt extinguere scintillā meam, quæ relicta est vt non supersit viro meo nomen, & reliquiæ super terram.*

Mirabilis medicus Deus! huic aufert liberos, opes relinquit; vt Dauidi. 2. *Reg.* 12. Isti vtrumque tollit: Vt Iobo. Alij finitur notam: vt Susannæ, *Dan.* 13. Quia alius alio laborat morbo, egetque medicamento alio.

Viduæ Deo sunt curæ.

II. *Et hæc vidua erat.* Cuius resuscitando filium IESVS ostendit curam suam in viduas. 1. Psalm. 145. *Dominus custodit aduenas: pupillum, & viduā suscipiet.* 2. Exo. 22. *Viduæ, & pupillo non nocebitis. Si læseritis eos: vociferabuntur ad me: & ego exaudiam clamorem eorum: & indignabitur furor meus, percutiamque vos gladio: & erunt vxores vestræ, & filij vestri pupilli.* Hæc spes esto vestra. 3. Qui autem contra vos steterint; *Turbabūtur a facie eius, patris orphanorum, & iudicis viduarum.* Psalm. 67. 4. Ad hæc Deus. *Non despiciet preces pupilli: nec viduæ: si effundat loquelam gemitus* Eccles. 35. 5. Tutor viduarum obiectat Pharisæis, quod earum domos deuorent. *Matth.* 12. 6. Præco viduæ, duo minuta offerentis, est IESVS. *Luc.* 21. 7. Pontifex vt abstineret Heliodorum ab exspoliando Templo, ait pecunias illic esse pro viduarum ac pupillorum sustentatione. 2. *Reg.* 14. Sed cum is eum non audiret: ecce duo Angeli dire mulctauerant iniquum.

PARS VII.

De excitatione defuncti.

I. Miseri cordia motus super eā, luctu squalentem. Qualis Romæ L. Piso damnandus criminis, vultum luto sordidauit ac fletu; quo iudices flexit, vt absolueretur, donatus vitæ. Ita IESVS motus & matris, & mortui luteo vultu. Psalm. 102 *Recordatus est, quoniam pulvis sumus: homo sicut fœnum dies eius.* Eia *Memento, quod sicut lutum feceris me, & in pulverem redueas me.* Iob. 10.

II. *Noli flere,* q. d. Si scires, quot malis ereptus sit; gratulareris ei: Et cum Salomone, *Eccl.* 4. magis laudares mortuos, quam viuentes. Persæ defunctos triumphali cultu adornabant indutos: quod felices esse censerent, iamq; vicisse.

Mortis memoria est medela salutis.

III. *Tibi dico: Surge*; ex morte peccati, Sed per memoriam mortis; hæc enim vitalis est, ac salutaris. 1. Qualis vituli aureipuluis, quem Moyses contritum dedit eius adoratoribus bibendum: *Exod.* 32. vel in remedium morbi genti idololatriæ. Talis est memoria mortis: itemque vanitatis consideratæ, quæ in rebus est mundi, solitis tantum non adorari. Eam tu contere, ac bibe salutem. Est id poculum τῆς ὑγιείας. 2. Naaman, 4. *Reg.* 4. mundatus à lepra; duo terræ plaustra secum vexit in Syriam: ad reuerentiam terræ, in qua sanatus fuit: & vouit Deo terræ: ne idola rursus adoraret. Vehito in memoriæ plaustro cineres mortis: iuuabit. 3. Expertus Dauid Psalm. 118. *Consideraui vias meas: & conuerti pedes meos in testimonia tua.*

IV. *Et surrexit.* Simile 4. Reg. 13. *Quidam*

sepelientes hominem viderunt latrunculos, & proiecerunt cadauer in sepulchro Elisæi. Quod cum tetigisset ossa Elisæi, reuixit homo; & stetit super pedes suos. Et, tu ô IESV, eripe *de manu canis vnicam meam*, Ps. 21.

DOMINICA XVII. POST TRINITATEM.

Cum intrasset IESVS *in domum cuiusdam principis Pharisæorum sabbato manducare panem: & ipsi obseruabant eum.*

LUC. 14.

ABsalō. 2. *Re.* 13. vt se de fratre Amnone vindicaret; conuiuium parat; in quo vitæ ipsius insidiabatur. Ita grex Pharisaicus IESV hodie.

Noscirca ista

I. De Inuidia adumbrata.
II. De peccato malitiæ in Sabbato.
III. De Pharisæis obseruatoribus Christi.
IV. De aliorum Censore ipsō in primis culpabili.
V. De ingressu Domini in domum.
VI. De hydropico.

PARS I.

De Inuidia adumbrata.

Quid sit. I. INuidia, inquit Alanus li. de complor. naturæ, *quod monstrosius monstrum? Aut quod damnosius damnum? Quæ culpabilior culpa? Quæ pœnalior pœna? Hæc erroneæ cæcitatis abyssus, contentionis stimulus, corruptionis aculeus.* 2. Cypria. sermō. de liuore. *Inuidia est malum iugiter permanens, & sine fine peccatū.*

Qualis. *Hinc vultus minax*, ait alibi: *Pallor in facie, in labiis tremor, stupor in dentibus: verba rabida: effrenata conuitia: manus ad cædem prompta:*

Vnde sit. *et si gladio vacua, odio tamen furiatæ mentis armata.* 3. Augustin. serm. de verb. Dom. *Inuidia est filia superbiæ: suffocata matrem: & nō erit filia. est odium alienæ felicitatis respectu superiorum, quia eis non æquatur: inferiorum respectu, ne sibi æquentur: respectu parium, quia sibi æquantur.* 4. Idem li. de Doct. Christiana. *Est vitium, quo solo diabolus reus est, & inexpiabiliter.*

Effectus 1. ius. II. S. Chrysostomus. *Pestiferum malum inuidia! Hominem in dæmonem immitissimū conuertit. Ea suadente mors intrauit; occisus Abel: Dauid persecutionem passus;* CHRISTVS *in crucem actus est.*

1. Satanascere.

2. Putrefactio. 2. Prou. 14. *Vita carnium, sanitas cordis, putredo ossium Inuidia.*

3. Animas exanimans. 1. Viperæ natalem suum matricidio cruentant; Inuidia animam perrumpit, & necat. 2. Vnde Ambros. li. de fuga sæculi. *Fuge inuidiam, quæ non alios solum: sed magis eum, quem possederit, lacerare consueuit.*

3. Hier. Epist. ad Demetr. *Quid inuido delectationis præstat inuidia? Quam secretis quibusdam conscientiæ angulis liuor ipse discerpit: & alienam felicitatem tormentum facit.* 4. Ideo Basil. sermon. de Inuidia; *Vt rubigo ferrum: sic inuidia, quam inficit animam, consumit.*

4. Rabiat. III. Vt tigrides, ait *Plut. in Moral.* audito tympano efferascunt; Tigride ferocius inuidi ad laudes alienas ferociunt, ac rabiunt. 2. Iustus *Lucerna ardens, ac lucens*: iniustus est extincta lucerna fœtens, Vt autem cœcutiens Heli, 1. *Re.* 3. ardentem videre lampadem non quiuit, ita nec inuidi iustum, sed delectantur sui similibus fœdum fumantibus.

5. Lucem non capere.

6. Torreti laude proximi. 3. Similes Phœnici, quæ odoratissima colligit ad nidum ligna, sed quib. incēsis ipsa concremetur, ita inuidi alienis laudibus torrentur, & torquentur. Alieno malo viuit inuidia, moritur alieno bono.

7. Sectari stercora. 4. Vt milui putescentia odorantur cadauera, locaque memphitica: at purum fugiunt aerem. Vtque muscæ sanioſa corpora appetunt; fugiunt sana. Sic inuidi. Ista fere S. Basilius. Chrysost. in hom. *Inuidi aduersa aliorum fortuna, vt Scarabæi*

alieno

alieno stercore nutriuntur. Scarabæi erant Pharisæi.

PARS II.

De peccato malitiæ in Sabbato.

Causa taciti nominis Pharisæi.

I. *Sabbatho manducare.* Ex composito die Stali; ac præsente hydropico, inuitatur. Atque ideo inuitator indignus, cuius nomen exprimatur: quia ex certa malitia peccare adornabat, Iesumque calumniari. Et Simon, hospes Domini, interprandendum peccabat, at fortuito. Nec enim quærebat capere Iesum.

Est Peccatũ malitiæ.

1. Deo exosum maxime.

2. Punitum seuerissime

Adeo Deus odit ex malitia peccantes, vt dicat Psal. 15. *Nec memor ero nominum eorum per labia mea.* 1. An ideo forte Adam ac Euam Deus acriter increpuit, serpentem vero vixdum verbo: quod hic exquæsito; ex occasione illi peccassent? 2. An ideo forte Sacrificia constituit propitiantia pro peccatis, ex ignorantia, vel casu alio commissis: nullum vero pro admissis ex dedita opera?

1. Diluuio.

2. Subiecti-one & confusione.

3. Hæc enim sunt peccata in Spiritum S. His vltima perditio diluuialis debetur. Nam Gen. 6. *Videns Deus, quod multa malitia hominum esset in terra.* 4. Fratres quoque Iosephi in hunc peccarant ex malitia: Ideo sic orant, Gen. 50. *Obsecro, vt obliuiscaris sceleris fratrum tuorum, & peccati, atque Malitiæ, quam exercuerunt in te.* Scelus, crimen enormius est. 5. Tale erat Amani scelus. *Esth.* 8. Cuius causa Esther *procidit de illis, vt de peccato malitiæ, ad pedes Regis, & locuta ad eum, vt malitiam Aman Agagitæ, & machinationes eius pessimas, quas excogitauerat contra Iudæos, iuberet irritas fore.* 6. Et Deus, teste Dauid, in extremo iudicio singulariter inquiret in peccata malitiæ. Maxime si & *ostium abundauit malitia; & lingua tua concinnauit dolos.*

3. Morte turpi.

4. Iudicio extr.

In Dominica facta.

II. *Sabbatho manducare.* Sabbathi magna religio: Sed nobis migrauit in Dominicã; ob Resurrectionis Dominicæ memoriam. Et quod hoc die cõditi sint Angeli; Israel exiit de Aegypto, vt Osorius ait: Deus legem dedit, Dedit primũ manna: Iesus natus, Circumcisus; Dedit Paracletum. En, quot causæ, tot mysteria.

In ea deuotio geminãda est.

1. Voluit, *Numer.* 28. DEVS offerri indies vnum: *die autem Sabbati offeretis duos agnos anniculos immaculatos.* Vt & nos in Dominica nostram duplicaremus deuotionem. 2. Vnde S. Gregor. lib. 1. Epist. 3. *Dominica die à labore terreno cessandum est; atque omni modo orationibus insistendum: Vt, si quid negligentius per sex dies agitur; precibus expietur.* 3. Atita agitur, vt cum Ieremia iure plores, Thren. 1. *Viderunt eam hostes, & deriserunt Sabbata eius.* Adeo festa profanantur: Idque si solum cessando; & non etiam peccando grauius, quam alias. Et hoc, quam istud hodie peruagatius est.

Obseruata exempla.

Quid illis fiet? 1. Certe *Num.* 15. miserlus ligna pauxilla colligebat Sabbatho; lapidabatur. 2. Iudæi, Sabbatho ad pugnã lacessiti, 1. *Mach.* 2. se mactari sinunt potius, quam arma capiant. 3. Baptista Fulg. refert, in Iudæa fontem reperiri, qui cõtinuo fluat, præterquam Sabbatho. Vnde Sabbathum dictus est. 4. Veteres Rabini tradunt, etiam dæmones obsessorum corpora Sabbatho deseruisse.

PARS III.

De Pharisæis obseruatoribus CHRISTI.

1. ET *ipsi obseruabant eum.* Vere S. Ber. *Habuit in factis obseruatores: in verbis contradictores, & in tormentis illusores:* Adeo omnis Iesu vita *fasciculus myrrhæ* fuit, *Cant.* 1. ob odium malignantium in eum.

Veritas odium.

Cuius causa? 1. Quod eorum is argueret hypocrisin. Iuxta Isa. 28. *Clama ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo scelera eorũ.* 2. Hoc non agebant ipsi, ne excciderent gratia populi. Ideo Isa.

Canes muti.

56. *Speculatores cæci omnes, canes muti, non valentes latrare.* 3. At vero Iesu. Pſ. 38. *Annunciaui iuſtitiam tuam in Eccleſia magna; ecce labia mea non prohibebo, Domine tu ſciſti.* Patet hodie in conuiuio.

Inſidiatores. *At illi obſeruabant*, hinc inſtruentes mel epularum, inde fel inſidiarum. 1. Similes Samſonis Leoni, *Iud.* 14. cuius in faucibus mel, in viſceribus putor; in corpore toto mors. Nam Pſ. 17. *Loquebantur pacem cum proximo ſuo, mala autem in cordibus eorũ.*

Maledicti. 2. Maledixit eos Habac. 2. *Væ, qui potum dat amico ſuo, mittens fel ſuum, & inebrians: vt aſpiciat nuditatem eius.*

Sunt peccatores. Ita ingenium eſt peccatoris. Pſalm. 38. *Obſeruabit peccator iuſtum, & ſtridebit ſuper eum dentibus ſuis.* Et mox: *Conſiderat peccator iuſtum, & quærit mortificare eum.*

Et de hoc queraturne iuſtus; an magis glorietur, dicens, Pſ. 55. *Tota die verba mea execrabantur: aduerſum me omnes cogitationes eorum in malum.*

At ſibi nequam. Sed nocetis ipſi vobis inſidiatores. 1. Vt manus emunctrices candelæ, hanc lucidiorem reddunt; at vrunt ſe, ac fœdant. 2. Item vos eſſe peruerſos docetis. Vt qui viſam in cæna Crucifixi imaginẽ, non leuaret, non mundaret, imo etiam digito monſtratam exploderet. At Chriſtum induerunt omnes Chriſtiani; quos explorandos obſeruatis: hocque malitiam propriam declaratis.

Iuſto ſunt gloria. Laborum Herculis primus fuit, hydræ multicipitis in Lerna ſuperatio. Iuſtus, eſt *hercules: hydra*, inuidia: & hæc ſerpens eſt: *Venenum aſpidum ſub labiis eorum.* Multiceps eſt; multorum, & in multis fortunis, fama, honore, vita, &c. In *Lerna* eſt cœnoſa, paludoſaque vitiorum. Sed *victa* nomen Herculi iuſto parit ſempiternum.

Nec magna animo nocent. Tinea, veſtium ac lignorum peſtis, nũquam cedros odoras rodit: Nec ad animas ſe penetrat inuidia, licet exteriora iuſti arrodat. *Paruulum occidit*: Iob. 5. Magnę Animæ ſunt illius contemtrices.

PARS IV.

De aliorum cenſore, ipſo culpabili.

1. Eſt rara. 1. SEd quid eſt, quod, qui inquinatiſſimi, ſint in aliorum defectus ſagaciſſimi? 1. Cum, vt Salluſtius monet, *Carere debet omni vitio, qui in alterum paratus eſt dicere.* 2. Ideo & Dominus iuſſit; *Exod.* 25. in templo emunctoria eſſe aurea, itemque lucernas. *Aurei* ſint charitate, qui arguant alios pro æquitate.

Alioquin erunt ſimiles illi, de quo Apoc. 18. *Vidi de ore draconis, & de ore beſtiæ, & de ore pſeudoprophetæ exire ſpiritus tres immũdos, in modum ranarum.* Harum oculi rubent ſanguine, non vero; quo carẽt, promuli glocientes: Sunt ranæ amphibia, quæ terra & aqua viuunt: in cœno coaxant, noctu maxime, obmuteſcunt hominem aduertentes adire: iniecto lapide ſe condunt mutæ. Talia ſunt & detractorum; vt alibi explicatum.

Non vult corrigi. Fuge. Non ſic viri boni. Sed horum labia, vt Sponſi in Cant. *Labia tua, ſicut lilia, ſtillantia myrrham primam.* id eſt, dulcem præ cæteris, ſed & amaram: At quæ corruptionem prohibeat. Ita ſunt verba iuſti, arguunt, per oleum & vinum; ac ſanant, ſeruantque à morte. Momo occinas licet illud *Martialis l. 1. Epig.*

2. Eſt Momus.

Cur maculas alios, maculoſior omnibus,
Albi:
Et carpi dignus carpere non metuis?

Non vir bonus. Nã, vt Aug. l. de ſerm. Dom. in monte. *Accuſare vitia officium eſt bonorum. Sin' Non debet aliorũ vitia corrigere*, ait Iſid. 1. de ſum. bono. *qui eſt vitiis ſubiectus.*

3. Eſt plus Ethnica. 1. Quo indignius erat, Petri manus in vinculis attineri, quarum erat, à vinculis animas ſoluere. 2. Sed vinxerat Ethnicus. Tu autem Chriſtianus per linguam, culpæ aſtringis Sacerdotem detractor;

à quo

à quo te solui oportuit. Eo deterior es Ethnico.

Peior Oza. 2. Deterior Oza, 2. *Reg.* 6. Qui arcam videbat cadentem, sed non videbat, rem se committere indecentẽ, quod re vxoria pollutus Arcam auderet contingere. Ideo & morte luit subita. Time Deum, reuerere Sacerdotem, etsi peccatorem.

Peior Iudæis idololatris. 3. Cape exemplum; quam oderit Deus etiam vindices peccati, de quo rei sunt ipsi vindices. Rex Moab Hebræos diu atriuerat. Itaque tres Reges Iudæ, Israelis, & Edom iuncti vnum oppugnant, obsident, ad incitas adigunt. Vt Rex Moab in muris ante oculos Hebræorum sacrificaret suum primogenitum, 4. *Reg.* 13. Vel ipsis placandis, vt obsidionem soluerent; Vti Caietano placet: Vel Numini propitiando, quod Iudæis fauisse audierat, fauereque eo, quod Abraham primogenitum ipsi obtulisset. Placuit Iudæis, eo redactum esse angustiarum hostem. Sed ecce Deus in eos pestem immittit diristimã: vt cogerentur re infecta abscedere obsidione. Causa. Quia ipsi iam ante isti fuerant idololatriæ dediti, in qua Psalm. 105. *Sacrificauerunt filios suos, & filias suas dæmoniis:* Cuius iam erant vindices indigni: ac proinde vindictæ obnoxij eidem. Quam ergo pœnam repetunt: in illam incidunt. Quia culpa priores, & ideo peiores.

PARS V.

De ingressu Domini in domum.

Fœlix domus, hospita Christi. I. CVm introiisset Iesus in domum. Beata domus, quam init Dominus! Non exit sine symbolo dato. 1. Intrarat nuptiale triclinium: *Ioan.* 2. Et aquam vertit in vinum. Domum iniit Zachæi, *Lucæ* 19. Et salus ei facta est. Aedes Matthæi, *Matth.* 9. Et ex fœneratore facit Apostolum. Castellum Bethaniæ, *Ioan.* 11. Et Lazarum suscitat quatriduanum.

Figura. Id præfiguratum 1. in Arca, 2. *Re.* 6. Quæ trimestri in domo Obededom morata, eam benedictionibus implet.

2. Elias, 3. *Reg.* 17. & Elisæus. 4. *Regum* 4. vix subierant viduarum casas, cum ecce lecythi redundant oleo, farinulæ crescunt, filius reuiuiscit. Fœlix ter & amplius, cuius animam successerit Iesus!

Simile. 3. Aristotel. lib. de cœlo ait: *Accessus, & recessus solis est causa generationis, & corruptionis in his inferioribus.* At Sol Iesus est. O quas salutes generat accessus Iesu? 4. Testis domus vel Pharisaica hæc.

Fidenter adeundus Iesus. II. *Ecce homo hydropicus,* supercilij nil me tuens Pharisaici, domum eius subit, desiderio sanitatis indipiscendæ. Adinstar Magdalenæ alias.

Ambo docent, quærendum esse Dominum, vbi fuerit; etsi in domo Pharisæi, in turba, in deserto, in monte, in mensa, in strato nauiculæ, &c. Fidite, & Psal. 35. *accedite ad eum, & illuminamini, & facies vestræ non confundentur.*

Imbiis nil sanctum. Sed viris nequam nil sacrum: vel *mensam hospitalem* conscelerant. Quin, hanc vertunt in arcam escæ aucupalis. 1. Quid hic aliud Pharisæi? *Principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius,* Psalm. 62. 2. Ita, 1. *Mach.* 16. Ptolomæus Simonem S. Pontificem cum filiis duobus conuiuio tractat; & obtruncat. 3. Ita Absolon fratrem Amnonem 2. *Reg.* 13. 4. Anne verum in istis Iesu obseruatoribus istud: Ierem. 6. *A Propheta vsque ad Sacerdotem omnes faciunt dolum.* Ast, *Væ duplici corde!* Eccles. 2.

Bene semper agendũ III. Atqui docet nos Dominus, semper, & vbique locum esse faciendi bene; sed volenti opera misericordiæ colere, etiam vel in die festo. Vti Tob. 2. *Cum esset dies festus Domini, & factum esset prandium in domo Tobiæ, dixit filio suo: Vade, & adduc aliquos de tribu nostra timentes Deum, & epulentur nobiscum.* Nota com mensales pios,

esse

esse contribules. At hodie, heu quot mēsæ sunt Balthasariæ, ad quas plures adhibentur concubinæ? *Dan.* 5.

De Epikia. Idem docet nos Dominus τὸν ἐπιεικειαν Legis; præcepta scilicet obseruanda esse, prout Charitas dictat, & necessitas. Vnde Mosesin deserto non circumcidit Iudæos; Dauid, etsi non sacerdos esset, Panes tamen Propositionis comedit. Iesus Sabbato sanitates procurauit. Ita subinde licet baptizare & fœminæ, carnibus vesci vel in maiore hebdomada; præliari vel in dominica, armis defensiuis. Nec enim necessitas habet legem.

PARS VI.

De Hydropico.

Hydropici sunt. I. ECce *hydropicus.* Cuius similes turgidi fastu, exhaustis immodice aquis mundanarum, opum, honorum, voluptatum pereuntium, instar aquæ fluentis. Heu! quam multis hæ dulces videntur aquæ! Et quam pauci his potis se credunt hydropicos? Quin etiam

1. Fastuosi.

Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ. Neque tamen omnibus potantur aquæ putiscentes meræ, id est, fastidiosæ voluptates ac fœdæ ad nauseam vsque; sed vina quoq; hydropisin causantia, haudque paulo deteriorem oinopisin illa hydroposi. At quæ vina ista? Non opes, non luxurias ipsas; sed harum inquam voluptates quæsitas in illis, & spectatas solas.

2. Voluptuarii.

1. Ita non peccat, cui opes affluunt: sed qui cor apponit. Non qui conuiuatur, sed qui se vel ingurgitat, vel deliciatur.

2. Huc spectat istud Prou. 13. *Ne intuearis vinum, cum splenduerit in vitro color eius, subito enim mordebit, vt coluber, & vt regulus venena diffundet.* Ecce, non vinum ipsum; sed cupediæ vini vetantur. Hæ faciunt esse *fel draconum, vinum; & venenum aspidū insanabile.* Deut. 32. 3. Quale erat, quod Hannibal in castris suis pararat, mistum succo mandragoræ. Hæc autem lethargum inducit. Simulabat igitur fugam Hannibal; hostis in castra irruit, potat, sopitur alto sopore; Hannibal reuertit, sopitosque internecione delet. Vt refert *Sext. Iulius lib. 9. capit. 5.* ô vinum Hannibalicum!

II. *Ecce hydropicus.* Cui peccator similis. *3. Peccatores sitiunt peccatum.*

1. Teste Iob. 18. *Tenebitur planta illius laqueo*, peccati, *& ecce exardescet contra eum sitis* plus peccandi. Adeo peccati *abyssus abyssum inuocat.*

2. De his querela Ierem. 2. *Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas*; & ideo siti vexantur ad peccandū: Adeo, vt, *Quo plus peccarunt, hoc plus peccare laborent.* *Deum derelinquentes.*

3. Similes Lysimacho Thraciæ Regi, qui in conflictu æstuans siti, se dedit hosti: proque hausto frigidæ tradidit regnum. Sic qui, *vt aquam, peccatum bibunt,* cœlestis regni proditores fiunt. *Cœlum pro hausta communitates.*

4. Similes Ismaeli; quem Agar ancilla, Gen. 21. *cum consumta esset aqua in vtre, abiecit puerum; ne videret eū præsiti mori.* Multis aquæ baptismalis gratia ante annos consumitur; sed filiis seruæ animæ peccatricis. Digni, qui abiiciantur ad mortē. *Ismaelis reprobi.*

Heu: quanta in mundo sitis est? 1. Tanta nunquam in Samaria; cum triennio toto non pluisset. Quot moriuntur scelerum infami siti? Hos Iesus sitiebat clamans; *Sitio.* 2. Hi sunt montes Gelboe maledictæ ariditatis. 2. Reg. 1. *Super quos nec ros, nec pluuia venit* gratiæ vllius; *Vbi ceciderunt fortes Israel*, ab sceleratis deleti Prophetæ, Apostoli, Martyres; deletæ in animabus propriis infusæ gratiæ; *Neque sunt agri primitiarum*; quia innocentiam primam perdiderunt, volentes perdi. *Mūdi sitis & ariditas.*

III. *Ecce hydropicus.* Cuius Humor libidinem, Tumor superbiam, Sitis auaritiam designat. Hęc tria sunt ostia ad infernum. *Tres partes hydropisis seu vitiorū*

1. Huc

Semper sitientium.

1. Huc alluſit Iſa. 5. *Propterea dilatauit infernus animam ſuam, & os ſuum abſque vllo termino, & deſcendent Fortes eius, & Sublimes, Glorioſique eius ad eum.*

Hæc tria hominum genera ſunt hydropica; ſitiuntque aquam. *Qui biberit ex hac aqua; ſitiet iterum:* ſitiet in æternum Ioann. 4. 2. Talis erat Samaritana hydropica: *Quinque viros habuiſti.* Neque tamen ſatiata: Nam *& quem nunc habes, non eſt tuus.* Neque hic illi explebat libidinẽ: at miſeratus eam IESVS extinxit. 3. Vt de Meſſalina, Claudii Imper. vxore, Iuuenalis ait.

Quæ laſſata viris, nondum ſatiata receſſit.

4. Prou. 3. *Tria ſunt inſaturabilia, & quartum nunquam dicit: Sufficit. Infernus: & os vluæ; & terra, quæ non ſatiatur aquâ. Ignis vero nunquam dicit: Sufficit.* Ignis ambitionem ſuperbiæ, terra auaritiam, vulua luxuriam notat: tria autem vnam hydropiſin; quæ nullo humore ſatiatur infuſo. Ambitio; quia, Eccl. 14. *Inſatiabilis oculus cupidi.* Et Prou. 13. *Venter impiorum* ſuperborum *inſatiabilis.* Alex. Magnus orbem ſubegerat, & tamen

Vnus Pellæo iuueni non ſufficit orbis.

Auditoque Anaxagora docẽte, plures eſſe mundos, fleuit, ſe nec dum eos viciſſe. *Val. Max. l. 8. c.* 14. Auaritia item inſatiata eſt; quam Diogenes olim hydropiſin eſſe definiuit. Et tales mundus propinat aquas ſiticuloſas; quas quantum bibis, tantum ſitis.

Sitis & aqua cœleſtis.

Aliæ ſunt aquæ cœli. 1. *Qui biberit ex hac aqua, quam Ego dabo; non ſitiet in æternũ: ſed fiet in eo fons aquæ vitæ.* Ioan. 4. 2. Quare Ioan. 7. *Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat; & flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* 3. Per Iſaiam vocat cap. 51. *Omnes ſitientes venite ad aquas.* Nam Iſai. 44. *Effundam aquam ſuper ſitientem, & fluentes ſuper aridã.* 4. Apocal. 21. *Ego ſitienti dabo de fonte aquæ viuæ gratis.* Hæ ſitiantur aquæ.

DOMINICA XVIII. POST TRINITATEM.

Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua.
Matthæi 22.

LEuitis, *Leu.* 6. præcepit Deus, perennẽ ignem fouere in ara holocauſti. Nobis Ieſus, in corde & opere charitatem.

Cuius occaſione nos

I. De Charitatis præcellentia.
II. De amore Dei cordiali.
III. De modis, & cauſis amandi Deum.
IV. De dilectione proximi.
V. De modo, & cauſis amandi proximum.

PARS I.

De Charitatis præcellentia.

1. Eſt præcipua in virtutibus.

I. GRatiarum gemma; regina virtutũ eſt *charitas, omnium maior.* 1. Cor. 13. Quale inter metalla eſt aurum, adamas inter gemmas; in corpore caput; à quo omnia in ſenſus, in artus ſingulos fluunt, ad ſuas cuiuſque functiones. Talis inter virtutes charitas, rectrix animæ, eiuſque facultatum. 2. Hinc Theologis eſt ea finis, ac centrum virtutum. Quo alludit Pſal. 118. *Omnis conſummationis vidi finem: Quis hic? Latum mandatum tuum nimis,* Charitatis, omnia ſinu cõplectentis ſuo.

Vnde 1. Cor. 13. *Finis præcepti eſt charitas.*

2. In Ieſu.

Eſt ea vel in Ieſu virtus princeps. Cant. 3. *Ferculum* omnis perfectionis *fecit ſibi Rex Salomon*, Ieſus *de lignis Libani*, donis Spiritus ſancti; *columnas eius fecit argenteas* Fidei; *reclinatorium aureum* Spei, *aſcenſum purpureum* paſſionis ac mortis *media caritate conſtrauit*: quam eximie ſanguinis effuſione demonſtrauit.

3. Eſt aurũ.

II. Auro ea confertur. 1. Apoc. 3. *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum probatum,*

vt locuples fias. Ecce Iesus est hic mẽsarius: qui quam morte meruit, nobis offert in fœnus. 2. Hanc qui habet, prædiues est: Nullus est, ea cui abest. 1. *Corinth.* 13. *Si fidem habuero; ita vt montes transferam; charitatem non habuero; nihil sum.* 3. Hanc respexit Salomon, 3. *Regum* 6. & 2. *Paralip.* 3. quando templum, & clauos etiam inaurauit.

4. Est ignis. Confertur Igni, in elementis præcipuo, Charitas in virtutibus præcellens.

1. Ezech. 1. *Sume tibi ignem de medio rotarum* duarum Noui & Veteris Testamenti, *in* cuius *meditatione exardescet* tibi *ignis.* Erat autem Nouum Test. implicite in Vetere: ideo *rotis rotæ erant implicitæ*: vt visebantur Ezechieli. 2. Moses de Deo scribit, Deuteronom. 33. *In dextera eius ignea lex*: id est: in Iesu, qui dextera Patris, ardet charitas. 3. Ideo, Luc. 12. *Ignem veni mittere in terram.* Qui vt vsque sublime petit; ita charitas cœlestia quærit.

5. Est vestis nuptialis. III. Vestis *charitas* quæ *operit multitudinem peccatorum.* 1. Est pallium Eliæ, 3. *Reg.* 19 Quo ille simul ac repertum in agro arantẽ Elisęũ cooperuit; & mox duob. hic bobus mactatis, sequutus Eliam est. Ita Iesus arantes in terrenis negotiis, aut vitiis, tegit sua charitate, trahitque ad Religionem: vt dicant Gal. 2. *Viuo ego, iam non ego; viuit vero in me Christus*: quem indui,

Heu; quot habitum sumunt Religionis; sed non charitatis? His dicet Iesus: Matth. 22. *Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?*

2. Hæc est tunica inconsutilis Iesu: cuius etsi S. corpus, vt saccus, scissum sit, nõ tamen illa. Vnde Aug. 19. c. Ioann. *Tunicam hominis iam iudicati, & in cruce pendentis carnifices non sunt ausi concidere; & tu vis charitatem Dei: imo charitatem, quæ Deus est, scindere?*

6. Est zona Iesu. Zona aurea Iesu, est charitas; qua *Apoc.* 1. cingitur ad mammillas Misericordiæ & Iustitiæ, ad regendum omnia suauiter, & fortiter. Vnde Psalm. 92. *Dominus regnauit, decorem indutus est* misericordiæ; *indutus est Dominus fortitudinem* iustitiæ, *& præcinxit se* charitate: Quippe *quæ est vinculum perfectionis*, Col. 3. Eam significabant catenulæ aureæ, *Exod.* 28. in Rationali animæ, duobus nexæ annulis duorum maximorum præceptorum. Vt autem catenæ ex pluribus constant annulis; ita charitas virtutibus cæteris. Nam 1. Corinth. 13. *Patiens est, benigna est, &c.*

PARS II.

De Amore Dei cordiali.

Amor Concupiscentiæ. I. AMor duplex est: Amicitiæ, quo amamus alterum propter seipsum: Concupiscentiæ, quo amamus alium propter emolumentum ex ipso. Ille huic præstat. Vtroque summe diligendus est Deus.

Concupiscibili. 1. Quia Prou. 3. *Omnia quæ desiderantur, huic non valent comparari.*

2. Hinc Mosi ait, Exod. 33. *Ostendam tibi omne bonum.* 3. Exclamat S. Anselmus: *Cur ergo per multa vagaris ô homuncio, quærẽs bona animæ & corporis? Ama vnum bonum, quod est omne bonum, & satis est.*

Et Amicitia diligendus est Deus. 2. *Item amore amicitiæ* amandus Deus est, quia Deus est. 1. Psalm. 68. *Quid est mihi in cœlo; & à Te quid volui super terram Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternũ?*

2. Iussit Deus, *Exod.* 30. sibi suffitus genus parari soli, & *Talem compositionem non facietis in vsus vestros; quia sanctum est Domino. Homo, quicunque fecerit simile, vt odore illius perfruatur; peribit de populis suis.* Simile iussit de diligendo se propter se. 3. Filii Aaronis Nadab, & Abiu, quod alieno igne thurificassent, morte luerunt. *Leu.* 10. Non vult amore profano diligi Deus: sed amore qui sit omnia super. 4. Hinc D. Thom. in Opusc. de Amore Dei, ait. *Dei proprium est, vt sit centrum totius amoris.*

Est

Est enim summum bonum, cui proinde debetur omnis amor. 5. Rege Babylonis omnia vastante Ierosolymis, Sacerdotes solum Ignem Sacrum occultarunt. 2. *Mach.* 1. cū & alia perinde potuissent. Ita amori Dei omnia posthabenda. Sitque fixum hoc Rom. 8. *Quis nos separabit à charitate Dei?*

Ex toto, nō partim.

II. *Dilige ex toto.* 1. Quia Oseæ 10. *Diuisum est cor eorum: nunc interibunt.* 2. Elias Israelitis: 3. Reg. 18. *Vsquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus; sequimini eum. si autem Baal; sequimini eum.*

Cor offerēdum Deo.

3. *Phil. Dietz in hac Dom.* tale quid refert Eremita quidam cum diu impense Deū orasset; vt, quæ ipsi forent gratissima, sibi reuelaret: facturum sese, cum Deo. Demum Tentator adest, Angelum mētitus lucis: Tria sunt, inquit, quæ si obtuleris Deo; certam te iubeo sperare salutem. Sunt autem, Luna noua, Solis rotūditas. Rotæ pars quarta. Dixit, & euanuit. Ille ista sibi ratus impossibilia, oraculum interpretatur ad sui reprobationem. Iāque propius erat nihil, quam vt desperaret; cum ecce miseratus hominem Deus, per Phylacangelum ei resoluit ænigma. Luna, ait, est C: Solis rotunditas est O: pars rotæ est R: Ergo COR offer Deo & satis est. Quo dicto, sublimis abiit. Idem ænigma Poeta sic complexus est.

Dimidium sphæræ; C. Sphæram, O, cum
Principe Roma.
Postulat à nobis totius Condit O Rorbis.
Alius ita.
Tolle caput Cerui; caput Ouis; viscera
ce Rui:
Offerto ista Deo: Deinde beatus eris.

Itanimirum Prouerb. 23. *Fili, præbe mihi* COR *tuum.*

Et Totum, cætera partim.

Cor reposcit totum solus: ad cætera vel dimidiata acquiescit. Hinc Luc. 11. *Quod superest, date elemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis,* 1. Luc. 19. *Dimidium bonorum meorū do pauperibus.* Et sat erat Domino. 2. Satilli, *Ioann.* 6. colligi fragmenta, & dari pauperibus. 3. Satilli decima pars frugum. 4. Sat Dominica, dierum hebdomadæ data vna. At Cor vult totum.

Charitatis excessus bonus. Ponderum de-

III. *Virtus omnis in medio consistit,* ait Arist. in Eth. *vitia in extremis.* Solus autem amor Dei in excessu perficitur.

Sed Angelus ad Esdram, 4. Esd. 4. *Vade ponderā mihi pondus ignis.* Id est, Charitatis, quantum id in te prępondere rerum pereuntium amori. Hunc miratur Spōsus in Sponsa, Cant. 4. *Quam pulchræ sunt mammæ soror mea sponsa? &c.* Alii legunt. *Quam pulchri sunt amores tui?*

Robur quantum. Simile.

Idem Cant. 8. *Fortis, vt mors dilectio; dura, sicut infernus æmulatio:* Id est, Tanta est tua mei dilectio, vt morti & inferno par sit.

1. Vt mors hominem ad læta, tristia, desideriaque reddit insensibilem: Vtque infernus est inexorabilis, ad vllum dimittendum. Ita charitas cor ab omnibus abstrahit; astringit Deo, nec auelli sinit.

2. Roman. 3. *Quis nos separabit à Charitate Christi, Tribulatio, angustia, an fames, an nuditas, &c. Certus sum, quia neque mors, neq; vita.* Exclamat S. Chrysost. *O Paule, cœlicius, ecclesiarum columna, Angelus terrestris, homo cœlestis!*

PARS III.

De modis, & causis amandi Deum.

Dilectionis 1. modus.

I. Diliges Dominum Deum tuum, *ex &c.* Id est, 1. vt S. Grego. *super omnia.* 2. Vel, vt Hugo Cardin. in 4. cap. Luc. Quia Creator est; Tutor; Redemptor; Glorificator est. 3. Vel, vt Greg. Nyss. *ex toto corde,* id est, *ex potentia vegetatiua,* quæ in corde. *Ex tota anima,* id est, *potentia sensitiua,* quæ in anima est: *Ex tota mente:* id est, *potentia rationali,* quæ in mente residet. Vt, quod viuimus, sentimus, intelligimus; id omne amori Dei consecremus.

4. Vel, vt Alex. ab Hales in 3. dist. 27.

Ex corde: id est, super omnia temporalia: contra auaritiæ appetitum, qui ex corde existit. *Ex anima*, id est, super omnia creata: contra concupiscentiam delectabilium. *Ex tota mente*: id est, super omnes honores: contra inanem gloriam.

2. *Aequitas.* Et vero æquissimum mandatum est. 1. Nam 1. Cor. 9. *Quis plantauit vineam, & de fructu eius non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat?* At Deus omnem amandi potentiam in anima plãtat, ergo. 2. Ideo *Exod.* 23. &c. iussit: *Primitias frugum terræ tuæ deferes in domum Domini Dei tui.* At cordis primitiæ sunt desideria, affectus, amor: ergo.

3. *Proprietas.* Sed scito, quid amori vero proprium sit quarto modo: Nimirum Prou. 7. *Omni tempore diligit, qui amicus est.*

Causa, quia 1. *Deus est Totum.* II. Iam cur sit diligendus Deus? *Primo* Deus est nostrum *Totum & Omne*; sed pars naturaliter diligit suum totum. Ideo manus se obiicit ictui pro capite. Nedetur vacuum in Vniuerso, ignis aliquando cõtra naturam descendit; terra eleuatur, & aqua; aer turbatur ac tonat.

2. *Amor est Rex affectuum.* *Secundo.* Quia amor est quasi ens omnium affectuum; vt, quo is vergit, totus sequatur homo. Est vt primum Mobile, quod omnes rapit orbes. Est Spiritus, *Ezech.* 1. qui rotas animi impellit: Vnde August. *Amor meus pondus meum: illo feror, quocunque feror.*

3. *Deus est infinitus.* *Tertio.* Quia Mundus Mathematicis est merum Punctum; Philosophis pene Nihil, respectu Dei: nam *finiti ad infinitum nulla* comparatio. Sapienti est *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas*: At Deus est æternum Esse, & Bonum infinitum, & mera realitas: ergo Psalm. 41. *Filij hominum vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium.*

4. *Omnia amãt Deũ.* *Quarto.* Quia quod in rerum natura est, Deum id semper amat, & suo modo adorat. Vt Angeli, cœli, sidera, *in ordinatione tua perseuerant* Deus *Psalm.* 118. Sic elementa, animantia, plantæ; Ergo & homo vel maxime tenetur.

5. *Homo est creatura vniuersalis.* *Quinto.* Cum Rex creaturarum sit homo, & quædam vniuersalis creatura; illo amante, etiam cęteræ amabunt: non amante Deum ipso, cęteras etiam abstrahet ad peccatum suum, & vertet in DEI iniuriam. Et omnia alia DEVM diligent: Principium autem omnium homo non diligeret? Hoc vero esset absurdum totius Vniuersi generale.

6. *Deus est centrum.* *Sexto.* Omnia naturaliter petunt suum centrum; & extra id detinentur non nisi violenter: in eo autem quiescunt: Sed Deus est animæ, & amoris humani ac diuini centrum. Vnde nullus amor, aut affectus noster põt in vllis terrenis quiescere: semper enim in statu violento est. Ergo. Hinc Augustinus li. Confess. *Fecisti nos Domine ad Te: & inquietum est cor nostrum, donec perueniamus ad Te.*

7. *Deus & amor infiniti sunt.* *Septimo.* Si qua silua & ignis, ambo infinita, forent coniuncta; semper flagrarent: At Deus, & amor sunt infiniti: ergo. Hinc Augustinus in Soliloq. c. 28. *O ignis, qui semper ardes, & nunquam extingueris: O amor, qui semper eris, & nunquam tepescis: Accende me, & accendar. Accendar, inquam, vt totum diligam Te solum. Minus enim Te amat, Qui Tecum aliquid Amat.*

8. *Amor efficit diuinos.* *Octauo.* Virtutes morales hominem reddunt prudentem, iustum, temperantem, fortem: Sed tales & Ethnici fuerũt. At verus amor diuinus diuinos, ac quasi semideos efficit. Ioann. 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet: & Deus in eo.* Et 1. Corinth. 9. *Qui adhæret Deo, vnus spiritus est.* August. *Si terram diligis: terra es. Si cœlum diligis, cœlum es. Nonne dixi: Si Deum diligis, Deus es?* S. Dionysius ait: *Anima speculum est, si cœlo obuertas, stellas repræsẽtat: si terræ, lapides & spinas exhibebit.* Quare *Diliges Dominum Deum tuum, &c.*

Simile fictum.

Sed

Signum dilectionis.

Sed vnde cognoſces, te diligere? Deũ *Exod.* 19. in montem deſcendiſſe in igne; fumus indicabat. Si tui fument affectus & appetitus, atque exhalantes quaſi in te exareſcant ac rareſcant, indicium eſt, Deum per charitatem in te habitare. Itẽ expulſu incitatiore febrim grauiorem, leniorem ex remiſsiore diiudicas: ita de charitate æſtimato ex affectu, & conatu tuo ad diuina incumbente.

PARS IV.

De amore proximi.

Amor proximi eſt.

I. *Dilige proximum tuum.* 1. In mundo

1. Luna.

luminaria duo; in microcoſmo amores ſunt Duo, Dei, & proximi. Hi præ-

2. Polus antarct.

lucent ad omnia. Ab his omnis fortuna, ſaluſque hominis dependet. 2. Aſtronomis duo docentur poli, Arcticus, & Antarcticus: alterum qui ſuſtulerit; orbem diſſoluerit. Chriſtianis duo ſunt amores, *In quibus tota lex pendet & prophetæ.*

3. Altera ala.

3. Animalia *Ezech.* 1. alas habebant, ad cœli volatum; & pedes ad greſſum in terra, Homo alas amoris diuini; pedes, proximi. Vnde Iſa. 40. *Aſſument pennas ſicut aquilæ: & volabunt.*

4. Diplois. 5. Spiritus Dei.

4. Prou. 13. *Domeſtici eius veſtiti ſunt duplicibus.* At domeſtici Dei ſunt Iuſti. 5. Eliſeus Eliæ, 4. Reg. 1. *Fiat in me duplex ſpiritus tuus.* Ita quilibet iuſtus orare Deum tenetur pro amore gemino.

6. Minutũ magnum.

6. Viduam dilaudat Ieſus, *Luc.* 21. quæ duo minuta obtulerat. Ea ſunt geminatus amor animæ impenſus in Eccleſiæ

7. Oleum.

communionem. 7. *Luc.* 10. Pius Samaritanus oleum & vinum conferebat ſecum, ad curandum ſeminecem: Chriſtianus miſericordiam in proximum ex amore Dei probet neceſſe eſt, ac præſtet.

8. Diſcipulus Domini.

8. Luc. 10. *Miſit illos bonos ante faciem ſuã.* Vbi S. Greg. *Quia duo ſunt præcepta charitatis: Dei videlicet amor, & proximi.*

Apophthegmata.

II. Amor proximi eſt naturalis toti humanæ naturæ, etiam barbariſſimarũ gẽtium. 1. Vnde Nero etſi ſæuiſſimus, catalogo adiudicatorum ad mortem ſubſcripturus ait, *Vellem neſcire literas.* 2. Seruus Pollionis cryſtallinum forte fregit; addicitur murænis obiciendus; ſupplicat eius amico Cæſari. Hic ſeruum donat pileo libertatis, Pollioni deſtruit viuaria, diffringit omnia vitra. Sic *Io. Bapt. Fulg. l. 5. c. 5.*

1. Clementia.

2. Miſericordia.

3. Alexand. Magnus matri quendam ad necem poſcenti ait: *Aliam, mater à me poſtula mercedem: Vita enim hominis nullo beneficio compenſatur.* Plut. in Apopht.

3. Iuſtitia.

4. M. Antonius coniuratis in caput ſuũ proditis condonans coram Senatu teſtatur: *Malo ab inferis excitare mortuos: quam viuos dare inferis,* 5. Scipio Africanus ait: *Malo vnum ſeruare ciuem, quam hoſtes mille perdere.* 6. Cæſar Aug. viſo, quod legati geſtarent melitæos; quærebat: Suntne in Græcia pueri? q. d. Homines amandi ſic, non catelli.

4. Remiſſa iniuria.

S. Greg. Hom. 38. *Voſeſtis Cortinæ Tabernaculi,* Exod. 26. *qui per fidem in cordibus ſecreta cœleſtia velatis. Sed cortinis coccus bis tinctus debet ineſſe. Coccus ignis ſpeciem habet, Quid vero eſt charitas, niſi ignis? Sed iſta debet eſſe bis tincta: per amorem Dei, & proximi.*

5. Figura.

PARS V.

De modo & cauſis amandi proximum.

Dilige.

I. AT dilige tam in aduerſis; quam ſecundis. 1. Ad reluminatum Tobiam

1. In aduerſis.

venerunt conſobrini, & congratulabantur ei de omnibus, quæ circa illum oſtenderat Deus, & per 7. dies epulantes, omnes cum gaudio magno gauiſi ſunt. Antè ad cæcum veniſſe, nil reperitur. 2. Nec Adam peccator vxorem pari, quo ſeſe, dilexit amore: accuſans ipſam ſe excuſando. *Mulier, quam dediſti, &c. Gen.* 3. S. Bern. negat eum vere vxorem dilexiſſe.

2. Vt teipſũ.

3. *Vt animam tuã.* 3. Aristoteles roganti; *quid vera est amicitia? ait: Est anima vna in duobus corporibus.* Idem S. *Eth. Amicus est alter ego.* 4. Corinthios sic amabat Paulus, vt 2. *Corinth.* 11. testaretur: *Aemulor vos Dei æmulatione,* id est, vti pro Deo, sic & pro vobis mori non fugio. Vere, Cantic. 8. *Fortis, vt mors, dilectio.*

4. *Supra vitam.*

5. Moyses in Sinai audiens de morte sua, nil de se solicitus, orat pro populo. Numer. 27. *Prouideat Dominus hominem, qui sit super multitudinem hanc, qui possit exire, & intrare ante illam. Ne sit populus Domini, sicut oues absque pastore.*

6. Elias ex amoris ingentis commiseratione erga afflictos, ex triennali siccitate, 3. Reg. 28. *ascendit in verticem Carmeli: & pronus in terram posuit faciem suam inter genua sua orans.* Gestus is humilitatis erat. Nam seruis Iudæi caput inter genua, & infra ligabant manus; sicque conglobatos fustigabant. Vnde Iob. 15. *Sicut vir, qui præparatur ad gyrum.* Ita Elias, quasi seruus: *Ecce ego in flagella paratus sum.*

Vt natura in ceruis. 7. Cerui, ait August. *lib.* 83. *q.* 28. flumen tranaturi, cornua alter in alterius dorsũ ponit: primus secandis fluctibus fessus abit ad postremum, eique sua imponens cornua quiescit; sicque deinceps; donec transmiserint vndas. Similiter Gal. 6. *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* Euseb. Emiss. ibi sic commendatur: *Alter alterius commodis studeamus.* Ideo mandatum, Rom. 8. *Fraternitatem caritatis inuicem diligentes.*

Causa 1. ob subiectum. 11. 1. Cor. 13. *Nunc autem manent spes, fides, & charitas, tria hæc. Maior autem horum est charitas.* Causa 1. Quia *Qualia sunt subiecta, talia sunt prædicata,* aiunt Philosophi; sed Voluntas est subiectum charitatis; At ea est maior memoria, in qua spes; maior intellectu, in qua fides: Ergo *omnium maior est charitas.*

2. Finem. 2. Quia *finis est nobilior omnibus quæ sunt ad finem.* 2. Phys. 1. Eth. &c. Sed charitas est finis. cæteræ virtutes sunt ad finem, illam scilicet ipsam: ergo.

3. Deum. 3. Quæ virtus ad Deum accedit propior, ea est & nobilior: *D. Thom. 2. 2. q. 23. a. 6.* Sed charitas est illa: Nam 1. Ioann. 4. *Deus charitas est.* Et Virtutes cæteræ sine hac ne virtutes quidem nominari possunt. *D. Th. 2. 2. q. 23. art. 7.*

4. Obiectum. 4. Forma est, quæ dat esse rei; & est dignior omnium; sed charitas est forma cæterarum, ergo. 1. Vnde August. lib. de Verb. Domini, *Attende, quanta est charitas, quæ si desit, frustra habentur cæteræ, si adsit, habentur omnia.* Ratio. Quia 8. *Phys. Arist. & D. Th. 2. 2. q. 1. art. 1.* In causis essentialibus subalternatis si vna tollatur; cæteræ concidunt, Sin, prima perstet; cæteræ non deficiunt. Ita charitas cæteræque virtutes. Sicut salua radice, succus permeat ad truncum, ramos, folia, flores, fructus. Sin' illa patiatur: & hæc patiuntur.

Quare ad hanc incumbamus: quia

1. August. 10. ciuit. *Est donum Dei, quo nullum est excellentius.* 2. Et August. l. de verbis Domini: *Qui secundum regulam veræ charitatis viuit, non homo, vel Angelus, sed Deus censendus est.* Oratorie Dixit.

DOMINICA XIX. POST TRINITATEM.

Ascendens IESVS *in nauiculam transfretauit.* Matt. 9.

ARca Dei. 2. *Reg.* 8. Cariathiari per triginta millia hominum ducta in domum Obededom, eam locupletauit. IESVS Noui Testamenti Arca è Iudæa in Capharnaitæ domum veniens, eam benedictionibus replet, prædicat in ea, peccata dimittit, sanat.

De hoc nos

I. *Dignitas & vis Fidei quanta sit.*
II. *Quid patriæ, quid cognatis debeamus.*
III. Obla-

III. Oblatus æger quorum nos moneat.
IV. Baiuli, & turba quorum.
V. Qualis Fides profit, & quatenus.
VI. Qualis morbus sit & consanatio.
VII. Qualis remissio, & iustificatio.

PARS I.

Dignitas, & vis fidei immensa est.

SAnctus Chrysostomus super Matth. *Fides Religionis Catholicæ culmen est animæ, ostium vitæ æternæ, & totius veritatis stabile fundamentum.* 2. S. Augustinus l. de Fide ad Petrum; *Fides est omnium bonorum fundamentum, & humanæ salutis initium.*

3. Fides est *thesaurus in agro*, Matth. 13. *quem qui inuenit homo, vendit omnia, & emit agrum illum.*

Figura. Est ea Candelabrũ templi, & omniscia.

4. Est *Candelabrum aureum totum, & lampas & eius super caput ipsius, & septem lucernæ eius super illud, & duæ oliuæ super illud; vna à dexteris lampadis, & vna à sinistris eius.* Hoc fieri Deus præcepit, *Exod.* 25. & Zacharias vidit in templo, *Zach.* 4. Hoc est Fides cum 7. Sacramentis, & charitate gemina. Regina est ea scientiarum, sine qua nil scimus; cum qua omnia scimus. Prou. vlt. *Multæ filiæ congregauerunt sibi diuitias, tu vero supergressa es vniuersas.* Glossa. *Scientia fidei omnes diuitias scientiarum supergreditur.*

Est minutũ vidua.

5. Fides est minutum viduæ, *Luc.* 21. dantis plus omnibus. 1. Quia subiectum habet dignissimum, Deum; Et increatæ veritatis lumine cognoscitur: *D. Th. 2. 2. q. 4. a. 8.* Et scitur S. Spiritus testimonio, qui docet nos omnia. Vt hac vna, stupidissimus quisque doctior cunctis Philosophis. Vnde versus:

Qui Christum benescit, satis est; si cætera nescit. 2. S. Bonauent. *Melius est modicum de Deo scire, quam omnium cœlestium simul & terrestrium notitiam habere.* 3. Bernar. *Nulla maior nobilitas est in mundo; quam Fidei, quæ animam sic nobilem facit, & sublimat, vt etiam dignasit sedere à dextris Virtutis Dei.*

Est quasi omnipotẽs.

II. Fides non solum dignitate, sed & potestate superat. Aquis inambulat cum Petro, ferrum aquis mnare facit in Elisæo, soli imperat in Iosue & Moyse; igné extinguit tribus pueris. *Dan.* 3. Montes transfert, *Matth.* 21. Esto, Iob 4. *Non est potestas super terram, quæ comparetur* dæmoni, *qui factus est, vt nullum timeret*; Marc. vlt. tamen fide pellitur, & Matth. 11. *Cæci vident* Fide, *claudi ambulant, leprosi mundantur.* Et *Videns Iesus Fidem illorum, dixit paralytico; confide fili, remittuntur tibi peccata tua.*

PARS II.

Charitatem patriæ, cognatisque debemus potius.

CApharnaum ciuitas Christi dicitur, quod esset caput Galilææ, & quod in ea educatus esset, vel habitasset. *Matth.* 4. Chrysost. hom. 30. in ca. 9. Matt. *Bethlehem Iesum tulit, Nazareth educauit, sed Capharnaum proprium ipsius habitaculum.*

Quicquid id est, prius patriæ, ac suis se dedit Christus, quam alienis. 1. Hic enim est ordo charitatis. Est & naturę; Nam vt agentia naturalia prius agunt in viciniora, sic & calor charitatis. 2. Hinc Paulus cognatorum perditionem in primis dolet, Rom. 9. *Est continuus dolor cordi meo, optabam anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem.*

3. Sol prius vicina sibi corpora illuminat, dein inferiora.

4. *Dan.* 4. Arbor Nabuchodonosoræa bestiis pastum dabat; non suis; excisaque est. Sic indigni vita, qui in suos, cum possent, non sunt benefici. 5. Matth. 15. *Non est bonum sumere panem filiorũ, & dare canibus.*

6. Vidua Sareptana petenti Eliæ victum, suam filiique excusauit & præteruit inopiam; 3. Reg. 17. *Viuit Dominus, quia*

Quia non habeo panem, nisi quantum pugillus capere potest farinæ in hydria, & paululum olei in lecytho. En colligo duo ligna, vt ingrediar, & faciam illud mihi & filio meo, vt comedamus, & moriamur.

7. Alia vidua, 4. *Reg.* 4. ipsi oleum Elisæo impetrante, prius sua, ac idem vicinorum vasa impleuit. Idem oleo charitatis faciamus, incipientis à se. 8. Abraham illiberis indolet opes suas ad alienos ituras: Gen. 15. *Et ecce vernaculus meus hæres meus erit.* Idcirco Dominus patriam intrauit, & miraculo illustrauit paralytici Capharnaum.

PARS III.

Oblatus æquit sanitatis pretium, & mundi obstaculum bonis.

Sanitas præ opibus est.

1. *Offerebant ei paralyticum.* Insignis charitas! Cum præ multitudine aditus intercluſus esset; non dubitant cum damno proximi in fortunis, ei procurare sanitatem corporis. Bonus is ordo charitatis: hæc enim illis præstat. 1. Ob hanc Naaman 4. *Reg.* 5. aulam & Syriam deserit; dona ingentia parat sanaturo sese Elisæo. 2. Pyrrhus, Rex Epirotarum, nil à Diis petiit aliud, quam *Recte valere*: quo si careret, cætera nil prodesse; imo nec vitam esse vitalem ducebat.

Deo: quod vilius datur.

II. Mundus autem Deo meros paralyticos offert: Defectum habet corporis, aut ingenij? Belle. Salua res; In monasterium intrudatur. 1. Sic & Cain oues morbidas & macras Deo offerebat. 2. Sic Chodorlahomor Rex deuicto Elamitarum Rege, ait Abrahæ, Gen. 14. *Da mihi animas*, id est, homines: *cætera tolle tibi.* Ita mundus optima sibi: Deo vilissima.

At morte vindicatur.

3. Exod. 19. *Bestia quæ tetigerit montem, moriatur.* Status autem religiosus mons est perfectionis: Apage inde cum bestiis. Et has illis adhuc ingeres?

4. Miphiboseth, Ionathæ filius, claudus, audiens per Dauidem restitui sein omnia bona paterna; indignũ se agnouit; & excusauit, 2. Reg. 9. *Quis ego sum seruus tuus, quoniam respexisti in canem mortuum similem mei.* Claude, mancę mẽbro vel ingenio, ad oblatum beneficium Ecclesiasticum te excusa, non ingere.

Mundus obsistit semper iis molientibus.

III. *Non inuenientes, qua parte illum inferrent, præ turba.* Ita hæc semper est obstaculo ad bene operandum. Ergo fuge turbas mundi. 1. Ideo Dauid orat Ps. 54. *Quis dabit mihi alas, sicut columbæ, & requiescam?* 2. Heu quot retardantur paralytici in mundo ab accessu ad Dominum? Quot in turba suffocati exspirant? 3. 4. *Reg.* 7. Dum Samaritæ spoliis Assyriorum onusti redirent, Ducem turbas compescituru in porta obterunt. Innumeri hodie Duces tales Ecclesiastici & sæculares sic pereunt. Quocirca

Exeat è mundo, qui cupit esse pius.

4. Mundus nebula est, *Exod.* 3. quæ omnia nostra proposita obfuscat, & alio aberrare tramite facit, 5. Sic Pharao cogitantes de Dei cultu Hebræos ita obruere laboribus studuit; vt de Deo cogitationes excíderent. Exod. 5. *Vacatis: & idcirco dicitis; Eamus, & sacrificemus Domino. Ite ergo, & operamini. Paleæ non dabuntur vobis, & reddetis consuetum numerum laterum.* Sic mundus obruit pia proposita, &c.

6. Quin parantibus exire Aegypto Israelitis, è diuerso exercitum cogit Pharao: Ita & mundus obarmat se contra mundi fugas: itinera incidere, elidere conatus pios allaborat.

PARS IV.

Pastoribus magna cura; improbis turba adest.

Conditio paralytici.

I. Cum dirupto tecto fuerit ad Dominum demittendus æger; dies idẽ fuerit, qui tectum resarcire posset; esset-que honoratiorum aliquis, cuius gratiæ tanta

tanta baiulorum, aut famulorum opera præstabatur. Nam, *Ioan.5.* alius paralyticus duodequadraginta annos iacuerat, hominem non habens, à quo in piscinam mitteretur.

Magni stat cura ouicula.

Heu, quanti stat ouicula vnica, dum sistatur pastori? 1. Iacobo quanti stetere oues Labani? *Gen.* 31. Adeo, vt somnus ab oculis eius fugeret. 2. Dauidi vna ouis quanti? 1. *Reg.* 17. *Veniebat Leo, vel vrsus, & tollebat arietem de medio gregis, & persequebar eos, & percutiebam, eruebamq; de ore eorum.* Tanto statis sudore Pastorib. ô paralytici!

3. Moyses, Exod. 32. quid non egit, & tulit; vt refractarium Deo populum reconciliaret? 4. Samaritanus quid omisit, vulnerato resanando? Luc. 10. Paulus Rom. 9. *Optauit anathema esse à Christo pro fratribus suis.*

3. Ideo forte sal sunt terræ, pastores; quod conteri, aut liquari debet, vt gustatum exacuat comedentium. *Matt.* 5. 6. Pelicanus vt sanguine suo pullos viuificat, & alit: ita suos paroch⁹ sudore pascat, baiuletq;, vt Domino sistat paralyticos.

Improbis turba fauet.

II. *Offerebant* vel *per tectum.* Qui ad virtutem adspirat, ei turba obstat: pauci, vix quatuor opitulantur vni. At qui nefanda molitur; huic turba aduolat. 1. Seba, 1. Reg. 20. vt primum ait. *Non est nobis pars in Dauid; neque hæreditas in filio Isai. Et* continuo *separatus est omnis Israel à Dauid, secutusque est Seba filium Bochri.* 2. Abimelech; cum ambiret præfecturã, *Iudic.* 9. conduxit viros inopes ac vagos; secutique sunt eum; in primis Sichemitæ in eius nomen iurauere.

3. Adonias regnum patri erepturus, habet mox patris *seruum cum Ioab* militiæ Præfecto; *& cum Abiathar Sacerdote, qui adiuuabant partes Adoniæ.* Ita qui Deo, Sanctis, Ecclesiæ, virtuti bellũ indicit; illi adsunt innumeri: huic vero pauci, qui pœnitentiæ, cultusq; Dei susceptit. 4. Absalonem, 2. Reg. 15. regnandi cupidum *toto corde vniuersus Israel secutus est contra* Dauidem. Sic &c.

5. At cum post captiuitatem Babyl. essent ruinæ templi instaurandæ, omnes circum obstitere. 2. *Esdr.* 4. Ita pauci stãt cum auctoribus rerum piarum. Recusat turba locum dare baiulis: dat tectum. O insentata turba!

Cura corporalis sola.

III. Horum fides & charitas baiulorum magis spectabat sanitatem corporis; quã animæ. 1. Imo de hac nil legitur hic magis, quam 4. *Reg.* 5. Naaman Syrus leprosus habuerit: qui nullis sumptibus parcebat, vt tantum corpore valeret.

Feritas amicorum.

Eam tamen, licet imperfectam, charitatem sibi non præstitam esse Iob, *c.* 30. queritur; *Frater fui draconum, & socius struthionum.* Vnde hoc illustrior fuit ipsius in eos fraterna charitas. 1. Dracones igneo visus sui veneno aerem igniunt, mortiferum cuiq;: Ita sermones malorum vrunt corda piorum, vt deprauent ea, vel dolore afficiant. 2. Struthionis feritas ac vis tanta est, vt ferrum, petrasq; concoquat, oua visu excludat: pulsos tamen in ardentissimo Africæ sole non obumbraret corpore, quamuis plumoso. Ita amici improbi, sunt feri: scelera omnia concoquunt ferrei conscientiis? intuitu similes sui efficiunt: ô noxia societas? opitulantur nemini. Secus hi paralyticophori, proximum vt sese, amantes.

PARS V.

Qualis Fides prosit, & quatenus.

Fides communionis.

I. *Videns fidem illorum.* Ergo hæc profecit ægro ad corporis ac animæ salutem. 1. Iam vel hinc *crede communionem Sãctorum, & remissionem peccatorum.* 2. Illa maxima est nos inter & CHRISTVM: qualis inter Caput & corpus. 1. Cor. 1. *Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem Filij eius* IESV Chri-

SV Christi *Domini nostri* 3. Magna quoq; inter nos & Cœlites. Psalm. 118. *Particeps sum ego omnium timentium te.* 4. Ioannes, Apocal. 5. vidit XXIV. Seniores *coram Agno se prosternentes, qui habebant singuli citharas, & phialas aureas, plenas odoramentorum: quæ sunt orationes Sanctorum:* Ipsis quidem nihil: at multum nobis necessariæ: & sæpe salutares, cum nescimus. Si enim *fides illorum* mortalium profuit: quanto magis beatorum charitas miseris succurrere potest?

Fides iustificans.

II. Hæretici abutuntur hac *fide illorum*; vt sola sufficiente ad salutem, exclusis operibus. Huc trahunt ista Marc. 5. *Confide filia, fides tua te saluam fecit.* Item *Luc.* 17. & 18.

Est operosa.

Respondetur ijs: quod prima iustificatio, de qua ibi, fit sine operibus: Attamen fide non sola. Nam charitas hanc inter & opera interuenit. Hæc, 1. Pet. 4. *operit multitudinem peccatorum.* Et Luc. 7. *Remittuntur ei peccata multa: quia dilexit multum.*

En hic solius charitatis fit mentio; nec tamen hac sola remittuntur peccata, Ergo nec Fide sola; licet solius mentio fiat. Nam nec charitas esse sine fide potest; nec fides sine illa viuere. Fidei tamen primas damus; quia fundamentum est omnium, & ordine prima inter theologicas virtutes.

Obiectio.

Fingunt illi triplicem fidem: Historicam, dictorum Dei: Alteram miraculorum Dei: tertiam Christianam, & hãc iustificantem: Atq; per hanc meritis Christi nobis peccata esse remissa volunt.

Solutio.

At *fidem illorum*, & aliorum locis citatis, constat fuisse miraculorum: Proinde, secundum hæreticos, non saluantem. Dein, hic fit mentio fidei baiulorum; non ægri. At aliena fides non iustificat; sed tantum propria.

Confide fili. Hem! Agnus se patrem facit lupi: se Deus patrem peccatoris? *Confide:* Fides enim propria inprimis est necessaria. *Fili:* Spem excitat, fore eum cohæredem omnium bonorum eius. Rom. 8. *Si filij ergo & hæredes.*

PARS VI.

Qualis morbus sit, & sanatio.

Paralysis spiritualis.

I. *Remittuntur tibi pec. tua.* Ergo typus peccatoris est hic paralyticus. Vt enim paralysis corporum, est interceptio spirituum animalium, per humorem insinuatum neruis cerebri, vel arterijs cordis: Sic paralysis animarum est interceptio gratiæ Dei, per peccatum, in parte rationali & animali hominis: priuans sensu & motu erga cœlestia. Hinc desideria pia iacent grabatis affixa. Incolæ labes Galaad. 1. *Reg.* 11. obsessi à Rege Ammonitarum, aiunt: *Habeto nos fœderatos, & seruiemus tibi.* Et is: *In hoc feriam vobiscum fœdus: vt eruam omnium vestrum oculos dexteros.* Idem fœdus Satan icit cum impijs: eruit eis dexterum, cœlestium, relinquit sinistrum, terrestrium oculum. Hinc in his lyncei; in ijs talpæ sunt. Eruit autem, obstruendo neruum opticum per peccatum. Inde paralyticus est oculus; similesq; efficit sensus reliquos. Inde motus deficit. Mali autem totius curatio est peccati remissio.

Culpa est causa mali.

II. At Cur peccata remittit, petentis non hoc, sed corporis sanitatem: 1. *Hieronymus, Euthymius. Theophylactus:* Quia causa morbi, fuerat culpa peccati: Quare prima causa, dein effectus remouendus erat. 2. *Chrysost. hom.* 30. ait: Dominum voluisse Scribis ansam carpendi præbere; Simni Deitatem quoq; suam prodere. Adeo ipse primo regnum Dei quærebat, dein cætera adijciebat. *Matth.* 6.

Constat autem quod peccatum causat morbum: 1. Iob. 33. *Increpat per dolorem in lectulo, & omnia ossa eius marcescere facit.*

2. Eze-

2. Ezechias Rex vt reualuit, sic orauit: Isa. 38. *Eruisti animam meam, vt non periret: proiecisti post tergũ tuum omnia peccata mea:* Idcirco ait paralytico Io. 5. *Iam amplius noli peccare: ne deterius tibi contingat*: Hicque huic: *Remittuntur tibi peccata.* Simul & sanitatem reddit.

Deus dat plura quã petita.

O bonitatem! Dat plura, quam petita. 1. Sic Oranti Abrahæ, vt sospitet Ismaelẽ; dat & Isaacum è sterili, ac vetula. *Gen.* 25. Salomoni, sapientiam petenti, addit diuitias. 3. Manassi, veniam peccatorum oranti, reddit & regnum. 4. Ezechias, sanitatem poscenti, addit annos XV. vitæ. 4. *Reg.* 20. Quare. 5. Merito Ecclesia orat: *Deus, qui merita supplicum excedis & vota.* 6. Nam Eph. 3. *Potens est Deus facere supra id, quod petimus, aut intelligimus.*

PARS VII.

Qualis remissio sit & iustificatio.

Clauis triplex remittendi.

I. *Remittuntur*: At vbi confessio? Scias, quod remittendi peccata sit *Clauis triplex. Auctoritatiua*, solius potentiæ diuinæ immediate, & absolute. Huc respexit, qui orauit Ps. 50. *Auerte faciem tuam à peccatis meis: & omnes iniquitates meas dele.* Secunda Christi est *Clauis excellentiæ*: qua *Agnus Dei tollit peccata mundi.* Tertia est *clauis ministerij*, est Sacerdotum Ioann. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Ideo, ait S. Augustinus, *Lazarus est datus Apostolis soluendus.* Io. 11. *Quæcumque solueritis super terram, erunt, &c.*

Indicium triplex Diuinitatis Christi.

II. Christus hic tripliciter suam Diuinitatem ostendit. 1. Detegendo cogitationes Pharisæorum: *Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Is enim est Psal. 7. *Scrutans corda, & renes Deus.* Et 2. Paral. 6. *Tu nosti solus cor omnium filiorum hominum.* Et Ps. 43. *Nonne Deus requiret ista? Ipse enim novit abscondita cordis.* 2. Verbo sanans: *Surge tolle grabatum.* 3. Peccata remittendo. Nam Marc. 2. *Solus peccata dimittit.*

Hoc vero mordebat Pharisæos, qui eum vt vulgarem, merumq; hominem habebant. At prodit eos; docetq; parem se habere potestatem & sanandi, & peccata remittendi: *Quid est facilius dicere dim. t.p. tua, and. Su. & Amb.*

Iustificatio opus est difficillimũ.

Quin imo difficilius esse, peccatorem iustificare, quam paralyticum sanare, hinc Theologi recte inferunt. *Augustin. tract. 22. in Ioan.* ait, difficilius esse, quam orbem creare. Quia in iustificatione reperitur aliqua contradictio, vel obstaculum, quoad animam, animæque potentias, at nulla in creatione est resistentia. Ergo bene D. Thom. tract. de gratia: *Maximũ opus Dei est iustificatio peccatorum.* Ergo peccare est pessimum opus hominũ. Vnde æstima remissionis beneficium, quantum sit.

III. *Surge: Tolle: Vade. Surge*: quia lapsus es in peccatum. *Tolle lectum*: ne cuiquam porro sis scandalo. *Vade in domum*: ne prauo contubernio corrumparis, bonis operibus incumbe. *Lectus* est socordiæ, consuetudinis prauæ, &c. Ista *Surge, Tolle, Vade*, deducere licet per enumerationem longam peccatorum, & peroraris *glorificans Deum, qui dedit potestatem talem hominibus.*

DOMINICA XX. POST TRINITATEM.

Simile est regnum cœlorum homini Regi, qui fecit nuptias filio suo.
Matth. 22.

Assuero, *Esth.* 1. rex Persarum Satrapis conuiuium apparans, potentiæ suæ declarandæ; Reginam Vasthi, cum Reginis separatim epulantem; inuitat; formæ eius ostentandæ. At venire abnuentis impudentiam punit eiusdem repudio, & nouo Estheræ coniugio. Simile hodie.

De quo nos

I. *Quæ vis, & techna sit mundi.*
II. *Quodnam sit regnum cœlorum.*
III. *Quis Rex, & qualis.*
IV. *Quæ nuptiæ, & qui serui.*
V. *Quæ sub inuitatorum negligentia lateant.*
VI. *Quod mundi, & diuitiarum sit ingenium.*
VII. *Quod efficax sit medium conuocandi nuptiales.*

PARS I.

De vi, & techna mundi.

Mundus homini nouerca est.

I. HOmini sæuior inimicus non est, Mundo. Adeo & natum captat insidiosus; & morientem angustat perfidiosus. Vt igitur C. Plinius de Natura queritur, quod mater sit in animãtia, natis vngulas det defensioni, victumque offerat: at nouerca homini, inermem & indigum omnium edat. Ita de mundo querar, qui brutis cliens necessaria vltro præbet, hominem vero suo mancipat seruitio tyrannico.

2. In domo Epulonis, *Luc.* 16. bestiæ sat habent: at Lazaro *nemo dabat.* Quot carnes in mundo? His datur. Homo vel emat; vel sudet; vel careat. 3. Aues non sunt solicitæ, nec ager, nec flores. *Luc.* 12. *Matth.* 6. At homo, scire optat? Discat. Mundus vnum deserit & odit. At odit amando, dum offert opes, honores, voluptates. O hypocritam! Iob. 20. *Gaudium hypocritæ ad instar puncti est.*

Eiusq; proditor, & occisor.

II. Vt Iudas osculo tradidit Iesum hosti, & morti: Ita mundus fictis delicijs ac blanditijs hominem orco. 2. Sic Assuerus Aman purpuratum à conuiuio Estheræ ad laqueum rapi iubebat. *Esth.* 7.

3. Iahel, vxor Haber Sisaram, Ducem Regis Cananæorum, domum inuitat è fuga, Id. 5. *aperuit vterem lactis, & dedit ei bibere, & operuit illum.* O illicem! A mox *tulit clauum tabernaculi, assumens malleum, & ingressa absconditeposuit supra tempus capitis eius clauum, percussumque malleo defixit in cerebrum vsque ad terram.* Ita & tu perside munde, &c.

Impostor captator.

III. Filia Loth, Gen. 19. *dixit maior ad minorem: veni, inebriemus eum*, patrem, *dormiamusque cum eo.* Ita mundus omni vespera vitæ huius. 2. Leo Samsonius in ore mel gerebat mortuus; at erat cætera leo. *Iud.* 14. Talis mundus Psalm. 27. *Qui loquitur pacem cum proximo suo; mala autem in corde eius.* 3. *D. Thom. Comment. in Ioann.* ait Mundum similem balenæ captãti pisces. Hæc ore hiante natans odorem gratissimum è ventre emittit, quo illecti pisces ei vel in ipsam aluum innant: inque mortem voluntarij. Ita, &c.

Eius œstr.

IV. Quis furor ô ciues mundi? Itane 1. Iere. 2. *Onager assuetus in solitudine*, mundanus, *in desiderio animæ suæ attraxit ventum amoris sui, & nullus auertet eũ?* Tanto siquidem œstro onagri catulientis rabies efferascit; vt, si fœmella sibi desit, omnia late pererret, contemtor laqueorum, cassiũ, venatorum, dum potiatur fœmella. Vera hæc cosmophili imago est. Adeo rabit audita mundi Syrene, dum voluptatula fruatur, cœli contemtor, & orci.

Et perdit.

V. Vt supplantator Iacob. *Gen.* 25. lenticula pulmentarij fratrem Esau exuit primogenituræ, & hæreditatis paternæ iure: Ita mundis cœlo suos vna exuit nugula. 2. Pharao Israelitas regni sui laboribus occupat, allio pascit; amorem sacrificandi vt amittant, & gustum terræ promissæ. Sic mundus suos in hodierno Euangelio distinuit.

PARS II.

Quodnam sit regnum cœlorum.

Allegoria explicata.

REgnum est Ecclesia: *Rex*, Deus Pater: *Sponsus*, Filius: *Sponsa*, Filij humanitas: *Paranymphus*, Sanctus Spiritus: *Serui*, Prophetæ,

phetæ, Apostoli, Doctores. Nam Psalm. 18. *In omnem terram exiuit sonus eorum, &c.* *Inuitari* ad nuptias has, est vocari ad communionem meritorum Christi. *Iudæi* venire nolentes, prophetias temsere, Ieremiam lapidarunt, Isaiam serra dissecuerunt; Iesum crucifixerunt. Deus Apostolos emisit *ad exitus viarum*, ac Gentes, adductum bonos & malos in Ecclesiam, dum hæc impleatur. Vtque acer est in nō venientes: ita & in venientes sine veste nuptiali charitatis - etsi fidem habeant solam.

Ecclesia est regnum.

Ecclesia regnum cœlorū dicitur: quia Rex cœlorum ei præsidet. 1. Est id legitimum. Id enim sibi Iesus comparauit iure, & merito; mediante hypostasi. Vnde Ps. 2. *Ego constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius.*

2. Est antiquissimum. Nam regnum inchoauit Assyriorum Ninus. Medorum, Cyrus. Xerxes, Persarum: Romulus, Romanorum. Alexander, Græcorum. Horum antiquior est *Rex regum* & Ecclesia.

3. Est nobilissimum. 1. Prou. 14. *In multitudine populi, dignitas Regis; & in paucitate plebis, ignominia Principis.* 2. Inde magni fit Assuerus, quod Rex centum viginti sex esset prouinciarum, ab India ad vsque Aethyopiam. At Christus Ps. 72. *Dominabitur à mari vsque ad mare: à flumine vsque ad terminos terrarum.* Ideo Mar. 16. *Euntes in mundum vniuersum præd. Eu. omni cre.* 3. Et Pater, Psal. *Dabo tibi Gentes hæreditatem tuam; & possessionem tuam terminos terræ.* 4. Et Ipse Mat. vlt. *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.*

4. Est ditissimum. Nil enim ab alijs regnis mutuatur. Victum habet in corpore Christi: vestitum in cæteris Sacramentis: terram promissionis in petra Petri, monte Caluariæ; syluam in Cruce: hortum in sponsa: vbi *poma noua & vetera.* Cāt. 7. &c.

5. Est fortissimum. Quia cætera vni subiecta omnia. Et *supra petram* ædificatum, *nec portæ inferi præualebunt*: Psalm. 128. *Sæpe expugnauerunt me, à iuuentute mea: dicat nunc Israel: Sæpe expugnauerunt me: etenim non potuerunt mihi.* Ipsum est. *Dan.* 2. Lapillus de monte ad statuam auri, argenti, æris, ferri, luti allapsus: qua strata ipse creuit in montem maximum.

6. Est ordinatissimum legibus: quarū nusquam similes ad pacem, ad mores, ad iustitiam, ad vitam. Estque Ps. 18. *Lex Domini ad conuertendas animas.*

7. Est perēne. Dan. 7. *Potestas eius potestas æterna; quæ non auferetur, & regnum eius non corrumpetur.* Psalm. 44. *Regnum tuum; regnum æternum; regnum omnium sæculorum.* Angelus, Luc. 1. *Et regni eius non erit finis.*

PARS III.

Quis rex, & qualis?

I. REx Christus est. Plato, ait, *Beatas tum fore resp. si aut Reges philosopharentur, aut Philosophi regerent.* At Col. 2. *in Eo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi.* Fuit Rex ab æterno: at incarnatus, regnum promeruit. Heb. 2. *Eum, qui modico, quam Angeli, propter passionem mortis, minoratus est, videns Iesum gloriæ & honore coronatum.* Psalm. 8. *Minuisti eum paulo minus ab Angel. gloria & honore coronasti eum.* Philipp. 2. *Et dedit illi Nomen, quod est super omne nomen.* Quod? IESVS. Sed & hoc: *Rex gloriæ*, ait S. Greg. Naz. in illa Psalm. 8. *Attollite portas princ. &c. & introibit Rex gloriæ.*

Apoc, 1. *Oculi eius sicut flamma ignis; & in capite eius diademata multa, & vocabitur nomen eius verbum Dei.* Diademata inquam, Diuinitatis, cœli, terræ, &c. *Apoc.* 10. Angelus magni Consilij habet iridem pro diademate: At iris

Mille habet varios aduerso sole colores:

Significat regna varia sub vno Rege Christo Homine Deo.

Rex humanus esto.

II. *Simile est homini Regi.* Rex se hominem meminerit. 1. *Ezech.* 1. Cherubinus ille, faciem habens leonis, humanã quoque præferebat. Ita Rex, qui inter homines est, quod leo inter bruta, dum regnat vt leo, vt homo quoque regnet.

2. Triumphantibus, Romæ seruus à tergo inclamabat: *Memento hominem te esse.* Hieron. Tertull. 3. Philippus, Rex Macedo, omni die à certo sic mane salutabatur. *Rex, memento te esse hominem*, quasi dicat. Regnum, humanitate destitutum, est tyrannis.

Sine virtute cum regno.

Inde regnorum euersio, est Regum crudelitas, adeoque bestialitas. 1. Dan. 4. Dicitur Nabuchodonosori: *Regnum à te transibit. Et ab hominibus eijcient te, & cum bestiis & feris erit habitatio tua, &c.* Psal. 74. *Exterminauit eam* Ierusalem *aper de silua, & singularis ferus depastus est eam.* Id est, Titus & Vespasianus. 2. Cũ Sichemitæ Abimelech regem elegissent, *Judic.* 9. Ioathan eis proposuit parabolam de Lignis regem quærentibus, acceptantibusque demum Rhamnum, vnde egressus ignis ligua deuorauit. Sic crudelitas Regum, est ruina regnorum.

PARS IV.

Quæ nuptiæ, & qui serui?

Nuptiæ Christi cũ Ecclesia.

I. QVi fecit nuptias filio, Humanitatem copulans Diuinitati. Ob quod coniugium dedit ei regnum. 1. Cant. 3. *Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater, in die desponsationis illius.* 2. Sic Patres: Ambr. lib. de Institut. Virg. cap. 16. *Beatus est Mariæ vterus, qui tantum Dominum coronauit, quãdo formauit. Coronauit eum, quando generauit.* 3. Augustin. hic *Christus, qui processit ex vtero Virginali tanquam sponsus de thalamo suo, in quo vtero spiritales nuptiæ celebratæ sũt, Deus coniunctus est carni, & caro adhæsit Deo, vt esset vnus Christus, & totus homo.*

4. S. Hieronym. ait, Deum Synagogæ desponsatum tertio. In Circumcisione: Legis promulgatione in Sina: In Incarnatione. *Ter facta.*

Horum figura fuit Moysis cum Aethyopissa: Samsonis cum Philistæa: Assueri cum Esther connubium.

Vocat Deus voce.

II. *Misit seruos.* Apo. 19, *Audiui vocem, quasi tubæ magnæ, & sicut vocem aquarum multarum, & sicut vocem tonitruorum magnorum dicentium: Gaudeamus, & demus gloriã Deo, quia venerunt nuptiæ Agni.* Prima vox tubæ, Ioan. 3. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacuit: Ipsum audite.* 1. *Sua.*

Secunda torrentium. Actorũ 10. *Huic omnes prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per Nomen eius omnes, qui credunt in eum.* 2. *Prophetarum.*

3. Vox tonitruorum est Apostolorum: Act. 4. *Virtute magna reddebant Apostoli testimonium Iesu Christi.* His vocibus ad nuptias inuitati sumus, clamantibus. 3. *Apostolorum.*

Omnia parata sunt: dixerunt Prophetæ Iudæis: At Apostoli etiam hoc: *Tauri & altilia occisa sunt*: Messias scilicet & eius merita *parata omnia*: mors mortua, cœlum reseratum, obseratus infernus; Deus recõciliatus, peccatum remissum. Quod gaudium fuisset hoc Patriarchis? Sed Hebræor. 11. *iuxta fidem defuncti sunt omnes, non acceptis repromissionibus.* Hinc præsentibus dicebat. Luc. 10. *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis.*

PARS V.

Quæ sub inuitatorum negligentia lateant.

Mundana nec debent optari.

I. ILli autem neglexerunt. Quid? Homines vocantem Deum? Iam Sponsa non queratur, Cant. 5. *Quæsiui, & non inueni: Vocaui, & non respondit mihi.* Cum nec ipsius inspirationes audiant homines. O cæcam mundi insaniam! 1. Sic inhiari terrenis, quæ nec optari deberent, vt cœlestia posthabeantur? 2. An non vel Ethnici, 2. *Debent sperni.*

nici, illa contemni, herodicum esse duxerunt?

3. Debent animo subiici.

3. Philippus rex Macedonum postulauit à Philosophis disputari quid in vtramque. Illi hoc delegerunt. *Quid in rerum natura foret maximum?* Primus dixit, montem Olympum esse; vt *qui caput inter nubila condat* altior ventis & nubibus. Alius Aquam, vt quæ ignis domitrix terram ambiat: Tertius Solem; orbe terræ & aquæ maiorem. Quartus, Cor humanum, quod orbem contemnit & fluxa omnia, rebusque gestis maximis maius est. hic vicit. Et Christianus id subiectum faciet villæ, vxori, bobus? &c.

4. Sunt noxia.

4. Vah! Ad nuptias vocat Deus, non ad sudores; Sathan vero ad pericula, curasque honorum, &c. Et hic auditur; Deus spernitur?

5. Sunt insufficientia

5. Saul auersurus Israelitas, ne Dauidē crearent Regem, ait, 1. Reg. 8. *Nunquid omnibus vestris dabit filius Isai agros, & vineas; & vniuersos vos faciet Tribunos, & Centuriones, quia coniurastis omnes aduersum me?* quasi dicat: Fœlicitare vos nequit. Potius de nobis queratur Deus, Quid mundus dabit, nisi mortem? dæmon, nisi infernum? caro, nisi corruptionem?

6. Sunt gloriabundæ.

6. Vah negligentiam! Aman gloriabatur, Esth. 2. *Regina quoque nullum alium vocauit ad conuiuium cum Rege, præter me, apud quam etiam cras cum Rege pransurus sum.* Nō pluris est honor inuitationis diuinæ?

7. Ad Assueriin Susis conuiuium omnes vocati accurrerunt: Dei negligunt?

Mundi iugum est.

II. Quātumuis iniquus in suos sit mundus: eum plerique tamen exosculantur, ac venerantur. Audite vero quid profiteatur. 1. *Quinque iugaboum emi.* Hisce iugat suos. Christi vnicum est; & illud *suaue, onusque, leue.* Matt. 11. Et istis tamen potius; quam huic adhæretur. 2. Vt Hebræi, ollis carnium assueti, malebant laboribus Pharaonicis emaciari; quam obsequi Moysi. Sic mundicolæ lutulenti.

1. Multiplex.

2. Seruile.

3. Zach. 10. *Ecce talentum plumbi portabatur: & ecce mulier vna sedens in medio amphoræ, & dixit, hæc est impietas.* Quodque peccatum est graue, vt talentum plumbeum: quodque onus est mundi. At consuetudine minus sentitur. Heu! Væ exsensis!

3. Grauit.

4. Isa 24. *Formido, & fouea, & laqueus super te, qui habitator es terræ*: id est; qui toto animo terræ affixus es, vt incola eius; nō vt peregrinus, super eum sit cruciatus intus, & foris, omnesque angustiæ carnis, mundi, Satanæ.

4. Cruciabil.

1. Infœlix Manasses Rex amare queritur, 2. Paralip. 36. *Incuruatus sum multo vinculo ferri, & non est respectus mei*, quasi dicat: obruor miserijs, & à nemine subleuor.

5. Obruit suos.

2. Instar religatorum ad triremes; ita negotiorū vinculis innexi sunt multi, vt sub catenarum onere fatiscant curuati. 3. Pharao Exod. 1. ait: *Ecce populus filiorum Israel multus, & fortior nobis est. Venite, sapienter opprimamus eum, ne forte multiplicetur.* Itaque laboribus obruit eum. *Sic*, ait in hunc locum *Origen.* diabolus, visis agere quiete Christianis, eorumque cumulari merita: suggerit mundana opera, curis afficit, officiis negotiisque implicat, emant, nubant, ædificent, &c. & sic *abeant alius in villam suam, alius &c.*

Homo natus est cœlo, non mundo debetur.

III Non vobis, ô mundi negotia, natus est homo; sed cœlestibus, 1. Psalm. 53. *Accedet homo ad cor altum; & exaltabitur Deus.* Id est: alto corde homo spectabit supera, proculcabit infera temtor mundi, magnificator Dei. 2. Salomon 3. Regum 9. *De filiis Israel non constituit seruire quēquam, sed erāt viri bellatores, & ministri eius, & Principes, & Duces, & Præfecti curruum & equorum.* Et Christiani vilibus reculis deseruirent, omissis diuinis? O despectum suę, quem ipsi inferunt, nobilitati!

1. *Deut.* 22. Vetuit Deus arbores plantari intra

Ergo Deũ in cordege. rat circũ, alia. ri intra vineas, sed circum: ne his illę officerent. Sic in cordis vinea solus Deus; alia circumsecus sunto : neu quid amori Dei officiant. 2. Rebecca formosa, *Gen.* 39. Seruo Abrahæ potum dedit ad fontes Mesopotamiæ: *cumque bibisset, adiecit; quin & camelis tuis hauriam aquam.* Ita Deũ dilige; at cætera Dei respectu: da Deo, vt Deo: & proximo propter Deum.

2. Det prima Deo.

3. Alia referat ad Deum. 3. Esto: sint alia vitæ necessaria in curis & corde nostro præter Deum: At sint ita, sicut in arca fœderis, 3. *Regum* 8. tabulæ legis continebantur: licet his adesset vrna cum manna, & Virga Aaronis *Hebr.* 5. quia tamen, ait *Glossa*, hæc ad legem spectabant, dicitur, solas tabulas legis inibi fuisse. Sic: quæ alia erunt in corde; ea referantur ad Deum. Id quod Hodierni abeuntes ad villã, boues, &c. non fecerunt.

PARS VI.

Quod mundi, & diuitiarum sit ingenium.

Opes, & mundana. I. AMor mundi, & opum hos à salute retraxit. 1. Rachael patri abstulit idola, sequens Iacob virum. At pater acerbe ea repetit. *Gen.* 31. Idola mundi ac opes, &c. qui, sequens Iesum, abstulerit secum; is mox à mundo exagitabitur. Ergo Psalm. 44. *Audi filia: obliuiscere domũ patris tui:* nec iam idola, sed Iesum sequere, vel nuda nudum. 2. Nam opes dant curas habitæ; appetitæ, labores; perditæ, mœrores. Absoloni 2. *Reg.* 14. caput erat pulcrum, auricomum, omnibus miraculum; at assidue grauatum: ideo *semel in anno tondebatur: quia grauabat eum cæsaries.* Sic diuitiæ, pulcræ: at graues conscientię, vel animæ. Quid ergo anima *solicita es, & turbaris ergaplurima?* Luc 10.

1. Vexant habentem.

2. Grauãt.

3. Sunt periculosa opes. 3. Dauid esse gener Saulis detrectabat Dicens nobilibus: *An parum vobis esse videtur, esse gener Regis?* quasi dicat: Honores trahunt secum innumera pericula, onera, vt pœnas suas. *An parum tibi videtur, esse diues mundi?* Et vero tam vilis, quam grauis est seruitus.

4. Sunt quidem mundi fercula lauta, & regificum epulum; sed quale Absolon Ammoni pararat; in quo à sicariis cædebatur. 2. *Reg.* 13. Inuitat mundus; sed vt enecet. Extollit ad honores; sed vt præcipitet: inescat, sed vt illaqueet. *4. Sunt Mortifera.*

II. 1. Astu vtitur, quo Saul in Dauidem. 2. *Reg.* 25. Chiliarcham creat; sed vt discrimini obiiciat. *Amouit eum Saul à se, & fecit eum Tribunum super mille viros.* Ornat officio; vt euertat. Sic mundus. 2. Dauid Viriam cum literis ad Ducem Ioab destinat, vt in prima stet acie: sed vt citi° cadat. 2. *Regum* 11. Sic mundus dat primas, vt excidas ad vsque incitas. *Insidiosa sunt. Extollunt vt deijciat.*

3. Rhamnus ambitiosa, quam diu serpebat; florebat, & sepis adinstar erat. At rex arborum factus, igne correptus sibi arboribusque excidio fuit. Ita, quot in humili stetere pulcre, & efflorere; qui in alto pessum iuerunt? Otia negotiosa dant vitæ, salutique, quod satis: at mundi negotia ambitiosa, & ista, & istam abstulerunt; Mundi risus est vitæ interitus. O risum Sardonicum!

4. 1. *Regum vlt.* Saul cum rex esset, in cõflictu cum Pharisæis erat *totum prælij pondus versum in Saul.* Ita regem te mundus dicit: at omne molitionum, ac persecutionum pondus in te vertit. *Horat. Feriunt summos fulmina montes.*

III. Diris mundus passionibus animi torquetur; estque totus passio mera; sed speciosa. Has passiones suis ingenerat, vt dire discrutientur. Vah martyres mundi. Talis Heliodorus, Regis Syriæ Antiochi Archidux missus Ierosolymam inhiabat thesauro templi: At ab equitibus duobus, (angeli erant:) pene ad necem percutitur. Vt reuersus diceret: 2. Mach. 2. Rex, *Si quem habes hostem, aut regni insidiatorem; mitte illuc, & flagellatum eum recipies, si* *Diserucia Mundus cruciabiles.*

pies, *si tamen euaserit.* Rex is tenebrarum est vel Satan, vel mundus. Destinat suos, vt mundi thesauros expilent: At sæpe cœlitus puniuntur.

Ac demũ enecat inglorios, etsi ditatos.

IV. Quos odit mundus; destinat ad inuestigandos thesauros. 1. Satan, cum ruinam Christo moliretur, offert ei in deserto regna, modo se mittat deorsum. Sic mundus Christiano; modo se ire perditum non fugiat. 2. Bene ergo duobus candidatis honorum, Matth. 20. *Nescitis, quid petatis.* Dixit id Psaltes 48. *Relinquent alienis diuitias suas: & sepulchra eorum domus illorum in æternum.* Hoc petebant. *Hæc via illorum scandalum.* Chrysostom. homil. in Psalm. 48. *Quæ illa via? Sane est studium, quod ponunt mundanis in sequenda voluptate; insana cupiditas habendi bona, & insatiabilis sitis honoris mundi. Quod totum non est paruum impedimentum ad virtutem operandam.* En villas, vxores, boues, præsentis Euangelij.

3. Missi exploratores terræ promissæ referunt. *Num.* 13. bonos esse fructus terræ: Sed *ibi vidimus*, aiunt, *monstra quædam filiorum Enac de genere gigantæo.* Ita comperitores fructuum mundi habent pugnare cum gigantæis difficultatibus. Nam Terra diuitiarum *deuorat habitatores suos*; quominus ad cælestes nuptias aspirare queant.

PARS VII.

Quod efficax sit medium conuocandi nuptiales.

Prædicatio nouissimorum.

ITe *in exitus viarum.* Cur non in vicos vrbis, in fora, palatia? Quia hic nimiũ distenti sunt aliis; ad nuptias has ire non vacat. Alia vocant. Pauperibus enim prædicatur Euangelium: Matth. 11. Attamen Prædicatores eant *in exitus viarum:* Nouissima prædicent opum, honorum, voluptatum, vitæ, omnesq; exitus viarum humanarum ac mundi inculcent.

1. Isaias, *cap.* 7. Babylonis superbiam coarguens tunc, cum Persæ vices Ierosolymæ sanguine replessent, dixit: *Non posuisti hæc super cor tuum, nec recordata es nouissimi tui.* 2. Sic & Ieremias in Thren. capite primo. *Sordes eius in pedibus eius, & non es recordata finis eius. Ite* ergo, tubæ Dei, *in exitus viarum* mortis, iudicij, glorię, pœnæ, *& quoscũq; inueneritis, vocate ad nuptias. Prædicate Euangelium* hoc *omni creaturæ.*

3. Dicite, Cantic. 4. *Veni de Libano, sponsa mea*; Ecclesia Perfectorum: *de cubilibus leonum*; Regum, Principum: *de montibus pardorum*; varijs peccatis maculatorum: turba peccatrix veni.

Venite ad nuptias Ecclesiæ. Hæc enim iustos & iniustos complectitur. Est ea ager, in quo triticum cum lolio. Est arca Noe, in qua columbæ cũ coruis. Est grex Iacob, in quo nigræ, variæ, albæ oues. Est area, in qua palea cum grano. Est sagena & Petri rete, in quo boni pisces, & mali.

Perora facta anacæphaleosi protrepticœs.

DOMINICA XXI. POST TRINITATEM.

Erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum.

Ioan. 4.

IOsaphat Rex, 2. *Par.* 20. obsidione pressus, desperatis omnib. in tẽplo sic orat: *Cum ignoremus, quid agere debeamus; hoc solum habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te.* Ita Regulus afflictione pressus, ex filio, qui pro deposito erat.

Nos De eo

I. *Quod vtiles sint tribulationes.*
II. *Infirmitas quo conferat.*
III. *Quod aduersa ad Deum adducant.*
IV. *De cura liberorum, & ægrotorum.*
V. *Quod aduersorum, & prosperorum effectus sint contrarij.*

VI. Cur suos affligat Deus.
VII. De febrium varietate.

PARS I.

Quod vtiles sint tribulationes.

1. *Sũt magnificæ.*

I. VTilitas tribulationum per magna est. 1. Vnde in S. Script. nominibus magnificis afficiuntur, vt virga consolationis, cœli ianitrices, Dona cœlestia, vitæ directrices, medela miseriarũ, &c. Ideo, immissa nobis à Deo aduersa, sunt beneficia. 2. Oculos amiserat bello Ionathas; 1. *Reg.* 14. melle sanauit amissos Deus: Tobiæ idem felle piscis. *Tob.* 11. Vtrumq; beneficium fuit. Sic & cum hos dulcedine, illos amaritudine ad conscientiæ sanitatem reducit. Fel sit, an mel, Deo vtrumq; pollet virtute sanandi.

2. *Illuminant.*

3. *Sũt pretiosa.*

3. Ideo Ps. 138. *Mihi nimis honorati sunt amici tui Deus*: Sic vulgaris: at hebraica lectio habet: *Mihi valde pretiosæ sunt afflictiones tuæ.* Quia per eas agnosco fragilitatem meam; & cognosco me. Bonum factum!

4. *Transitoria.*

4. Hocque melius, quod Ps. 76. *Sagittæ tuæ transeunt*: non lædunt; sed sanant. *Vox tonitrui tui in rota*; quæ scilicet mox vertitur in vocem iubili.

5 *Consolatoria.*

5. Vt sagitta Ciceroni obsesso, ac pene desperato, in vrbem eiaculata ab Iul. Cæsare cum tali epigrapha, *Cæsar Ciceroni fiduciam optat, Expecta auxilium.* Cæsar in Commentariorum libro octauo. Premeris? Iam sperare occipe. Tentaris, vt ad impatientiam traharis? Fide, & vinces.

6. *Quærẽda.*

II. 6. Sciens emolumenta tribulationũ dixit, Ps. 114. *Tribulationem, & dolorem inueni, & Nomen Domini inuocaui.* Inuenit? Ergo quæsiuit. Ideoq; de inuentis gratias egit. Imitare: & beneficium agnosce.

7. *Sũt thesauri Dei.*

Et tale, quod ex reconditis sit Dei thesauris: Nam Ps. 134. *Producit ventos* tribulationum *de thesauris suis.* Vt in copiosa domo diuitiæ sunt, & thesauri; illæ in vsus quotidianos promuntur, hi asseruantur ad rarum euentum, aut charum. Ita Deus est *Diues in omnes, qui inuocant eum*, sua misericordia: At tribulationis thesaurum non aperit in quemuis.

8. *Testes virtutum.*

8. Ad Paduam, ait *Cœlius Rod. lib. de ludo alearum*, fons erat, in quem sortes conijciebãtur explorandis rerum successibus. Aleam auream iniecit Iul. Cæsar, studio cognoscendi statum Imperij. Hoc prosperitatis erat, si alea ostendisset puncta plura; si pauciora, aduersitatis. Sic tu ex Dei fonte tribulationum æstima de tuis virtutibus. Si multæ illæ; & hæ; & è contra. Ergo. Eccl. 1. *In tempore infirmitatis ostende conuersationem tuam.*

9. *Necessitas.*

Origenes hom. 9. in Exo. notat, cãd elabrũ aureũ cum 7. lampadibus, semper ardẽtibus, iussisse Deum statui ad septemtrionem, vnde sæuissimi venti. At lumini quę maior iniuria, quam exponi ventis? & talibus? in templo? Atqui amici Dei sunt lumina. Et his iubet Dominus, Luc. 21. *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manib. vestris.* Tametsi autem in eos *ab Aquilone pandatur omne malum.* Ierem. 1. Ventis tamen flammescit tæda, non extinguitur: ita iustus.

10. *Sunt probatæ virtutis viri.*

10. Vt prisci pingebant adamantem inter malleum & incudem, & scribebant circumsecus: *Semper idem.* Talis iustus tribulatus, politur ictibus, vultu animoque *Semper idem*: nisi quod indies se ipso euadat melior.

PARS II.

Infirmitas quo conferat.

Quis Regulus.

I. REgulum putat 1. *Chrys.* fuisse nomen proprium. 2. *Beda*; nomen officij. 3. *Leon. Chry. Theoph.* eundem cum centurione: de quo *Matth.* 8. 4 *Orig.* cognatum, vel Vicarium Cæsaris in Capharnao. 5. Ego putarim idem: & Herodis consiliarium egisse, cuius fuit vrbs Capharnaum. *Hier. Orig.* putant gentilem fuisse.

fuisse. *Ego*, Iudæum. Quia arguitur modicæ fidei: & signum petebat. Vtrumq; Iudæorum erat. *Matth.* 12.

Omnia illi, omnia filio suppetebant: deerat valetudo. Ne scilicet deesset testis humanæ miseriæ, & sortis. 1. Vt omnes Giezi posteri, 4. *Reg.* 5. hæredes erant leprę: ita ab Ada nati, ærumnarum sunt filij. Eadem incude procusi, iisdem ictibus sumus & obnoxij. Neminem excipiunt opes, honores, voluptas, potentia.

Infirmitas est.

1. Ab Ada.

2. Ab natura.

2. Statua *Dan.* 4. etsi caput aurea, brachiis argentea, pectus ænea, fœmur ferrea esset: erat tamen pedes lutea: lapilloq; tacta corruit. Hic est febricula. 3. Ps. 38 *Non saluatur Rex per multam virtutem: & gigas*, à morbis immunis.

II. Quærit S. Greg. de Christo saluatore: Cur, cum sit *copiosa apud eum redemtio* Psalm. 129. *Et ipse redimat Israel ex omnibus iniquitatibus eius*: permiserit tamen superesse corporis incommoda: peccati effecta: & non cum causa peccato abstulerit & effectum?

3. A fato pro satisfactione.

Respondet primo. Absoluta sanitas in alteram vitam gloriæ reseruata est: etsi hic perfecta sit redemtio ad gratiam. 2. Est etiam hic tanta fragilitas: vt venialia vitare nemo possit. Nam Prou. 24. *Septies in die cadit iustus.* Eccl. 7. *Non est homo, qui non peccet.* 1. Ioan. 1. *Et si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.* Quare in satisfactionem relictæ sunt pœnæ.

1. Sic petit satisfacere Iob. 6. *Quis dat, vt veniat petitio mea: & quod expecto, tribuat mihi Deus: & qui cœpit, ipse me conterat: soluat manum suam, & succidat me. Et hæc sit mihi consolatio: vt affligat me dolore, & non parcat.*

2. S. Augustinus in Medit: *Hic vre, hic seca: dummodo in æternum parcas.* 3. Sic Abacuc. cap. 3 *Ingrediatur putredo in ossibus meis, & subter me scateat: donec quiescam in die tribulationis: & ascendam ad populum accinctum nostrum.*

Secundo. Quia corpus, etsi per gratiam spiritui subiugetur, plene tamen nunquã potest domari; quin semper bellum sit peruicax ei & spiritui. Ideo morbis emacerandum relinquitur. Vt gemini in vtero Rebeccæ collisi *Genes.* 25. Sic corpus & spiritus vsque sibi pugnant. 1. Sed 1. Corinth. 12. *Cum infirmor*, corpore, *tunc potens sum* spiritu, 2. S. Gregorius *Infirmitas corpus cruciat: sed mentem curat.* Allusit huc sponsa, Cantic. 2. *Nigra sum*, corpore: *sed formosa*, spiritu; *sicut tabernacula Cedar, & pelles Salomonis*: foris rudia, intus bellula.

Corpus est rebelle spiritui.

3. Iacob opilio *Gen.* 32. ausus duellare cum Angelo, ab hoc in fœmore icitur, vt emarcuerit. Ita cum corpore humano egit Deus: Non id occidit; sed subneruat: ne recalcitret incrassatum, impinguatumq; fortunis.

Ideo subneruandũ.

4. Deus, *Iosu.* 11. spondens Iosuæ victoriam de quinque Regibus, iussit equos subneruari, & currus succendi. Vbi Orig. hom. 15. *Non præcepit Deus occidi, aut subneruari reliqua iumenta, oneribus apta ferendis: Quia caro non occidenda est, sed seruanda. Ita tamen, vt spiritui subdita, onera ferat ieiuniorum. &c.*

Equus animæ est corpus: subinde currum hoc agit in illam bellicosum: *At subneruatur*, ait Origen. *quando ieiunio, &c. corpus humiliatur.*

5. Ita Sancti. Vt S. Hilarion corpusculo suo: *Ego te fame conficiam: vt potius cibum cogites, quam delectationes.* Teste Hieronymo. Vt Euagrius, teste Palladio in Lausiaca, reprehẽsus seueritatis, ait, *Occidit me, occido illud.* Paulus 2. Corinth. 12. *Corpus meum in seruitutem redigo, &c. Gloriabor in infirmitatibus meis: vt inhabitet in me virtus* CHRISTI. S. Bern. *Optima infirmitas*: quę CHRISTI *virtute compensatur.*

PARS III.

Aduersa ad Deum adducunt.

Aduersa docent.

1. *Orare.*

I. *CVius filius infirmabatur.* Aduersa nos ad Deum euocant. 1. Psalm. 65. *In die tribulationis clamaui ad te: quia exaudisti me.* Non animo, & ore tantum oraui: Sed *clamaui*, quasi oppressus Psalm. 106. *Clamauerunt ad Dominum, cum tribularentur.*

2. *Agnoscere Deum.*

2. Nabuchodonosor *Dan.* 5. mutatus in bestiam, Deum agnoscit, sceptrũ gerens, eum negligit. Dauid tribulatus, ait *Cassiod.* pulcerrimos psalmos composuit.

3. *Seipsum.*

3 Alexander Magnus in fœmore vulneratus, ait: *Ecce Iouis Ammonii filium. Nemo me, vt Deum adoret: Hic sanguis me arguit mortalem.* Ideo hic iam sese desperans Regulus alium requirit Deum verum.

4. *Quærere Deum.*

4. Israelitæ, Ps. 77. *Cum occideret eos Deus in deserto: quærebant eum, & reuertebantur: & diluculo veniebant ad eum. Et rememorati sunt, quia Deus est adiutor eorum.*

5 *Sanant.*

5. Nam vt medicus amaris catapotiis depellit noxia, ac sanat: ita Deus.

6. *Faciunt gratos.*

6. *Contraria contrariorum sunt consequentia:* ideo tribulatio adducit memoriam: prosperitas obliuionem beneficiorum DEI. *Genes.* 49. Oeconomus Pharaonis liberatus obliuiscebatur Iosephi. 3. Moyses quam cauet obliuionem talem? Deut. 6. *Cum introduxerit te Dominus in terram: dederitque tibi, &c. Caue diligenter, ne obliuiscaris DEVM.* Oblitum Regulum monuit Deus.

7. *Euocant cœlo Deum*

Idcirco *Rogabat eum, vt descenderet.* Ita & S. Patres, Isa. 65. *Vtinam disrumperes cœlos, & descenderes.* Ps. 143. *Inclina cœlos & descende.* Matth. 27. *Si Filius Dei es: descende.*

8. *Fastum ponunt.*

II. *Rogabat eum:* Aulici hoc fastus est: Non enim adorabat. Ita Tribunus Ochoziæ ad Eliæum. 4. Reg. 1. *Homo Dei: Rex præcepit festinus descendere.* Naaman 4. Reg. 5. *Putabam quod egrederetur ad me Propheta, & stans inuocaret nomen Dei sui, & tangeret manu sua locum lepræ, & curaret.*

Modestior leprosus, *Matth.* 8. qui adorauit. Chananæa, Matth. 25. *postulans orabat.* Mater Zebedeidum Matth. 20. *accessit adorans, & petens.* Magi, Matth. 2. *procidentes adorauerunt eum.*

9. *Dæmon arguunt.*

III. *Rogabat eum.* Solenne potẽtum fuit Deascere. Scilicet continuata prosperitas, peruerso sensim iudicio, visa eis fuit sua quædam immortalitas. 1. Hinc *Domitianus* edicto sanciit, se Deum appellari. 2. *Maximinus* Senatoribus Romanis pedes porrigebat osculandos: Adque suam apposuit & Iouis statuam pariter adorandam.

3. *Demetrius* Rex Macedonum se Deũ fecit. 4 *Nabucho.* sui statuam similem adorari iussit. 5. Hanc dementiam in Rege Tyri arguit Ezechiel cap. 28. *Eleuatum est cor tuum in decore tuo.* 6. Zacharias ca. 10. Simile comparauit equis indomitis, exire visis è monte cũ quatuor quadrigis Monarchiarum. De quib. supra *Dom.* 4. *Aduẽtus*; Talis & Regulus ante: at nunc qualis?

Rogabat. Duo nota. Rogantem: & Rem, pro qua: Is Regulus: hic hæres regni. Vtrumque efficax. Sic Ps. 19. *Domine, saluum fac Regem.* Rex enim præcipue tua est in terris Imago. Ideo tu es Psalm. 143. *Qui salutem das Regibus.* Anguntur potentes; hæreditatem suam transire ad alios. Hoc doluit Dauidi in morbo infantis Bersabeæ. 2. *Reg.* 12. Ad hoc mortuo orabat pro Salomone & sese: Psalm. 13. *Deus iudicium tuum Regi da: & iustitiam tuam filio Regis.* Ezechias Rex, audito se moriturum: fleuit, quod illiberis esset. 4. *Reg.* Item & Abraham: *Ge.* 15. Vt quereretur: *Hic vernaculus meus hæres erit.*

PARS IV.

De cura liberorum: & ægrotorum.

A puero ad suescendum.

I. *ROgabat eum;* Quia soboles parentibus esse cordi, & curæ debent; vt euadant.

uadant honestæ & piæ: Ne degenerent à progenitore bono, & Creatore. 1. Vel corui non cognoscunt pullos exclusos albicantes, dum nigrescant, hi tamen nō ideo à senioribus suis abhorrent, nec deseruntur à Deo. *Greg. l. 6. Mor. cap. 18.*

Sin' profanum est.

2. Aquilę pullos ad solem probant; si oppositi eum irretortis intuentur, agnoscunt suos: Sin', abiiciunt. Ita si vel à cunis ad Deum adhibeantur proles, de facili se prodent, cuius indolis futuræ sint.

Atat, vtihic; quam de animæ, plus de corporis anguntur salute? Præposterum hoc. In veteri Testamento duplex pondus erat: *Leu. 5.* Commune; & Sanctuarij. Nolebat Deus eadem bilance ponderari Sacra, & profana. Ita subtiliore pondere filiis tradendæ sunt doctrinæ sacræ, & curæ piæ; quam profanæ. At iam, si proles ægrotet; si moriatur, hic luctus quantus? Si vero peccet; *quis est, qui requirat?* Ps. 61. *Mendaces filii hominum in stateris.* Talis Regulus hic.

Animæ prima in morbis cura cælo.

II. *Incipiebat enim mori.* Et hoc ingeniū est Mundi: Instante morte instat pro spiritualium cura: tum scilicet, cum ad omnia corpus inutile; & anima vix potens sui est, sensusque semimortui. 1. Non sic Martha & Magd. Ioan. 11. *Ecce, quem amas, infirmatur.* 2. Non sic Isaias Ezechiæ: sed mature monet. 4. Re. 20. *dispone domui tuæ quia morieris.* 3. Deus *Leuit. 11.* cygnum noluit sibi offerri: An quod nisi moriens cāret? Ita adusque mortem solam reseruātes emendationem sui, cætera muti, gratum Deo sacrificium nec sunt, nec faciūt.

4. Iussit Deus, *Num. 10.* Sub primum tubæ clangorem ad ostium Arcæ congregari Israelitas: Ad prolixiorem, & concisum, mouere castra. Prima tuba mortis semper sonat, adque templum nos euocat. Vel, Ad initium morbi confugeadS. Sacramenta: si prolixior morbus & concisus; iam consarcinato.

Humilium curator Deus est.

III. *Vade.* Non descendit: quantumuis rogatus. Cum tamen vltro Centurionis ad seruum iuerit. Ecquid hoc? 1. Quia Ps. 111. *Deus humilia respicit: & alta à longe cognoscit.* 2. Ideo cœlo descendens neglexit aulam Herodis; diuertit in caulam pecoris natus IESVS: Annunciaturque Pastoribus, non proceribus.

PARS V.

Aduersorum, & Prosperorum effectus contrarii.

Serui infausti Domini.

I. Occurrunt *serui nunciantes, quod filius eius viueret.* Serui boni est gaudere de prosperis heri, nunciareque bona.

1. At Iobo sui erant infausti nuncij. *Iob. 1. 2.* Similes *Luc. 11.* illi, qui villicum diffamabant apud Dominum; *Quid hoc audio de te?* aiebat ad eum. 3. Nuncium de cæde Saulis, eiusque participem, Dauid iussit occidi 2. *Reg. 1.* Qui mortem alterius spiritalem propalant, puniendi sunt, quantum fama est præ vita?

Aduersa erudiunt intellectum.

II. *Credidit ipse, & domus eius tota.* Hic fructus aduersitatum est. 1. Vere Isa. 28. *Vexatio dat intellectum*; quasi dicat, prosperitas stuporem inducit, vt homo obbrutescat. An non Psalm. 48. *Homo, cum in honore esset,* in prosperitate, *non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est eis?*

Affectum excitant pietatis veræ, etsi sera.

2. At erudiunt tristia. 1. Dauid. Psal. 17. *Circundederunt me dolores mortis, & pericula inferni inuenerunt me.* Atque ideo *Nomen Domini inuocabo Domine, libera animā meā.*

2. Epulo, *Luc. 16.* tum oculos ad Abraham subleuauit, cum arderet. 3. Nabuch. item Dan. 4. *Leuaui oculos meos in cœlum, & sensus redditus est mihi.* 4. Ad Christum Regulus, & filius redditus est ei.

Bonum malum: felix infelicitas, prospera aduersitas.

5. Eccl. 36. *Honora medicum propter necessitatem*; Qui vero sanus esset semper, non egeret medico, hocque eum minus ho-

noraret: Ita, cui vsque secunda fluerent.

6. S. August. *l.* 10. *Confes.* ait, Eo sua fuisse incurabiliora vulnera, quo habere se melius credebat.

7. Similes multi; in primis illi Harpastæ, apud Senecam *epistola* 5. Quæ cæca se cæcam non credebat, rogabatque conductorem, se vt in lucidiorem duceret locum, pati se tenebras non posse. Ab tali mentis cæcitate ignorata, liberat aduersitas.

Prospera dementant

III. Si quem albæ gallinæ filium fortunæ riuus inauraret totum, vt puris semper voluptatibus frueretur, is Dei prorsus obliuisceretur. 1. Eo infelicitatis felicitate peruenit Pharao; vt eum Domini monentibus diceret, Exod. 5. *Quis est Dominus: vt audiam vocem eius, & dimittam Israel: Nescio Dominum: & Israel non dimittã.* Proh! Vel vnum exemplum huius toni sat foret ad omnem prosperitatem metuendam.

2. Similis erat natio hominum effrenis, in quos deposcit vindictam Dauid, Psalm. 91. *Exaltare, qui iudicas terram: redde retributionem superbis.* q.d. Tuum, ô Deus, est diiudicare tyrannidem, tuo in regno inuasam à dicentibus cum animo suo: Psalm. 93. *Non videbit Dominus, nec intelligit Deus Israel.*

Heu! infandam Dei obliuionem! An potius matrem eius prosperitatem exitiosam? An vero æqualem iusti, & iniusti exitum? Nam Ps. 72. *Non est respectus mortis eorum, neque firmamentum in plaga eorum. Ideo tenuit eos superbia, & dixerunt: Quomodo scit Deus? Et, si est scientia in excelso?*

PARS VI.

Cur suos affligat Deus.

Vt humiliet: idque 1. Ad gratitudinem.

TOrsit non paucos quæstio: *Cur suos affligit Deus? Primo.* Vt humiliet; & superbiendi ansam tollat. 1. Aulicus; quotidie à Principe affectus beneficiis nouis, ni superbiret, pene miraculum foret: Sic Christianus. Cauet ideo Deus, ne damnationem sui acquirant ex beneficiis. 2. Testis Paulus. 2. Cor. 12. *Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, qui me colaphizet.*

2. Ad illuminationem mentis.

3. Eadem de causa Romani triumphãtibus in curru eburneo seruum à tergo apponebant, qui ei conuitia faceret; ac identidem hoc ingereret: *Hominem te esse memento.* Talis erat triumphator Paulus, eiusque conuitiator Angelus.

3. Ad patientiam iniuriarum.

4. Ostendit Deus Ezechiel. *cap.* 1. gloriam Dei in forma currus, & rotarum inuicem implexarum. Fit vox. *Hæc est similido gloriæ Dei* Paulo post alia vox accidit: *Fili hominis sta.* Ibi S. Gregorius quærit: An hoc titulo non sit iniuria facta viro tantum beato? Respondet: Deum humiliandi illius gratia id dixisse, neu se Angelum putaret.

4. Ad agnitionem sui.

Secundo. Affligit suos Deus: vt coronam parent afflictiones: quæ sint instar ignis, incudis, mallei. 1. Aurum, quod ignis vrit: excoquit: Ita hominem afflictio. 2. Istud Rebeccæ factum oraculum, Genes. 25. *Maior seruiet minori.* S. Augustinus quærit, qui id expletum sit: cum Esau dominatus sit in Iacob? Respondet: *Maior seruiet minori, non obediendo, sed vexãdo. Vt ignis deseruit auro.* Quod si igitur tribulationes prosint ethnicis, & impijs: quanto plus pijs?

II. Vt coronet. 1. Purificatum. 2. Tentati.

O igitur felix Patri, filioque febris! 1. Incensæ segetes excitarunt Iob, vt accurreret ad Principem, cuius iussa contemserat. 2. *Reg.* 14. O quis ignis exurat eorum segetem negotiorum, quæ nos ab Dei retardant obedientia? An, qualis hic reguli, febrilis? Eius vrebatur domus; Sed vt purgaretur ad fidem accipiendam.

3. Etiam coactum obedire.

PARS

PARS VII.

De febrium varietate.

Febris cum reliquit. Hæc medicis vària est. 1. *Quotidiana.* Isa. Similis gulæ hæc. Isa. 56. *Venite, sumamus vinum, & impleamur ebrietate, & erit, sicut hodie, sic & cras: & multo amplius.* Sic epulo Luc. 6. *Epulabatur quotidie splendide.* 2. Similia febri huic peccata venialia. Hæc *S. Augustinus lib. 50. Homiliarum*, assimilat arenæ, & guttis aquæ; quod inde anima sterilescat. Guttæ multæ flumen, arenæ montem faciunt: ita peccata venialia multa non paruam culpam, & pœnam aggerunt, disponuntque ad mortale.

2. Est & febris *erratica*, cuius nullum certum paroxisandi tẽpus. Hæc inuidiæ similis: quæ efferuescit, quandocumque laudes cuiusquam audit: Nimirum, *Non potest videre lucernam Domini*, 1. Reg. 3. *antequam extinguatur.*

Inuidus inuidia comburitur intus, & extra.

3. *Est tertiana.* Quæ frigus & æstum sęue alternat. Huic acedia similis, quæ proponit hodie vitam meliorem; cras remittit. Frigidum continet, & calidum. In ea sanguis deliciarum est minuendus.

4. Est *Continua*: Sic est auaritia, quæ semper vrit. Cætera peccata dant inducias, hoc nullas: Adimit cibũ, somnum, requiem: tria vitæ necessaria. Semperque sitit auarus, & eget. 1. Eccles. 14. *Non satiabitur pane, & in tristitia erit super mensam suam.* 2. Eccles. 2. *Cuncti dies eius pleni sunt laboribus, & ærumnis.* Ierem. 19. *Præsolicitudine quiescere non poterunt.* 3. Eccl. 9. *Saturitas diuitum non sinit ipsum dormire.*

5. *Quartana*: Superbiæ similis, curatu difficilis, & pertinaciter inhærens animæ & corpori. Mortui sunt hac febri Aman, Nabuchodon. &c. periere & Angeli.

5. *Hectica*, medullis & ossibus hærens, & exugens humidum radicale. Ita Luxuria. 1. Iob. 13. *Ignis est vsque ad consummationem deuorans: & omnia eradicans germina.* 2. Est ignis Sodomæ. 3. Ambros. in cap. 4. Luc. ait: *Febre flagrantior est libido.*

4. Hac cruciabatur Dauid orans Ps. 6. *Miserere mei, quia infirmus sum, sana animam meam, quia peccaui tibi.*

Perora ἀναλαφαλικῶς

DOMINICA XXII. POST TRINITATEM.

Simile est regnum cœlorum homini Regi, qui voluit rationem ponere cum seruis suis.

Matt. 18.

SEdit, *Apoc.* 20. Antiquus dierum, ad rationes, *& aperti sunt libri. Et contremuit cœlum & terra à maiestate vultus eius.* Ita hodie *Rex posuit rationes cum seruis suis, & oblatus vnus* factus est terror omnibus.

Nos

I. *De Misericordia, & Iustitia Dei.*
II. *Quæ causa parabolarum Christi & quod regnum.*
III. *Quæ vis exempli, & quod ius Regis.*
IV. *De ratione cum seruis posita.*
V. *De seruo debitore: & debito.*
VI. *De seruo nequam facto.*
VII. *Benigne faciendum egentibus.*

PARS I.

De Misericordia, & Iustitia Dei.

I. DOcet Philosophia, orbem polis sustineri duobus immobilibus, Arctico, & Antarctico. Ita Theologia; Diuinitatem consistere in Miseric. & Iustitia. 1. Psal. 24. *Omnes viæ tuæ misericordia, & veritas.* 2. Idem Attributa Dei perscrutans, eadem præcipue miratus ait, Ps. 11. *Misericordiam, & iudicium cantabo tibi.* *Ea eminẽt in Deo.*

Hac vtraque regit omnia. 1. Cuius signum: *Ea regun. ur omnia.*

gnum Angelus, qui Apoc.20.*posuit pedem Dexterum super mare: Sinistrum super terram.* Cōmunis Patrum tenet: notari IESVM cum Misericordia, & Iustitia sua. Hinc Ipse Matt. vlt. *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra.*

Suauiter. 2. Inter Sponsi dotes sponsa duas celebrat Cant.1. *Meliora sunt vbera tua vino.* Et Cant. 4. *Duo vbera tua, sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in lilijs.* Ea sunt Misericordia & Iustitia; quibus nos pascit Deus. Prou.5. *Vbera eius inebrient te.* Isa. 66. *Ad vbera portabimini.* Et Ps.21. *In misericordia vberi:* Metalepsis est, pro *In vbere misericordiæ.* 3. Hæc duo, sunt *Exod.* 25. duo illa in Arca; *Manna & Gladius.*

Et fortiter. 4. Ezechieli, *cap.* 1. Cherub ad flumen Chobar visus cum facie leonina, & humana: Deum notat Misericordem & Iustum. Psalm. 111. *Misericors, & miserator, & Iustus Dominus.* 5. Item *Apocal.* 1. Visus Angelus cum ancipiti gladio in ore, & stellis in manu. At in hieroglyphicis signum clementiæ, stella est: Iustitiæ, gladius. Hæ duæ Cynosuræ sunt cœli, terræ, maris.

Imitanda sunt superioribus. II. 1. Regum Aegypti sceptrum in imo præferebat caput Hippopotami, sæuæ feræ in summo Ciconiæ, auium placidissimæ, caput. Symbolū est, in regendo Regem imitari Deum oportere; *vt superexaltet Misericordia iudicium.* Regum Galliæ nonnullorum fuit symbolum: *Pietate & iustitia:* Conforme præsenti proposito.

Pariunt amorem, & timorem. 2. Vidit Daniel, *cap.* 10. virum, *cuius facies, sicut facies fulguris, & oculi, vt lampas ardens: & brachia, quasi species æris candentis:* His horribilem ad terrendum; At istis mitem, ad alliciendum, *cum veste linea, Fidei & Zona aurea,* Charitatis; quæ *est vinculum perfectionis.*

Sunt manus Dei. 3. Ad thronum Salomonis erant, 3 Reg. 10. *Duæ manus hinc atque inde tenentes sedile.* De illa iustitiæ manu Iob. 19. *miseremini mei vos &c. quia manus Domini tetigit me.* De hac misericordiæ, Ps.144. *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.* De vtraque, Psal. 101. *Opera manuum tuarum sunt cœli.*

Corque geminum. 4. Ferunt Physici: Elephanto cor esse geminum: vnum furoris; alterum clementiæ, Psal.114. *Misericors Dominus, & Iustus, & Deus noster miseretur.*

5. Patet hic: Debenti 10000. talentorū imperat iustam solutionem Dominus, venditis etiam omnibus: Roganti remittit omne debitum: Non remittenti vicissim reuocat remissum, aggeritq; pœnam geminanti culpam contra Regem prius, iam contra proximum admissam.

PARS II.

Quæ causa parabolarum Christi. Et quod Regnum?

Cur vsus parabolis Iesus. I. CHristus amat vti parabolis. 1. Quod Palæstinis familiare id esset: 2. Et vt hominum stupori se accommodaret: neu ab rerum altitudine, & captus sui angustia se quisquam excusaret. 3. Vt impleret prædictam suam benignitatem: Oseæ 11. *Ego, quasi nutricius Ephraim, portabam eos in brachiis meis,* per doctrinam captui accommodatam.

1. Ob mor. 2. Ob capt. nostrum. 3 Ob fractū & ornatū.

Vere *per omnia similis nobis factus, absq; peccato:* similis in docendi modo, & loquendi idiomate. 1. Designabat id in eo sponsa, Can.1. *Muræ nulas aureas faciemus tibi.* LXX. habēt, *Similitudines,* auribus animarum aptas: *faciemus;* quia ex vulgari sermone nostro repetes eas: Et vere *aureas;* quod ornent & ditent animas.

3. Ob benignitatem suam. 2. Gemmæ auro includi assolent, ornatui maiori acquirendo; At *sermo Dei* Ps. 18. *desiderabilis super aurum, & lapidem pretiosum multum.* Attamen parabolis inclusus est; Quia quasi in vagina gladius est Eph. 4. *Assumite gladium Christi, quod est Verbum Dei.* Quod si Rex strictum manu vibra-

vibraret ensem, dum qua iret: sane obuij fugerent; potentiam, licentiam metuentes, & iram. Itaque vagina conditum gerit. Ita Dominus Verbi gladium in parabola. Vt hic.

Ecclesia militantis & iactat. o.

II. *Regnum cœlorum*, Ecclesia est. Huius prouincia duplex. Triumphans: quæ in cœlis: & Militans: cui vix vlla pura, certaque iucunditas est 1. Vt 2. *Reg.* 6. Iudæis Arcam ab Philistæis recuperatã referentibus Ierosolymam, gaudium ingens erat: at Ozæ interitu interruptum, ac corruptum. 2. Bene igitur Achab Regi Benedab, cingenti ipsum exercitu, in quo XXX. Reges, dixit 3. Reg. 20. *Ne glorietur accinctus æque, vt discinctus*; quasi dicat. Anceps belli est alea, & exitus incertus: Ita & Militantis Ecclesiæ. Ne igitur triumphũ canat ante victoriam.

Ad arma nos hæc euocat. Ad nos Paulus extimulat; sicut Achab Iosaphatum Rex Regẽ, 3. *Reg.* 22. Vocat & Iesus. Quippe Isa. 40. *Iste est quem mittes pater æternus in sagittam electam, & gladium acutum*: Misit ex Triumphante ad Militantem similem illi regno cœlorum: vt vmbra luci est; vtque parabola veritati similis.

PARS III.

Quæ vis Exempli: & quod ius Regis.

Exempla docent, & visa monent.

I. *Simile regnum cœlorum.* Parabolę partes duæ. Prior docet, vt omnes agnoscamus, nos peccatores esse. Altera; peccatoribus ignoscendum. Sed quia rari se agnoscunt ipsi: in figuris nos ipsos nobis exhibet Deus. 1. Pramasius pictor nobilis, vt Prometheum distentum & distortum in rupe, ad viuum exprimeret, seruos cõductos, crucifixos funibus distendebat, neruis, musculisque perspiciendis. 2. Lacedęmonii, refert *Plut.* seruos inebriabant; vt filii eorum visu ipso vitium detestarentur. Ita Iesus debitorem nobis proponit: ex quo de nobis æstimemus. 3. Vel ipse Dauid, in cæteris lynceus; at talpa in animæ rebus; hoc conqueritur: Psalm. 37. *Dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum non est mecum.* Se enim inspicere neglexerat. Nathan ideo prophetes, quo oculos ei aperiret; parabola vtitur. Qua audita Rex, alium iudicans, se condemnat ipsum 2. *Reg.* 12. Ita hic Dominus; nostro bono. Ergo *exemplo disce sapientiam.*

Rex Christus.

II. *Homini Regi:* Christo, in cuius fœmore scriptum, Apoc. 19. *Rex Regum, & Dominus dominantium.* Huius serui sunt Angeli, iure Creationis: & duplici, homines; Creationis, & Redemtionis: Quo ei parendum diligentius. Parendum & Regibus terræ est.

Rex minister iustitiæ sit.

Regis est, subditis æquitatem administrare. 1. Philippus Macedo, ab fœmina rogatus, sibi ius reddi; excusauit occupationem aliam in præsens. Cui illa; *Nec te Regem habeo, quem iustitiæ vindicem habere nequeo.* 2. Certe ex opilione Rex orabat, Ps. 71. *Deus, iudicium tuum Regi da; & iustitiam tuam filio Regis* Salomoni. Dei iustitiam orat: quia hæc misericors, & maiora ignoscit: Non hominum; quia hi sæui, & minora morte mulctant. Dauid morti addicit raptorem ouiculę; Deus ei homicidæ condonat. 2. *Reg.* 12. Ita Rex hic in seruum; & seruus in conseruum secus.

Sed in primis misericordia.

Rex, minister Iustitiæ, hic *Homo* dicitur: Quod misericordiæ esse memorem oporteat iudicem. Nam sine hac, Iustitia summa sæpe iniuria est. Cui potestas, ei sit & humanitas. Sin'; illa fit crudelitas. 1. Memineritis ergo Prælati; Etsi Psalm. 81. *Dij estis, & filij Excelsi omnes*: Veruntamen, *Vos autem sicut homines moriemini*, quasi dicat; vt dij, ius vitæ & mortis habetis; sed accepistis; ideoque & ipsi iudicandi. 2. Socrates nuncianti; *Senatus te morti addixit*, ait; Et illos *olim Natura*, quasi dicat. Sui immemores quia sunt; tam inique

iudicant: quasi & ipsi non forent iudicandi.

PARS IV.

De ratione cum seruis ponenda.

Iudicabuntur omnes, & omnia.

I. VOluit rationem ponere cum seruis. Cum quibus? De quib? *Omnes nos.* 1. Cor. 5. *manifestari oportet ante tribunal Christi: Vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum siue malum.* Nam Eccles. 12. *Cuncta, quæ fiunt, adducet Deus in iudicium pro omni errato: siue bonum fuerit, siue malum.*

Etiã iusti.

Etiam iustissimus quisque apprebit: nam quid Iob queritur? cap. 17: *Non peccaui: & in amaritudine moratur oculus meus.*

Et occulta.

At, quid nosti, nõ peccasse te? 1. Rom. 2. *Iudicabit Deus occulta hominum.* 2. Ideo Dauid, Psalm. 18. *Ab occultis meis munda me: & ab alienis parce seruo tuo.* Non est Deus, sicut homo; qui nota iudicat: nam occulta etiam Deus. 3. Hinc per Nathan denunciat Dauidi, 2. Reg. 17. *Tu fecisti abscondite: Ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel: & in conspectu solis.* 4. Ne id porro sibi eueniat, sic orat. Psalm. 50. *Tibi soli peccaui, & malum coram te feci*: quasi dicat: Non dedi scandalum publicum.

II. *Rex ipse* ad rationes sedet: non Vicarium submittit. Ita Assuerus, *Esth.* 6. Annales sibi afferri iussit, quę *illo præsente cum leguntur*, reperit: quod alius reticuisset. Oculus Regis solus quadrat iustitiæ Legis.

Rationes mundi.

Deinde, *Cum seruis.* Cur non cum Dominis, Quæstoribus? &c. Ingenium ostendit mundi: in quo

1. *Dat veniam coruis: vexat censura columbas.*

2. Ita Saul. 1. *Reg.* bruta Amalecitarum occidit, Regem dimittit impunem, 3. Dauid Amalecitas latrones publicos dimittit; persequitur latrunculos, 1. *Reg.* 30.

4. Anacharsis Scytha Philosophus leges aranearum telis similes aiebat, quæ muscas retinent, fucos & vespas nil moranatur: Ita, ait, furibus parcitur, non furunculis.

Dei tamen serui sunt Reges quoque. Vt Dauid Psalm. 50. *Ab alienis parce seruo tuo.* Idem *Ego famulus tuus, & filius ancillæ tuæ.* Omnes rationem reddere oportet, num sint veiles Domino, & quantum. Nam hoc fine seruus assumitur. Cuius gratia prisci in domum seruis introductis super caput effundebant fructus & legumina: vt meminerint se Dominis quandam esse cornucopię oportere. Talis fuit Labano Iacob: *Gen.* 30. Ioseph Putiphari: *Gen.* 39.

PARS V.

De seruo debitore, & debito.

Debitores variè declinantes per omnia casus.

I. OBlatus est ei vnus. Vnus? An non omnes debitores sumus? Certe psalm. 13. *Omnes declinauerunt, & simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.* In Grammatica dæmonis *declinauerunt.* 1. Alii in Nominatiuo, mancipia famæ ac nominis: Psalm. 48. *Vocauerunt nomina sua in terris suis.*

2. Alii in Genitiuo; vt vel generent illegitime, vel genitos locupletent ac euehant. Similis Zebediadi. *Matth.* 20. 3. Alii in Datiuo, per largitiones & corruptiones: Similes Amano, *Esth.* 3, qui pro ferali in necem Iudæorum edicto, sic spondebat: *Decerne, vt pereant; & 10000. talenta rum appendam arariis.* Sic Iudithæ spondet Holofernes, vt ea potiatur. Iudith. 11. *In domo Nabuchodonosor magna eris; & nomen tuum nominabitur in vniuersa terra.*

4. Alii in Accusatiuo: Vt detractores, similes duobus senibus *Dan.* 13. Susannã accusantibus adulterii: Similes Iezabeli accusatrici falsæ Naboth, vt perimeretur. Similes Semei maledico in Dauidem, 3. *Reg.* 21. 5. Alii in Vocatiuo: qui flagitia alio vocant nomine; vt acediam, otium, libidinem, fragilitatem, &c.

6. Alij

6. Alii denique declinauerunt n Ablatiuo: vt raptores, vfurarii. Similes Heliodoro templi expilatori. 2. *Mach.* 3.

Est Ablatiuus nonnullis solus in vsu.

Atque ita *Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt.*

Debitum aris finitū est.

II. Attamen *Oblatus est ei vnus, qui debebat* 10000. *talentorum*: id est, sex auri vasa. Nam talentum, Budæo, est 600. Coronatorum. Vnde duo miranda. 1. Bonitas Regis, tantum concredi ei, qui soluendo non sit: 2. Socordia prodiga serui in curatanti thesauri.

Peccati infinitum.

S. Hieronym. & Augustin. intelligunt peccata mortalia: Ex quibus patratis remanet in anima nil preter maculam: vt *Diuo Thomæ p. 2. q. 86 art.* 2. placet: Vt autem *Scoto in 4 distinct.* 14. etiam obligatio ad supplicium: Secundum *Psal.* 114. *Declinantes in obligationes adducet Dominus operantibus iniquitatem.*

Est vero peccatum infiniti debiti; ob deperditam infiniti pretii gratiam. Id quod luculentam constituit differentiam inter debitum peccati in hominem, & peccati in Deum. Exemplo sit Dauid: Qui tametsi in Vriam, Bethsabeam, & regnū peccasset; id minoris ducebat: Hoc deplorabat; quod in Deum: *Tibi soli peccaui: malum coram Te feci.*

At omnes peccauimus.

Omnes vero debitores sumus. Quia Rom. 3. *Omnes peccauerunt, & egent gratia* Dei: Iac. 3. *In multis offendimus omnes.* Mat. 6. *Dimitte nobis debita nostra*: Non debitum. Quia 2. Paralip. vlt. *Peccaui super numerum arenæ maris.*

Ergo solicitissimus.

Et quisquam tantis obrutus debitis adhuc in aurem stertet vtramque? Eques Romanus etiam quasi animam debebat: moritur. Omnia eius sub hasta veneunt. Audit istud Oct. Augustus: iubet illius sibi culcitram emi: cui is tam secure potuit indormire; forte & sibi eam somnū conciliaturā. Ita *Macrob. Satur. l. 2. c.* 4. Magis miranda peccatoris est securitas.

Sin' trademur peccato.

III. *Iussit eum venundari*, &c. Ita moris quondam. Liquet, 4. *Reg.* 4. vbi Vidua sic Eliseo. *Ecce creditor venit; vt tollat filios meos ad seruiendum sibi. Iussit*, id est, permisit: vt *S. Hieronymus* expon. 1. Nam permittit Deus peccatorem vendi quasi in mancipium dæmoni, cum concupiscibili & irascibili affectu, omnibusque operibus. Ex quo patet, peccatorem constitui per vnum p. m. debitorem Dei quoad animam, potentias, corpus, & sensus omnes. Hæc enim sunt *omnia quæ habet.*

In Scrip. etiam *Vendi aliquem* tantundem est, ac deseri, reiici, in reprobū sensum dari. Ro. 7. *Ego carnalis, venundatus sub peccato.* 1. Mach. 1. *Recesserunt à testamento sancto; & venundati sunt, vt facerent malum.* Isa. 50. *Ecce, in iniquitatibus vestris venditi estis: & in sceleribus vestris dimisi matrem vestram.*

Et simul participes peccati.

IV. *Et vxorem eius & filios* subhastari. Ecquid Isti commeruere? Istud quod participarint de serui peccato. Vt sit luxu vestium, victus, &c. In *Historia de viris Illustribus ff. Cistertiensium* legitur: Mercatorem Infirmum testaturum, accito tabellioni dixisse: Sic scribe: *Corpus meum terræ detur, ex qua sumptum fuit: Anima vero dæmonibus.* Cohorrescentes amici monent virum; increpant; At is instat iterum, ac tertiū: *Anima mea dæmonibus detur: quia iniuste multa corrasi. Et vxoris animæ, quod me impulerit: Et filiorum animæ, quos ditare contendi.* Dixit: simul animam exhalauit.

PARS VI.

De seruo nequam facto.

Omnia reddi quibus possint modis.

I. *Omnia reddam tibi.* Qui poteris? Quid ais? Bene! Potes namque. 1. Quia ea Domini est bonitas, vt *omnia*, vel frigidæ hausturn, in satisfactionem admittat.

2. Quia cum homini *omnia* sint subdita, is se subiiciendo, reddendoque Deo, omnia reddit. 3. Quia pœnitenti *omnia*,

quæ operatur, bibat, siue dormiat, &c. omnia cedunt in satisfactionem.

4. Quia scit, si nostra ad Christi merita referantur, & hæc nobis applicentur, omnia facile solui posse. 5. *Omnia reddam* in Confessione, nil silentio reseruãs: Sicut & Deus in ea dimittit omnia. Ps. 50. *Omnes iniquitates meas dele. Cor mundum crea in me Deus* &c.

6. Reddam omnes animæ potentias, & corporis sensus, obsequio Dei mancipandos. Sicut victimantes, sola Diis corda, & capita offerebant singulariter: cætera in minimis erant. Sic *Strabo* de quibusdam Gentibus. At Iudæi omnia offerebant. Vnde Ps. 83. *Cor meum, & caro, exultauerunt in Deum viuum.*

Promisit *omnia* seruus: reddidit nihil. Quia dimisit ea omnia Dominus. At conseruo nihil remisit seruus: Quia *nequam erat.*

Seruus cur nequam.

II. *Serue nequam.* Quianam? debitum, & quod suum, exegit. At, vere *nequam.* Primo. Quia suffocabat eum. Hæc vero vis summa, & p. m. est. Et quanto maius, quam verbo *Racha* læsisse? Secũdo. Quia sua autoritate nexum fecit. Quod magistratus est, non priuati.

Tertio. Quia cogebat inopem soluere, cui impossibile erat in præsens, quicq; bonæ voluntatis fuit. At egenti etiam dandum erat, non rapiendum. 1. Ioann. 1. *Qui viderit fratrẽ necessitatẽ habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas est in eo?*

Quarto peccauit ingrati animi vitio, non faciens alteri, sibi quod fieri voluit, & obtinuit factum. Vel intalis sui Domini gratiam, gratiam conseruo præstitisset. 1. Bene versus ille:

Lex, & Natura, Cœlum, Deus, omnia Iura
Damnant ingratum, tristantur eum fore natum.

Vel improbis est beni-gne faciendum

2. Esto, nõ conseruus, sed vel hostis fuisset. Naturam tamen habuit communẽ. Vel huic ius suum reddidisset. 3. Iehu Rex, 4. *Regum* 9. canibus discerptam videns sanguinariam Iezabel, ait: *Sepelite eam. Quia filia Regis est.* At maior naturæ, quam Regis reuerentia esse debet. Nam ius maius est. 4. Zachariæ cap. 14. promisit Deus: *Erunt lebetes in domo Domini quasi phiala coram altari:* Id est, Animę carnales in quib⁹, vt cacabis carnium, varia concupiscentiæ vitia ebullierunt, post Christum vertentur in vasa electionis. Heu, qualis, hic nequam seruus? lebes fuit, & cacabus. Quam nidorosis ebullijt passionibus?

Commiserandus ipsis.

III. Omnino, misericordia qui indiget, is aliis misericordiã præstet. Qui ipse peccat; & aliis ignoscat idem. 1. Quid est, quod in reum obruendum lapidibus iusserit Dominus singulos vrbis ciues congregatos, iacere lapides? *Philo super Cantica* respondet. Vt, si quis foret eiusdem reus delicti, ingemisceret, & condoleret.

2. Cur in filiorum Leui potestate refugij ciuitates esse Deus voluit? Respondet ibidem Philo: Vt sui memores Leuitæ ad commiserandum essent faciliores; tanto, quod filij Leui & ipsi homicidæ fuissent Sichemitarum; & adorati vituli idololatrarum. Cum igitur hic seruus in eadem fuisset damnatione, misericordiam indeptus; *oportebat & ipsum misereri conserui sui.*

PARS VII.

Benigne faciendum egentibus.

ATT misertus est nihil. Id quod audientes hodie quidam in eum fremunt, cum ipsi eo sint iniquiores sæpe in confratres Christianos; taceo debitores; pauperes inquam. Ille creditor vrebatur iure suo in monendo debito, & roganti dilationem, vim inferebat. Pauper, amore Dei, (qui omni iure potior,) te orat eleemosy-

mosynam: & tamen, quamuis indigus, à te fert repulsam. Scito, non pauperem; sed Deum te repulisse. Quanto Deus maior est illo serui Domino; tanto tua in Deum, quam illius in Dominum, maior quoque iniuria est, & noxa.

Heu! quo inclementiæ recidimus? 1. Olim, *Deut.* 23. sic præceperat Dominus. *Ingressus vineam proximi tui comedes vuas, quantum tibi placuerit: foras autem ne efferas tecum.* Iam, non appellato hero quisquam pauper iniret tutus? Nec tuto rogarit quidem.

2. Ioseph, *Genes.* 42. edixit fratribus. *Non videbitis faciem meam, nisi fratrem vestrum minimum adduxeritis.* Idem Deus: Nõ videbis faciẽ meã me orans, nisi pauperem, minimum fratrem adduxeris.

3. Si *homo homini* vsquam *lupus* sit; hic seruus conseruo lupus fuit. Et frater dines non esset lupus pauperi, adeo durus in ipsum? Quid? Lupus? Immo Satã. Cuius malitiã Dominꝰ aptius exprimere nesciés, dixit Matthæi 13. *Inimicus homo fecit.*

4. Ita Dã. 8. Nabuchodonosor mitiores fore leones rebatur in Danielem, proiectũ in lacũ, quam æmulos eius homines: ideo horum causa lacum obsignauit. 5. Hos metuebat, qui orabat: *Eripe me Domine ab homine malo.* Psalm. 139.

DOMINICA XXIII POST TRINITATEM.

Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo. Matthæi 22.

POntifex *Exod.* 28. Iudæorum, in lamina aurea ad frontem nomen Dei *Iehoua* scriptum gerebat: indicio, eum, tantum quantum, Deo esse consecratum. Homo, quasi Pontifex orbis Dei, non solum nomen, sed imaginem essentiæ diuinæ præfert in fronte animæ; argumẽto, signatum ac debitum Deo esse totum oportere.

Nos

I. *Quod naturalis sit appetitus Veri in hominibus.*
II. *Quantum ab lingua sit periculum?*
III. *De interrogantium Dominum adulatione.*
IV. *De eorundem hypocrisi tentatrice.*
V. *De Denario oblato.*
VI. *De Imagine Denarij.*

PARS I.

Quod naturalis sit appetitus Veri in hominibus.

I. PHilosophia hæc perpes fuit: *Intelligere* essentialem hominis proprietatẽ esse, eiusque operatione comprimis delectari: Vt sua quodque animal. 1. Hinc Quinct. lib. 1. de orat. Instit. *Sicut aues ad volandum, equi ad cursum, ad sæuitiam feræ gignuntur, ita nobis propria est mentis agitatio, atque solertia, vnde origo animi cœlestis creditur.* 2. Et Commentator Auerrois in 2. de Anim. *Scientia est prima animæ perfectio.* 3. Augustin. in Enchir. *Fecit Deus rationalem creaturam, vt summum bonum intelligeret.* 4. Arist. 1. Metap. *Omnes homines natura scire desiderant.* *Hominis est propriè intelligere.*

Cæterum, 1. *Sicut bonum est obiectum voluntatis, ita Verũ intelligentiæ.* Aristot. 1. Metaphy. Quia, ait Lactãc. lib. 3. Instit. Christ. *Naturam hominis Deus Veri adipiscendi cupidissimam fecit.* eam dicat insatiabilem caro. Cic. *vt lib. 1. offic.* Ratio, quia omnis potentia obiecti sui fruitionem naturaliter sequitur, vti perfectionem suam: *Arist. 2. de anim. & 10. Ethicor,* Perfectio autem rationis, cognitio est veritatis. *At Verum deamat.*

II. Ideo orat. 1. Psalm. 24. *Dirige me in veritate tua.* 42. *Emitte lucem tuam, & veritatem tuã.* 2. Deplorat idem improbos Ps. 5. *Non est in ore eorum veritas: cor eorũ vanũ est: sepulcrum patẽs est guttur eorum.* 3. Ideo soli- *Hoc oret à Deo.*

cite Moyses, Exod. 8. *Prouide*, Domine, *de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus sit Veritas.*

Eiusdem figura. 1. In Pontificis Rationali Deus inscribi iussit. *Doctrina & Veritas.* 2. In *cæteris* Tobiæ laudibus illa princeps, *Tob. 1. In captiuitate positus, viam Veritatis non deseruit.* 3. Nec in Christo maius Veritate vidit Ioannes, cap. 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenum Gratiæ, & Veritatis.* Itaque hic Pharisæi sumunt *Verum* in Christo, vt faciant fucum palpo suo, capiendo Domino.

Exemplū.

Veritas.

PARS II.

Quantum ab lingua sit periculum.

Techna quæstionis positæ. I. CVm ab Augusto totus orbis describeretur; tūc *Ioseph. l. 18. Iud. Antiq.* & Act. 5. *Extitit Iudas Galilæus in diebus professionis, & auertit populum post se*; ne Cæsari tributum pēderent; *& ipse periit, & omnes, quotquot ei consenserunt, dispersi sunt* ab Romanis. Atque etiam tum inuitum erat vulgus ad idem tributum. Quare moliuntur hac quæstione Dominum vel in inuidiam apud populum trahere; aut in crimen læsæ maiestatis vocare. Nam quærebant; *Vt eum in sermone caperent.*

Lingua periculosa est reste

Periculosum lingua membrum est.

1. Deo. 1. Vt verissimum sit: Iac. 3. *Qui non offendit verbo, hic perfectus est vir.* 2. Quo perfectior Iob: quem, etsi omnibus membris percusserit Satan; non tamen in lingua. Forte vt hanc ad peccandum relinqueret potentem. Vnde Iob. 19. *Adhæsit os meum carni meæ; & derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos*, quasi dicat, omnia afflicta sunt in me, sola lingua superat intacta.

2. Satana.

3. Natura. 3. Forte, quia tam est periculosa; duplici eam Deus septo muniuit. *Plinius* ait, duas in ea venas esse; Vna ad cerebrum, ad vsque cor altera pertinens. Vt discamus tum moderatu esse solicitam ac difficilem: tum orationis cum ratione & corde esse consensum oportere.

Ergo frenanda. II. 1. Quare Eccl. 28. *Verbis tuis facies stateram? & frenos ori tuo rectos: & attende, ne forte labaris in lingua, & cadas in conspectu inimicorum*: dæmonum. Freni sunt Dei amor, timor; pudor tui, & hominum; silentium, secretum, detractionis odium.

2. Psalm. 18. *Si mei non fuerint dominati* sensus; *tunc immaculatus ero, & emundabor à delicto maximo*; quod membrorum maximo, non mole, sed malitia, fieri potest. O scintilla, quantos sæpe das ignes?

3. Custos, & rector regni totius optimus Dauid orat, Psalm. 14. *Pone Domine custodiam ori meo.* Et *Custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea.* 4. Ab hac sibi maxime metuebat Sapiens, Eccles. 22. *Quis dabit ori meo custodiam; & super labia signaculum certum; vt non cadam in ipsis, & lingua mea perdat me.* Plus diffidebat linguæ, quam fideret suæ sapientiæ. Ac tanto sapiebat diuinius.

PARS III.

De interrogantium Dominum adulatione.

Adulatores verum sæpe dicit. I. MAgister, *scimus, quia verax es.* Vah palpones! 1. Similes Aegyptiis; qui Iudici ex collo icunculam Veritatis saphyrinam suspendere solebāt. Vt *Aelian. in variis.* Recte tamen. Christus enim vere est summus Pont cuius erat ad pectus gerere Rationale, inscriptū vocibus, *Vrim, & Thumim*, id est, *Doctrina & Veritas.*

Sed nota. 2. Tubicen quidam bello captus, cum neci addicitur, ait: parcite; nec enim quē quam occidi: Cui hostes: At incendisti alios ad cædem cantu. Tales sunt adulatores. Assentando ad peccatum inducūt alios. Nam Eccles. 40. *Tibiæ & Psalterium suauem faciunt melodiam: & super vtraque lingua suauis*, præsertim adulantis, aut etiam audientis.

II. Caue; & obsepi aures aduersus Sirenen

Ergo 1. Cauendus est.

Venen hanc incantatricem. 1. Esto, quales locustæ. Hæ, oleo aspersæ, moriuntur, aceto, redanimantur. Ita tu; Dic Psal. 140. *Corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me* quasi aceto; *oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.*

2. Execrabilis Deo est.

2. Cygnus *Leu.* 11. immundus Deo fuit, & sacrificio exclusissimus: forte, quod sub mortem canat. Sic adulatores, morti, id est, peccato vicinos laudant cygni cantu sacri & inestabiles.

3. Damnosum.

3. Plin. *l. 8. c. vlt.* notat, pluuiam portendi, cum greges per pascua cursitando lasciuiunt. Ita cum bestiæ adulatores in aulis lasciuiunt, in proximo malum aut Regi, aut regno, aut alij paratur. 4. Moriente Iacob, *Gen.* 49. omnis Aegyptus luctum bimestrem tenuit; nullum vero mortuo Ioseph: Istud, in gratiam Iosephi rerum Domini. Ita palpones adorant orientes, at soles auersantur occidentes.

4. Temporizans.

Melvetitum felle peius.

5. Mellis vsum *Leu.* 12. vetuit in sacrificiis Deus. Eo ab operibus nostris proscripsit adulationem. Nam Augustin. Enarr. in Psal. 69. *Plus nocet lingua adulatoris, quam manus persecutoris.* Et Prou 27. *Meliora sunt vulnera diligentis, quam oscula fraudulenta odientis.* Quia Psalm. 27. *Tota die iniustitiam cogitauit lingua tua: sicut nouacula acuta fecisti dolum.* O hamum inescatum? Mors in te. Procul hinc.

Principibus cauēda adulatio.

III. 1. Iul. Cæsar aiebat: *Volo instar vrsi curari.* Vrsus, natura mellis appetens, dū laborat grauedine capitis, aluearia circumit, non vt sorbeat mel, sed ab apibus compunctus, sanguinem mittat, sicque sanetur. Ita Cæsar maluit morderi dictis, quam palpari. 2. Vt formicæ, aut muscæ gustato oleo moriuntur: ita Principes peruertuntur palpo. 3. Diogenes aiebat: *malo incidere in coraces: quam colaces.* Hi enim viuis oculos, mortuis isti effodiunt.

Prædicatoribus maxime.

Prædicatores vero quam minime decet esse adulatores. *S. Greg. Nyss. in Cant.* Quærit: Cur Sponsus dentes potius, quā labia sponsæ laudet? Respōdet: Dentium beneficio verba efformari solida, cibūque dari corpori: neutrum bene labia sola præstare. Ita prædicator adulans, merus Labio est; docet, & pascit. Quare sint Cant. 1. *dentes tui sicut greges tonsarum: quæ veniunt de lauacro*, quasi dicat: Mordeant; sed ouina cum mansuetudine, qua cum se lauari sinunt, ac tonderi. Ergo & oui sui dentes insint.

PARS IV.

De eorundem hypocrisi tenteria.

Hypocrisis 1. execrabilis.

I. OMnis adulatio est filia hypocrisios: Et hæc in primis exosa Deo. Vetuit hic in V. T. contexi vestem ex lana & lino; quod hoc sub villis iftius delitescat innotabile. Ita fictum sub fuco veri afferunt hic Pharisæi. 2. Ficus, arborum sola fuit maledicta. *Mar.* 11. Ob virorem lætum? Non: sed sterilem. Deinde cortice tenus aspera est; at succo dulcis, & quasi lac in foliis. Ita quidam apparēt vitam ducere asperam: at intus mollem agitant. Scilicet *Qui Curios simulant, & Bacchanalia viuunt.* Ita hic Pharisæorum lingua dulcedinem distillat: cor laqueos parat. *Magister scimus, &c.* Vah *Hic populus labiis me honorat; cor autem eorum longe est à me.* Matth. 15. Dicitis & non sentitis, docetis bona: non facitis. Quid vero? Ecce.

Cordis & operis concordia postulatur.

II. Intentio agentis opus diiudicat. 1. Ferunt, si dextera in cauernam serpentis ingeratur, eam ab hoc non lædi: Sin' sinistra, lædi, quod huius venæ ad cor pertineant. Ita per sinistram intentionem hypocrisis cor petit. Quippe *Cor stulti in sinistra illius. Eccl.* 10.

2. Num ideo, *Leu.* 9. Deus sibi voluit pectusculum offerri, & humeros; quod cordis intentionem cum opere consentientem postulet? 3. Certe sic Sponsus Cant. 8. *Pone me vt signaculum super cor tuū, vt si-*

vt signaculum super brachium tuum. 4. Aliquando Iulio Cæsari,& Aelio sacrificantibus, corda non reperiebantur in victimis. Augures consulti respondent; victimas Diis non placere. Excors est opus hypocriticum; displicetque Superis.

5. Cynocæphalon pingebant prisci adorare lunam; & adscribebant: *Aliud sub pectore gestat.* Et hypocrita fingit se adorare quicquid vanum sapit ac mundanum, at animo fraudem struit. Vt hic isti Pharisæi; Laudant, vt capiant.

Christus solus verax.

III. Magister, &c. tria laudant. 1. Vitæ sinceritatem. 2. Doctrinæ veritatem.

3. Iustitiam: *Non est tibi curæ de aliquo.* Maxima hæc, & Diuinitatis indicia non parua. 1. Vere viam veritatis docet; Docuit Aristot. viam Naturæ; Mahomet viã Satanæ, Moyses viam Figurę; Ethnici viam Fabulæ. *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes.* Ps. 118. 2. Christus maior in hoc Zorobabele. 3. *Esd.* 3. qui præ cæteris verax dici meruit. 3. Esto; fit *omnis homo mẽdax*: at *scimus Iesu, quia verax es.* 4. Ideo de te Pater, Ioan. 3. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui; Ipsum audite.*

Tentatores.

Ergo. *Magister scimus* Messiam non fore pseudoprophetam; non fore solem, & lumen mundi; sed fore Dei filium, Redemptorem hominum, ac proinde nec falli, nec fallere posse magis, quam ipse Pater. Scitis hæc? Quid igitur tentatis eum? 1. Ita 3. *Regum* 12. Achab Rex certum habebat persequi bellum, iniussu Dei initum; consulebat Michæam, non vt auditum sequeretur; sed an forte posset in suam eum pertrahere sententiam, id est, dementiam. Sic Confessarios quidam consulunt, vt in suam ipsos inducant cauteriatam cõscientiam fraude circumuentos, veri tentatores. 2. Hi similes Samaritis, 4. *Reg.* 7. qui etsi Leuitam, legis doctorem postularent; idola tamen deserere non cogitabant. Arcam cum honore multo in aram imponunt; sed Dagon idolum non deponunt.

PARS V.

De Denario oblato.

Categoria Xmundi.

I. *Obtulerunt ei denarium.* Hic mundus est, cuius imago sunt X. categoriæ 1. De Substantia Psalm. 108. *Scrutetur fœnerator omnem substantiam eius.* Luc. 16. *Dissipauit* prodigus *omnem substantiam suam.*

2. *Quantitas mundi continua*, est terra; quæ, vt Marcha, *turbatur erga plurima.* Luc. 10. De hac Deus Abrahæ, Gen. 13. *Surge, & perambula terram in longitudine, & latitudine; quia tibi daturus sum eam. Discreta*, est laborum longitudo, ærumnarum latitudo, dolorum profunditas, bonorum nuda superficies. De hac Iob. 14. *homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miseriis.*

3. *Qualitas* sunt opes, honores, voluptates, vanitates. 4. *Relata* sunt Domini, serui; creditores, debitores, patres, filij. 5. *Passio* sunt ærumnæ, turbæ, mors, &c.

6. *Actiones* sunt curæ, negotia, sudores, filiorum educatio, status, &c. 7. *Vbi*, sunt agere in carcere, in bello, in theatro miseriarum, in colluuie. 8. *Quando* eius, est *Semper male.* 9. *Situs* eius est cubare insomnem, in curis; animo turbato esse, mente discruciata iris, ambitionibus, &c. cubare in morbis, &c. 10. *Habitus* morborum, vitiorum, affectuum; habere pecunias, discordias, &c.

Anima & denarius variis modis.

II. 1. Est & Anima denarius, habens sensus V. interiores, & V. exteriores. 2. Item anima post 9. choros Angelorum condita est decima. 3. Item gratuito donata est. 7. Sacramentis & tribus theologicis virtutibus. Sanctus sane Denarius vterque.

Habet anima in se imaginem Dei, Gen. 1. *Faciamus hominem ad imaginem nostram.*

1. Id est, ad eam similitudinem, in qua Dei

Dei filius appariturus est. Vt Origeni placet: Qui est Col. 1. *imago Dei inuisibilis*, & *Figura substantiæ Patris*. Hebr. 1. Nam Rom. 8. *Deus electos prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui*. At hæc sententia displicet *S. Aug. l. 7. de Trinc. c. 6.*

2. Ergo, vt ait Greg. Nyss. Chrys. Abulensis, &c: Ad imaginem nostram; id est; vt Deus mundum replet, regit, &c. ita anima corpus. Ps. 8. *Omnia subiecisti sub pedibus eius*: vt altior mundo eũ contemnat: Non, *sub manibus*; quo detestetur auaritiam. Non *oculis*, vt cupiditates secludat.

3. Vel: Quod Anima sit, vt Deus, vna in natura, trina in potentia: & harum vna non sit alia: quod seipsã cognoscat: quod immortalis sit; incorporea; rationalis; liberi arbitrij; capax virtutum, gratiæ, fœlicitatis; quod cunctis & præstet; & dominetur. Quibus omnib. Deo similis est.

6. Anima est drachma, *Luc.* 16. perdita; quam mulier, Sapientia Dei, amoris accensa face requisiuit.

PARS VI.

De imagine Denarij.

Triagenera imaginum.

TRia Imaginis genera in S. Scriptura sunt. Dei, Mortis, Diaboli. De prima est. *Gen. 2. Sap. 2.* De secunda Ierem. 2. *Traduxit nos per desertum, & imaginem mortis.* De tertia Apoc. 13. *Vt faciant imaginem bestiæ, quæ habet plagam gladij.* Primam condidit Deus, (supernaturalem, cœlo debitam;) in filiam Dei. Secundam inuexit peccatum, (naturæ conformem vermibus debitam;) in sociam bestiarum. Tertiam conuertit Satan, (contra naturam, orco debitam;) in filiam Satanæ.

Cuiusque effectus.

Dei imago nobilitat: vti *Gen.* 41. Iosephum Regis annuli, insignia, sigilla; Vt cunctis honori esset, ac timori. 2. Mortis imago humiliat, mundique contemtum inducit. Hinc Aegyptij in epulis cranio circumlato monebant omnes conditionis suæ. 3. Diaboli imago damnat. Similis est bestiæ septicipiti, & decacorni, *Apoc.* 13. Hanc ô quot circumferunt.

Athaliâ Reginâ interfectâ, 4. *Reg.* 2. plebs aras Baalis euertit, & statuas: ita in anima tali agendum per pœnitentiam.

II. *Cuius est imago hæc, & superscriptio?* Duplex in Christiano est. Creationis, & Baptismi; & hæc cum inscriptione characteris. Qui animæ inditur, sicuti pictores, sculptoresque operibus suis subscribere nomina sueuerunt.

Imago Dei in nobis honoranda.

Habitus tuus ad aram iture Sacerdos; tuus Religiose, &c. *cuius imago est?* 1. Cn. Scipio, Magni Africani filius, sed degener ac luxuriosus, patris imaginem in annulo gerebat. Amici hanc ei detraxerunt; quod moribus dedecoraret. *Val. Max. l. 3. c. 5.* Ita Ps. 72. *Ad nihilum, Deus redigis imaginem ipsorum.* At vero nos, 1. Cor. 12. *Sicut portauimus imaginem terreni; portemus & cœlestis.*

Imitanda.

2. Romanorum filij bullas ex collo gerebant insculptas imagine parentum; vt earum intuitu patriam, auitamq; gloriã æmularentur. Sic nos Dei imaginem gerimus, vt simus Sancti, misericordes, &c. Sicut Ipse, &c. Isaias *cap.* 51. & amorẽ virtutis auitæ, & pudorem degenerationis incussurus populo, ait: *Attendite ad Abraham Patrem vestrum, & Saram, quæ vos peperit*, 4. Et Dominus, Io. 8. *Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.*

Non deformanda.

III. Quæritur, 1. Ezechiel. *cap.* 7. *Imagines abominationum suarum, & simulacrorum fecerunt ex eo*, auro obrũo: quasi dicat: Tantum abest, vt aurum suum templo obtulerint; vt etiam sibi lasciuas inde imagines efformarint. Ita iam multi abutuntur & bonis, & donis ad turpitudinem animæ suæ. 2. Rom. 2. *Mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium.* Hem! *Cuius est imago*

hæc? Deus ostendit Ezechieli cap. octauo. *abominationes peßimas* templi. *Et ingressus vidi, & Ecce, omnis similitudo reptilium; & animalium abominatio; & vniuersa idola Domus Israel depicta erant in pariete; in circuitu, per totum.* Peiora in animæ peccatricis tẽplo. *Cuius hæc imago?*

Ex ea Deus agnoscendus.

Est Dei filius, *imago Dei inuisibilis: Figura substantiæ Patris*: Est & homo imago Dei Patris; vt ex cognitione sui ascendere possit in notitiam Dei. Qua causa Deus apparens, in forma hominis videri voluit. Vt *Daniel.* 10. *Apocalyp.* 1. & Dominus Ioan. 14. *Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum.*

Imagines Sanctorum colendæ.

Disce & hinc, Imagines honorandas esse. Nec enim Dominus hanc partem Religionis reiecit, sed iussit *reddi honorem cui honorem.* Si ergo in sua imagine Cæsar honorabilis; quid ni & *Mirabilis DEVS in Sanctis suis?*

IV. Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari: quæ Dei Deo. Id est. 1. Pet. 2. *Deum timete: Regem honorificate. Nam*

D iuisum imperium cum Ioue Cæsar habet.

Aliquid corpori dãdum vt seruo.

Non omnia soli Deo, nec omnia soli Cæsari. *Est modus in rebus, sunt certi denique fines.* Nec omnia corpori demus, vel negemus. Sed ita sensibus vtamur eiusdẽ; sicut Israelitæ Gabaonitis: Hi, *Iosue* 9. audito totam Chanaan expugnandam fore, vt Iericho; dolo se in amicitiam ac fidem Iosue ingesserunt: At fraude comperta, tolerabantur quidem inter Iudęos ethnici; sed tantum ad vilia opera peragenda, vt serui. Sunt enim sensus *inimici hominis domestici eius.* Matt. 10. Ergo serui sunto.

Quare, *reddite Deo, quæ Dei.* Nam 1. Corinth. 4. *Quid habes, quod non accepisti?* Da ergo gloriam Deo, & dic: 2. Paralip. 10.

Tua Domine sunt omnia: & quæ de manu tua accepimus, hæc dedimus tibi.

DOMINICA XXIV. POST TRINITATEM.

Filia mea modo defuncta est. Matth. 9. Luc. 8.

MAlachię 4. *Orietur vobis, timẽtibus Nomen meum, Sol iustitiæ: & sanitas in pennis ei⁹. Et egrediemini, & salietis sicut vituli de armento & calcabitis impios, cum fuerint cinis subplanta pedum vestrorum, in die, qua ego facio.* Expletum hoc testatur Euangelium. Sol viuificans & iustificans ortus est defunctæ. Sanitatem pennæ dederunt hemorrhoissę. Vt enim pennæ vestis sunt auis: ita cœlestis Aquilæ Christi vestis est Humanitas, in qua infinita sanitas.

At nos

I. De tribulationibus.
II. De adorante, & afflicto Iairo.
III. De filia defuncta.
IV. De Iairi domo, eiusq́ tumultu.
V. De Hæmorhoissa prodeunte in publicum.
VI. De sumtu, & duratione morbi.

PARS I.

De tribulationibus.

Sunt perutiles virtuti clarificandæ.

I. TRibulationum est multiplex emolumentum. 1. Bern. in Cantic. *Vt stellæ in nocte lucent, in die latent: sic vera virtus, quæ sæpe in prosperis non apparet, in aduersis eminet.* Quis Iobi virtutes nosset, ni eas tribulationis æstus aperuisset? 2. Augustinus in Psalm. 60. *In fornace ardet palea, & purgatur aurum. Illa incinerem vertitur & illud sordibus exuritur. Fornax, mundus: aurum iusti: ignis, tribulatio: artifex, Deus.* Idem alibi. *Sicut sub eodem igne aurum rutilat, & palea fumat: & sub eadem tribulâ stipula comminuitur, & frumenta purgantur: Ita vna tribulatio irruens bonos probat, purgat & eligit: malos reprobat, exterminat, & annihilat.*

Probandæ.

4. Idem alibi in Psalm. plures enumerat vti-

Aliis, bono sunt plurimo.

rat vtilitates. *Flagellum interius, & exterius glorificat: peccatorem compellit nolentem, erudit ignorantem: custodit currentem: protegit infirmantem: excitat torpentem: humiliat superbientem: purgat pœnitentem: coronat innocentem: initiat ad mortem semper viuentem.*

Consanät.

4. Vt, qui in manus incidit medici; secatur, vritur, vena inciditur, &c. Crudelitas hæc est tua sanitas. Esto; clames, queraris, repugnes &c. Medicus ægro sapit sanius. Augustinus in Psalm. 21. *Intelligat homo, medicum esse Deum: & tribulationem medicamentum esse ad salutem; non pœnam ad damnationem.*

Sunt lictores iustitiæ.

II. Est ea administra diuinæ misericordiæ: salutis est medium, quæ remedium peccati est. Plus enim apud nonnullos valent afflictiones; quam felicitates. Regi debent ij asperitate; non lenitate. 1. Vt, 2. *Regum* 24. Absolom nullis Ioabum precibus flectere quiuit; compulit flammis in segetem immissis: Ita Deus hominem.

Docent Deum agnoscere.

Dei cognitionem afferunt tribulationes. Iob 24. *Auditu auris audiui te*; ærumnas videns alienas: *Nunc autem oculus meus videt te*, sentiens meas: *Ideirco ipse me reprehẽdo, & ago pœnitentiam in fauilla & cinere.*

Adeo vix mouent casus alieni: hoc dolent acrius proprij: Ideo Balthasar Rex Babylæ, audita subditorum atritione, nec vultum mutasset: at visa manu scribente; *Dan.* 5. intremuit.

Emunt cœlum.

III. Est tribulatio, cœli negotiatio, qua cum id cõparari possit; quid ringeris? ait S. *Chrys. lib. de Adam, & Sodom.* Idem *hom.* 4. *de pœnit.* ait, Deum nos per eam compellere se sequi, mundo fastidito.

Digressio cõtra quærentes mũdana solatia in aduersis.

Neque tamen audimus vocantem: nec sequimur flagellantem 1. Samuel semisomnis vocatus propere exilit, ad Heli accurrit. 1. *Reg.* 3. Et nos pedem struimus stertentes? Imo ad mundum aduolamus opem quæsitum. 2. Saul dum a malo spiritu agitatur, nunquam illi, aut suis in mentem venisset ad Deum confugere: cithara delectabatur. 1. *Regum* 16. Ita mundani mundana ad cõsolationem arripiunt, 3. Similes adorantibus idola Dibon. *Isa.* 15. qui fanum inibant supplices; at exibant cum eiulatu. Talis hic Princeps Synagogæ.

PARS II.

De adorante, & afflicto Iairo.

Philautia.

I. ECce Prin. vnus adorabat eum. Plebecula Dominum sequebatur; Synagoga persequebatur: & huius Princeps iam adorat? Mirum! Sed amori proprio sui ac filiorum id adscribo. 1. Ita *Genes.* 25. Isaac amabat peiorem Esau, præ meliore Iacobo; quod is senior esset, & eius escis de venatione delectaretur. 2. Sic filiæ Labani, cum marito Iacobo clam abituræ, surripiunt Patri quæcumque poterant, *Genes.* 31. Nimirum sui amantes magis, quam patris.

Subinde bonum est occasio.

Adorabant eum. Hoc scilicet docuit eum amor sui, & tribulatio. Ideo, 1. Psalm. 118. *Bonum mihi, quia humiliasti me.* Nam Psal. 22. *Virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt.*

Tribulatio prodest hus, obest istis.

Sed his prodest: nocet istis tribulatio. 1. Dæmones ideo vociferabantur, Matth. 8. *Vt quid venisti ante tempus torquere nos?* 2. Ita aquis omnibus in sanguinem versis, ea sanguinea erat Aegyptijs, Israelitis autem pura fiebat bibenda. *Exod.* 7. Vti Scriptores graues sunt testes. 3. Serpens, *Exod.* 4. in manu Moysis virga erat; extra eam coluber in terra: Ita tribulationes in manu terreni; aut iusti.

4. Suspectæ de adulterio Sacerdos propinabat aquam maledictam; à qua fontes crepabãt; insontibus illæsis. *Deutero.* At Aqua in Scriptura tribulationem significat. Psalm. 68. *Intrauerunt aquæ vsque ad animam meam.* Iustis ea est innoxia;

improbos soluit in blasphemias.

Dei finis in sua quat II. Neque Deum immissis tribulationibus nos torquere delectat; sed lucrifacere, & in gratiam reponere. 1. Dauid, 2. *Reg.* 12. adiurabat Duces, ne in prælio filiũ Absolom occiderent; sed viuum abducerent rebellem Patri. Cumque periisset tamen, pene ad mortem fuit adductus dolore pater. Ita Deus nos tribulari sinẽs, bellum gerit pacificum; nobis ad ipsum adducendis. Nam Ierem. 29. *Ego cogito cogitationes pacis, & non afflictiones.*

2. Afflictiones quasi obstetricantur parituris salutem. Quidam ijs opus habent obstetricibus, quidam non. Sicut *Exod.* 1. Aegyptię mulieres non poterant sine obstetricibns parere: at poterant Hebrææ. His Deus; non illis opitulabatur in angustiis enitendi.

PARS III.

De filia defuncta.

Tria pathetica. I. TRia ad mouendum efficacia affert Iair[9]. 1. *Filia mea in extremis est*, Marc. 5. 2. Luc. 8. *Vnica erat ei fere annorum* XII. 3. *Et hæc moriebatur.*

Ecce, vt casui obuoxia sunt figulina vasa tam noua, quam vetera. 1. Adeo *Mors iuuenemque, senemque rapit discrimine nullo.* 2. Psalm. 2. *Tanquam vas figuli confringes eos.* 3. 2. Cor. 4. *Habemus thesaurum istum*, animæ, *in vasis fictilibus.* 4. Iniquus foret, qui acceptam mutuo pecuniam creditori repetenti negaret reddere. Ita, qui vitam Deo.

Mors saeua sors.

Filiarum corruptio. IV. *Filia mea modo defuncta est.* Heu quot hodie moriuntur, parentibus nil solicitis de hoc; sæpe etiam adiuuantibus ad mortem vanitatis! 1. Nimia Dinæ libertas. *Gen.* 34. & pudoris amissi, & Sichemitarum excidij causa fuit. Forte cõniuens matris indulgentia fuit natæ causa ruinæ, 2. Filiæ Loth, *Gen.* 19. in Sodomitarum licentia educatæ, flocci pendebant, patri, sibique tetram incestus notam inferre.

O libertatem, vitiorum academiam! Et in hac vel à parentibus ipsis educantur filiæ. 1. Quales *Ezech.* 29. Iudæi proles idolo Moloch non immolabant quidem igne; vt gentes: per ignem tamen ductas ei dicabant. O quot hodie tales vstulatæ ac fuliginosæ? 2. Michæ Sacerdoti parentes idolum legarunt hæredi ex asse, vt per quod citius promoueretur: sed id ipsi causa ruinæ fuit: *Iudic.* 18. Ita filiabus parentes quasi in dotem dant molles, fractosque mores, & vanitatem; sed in ruinam. 3. Herodes *Matth.* 14. gratiosiorem fore credebat filiam, si tripudiare scire nosset: at eo animam perdidit, & corpus. 4. Sic Filia Liæ deflorata est. Channanææ gnata *Matth.* 15. obsessa ab dæmone: Herodiadis deliciæ submersa: Et hæc Iairi *defuncta est.*

Sæpe tum tum sit studio.

Sacerdotes fugiant suspecta loca. III. Christus domum adit: turba sequitur permagna, & discipuli. Disce, indecens esse Sacerdotes inire domum, vbi filia sit mortua: etsi miraculum quoq; circa eam patrandum foret fine testibus. Scandalizati sunt etiam vel ipsi discipuli viso Dominum cum Samaritana loqui; in aperto licet.

Hunc Dominus vltro sequitur: Regulum vero Capharnaitam ne rogatus quidem, dicens: *Nisi signa videritis.* Cur?

1. Quia Iairus fuit vnus ex præcipuis inimicis suis: nam *Princeps Phariseorum.* Vt ergo deuinciat eum sibi, sequitur Dominus. Et vicit in bono malum.

Sunt honorandi. 2. Vt ostendat Sacerdotes esse honorandos, quorum is princeps erat. Certe idcirco *Leu.* 14. lege cautum fuit, vt domum ingressuro Sacerdote, eadem prius emundaretur. Honor Sacerdotum par Regum, Angelorumque honori est. Quid si & superior?

PARS

PARS IV.

De domo Iairi ac tumultu eius.

Mundi cantus.

CVm *ingrederetur domum Iairi*: Ibi luctus & Mu ca, quæ duo quam contraria? Ideo est domus hæc mundi imago vera: sed vesania mera. Nam Ecclesiastic. 22. *Musica in luctu importuna narratio.* Quotcunque sint funera in mundo; is tamen lasciuit, ineptit: hisque immoriens renascitur ex se: sed ad mortem. 1. Vt mons Caluariæ, sic mundus est, *Matth.* 27. in quo, Crucifixo Domino, & iustis tribulatis; Iudæi furiũt, at milites aleis tempus terunt, iocantur, rident.

2. Babylon est Mundus: in qua alii in fornace periclitantur; at saluantur; Alii ad sambucam ac fistulam exultant, idolaque adorant, & dispereunt.

Causa cantus.

Sed cur hic musica? 1. An quod, more Thracum, in natali die plorarent, in die fatali autem exultarent? 2. An, vt Theophylacto placet, quod solerent Iudæi Virgini defunctæ honorẽ per musicam habere, quem in nuptiis ipsi habuissent? 3. An, vt ferali cantu ac næniа cunctos ad luctum flecterent? Quicquid id est: Dominus omnes tacere iubet, & exire.

Mundi risus.

II. *Et deridebant eum.* Ita etiamnum serui eius exsibilantur. 1. Iob. 12. *Deridetur enim iusti simplicitas.* Sed & *Tu domine deridebis eos.* Psalm. 58. 2. Nec vel ipsi CHRISTO parcitum: Psal. 21. *Omnes videntes me, deriserunt me,* meam paupertatem, humilitatem: Crucem, & mysteria alia vitæ. *Omnes,* Herodes in palatio; Iudæi in cruce; Gentes in prædicatione, hæretici in Eucharistia, superbi in humili. Sic *deridetur iusti simplicitas.*

1. Maledicti Chamitæ, qui nuditatem Patris deridetis. *Ge.* 9. 2. Scelesti Semeitæ; qui afflictum contra Dauidem lapides spargitis. 2. *Reg.* 18.

Sed cur ridet mundus Dominum?

Causa risus.

1. Quod alia sit ipsi ratio vitæ, loquelæ, ingenij, quod viuos dicat mortuos, & contra, *finite,* ait, *mortuos sepelire mortuos suos.* Quid? At hos mundus credit viuos, & eos mortuos, quos tu viuos dicis. *Non est mortua puella: sed dormit.* Qui? Audi, vide, quæ gerantur. An non pater? *Filia mea modo defuncta est.* Ridet ea mundus; quæ nũquam vidit. 2. Sic rifit Sara ad promissionem conceptus, & ait, Gen. 18. *Omnis, qui viderit me, corridebit mihi* iam nonagenariæ. 3. Ridet, & odit mundus, *vt Fur,* lucem & opera pœnitentiæ. 4. Proinde dicã illi, quod furi Demosthenes. *Scio, me tibi molestum esse, quia noctu lucernam accendo.* Lucem iusti accendunt mundo. *Vos* enim *estis lux mundi,* ait Dominus.

PARS V.

De Hæmorrhoissa prodeunte in publicum.

Historica relatio.

I. ECce, *mulier.* Hanc quidam putant fuisse Veronicam, Ambrosius Marthã. At Cæsaræensis fuit. *Euseb. lib. 7. hist. Eccl. c.* 14. *Sozom. l. 5. cap.* 21. Quæ & æream statuã Saluatoris ac sui supplicis ante fores collocauit, è cuius basi natus flos mire salutaris extitit. Eam, teste *Tripart. hist. l. 6. c.* 4. Iulianus Apostata comminuit, suam substituit, quæ fulminata disperiit.

Reliquiarum vis.

Grauis fœminæ afflictio fuit. 1. Morbo abominabilis Iudæis, *Leu.* 15. Iubentur sequestrari tales. 2. Diu ægra. 3. Incurabilis. 4. Substantiam impenderat curæ. Ideo fidenter ait: *Si tetigero fimbriam.*

Caluinus arguit eam superstitionis, & inconsiderati zeli! At licet sanata sit tactu fimbriæ, nõ tamen vult ideo reliquiis honorẽ habendũ esse. Quid? Indiscrete diceret Dominus, *Fides tua te saluam fecit?* Quid? Nonne idem aliis contigit. Quid ergo Sudaria, & semicinctia Pauli? *Act.* 19. Quid ossa Elisæi tactu mortuum excitantia, 4. *Reg.* 13. Quanti tunica S. Pauli eremitæ fuit S. Antonio? laudante idem S. *Hieronymo in Vita S. Pauli.*

Medicorũ error.

II. Medici exhauserant huius & opes, & vires. Hoc est emere miseriam. 1. Xiphilinus, ait *Dion Cassius*, viso Adriano Cæs. exclamauit. *Medicorum multitudo Cæsarem perdidit.* 2. Pausanias Rex scisitanti, *qui nunquam ægrotaret?* ait: *Qui a te medico non vtor.* Et is: *Cur me arguis, cum me non sis expertus?* Rex; *Si te expertus essem, arguere non possem, quia non superessem.*

3 Et Anabaptistæ suis vsum medicinæ interdicunt, quod S. Scriptura Asam Regem reprehendat, quod medicis se crediderit. Errant, Nam, Eccl. 28. *Honora medicum propter necessitatem.* Et *Medicinam sapiens nõ abhorrebit:* sed auripetas medicos.

Honor.

4. Attamen amissio substantiæ vitam huic impetrauit. Dicere ea poterat, quod Themistocles Athenienſis exul, & confugus ad Persarum Regem, *Perieramus fili, ni perissemus.* Plutarc. in Themist.

Raro prodeant puellæ.

Vetula exi in turbam Iuuencula domi labores. 1. Ideo Hebræis ea dicebatur *Alma*, hoc est *abscondita.* 2. Sapiens quidam dixit; Non, nisi ter in vita exeat puella, cũ baptizatur, cum nubit, cum sepelitur. 3. Cant. 8. *Quid faciemus sorori nostræ, cum alloquenda est* à viro, & nuptui danda? 4. Hieroglyphiti Filiam pingebant cũ dracone ad latus & testudine ad pedes: hoc est, vt sit tardigrada ad extra, domi, custodita: qualis domi parta in sua cochlea. Et qualis è specu se tarde effert Draco. 5. Ideo sponsæ sponsus Cant. 2. *Amica mea, columba mea in foraminib. petræ.* quasi dicat; delitescens, mea est: vagæ non sunt meæ.

Et fœmina

Cordatæ vxoris est, 1. vt sit, Psalm. 127. *Sicut vitis abundans in lateribus domus suæ.* Huius maritus dici beatus potest. 2. Recepti ab Abraha Angeli quærunt. Gen. 18. *Vbi est Sara vxor tua?* Quia solitaria agebat. Nam Vocata, post ostium residens ridebat. 3. Israelitæ Aegypto egredientes iubentur vasa, &c. mutua sumere ab Aegyptiis: at mulieres tantum à vicinis: non ire procul; *Exod.* 12. Iudith. *c.* 6. laudatur, quod domi secretum sibi construxerit, raro exiens.

PARS VI.

De sumtu & duratione morbi.

Mundus prædo ij.

I. QVæ sanguinis fluxum patiebatur, & omnem substantiam impenderat. Atque sic in mundo viuitur: Quies quæritur, at non reperitur. 1. Latro mundus est: diuites perdit, pauperes temnit.

2. Qualis Rex Siculus. Quærenti: *vt se haberet Dionysius Siculus*; ait Diogenes; *Sicut quis cum vasis: euacuat plena; vacua abiicit.*

3. Sic mundus prodigo Luc. 16. *dissipat omnem substantiam suam.* At *micas de mensa nemo illi dabat Lazaro.* Luc. 16.

Peccandi consuetudo est incurabilis.

Tangam porro pulsum hæmorrhoissæ. Reperio eam peccatores designare. Hi vel concupiscentiis omnibus obsequentes diffluunt luxu & mollitie: aut vni peccato insueti in eo cõsenescũt. 1. Illis dici potest, quod Galbæ gibboso Cæsar Augustus dixit, poscenti se corrigi: *Ego te monere possum, corrigere non possum.* Quis enim innatum ossibus corrigat gibbum? Sic & ægre inolitam peccandi consuetudinem. 2. Ezechieli Deus, *cap.* 8. ostendit abominationes templi, & introitu primũ ecce idolum Zeli, amorosi seu mulierosi; dein huic thurificantes, postea planctrices Adonidis. Ecce consuetudo peccandi venerea. Demum senes dorsum aræ obuertentes, & naribus flores; En delectatio cõsuetudinis. Et hoc, *Super quartum non conuertar*, Amos *cap.* 1. est ipsum illud, 3. Ezechiel. *cap.* 9. Vidit prodeuntem legatum cum calamario, vt eripiendo signo Tau notaret, cæteri omnes cæderẽtur: *Cœperunt ergo à senioribus* cædere: hoc est, inueteratis in malo.

Execrabilis.

Sanata a gra.

II. Vide nunc vt arrepta afflicta; spe, metuque plena tangit: sanatam se sentit, gaudet. Rursus terretur voce. *Quis me tetigit?*

tigit? Mox, ait *Chrysostomus* quasi sacrilegi, rea, fatetur, inter spem ac metum posita, quasi malleum & incudem. Recreatur voce alia laudatæ fidei: *Et salua facta est*, in puncto temporis.

O medicinam, quæ superat naturam & artem. Quid simile de suo prisci Mercurio, & Aesculapio? Nugæ! Hic est IESVS medicus verus. 1. Ps. 104. *Narrate mirabilia Eius.* Alibi idem: *Venite, & videte omnes, qui timetis Deum, & narrabo, quanta fecit animæ meæ.* 2. Ita Moyses suo socero Iethro narrauit omnia, quæ mira illi Deus præstitisset, Exo. 18. 3. Sic Angelus iussit Thobiam cap. 12. *Vos autem benedicite Deū cœli: & narrate omnia mirabilia eius. Sacramentum enim Regis abscondere bonum est, opera autem Dei reuelare honorificum est.*

DOMINICA XXV. POST TRINITATEM.

Sedebit super sedem Maiestatis suæ: & congregabuntur ad eum omnes gentes: & separabit eos ab inuicem. Matth. 25.

MOyses, *Exod.* 19. eduxit ex Aegypto sexies centena millia Israelitarum in desertum Sinai; vbi Legem acciperent, quæ horribili cœlorum cum tonitru, & tubarum sonitu ferebatur. Iesus omnes homines è tumulis euocatos ducet in vallem Iosaphat, vbi sententiam accipient generalem: quæ terribili cum procella feretur.

Nos circa ea

I. *De iudiciali gladio Christi.*
II. *De comparatione omnium, ac separatione.*
III. *De resurrectione omnium.*
IV. *De disparitate resurgentium.*
V. *De loco iudiciali.*
VI. *An & paruuli non baptizati comparebunt.*

PARS I.

De iudiciali gladio Christi.

Iudicium Dei sapiens & seuerum

I. PRudentius, aut seuerius nullum legitur iudicium, illo Salomonis, 3. *Re.* 3. tribunali duodecim leonibus fulto; quod de infante, inter matrem & meretricem controuersо, tulit, sc. cum liqueret, esse dissecandum, & dimidiatum cuique dandum, Christi iudicium extremū isto prudentius erit ac seuerius. Quando sedens pro tribunali, stipatus Cœlitibus, disceptabit Militantem inter & Triumphantē Ecclesiam, de prole Beatitudinis. Tunc exeret gladium iustitiæ, & suum cuique distribuet.

Quia gladio geretur

De hoc gladio, 1. Psal. 7. *Gladium suum vibrauit, arcum suum tetendit,* 2. Ezech. 21. *Egredietur gladius meus de vagina sua ad omnē carnem ab Austro vsque ad Aquilonem.* 3. Iob. 19. *Fugite ergo à facie gladii. Quoniam vltor iniquitatum gladius est.* 4. Hunc horruit Ps. 143. & orat. *De gladio maligno eripe me.*

Ancipiti In corpus & animā.

Apoc. 1. Visus homo, cuius ex ore anceps exibat gladius. Hic est sententia Iudicis, transuerberatura animas & corpora. Atque vt maturet iudicium in impios, orat Ps. 44. *Accingere gladio tuo super fœmur tuum Potentissime.* Væ iis, qui *Tradentur in manus gladij. Partes vulpium erunt. Rex vero sui lætabitur in Deo, & laudabuntur omnes recti corde.* Ps. 62.

In iudicio contra protoplastas, *Gen.* 3. constituit Deus Cherubinum cum romphæa flammea ad introitum paradisi; qui arceret ingressuros. In hoc extremo Ipse gladium in valle Iosaphat; Et ancipitem; quod tum corpora, tum animæ sint damnandæ; quodque tam mortui, quam viui iudicandi.

In viuis corpus ferit gladius.

II. Aciem eius vnicam in viuis sentimus, quæ corpora tangit pœnis. Multos is sæpe perdidit, at nunquam omnes. 1. In diluuio *Gen.* 7. omnes, præter octo. 2. In

In Aegypto multos; *Exod.* 12. Sed tantum primogenitos. 3. In Iericho, *Ios.* 6. omnes domos; at Raab cùm cognatione superstes relicta est. 4. In Sodoma omnes hausit; at familia Loth seruata fuit. *Genes.* 19. In extremo autem Iudicio nemo excipietur.

In iudicio etiam animam.

Figuræ ita significant. 1. Deus iussit Iosuenbello exscindere Amalecitas; *Exod.* 17. at stirpitus omnes exscindi noluit: Sed quadraginta post, stabilito Hebræorum regno, Sauli id præcepit; *Percute Amelec: & demolire vniuersa eius, omniaque interfice à viro vsque ad mulierem, paruulum, & lactentem.* Sæpe hic DEVS triumphat vitia humana: sed completo electorum numero, finem faciet vniuersæ carnis.

2. Saulis, diu persecutoris, laciniam præscisse sat erat Dauid; 1. *Regum* 24. cum occidere quiuisset. Demum tamen Saul, non remittens à persecutione insontis, perit in montibus Gelboe cum filiis inglorius. Ita Deus, dum eum hic impij persequuntur peccatis, eos quasi fugit: ac licet perdere posset; sat tamen est aliqua tribulatione hos castigasse. At pertinaces reseruat in montes Gelboe, ad vallem Iosaphat, ibi à Philistæis orci mactando. Hoc *memorare: & in æternum non peccabis.*

PARS II.

De congregatione omnium ad iudicium: ac Separatione.

Omnes cõgregabuntur.

I. OMnes ad iudicium congregabimur omnes omnium sæculorum, nationum, ætatum, statuum, conditionum, Legum Naturæ, Mosaicæ, Gratiæ, Ethnicæ, Hæreticæ. Matth. 25. *Congregabuntur ad eum omnes gentes.* Magnus hic iudicij districtus. 2. *Omnes*, 2. Cor. 5. *Nos manifestari oportet ante tribunal Christi: Vt recipiat vnusquisq; prout gessit in corpore suo, siue bonum siue malum.* 3. *Tuba mirum spargens sonum, per sepulchra regionum, Coget omnes ante thronum.*

Omnia manifestabuntur.

Terribilis turba: Terribilius hoc *Manifestari* peccata, & secreta cordium. 1. Non hic folia fici. *Gen.* 3. ad pudendorum velationem, Non erunt cameli ad idola Laban asportanda, *Gen.* 31. 2. Tunc per parietem templi corporis Deus Ezechieli, *cap.* 8. ostendet omnes abominationes intus latentes.

Omnes iudicabũtur.

1. Tunc ibi Patriarchæ, hic Apostoli: isthic Martyres, &c. consistent, & Angeli in suis choris: Et Iob 52. *Non est numerus militum eius:* Dan. 7. *Millia millium ministrabunt ei, & decies centena millia assistent ei.* 2. Tunc erit exitus ille de Aegypto. *Exod.* 14. corporum de terra; vt vel rubrum Iudicij mare tranent: aut mari rubro mersi obruantur.

Parabolæ implebuntur.

II. Tunc parabolæ euangelicæ implebuntur. 1 De X. Virginibus, *Matth.* 25. quæ corporum lampades resument, cum oleo bonorum operum: sicq; sponso procedent obuiam. At fatuis ianua promerẽdi quic quam tunc clausa erit; & inutilis pœnitentia vitę peractæ. Prudentes vero intrabunt ad nuptias, 2. Tunc *Matt.* 13. ager seminis boni, & zizania falcem patietur. Hęc messores colligabunt ad ignem; istud in horreũ cœleste condent. 3. Tunc *Matth.* 25. Paterfamilias, (qui in regionem longinquam abiens, dedit seruis talenta Crucis, mortisque suæ, & gratiarum; vt in eis negotientur) reuertet; rationem & lucrum exiget; his dicet: *Euge serue bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: Intra. Istis, Eiicite in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium.* 4. Tunc Matth. 25. *Pastor bonus* oues ab hœdis sequestrabit: istis in ouile dexteræ, his in hœdile sinistræ missis. Hæ parabolæ.

Itemque Figurã.

III. Accipe nunc Figuras. 1. Moyses *Deut.*

Itemque Figura. *Deut.* 27. Israelitas distincturus sex tribus, ex honestis matronis, Lia & Rachaele natas, constituit in monte Garizim, benedictioni accipiendæ: sex alias in monte Hebal, maledicendas: vtpote natas ex ancillis & libertinis. Ita Christus ad montem oliueti in valle hinc statuet sex tribus; Angelos, Patriarchas, Prophetas, Apostolos, Martyres, Confessores; omnes bene natas: Queis dicet; *Venite benedicti Patris mei.* Illinc statuet sex alias; Diabolos, Ethnicos, Hæreticos; Iudæos, Christianos impios & Infantes non baptizatos, Queis dicet: *Ite maledicti, &c.* 2. *Iosue* 8. Cum Leuitæ cuperent populum benedicere, aut maledicere, Arca statuta est media; populus vtrinque partitus. *post hæc legit omnia verba benedictionis, & maledictionis, & cuncta, quæ scripta fuerunt in Legis Volumine.* Arca est Iesus: Angeli, Leuitæ: Lex, liber vitæ, & mortis, &c. 3. In principio, *Gen.* 1. *diuisit Deus lucem à tenebris.* Quo vult Augustin. intelligi, Angelorum bonorum à malis diuisionem. At similiter in Iudicio *filij lucis* Ioann. 12. à tenebrionibus diuidentur.

4. Nabuchodonosor, *Dan.* 4. in excidio Solymæ adolescentes forma, ingenio, moribus præstantes elegit, qui coram ipso, absque næuo, essent à mensa, à poculis, à cubiculo; reliquos iussit nexos abripi in captiuitatem, ac venundari. Ita Iesus in iudicio.

PARS III.

De resurrectione omnium.

Resurgent corpora. I. ERgone reparabuntur corpora, varie perdita? Et vero è puluere facili° colliget Deus, quam è nihilo crearit. Sed 1. Psalm. 33. *Custodit Dominus omnia ossa eorum: vnum ex his non conteretur.* 2. Id Ezechieli, *cap.* 37. ostendit in agro Deus. *Putasne viuent ossa ista? Ecce, accesserũt ossa ad ossa: vnumquodque ad iuncturam suam. Et vidi, & ecce super ea nerui & carnes ascenderunt: & extenta est cutis in eis desuper: & ingressus est in ea spiritus, & vixerunt, steteruntque; super pedes suos, exercitus grandis nimis valde.* 3. Plane, *vt Ionas* 8. è ventre ceti: Sic nos è terra reddemur.

Integra. II. Tres Pueri, *Dan.* 3. illæsi ex camino; Daniel, *c.* 14. viuacior è lacu leonum exiit, quam intrarit. Non vermes, non aues, non ignis, &c. effecerint, quominus integri resurgamus. 2. Moyses virga petram Sinaiticam percussit; Exod. 17. Et *Conuertit petram in stagna, & rupem in fontes aquarum* Psalm. 113. Deus potentia sua percutiet terram, mare, &c. & dabunt mortuos suos; *Et rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum Saluatorem meum,* Iob. 19.

Omnium. III. *Congregabuntur ante eum omnes:* non aliqui, Isa. 13. *Visitabo super orbis malo:* non ait aliquorum: *& contra impios iniquitatem eorum. Iudæi legunt, super habitatorum orbis mala.* Etiamne Regum, Imperatorum? &c. Alexandri, Cæsaris, &c? Martyrum, Virginum? &c.

At quantum inter proborum ac reproborum corpora discrimen? Ergo 1. Corint. 15. *Canente tuba mortui resurgent incorrupti.*

Gloriosa. Figuris id liquebit. 1. Esther, *cap.* 8. tenuiter apud Mardochæum educata: (*Anima sic in corpore, eam aggrauante:*) *ad* Assueri connubium assumpta, *Dei gratiam indepta:* non ingrata nutricio; suæ eum felicitatis participem reddit. Nam morti eripuit: ad quam Aman eum cum Iudæis omnibus addixerat; regifice vestiuit, (*donis glorificationis:*) & secundum à Rege fecit, (*Deo.*) 2. Dauid, 1. *Reg.* 17. pascẽs oues vilibus indutus erat; restante illi Goliato expugnando. At hoc cæso, in vrbem ex agro transmigrat, regie vestitus; generque fit Regis. Sic *corpus mortale in-*

duet immortale; cum mundum, carnemq; expugnarit. Tunc cantabit. Psal. 29. *Concidisti saccum meum; & circumdedisti me lætitia.*

PARS IV.

De disparitate resurgentium.

Sed non omnium gloriosa.

I. OMnes resurgemus: sed non vno cultu: hi nitido; tetro illi. 1. Quales gemini Rebeccæ, Iacob læuis, & pilosus Esau. *Gen.* 25. Ita eadem è terra exibunt fratres omnes; sed gemini; Iacobitæ, & Esauitæ. Non sic impii, Psalm. 1. *non sic: neque peccatores in consilio iustorum.* 2. Eadem fornace egrediuntur prunæ; & carbones atri. Sic corpora exiu iudicio Dei, Iustorum quidem *tanquam scintillæ in arundineto discurrent.* Sapient. 3. At reproborum; *Sicut carbones ad prunas.* Prouerb. 26. 3. Clarius idem Thren. 4. *Denigrata est sicut carbones facies eorum; & non sunt cogniti in plateis: adhæsit cutis eorum ossibus, aruit, & facta est quasi lignum.* 4. Pharao vno in prato vidit boues septem torosos: & totidem macros. *Gen.* 41. Pratum boum vallis erit Iosaphat: hic adiudicabuntur lanienæ gehennali.

Hinc que gaudium erit.

II. Eia, accede anima: corpus ama, & intra tuum, iam tale: O quale præ illo? 1. Veni, ait Methodius: *Vna patiens, vnaque gloriam suscipiens cum collega corpore.* 2. O gaudium quale, inter Angelos, hominibus? Quę voces exultantium? Quæ Dei vocantis *Venite benedicti?* &c, 3. Ioseph. *Gen.* 41. ex biennali carcere ad tantam egressus gloriam quo gaudio tacite cor ei exilierit? Quo corpora è tumulis educta ad tantam gloriam? *Venite possidete paratum vobis regnum.*

Sed inde luctus.

E contra heu, quis cruciatus reproborum? Quæ maledicta animarum in corpora: & vicissim; *Incipient dicere montibus, &c.* Luc. 23. At Psalm. 57. *Lætabitur iustus, cum viderit vindictam.* Iam ei dulce, fuisse passum esuriem, pauperiem, cilicia, &c. Hoc attendit *Iob* 14. cum dixit: *Cuncti diebus nunc milito: expecto, donec veniat immutatio mea.* Tunc, qui sericati &c. prius, erunt damnati: & contra. *Mea,* inquis? Dic *nostra.* Nam erit tunc vniuersalis descriptio orbis, non ab Augusto; sed Deo.

PARS V.

De loco Iudiciali.

I. QVis locus iudicij? 1. Ioel. 3. *Congregabo omnes gentes; & deducam eas in vallem Iosaphat, & disceptabo cum eis ibi.* 2. Angeli videntur Apostolis quoque locum illum designasse. Act. 1. *Hic Iesus qui assumptus est à vobis in cœlum sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.* At qui constat, quod è monte Oliueti ascenderit cœlos, cui vicina Iosaphat. 3. S. Thomas 4. *Sent. dist.* 48 *q.* 1. *art.* 4. putat id aperte colligi posse ex dictis *Act.* 1. Deinde ex Psalm. 73. *Deus Rex noster operatus est salutem in medio terræ,* id est, in meditullio orbis, vbi vallis est Iosaphat; ait Iosephus l. 3. c. 3. Hier. Cyr. &c.

II. Ratio fauet: Quia vbi saluator salutem misericordiæ est operatus; probabile, quod ibidem & iudicium iudex velit peragere iustitiæ. 2. Quia *emittit Angelos, qui congregabunt electos à quatuor ventis*: ergo in medium ab extremitatibus. 3 Vbi Iesus ignominiam tulit; par est ibidem & gloriam ferat: Ibi iudicet; vbi iudicatus est. 4. Conuenit Regem in metropoli de summa rerum decernere: at Solyma est orbis metropolis: vnde electus est. Ergo illic restituatur. 5. Valet locus Domino ad exprobrandum ingratis beneficia à se præstita in Bethlehem, Bethania, Ierusalem, Caluaria, &c.

Manlius Romam, in Saxo Tarpeio

contra

contra Senones olim à sese defensam, seruarat: ait *Plut. in vita Camilli.* Post à Romanis damnatus cum educitur, visa rupe Tarpeia, ait: Ecce rupes illa vos arguet, testis seruatæ ibi à me Romæ. Confusi, virum absoluerunt. Plus è locis sanctis Christi confundentur iniusti.

PARS VI.

An & pauuli non baptizati compare. bunt?

I. QVi conuenient ad iudicium? *Rich. de S. Vict. ex 4. dist. 17. Quatuor sunt genera hominum: Iudicati, & damnati: Iudicandi, & damnandi: Iudicati & saluati: Iudicandi & saluandi.*

Paruulis autē non baptizatis quid fiet? Duplex opinio. *Prima* Eos abfore ab iudicio. 1. Quia aderunt tantum Agni, & hœdi: At neutri sunt paruuli. Nec cum Agnis statui possunt; ob peccatum originale: Nec cum hœdis; quia peccato carent actuali: ac proinde pœna sensus.

2. Duplex sententia Iudicis erit: At neutra paruulis conuenit. Quia opera ea nec præstare potuerunt cum Agnis; nec omittere cum hœdis. Neque plures sunt, quam duæ sententiæ. Ergo neutri intererunt iudicio.

3. Dan. 12. *Multi de his, qui dormiunt, euigilabunt: alii in vitam æternam, alii in opprobrium.* Si *multi*: ergo videtur, quod nō *omnes* Ergo aliqui nec ad vitam nec ad opprobrium. In quibus quos numeres, nisi paruulos. 4. Iudicium erit de saluandis ad cœlum, & dānandis ad infernum. At neutrum in locum venient paruuli: ergo.

II. *Secunda sententia* certior est. Resurgent, & iudicabuntur. 1. Apocal. 20. *Vidi mortuos magnos, & pusillos stantes in conspectu throni.* 2. Et *Congregabuntur ad eum Omnes.* 3. Sic D. Th. Ratio eius. 1. Omnibus debetur merces aut boni, aut mali: Sed paruulis inest malum Adæ nōdum persolutum totum: ergo. 2. Gratia Iesu infinitis partibus est maior, & efficacior peccato Adæ. *Roman. 5. At* per peccatum mors; per Iesum autem resurrectio æque ad *Omnes* pertransit: ergo & paruuli resurgent.

O quis tunc erit cruciatus abortum procurantium; aut negligentium baptismum parentum? 1. Graue erat Ezechiæ Regi audire, filios in Babylonem abducendos captiuos, Isa. 39. Quanto istis grauius? 2. Neque tunc dicendi est locus cum Iob. 10. *Dimitte me, vt plangam paululum dolorem meum.* 3. Nec cum Dauide in sacco & cinere, & ieiunio orandi locus erit: vti illi pro filio Bersabeæ. 2. *Reg* 12.

DOMINICA XXVI POST TRINITATEM.

Cum videritis abominationem desolationis. Matthæi 24.

VIdit, *Apoc.* 12. Ioannes draconem rufum, septicipitem, decacornem, septies coronatum, trahentem cauda tertiam stellarum partem, qui rabiem suam in vnam conuertebat Mulierem. Fuit ille Lucifer: *At* erit similis Antichristus sanguinarius, regnorum potens multorum; virulentus, innumeros trahet: Ecclesiæ persecutor dirus.

Nos circa hæc

I. *De nominibus Antichristi.*
II. *De desolatione Ierosolymitanæ Vrbis, & Orbis.*
III. *De tribulatione magna, in secundo Aduentu Iesu.*
IV. *De abominatione Antichristiana generatim.*

V. De Antichristi fraudulentia.
VI. De eiusdem Tyrannide.

PARS I.

De nominibus Antichristi.

ANtichristi nomina infausta, horrifica 1. Iob. 21. *In die perditionis seruatur Malus & ad diem furoris adducetur.* 2. Isa. 11. *In spiritu suorum interficiet Impium.* pietatis hostem & ruinam. 3. *Reuelabitur*, 2. Thess. 2. *Iniquus, quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui; & destruet illustratione aduentus sui.* Ius fas omne pessundabit; diuina humanaque explodet; tyrannidē meram inferet. 4. Dan. 8. *Consurget Rex impudēs facie, & intelligens propositiones.* Nulli vnquam hæc nomina data. Atque ideo forsan dicitur Apoc. 13. *Admirata est vniuersa terra post bestiam.* 5. *Nisi venerit discessio primum*, 2. Thess. 2. *& reuelatus fuerit Homo peccati*, vel *Filius Perditionis*, vt S. Methodius & Hieron. legunt. Vt Salamandra omne serpentum genus inficere potest veneno, & interficere. Si enim alij serpentes tantum innatent aquæ in qua illa fuit, quin si quid tangant, quod illa attigit; moriūtur. Ita Antichristus perditorum erit perditissimus; afflatu, tactuque noxius. 6. *Matt.* 24. dicitur etiam *Pseudopropheta*, Dan. 11. *Rex Septemtrionis.* Hic, *Abominatio desolationis.*

PARS II.

De desolatione Ierosolimitanæ Vrbis, & Orbis.

Sententiæ variorum.

I. CVm vid. *abom. desol.* scilicet vrbis Ierosolymitanæ. De qua Mar. 15. *Magister aspice, quales lapides, & qualis structura?* Et Dominus. *Nō manebit lapis super lapidem.* Ita locum hunc intelligunt *Orig. Aug. D. Th. &c.* de Vastatione Vespasiana. Et aptissime.

Licet accipiat eum *Hier.* de Antichristo. *Chrys. &c.* de Statua Caligulæ cum Aquila. *Hugo Card* de statua Adriani. *Ambros.* de Capite porcino, quod Romani intulerunt templo ad contemtum Iudæorum.

Desolatio vrbis.

II. Desolationem describit *Iosephus de bello Iud.* tantam, quanta nusquam fuit, aut legitur. 1. Peste, fame, gladio perierunt millies centena millia hominum; capta nonaginta millia, & per orbem diuendita: Vt hodieque sint ostentui. Psal. 58. *Deus ostendit mihi super inimicos meos; ne occidas eos; ne quando obliuiscatur populi mei*, Christiani Passionis dominicæ. *Disperge illos in virtute tua, & depone eos, Protector meus Domine.*

Ac Matth.

2. Dominus ait. *Væ prægnantib. & nutrientibus in illis diebus.* Simile Elisæus malum prædixit Iazaeli, Duci Regis Syrię; quod facturus esset Iudæis. 4. *Reg.* 8. Sic & *Amos* 1. facturos Ammonitas iisdem. *Theophylactus*, ait, Dominum indicasse mulieres voratrices liberorum. Quod factum, teste *Iosepho.*

Flebilis.

3. *Magna.* 1. Ideo *Luc.* 19. Dominus *videns ciuitatem fleuit super eam.* 2. Sic *Dauid & populus leuauerunt voces suas, & planxerunt* excidium Siceleg, *donec deficerent in eo lachrymæ.* 1. Regum 30. 3. Similiter Mach. 2. *Matathias: Væ mihi, vt quid natus sum videre contritionem populi mei, & ciuitatis sanctæ, &c.*

III. Posse tamen hæc accipi de excidio orbis, & aduentu Domini, auctor est *Aug.* 2. *Ciu. c.* 5. Et Hier. Quærunt enim Apostoli: *Quando hæc erunt? Et quod signum aduentus tui?*

Iustorum expurgatio per ignem.

Nota autem vocem *Tribulatio.* Erit tanta, quanta nunquam, ob iram Dei in impios, & iustitiam in pios. Hos enim oportet prius expurgari tribulatione; quā fiat iudicium omnibus; & beatitudo ipsis. Ideo vocatur *Diluuium*, vt, Ps. 31. *Pro hac*

hac orabit ad te omnis sanctus. Veruntamen, in diluuio aquarum multarum, tribulatione hac, *ad te non appropinquabunt.*

Secundum diluuium igneum erit.

Hinc Matth. 24. *Sicut in diebus Noe, sic erit aduentus filii hominis.*

Et quasi tempestas.

Sed erit diluuium ignis. 1. psal. 96. *Mõtium fundamenta comburet. Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit inimicos in circuitu.* 2. Is in momento totum orbem corripiet, & consumet omnia; sola erit supertellus purgata. De eo Psalm. 49. *In circuitu eius tempestas valida.* Psalm. 82. *Persequeris illos in tempestate tua.* Dan. 11. *Quasi tẽpestas veniet contra illam.* Nahum 1. *Dominus in tempestate, & turbine via eius, & nebulæ puluis pedum eius.*

PARS III.

De tribulatione magna.

Causa tribulationu.

I. TRibulatio magna. 1 Ob signa in sole, & luna, & stellis. 2. Ob citationem ad iudicium. Nam, *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi* 3. Ob iudicii claritatem. Quia 1. Cor. 4. *Illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* 4. Ob iudicis furorem, Psalm. 79. *Ab increpatione vultus tui peribunt.* Nahum 1. *Ante faciem indignationis eius quis stabit? Et quis resistet in ira furoris eius? Indignatio eius effusa est vt ignis, & petræ dissolutæ sunt ab eo.*

Princeps causa Furor Christi.

II. *Trib. Magna.* Nam, quam clemens in primo aduentu, *quoniam hic peccatores recipit, & manducat cum illis.* Tam ab furore terribilis erit, in secundo. 1. Nahum 1. *Montes commoti sunt ab eo, & colles desolati sunt, & contremuit terra à facie eius, & orbis, & omnes habitantes in eo.* 2. Psalm. 54. *Diuisi sunt ab ira vultus eius.* 96. *Montes fluxerunt à facie Domini, & omnis terra.* 3. Ioel. 2. & Abacuc. 2. *Sileat à facie eius omnis terra.* Zach. *Sileat omnis caro à facie Domini.* Hæ Prophetiæ.

Figurę istæ. 1. Daniel. c. 10. *Vidi, & ecce vir, &c. & facies eius sicut species fulguris, & oculi eius vt lampas ardens* 2. *Apocal.* 1. Visus cum flammicantibus oculis, facie solari, voce aquarum multarum. 3. Alias semper Domine *lætitia in vultu tuo.* At tunc vel Iustus Iob. 1. cap. 9. sic horrebit ad iras, vt dicat; *Nec aspiciat me visus Hominis.* 4 Ac rursus cap. 14. *Quis mihi hoc tribuat, vt in inferno protegas me donec pertranseat furor tuus.* 5. Tunc dicere potest omnis homo, quod Iacob Labano, Gene. 31. *Video faciem patris vestri; quod non sit erga me, sicut heri, & nudius tertius.* Terribilis erit in cessu, vt supra ex Nahum liquet. Nam *ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu.*

Et vox Dei.

III. Terribilis à voce. 1. Isa. 24. *Dominus, sicut fortis egredietur, sicut vir præliator suscitabit zelũ, vociferabitur & clamabit.* 2. Ioel. 3. *Dominus de Sion rugiet, & de Ierusalem dabit vocem suam, & commouebuntur cœli, & terra.* 3. Iere. 25. *Dominus de excelso rugiet, & de sancto habitaculo suo dabit vocem suam.* 4. Si Dauid tantopere suum peccatum detestatus sit, vt dicat, *Rugiebam à gemitu cordis mei*: quantum rugiet Iesus detestator omnium peccatorum? 5. Iob. 16. *Quis poterit magnitudinem tonitrui illius intueri?*

Præhac, 1. Matth. 24. *Sol obscurabitur, luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cœlo.* 2. Item Psal. 64. *Turbabuntur gentes, & timebũt; qui habitãt terminos à signis tuis.* 3. Isa. 64. *Descendisti, & à facie tua montes fluxerunt. Cum feceris mirabilia, non sustinebimus.*

Memoria istius efficax ad pœnitentiã.

IV. Sola memoria tribulationis istius sat est ad homines à vitiis reuocandos. 1. Ita Dauid Psal. 74. *Dixi iniquis, nolite inique agere, & delinquentibus, nolite exaltare cornu. Quia neque ab oriente, neque ab occidẽte, neque à desertis montibus, quoniam* DEVS IVDEX *est.* 2. Ita Ierem. 15. *Sedebam solus, in vita solitaria, quia comminatione repleſti*

me facta de iudicio, & tribulatione vltima. 3. Ita Iob.3. *Verebar omnia opera mea, sciens, quia non parceres delinquenti.* 4. Cicero contra Epicurum, Dei osorem, disputans de prouidentia diuina, ait: *fieri non posse, vt Deum offendat sciens, eumque non timeat, qui Iudicem fore ipsum sibi persuadet.*

PARS IV.

De Abominatione Antichristiana generatim.

I. ANtichristū dici metonomice *Abominationem*, ait Hil. Aug. &c. Quod Deo sit directe contrarius futurus. *Desolationis*, ob bella, persecutiones. &c.

Papa non est Antichristus. Sed quæ insania, aut stupor hæreticorum est, qui Papam volunt esse Antichristum? 1. Nam Ioan. 5. *Si alius venerit in proprio nomine illum recipietis*: Atqui Iudæi Papam nunquam receperunt vt Messiã: 2. Nec est Papa Vnus aliquis tantum solus, sed plures successiue sunt. 3. Nec se quisquam dixit Messiam. 4. Nec solium suum Papa collocauit in templo Salomonis; vti Antichristus faciet. 5. Nec diuino cultui bellum mouit, se Deum proponens adorandum: 6. Nec triennio tantum durauit Papatus. 7. Neq; in Babylone natus est vnus aliquis talia docens, & agens: vt *Hieron. in 11. Dan. &c.* de Antich. recte colligit.

Antichristi callliditas. II. Antichristus erit & versutissimus, & violentissimus: *Ita vt*, Matth. 24. *in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.* Quippe 2. Thess. 2. *Cuius aduentus est secundum operationem satanæ in omni virtute & signis, & prodigiis mendacibus, & in omni seductione iniquitatis.*

Et duratio. Triennio, & semestri furet. *Aug. 20. Ciu. c. 8.* Et Apoc. 3. *Data est illi potestas facere menses quadraginta Duos.* Dan. 12. *In tempus, anni, & tempora & biennij, & dimidium temporis* annui. Siue quod idem, *Dies 1260.*

PARS V.

De Antichristi fraudulentia.

I. PErsecutio Antichristiana generatim erit duplex. Fraudis, & Thyrānidis. DE FRAVDVLENTIA, captatrice innumerorum, Iacob Genes. 49. *Dan coluber tortuosus*: Vbi Glossa: *Antichristus erit, vt coluber fallax blanditiis, & deceptionibus: Et erit, vt Cerastes, exterminans tormentis.* Cerastes autem terra se abdit, prominentibus tantum cornibus duobus; quæ aues ratæ esse vermes, cum deuorare volunt, deuorantur ab eo. Talis & is bestia.

Emittet quoque suos idem in totum orbem prædicaturos contra Iesum ac Deum: Et Dan. 7. *Robur datum est ei contra iuge Sacrificium; & prosternetur veritas in æternum.* Idem Ioel. cap. 1. *1. Erit Co rosta.*

II. Circumcisionem inducet, iuuans ad instaurationem templi Salomonis: & adorabitur à Iudæis vt Messias. Hæc Apoc. 13. *Vidi de ore draconis & de ore bestiæ, & de ore Pseudoprophetæ exire tres spiritus immundos, ad modum Ranarum.* Primus spiritus est Dracontius; ad mirissimas doctrinas subtilissime spargendas. Secundus, bestialis; ad vitam impurissimam laxandam omnibus flagitiis. Tertius, hypocriticus. Gregor. lib. 33. Moral. *Sub æqui specie auditoribus reprobis serpentinum virus infundet.* Ideo dicitur Dan. 7. *Os loquens ingentia.* Verum *Cuius maledictione os plenum est, & amaritudine, & dolo.* Psal. 9. *2. Erit re cutitus. 3. Erit tri damon.*

III. Miracula edet: sed falsa; auxilio diaboli. *S. Thom. 2. 2. q. 159.* Sicut magi in Aegypto coram Pharaone. *Exod. 7.* Prodigia operabitur, tonitrua, fulgura, ignes, ventos, terræ motus, &c. Sed Ps. 15. *Propterea non timebimus, dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris.* *4. Erit im maturgu.*

5. Erit Po lydorus.

IV. Donis multos inescabit illectos.

1. Nam

1. Nam arte diaboli thesauros sub terra inuisos inueniet. 2. Dan. 9. *Abundabit auro, & argento.* 2. Et innumerorum bona depeculabitur confiscata. 3. Adhæc Dan. 11. *Abundantes, & vberes vrbes ingredietur, rapinas, & prædas, & diuitias earum dissipabit*, asseclis dilargiendas. 4. Iob 21. *Post se omnem hominem trahet ante se innumerabiles.*

PARS VI.

De Antichristi Tyrannide.

Tyrannus qualis. I. DE Tyrannide in detrectantes eum sequi 1. Dan. 7. *Ecce quatuor venti cœli pugnabant in mari magno, & quatuor bestiæ grandes ascendebant de mari diuersæ inter se.* Mare, est mundus: Venti, sunt bellum, pestis, fames, terræ motus, *Luc.* 24. & *Mat.* 27. Bestiæ, sunt persecutiones per bestialia vitia: Superbiam leoninam; Libidinem vrsinam; Hypocrisin Pardi maculosi, Crudelitatem inexplicabilem; Ideo quarta bestia est innominis, terque triplicem dentium seriem in vrso vidit, id est, Adulterium, Sodomiam, Sacrilegium. 2. Similis bestia visa *Apoc.* 13. Leopardi similis, septiceps, decacornis, pedibus vrsinis, ore leonino. 3. Erit igitur *Homo peccati* plenus omnium peccatorum septem mortalium septiceps: Vt re, & nomine sit *Abominatio* ipsa; non tantum abominabilis.

Tyrannis qualis. *1. Ab tali.* II. Ab hoc ô quanta tribulatio! 1. Chrysost. in Matth. *Vt nunquam fuerit similis nec futura sit.* 2. Stellas detrahet; iustos in errorem pertrahet. Greg. l. 32. Mora. *Pensemus, ait, quæ erit humanæ mentis tentatio illa, quando pius martyr corpus in tormentis subijciet, & tamen tortor ante eius oculos miracula faciet?*

2. Ab sociis eius. 3. Adhæc Iob 41. *Sub ipso erunt radij solis*, id est, disertissimi quique ac potentissimi. Vbi Greg. *Quid per radios solis, nisi cacumina Sapientum designantur?*

3. Ab opibus. 4. Adde quod largitiones faciet profusas, similis Satanę, offerenti Christo regna. *Matth.* 4. Per hoc quot eum assectabuntur, cum tot iam gratis vndique venentur opes? Vt miretur Ps. 9. *Propter quid irritauit impius Deum?* q.d. ob terrena.

4. Ab circũstantiis. III. Heu tribulatio quanta? 1. Conuenient in eam vnam Orcus, Mundus, Antichristus: Diabolus; Ars, Dolus, Vis; Dona, Promissa; Dignitas, Prosperitas, Singula quanta? At collecta qualia? 2. Magna tribulatio: quia postrema: quia electorum proba & lapis lydius.

Sed Deus pro nobis. Habent vero iusti Ducem Iesum, 1. Hic *Ascendit vsque ad cœlos* sua gloria? At prius *descendit vsque ad abyssos* tribulationum vltimarum. Sequere: *Ipse te eripiet.* 2. Tribulatio scala est Iacob, qua descenditur ad aspera: ascenditur ad ætherea. *Gen.* 28. 3. Sunt Psalm. 7. graduales, qui in ascensu templi dici consuerunt: horum primus incipit ab tribulatione; *Ad Dominum, cum tribularer, clamaui, & exaudiuit me.* Et singuli loquuntur tribulationes. Et hæ sunt gradus quidam ad cœlum. Quoniam *per multas tribulationes oportet intrare in regnum cœlorum.*

Sic itur ad astra per aspera. 4. Ita sponsa: *Descendi in hortum meum, vt videam poma conuallium.* Nuces amaræ foris, intus dulces; & arbor verberabilis, indicant tribulationes. Ab his itur ad iocunda pomorum. 5. De talibus Psalm. 126. *Euntes ibant, & flebant, mittentes semina sua*, tribulationes; vnde surgunt *manipuli* gloriæ. 6. Ita & factum est ductis in Babylonicam captiuitatẽ; de quibus ibi Psaltes vaticinatur: Quos Darius, & Cyrus dein cum gloria restituit.

Nota V. monita. *Perora* collectis summatim quinque in Euãgelio consiliis. 1. *Tunc qui in Iudæa sunt fugiant ad montes*, à facie Antichristi in deserta: vt Loth, Elias, &c. fecerunt. Item confugiant ad Deum, ad Diuos 2.

Qui

Qui in tecto seruitij diuini, contemplationis, &c. *Non descendat* ad humana solatiola & auxilia, *tollere aliquid de domo sua.* 3. *Qui in agro* eremita vel cœnobita, *non reuertatur* ad mundum, *tollere tunicam suam* negotiorum disponendorum. 4. *Væ prægnantibus, & nutrientibus in diebus illis*, quia minus fugere possunt, quales etiam sunt auari, ambitiosi, voluptuarij, &c. 5. *Orate, vt non fiat fuga vestra in hyeme* mortis; *vel sabbato* vitæ futuræ. Nam hic non locus vel tempus est pœnitendi; ibi, non facultas, præ angustiis.

FINIS.

NVCLEVS COPPENSTEINIVS EX CONCEPTIBVS BESSEANIS IN FESTA SANCTORVM PER ANNVM.

ENVCLEAVIT,

Hoc est:

Extraxit integre: Contraxit perſpicue: Digeſsit methodice: diſpertiit diſtincte: Illuſtrauit in margine:

AVXIT

CVM APPENDICVLIS DE VSV VTRIVSQVE SPECIEI, ET CVLTV SANCTORVM:

COMPLEVIT,

R. P. F. IOAN. ANDREAS COPPENSTEINIVS
Mandal. Ordin. Prædicat. Theol.

AVSPICIO

Reuerendiſſimi & Nobiliſſimi Capituli Metropolitanæ Eccleſiæ Moguntinæ.

In gratiam occupatiorum; quam quibus vel legere plura: vel ſeligere pauca: vel diſtinguere inter congeſta, & ſimilia: vel inter diſsimilia ſtatuere ſit integrum.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AVTORIS ANATHEMA
D. OPT. MAX.

MI TRINVNE DEVS; mea SIC Tibi VITA, LABORque
Militet: vt NOSSE, vt POSSE, vt mihi VELLE dediſti.
Plura velim, ſi plura queam. Fac paucula Multa.
Paucula ſi Bona ſint; Tua ſunt: & erunt mihi Multa:
Multa mihi ex Paucis merces ſperata polo ſtat.

Bibliopola
LECTORI AMICO.

PAuca placent? & Docta iuuant? & adire diſertos
Non vacat in templis? Hunc Lege ſis NVCLEVM.
Non indocta dabit, nec paucis paucula; acuto
Inſpicata Stylo; Suada cui acris ineſt.

AT, MONEO;

MEnte Scopum ſerua; cum textu perlege Lemma;
Sic obſcura tibi non fuerit Breuitas.
Hæc Res contraxit; detraxit verbaque Rebus,
Nilque Rei. Acceſſit Ordo, Styluſque Rei.

ARCHILOGO.

VIR bonus atque miſer, dignus miſerantis amore eſt;
Vir bonus, & felix inuidiam patitur.
Cur? Zoilus miſer eſt, & non miſerabilis vlli;
Inuidet, & carpit; non imitatur Opus.
At ſæpe haud culpa eſt, culpari; ſed bona Cauſa
Culpati. Illa Boni gloria culpa Viri eſt.

LECTOR

LECTOR AMICE;

SYNOPSIN ISTHANC MATERIARVM FESTIVARVM ACCIPIENS, IN VICEM

Indicis, boni consule. Insperſi Numeri,
sunt Partium Indices.

SALVE. FAVE. FRVERE.

S. ANDREAE. *Ambulans Iesus.* Matth. 4. vocationis beneficium vti permagni est. 2. Ita S. Andreæ fortitudinem contulit & gloriam. 3. Obedientiam quoque & Fidem. 4. Demum in partem gloriæ Crucis eum 5. suus asseruit amor excessiuus.

FESTVM S. ANDREAE. *Ambulans Iesus, &c.* Matth. 4. Magna Dei elucet Sapientia in orbe condito; maior in Ecclesia fundata: 1. Cuius Petrus & Andreas fratres, velut duo sunt Cardines: 2. Aut primi lapides fundamentales ab 2quis euocati: & vero 3. S. Andreas Apostolorum vocatione primus, velut laspis, factus est Christo conformis 4. cum in merito, tum in genere passionis ac mortis. 5. Cuius quidē causa duplex: prior Electio Deigratuita sic miserentis. 6. Altera, Cooperatio S. Andreæ cunctis in exemplum Christianis proposita.

S. NICOLAI. *Peregre proficiscens.* Mat. 25. Donis Dei abuti malum est; 2. Ea autem de manu Dei accipi debent, non exambiri. 3. Non enim talentorum abusus remanet inuitus. 4. Ab iis sic excelluit S. Nicolaus, vt in vita & Episcopatu summum apicem inuaserit.

F. S. NICOLAI. *Homo quidam peregre,* Matth. 25. Diuersitas talentorum aliqua quidem est ab Deo dante: at potissima ab humano genere, datis diuersimode vtente. 2. Ea autem singulatim trifariam distinguuntur. 3. S. Nicolai vero eximia extitere cum gratum faciētia: 4. tum gratis data, quæ in miracu-lis memorantur. 5. Enumerantur tamen illorum alia ipsi fuisse. Patriarchica; 6. Prophetica alia: 7. alia Apostolica: 8. Singula vero oleū diuinū redolentia.

S. THOMAE. *Thomas vnus de XII.* Ioan. 20. Societas pactorum periculosa & noxia, 2. S. Thomæ defectus attulit sat graues: 3. qui haud frustra commemorantur: 4. Ille tamen conuersus subiit martyrium ac cœlum.

F. S. THOMAE APOST. *Cum sero esset.* Ioan. 20. Aduersa virtutum sunt adiumenta, adducuntq; ad Deum 2. Glorificati corporis dotes agilitas & subtilitas. 3. Hisce Dominus transijt ianuas clausas. 4. Pacem discipulis im-

precatus. 5. Et Apostolicam potestatem impertitus, vulnera salutis acquisitæ indicia sunt certa.

In F. NAT. CHRISTI. *Verbum Caro factum.* Ioan. 1. Incarnatio est incomprehensibile mysterium mysteriorum. 2. Quoad generationem æternam, 3. Et temporariam. 4. Documenta tamen vtraque nobis compluria præbet. 5. imprimis illa in panniculos inuolutio. 6. Dein quæ magna, miraq; acciderunt.

F. S. STEPHANI. *Video cœlos apertos.* Actor. 7. Præstantia Martyrii ex pluribus causis existit: 2. Lapidatio vero certis pro delictis vsurpabatur: at insonti Stephano dulcis erat. 3. Cuius multæ magnæ sunt laudes, ac tituli meriti. 4. Sed hoc singulare, cœlos apertos vidisse, 5. ac in hos intendisse. 6. orasseque pro inimicis.

F. S. IOAN. EVANG. *Hic est discipulus.* Ioan. 1. Iusti gratitudinem modis multis declarant. 2. S. Ioannis vero prærogatiuæ eximiæ sunt. 3. In hisce est, esse dilectum, & super pectus Iesu recubuisse. 4. Tum etiam Deiparæ filium custodemque fuisse. 5. Expenditur istud. Quid autem hic? 6. Et istud, sic eum volo manere.

F. SS. INNOCENT. *Herodes videns* Matthæi 2. Multiplex Satanæ conatus ad retardandum Christi Aduentum, 2. demum per fugam seruandi. 3. Cuius causæ sunt plures. 4. Infanticidium autem immane fuit. 5. At gloriosum cœlis & Ecclesiæ.

S. GENOVEFAE. *Simile ex Virg.* Matt. 25. Multi venticolarum virginimastygum sunt latratus vani aduersus castitatem: 2. Quæ seipsa suis sat tutatur præconiis, 3. Atque exemplis naturæ ac studij: 4. Ipsaque S. Genouefæ vita laudatissima.

F. CIRCVMCISIONIS. *Postquam impleti.* Luc. 2. Circumcisio V. Legis signum fuit salutis ac fidei: Iesuq; circumcidendi. 2. quod factum in stabulo. 3. Ob causas complures. 4. in cæteris, ob desideriū sanguinis pro nobis fundendi. 5. In testem sui in nos amoris. 6. Adque nomen Iesu initiandum. 7. Cuius mira maiestas est adorandi. 8. Eius proin gratia spiritalis est vsurpanda circumcisio.

F. EPIPHANIAE. *Ecce Magi.* Matth. 2. Maiestas regia pares habeat virtutes, constantiæ, misericordiæ, Iustitiæ. 2. Ob has regi nato nomen regium Magi detulerunt, 3. Aduenientes è Persia intra 13. dies: demum Christiani facti. 4. Habebant in Nato quæ admirarentur, 5. Et adorarent. 6. Muneribusq; honorarent.

F. S. MARGELLI. *Ecce Sacerdos.* Eccles. 44. Duas esse dotes præcipuas Episcopales docetur. 2. Doctrinæ sanitatem, & 3. vitæ probitatem. 4. Quæ cui absunt, sat eum infatuatum esse arguunt.

F. S. SEBASTIANI. *Descendens Iesus, &c.* Luc. 6. Martyrii in Ecclesia tam innumeri causa, in cæteris, duplex assignatur: cum Christi & Martyrum voluntas: tum vtrorumq; voluptas. 2. Idque cœpit, vt Deus ad homines descendit homo, facto ad eum hominum confluxu, alius hac, alius via alia. 3. Tanta ex eo ad confluentes vis exiit, similisque ex S. Sebastiano. 4. A qua ad eum rediit beatitudo multiplex. 5. & merces copiosa.

F. S. AGNETIS. *Simile, &c. decem virginibus.* Matthæi 25. Virginitas eminet in cœlo, in B. Virgine, in Christo, in Ecclesia: & omnibus ab ea lux est: ipsoque maior martyrio est. 2. Illi & Christo cupiti sunt multique occursus,

3. Ea

3. Ea & martyrium S. Agneti geminarunt laureolam. 4. Vnde festina surrexit Virgo ad vocem: *Ecce Sponsus.* 5. Fatuasque voce ITE repulit.

F. CONV. S. PAVLI. *Ecce nos reliquimus omnia.* Matthæi 19. Vt relinquere omnia Religiosis est necessarium; ita sæcularibus retinere sua periculosum accidit. 2. Sequi tamen Dominum perinde oportet vtrosque. 3. Saulus quantumuis fureret contra Deum: 4. ad lucem tamen, & 5. vocem Domini: 6. est hunc constanter secutus.

F. PVRIFICATIONIS. *Postquam impleti.* Luc. 2. Humilitatis vis mirifica. 2. Imprimis in Purificata Virgine Maria, 3. Inque munusculis oblatis 4. Et Filio. 5. Per quod facta est mediatrix.

F. CATHEDRAE PETRI. *Tu es Petrus.* Matth. 16. Ordo rerum in natura & Ecclesia, 2. Cathedris quoque variis insignior fit: 3. Et illa Petri imprimis, festo solenni celebrata: 4. Cui & Clauium potestas accedit.

F. CATHED. S. PETRI. *Quem dicunt homines.* Matthæi 16. Hæc vero quæstio ex cura in subditos profecta est, in exemplum nobis. 2. Est tamen per ardua quæstio, scituque necessaria hominibus veris, nomineque hoc dignis, ac bonæ famæ studiosis. 3. Ad eam singuli Apostoli, apostolicique vt responderint, Dominum confessi. 4. Petro tamen præmium inde obuenit omnino diuinum & cathedrale: 5. pari cum & potestate ac dignitate coniunctum, quantacunque in vlla residere Cathedra vnquam potuit.

F. MATTHIAE. *Cecidit sors.* Act. 1. In reliqua Diuinarum Humanarumque rerum vicissitudine. 2. Reprobatio Iudæ, & 3. Electio Matthiæ iure censentur.

F. S. MATTHIAE. *Confitebor tibi Pater.* Matthæi 11. Aduersa mortalibus salutaria esse, minime paradoxon est. 2. Quin magis sapientia est seculi sapientibus absconsa. 3. à qua, vt & ab aliis per Dominum auocamur. 4 Sicut Matthias: simul & à Domino reficimur: 5. Si tamen iugum Domini subeamus cũ eo pariter; cui sors cecidit in præclaris. 6. quam & sui Apostolatus tota periodo est tutatus.

S. IOSEPHI. *Cum esset desponsata.* Matth. 1. Est à Deo sua cuique gratiæ sufficientia: 2. At S. Iosepho etiam ex eo, quod sponsus sit Mariæ. 3. Donisque varijs donatus extiterit insignis.

F. S. IOSEPHI. *Cum esset desponsata.* Matthæi 1. Nouum exemplum virginitatis coniugalis ostendit orbi. 2. Desponsatio Mariæ & Ioseph: cuius historica relatio constat. 3. Et vero esse *virum Mariæ* decus est Iosephi singulare. 4. Sicut & illud. Patrem fuisse *nutritium Christi.* 5. Præterquam, quod vir iustus esset: 6. mirificeque ex conuictu cum Christo profecerit: 7. Deo prohibente, ne Sponsam dimittere porro cogitaret.

F. ANNVNCIATIONIS. *Missus est.* Luc. 1. Causis Incarnationis pares sunt effectus. 2. Gabriel est nuncius. 3. Virgoque digna mysterio. 4. Præfigurata vt conceptura. 5. Vnum cum duplici natura, 6. & nuncium cum pio responso dimissura.

FERIA 2. PASCH. *Duo ex discipulis.* Luc. 24. Multa humanæ vitæ miseria est: 2. In qua qui Passi Iesu memores agunt, iis se & ipse iungit: 3. vti peregrinus, quales sumus oẽs. 4 Amnistiam tamen iniuriarum olim afferet gloriæ amplitudo.

FERIA 3. PASCH. *Stetit Iesus in medio.* Luc. vlt. Labore cœlum paratur. 2. Sistit se hic in medio nostri Iesus. 3. Pacemque amemus, 4. & eum

qui est *Ego sum*, Stigmatibus insignis.

F. S. MARCI. *Designavit alios 72.* Lu. 10. Euangelistarum 4. encomia, 2. præcipua in quaternario mysterioso. 3. inq; mysticis animalibus quatuor. 4. Quo Euangelistæ longe superant Veteris Testamenti scriptores: tam admiranda præstat Euangelium. 5. S. Marcus quis, qualisque inter illos, 6. & quam impauidus leo.

F. ASCENSIONIS. *Et Dominus quidem.* Marc. 16. Ascendentis triumphus, nomenque *Domini*, & gloriam quis explicet? 2. Adiuncta forte poterint adumbrari. 3. Ac figuræ commemorari. 4 Item & causæ, vt humilitas Christian. tegressa, quæ exaltat: 5. Et reserando rum cœlorum necessitas; vt eodem nos attrahat ad sese.

FERIA 2. PENTECOSTES. *Sic Deus dilexit.* Ioannis 3. Amoris vis per se magna. 2. in Deo etiam rerum est omnium causa. 3. at i n amandis hominibus excedit omnia. 4. Sic quærit nos, ac si nostra indigeret ope. 5. Ideo dedit & spiritum, & seipsum. 6. vt ambo ad nostram adlaborarent salutem.

FER. 3. PENTECOSTES. *Repleti sunt omnes.* Actor. 2. De S. Spiritus processione, donisque septem singulis.

SS. PHIL. & IACOBI. *Non turbetur.* Ioan. 14. Multa Apostolorum sunt præconia: 2. In his etiam ipsa illa passionum moderata turbatio. 3. Prout turbati tamen turbatoresque fuerint. 4. Hoc par Apostolorũ quoq; isto illustriores sunt, quod typis variis præsignati. 5. Et factis typorum similes aut maiores exhibere.

F. SS. PHILIPPI & IACOBI. *Non turbetur cor vestrum.* Ioannis 14. Cum eximia sint Apostolorum præconia & in V. Testamento præmonstrata, & in N. præstita re ac verbo; 2. Turbari passionibus ipsos aut credentes per eos non conueniebat. 3. Itaque constantia mentis addecebat. 4. Huc, & illuc media à Domino præclara dictantur; 5. eaque diuersa. 6. Qua in perfectione præcelluerunt hi Apostoli insignita. 7. Id quod ex S. Philippi, & S. Iacobi vita docetur.

F. INVEN. S. CRVCIS. *Sicut Moyses.* Ioan. 3. Bellissima Crucis bella. 2. Statuere valent eximia tropæa: 3. Exaltata vero crux cum primis: 4. Cuius idcirco gloria præclarissima. 5. Honorque par est certus.

S. IOAN. ANTE PORTAM LAT. *Accessit mater Zebed.* Matth. 20. Quid quæris Ioannes mortuus sit, an viuat? Mortuum viuere inquam. Idque 2. quam vere sese Discip. dilectum Deo nominat: 3. Superque pectus Domini recubuit. 4. Nec Martyrio caruit, 5. & non sanguine, sed oleo tantum fuerit balneatus.

EVCHARISTICON.

F. CORPOR. CHRISTI. CONC I. *De excellentia V. Sacramenti*, 1. Venerandum, silendum, credendum est magis; quam perscrutandum Mysterium ratione; minus sensu: 2. Tantæque præcellentiæ; vt omnium sit apex Sacramentorum. 3. Cui pares etiam in Vtroque Testament. Tituli memorantur: 4. pariterque illustres Figuræ: 5. Indices mirifici aduersum nos amoris Dei, se in cibum nobis ac potum offerentis. 6. Idque velut ex percusso æterni fœderis amoris.

CONCIO II. *De reali Existentia Corporis Christi in Eucharistia.* 1. Hæc mysterium Fidei per excellentiam dicitur: & Fidei tanto diuinioris, quanto rationi obscurioris. Quare impii sunt, qui scire, quam credere, malunt. 2. Atque

hæc

hæc lerna hæresium est, & Sacramentariorum. 3. Inprimis Caluinianorum nauci commenti: aptis tamen hic figuris illustrati. 4. Simul & fortiter refutati: & velut idolophagia eleuati. 5. Quo solidius *Veritas* Scripturis astruitur, 6. ac Figuris, atq; Rationibus: his tamen Fidei submittendis.

CONCIO III. *De Transubstantiatione.* 1. Fides rerum est basis spiritalium: & hic eo clarior in se; quo rationi obscurior: tantoque mirabilior. 2. Vocé Transubstantiationis hæretici execrãtur: At refutantur. Est ea vero tessera Fidelium. 3. Cuius nouitatem cauillatores obiectant: 4. Sed retunduntur per & Rei, & vocis vsum approbatum: 5. Accedentibus eodem iustis rationum monumentis.

CONCIO IV. *De Cœna magna,* 1. Dei in nos alias maxima; at hoc in Sacramento summa in excessu existit liberalitas. 2. Et ipse Iesus sibi compatientes inuitat ad *Cœnam* hanc; non absre sic dictam: 3. & vero *Magnam* non sine magna causa. Recumbẽtibus autem gratia datur pro cuiusque merito diuersa. 5. At Cœnam hanc qui spernunt, spernuntur: cumque mundo cænare in orco coguntur. 6. Quibus haud scio num sit quicquam brutius.

CONCIO V. *De modo existentiæ Christi in Eucharistia.* 1. Hoc Sacramentum rerum maximarum est monimentum. 2. Nam illius Essendi modus est substantialis conuersio: Quantitas, sine loco. 3. Et Quantum multiplicatum manet vnum Contentum; & diuisum Quãtum manet indiuisum. 4. Quin & pluribus in locis existens, proprio sine loco existit: 5. Et vero Accidentia etiam sine subiecto. At hic hæretici vah quam Bœotij sunt ac plumbei! 6. Sensus autem iudices procul hinc procul ite profani.

CONCIO VI. *De Effectibus Eucharistiæ.* 1. Quo nos Deus sustentat; eodem sibi & obligat. 2. Per Eucharistiam vero, animam roborat; inflammat charitatem, opera mortificata resuscitat: At à peccatis non liberat. 3. Effecta autem cætera quis memoret spiritalia? 4. Et ea, quæ charitatem attinent, præcipue? 5. Quid, quod vis eiusdem in corpus sæpe redundet? Sane resurrectio huius & immortalitas illi comprimis debetur: 6. Similiaque plura.

CONCIO VII. *De præparatione ad S. Synaxin.* 1. Honorem & gratitudinem hæc dia mensa reposcit; quo præparatione opus est, 2. ac fide de vna specie sumta, vt de vtraque. 3. Præparatio autem generatim est illa, Declina malum, Fac bonum. 4. Singulatim plura alia. 5. At væ indigne manducanti: 6. Tarde, ac tepide accedenti non erit bene.

CONCIO VIII. *De Veritate Sacramenti,* 1. Fides hic sola opus est, & satis. 2. Ipsa fidelium regula est, & tessera etiã: 3. Inque sua iusta causa triumphat aduersarios. 4. Quorum firmamenta causæ sunt fabulamenta.

CONCIO IX. *De Dignitate & Reuerentia Sacramenti.* 1. Hoc instituentis amor in nos meretur grates, laudes, & redamari: 2. Imprimis quoque ob infinitam Mysterii Dignitatem effectusque mirãdos. 3. Quo solicitiore opus præparatione est illud adituro: 4. puritate præcipue.

CONCIO X. *De Missæ Sacrificio.* In vna Eucharistia sacrificium est, & Sacramentum: Vtrumque Figuræ ostendunt, & Similia. 2 Sacrificium vero astruunt figuræ veteres, 3. & rationes: 4. at vna insignior. 5. Adhæc Nouę Legis testimonia, iterumque rationes.

CONCIO XI. *De eodem argumento.* Fuisse

Fuisse semper, esseque oportere Sacrificium liquet: 2. Et Missæ quidem substantia immutabilis: 3. perennabit cum Ecclesia. 4. Væ blasphemantibus eam: bene vero venerantibus ipsam.

APPENDIX, *De Communione sub Vna & Vtraque.*

S. BARNABAE. *Hoc est præcep. meum.* Ioannis 15. Prælatorum in subditos amor est debitus: 2. idque certo modo, graduque dilectionis. 3. In quo quia S. Barnabas insignis, factus est *Vir bonus*: 4. Qui delatos sibi diuinos honores corde refutaret.

F. NAT. BAPTISTAE. *Quis putas puer.* Lucæ 1. Eius incomparabilis excellentia est. 2. quæ mira ortum eius prægressa. 3. quamque re & nomine Gratiosus vixerit, nemo sat dixerit. 4. vti nec sanctitatem Eremitæ, nec dignitatem Præcursoris, 5. nec quibus *Magnus* dicatur, quisquam se exequi dicendo posse confidat.

F. PETRI & PAVLI. *Tu es Petrus.* Matthæi 10. Duodenarius mysticus est Apostolorum. 2. Inter quos re & titulis princeps Petra Petri est. 3. maxime vero in potestate clauium vt Christi Vicarius. 4. Suppar illi Paulus authoritate & scientia est. 5. præsertim Charitate.

F. VISITATION. B. V. *Exurgens Maria.* Lucæ 1. Deipara Humilitate mira 2. obiuit visitationē multis insignē virtutum stellis: 3. quibus Montana festinans illustrauit. 4. Cum multa benedictione.

S. BENEDICTI. *Ecce nos reliq.* Matt. 19. Animus contemtor mundi magnum quid est; at maius, sequi Christū; 2. proinde istud vtrumque age. 3. sed & tute ipsum abnega communi fixus Christo. 4. Vt benedictionem sequelæ consequaris, & detrectationis maledictionē effugias. 5. In qu b. magn⁹ fuit cōtēplator S. Benedict⁹.

S. M. MAGDALENAE. *Ecce mulier.* Luc. 7. Lacrymarum vis permagna est, 2. Ad peccata etiā Magdalenę eluenda: 3. Quantumuis enormia & plurima. 4. Sic, sic vera succedit pœnitentia, 5. Seque postponens humilitas: 6. Quippe lacrymarū causæ sunt piæ, & pretiū grāde.

F. S. MAGDALENAE. *Ecce mulier.* Luc. 7. Pœnitentiam maturato, 2. Peccatricis exemplo, 3. pœnitentis mundo irrespecto, 4. lauacro vtentis lacrymarum 5. & capillorum detersorio.

S. IACOBI Apost. *Potestis bibere.* Matt. 10. Honorum mundi est periculum & vanitas. 2. Proin eorū petitio est importuna Deo. 3. Noxia petenti. 4. Consultius S. Iacobus factus est Boanerges.

F. S. IACOBI. *De matre Zebedeidum.* Matth. 20. Ambitio multorum perditio est, 2. matremque extimulabat, vt nos nostra caro. 3. Sed vilesilla obsidet animas. 4. Ideo durum accidit Domini responsum ad ambitiosam; at dignum illa.

S. ANNAE. *Simile R. C. negotiatori.* Mat. 13. Filiæ facta sunt magna S. Annæ, 2. Monogamæ & vniparæ: 3. Huius proinde laus est magna. 4. Et specialis prærogatiua.

S. PETRI AD VINC. *Misit Herodes.* Act. 12. Gloria & gloriatio Ecclesiæ est in martyrum passionibus. 2. Eaidcirco Festi huius est causa; quicquid insaniat Herodes. 3. Vt ipsa vincula Sanctorū in tanto maiore sunt honore nobis, 4. Spernentibus custodes Herodianos. 4. Liberatio tamen Petri indiga interim est ope Dei, Angeli, & Ecclesiæ. 5. Singularique inspiratione facta.

S. LAVRENTII. *Nisi granum.* Ioan. 12. Martyrij effectus gradusque plures, 2. Mirificam eius præstantiam extollunt. 3. Simul Heroismum, Triumphum ac beatitatem. 4. Quo dignior S. Laur. qui Typis variis præsignaretur: 5. Igne sanctificatus, & inuictus.

F. AS-

F. ASSVMPT. V. M. *Quæ est ista.* Cant. 6. Præeminet vniuersis 2. mortua amore suaui. 3. ac rediuiua cum corpore in cœlos euecta. 4. Suppar filio mater in isto. 5. Sed assumtæ triumphum quis explicet? 6. quo Sanctius hyperduleuticôs, colenda est.

S. ROCHI. *sint lumbi.* Luc. 12. Exemplorum in aduersis vis permagna est: 2. præsertim in pestis malo grandi. 3. Cõtra quam fieri patronus meruit S. Rochus ab infantia & adolescentia. 4. ætatisque robustioris charitate & miraculis.

S. BARTHOL. *Iesus pernoctans in oratione.* Luc. 6. Numerus duodenarius mysterio non vacat, 2. nec merito S. Barthol. persona, & vita: 3. ac martyrium. 4. detractaque ei pellis.

DECOLLATIO BAPTISTAE. *Misit Herodes.* Matth. 14. Magna mulieris improbæ malitia est: 2. præsertim in Herodianis conuiuiis, & 3. in Luxuria Herodiadana. 4. Quæ Baptistam fecerunt martyrum principem, adeoque Angelum, S. Lucernam quoque illustrem.

F. NATIVIT. B. V. M. *Liber generationis.* Matth. 1. Infælices mortalium cæterorum sunt natales. 2. non vero Seruatricis, quamuis sero natæ. 3. quam tarditatem compensat gaudium. 4. Quod merito festiuum est Ecclesiæ. 5. Præsertim de tam eximia merita Virg.

EXALTATIO S. CRVCIS. *Si exaltatus.* Ioan. 12. Digna Cruce crucis sunt elogia, 2. variaque encomia: 3. & exaltatæ crucis causæ.

S. MATTHAEI. *Vidit Iesus sedentem.* Matth. 19. Deo magna est gloria ex conuersione peccatorum, 2. Idcirco vidit sedentem Matthæum. 3. Vocatque sequentem. 4. Hinc mira eius vita, mors, merita, præconia.

F. S. MICHAELIS *Archang. Mich. constitui te.* Quia Angelorum nostri est cura, 2. ideo par quoque, vt à nobis colantur. 3. Præsertim cum tot tantaque nobis præstent, 4. præcipue aduersus cacodæmones. 5. In iis Princeps eminet S. Michael. 6. idque in prima Hierarchia.

S. FRANCISCI. *Confiteor tibi.* Matt. 11. Per infirma Deus confundit fortia. 2. Et sapientia Diuinorum est humilium, non superborum. 3. Qualis S. Franc. fuit in humilitate & paupertate. 4. Meritus Christi stigmata, 5. & orbi, Ordiniq; dare salutē.

S. DIONYSII. *Hi venerunt ex.* Apoc. 7. Quia nostra gubernat Deus, ideo affligi finit iustos: 2. Conuersusque S. Dionysius est. 3. Cuius exemplo scientias ethnicorum laudabiliter capescimus, queis pollebat S. Dion. 4. Facile à S. Paulo conuersus.

F. S. LVCAE. *Designauit & alios 72.* Luc. 10. Eximij animarum Curiones missi in ætate mundi tertia, 2. Apostolicæ missionis formam in orbem intulerant, 3. Fortes ac pauperes. 4. In quibus excelluit S. Lucas multarum vir scientiarum. 5. Cuius patientiæ, labori ac religioni aptum Bos symbolum est.

SS. SIM. & IVDAE. *Hæc mando.* Ioan. 15. Charitas ingens bonum. 2. Ex qua simplex & rectus fuit S. Simon, 3. Zeloteſque magnus, & 4. Nobilis de stemmate Christi.

F. OMNIVM SANCTOR. *Beati pauperes.* Matth. 5. Bonorum operum in Christo meritum nemo scit, nisi qui accipit. 2. estque Beatitudo ipsa, quam nobis æstimare ex fide licet & adiunctis; non scire. 3. Ibi nostra curant Beati, sed aliusalio beatior. 4. Beatitudines octo nobis eodem præstant viam. 5. Præsertim pauperibus Spiritu. 6. mitibus ac patientibus.

F. ANIMARVM. *Requiem æternam.* Mors cita, breuis vita, est memoranda vtraque. 2. Id quod ad plurima confert. 3. Sed & mortuorum cura habenda est; 4. Nulli gentium omissa.

F. S. MARTINI. *O virum ineffabilem.* Quales esse Episcopos seu pastores oporteat. 2. S. Martinus bonus fuit miles. 3. Monachus. 4. Mundifuga mundi improbi. 5. Quæ glorioſa est fuga. 6. Præsertim cum paupertatis iuncta studio, in medio etiam Episcopatu: vt in S. Martino. 7. cuius zelus inuictus erat.

S. CATHARINAE. *X. Virginibus.* Mat. 25. Cum Angeli castis honorem deferant, 2. à Virginitate superari coniugium ipsamque naturam oportet. 3. Cui idcirco propria est Aureola. 4. Quo illustriores cæteræ in Cath. Virgine virtutes radiarunt: 5. dum demum Martyrium obtineret.

FINIS.



NVCLEVS

NVCLEVS COPPENSTEINIVS CONCEPTVVM

IN FESTA SANCTORVM PER ANNVM.

IN F. S. ANDREÆ APOSTOLI.

Ambulans Iesus iuxta mare. Matth. 4.

DEVS, *Exod.* 1. mirifice infantem Moysen ex aquis eduxit; quem dein Legislatorem populo suo daret. Ita S. Andream à mari Tiberiados vocauit ad Apostolatum IESVS. De quo nos:

I. *Quale Vocationis sit beneficium.*
II. *Quanta S. Andreæ fuerit fortitudo, sitque gloria.*
III. *De S. Andreæ vocatione, Obedientia, & Fide.*
IV. *Quam glorioſum sit cum Christo pati Crucem.*

PARS I.

Quale diuinæ sit Vocationis beneficium.

Amorem Dei in nos testatur vocatio.

I. AMorem Dei in homines testis orbis celebrat vniuersus, resque, si vel solum esse habeant. In hoc exclamat, Psal. 8. *Quid est homo quod memores eius: aut filius hominis, quoniam visitas eum?*

Istius amoris tui, vt alia multa, ita Vocatio est permagnum. 1. Ideo conqueritur: Ier. 7. 11. 25. 35. *locutus sum ad vos mane consurgens & loquens, & non audistis me.* 2. Gloriatur de eo. 1. Pet. 5. *Deus omnis gratiæ, qui vocauit nos in æternam suam gloriam, in Christo Iesu.* 3. Quodque mirabilius Matthæi 9. *Non veni vocare iustos; sed peccatores.* Publicanus testis. Petrus, Paulus Matthæus, &c.

4. Id *Matth.* 20. in parabola expressit conducentis in vineam operarios horis diuersis exeundo: 5. Et *Matth.* 22. in parabola parantis nuptias filio perque emissarios vocantis ac intrare cogentis.

Qui quantus & Amor Dei & honor hominis? At 1. vocati adesse noluere. Vah! *Multi sunt vocati, pauci vero electi:* Hæc causa. 2. Nullus intrauit, nisi vocatus. Quia Rom. 9. *Non volentis nec currentis; sed miserentis est Dei.* Et Ioan. 6. *Nemo venit ad me, nisi pater meus traxerit eum.* *Indigni amore hoc, & honore multi.*

II. Et vero vocatio est primus prædestinationis effectus. 1. Nam Rom. 8. *Quos prædestinauit hos & vocauit*, 2. D. Tho. in Epist. ad Ro. idem asserit. 3. Rom. 9. *Non ex operibus, sed ex vocante dictum est.* 4. Plura de hoc *S. Aug to. 4. l. 83. q. 2.* Prædestinatio est ab æterno: At vocatio Isa. 49. *Dominus ab vtero vocauit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei.* 2. Isa. 41. *Et tu Israel serue meus: Iacob quem elegi, semen Abrahæ amici mei; in quo apprehendi te ab extremis terræ, & à longinquis vocaui te.* 3. Item ibidem. *Quis suscitauit ab oriente iustum? vocauit eum vt sequentem se? Quis hæc operatus est? vocans generationes ab exordio? Ego dominus & noui ssimus.* Itaq; vocatio cũ ortu mundi cœpit. *Ea est prius effectus prædest. Temporalis.*

Sumitur in S. Scriptura sæpe vocatio & electio pro eodem. 1. Soph. 1. *Sanctificauit vocatos suos.* 1. prædestinatos. 2. Apoc. 17. *Rex Regum est, Qui cum illo sunt vocati, & electi & fideles.* *Ambo pro eodem sumuntur.*

III. Vocatio duplex est; sufficiens: & efficax: 1. Generis Lothionis erat Sufficiẽs ex suasu Angelorum ad fugam periculi, nec paruere tamen. 2. Lothi erat Efficax qui ad manum educebatur. *Gen.* 19. 3. *Mat.* 22. Sufficiens inuitatis ad nuptias: cõpulsis intrare erat Efficax.

Vocatio interior, D. Thomæ est instinctus

ctus animi, à Deo, ad assentiendum fidei, vel virtuti. Et hæc necessaria est ad conuersionem Thren. 5. *Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur* efficaciter. Exterior per prædicationem, exempla, beneficia, aduersa, &c. 1. Prou. 9. *Misit Ancillas suas, vt vocarent ad arcem.* 2. sic Ps. 18. *In omnem terram exiuit sonus eorum Apostolorum.* sic hodie vocatus S. Andreas, & Apostoli: *Dixit eis: Venite post me.*

PARS II.

Quanta S. Andreæ fortitudo, & gloria?

S. *And. meruit Petro & Ecclesiæ S. Pōtificatum.*

I. DAmianus *serm. de S. And.* hunc vocat primum Christianum, exemplo Petrum suo inducens, factum dein Principem Apost. Lyranus in Gen. 49. *Non auferetur sceptrum de Iuda. &c.* Et Titelmannus in Psal. 113. *Facta est Iudæa sanctificatio eius:* quærunt: Cur in tribum Iuda collatum sit regnum potius, quam aliam; in quę ea cōtinuatum. Respondent ex hebraica Traditione: Cum Moyse virga mare diuisisset in XII. diuisiones; ac omnes inire horrerent, crescente in montes aqua generosiorem Aminadab vexillum Iudæ intulisse, præeundoque animum cæteris fecisse: Ideoque Deum tribum benedictione coronæ ornasse. Ita S. Andreas, Christo cruce cœlum referante, & mūdi mare aperiente vadari vt posset tuto, primus inuasit, præiitque cæteris: ideo summi Pontificatus insulam eius fratri dedit, nec ab hac domo auferet vnquam successione perennante.

Est fortis.

Ei inter XII. gemmas templi prima competit, *Iaspis.* Apoc. 21. Huius vis naturaliter corroborat animum. 1. Id S. Andreas in nominis significatu præfert. 2. Et prędixit Zach. 4. *Educet lapidē primariū, & exæquabit gratiā gratiæ eius.* 3. Ideo dixit ipse, Ioan. 20. *Sicut misit me viuens Pater, & ego mitto vos.* En exæquationem. 4. Dicat S. And. Iob. 23. *Vestigia eius secutus est pes meus. &c.*

Exæquatus Christo.

II. Mirum: à Deo sic æquari Filio Apostolos! Vnde non mirum, eos, etsi viles, infirmos, subegisse Filio mundum: quippe æquales Christo in & ex eo quasi omnipotentes. 1. Deus, *Iud.* 6. infirmos elegit 300. qui præ infirmitate nec prosternere se valerent ad bibendum, præ metu nec morari; sed manu raptim lamberent: sic Iosephus *Antiquit. l.* 10. Per hoc Duce Gedeone victoria obtenta tanto fuit illustrior.

Vti Apostoli cauti.

2. Cæso per Iudith. *c.* 9. Holoferne, quid illustrius? *Erit. n.* ait illa orans, *memoriale Nominis sui, dum manus fœminæ deiecerit eum.* Sic per piscatores conuerti orbem, Regum, nationum leges euerti, cōfundi sapientes. &c. quid mirabilius? At Deo gloriosius. Gloriæ pars magna huius & prima S. And. est.

Et tamen, Vti Ioab, 2. *Reg.* 12. obsessam vrbem iam fessam ac inuadendam defert adscito Regi Dauidi; vt eius esset gloria: Ita Apostoli sua facinora ad Deum retulere, orbisq; subacti gloriam. Vt à quo accepissent Vocationis gloriam; ista gestorum gloria illustriorem.

Qui sua Deum retulerunt gloriam.

III. Ita Iob. 28. *Profunda fluuiorum scrutatus est oculus Domini, & abscondita produxit in lucem* gloriæ tantæ. 2. Ipse enim Ps. 137. *Excelsus Dominus, & humilia respicit.*

Eam dat gratiam Deus humilibus.

Ita humilem, & nonnisi 321. vernaculorum herum Abrahamum respexit, *Gē.* 14. vt iis tres Reges potentissimos vicerit. Occurrenti autem regi Sodomæ, petentiq; *Da mihi animas,* captiuorum meorum à te redētorum, *cætera tolle tibi.* Cui Abraham: *Leuo animam meam ad Dominum Deū exc. possessorem cœli & terræ; quod à filo subtegminis vsq; ad corrigiam caligæ, nō accipiam ex omnibus, quæ tua sunt: ne dicas; Ego ditaui Abraham.*

4. Similis huic Sodomorum est redemtio mundi facta per Apostolos XII. Christi; contemtores opum mūdi & honorum:

Ita 1. Cor.

Ita 1. Cor. 2. *Infirma mundi elegit Deus, vt cõfundat fortia.* Causa: *Vt non glorietur omnis caro.*

Et iuste tamen gloriantibus.

Mirabile *tã viles*, Ps. 18. *constituí Principes sup omnẽ terrã.* 1. Vt verũ is diceret, 1. Cor. 7. *Dei adiutores sumus.* 2. Cor. 5. *Pro Christo legatione fungimur.* 3. Vt iis diceret Dominus, Luc. 8. *Vobis datum est nosse mysteriũ regni Dei:* 4 Io. 15. *Omnia, quæcũq; audiui à patre meo, nota feci vobis.* O beatos in terra cælites, secretarios Dei, orbis Doctores & saluatores!

Vt eorum dederis notitiam; sic & eloquentiam. At eloquentia S. And. piscatoris quid disertius & admirabilius? Nimirum promissa Luc. 21. *Dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere, & contradicere omnes aduersarij vestri.*

Denique quale, esse orbis iudicem And.? Matth. 19. *In regeneratione, cum sederit Fil. hominis in sede Maiest. suæ; sedebitis & vos super sedes* XII. *iudicantes* XII. *tribus Isr.*

PARS III.

De S. Andr. vocatione, obedientia & fide.

Vocati Apostoli ad structurã sunt Ecclesiæ.

I. VIdit duos fratres, & dixit eis: *Venite.* Ad quid? Vt structuram Ecclesiæ inchoaret. Quo de sic Isa. 51. *Posui verba mea in ore tuo; & in vmbra manus meæ protexi te; vt plantes cœlum, & fundes terram.* Vtriusq; lapis, semenq; primum S. And. hodie vocatur.

Siccato per Iordanem vado iussum, Ios. 4. *Præcipe, vt tollant de medio Iordanis alueo* XII. *duriss. lapides. quos ponetis in medio castrorum. Et, si interrogauerint vos filij vestri; Quid sibi volunt lapides isti? Respondebitis: Defecerũt aquæ Iordanis ante arcã fœderis Domini &c.* Dominus passionis ac mortis ingressus aquas & transitum aperuit nobis, & XII. Apostolos in monimentum sui monitores q; reliquit. Gloria tibi Domine, Abac. 3. Tu *viam fecisti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum.* Mare & lutũ exsiccauit, & positi sunt in medio castrorum Ecclesiæ militantis XII. Apostoli.

Et vocati sunt è mari mundi vt nubes ad pluuiã.

Angelus. *Apoc.* 10. fortis, amict' nube & iride, vt sol rutilãs cũ pede super mare, est Christus ab mari vocãs Apostolos ad Ecclesiæ fundamẽtum. 2. Prima orbis creatio cœpit ab aquis: Gen. 1. *In principio creauit Deus cœlum & terram, Et spiritus Domini ferebatur super aquas.* Ita & reparatio cœpit à mari vocatis Apost. 3. In his S. Andr. similis, 3. *Reg.* 18. Nubeculæ, è mari ascendere visæ ab Elia, specie humana; versæ dein grandem in pluuiam super orbem vniuersum.

Obediẽtia S. And. Vocati, relinquẽtis mox omnia.

II. S. And. vocatus, nullis dũ visis miraculis, cõtinuo secutus est; vt Abraham. 1. Cui idcirco Dominus, Gen. 21. *Nũc cognoui, quod timeas Deũ.* Id clarum in S. Andr. 2. Et vero, Luc. 14. *Nisi quis renũciarit omnib. quæ possidet nõ potest meus esse discip.* S. And. & fratres *relictis retibus secuti sunt eum.* 3. Et ita secuti sunt, quasi mandasset Dominus: 1. Mach. 4. *Nõ concupiscatis spolia mundi, quia bellum contra nos est: Sed state nunc contra inimicos vestros & expugnate eos: & sumetis postea spolia securi:* Onerati non sunt ad præliũ expediti: Advocem, ad nutũ Domini secutus expedite S. And. est.

Quod signum erat sacerdotij.

Talis Apostolorũ sequela promta indicium erat sacerdotij. Nam *Nu.* 10. Tubis argenteis vno dato signo, Duces euocabantur; datis pluribus, totus populus. Ita in auditu auris obediunt religiosi: sæculares euocandi sunt potentius.

Fides vocati, rara hodie.

III. Ad obedientiam hanc S. Andr. fides accessit cæca. Nã quis esset, tunc miraclis aut doctrina nõdũ didicerat, nec ꝓmissa audierat: & tamen continuo *relictis omnib. secutus est eum.* Quis hodie non se temerariũ iudicaret? 1. Quis nõ; vt Samuel à Deo vocatus, 1. *Reg.* 4. se ad senem Heli recipiebat scisitatum; ita multum prius cõsultaret, & multos? Hoc est senem adire mundum, & eum de sequendo Deo cõsulere. 2. De hisce Ier. 7. *Locutus sum ad vos*

mane consurgens & loquens; & non audistis; & Vocaui vos, & non respondistis. Quot tales inspirati, vocati, tracti, coacti nec audiunt, nec sentiunt, nec parent?

Prædicatoribus pro fide irrogatur ignominia.

Et si talia Deo; quo magis prędicatori! Quin & ignominiam ei irrogare non verebuntur. Sicut Dauidicis legatis rex Hamnon Ammonitarum. 2. *Re.* 10. 1. *Par.* 19. abrasit barbam, vestesque pube tenus præscidit; quod proditores regni potius crederet: quos tamē Dauid miserat, vt eū de morte patris Naas cōsolarentur, & de regno gratularentur. Iratus igitur iniuria Dauid bello eā vindicare statuit. Ita etiānum prędicatores, ni placita canāt, traducunt, vt indoctos, atq; infamant. Væ illis! Vindex Deus vel sero existit; ceu Dauid.

PARS V.

Quam gloriosum cum Christo pati crucem.

Præmium S. And. crux erat.

I. VIrtutibus S. And. præmiū quod par? Isa. 63. *Erunt campestria* graminosa, pingia, lęta, *in caulas gregū* fideliū è vulgo: *Et vallis Achor*, id est, crux, tribulatio &c. in *cubile armentorum* Antistitum, Prædicatorum, *populo meo, qui requisierunt me.* In Achor, *Ios.* 7. lapidatus est Achā peccator. Ita zelosi habentur nunc peccatores: ficque tractantur.

Eademque eius similium.

Verū Apoc. 7. *Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna; & lauerūt stolas suas in sanguine agni.* vt Apostoli. 1. Ar illi. Ro. 5. *Nō solū autē, sed & gloriamur in tribulationibus.* 2. Sūt n. vt pisciculi è Sabalo: hic pisces oua ponit, educitque in aqua dulci: robustiores dein pisciculos in mare educit. Ita Dominº suos eduxit in aduersa, in vallē Achor.

Gloriosum pati seruū vti Dominu passus.

Testis S. And. De quo verū hoc Sap. 8. *Simili pœna seruus cum Domino afflictus est, & popularis homo Regi similia passus est*: crucem vterque. 2. Gloriosum Vasallum mori, vt mortuus est Dominus. 3. Phocioni illustri genere & virtutum merito, mors insonti dicta; similis & Tudippo plebeio; cumq; lætus illa venenū, is quiritabundus sumeret: ait Phocion, *Nō satis tibi est, cū Phocione mori?* q. d. Mortem serui solatur eadē Domini. Ideo S. And. ita ad Crucē lætus: *o bona Crux, iā diu desiderata, & cōcupiscenti animo præparata: securus & gaudens venio ad te.*

And fuit quidam Mardocham.

II. Nimirū bene Amā respōdit Assuero: vt honorandus sit, quē rex honoratū velit: Esth. 6. *Homo, quē Rex honorare cupit, sedere debet super equū, qui de sella Regis est.* Equº Christi, cōtra hostes bellaturi, Crux est. Ascēdit S. And. alacer, cū eximio honore.

Fuit spica oblata.

Et merito. Nam Leu. 2. *Si obtuleris primitias frugum despicis adhuc virentibus, torrebis igni.* At S. And. fuit prima spica: vt S. Bern. ait, *prima vocatio Saluatoris.* Itaq; offerri debuit, vt Dominus, in cruce. Nec sine igne, nam biduo pependit amore ardens plus patiendi, media in luce coruscus: vt *Exo.* 3. Rubus ardēs; at incōbustus.

Fuit Armiger Ionatha.

Generosum plane fuit, 1. *Reg.* 14. cum Ionatha suum armigerum per montis ascensum conniti, in monte eum per hostium sequi cuneos & mille pericla, stragemq; late edere. Sic And. cum Iesu inter Gentes, ac demum in crucifixione.

Vidit in cruce Angelos.

III. Iacob, *Gen.* 28 vidit in scala ascend. & descendentes Angelos: Dominus ad Nathanaelem Ioa. 1. *Videbitis cœlos apertos, & Angelos Dei ascen. & descendētes super Filiū hominis.* S. And. ascēdit crucē alacer: vidit supra se Seruatorē, cū Angelorū choro. Sic in cruce esse, est in cœlo esse. Simul dolebat homo suspensus; gaudebat spiritus accēsus præsentia Ducis, Deoq; plen⁹.

Apostoli sunt quidā Cœli.

Quid, quod ipse And. quoddam cœlū beatitatis fuerit? Istud *Iob.* 9. quidam sic exponunt: *Extendit cœlos suos*, Apostolorū martyria per orbem; *& graditur super fluctus maris*, Ecclesiæ persecutiones calcat; *Qui facit Arcturum*, 7. stellarum sidus boreale, 7. dona S. Spiritus impertitur Ecclesiæ agitatæ semper, mersæ nunquam: *Et Oriona, & hyadas* Autumnales quæ ciēt tempestates, persecutiones Ecclesię; *& interiora*

teriora Austri, qui facit magna & incõprehensibilia, & mirabilia, quorum non est numerus. Ita Ecclesiæ constructionem parauit.

Ratio. In ea Apostoli sunt Cœli quidam; tum quod Dei gloriam diffuderint late; *Ps.* 18. *Cœli enarrant gloriam Dei.* Tum quod vitæ cœlestis exemplo ambiant Ecclesiã Phil. 3. *Nostra conuersatio in cœlis est*: Tum quod protectores sint Ecclesię & quidam soles charitatis. 2. Cor. 6. *Cor nostrum dilatatum est ad vos*: sic vt vita nobis sit despecta, & cruces mortesque pro vobis appetamus. Ideo vt S. Petrus Romæ capite deorsũ in crucẽ suffixus fuit; ita S. And. Patris in Achaia sub Aegea Præside in crucẽ act° est.

PARS V.

S. Andreæ amor crucis excessiuus.

Amor Crucis in And. I. SEd ad crucem quæ viri anhelatio; conspecto eminus gloriæ suæ tropęo acclamat; *O bona Crux.* &c. 1. Vti Gal. 6. *Mihi absit gloriari, nisi in Cruce D. N. I. C.* 2. Impletum in eo istud Mat. 5. *BEATI eritis, cum vos oderint homines; gaudete in illa die & exultate.*

Facit ex sensum doloris. Amor tales causat ecstases, cruciatusq; reddit insensibiles. 1. Ideo Iacob, *Gen.* 29. amore Rachaelis duram seruiuit seruitutem annis XIV. qui tamen illi dies pauci visi. 2. Amor IESV quanta pertulit? at plura voluisset; perpessaque, parua ducit. Huic Cant. 5. *Aperi mihi soror mea; quia caput meum plenum est rore*, at torrens erat: *& cincinni mei guttis noctium*: quin vndis potius. 3. Ideo vicissim sponsa: Cant. 1. *Fasciculus myrrhæ dilectus mihi.* at fascis dolorum grandis erat, siluaque vasta.

Imo mors est fortior. II. Plane, Cant. 8. *Fortis vt mors dilectio tua; aquæ multæ tribulationũ non potuerunt extinguere charitatem.* Et 2. Cor. 1. *Charitas omnia suffert.* Ideo Iob. c. 13. *Etsi occiderit me, sperabo in eum.*

Estque orbi prodigium. Hic mortis contemtus, amor, gaudiumque patiendi orbi fuit prodigiũ: Vt magię id adscriberetur. Vnde, *Ps.* 70. *Tanquã prodigium factus sum multis.* Et 1. Cor. 4. *Spectaculũ facti sumus Angelis & hominibus.*

Multa Iob tulit: at fessus ingemuit; *Neque fortitudo lapidum*, ait, *fortitudo mea; neq; caro mea ænea est.* Mera Apostoli gaudia in tormẽtis spirarũt. S. And. *O bona crux.* &c. *Ei nil pœnarum sacro tis.*

Seruat orbem. Vlysses, ait *Amb. ser.* 55. vt præter Sirenum cantus duceret classe suos, aures gossipio clausit; se vero alligauit malo, quo audiret innoxius. Ita Dominus, And. Petrus, Barth. & Apostoli vt suos per mũdi blanditias contemtas se cruci adalligari permisere, se & suos Vlyxes ab interitu vindicauit. ita & Dominus. &c. 2. Sap. 4. *Exiguo ligno Crucis credunt homines animas suas; & transeuntes mare, per ratem liberati sunt.* 3. Enimuero, 1. Cor. 8. *Verbum crucis pereuntibus quidẽ stultitiæ est, nobis Dei Virtus.*

Inde Crux est regina arborum. Olim in arborum regem rubus fuit electus; *Iudic.* 9. Nunc Crux. Virga Mosis, Exod. 4. in serpentem versa, erat abominabilis, vt in virgam rediit, auxilio fuit Moysi, miraculo Aegyptiis & plaga.

Expirat S. And. S. And. biduo in cruce dies noctesque prædicabat indefessus: inde refigendus à tumultuante populo; ni precibus eos & arcuisset, & accersisset mortem sanctam.

DE S. ANDREA APOSTOLO PANEGYRIS.

Suppleuit Enucleator.

Ambulans Iesus iuxta mare Galilææ, vidit duos fratres. &c. Matt. 4.

DEus, *Leuit.* 2. sanciuit: *Si obtuleris primitias frugum tuarum, de Spicis adhuc virentibus; torrebis igne.* Postquam, cœlis ad Archangelicam Salutationem rorantibus terra germinasset Saluatorem; *Isai.* 45. hicque exiens; *Marc.* 13. *Seminare semen suum* in Agricolæ Patris sui agro, vidisset demum *messem quidem multam*

Matth. 9.

Matth. 9. *operarios autem* nec vel *paucos*. Ecce tibi primos hic vocat: simul eosdem Patri offert *primitias frugum suarum*.

Et vero S. Andream velut primam spicam *De spicis adhuc virentibus* futuræ messis Christianæ. Is quoque, inquit Bernard. *Primitiua Domini Vocatio hodie in Cruce oblatus est*. Nec sine igne diuini amoris; quo flagrauit cum in omni vita Apostolatus sui, tum vero maxime biduo illo suæ crucifixionis, luce continua circumfusus; indice ac teste flammæ intus diuinioris. *Quis enim* tantum *cælauerit ignem?*

De quo nos

I. *Quod Petrus & Andreas fratres, velut duo sint Ecclesiæ Cardines.*

II. *De vocato ab aquis ad Apostolatum Andrea.*

III. *De eodem lapide primo ex aquis euecto ad fundamentum Ecclesiæ.*

IV *De compatiente, & commerente Andrea cum Christo.*

V. *De causa priore Andreæ gratiâ & gloriâ coronati.*

VI. *De altera causa eiusdem: Ex Euangelio vtraque.*

PARS I.

Quod Petrus & Andreas fratres, velut duo sint Ecclesiæ Cardines.

Figura. I. STerilis diu, effœtaq; senio; at fœcũda demum precibus ac fletibus Anna Samuelẽ, hoc est, à Deo *positum*, enixa, Deo dum læta dedicat; canticum illud de & venturo Christo, & Ecclesiæ generatione seu fundamentis, (ait S. *Augustin. tom. 5. li. 17. Ciu. cap 4.*) cecinit dicens: 1. Re. 2. *Domini sunt cardines terræ, & posuit super eos orbem*. Cardines autem, in quibus cœlorum orbes circum iacentem terrã vertuntur, poli sunt duo. Arcticus & Antarcticus: quibus terræ quoque stabilitas stat. Mira in his infinitaque Dei sapientia relucet.

Dei sapientia in cœli regimine Magna.

At illustrius in Ecclesiæ primordiis; gubernatione, ac stabilitate, cum cæpta in hisce, tum posita super duos hosce Cardines seu polos, fratres germanos, Petrum & Andream: Dubitas? *At maior in Ecclesia*

Ecquando enim illud seruatoris verum accidit, Luc. decimoseptimo. *Regnum Dei est intra vos*, id est, Rex? Christus solus. *Hæc regnũ Dei est.*

Quin &, 1. Thes. 2. *Vocauit vos*, Petrum & Andream *in regnum suum* Ecclesiæ. Ac Petro quidem, Matth. 16. tradidit *Claues regni cœlorum*. Per hosce primum cœpit & condere, & regere Regnum suum cœlorum Ecclesiam nouam Rex Christus. *Conregnãt Petrus & Andreas.*

2. Sicut antiquam Synagogam supra Moysen & Aaronem constituerat Deus. Hi vero Iudaicæ; isti Christianæ Ecclesiæ Cardines agnoscuntur. Ideo Andreas, ceu polus Arcticus, altam in crucem capite sursum versus erectus fuit: Petrus vero, vt Antarcticus, idem in crucem actus, sed capite deorsum, stetit. Nimirum qui velut *terræ Cardines* orbem Ecclesiæ totum mutua charitate aspectent simul & sustentent.

4. Adde, quod & regnum hoc cœlorum Ecclesiæ regant. Nam sicut Intelligentiæ, (vt Aristoteli placet;) vt vere, Angeli cœlorum orbib. assistunt, iussu Dei, mouendis sic, vt Psalm. 118. *in ordinatione hac perseueret dies*: Ita ad motum, & regimen Ecclesiæ duo hi Apostoli esse designati mihi videntur. Adeo Petrus anni partem regit æstiuam; hybernam Andreas. Quis fortuna magis, (quæ nulla est:) quam diuina sapientia sic ordinata esse, gerique omnia in Ecclesia existimet?

II. Atque vt ex orbis & Ecclesiæ primordiis similibus horum clarior eluceseat dignitas Apostolorum, 1. An non sic- *Nostres iidem dirigunt mores ad portum salutis.*

ut

ut ad polos duos cursum dirigunt, qui mare nauigant: ita ad horum doctrinam vitam & exemplum vitæ nostræ cursum in hisce fluctibus dirigi necesse est, si portum intrare salutis amemus?

Vt in eorũ luce ambulemus, quæ est & Christi.

2. Quid vero etiam minus hi præstant ambo, quam cœlis duo *luminaria magna* creata, Gen. 2. *vt diuidant diem à nocte, illuminent terram, & sint in signa & tempora?* Petrus & Andreas vtrique sunt Ecclesiæ triumphanti & militanti lumina magna, quæ & illustrant terras, & tempora signant. Et quidem Andreas auroram, àq; somno surgendi horam affert ac indicat. Vnde Ecclesia clamat cum Paulo Romanorum 13. *Fratres hoc scientes tempus? quia hora est iam nos de somno surgere. Nunc enim propior est nostra salus: quam cum credidimus. Nox præcessit, Dies appropinquauit. &c.* Dante diem Deo, diemque nunciante Andrea. Et hæc sunt Ecclesiæ exordia. Fœliciter.

O lux Andreæ, niueo signanda lapillo!

PARS II.

De vocato ab aquis ad Apostolatum Andrea.

Vis vocantis: in figura.

QVid minus felicitatis habes, quam cum, Genes. 1. *in principio creauit Deus cœlum & terram; & spiritus Domini ferebatur super aquas*; id est, incubabat vt auis super pullos, quasi confouens ad creaturarum productionem: Ita & nunc præparatori orbis ab aquis placuit Ecclesiæ principia auspicari; dum *ambulans iuxta mare Galilææ vocat Petrum & Andream.*

Felicitas vocati dat omen instituendi Baptismi.

Felices aquæ: Sed felicior Spiritus nostri Eliæ, & iuxta, & super aquas ambulantis, exque his nostrum ducentis Elisæum Andream. Bonum omen Andreæ ab aquis vocati: Accipimus omen: teque vel hinc quoque hoc amplius colimus & prædicamus. Nam præsignas nobis instituenda breui in aquis initia Sacramentorum, quorum ianua Baptismus foret: Hic necessitate primus Mysteriorum: Andreas primus Apostolorum vocatione.

1. Ad aquam *descendit Spiritus Sanctus corporali specie sicut columba.* Luc. 3. Super Andream, Actorum 2. *factus est repente de cœlo sonus tanquam Spiritus vehementis, tanquam dispertitæ linguæ ignis, seditque supra eum, & singulos eorum.* 2. Bene dicis ac doces Ambrosi, *in cap. 22. Lucæ*, initium totius creaturæ ab aquis cœpisse: At quanto felicius extitit exordium Ecclesiæ ab aquis Andreanis?

3. Descendit in Vterum Christus; eum vocauit ab vtero DEVS: Nunc idem descendit ad aquam; & ab aqua vocauit Andream. Scilicet vt mersus in aquis ipse, & suum ijsdem post mergat Andream, serosque Andreæ nepotes fideles.

Figura euocati ab aquis.

Vere Christũ dicas, Apocalyps. 10. *Angelum fortem, descendentem de cœlo, amictum nube.* &c. qui *& posuit pedem dextrum super mare.* Placet dexter; vt Fortitudinis & Felicitatis index. Vt fortiter & feliciter educeret è mari Andream, dixit quasi, Ps. 88. *Ponam in mari manum meam, & in fluminibus dexteram meam.*

Prædicatoris Apostoli.

Hoc pede tuo pes fuisti Andreæ ludo; manus manco. Ideo & ipse vicissim pes tibi factus est, vt item alij Apostoli. Vnde dicis, Leuit. 26. *Ambulabo in eis.* Tumque cœpisti, cum iussisti: Marc. 16. *Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ.* id est, Matth. 28. *docete omnes gentes.*

Hoc præuidebas Isaia, nec intelligebas: ideo miraris, Isai. 60. *Qui*, inquis, sunt isti, qui, ab aquis vocati, *vt nubes volant.*

PARS III.

De lapide primo ex aquis euecto Andrea, ad fundamentum Ecclesiæ.

Fit lapis fundamẽtalis in Ecclesia Andreas.

I. EDuctum quondam ex aquis Moysen constituit Dominus Ducem populi sui, *Exod.* 2. Nunc Andream ab aquis vocat ad Apostolatum.

Nec satis hoc: Nam simul ipsum posuit fundamentum ac lapidem nostræ salutis & Ecclesiæ. Sicut enim Iosue *c.* 4. è Iordane lapides 12. elegit, super quos figerent tentoria Israelitæ, in testimonium transitus miraculosi; Ita IESVS, tentoria fixurus Ecclesiæ, Ierusalem nouæ descẽdentis de cælo, *Apocalyps.* 21. Andream ab mari vocatum ponit cum cæteris Ecclesiæ fundamentum: Plane Saphirinum ab Isaia, *Cap.* 54. prædictum ac promissum.

Fit autor vocandi Petri.

Huius *primus omnium lapis* extitit Andreas, ex discipulo Baptistæ factus assecla Christi: Parum hoc: Factus est & adiutor Christi in cæteris vocandis Apostolis. Ecce Ioann. 1. *Erat autem Andreas frater Simonis*: cui dux est factus ad Messiam. *Nam inuenit hic primum fratrem suum Simonem; & dicit ei; inuenimus Messiam. Et adduxit eum ad Iesum.*

Est Iaspis inuictus in omni vita.

Age nunc, cœlestem contemplare Ierusalem. Huius *Apocal.* 21. primus est lapis Iaspis. Nostrum hic Andream designat, Apostolorum vocatione primum. 1. Iaspis aduersum ictus fortis est & inuictus, Andreas re est; & nomine *fortis*, seu *Virilis* interpretatur. Vt *petra* fieret Petrus, vocandut erat *Cephas*; At Andreas virilis fuerat, & virilior factus est, planeq; Iaspinus Andreas.

In pradicatione.

2. Iaspis sanguineis quasi maculis aspersus visitur. Andreæ in fidei confessione, vitæque cum sanguine profusione supra Virile constantiam quis nescit? Schytis, Sogdianis, Saccis, gentibus, huiquam barbaris, quam viriliter Christum prædicauit? Aethiopes isthic interiores incolas baptismi lauacro dealbauit fidenter. constanter iniurias, plures in vita mortes pertulit: Aegææ Præfecto Patras vrbem ingresso, cogentique Fideles Dijs sacrificare occurrens cordate inquit: *Oportebat te, qui iudex hominum es, Iudicem tuum, qui in cœlis est, cognoscere, agnitum colere, & ab iis, qui dij non sunt, animum reuocare. Nam ista idola sunt pessima dæmonia.*

In Crucis desiderio.

II. E contra idem Crucis gloriam super æthera vexit audacter. Ipsam appetenter affectabat subire. Ipsam reuerenter consalutauit, ac pene tantum non adorauit. In ipsa Christum crucifixum indesinenter prædicauit. In Ipsa biduo ipso clara in luce refulsit. In ipsa tumultuantem populum aduersus Proconsulem coercuit. In ipsa spiritum & magnam animam Deo reddidit. Ipsam à Magistro nobilem se discipulo in maius nobilitauit. O virum inuictum virilissimum Andream!

Fit lapis vnctus spiritu.

Sic Andrea, sic meruisti lapis fieri & primus, & primarius Ecclesiæ. Vicit patientia. Constantia vicit. Sed forte minus euicisset, nisi lapis primarius benedici vngique soleret; sicut Iacob, Gen. 28. *Erexit lapidem in titulum, & fudit oleum desuper*, Andreas lapis erat vnctus vnctione spiritus sancti: qui etiam *præuenit eum in benedictionibus dulcedinis.* Ps 20.

Et Coangularis Christo & conformis compatiendo.

2. Impleuitque suum illud Zach. 4. *Educet lapidem primarium, & exæquabit gratiam gratiæ eius*: id est, ad modum gratiæ & gloriæ Crucifixi crucifigendus & ipse gratiam & gloriam crucis similem assequetur, vere portans imaginem Christi.

3. Secure igitur gloriari potest cũ Iob: cap. 23. *Vestigia eius secutus est pes meus.*

Et incoronando.

Proinde Esth. 6. *Homo, quem Rex honorare cupit, sedere debet super equum, qui de sella Regis est.*

Regis est. Equus Christi Regis, quem ascendit contra dæmonem ac mortem pugnaturus, CRVX est. Et hunc Andreas ascendit equum Christo fauente, ceu coadiutor eius, & socius passionis illi compatiens.

Et satisfaciendo pro nobis.

Qui. & Col. 1. *adimplens in carne sua, quæ desunt passionum Christi* (quoad efficaciam & imitationem, non quoad sufficientiam:) idque *pro Corpore Eius, quod est Ecclesia.* Quo te, Andrea, quo euexit gratia? Nimirum *conformis factus es imagini Filij Dei.* Idcoq; viuis tu iam non tu; viuit autem in te Christus in gloria, in sæcula. Et ita viuis, vt cum Christo conglorificeris, & conregnes. Quid, quod etiam cum eo in nostrorum partem debitorum exoluendorum venias?

PARS IV.

De compatiente & commerente Andrea cum Christo,

Redemtor Christus soluit pro nobis.

1. STaterem in ore piscis inuentum, *Matt 17.* voluit Dominus pro se, Petroque exolui. *Hæc sunt,* ait Hieronym. to. 3. Ep. 142. ad Damasum, *æra minuta duo, quæ vidua obtulit:* & sunt, Apoc. 19. *Gladius ex vtraque parte acutus,* quia stater duos habet denarios. Quos S. Hieronymo de vtroque Testamento placuit intelligi. S. Augustinus vero *to. 8. In Psal. 137.* mysterium ibi Redemtionis agnoscit. Christus enim, vt *promogenitus mortuorum* Apo. 1. & Ionas ille, *Luc. 11.* è mari mortis, & ventre Abyssi rediuiuus existens staterem ore ferebat, pretium didragmarum; naturæque diuinæ & humanæ meritum obtulit Patri, itemque Testamenti Vtriusq; complementum.

Addidit & symbolam suam Andreas.

Ita S. Andreas primus erat piscis ex aquis eductus à Christo: in cuius ore fuit stater didragmaticus vtriusque Testamenti prædicatio cum alias, tum biduo suæ crucifixionis: Quo pretium Christi passi sua passione in statera crucis perfecte rependit; seque pro nobis superimdit lætus Aegææ responsans: *Si crucis patibulum expauescerem, crucis gloriam non prædicarem.*

Patiendo læte.

Vere, cum S. Bernhardo inquam: *Vere granum est sinapis; quod, vbi teri cœpit, tantum feruorem profert: Lapis est, qui tactus ferro, ignem emittit: quo magis teritur & percutitur, magis scintillat.* Sic Andreas lætior, quo cruci vicinior: *Salue,* inquit, *Crux pretiosa, quæ in Corpore Christi dedicata es, & ex membris eius, tanquam margaritis, ornata. O Crux diu desiderata; & iam cõcupiscenti animo præparata! Securus & gaudens venio ad te, ita, vt tu exultãs suscipias me. Amator tuus sẽper fui.*

Quia amabat, vt Christus.

II. Verum, eccunde amor iste tibi? An quod Amor tuus IESVS eodem amore languit? *Baptismo,* ait Luc. 12. *habeo baptizari; & quomodo coartor, vsquedum perficatur?* Inde ad sponsam, Cant. 5. *Aperi mihi, quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.* Inde & Andreas cum Apostolis, Act. 5. *ibant gaudentes à conspectu Cõcilij; quoniam digni sunt habiti pro nomine IESV contumeliam pati.* Sic pati, magnum est: ast & mori, idq; cum gestiente lætitia; hoc vero prodigium est. Hinc amoris Crucis Andreæ miraculosus est.

Et ô quam glorioſus? *Tunc,* Oseæ 2. *datur illi vallis Achor ad aperiendam spem æternæ vitæ.* Magna vis tormentorum: at maior amoris Nam Cant. 8. *Fortis, vt mors, dilectio: aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem.* Inde crucis tibi dulcis amor.

Ecstatice.

Sed quid est, quod aiebas: *Venio ad te, tu exultãs suscipias me:* Exultet crux, cui sẽsus abest? *Excessus est amoris,* ait S. Bern. serm. de S. Andr. *Ignis vibrans est, non lingua loquens: & si lingua est; certe ignea. Carbones sunt ignis Excelsi: vtinam desolatorij & exurentes quicquid in nobis est carnalis affectionis!*

Supra hominem.

Ecquid es Andrea sic exultans in exultante cruce? Angelus? ita. S. Bernhardo placet.

placet. An homo? Quid ni ergo vox sonat humana ista: *Domine si possibile est, transeat à me calix iste.* Sed Phœnix es, igne amoris ardens, ex te ipso ad nouam vitam sic renasceris. Dic. 1. Ps. 70. *Tanquam prodigium factus sum multis.* Et rem dixeris.

Moriturq; beate.

III. Prodigio impulsus populus circũstans crucifixum de cruce refigere parat: At Deum Andreas orat, continuoque lux multa cœlo Diuum ambit, oculos, pie irruentium, perstringit, vt nihil viderent Sanctum; quousque Deo reddidisset spiritum. Hic factum, quod Ioa. 1. dictum: *Videbitis cœlum apertum, & angelos Dei ascendentes & descendentes supra filium hominis* Christum & fratrem Andream. Hoc in splendore coruscus, Cœlites inter medius, cœlos triumphator ascendit.

Hic Illum inuenit gloriosum gloriosus, à quo fuerat inuentus ad maris litus, sicut alter in fiscella scirpea Moyses *Exo.* 2. Factus dein dux plurium ex Aegypto vanitatis in terram promissionis, doctor fidei, autorque salutis. Nimirum fecerat, quam factam sibi à Domino acceperat gratiam. Verus enim Moyses Christus ipsum inuenit ad vndas; eduxit ab aquis, posuit in lapidem fundamentalem Ecclesiæ, ipsumque aliis præposuit Moysen. Et quia, 1. Cor. 3. *fundamentum aliud nemo ponit, præter id quod positum est*; Andreas porro *superædificabat* alios *superfundamentum Apostolorum.* Eph. 2.

Ergo Moyses Christus Andreæ? Moyses Christianis & Andreas erat. Nam vt Moyses iuxta mare rubrum ardens liberare populum, adq; promissa perducere, viso autem hinc instare hostes, inde obstare mare, virga mare serpens viam in uiam aperuit populo transituro: Ita Dominus Andreæ, virga virtutis suæ, Vocãtis ipsum, perduxit: Andreas item dein plurimos per Scythiam & Achaiam pari virtute eductos in portu salutis constituit. Ps. 76. *In mari viæ tuæ,* Andrea, *& semitæ tuæ in aquis multis.* Nunc autem cardines cœli perambulas.

Hinc festa dies natalis Andreæ

Hunc itaque celebrare diem tibi natalem ius fas est. Non, *quia,* inquit Chrysologus, *hodie materno est effusus ex vtero, sed conceptu fidei, Martyrij partu cœlestem nascitur generatus ad vitam. Celebratur dies, non quo materna cunabula susceperè vagientem; sed quo superna tabernacula susceperè triumphantem. Non, quo hic petit à terrena matre; sed quo sanguinem fudit pro Christi Patre. Non, quo humanis brachiis est exceptus, pannis inuolutus, & in cunabulis reclinatus, sed quo ex brachiis Crucis ad Christi brachia est gloriosè translatus.* O gloriam, quis explicet fãdo?

Ex causa singulatim duplici.

Causam tamen eius geminam hic Matthæus expromit. Alteram ex parte gratiæ præuenientis: Quia *Ambulans IESVS; iuxta mare, VIDIT eum*: Alteram ex parte ipsius S. Andreæ, *in quo gratia Dei vacua non fuit*, sed continuo *relictis retibus secutus est IESVM*, & porro *ambulauit digne vocatione sua, qua vocauit eum Christus.*

PARS V.

De causa priore Andreæ gratia & gloria coronati.

Ea est abyssus misericordia Christi.

I. AMbulans IESVS, solus, nec enim adhuc quenquam habebat discipulum: *iuxta mare VIDIT.* 1. Quia *iudicia Dei abyssus multa*: & Eccl. 34. *Consilium illius in abysso magna* O IESV, Ps. 91. *Nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ* secus mare profundum, cuius *abyssus abyssum inuocat.*

Videntis nescios videri.

2. VIDIT: An, quia prius viderunt IESVM? Non: Quia *non est currentis, nec volentis, sed miserentis Dei.* Ro. 9. Sed 1. Ioa. *ipse prior dilexit eos.* Sic enim ipse; Ioan. 15. *Non vos me elegistis; sed ego elegi vos.* Ipsi piscationi intendebant; nihil minus quam de Christo: suaque vocatione cogitabant; & IESVS *vidit eos, & vocauit.* Sic telonio intentum

ium vocauit Matthæum. *Matt.* 9. Sic hauſturam aquas Samaritanam: *Ioan.* 4. Ita Saulum ſe perſequentem vidit in via. *Act.* 9. Sic Zachæum in ſicomoro ſedentem, *Luc.* 19. videbat. Hoc *Videre* Dei eſt, & ſolius. Pſ. 112. *Quis, ſicut Dominus Deus noſter &c. ſuſcitans à terra inopē, & de ſtercore. &c?*

Sic vidit & nos.

Sic videns eorum ſalutem diſponebat, & per eos noſtram ſimiliter. Pſ. *Dominus ſolicitus eſt mei.* Cant. 8. *Ego dormio; & cor meum vigilat.* Cor meum Chriſtus. Huius figuram accipe. Elias 3. *Reg.* 18. Vidit *nubeculam paruam, quaſi veſtigium hominis aſcendentem de mari:* Hæc Andreas erat: *& facta eſt pluuia grandis:* Hæc fidelium multitudo erat conuerſa per S. Andream, in qua & nos hodie. O felix Domini videntis oculus, aſpectus ter feliciſſimus! Zach. 9. *Dominus eſt oculus hominis:* à quo omne bonum. 1. Iſto Gen. 1. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* 2. Iſto Gen. 1. *reſpexit ad Abel, & ad munera eius.* 3. Agar, fœta Dei viſu, Iſmaelem ex Abraham concipiens Gen. 16. *Tu Deus qui vidiſti me. Dixit enim, profecto hic vidi poſteriora videntis me.* 4. Exo. 3. *Videns vidi afflictionem populi mei:* Ideo eduxit in libertatem.

Viſio Domini eſt cauſa omnis boni.

5. Quid multa? Ioſ. 28. *Omne pretioſum Vidit oculus*, vel quia præſcit futurum id pretioſū, vel quia viſu pretioſum efficit 1. Vt Aurifex rudes inter lapillos viſu gēmas dignoſcit: Gemilegæ eas etiam per aquas in fundo perſpiciunt. 2. Ita, Iob. 28. *Profunda fluuiorum ſcrutatus eſt oculus Domini, & abſcondita produxit in lucē,* Apoſtolos, cæteroſque vocatos Chriſtianos. 3. Nam Pſ. 137. *Excelſus Dominus, & humilia reſpicit.*

Apoſtrophe ad Videntē Domini.

II. Nunc igitur, Pſ. 34. *Domine, quando Reſpicies? Reſtitue animā meam mihi*, quam hen, perdidi. 2 Nam & ego, Pſal. 26. *Faciem tuam Domine requiram:* Tantum, Pſal. 87. *Ne auertas Faciem tuam à me.* 3. Memento Domine verbi tui, quod dixiſti, 3. Reg. 9. *Sanctificaui* in Baptiſmo *domū hanc* corporis ac animæ, *quam ædificaſti mihi.* Quo fine? *Vt ponerem*, inquis, *nomen meum ibi, vſque in ſempiternum, & erunt Oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus.*

V ſio Dei beat.

Beatus, quem ferit in oculis Ieſus. 1. Nam Pſ. 33. *Oculi Domini ſuper iuſtos; & aures eius in preces eorum.* 2. Vnde quæſo tantum Almæ bonum Virgini? *Quia Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes.* 3. Nathanaeli dixit Dominus, Ioan. 1. *Sub ficu vidi te*: An ideo verum illud: *Ecce, vere Iſraelita, in quo dolus non eſt?* An inde colluſtratus idem Ipſum agnouit, & confeſſus eſt, dicens: *Tu es filius Dei.* Tantum venit è tantulo viſu Domini?

Simile diſpar.

Nec mirum, etſi miriſſimum. Nam oculus ille mundi Sol panomphæus, quo non penetrat? Vel ad imā terræ viſcera, Quid non vegetat? Etiam ſaxa ipſa vel in aurum tempore vertit. Quas non producit opes? Opes gemmarum, fructuum. &c. & omnium. At Eccl. 23 *Oculi Domini multo lucidiores ſunt ſuper ſolem, circumſpicientes omnem viam hominum.*

PARS VI.

De altera cauſa gratiæ & gloriæ Andreanæ.

Cooperādi vocāti Deo.

I. PRior vocantis, altera cauſa ſequentis erat. Nam *Continuo, relictis retibus, ſecuti ſunt eum*; vt cooperatores gratiæ, 2. Pe. 1. *Quapropter, Fratres magis ſatagite; vt per bona Opera certam veſtram vocationem & Electionem faciatis. Hæc enim facientes non peccabitis aliquando.* Hocque amplius Vocatur ſequendus, quod dicat: Ioann. 8. *Ego ſum lux mundi: qui ſequitur me, non ambulat in tenebris; Sed habebit lumen vitæ.* Quæ quidem vt gratia per ſeſe eſt maxima; ita gloria eam ſequitur infinita.

Vtraque præſtitit Andreas: Quia vocatus primus, primus in *Opus* iuit. Sicut,

cum Moyses, *Exod.* 14. tactu virgæ Rubri maris vndas *diuisit in diuisiones & semitas multas*, Psalm. 135. Siue, (vt Hebræis & Epiphanio Hæresi sexagesima quarta placet:) in duodecim sectiones, pro tribubus duodecim, quo celerius pertransirent: tunc Aminadab, nepos Iudæ, Princeps Tribus Iudæ primus ad vocē Moysis secutus in alueum siccum fidenter inuasit. Ita nunc ad tactum vocis Euangelizantis Christi viæ multæ sese aperuere salutis; vti & hodie: at primus perfectissimam inuasit Andreas, sequendi autor cæteris factus & exemplum: Simul hanc gloriæ palmam cunctis præripuit.

At primis laus prima debetur.

Primis rerum inuentoribus sua laus certa manet: manebit & hæc Andreæ. 1. Enos, filius Seth, quod, Gen. 4. *Primus cœpit inuocare Nomen Domini*; hinc gratiam, hinc gloriam filij abstulit sempiternam. Parem quis abnuat Andreæ? Ego vero hoc etiam diuiniorem; quo lux vmbram superat illustrior. 2. Sua debetur laus, & redditur Abrahæ, Astrologiæ apud Aegyptios vel inuentori, siue Magistro.

3. Noæ, quod vini exprimendi, vineæque colendæ autor extiterit: Vnde Ianus dictus, ab hebræo Iein, id est, vinum. 4. Germanis est laudi, inter alia, quod typographiam, tormentaque bellica reperierint primi. 5. Vitelianus Papa quod sub annum Domini 656. primus cantum organis coaptarit, æternum celebratur.

6. Sabianus item Pont. Romanus circa annum 600, inde sibi memoriam inuenit, quod cymbalorum vsum primus in Ecclesiam inuexit. At istis talibus talium autoribus quanto potior est autor princeps sequendi Domini, deserendi mundi?

Ergo & Andreæ

Andreas Christianæ militiæ dux primus; primus hostium mœnia transcendit: primus aereas potestates vna sequela sua debellauit: Et palmam ei militarem primam; primam muralem coronam; lauream primam illi non vltro deferrēt etiam Diuorum cæteri vniuersi?

Altera vteris secutis Apostolis.

Suo quodam iure glorioſi gestiunt Apostoli Domino acclamantes: Matth. 19. *Ecce, nos reliquimus omnia, & SECVTI sumus te: quid ergo erit nobis?* Quid ergo erit Andreæ, quem primum secutum secuti sunt cæteri? Mirum foret, si diuitem, si potentem, &c. affectatus fuisset: quod autem ignotum sibi, quod pauperem, priuatum, nullis adhuc visis miraculis, ait S. Gregorius, sequatur; hoc vero miraculum est. Et nos etsi quotidie flagellis etiā atterimur; vix tamen pauci, & ægre vocantem ad salutaria sequimur. Ier. 5. *Percussisti eos, & non doluerunt: attriuisti eos, & renuerunt accipere disciplinam* sequelæ.

Et sua Christianis necessitas est relinquere omnia.

II. Dices: *Relictis omnibus* sequi Dominum paucorum est, non omnium. Ego vero inquam, *Sequi*, omnium esse oportere: at *Relinquere* non item, nisi hactenus: Apostolici relinquunt omnia & sequuntur vnum Affectu & Effectu: Cæteri fidelium minimum Affectu vt præstent idem necesse est. Et vero etiam Effectu, tum; cum quid eis ad salutem fuerit impedimento. Hinc illud: *Qui amat patrem, aut matrem plus, quam Me; non est me dignus.* Et Luc. 14. *Si quis venit ad me, & non odit Patrem suum.* &c.

Ex mandato, consilio.

1. Proinde iubet, Matth. 18. *Si oculus tuus,* vxor, soror, frater, *scandalizat te, erue eum, & proiice abs te.* &c. 2. Iubet, Psalm. 91. *Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere:* 3. Suadet, 1. Cor. 7. *Qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur.* &c.

Ratione.

Nec ratio abest. 1. *Quia* generosum est, vltro dimittere, quod tueri atque tenere non queas: ne ab cæteris simul omnibus denuderis. 2. *Deinde*, vel maxime terrena hæc & fluxa despicere, seq; iis altiorem ducere; homine digsum est. Præsertim ea cum vmbra sint mera, fucusque.

cusque. Eccl. 34. *Quasi qui apprehendit vmbram, & sequitur ventum.* &c. Adeo Omnes *Viri diuitiarum nihil inuenerunt in manibus suis.* Psalm. 73. & tu *stulte, quæ parasti; cuius erunt?* Luc. 12. Ecce, Ose. 7. *alieni comederunt robur eius.*

Et tamen, Ierem. 6. *Omnes apprehenderunt mendacium.* Eheu, Psal. 4. *Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?*

Et exemplo Gentiũ. Istam oderunt, hoc fugerunt vel ethnici, relictis omnibus; Testis Socrates, Bias, Diogenes, Thales Milesius, Crates Thebanus, Pythagoras Samius, Fabritius Romanus: cæterique complures Sapientum. Diogenes quidem offerenti munera, aiebat: *Apage sis cum hisce; Onera potius iumentorum sunt hæc, quam munera hominum.*

At ô si istis nudum sequi Christum sic contigisset: felices. Nunc tantam virtutẽ male posuerunt. Vt qui patientiæ constãtiam in scelerum suorũ perferendis fortiter tormentis perdit, nihilo emendatior, nisi quod pereat denique è medio sublatus, nocereque desinat.

Denique Decet. Obpugillatum nostrũ III. Nos autem non sic: non. 1. Vocantem sequimur, ac præeuntem IESVM pugiles indefessi. *Qui autem* 1. Cor. 9. *in agone contendit, ab omnibus se abstinet.* Agon est, relinquere omnia, tollere crucem, & sequi: 2. Et ob hæc Apostoli secure de se prædicant, 1. Corint. 4. *spectaculum facti sumus mundo, Angelis, & hominibus.* 3. Sed priꝰ erat Dominus spectaculum, 2. Cor. 8. *Qui, cum esset dives, propter nos egenus factus est: Vt illius inopia diuites essemus.*

Obspectatores. Ob Agonotheram.

Exempla. 1. Bene Abimelech Dux militibus. Iud. 8. *Quod me videritis facere, facite* Haud mora, sequuntur eum, cæsorum fascibus ramorum onusti; & sequuntur in hostem vel per enses, & ignes. Quo magis nos, Hebr. 12 *oportet deponere omne pondus*, impedimenti Plutonei; & *circumstans nos peccatum; Vt per patientiam curramus, adspicientes ad Autorem Fidei, & Consummatorem* IESVM.

2. Quid euocatum de Vr, secutumque Abrahamum, retardabat? Gen. 13. *Abraham erat dives valde*: Septuaginta legunt: *erat grauis vehementer.* 3. Quid Iacobum? Onere gregum ac familiæ grauis ibat. Ideo dicebat ad Esau: Gen. 33. *Præcedat Dominus meus.*

Quare Matt. 6. *Primum quærite regnum cœlorum; & hæc omnia adiicientur vobis.* Ita Iudas Machabæus, in prælio aduersus Gorgiam, suis suadebat: *Non concupiscatis spolia: quia bellum contra nos est. Et Gorgias, & exercitus eius prope nos in monte: sed state nũc contra inimicos nostros, & expugnate eos: & sumetis postea spolia securi.*

Maxima mundo, sunt parua Deo. IV. Et illa tamen ipsa, quantula sunt? Indignacerte homine, quæ sumantur; nisi quantum ad vsum. 1. Quanta maiestas Ierosolymæa? At maior non erat Domino; nec videri amplioré volebat, quam quæ in laterculo iussa pingi proponeretur. *Ezech.* 4. 2. Et vel orbem vniuersum vitreo ludebat in orbe Archimedes. 3. Nec enim terram, nisi punctum asserunt Philosophi. 4. Quod omnes orbis monarchias vna Danielis statua repræsentarit. *Dan.* 2. Et hæc lapilli tactu leni in puluerem corruebat. Fragilior est fortuna leuis, omnesque fortunæ, & opum vis. Ob quam tamen Tentator *Luc.* 4. affectabat tantum non adorari.

Et stercora iusto. At Paulus. Phil. 3. *Omnia arbitratus est vt stercora; vt detrimenta:* Quæ quia multi, Thren. 4. *amplexati sunt stercora*; ideo *dati sunt in reprobum sensum*, Isa. 36. *vt comedant quoque stercora sua.* Hinc & ipsi, Ps. 81. *Facti sũt vt stercus terræ*; Et Soph. 1. *Corpora eorum sunt stercora* in via conculcabuntur. Iusto Dei iudicio talium Iezebelitarum *erunt carnes vt Iezabel sicut stercus.* 4. Reg. 9.

Ideoque beato. Beati igitur *pauperes spiritu* Mat. 5. qualis Andreas, *qui relictis omnibus, secutus est Iesum.*

Iesum. Idq; protinus. Prou. 22. *Vidisti virum velocem in opere suo? Coram Regib stabit.* Remoram, (torpedinem, seu Echinem vocant alij, pisculum pusillum, qui onustæ adhærescens naui vel maximæ, eam sistit in cursu: *Plin. l.* 9. Aelian. li. 12.) hanc pestem excussit Andreas, & Apostoli: Ideo, *vt nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras.* Ideo, ceu sancta illa animalia, Ezech. 1. *ad impulsum spiritus ibant, in similitudine fulguris coruscantis.* Et vt ibid. Rotæ *eleuabuntur ad motionem spiritus, quia spiritus vitæ erat in rotis*, viris vel inde perfectissimis.

Qualis S. Andreas erat.

V. Vbicunq; Gal. 6. *hanc Regulam secuti fuerint; Pax super illos.* Pax crucis, inquam, Andreanæ. Quam referebat benedictio Iacob, manu dextra super Nephtalim, sinistra super Manassem concellatim posità. Fuit autem Andreas de tribu Nephtalim; ad quem moriens Iacob ista: Genes. 49. *Nephtalim currus emissus, dans eloquia pulcritudinis.* Qualia in omni Apostolatu suo Andreas.

Hinc idem expeditus expediit peccatis multos.

1. Vt ceruus erat, eum in velocitate sequendi. Nam tetigerat eum, Psal. 28. *Vox Domini, præparantis ceruos*: Tum virtute spiritus; quo, vt cerui habitu è cauernis extrahunt serpentes, ac enecant; ibi adnotat S. Amb. Ita S. Andreas peccatores spiritu labiorum exciuit ad pœnitẽtiam; vt mortui carni viuerent Deo.

Traxitque eloquio, & exemplo ad salutem.

2. Eloquia item ipsius erant *pulcritudinis.* 1. Qualis colore, & odore Panthera; Plinio teste: cuius ab ore tanta fragrat odoris gratia, vt desertis cubilib. late bruta excita trahantur 3. Talis ore Andreas erat: quia talis esse à Magistro vocante expertus didicerat. Vnde sponsa. Cant. 4. *Mel, & lac sub lingua tua.* Et Petrus Ioan. 6. *Verba* enim *vitæ æternæ habes.* 2. Ita Cete pisces odore trahit mari; 2. terra Monocerotem animantia vltro in Aegypto sequuntur; vt Aquas Nili, cornu ipsius tactas, & à veneno purgatas, bibant. 3. Talis odore, cornu talis Christus & Andreas erat: vt, qui eos viderat, vel audisset; diceret: *Trahe me post te; curremus in odorem vnguentorum tuorum.*

Trahamur tribulationibus; curramus inspirationibus per odorem vnguentorum gratiæ, ad montes aromatum gloriæ æternæ Amen.

IN FESTO S. NICOLAI CONFESSORIS ET EPISCOPI.

Homo quidam peregre proficiscens vocauit seruos suos. Mat. 25.

S. Iob. suæ contra obtrectatores innocẽtiæ tuendæ causâ, opera sua bona commemorat: in hisce, misericordiæ præsertim. Iob. 29. *Oculus fui cæco, pes claudo, & pater eram pauperum.* cap. 31. *Ab infantia creuit mecum miseratio.* Ita S. Nicolaus.

Nos de eo

I. *Quantum malum, abuti donis Dei.*
II. *Talenta à manu Dei accipienda, non ambienda.*
III. *Talentorum abusus dire, iusteque punitur.*
IV. *S. Nicolaum in vita & Episcopatu fuisse absolutissimum.*

PARS I.

Quantum malum, abuti Donis Dei.

Donis Dei abuti probrosum est.

I. NOn donis carere Dei, sed iis abuti; noxam habet ingrati. 1. Hinc ita exprobrat Dauidi Nathan, 2. Reg. 12. *Hæc dicit Dominus: Ego vnxi te in regem Isr. Ego erui te de manu Saul, & dedi tibi domum Domini tui, & vxores Domini tui in sinu tuo; dediq; tibi domum Isr. & Iuda. Et si pauca sunt ista, adijciã tibi multo maiora*; 2. Ezech. c. 28. Lucifero obiectat donorũ abusum: *Quomodo cecidisti, lucifer; qui mane oriebaris, in medio lapidũ ignitorum ambulasti?* 3. Apostolus apostatis à fide sic exprobrat. 2. Pet. 2. *Melius erat illis non co-*

non cognoscere viam iustitiæ, quam post agnitionem retrorsum reuerti.

Ac reprobum. II. Struthio, *Leu.* 11. est inter aues sacrificari ineptas: forte, quod alas habeat ingentes nec tamen volitet; sed humi semper gradiatur. Tales reperiri, qui datis donis non vtuntur, aut abutuntur. 1. De iis, Eccl. 6. *Est & aliud malum, quod vidi sub sole: Vir, cui dedit Deus diuitias & substantiam, & honorem; & nihil deest animæ suæ ex omnib. quæ desiderat: Nec tribuit ei potestatem, vt comedat ex eo: hoc vanitas, & miseratio magna est.* 2. Ecce, talentum in sudario serui nequam. 3. Bene Greg. hom. 9. *Cum crescunt dona, rationes quoque crescunt donorum.*

Et tremendum malum. Si rex omnia clam palamque dicta, factaq; suorum palatinorum in commentaria, ceu Assuer[us] factitabat, *Iudith* 6. adq; rationes olim vocaret singulos; quis tremor pluriū foret? &c. Atqui nostra omnia data, accepta, cogitata, dicta, facta notantur Deo. Nam *Exod.* vidit indutum lineis, atramentarium scriptoris ad renes habentem, qui adnotat minutim humana omnia. 3. Viditque Ioa. Apoc. 20. *Aperti sunt libri, & iudicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris.* 2. Et hodie Matth. 25. *Homo quidā peregre proficiscens notauit seruos suos, &c.* Et qs nō timeat difficiles ratiōes?

PARS II.

Talenta à manu Dei accipiantur, nō ambiātur.

I. PArabolam *Orig. Chry. Hier. Beda, Euth. Theoph. Ambr. &c.* exponunt de Christo in ascensione eunte peregre, datis ante donis, redituroque ad iudicium.

Talenta quæ. Talenta varie exponuntur: 1. *S. Ambr.* vult esse Rationem naturalem, & gratiā. 2. *Autor operis imperf. hom.* 55. Esse officia & honores sacros & laicos. 3. *S. Hier. Beda:* Et se sensus & naturæ facultates. 4. *Iustin. Orig. Hil. Chrys. Theophy.* Esse Euangelium per data talenta prædicandum.

5. *Alij.* Esse gratias omnes, seu gratū faciētes, seu gratis datas: Quibus nō omnes similiter cooperantur. *Annota* hic: Dominum omnes vocasse seruos; delegisse ex his paucos ad danda eis talenta. 2. Nemi- *Ambitio rapit, non accipit.*
nem se vltro ingessisse, vt plerique hodie ad sacra & sæcularia se intrudunt ambitiōse, &c. Ideo nec veri sunt serui IESV Christi, quia nō de manu eius accipiunt. 1. Zebedeides hic impingebant: ideo audiunt, Matt. 10. *Nescitis, quid petatis.* 2. Heb. 5. *Nec enim quisquam sibi assumit honorem, sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron.*

Ethnicis ipsis ambitio fuit exosa. 1. Ideo *Exosa Ethnicis.*
Traianus, indicaturus se nullo ambitu adisse imperium, numisma cudit tale: à dexteris nomen eius, à sinistris Iouem referebat offerētem ei sceptrum per Aquilam. 2. Ideo Romani aquilam in vexillis præferebant: insignum à Ioue dari honores, aquila ministrante.

Quo magis nos à Deo expectamus omnia. Hoc tutum, beatū: aliud est regnū. *Sed & Christianis?*
Nonne, Psal. 117. *Lapidem quem reprobarunt ædificantes, hic factus est in caput anguli? A Domino factum est istud, & est mirab. in oc. nostris.* Ita etiamnū euehit Deus, quos deprimit mundus Aarones, Moyses, Iosephos. &c.

II. Ideo *vocauit seruos, tradidit eis talenta.* *Nescimus bona nobis: Deum sequere!*
Quid cōducat nobis ipse nouit, nescimus nos. 1. Eccl. 23. *Oculi Domini multo lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominū, & profundū abyssi* cogitationū, intētionū, &c. Homo nescit, q̄ sint in seipso. 2. Ideo Delphicū *Nosce teipsū*, & stude nosse.

Peregrini hic vias sum[us] incognitas: Vtere *Ignarus via.*
Duce Deo. 1. Sæpe enim Prou. 4. *Est via, quæ videtur homini iusta, nouissima autem eius ducunt ad mortem.* 2. Tobias Euangelo vsus, Tob. 10. *Meduxit, & reduxit saluum.* At *Magnus Testamenti Angelus* Christus est, qui omnibus in actionibus nostris esse dux amat. 3. Tantum ora, Psal. 24. *Vias tuas Domine demonstra mihi* præceptorum, *& semitas tuas Consilio edoce me.*

Dominum prius consule; dein statum

Deum consule sin' male tibi.

delige; delectũ dilige. Sinsecus. 1. Isa. 57. *Opera tua non proderunt tibi; cum clamaueris, liberent te congregati tui: Et omnes eos auferet ventus.* 2. Ose. 8. *Proiecit Israel bonum, inimicus persequetur eum. Ipsi regnauerunt, & non ex me: Principes extiterunt, & nõ cognoui.*

Exemplo sapo.

3. De talibus 1. Mach. 5. *Iosephus & Azarias audientes magnalia Iudæ & Ionathæ, dixerunt: Faciamus & ipsi nobis nomen & eamus, pugnemus aduersus gentes, existimantes sortiter se facturos: sed fugati cum plaga magna.* Causa: *Ipsi autem non erant de semine virorum, per quos salus facta est in Isr.*

PARS III.

Talentorum abusus dire iusteque punitur.

Bene, vtẽtibus bene.

I. *VOcauit seruos, &c.* ad duo, ad *Accipere* talenta, & *Negotiari* in eis. Sat de isto, de hoc pauca. 1. De vsu accepti sic Apost. 2. Cor. 6. *Adiuuantes vos exhortamur; ne in vacuũ gratiam Dei recipiatis.* 2. Nam Ps. 23. *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius?* Respondet: *Innocens manibus, & mundo corde, qui non accepit in vano animam suam, &c.* 3. Talis negotiator erat Iacob, *Gen.* 30. in domo Laban: Cui exprobrat ille iuste: *Modicum habuisti ante, quam venirem ad te; & nunc dives effectus es, benedixitque tibi Deus ad introitum meum.*

Male, vtẽtibus male. Exempla.

II. *Tradidit illis bona sua.* Væ abutentibus male! 1. Pont. Max. præmonebatur: Exod. 28. *Vestietur tunica* cũ tintinnabulis *Aaron in officio ministerij; vt audiatur sonitus, quando ingreditur, & egreditur Sanctuariũ in cõspectu Domini:* Hoc donũ: pœna ista: *Et nõ moriatur.* q.d. Sin' morietur. Vestis, est charitas; tintinnabula, sunt gratiarum ac virtutũ dona; quę semper sonare vult Dominus.

2. Quæ arborum par Babylonicæ Nabuchodonosoris? Et tamen vox cœlo facta: *Succidite arborem, & præciditeramos eius, excutite folia, & dispergite fructus.* Dan. 4. Ecce cur? Quia *vescebatur ex ea omnis caro:* nõ homo, nõ Deus: sed bestię. O abusum tot tãtorũq; donorũ! Iuste succisa est. Nã Mat. 3. Luc. 3. *Omnis arbor, quæ nõ facit fructũ bonũ, excidetur, & in ignẽ mittetur.* Audite Prælati: audiat omnis homo & exhorrescat. 3. Mat. 13. *Nõne bonũ semẽ seminasti in agro tuo; vnde ergo habet Zizania?* quærebat admirãs seruꝰ. Quid à te requiret Deꝰ à quo bona tanta recepisti; & tãta rependis mala? Mãdabit seruis, vt zizaniosũ mittãt in Orcũ.

4. Absalon ex capillis eximiis se efferebat, 2. *Reg.* 14. ideo facti sunt ipsi in laqueũ ad mortem. O mundicolæ comtuli, & crispatuli exemplum temnitis?

Discite iustitiã moniti non temnere Numen.

5. Hebræi spolia ægyptiaca auri cõtulerũt ad vitulinum idolũ; & dira morte luerũt. Heu quot hodie colũtur idola & comũtur ex bonis Ecclesię? scorta, canes, eq&c.

PARS IV.

S. Nicolaus in vita & Episcopatu fuit absolutißimus.

I. BEne donis vsus S. Nicolaus est: Ideo bene ei accinit Ecclesia, Mat. 25. *Euge serue bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, super multa te constituam.* Sed eum virtutũ succũ cũ lacte matris imbibit: Vnde, Tit. 2. *Sobrie iuste & pie vixit in hoc seculo:* 1. *Sobrie puer:* ter enim quaque hebd. ab vberibus abstinebat. 1. Thr. 3. *Bonum est viro, cum portauerit iugum Domini ab adolescentia sua.* 2. Etenim Isa. 28. *Quem docebit scientiam? aut quem intelligere faciet auditum? Ablactatos à lacte, auulsos ab vberibus.* Hoc S. Nic. didicit infans S. Spiritus instinctu. 3. Domine nunc scio, quia *ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem tuam.*

S. Nic. infantia sobria.

Iuste vixit vir, dando cuique suum; Eleemosynas pauperibus. 1. Quo factus est *Pater pauperum.* 2. Attendens, *Matth.* 6. ne iustitiam suam faceret cõram hominibus. 3. *Cum ergo facis elee. noli tuba canere.*

Virilis atq; eleemosynaria.

4. Scytale serpens non exit è cauerna, nisi expulsus: hinc ab eo, ignotam viuendi rationem habentę, literæ hieroglyphicæ quædã dictæ sunt *Scytalæ.* Exuuias quot-

quotannis ponit in solstitio brumali, non in æstu, more cæterorum serpentum; Et iis calor inest tantus, vt agricolæ manus hyeme calefaciant pugno conclusis. Ita eleemosynarius seruet eleemosynæ conditiones. 1. Sit secreta. Matth. 6. *Te faciente eleem. nesciat sinistra tua, quid faciat dextera.* 2. Fiat, cum necessaria est tempore oportuno: non expectando vltimum articulū. Vt S. Nic. clam stipem suggerebat.

Senium Episcopale. 3. *Pie vixit Senex.* Nam factus Episcopus, meram deuotionē spirabat verbis, factis. 1. In Conc. Nicæno Arianos refutans S. Trinitatem defendit & naturali ratione: arrepto latere dicens: tria in hoc diuersa sūt: aqua, argilla, igni cōstat; & nō nisi vn⁹ est later. Ita S Trinitas, &c. 2. Episcopalē dignitatē expleuit, & collustrauit virtutū & exēplorū copia & prestantia. Huc vigilātia vtebatur: vt Iacob Gen. 31. *Diu noctu æstu vrebar & gelu, fugiebatq; somnus ab oculis.*

Tria in Prælato necessaria. II. Istud Prou. 10. S. Beda ibid. sic exponit: *Tria sunt, quæ bene gradiuntur: Leo fortissimus bestiarum.* i. Seruator Iesus; *Gallus succinctus lumbos suos.* i. Prædicator doctus: *Et aries:* i. ordo Sacerdotalis, qui plebi præire debet. *Nec est Rex qui resistat ei.* 1. in hoc robur Ecclesię positū est. Atque tunc Prelat⁹ bene gr⁹ditur, cū in eo est leonina gūrositas, ouina innocēria, vigilātia galli.

Sit vigilās. De vigilantia, 1. Leu. 2. *Si cæcus, si claudus, si fracta manu; non accedet administerium altaris.* 1. Somnolentus, piger, non operosus

Ne sit idolum. ad exemplum. 2. Zach. 11. *O pastor, & idolum, derelinquens gregem!* Idola oculos habent, & non vident: Ita habentes ingenium, scientiam, doteſque requisitas; at non vtentes in bonum gregis.

3. Vigilantia sic præcipitur Leu. 8. *Die ac nocte manebitis in tabernaculo, obseruantes custodias Domini:* Sub pœna, *Ne moriamini.* id

Ne moriatur. est, ait Glossa: *in prosperitate & aduersitate manebitis in seruitio Domini.*

Ne tētetur. 4. Iuda proditionem adornante, indicto seruatori bello, Ecclesia ad angustia redacta, dormiēs Petrus arguitur, Mat. 27. *Simō, nō potuisti vna hora vigilare mecū?* Dormitor nomine prælati indignus cēsetur: sed vti vulgo nominabatur ante vocationem: Antistites sūt Ecclesiæ excubitores. Isa. 62. *super muros tuos Ierusalem constitui custodes; tota die ac nocte in perpetuū nō tacebūt.*

Sed sit Cherubinus. Quare sicut *Ezec.* 1. Cherubinus scribitur habuisse facies 4. Hominis, bouis, leonis & aquilæ; ac proinde 8. oculos: Ita prelatos oportet pollere leonina generositate, bouina laborū constantia, humana clemētia, aquilina perspicacia. Omnia in vno fuere S. Nicolao cherubino.

Episc. sit misericors. III. Misericordiā in agētes præstabat eximie. Omnino Ps. 111. *Dispersit, dedit pauperibus; iustitia eius manet in sæculū.* 1. Tales esse Episcopos oportere: Salomonæū docet: in quo, 3. *Reg.* 6. duo stabant Cherubini oleagini; nō aurei: Olea Symbolū misericordię est. Vbi ianuā respectabant, vt excubitores. 2. Moses quoq; *Exod.* 25. in Tabernaculo duos statuerat. Dei iussu, qalis Propitiatorii obūbrabāt: Iudicio, præsules itē miserorū esse protectores debere.

Sit cōtemtor mundi. IV. Cōtemtus mundi in S. Nic. eminuit, cū illustri humilitate, & mētis in recollectione. Hinc in epulis sobrietas, in splendore mediocritas, in copia omniū priuata inopia viro. 1. Tēpli Salomonis, 3. *Reg.* 7. Tabernaculi, *Exod.* 25. Moysis columnæ fuerunt cedrinæ & æneæ; non aureæ: cū cætera ex auro constarent. Ita prælati nō sint pecuniosi sibi, sed à vitio incorrupti, vt cedrus; exemplis & moribus solidi ac sonori; vt æs.

Er seruator mundi. *Sap.* 8 Traditur Pont. Max. in talari totum mundū gestare depictū, & nudipedem operari sacris. Ita Prælati orent pro toto mūdo; & tamē affectu ad mūdū sint nudi: degant, Luc. 22. *sine sacculo sine pera, sine calceamētis.* 2. Cor 6. *Tanquā nihil habētes, & oīa possidentes.* Ps. 61. *Diuitiæ si affluāt,*

nolite cor apponere. Nil in bono Episcopo desideratur, quod in S. Nicolao non fuerit eximium.

DE S. NICOLAO EPISCOPO ET CONFESSORE.

Suppleuit Enucleator.

Homo quidam peregre proficiscens, vocauit seruos suos & tradidit illis bona sua. Matt. 25.

GEn. 1. *In principio creauit Deum cœlum & terram:* & sua cuiq; dona ac munia assignauit. Cœlo dedit luminaria; *quæ diuidant diem, & noctem, & sint in signa, & tempora, & dies, & annos.* Terræ dedit herbã, *facientem semen:* dedit & lignum, *faciens fructum iuxta genus suum.* Aquæ dedit reptile & volatile: *benedixitque eis dicens; crescite & multiplicamini.* Homini subiecit omnia: singulatim vero dedit Paradisũ *vt operaretur, & custodiret eũ.* Qui creata diuisit singula; singulis quoque indidit, quo lucrum ex sese multiplicationis proferrẽt. Ita dona dedit hominibus Idem: repetetque cum lucro: teste hic parabola, Diuoque Nicolao, seruo fideli, supra multa constituto.

Quare nos

II. De diuersitate donorum Dei generatim.
II. De eadem singulatim.
III. De talentis serui boni S. Nicolai.
IV. Quæ miraculosa ipsi, aut ab ipso euenere, ceu lucra talenti.
V. De Patriarchicis S. Nicolai talentis.
VI. De Propheticis eiusdem talentis.
VII. De Apostolicis Viri sancti talentis.
VIII. De olei talento, S. Nicolai per oratio.

PARS I.

De diuersitate donorum Dei generatim & datorum, & vsurpatorum.

Christus est peregrinus nobis.

1. HOmo peregre proficiscens; ait Chry. ho. 53. Imperf. Est is qui cœlos sua virtute triumphator ascendit. Ioan. 3. *Nemo* aũt *ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis.* 2. Et is hic peregrinus erat: Qualis euntibus in Emaus visus est. Vnde Ier. 1. *Quare futurus es quasi colonus in terra, & quasi viator declinans ad manendum.* *Nosque ab illo.*

3. Nos quoq; quia, 2. Cor. 5. *Dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino:* ideo ipsum degere à nobis peregre arbitramur.

Interim ex dono ipsius, & arbitrio, 1. Corin. 12. *Diuisiones gratiarum sunt.* Et hæ æquissimæ; etsi non æquales. Nam, Epheſ. 4. *Vnicuique nostrum data est gratia, secundum mensuram donationis Christi.*

Ipsum est dare dona non nostra, eligere.

1. *Dedit* ipse. Accipe à Domino, non surripe. Det ille tibi statum, opes, &c. non tute finge tibi. Hebr. 5. *Nemo assumit sibi honorem; sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron.* Ioan. 15. *Non vos me elegistis; sed ego elegi vos; & posui vt eatis.*

Quia scit dare conuenienta.

Deus quod dederit, id conuenit. 1. Quia, Eccles. 23. *Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum.* At vero, Prou. 14. & 16. *est via, quæ videtur Homini iusta; nouissima autem eius ducunt ad mortem.* Ideo in optione *omnis homo mendax* fallitur: at *solus Deus* verax *nec falli potest, nec fallere.*

Et data secundat.

2. Quia quod dat Deus, id incrementat quoq;, & fortunat in aduersis. Vt, Moysen elegit, *Exod.* 2. ideo & prosperauit. Secus, qui se ingerunt. Ose. 8. *Ipsi regnauerũt, & nõ ex me: principes extiterũt, & nõ cognoui.*

3. Ita decreuerat Deus liberare Israel per Machabæos: quos & felicitauit. Ioseph & Azarias dixerunt: 1. Mach. 5. *Faciamus & ipsi nobis nomen, & eamus, & pugnemus. &c. Sed fugati sunt cum plaga magna.* Quia, *Ipsi non erant de semine virorũ illorum, per quos salus facta est.* Non iis datum erat à Deo: sed ipsi arrogarant sibi.

Quare, qui suo arbitrio & auspicio magis, quam Dei vitam instituunt, aut aliud quid gerunt; iis Deus quasi subsãnans

nans ait, q. Israelitis ad Baalim desciscentibus, & afflictis. Iud. 10. *Ite, & inuocate Deos quos elegistis: ipsi vos liberent in tempore angustiæ.*

Deus est iustus munerarius.

II. *Dedit alii quinque, alii duo, alii vnum.* Nimirum, 1. Corinth. 12. *Diuidens singulis, prout vult.* id est, iuste. 1. Nam velle nec malum, nec mare, potest Deus. Adeo Psa. 18. *Iudicia Domini vera; iustificata in semetipsa,* 2. Quia dat ex gratia; non ex debito. Vnde Isai. 45. *Non potest lutum dicere figulo: quare sic me fecisti?* 3. Quia diuidit *vnicuique secundum propriam virtutem.* Quam?

At homo est varius vsurarius doni.

An dõnorum naturalium; vt qui potior est natura, fiat & potior in gratia? Negat *S. Thomas hic.* Sed secundum Conatum in cooperando maiorem vnius quã alterius: Et secundum electionem suam. Eccl. 33. *Quare dies diem superat, & lux lucem, & annus annum, sol solem? A Domini scientia separati sunt.*

Hoc q. scit Deus, ideo parcit.

Scit, quod vno talento dato bene, sis vsurus male: quanto peius pluribus? Isa. 48. *Scio, quia præuaricans præuaricaberis, & transgressorem ex vtero vocauite.* Ideo dat vnũ talentũ solũ. Quia si vnũ abscõdas, ex metu, scilicet; ergo tria magis abscondes; & maiorem damnationem acquires. Quare prius esto *super pauca fidelis; & dein super multa constitueris.* Mat. 25.

Ex vsu doni non ex donovarietas est iudicii.

Ita est: Ille plus habet; qui dato vtitur melius; quamuis paruo: minus habet, qui peius vtitur; quamuis magno: Et perinde multum habet, qui sic vno vtitur vt alius quinque talentis. Et Ita, 2. Corinth. 8. *Qui multum; non abundauit; & qui modicum; non minorauit.* Sicut, Exod. 16. *Collegerunt alius plus, alius minus; & mensi sunt ad mensuram Gomor,* conatus cuiusq;. *Nec qui plus collegerat, habuit amplius: nec, qui minus parauerat, reperit minus. Sed singuli, iuxta id, quod comedere poterant* (en conatum) *congregauerunt.* Ita multum fecit, multũq; vixit; nõ qui diu; Sed qui bene, sat diu, si sat bene. Sat multa, si sat multũ.

III. Exemplo discę sapientiam: monet Sapiens, *Prou.* 24. Epicteti Platonici, *in Enchiridio. cap.* 22. ista philosophia est: Vita hominis fabula est. In hac nihil interest tua, Regem agas Crœsum, an Irum pauperem: Hoc tua refert; vt personam quam cumque tandem, tueare bene. Nec labores alienam assumere; sed agere tuam: Ea dignior est persona, non quæ repræsentatur; sed quæ digne agitur; serui fuerit seu morionis. Hoc gratior actio, quo inferior persona; si bene sit acta: eoque deterius vitium, quo dignius personę officium; si actione sit erratum.

Sic non minus habet meriti, qui minus accepit doni; sed qui accepto vtitur industriæ, quamuis paruo, plus aufert meriti. Quanti fuisset prodigo, *Luc.* 15. si minus accepisset de patrimonio? Nõ accipere satius est; quam deperdere; Miserum fieri infelicius est; quam felicem fuisse nunquam.

2. Aliud accipe ab Tempore. Seneca l. 5. Epist. 1. & 6. *Omnia, inquit, mi Lucille, aliena sunt: Tempus tamen nostrum est. Si alia deficiant in vita; tempus tantum deficere non põt. Quotunq; ieris, tempus te sequitur.* Sapiẽter, & vere. *Nihil enim tam nostrum, quam tempus:* ait Cic. sit tamen, qui viuat diu; sed male: & alius non diu; sed bene; Isne vixisse censendus est: Quia *male viuere,* ait Democrates, *non est tã diu viuere; quam cito mori.* At hic sat vixit diu, quia sat bene. Nã, Sap. 4. *Consummatus in breui explenit tẽpora multa.* Tempus talentum est: accepit vnum & vno plus lucratus est, quam qui quintuplo vixit diutius. Ideo *placita Deo erat anima eius: & propter hoc properauit educere illum de medio iniquitatum.* Quare vt non longitas vitæ, sed bonitas pensatur: ita nec talentorum numerus, sed vsus abs Deo ponderatur, & redonatur.

3. Addo tertium ab diuitiis: Donum

hæ Dei sunt: daturq; maius huic, illi minus. Qui minus accepit; plus quandoque boni facit: & minus facit qui maius accepit. 1. Patet, *Luc.* 21. Vidua paupercula duo æra minuta obtulit; & plus tamen, quam cæteri principes opulenti. *Non quantum: sed ex quanto, æstimatur*: ait Aug. Affectum dederat, re maiorem.

2. Patet, Apostoli aiunt: Mat. 19. *Ecce, nos reliquimus omnia.* i. effectu pauca, vbi pauperes: at affectu omnia, vbi Apostoli. Vnde re curta sua plus lucrati sunt illius vsu bono; quam sua perampla alii vsu minus bono. Hinc Tobias suadet iuniori. c. 4. *Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum; etiam exiguum Libenter impertiri stude.*

3. Patet alchimia vera quanti non est? Et merito. Nam metallū quoduis adsuā auri perfectionem arte mature facit; idque cito; Sic naturæ fert vsus; etsi perrarus, perque difficilis. Gratiæ vsus in spiritalibus talētis facilior est, frequentior, & felicior. Vnde Eccl. 35. *Da Altissimo secundum datum eius, & in Bono Oculo adinuentionem facito manuum tuarum: Quoniam Dominus retribuens est, & septies tantum reddet tibi.* Non enim melior, cui plus datū: sed à quo donum est melius vsurpatum.

Quot, & quanti Diuo Nicolao præstiterunt opibus, honoribus, ingenio, sapientia, robore, forma, cæterisque donis corporis, ac animi; non tamen meritis? Discrimen autem attulit non talentorum munera; sed vsus.

PARS II.

De talentorum tripartitorum diuersitate singulatim.

I. VNi *dedit quinq;* D. Th. in 25. Matt. Ex Orige. Id est, Supereminentem diuinorum scientiam. *Alij duo.* i. Intellectū, & voluntatem illustratam: vt sciat speculatiuè, & velit practice. Alii vsum i. Intellectum solum diuinorum; non affectum: vt cor apponat.

1. Donum quinq; talentorum est Scientia sanctorum, qua in omnib. viis diriguntur. Hęc specialis est in electos gratia. 1. De qua Psalm. 147. *Non fecit taliter omni nationi; & iudicia sua nō manifestauit eis.* Nā, ait Orig. *Diuina eloquia, ac diuinorū cognitio talentum est, Fidelibus concessum, vt eo vitam æternam negotientur.* 2. Breuius Isaias, c. 23. *Diuitiæ salutis, sapientia.* 3. Luculentius Sapiens, cap. 7. *Infinitus enim thesaurus est hominibus; quo qui vsi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei; propter disciplinæ dona commendati.* &c. *Sapientia Diuinorū est specialis electorum:*

4. Plena exemplis scriptura, & vero Ecclesia est. Dan. 1. *Dedit Deus pueris intelligentiam in omni scriptura*, Luc. vltimo. *Aperuit eis sensum, vt intelligerent Scripturas.* *Et quidem Perfectū.*

2. Sed quorum præcipue Electorum donum hoc esse proprium censebimus? Paulus ait, Hebr. 5. *Perfectorum autem est solidus cibus: Eorum qui pro ipsa consuetudine exercitatos habent sensus ad Discretionem Boni & mali.* Quales Apostoli, & Ecclesiæ Doctores. Vnde 1. Cor. 2. *Sapientiam loquimur inter perfectos; quam nullus Principū huius mundi agnouit.* *Eius forma Deus.*

3. Eccunde hauritur ea? 2. Ioan. 2. *Vnctio docet vos de omnibus.* 1 Hæc Sap. 20. *Dedit illi Scientiam sanctorum.* Luc. 21. *Dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterunt resistere.* 2. Hęc, Apocal. 2. *Est calculus candidus: & nemo scit, nisi qui accipit.* 3. Hæc docet intus; & dirigit foris. Expertus, qui ait: Sapien. 13. *Et lætatus sum in omnibus; quoniam antecedebat me ista Sapientia.* Expertus Dauid; cui per Nathan Deus: 2. Reg. 7. *Fui tecum in omnibus, vbicunque ambulasti: fecique tibi nomen grande; iuxta nomen Magnorum, qui sunt in terra.* *Eius Vas, communā.*

4. Hæc datur quidem à Deo; sed inuitatur à nobis ac attrahitur. At quo magnete? Mundo corde inquam. Matth. 5. *Beati*

Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt hic, 1. Cor. 13. *Videmus Nunc per speculum, & in ænigmate: Tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte; Tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum.* Præclara Augustinus. *Dicit Gētilis Christiano: Ego ostēdo tibi Deum meum; quia solem vel lunam colo: ostende mihi Deum tuum. Ego*, ait August. *ostendam tibi Deum meum, sed videri non potest, nisi à mundo corde: Munda cor; & videbis.* Hoc fac, & viues.

Altera explicatio facilior.

II. Sed altiora hæc, obuia magis ista: Donum quinque talentorum quid si esse dixerim Donum Naturæ, Gratiæ, scientiæ, Potentiæ, Fortunæ? Quid si huc spectet scriptura, vbi talenta loquitur? Vt passim in *lib. Paralip.* 1. Talentum Auri. 1. Gratiæ nos ornantis. 2. Argenti, .i. Sciētiæ nos sonoros ad Prædicandū reddentis: 3. Ferri, id est, potestatis coercentis improbos. 4. Aeris, id est, naturæ fusilis in omnem formam. 5. Et *Zach.* 5. talentum plumbi, id est, fortunæ seu diuitiarum, quæ *mergent multos in interitum.* 1. Tim. 6. Hæc inter varios variediuiduntur, & aliis alia; paucis omnia, singulis tamen quantum satis ad negotiandum prosalute.

Tertia explicatio tolerabilis.

Rursus aliter Lopez. Talentum primum huic esse placet Corpus: Cuius lucrum est, 1. Thes. 5. *Vt sciat vnusquisque vas suum possidere in sanctificatione, & honore; nō in passione desiderij:* Vt caro spiritui subiiciatur. Alterum, est Anima cum potentiis. Tertium, Gratia baptismatis. Quartum, est Tempus; *Vt.* Galat. 6. *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes.* Quare Prouerb. 5. *Ne des alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli, & gemas in nouissimis.* Quintum, bona temporalia, quæ seminantur, vt inde spiritalia, æternaq; metantur.

Hæc, vt data sunt omnibus; sic & repetentur cū lucro. Male ei, qui defoderit: peius illi, qui vane abusus; pessime, qui peruerse vsus his fuerit. Sed quia data ea sunt omnibus; ideo minus hæc explicatio cadit ad literam Euangelii, quæ ait: *alii tradidit quinque: alii duo.* Ad vsum tamen ac mores non incommode accidit. Sicut & illa Cęsarii Heisterbacensis, nuper à me primum ex M. S. in lucem emissi: autor, vt antiquitate bonus; ita nouitate editionis necdum sat notus.

Quarta moralis ratio vtilis.

Eius ista est expositio. *Inter quinque ista talenta:* ait, *primum est visus: qui ad mensam dari debet lucri causa, Mensa est conscientia, seu intentio* Huius, Luc. 11. *Si oculus simplex fuerit;* ne videat Vanitatem, & vt videat Bonum; *totum corpus lucidum erit*, id est, opus. Sed ad mensam conscientiæ necesse esta ssideas, ad lucrum intentus, adque vsum. *Quicquid mentem ad peccatum trahit, hoc resistendo animus in suum lucrum vertit*, ait Cæsarius.

Alterum, est auditus. Claude ad malum. Nam Isa. 33. *Qui obturat aures suas, ne audiat sanguinem*, malum cum delectatione; *& claudit oculos suos, ne videat malū; iste in excelsis habitabit.* Aperi ad bonū, Psal. 77. *Inclinate aurem vestram in verba oris mei*, Nam, Luc. 11. *Beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiūt illud.* Caute in hisce talētis negotiādum: Quia, Eccl. 1. *Non satiatur oculus visu; nec auris auditu.*

Tertium, Olfactus est. Huius lucrum est, claudi deliciis. Quia Nahum 3. *Inimicis tuis pandentur portæ terræ tuæ; deuorabit ignis vectes tuos.* In quæ verba S. Hieron. tom. 9. *Obtura nares; ne vnguenta prima in effœminationem animæ odores suscipiant.* At aperi eos in odorem vnguentorum Christi:

Quartum, est Gustus. In hoc vt lucrum, sic & damnum est multiplex: nisi ederis, vt viuas; ait Socrates; *non viuas vt edas. Nec enim regnum Dei est esca & potus.* Rom. 14.

Quin-

Quintum, Tactus est. Huic dictum puta: *Sustine & abstine*: Et lucro sat magno ditatus erit.

III. Porro, *Alius vero duo accepit*: Quæ? Diuinorum intelligentiam & speculatiuã, vt sciat, & Practicam, vt velit. De his, Eph. 1. *Det vobis Deus* 1. *Spiritũ Sapientiæ, & reuelationis, in agnitione eius*, 2. *illuminatos oculos cordis vestri*, id est, voluntatis: *vt sciatis, quæ sit spes vocationis eius, & quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis eius in Sanctis.* 1. Ioan. 5. *Scimus, quoniam Filius Dei*, 1. *dedit nobis sensum, vt cognoscamus verum Deum*: 2. *& Simus in vero Filio eius.* Dauid, Psal. 118. De Primo, *Meditator*, speculatiue, *in mandatis tuis quæ dilexi.* De secundo: *Et leuaui*, practice, *manus meas ad mãdata tua, quæ dilexi.*

In vtroque negotiandum est. Quia, Prou. 13. *Anima operantium impinguabitur bonis.* Et, Sap. 3. *Bonorum laborum gloriosus est fructus.* Necessa: Nam vel Paulus de se Phil. 3. *Ego non arbitror me comprehendisse: sequor autem, si quo modo comprehendam.* Apoc. 22. Qui enim *iustus est*; *iustificetur adhuc*: Quia, datur Psal. 118. *Intellectus bonus omnibus facientibus eum.* Ipse promisit: Ps. 118. *Intellectum tibi dabo, & instruam te*: Tu tantum ora; *Intellectum da mihi, & viuam* hucque adlabora. Cæterum; *Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum*: Itemque tu mecum, lector optime.

Denique, *Alius vero vnum*: nimirum is. Luc. 12. *Qui Scit voluntatem Domini sui, & non Facit*: ideo *Vapulabit multis*, Hæc cognitio est; at non exhibitio operis. Deut. 29. *Vos vidistis vniuersa, quæ fecit Dominus in Aegypto*: *Et non dedit vobis Dominus cor intelligens, & oculos videntes, & aures, quæ possent audire, vsque in præsentem diem.* De his Isai. 6. & Paulus Act. 28. *Aure audietis, & non intelligetis, videntes videbitis, & non perspicietis. Incrassatum est enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt.* Hi videntes sunt cæci; & sæpe duces cæcorum; bis mortui, arboresque autumnales.

PARS III.

De talentis serui boni Sancti Nicolai.

I. *Euge, serue bone!* Vere bonus S. Nicolaus. Quia, ait Bernardus. *Electus ab vtero, sanctus à puero, Iuuenum gloria, senum reuerentia, sacerdotum honor, pontificum splendor.* Nempe, Numer. 15. *Quemcunque elegerit Dominus, ipse erit sanctus.* Ipse *tradidit quinque talenta*: id est, Sapient. 10. *Dedit illi scientiam Sanctorum, honestauit illum in laboribus, & compleuit labores illius.* &c. *Bonus suis ab gratia Dei.*

Ita cum S. Nicolaus cum Deo Cœpit; Profecit; Perfecit Deus. Ecce porro Talenta data; redditaque Lucra Nicolai.

Cœpit: Ab incunabulis par Moysi. Hunc fatalis necessitas, seu crudelitas Pharaonis, fiscellæ inclusum in carecto Nili exposuit: At visum pucellum & vagientem miserata filia regis, nutriendum collocauit; ac demum *adoptauit in locum filij; vocauit que nomen eius Moyses, dicens: quia de aquis tuli eum.* Gen. 2. *2. Abst. talibus & infantia.*

1. Sanctus Nicolaus vero parentes natura steriles nactus; at gratia fœcundus velut alter Samuel, precibus ab Deo impetratur donum sterilium. Qui datum sibi talentum filij ex eo continuo reddunt Deo quintuplum, dicatum ipsi & oblatum. Quo felicior Moyse Nicolaus; qui ab regis filia ignara matris, matri reddebatur nutricandus; at Nicolaus Deo.

2. Quare id quoque velut persentiscens puĺio, Dum baptismo lustrandus erat, magnum quid ex gestu prænunciabat. Nam vi sua, vel diuina potius, sese in genuscula surrigens, Deum velut adorare gestiebat; quem voce nondum proferre valebat. Specimen hoc, non obscurum futuræ religionis omen ferebat. *Euge, serue bone.*

3. Nec minus illud. Pusillus, (cui fugere *3. Abstinentia.*

viuere

viuere est,) quarta & sexta quaque feria semel tantum vbera sugere materna sueuit; nec id, nisi sole occiduo. Velut præsciens serpentem protoplastis in gulæ sinu & cunabulis imposuisse, vt in Deum essent contumaces: proinde sibi in vitæ limine cum veteratore quasi pugnandum ducebat.

Et in isto felicior Moyse Nicolaus. Is quoque lacte pastus adipaliter matrem tantum non pene expectorabat: 1. hic tactu suam pascebat magis ac roborabat.

2. Simul, quam ex ea pietatem imbibebat, gratia vultus & futuræ sanctimoniæ eandem illi rursus maiorem afflabat.

3. Simul, quot guttas liquoris niuei papillis eliciebat, tot pietatis flumina eæ parabant inter fideles olim ex eo profundenda.

4. Pugna & victoria de hoste.

Ferunt Poetæ, Herculem, cum increpundiis iaceret infans, ab anguibus petitum fuisse. Perisset, vt in tali, obnoxia iniuriæ, ætatula: nisi tantus ille inde ab cunabulis fuisset, quantum esse oportebat eum, qui orbis monstra domiturus erat.

S. Nicolaus iam tum draconem septicipitem sibi adrepere sentiebat, & quia monstris conficiendis natus erat, vel in ipsis cunis cum eo Abstinentiæ armis depugnauit.

Nec arma posuit ea vnquam: nam in omni vita semel per diem tantum, & parce vescebatur. Puer autem è domo patria viam haud aliam nouisse proditur; nisi ad templum vnam, alteram ad scholas.

Ita *Cœpit*: Iam vt *Profecit?*

5. Ab contemtu opũ amore Dei.

II. Moysen hisce prædicat Apostolus; Heb. 11. *Fide Moyses grandis factus, negauit se esse filium filiæ Pharaonis: Magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere iucunditatem: Maiores diuitias æstimans thesauro Aegyptiorum, improperium Christi:* Sunt, qui tradunt, S. Gregorio teste, puellum Moysen impositum forte sibi à Pharaonis filia diadema direptum capite rupisse, inque solum proiecisse. Masculam hoc, & plus quam virile in puero!

1. At virilior puer Nicolaus, relictas sibi paternas opes peropimas posthabens fieri maluit *Vir videns paupertatem*, quam *vir diuitiarum* patriarum. Quas inter egenos distribuit puer; vt thesaurum in cœlis haberet. Magnus hic amor; & duplex: Paupertatis castæ; & Pauperum. Feliciter *Dispersit, dedit pauperibus*: idcirco *Iustitia eius manet in sæculum sæculi.*

2. Nec tamen egebat: Quin, quo largiebatur plus; plus suppetebat. Vtque in sole fugientem vmbra; sic opes respuentem, & dispergentem sua Nicolaum sequebatur rerum amplior copia. Vt etiam nocte intempesta, auri vi tanta per fenestram iniecta in domum viri; qui tres filias nubiles prostituere decreuerat, victui quæritando: istum scelere, & has dedecore liberaret. *Beatus vir, qui post aurum non abiit; Quis est hic, & laudabimus eum?* S. Nicolaus est. *Amoreque proximi.*

III. Esto; defenderit Moyses ab latrunculis filias Iethro. Nam, Exod. 2. *Erant sacerdoti Madian septem filiæ, quæ veniebant ad hauriendum aquam; & impletis canalibus adaquare cupiebant greges Patris sui. Superuenere pastores, & eiecerunt eas: surrexitque Moyses, & defensis puellis adaquauit oues earum.* Nulla iactura pudicitiæ puellarum: Nihil de suo eis contulit Moyses: Sed spe magis perfugij, aut præmij, aut matrimonij forte id præstitit. Tale nihil spectabat altior Nicolaus. *Nullo suo temporali commodo.*

Scipio Maior Africanus, Carthagine Hispaniæ capta, ad maiorem Africæ Carthaginem auspicia proferebat. Iamque obsides, Pœnis dátos complures, & receperat. In his iuuenis Victor conspicatus virginem peruenustam, illustri *Nullo que respectu, humano, & vano.*

loco inter Celtiberos natam, & nobilissimo gentis illius Indibili pridem deponsatam, eidem tradidit eam intactam: aurum quoque in puellæ redemtionem oblatum, summæ dotis adiecit. Quo motus Indibilis, Celtiberorum animos Romanis applicauit, vt horum Amicitiam vltro expeterent. *S. Nicolaus* Scipione maior maius præstitit: non vanæ laudis gratia; non gratiæ hominum colligendæ: Sed virtutis amore, honore cassimoniæ; gloriæ Dei; præmio salutis: Vtque sese inter redemtores animarum assereret.

Admiretur Hippomenẽ fabulosa vetustas; q. triũ pomorũ aureorum obiectu Athlantam, in stadio decurrentẽ à meta destinata sit remoratus. Admiranda magis, venerandaque Nicolai est prodiga, sui pietas: qui trium, non vnius, puellarum pronos in flagitium pedes ac animos, auri, non pomi, obiectu reuocauit, inque sanctitatis scammate reposuit. Sed eum mox Deus in altius candelabrum posuit, electum miraculo, cunctisque præpositum Episcopum Miræensem.

PARS IV.

Quæ miraculosæ ipsi, aut ab ipso euenere, velut in lucro ponenda.

I. *SVprà multa te constituam*: Hic, vt sis mihi Angelus Myrææ; & salus multorum: ibi, vt intres in gaudium meum. Nota est, diuino Moysis calculo facta electio in Ducem & sacerdotem populi: *Exod.* 3. Myrrhæ, metropoli Liciæ, decesserat Episcopus: Prouinciales Episcopi congregati, dum soliciti de Capite successuro inter sese quærunt diu, & frustra; ecce, vox demum cælo accidit: eum eligerent, qui postridie mane primus Ecclesiam iniret, vocabulo Nicolaum. *Creatur Episcopus miraculo:*

Aduigilatur: & ipsus aduenit de more: Licet renitens, Episcopis sistitur; vngitur Episcopus. Fœliciter!

1. Hoc auunculus quondam ipsius præuidit; cum in sacerdotem vngeretur: *Nouum*, exclamabat, *terris solem oriri video.* Dixit: Gnatumque monasterio fratrum præfecit, quod ipse construxerat. 2. Istud illi Antiochiæ in templo precanti vox lapsa per aures cœlitus, ominabatur. *Nicolae*, aiebat, *ad mundi palæstram tibi redeundum est, si meam coronam expetis.* Nec mora; omissa patria, Myras abit: huc eum, non suo consilio, sed ducente Deo, futuri ignarum. Multa prætereo. Episcopus neu quando non daret eleemosynas, exhausto ærario; mutuas alicunde sumit pecunias. 2. Vt orationes, vt lectiones, vt prædicationes, constanter obiret; nocturnas exigit assidue vigilias. *Præsignificatur auunculus:* *Se totum impendit proximo.* 1. Eleemosynis.

3. Vt hospitalitati, vt liberalitati res suppeteret domi; sibi parsimoniam imperat, & inediam. 2. Omnibus. 3. Prædicationib.

4. Vt necessitati, vt ouium vtilitati sese totum impenderet; dies totos in seram vsque noctem omnium accessibus & affatibus facilis & impertœsus sedebat expositus. 4. Officio pastorali.

5. Vt clinicis, infirmis, captis, moribundis, nusquam deesset; cum Iobo, 29. *oculus fuit cœco, & pes claudo; pater erat pauperum: & causam nesciebat, diligentissime inuestigabat: Conuertebat molas iniqui, & de dentibus illius auferebat prædam*, vt Pastor bonus ouium, saluator omnium. 5. Afflictis.

6. Vt absentibus in carcere positis adesset Tribunis tribus Constantini Magni, iamque imminuendis capite: ecce inuocatus ab his prece tacita, ipsius spiritu per noctem astat Imperatori; vultuque minaci exprobrat præcipitem mortis sententiam in innoxios: imperat insontes restitui in pristinum. Dictum, factum. 6. Captiuis.

ctum. Eum insuper longe positum Constantinus Magnus magno munere transmisso donat.

Et ab isto idem felicior est Moyse. Hic quidem percussum ab Aegyptio Hebræum vindicabat sed necem necemutua Aegyptii, fabulo absconsi. At à scelere Imperatorem; à nece tribunos; à calumnia accusatos; à cœpto male accusatores; ab errore cæteros, absoluit S. Nicolaus. Quid plura?

7. In mari periclitantibus. Mari iactatis, iamque hauriendis absens vocatus adest B. Nicolaus, Late celebris sanctitate & miraculis, vndas inter decumanus, oratur à periclitantib. ferre opem. Et velut cœlo lapsus, *Ecce, Adsum*; Dixit; disparuit: ad vocem illico tempestas desedit. Duxerit per vada sicca plebem Moyses *Exod.* 14. Ictas virga diuiserit vndas: At voce, at spiritu S. Nicolaus.

Nec semel, vt Moyses; verum sæpius, hodieque vocatus patronus mari imperat ac ventis, tempestatesque serenat Testes, Psalm. 106. *Qui descendunt mare in nauibus, facientes operationes in aquis multis: ipsi viderunt opera Domini* Nicolai, *& mirabilia eius in profundo. Dixit*, S. Nicolaº, *& stetit Spiritus procellæ: & statuit procellam eius in auram, & siluerunt fluctus eius. Et lætati sunt qui siluerunt; & deduxit eos in portũ voluntatis eorum.* Nimirum, ita sueuerat viuus; iam Diuus quid se inuocantibus negaret?

3. Viuus olim peregrinabatur Ierosolymam: cooritur sæua tempestas: orat Nicolaus; & illam mox sedat. Excussum e malo nautam; obtritum lapsu & enectum è morte reuocat in vitam. Quid vsquam tale Moyses?

4. In nauim iam vela facturam dæmon quondam, specie fœminæ, vas olei imposuerat; imposituræ cunctis ignaris. Prouectos in altum turbat, tardatque, nequicquam omnia expertos. Vt denique S. Nicolaum implorant; hic apparens; vas, ait, istud eiectum mergite. Fit: propereque ad eius templum adnauigant. Vere *Sacerdos magnus, qui in dieb. placuit Deo, & monstra placauit.* Cætera quid persequar?

8. Sacra obseruat, & seruat contra Ethnicos. III. Pro religione fortia egit, tulitque Moyses, & Sacra plebi Cleroque ordinauit ac sanciuit: S. Nicolaus Rex Sacrorũ, lex & norma plebis, regula Cleri, murus omnium; qualia non pertulit? Licynius Imperator sæua in Christianos edixit? contradixit Nicolaus: in vincula & catastas raptus, negareque Christũ iussus respuit, tyranni, mortisque contemtor.

Contra hæreticos. Eductus è carcere post ab Constantino Magno, in Nicæna Synodo malleus extitit Arianorũ. Quatiebatur ab Paganis, ab Arianis, à Meletianis: stabat vt Marpesia cautes: Assultate, inquit, furentes vndæ; ferẽdo vos vincã: Vincet Deº. Vicitque in hoc Sanctus Nicolaus.

Oratione multus & potens est. Oratione idem quæ non mala vicit? Moyses, misso contra Amalecitas Iosue, cum Aarone in monte Hur passis ad Deum palmis dum orat; vincit populus *Exod.* 17. Idem, *Exod.* 31. iratum Numen, ne deleat gentem idolatricem deprecatur; Deumque precibus superat. S. Nicolaus, vt Onias, vt Ieremias alter erat, qui multum orabat pro populo, pro Ecclesia. Arium, Eusebium, impios Diuinitatis Christi hostes doctrina fregit, & prædicatione quidem multum; at plurimum oratione prostrauit.

Orabundus obit, & abit ad Deum. Et ipse in oratione Deo spiritum reddidit ætate grauis, grauior sanctitate. Prius tamen decumbens, visis ad se venire angelis, Psalmum cœpit: *In te Domine speraui.* interque verba hæc: *In manus tuas Domine commendo spiritum meum*: cum Angelis in cœlos lætus euolauit: Corporis reliquias, oleo manantes, Deo miraculis plurimis glorificante.

Claret hodieque miraclis.

Moysi, *Deut.* 34. Sat esse debebat è mõte procul terram vidisse promissam: intrare autem haud licuit: *mortuusque est ibi Moyses seruus Domini, in terra Moab iubente Domino; & sepeliuit eum; & nõ cognouit homo Sepulcrum eius.* Nicolai vero tumulus sacer ab extremis orbis oris hodieq; inuisitur pari & cum deuotione, & miraculorum designatione *Sequentibus signis.*

PARS III.

De Patriarchicis Sancti Nicolai talentis.

ECce alia quinque *superlucratus sum. Euge: Supra multa te constituam.* Ergone dabitur VLTRA? Equidem iã vel præteriisse me Herculis columnas rebar in mari laudum S. Nicolai. At quia cum vnius solum Moysis gratia hactenus, ipsum cõparaui; eiusque & talenta, & lucra demõstraui: ne quis ea hosce intra limites stetisse arbitretur; faciendum mihi duxi, vt intelligatur; quod Dominus Eccl. 44. *Benedictionem omnium dedit illi.* S. Nicolao. Talenta autem tulit à Deo Patriarchica, Prophetica, Apostolica.

Ominosa natiuitas Iacobæa.

I. Primum est, nascendi forma. In hac par Iacobo: Gen. 25. Qui de vtero matris egrediens tenebat manu plantam fratris sui Esau: velut cum vsu rationis iam speius primogenituræ præriperet.

Ominis interpretatio.

S. Nicolaus in lucem editus cum abluereturr, in pedes sese tantillus erexit; omen constiturum in Fide contra hæreses: Spe affectaturum cœlestia: Charitate in Deum, in proximum semper fere prõtum, pronoque passu ruiturum. Et par respondit euentus.

Fare infantille; istane vox gestus erecti tui? *Spes mea Deus, ab vberibus matris meæ.* Ps. 21. Equidem sic intelligo. An ideo te surrigebas; quod iam tum intelligebas, quia Deus, Ouid. 1. Metam.

Os homini sublime dedit, cœlumque tueri
Iussit, & erectos ad sidera tollere vultus:
Pronaque cum spectent animalia cætera terram.

Dicam hic cum Boetio.

Hæc, (nisi terrenus male despis:) admonet figura:
Qui recto cœlum vultu petis, exerisque frontem,
In sublime feras animum quoque: ne grauata pessum.
Inferior sidat mens corpore celsius leuato.

Nam, ait Claudianus in raptu Proserp. 3.

Quid mentem extraxisse polo, quid profuit altum.
Erexisse caput: pecudum si more pererres
Auia?

Infantulus Nicolaus se ad imaginem Dei creatum meminerat. Tu itaque, ait Bernard. sermon 14. *O homo parumne tibi videtur istud, quia te fecit Deus? Cogita Qualem te fecit:* Illius te statio Nicolai vult submonitum.

Puritatis Nota.

II. Secundum talentum erat vitæ puritas Nicolai. Par Noe: Genes. 6. qui *erat vir iustus, atque perfectus in generationibus suis cum Deo ambulauit:* Ideo *inuenit gratiam coram Domino.* quo nato dictum: Gen. 5. *Iste consolabitur nos ab operibus & laboribus manuum nostrarum, in terra cui maledixit Dominus.*

Singula hæc in S. Nicolao eximia. 1. *Iustus* infans ex baptismo, & præcoce rationis vsu: Puer vere purus ab institutione parentum, magistrorum; ab exemplo vsuque vitæ supra puerum. Adultior in statu seu laico, seu sacerdotali, seu Pontificali nullius non virtutis viuum existebat exemplar; natus fictusque ad benigne cunctis faciendum. 2. *Perfectus*, in Dei & Præceptis, & Consiliis examussim obseruandis.

3. *Cum Deo ambulauit*, sciens quod nullus *habitabit in tabernaculo Domini*, nisi qui *ingreditur sine macula, & operatur iustitiam:* quoad se, *iuste*, quoad proximos, *pie*, quoad

ad Deum, *viuit in hoc sæculo.*

Quid quod vixdum natus suam vitæ castimoniam ad parentes transfudisse videatur? Istis enim conuenit, post susceptum S. Nicolaum, perpetuam castitatem ad inuicem custodire. O Sanctum matrimonium! Sed rarum exemplum.

4. Terram vero, terrigenosq; parumne ab caloribus suis consolatus est? Noe quidem per arcam in diluuio: Nicolaus vero plurimum in mari procelloso.

3. *Pietas Abraham.*

III. Tertium talẽtum patriarchale Nicolai Pietatem dico. Hac alter erat Abraham; seu fidem spectes; seu obdientiam; seu patriæ, cognatique sanguinis præ Deo pium contemtum; seu hospitalitatem quæras, seu humanitatis officia; siue sacrificiorum sanctimoniam: siue partem aliam quamcumque pietatis in Deum, Diuosque cœlites, seruosque Dei. Singula non exequar: loquuntur ipsa. Dicere poterat cum Iob, quicquid cap. 31. secure de sese commemorat: in primis quod *ab infantia creuit mecum miseratio.*

Imitanda.

In quo intueare, quod imitere: Pretium erit operæ, & *merces tua magna nimis*, in vita; morte; post mortem. 1. In vita, peccatorum remissio. Nam, Luc. 11. *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Vnde Daniel, *cap. 5.* Nabuchodonosori; *Peccata tua eleemosynis redime.* In morte; felix exitus. August. serm. 6. ad frat. in eremo. *Amate, fratres, misericordiã; quia nũquam vidi pium hominem mala morte finiri.*

3. Post mortem; beatitas. Augustin. ibidem sermon. 64. *Qui in præsenti libenter opera pietatis exercet: post mortem multos habet intercessores. Impossibile est autem, vt preces multorum non exaudiantur.* Vere Psalm. 111. *Iucundus homo, qui miseretur* pauperi; & *disponit sermones suos in iudicio* extremo; vt dicere tunc possit: Psalm. 39. *Non abscondi misericordiam tuam; & veritatem à consilio multo* operum pietatis ex consilio Euangelico præstitæ. Et ideo Psalm. 39. *tu Domine ne longe facias miserationes tuas à me.*

4. *Castitas Iosephina.*

IV. Quartum talentum patriarchale S. Nicolai, Amor est castitatis, Par Iosepho. Hic, *Gen.* 39. impudicitiæ vim, *Dormi mecũ*, vi pudicitiæ excussit: *Nã relicto pallio fugit.* S. Nicolaus alienę castimonię cõseruator, suæ maxime fuit, fugitans proculabigne, ab oculo Salient. Nec enim se fortiorem Samsone, Dauide sanctiorẽ, sapientiorem duxit Salomone: quos *Mulier decepit.*

Sed fœmina malum.

CAVE hic, si vnquam. 1. Nam Eccles. 13. *Qui tetigerit picem, inquinabitur.*

2. Proinde Eccles. 13. *In medio mulierum noli commorari. De vestimentis enim procedit tinea* corrumpens integritatem; *& à muliere iniquitas viri*, suscitata concupiscentia sola; *quam mulier benefaciens* se prębendo concupiscenti.

3. Optime S. Hieronymus ad Rusticũ monachum, Epist. 39. *Matrem ita vide; ne per eam alias videre cogaris, quarum vultus cordituo inhæreant, & tacitum viuat sub pectore vulnus. Ancillas; quæ illi in obsequio sunt; tibi scias esse in insidiis, Quia, quanto earum conditio vilior est; tãto facilior ruina imminet. Et Ioannes quidem Baptista sanctam matrem habuit, Pontificisque filius erat; & tamen nec matris affectu, nec patris opibus vincebatur, vt in domo parentum viuiret cum periculo castitatis.* 4. Consule exemplum in S. *Gregorio. Dial. l.* 3. de Andrea Episcopo Nolano castissimo, & Sanctimoniali eius domestica, quæ molitus dæmon: vt incassum.

PARS VI.

De Propheticis Sancti Nicolai talentis.

1. *Cura pastoralis Ieremiana.*

I. PRimum talentum est Curæ pastoralis constantia. De Moyse dixi, & docui: In ea par Ieremiæ S. Nicolaus: 1. Vocatione par: Ier. c. 1. *Priusquam te formarem*

in vtero, noui te: vt parentum precibus concipiendus donareris. *Prophetam in gẽtibus dedi te*, id est; prædicatorem. *Quoniam ad omnia quæ mittam te, ibis: & vniuersa, quæcũque mandauero tibi, loqueris.* Dictum: factũ.

2. Par persecutione. Ieremias, *ca.* 20. ab sacerdote Phassur percussus in neruum datur. *c.* 26. Conclamant in prophetãtem sacerdotes. *morte moriatur cap.* 38. Regem Sedeciam orant: *Rogamus, vt occidatur homo iste*: insontemque in lacum cœnosum demergũt. Paria Lycinius, Pagani, & hæretici in S. Nicolao designarunt: omnia, quod vnus maxime vita & doctrina sese inimicis crucis Christi obiectaret pro grege Christiano fidus Pastor. Dum denique pius Abdemelech quidam *Locutus est ad regem* Constantinum, dicens: *Domine mi Rex, malefecerunt viri isti omnia, quæcunque perpetrarunt contra Ieremiam Prophetam*, seu S. Nicolaum. Sicque extrahitur è lacu Constantini iussũ Nicolaus, redditurque Ecclesiæ.

2. *Zelus Helianus.*

II. Secundum talentum est Zelus Dei. Par Heliæ: qui, 3 *Reg.* 18. interfecit omnes prophetas Baal, Deique cultum adauxit. S. Nicolaus fana & sacra Dianæ omnia in Episcopatu suo audacter euertit, excidit: Gentiles innumeros conuertit; fidelium mores formauit; firmauit fidem: hostesque Christi triumphauit: Sibi dictum hoc ratus, Prou. 6. *Discurre festina, susci ta amicum tuum.*

3. *Liberalitas Helisæana.*

III. Tertium S. Nicolai donum erat largitas in egentes. Par Helisæo: qui, 4. Reg. 4. de panibus xx. hordeaceis viros pauit centum. Quid *S. Nicolaus*? Sua ditio fame & annona diu laborabat; expenderat is omnia: Dei nutu forte naues frumentariæ portum intrant Miræensem; quæ Alexandriam tendebant. Frumentum nautas orat, spondens nihilo habituros minus vbi Alexandriam venissent. Mirum! at verum. Ex qualibet naue modios centum extrahit; nec tamen vel granum esse demtum videbatur: adeo mensuræ nautis adnumeratæ sibi constabant. Accessit, quod extractum triticum biennio toto Miræensibus sufficit in victum.

Suppar in hoc seruatori, *Ioan.* 6. panibus quinque hordeaceis, piscibusq; duobus 5000. hominum saturati; & rursus 4000. pascenti panibus septem. *Matth.* 8. Sed, August. hom. 32. *Miracula, quibus regit Deus mundum, assiduitate viluerunt. Maius quippe est gubernatio mundi; quam saturatio 5000. &c.* Idem l. 10. Ciu. c. 12. *Miracula visibiliũ creaturarũ videndi assiduitate viluerũt*, Greg. Hom. 26. *Ecce n. ex vno grano purissimi seminis arbor creuit ingentis magnitudinis.*

4. *Præsentia absentis auxiliatrix.*

IV. Quartum talentum propheticum est subita eius translatio. Par in hac Abacuc; qui *Dan.* 14. momento fuit ex Iudæa translatus in Babylonem ad Danielem in lacu leonum sedentem. At *S. Nicolaus* periclitantibus in mari procul absens inuocatus adest præsens seruator. Inuocatus Constantinopoli ab captiuis tribunis, inde Myræa adest, astatque Constantino ad vindictam insontum.

I. Nunc hæretice; & longas finge Cœlitibus aures, vt terricolas exaudiant. Facile id viuo sancto mortali; & impossibile Diuo blateres immortali.

Diuorum modi in exaudiendo preces.

Si de modo quæras: Hieronymus ad Vigilantium respondet: *Vel* ipsæ adsunt animæ; *Vel* audiunt absentes: *Vel*, vt Augustino placet, absentes cognoscunt per homines tunc quotidie decedentes: *Vel* per Angelos astites nostros: *Vel* per Deum ipsis reuelantem immediate: *Vel* mediate per Angelos, *Aut* homines: aut aliter indicantem. Quid, quod in visione Dei, velut inspeculo, res omnes humanas speculari queant? Quid, quod Deus, vt 1. Reg. 9. *reuelauit auriculam Samuelis*, Sic & Diuis reuelet.

Exempla facti.

1. Elisæus, 4. *Reg.* 5. absens vidit, audiitque

que omnia Giezi cum Naaman dicta, factaque; quin & cogitata: *Nonne*, inquit, *cor meum in præsenti* erat? 2. Qui Petrus, Act. 5. Ananiæ & Saphyræ fraudem absentium absens cognouit?

Bene igitur S. Greg. 1. Mor. cap. 2. *Sancti interius, exteriusq; sciendo diffusi sunt; quia ipsum scientiæ fontem contemplantur. Quid enim de his, quæ sciẽda sunt, nesciunt, qui Scientem omnia sciunt?* D. Tho. p. 1. q. 2. a. 8. *Quid est, quod non vident, qui videntem omnia vident?*

3. Quis S. Stephano dedit oculos videndi nunc in cœlis Iesum; idem & inde in terris dat aures audiendi humanas preces. Beza in 1. Ioa. c. 2. *Sunt cælites solicitti de laborantium fratrum salute*, bene. *suo nobis incomperto modo*: Omni; falsum: aliquo; verum ais.

4. Ergo; premeris? Iob. 5. *Ad aliquem sanctorum conuertere*. 5. Ita, 2. *Mach.* 15. Ieremias, pridem vita perfunctus, sese in somnis Iudæ Machabæo stitit dicens: *Accipe sanctum gladium munus à Deo, in quo deijcies aduersarios, populi mei.* Quare ora cum Ecclesia *Summe Dei Confessor Nicolae, te venerantes protege: Namque credimus tuis precibus nos posse saluari.*

PARS VII.

De Apostolicis S. Nicolai talentis.

1. *Ieiunii obseruatio.*

PRimum talentum Apostolicum S. Nicolai erat, Ieiunii obseruatio. Maior in hoc Iacobo minore est Hic fertur sibi ieiunium imperasse, dum sepultum vidisset rediuiuũ resurrexisse. Vidit; & comedit. De S. Nicolao canit Ecclesia: B. *Nicolaus adhuc paruulus multo ieiunio macerabat corpus.* Puer hic surget in iudicium contra viros multos ventricolas. Ideo Thre. 3. *Bonum erit viro, cum portauerit iugum Domini ab adolescentia sua.*

2. *Fidei propugnatio.*

Secundum, est, Fidei defensio. Suppar in hoc S. Paulo. Qui, tametsi, 1. Cor. 15. fuerit *minimus Apostolorum* vocatione; prædicatione tamen *abundantius omnibus laborauit.* S. Nicolaus acerrimus hæreticorum infectator, vt lupos indagabat: *At illi*, Act. 6. *non poterant resistere sapientiæ & spiritui, qui loquebatur: sed stupebant omnes, qui eum audiebant.* Impletum in eo istud, Luc. 21. *Dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere, aut contradicere aduersarij.*

Prodit S. *Anton. par.* 2. *tit.* 10. c. 3. §. 5. In Nycæna Synodo Nicolaum Ario dicenti Filium Patre, S. Spiritum vtroque minorem; alapam inflixisse: Ideoque priuatum ad tempus mitra. Hinc pingitur cum mitra pone pedes, capite nudus. Sed peccauit in hoc, vt Petrus aurem Malcho resecans: quia absque autoritate iudicis. Alioquin Bonum factum vtrumque. Sed, ait historia, *non sermone maior, quam opere: sed maxime assiduis ad Deum precibus contra Arianos pugnauit.*

3. *Miraculorum operatio.*

Tertium est, Miraculorum operatio. Suppar in hac S. Petro: de quo Act. 5. *Ponebantur infirmi in vicis & plateis, cum lectulis, & grabatis, vt saltem vmbra illius obumbraret quenquam illorum, & liberarentur.* De S. Nicolao Ecclesia in Collecta ait, quod de nullo Sanctorum: *Quem innumeris decorasti miraculis:* Nequedum decorare desistit. *Non fecit taliter omni nationi.*

4. *Sepulcrũ oleiferum.*

Quartum, est, sepulcri priuilegium. Similis in hoc S. Ioanni Euangelistæ: *Quod illic*, ait S. Isidorus, *terra sensim ab imo scaturiens, ad superficiem sepulcri conscendat; & quasi flatu quiescentis deorsum, ad superiora puluis ebulliat.* Hunc mannæ similem ferunt alij: At de B. Nicolao canit Ecclesia: *Ex eius tumba marmorea sacrum resudat oleũ; quo limici sanantur cœci, surdis auditus redditur; & debilis quisque sospes regreditur.* Et hodieque *Cateruatim ruunt populi cernere cupientes, quæ per eum fiunt mirabilia.*

Da Diue, vt fluat in nos oleum misericordiæ de Petra, 1. Cor. 10. *Petra autem erat Christus*

Christus. Sic hanc expertus Iob ait, cap. 31. *petra fundebat mihi riuos olei.*

PARS VIII.

De olei talento S. Nicolai Peroratio.

Iustus pene incomparabiliter fuit.

I. SI vere Sapiens, Prou. 21. *Thesaurus desiderabilis, & oleum in tabernaculo Iusti:* iam hoc de S. Nicolao verissimum est. Adeo, Psal. 20. *Praeuenisti eum, Domine, in benedictionibus dulcedinis.* Vt pene fas sit de eo dicere; Eccles. 44. *Non est inuentus similis illi, qui conseruaret legem Excelsi.* 1. Sanctificatus ab vberibus matris, dicere poterat, Psal. 21. *Spes mea ab vberibus matris meæ: in Te confirmatus sum ex vtero.* 2. In pelluuio primi lauacri prodigium dedit firmiratis erectæ, nunquam casuræ. Proinde, Deut. 33. *Sicut dies iuuentutis tuæ, sic senectus tua. Quippe Homo sensatus in sapientia manet, sicut sol.*

3 In sui mortificatione.

Vere igitur *Iustus* erat, iuxta tres Iustitiæ partes apud *Aug. lib. de perfectione Iustitiæ.* 1. *Iustus* ab Pœnitentia, erga sese; vt ab ortu suo ieiunator. Thre. 4. Si *bonum viro, cum portauerit iugum ab adolescentia sua:* quanto melius, si ab infantia? Adde quod vere cum Apostolo poterat gloriari: 1. Cor. 9. *Ego castigo corpus meum, & in seruitutem redigo:* idque in omni vita sua.

2. In orationibus.

2. *Iustus* erat *ab oratione* in ordine ad Deum: adeo aut cubile in abscondito, aut limina templi gratia precum terebat assiduus. Audiens Consilii, Luc. 18. *Quia oportet semper orare, & non deficere.*

3. In charitate.

3 *Iustus* erat charitate erga proximum. Et hic est *Thesaurus desiderabilis, & oleum in tabernaculo Iusti.* Erat illi sapientia, *quæ infinitus? thesaurus est hominibus*: Sap. 7. Erat virginitas: aliaque innumera: at *maior horum charitas, quæ nunquam excidit.* Quam nec fures furantur, nec tinea rodit. Matth 6.

Misericordia vis vt o ei est.

II. Oleum *in tabernaculo Iusti* Nicolai Charitas est, sepulcro etiamnum id exsudante & testante Misericordiam facti.

1. In eminentia.

1. Quia oleum cunctis supernatat liquoribus: ita Charitatem vocat Apostolus, 1. Cor. 12. *excellentiorem viam:* & cap. 13. *maiorem fide, & spe.* De misericordia vero Iacob 2. quod *superexaltat iudicium*: vt ad remittendum culpam & pœnam via altiore procedat, quam humanitus capi queat. Vel vt Græci legunt: *Superexultat iudicio*: vt victor victo assolet: adeo iudicium triumphat misericordia.

2. In molliendo Deo.

2. Quia vt oleum penetrans emollit rigida: Sic cœlum, & pectus Dei effringit misericordia. 1. Eccles. 29. *Conclude eleemosynam in sinu pauperis; & hæc exorabit pro te ab omni malo. Eleemosyna viri, quasi sacculus cum ipso: & gratiam hominis, quasi pupillam conseruabit.* 2. Ea cor inimici emollit; vt ea sit illi velut, Rom. 12. *Carbones ignis super caput illius.* 3. Ea danti cor impœnitens emollit ad resipiscentiam. Tob. 4. *Eleemosyna ab omni peccato, & morte liberat; & non patitur animam ire in tenebras.* Eccles. 29 *Super sensum potentis, & super lanceam, aduersus inimicum tuum pugnabit.*

Inimicos, & peccatore.

Hoc oleum S. Nicolaus, vt Iacob, Gen. 29. effudit super petram Christum vnctum; etiam sic ab eo vnctiorem.

Oleo hoc præstans S. Nicolaus erat.

1. Ideo meruisti; quod, Eccl. 9. *Oleū de capite suo non deficiat,* viui in terris; in cælis Diui; in tumulo sepulti.

2. Ideo in habitaculo beatitudinis oleo perpetuę iucunditatis exundat: Iuxta Isa. 61. *Dabo eis coronam procinere,* pœnitentiæ; *oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris:* id est, vestem nuptialem in patria, quæ respondeat illi in via Charitati.

3. Sic visi Ioanni, Apoc. 7. *Amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum.* Inter quos *S. Nicolae, ora pro nobis.*

IN

IN FESTO S. THOMÆ APOSTOLI.

Thomas vnus de XII. qui dicitur Didymus, non erat cum eis, quando venit Iesus. Ioan. 20.

IAcob, *Gen.* 46. allato nuncio, viuere Iosephum, præ gaudio vix credebat: at viso ipso, exclamabat: *Iam lætus moriar, quia vidi faciem tuam.* Similiter S. Thomas.

De quo nos

I. *Quod iuxta periculosa & noxia sit prauorum Societas.*

II. *Qualis D. Thomæ fuerit defectus ingratitudinis & incredulitatis.*

III. *Cur imperfectiones Sanctorum commemorentur.*

IV. *De Conuersione S. Thomæ & Martyrio.*

PARS I.

Quod periculosus item ac noxius sit prauorum vsus.

Prauifugiendi. I. VEterum eximiæ, de mali consortij fuga, gnomæ produntur. 1. Solon. *Cum malis commercium non habeto.* 2. Cato: *Cum bonis ambulato.* 3. Philemon: *Cum improbo iter ne feceris.* 4. Epictetus: *Scito inquinari qui cum malo ingenio conflictatur.* 5. Ps. 1. *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum,* &c. 6. Quia periculosum: Cant. 1. *Nolite mirari, quod fuscasim.* 1. quia decolorauit me sol. 1. animalis concupiscentiæ calor. 2. *Filij matris meæ pugnauerunt contra me,* vt seductores insidiantur piis.

Ejus. Sic visi & descripti sunt, Apocal. 9. *Numerus equestris exercitus vicies millies dena millia,* seducentium, *Et qui sedebant super equos* dæmones, qui ministris hominibus ad multa vtuntur, *habebant loricas igneas ac sulphureas*; se enim ipsos vrunt & conspurcant detractores bonorum & corruptores: *Et capita equorum erant tamquam leonum* rabida & sæua: *& de ore eorum procedit ignis* sermo adustulans bonos, *& fumus* obfuscans, *& sulphur* maleolens late. *ab his tribus plagis occisa est tertia pars hominum.* Vere Ps. 5. *sepulcrum patens est guttur eorum.*

Similia. II. Fuge Scyllam. 1. Nã Eccl. 12. *Quis miserebitur incantori à serpente percusso; & omnibus, qui appropiant bestiis? Sic & qui comitatur viro iniquo, & obuolutus est in peccatis eius.* 2. Eccl. 13. *Si communicabit lupus agno aliquando; sic peccator iusto.*

Exempla. 3. Ecce euentum, Psalm. 105. *Commixti sunt inter gentes, & didicerunt opera earum, & factum est illis in scandalum.* 2. Ideo Deus, Num. 5. *Præcipe filiis Isr. vt eiiciant de castris omnem leprosum, & qui semine fluit, pollutusq; est super mortuo; eiicite de castris, ne contaminent ea, cum habitauerint vobiscum.* 3. Ea de causa iratus regi Iosaphat Deus, quod Achabi peruersi amicitiam expetisset, ait: 2. Par. 19. *Impio præbes auxilium; & iis, qui oderunt Deum, amicitia iungeris: Idcirco viam quidem Domini merebaris; sed bona inuenta sunt in te.*

Boni appetendi. III. E contra, Bonorum expetenda societas est. 1. *Gen.* 33. Laban fatetur, ingressu in domum suam Iacobo, Deum & omnem benedictionem intrasse. 2. Idem *Gen.* 39. Putiphar de Iosepho famulo confitetur. 3. Ab arca Domini, 2. *Reg.* 6. domus Obededom benedicta ditaque est paucis mensibus. 4. Ita sceleratus, 1. Reg. 19. *Saul inter prophetas prophetauit cum cæteris.* 5. Tumultuarie cadauer ad Elisæi ossa proiectum. 4. *Reg.* 13. redibat in vitam. Ita bonorum prodest consuetudo.

Ecce S. Thomas adhærens Domino, animose, cæteris ex morte Lazari attonitis, aiebat: Ioan. 11. *Eamus, & moriamur cum illo.* At cum *non erat cum Apostolis, quando venit Iesus,* etiam iuratis id non credebat.

PARS II.

De Thomæ ingratitudine, & incredulitate.

Beneficiorũ ingratitudo parit læsum.

I. THomas, vnus de XII. q. d. specialiter à Domino electis, dilectis, donatis dono gratiarum, toties ei q. sacramento addictis, miraculorum testibus, &c. ex hisce vn° ita sui, Dominiq; immemor fuit. 1. Isa. 1. *Audite Cœli, auribus percipite terra; quoniam Dominus locutus est; Filios enutriui, & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me.* 2. Ingratitudinem talem exprobrat Dauidi Nathan, quo verbis suis pondus adderet, ait, 2. Reg. 12. *Ego vnxi te in Regẽ Isr. Erui te de domo Saul, & dedi tibi domũ Domini tui, &c. & si parua sunt hæc, adiicia maiora. Quare ergo contemsisti verbum Domini, vt faceres malum in conspectu eius?*

Parit idololatriam.

1. Immaniter ingratus ille, Ps. 40. *Qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem.* Hic traditor prodidit Dominum, Thomas non credidit rediuiuum. 2. De populo idololatra Moses ait: Deut. 32. *Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit; impinguatus, dilatatus dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo salutari suo.* O pudor, ô dolor: Et *Thomas vnus de XII.*

3. Ezech. 16. *Lauit te,* ô ingrata Synagoga, *& emundaui sanguinem tuum ex te; & vnxi te oleo, & vestiui te discoloribus, & ornaui te ornamento*: hinc *ornata es arg. & perfecta eras in decore tuo, quem posueram super te, dicit Dominus Deus. Et habens fiduciam in pulchritudine tua, fornicata es.*

Exaggeratio vitii.

Vah! Ex tantilla tantam factam patrare tanta ad tantam ingratitudinem? Puellam rusticam, à parentibus infamem, factam reginam se vulgare lixis & calonibus? Quo de grauius queritur Ier. 3. *Ecce locuta es,* ingrata Synagoga, *& fecisti mala, & posuisti*: siccine Thoma, *Vnus de XII.* Eheu! Isa. 26. *In terra Sãctorum iniqua gessit.* Ira Lucifer: Eze. 28. *Tu Cherub extentus & protegens, in medio lapidũ ignitorũ ambulasti. Quomodo cecidisti Lucifer, qui mane oriebaris:* Ingrate Thoma, siccine ad incredulitatem prolaberis?

Thomæ incredulitas excusatur.

II. Attamen incredulitatem eius multi excusant ad populum. 1. *Petrus Chrys.* ait prophetiam fuisse, qua è plagis Domini confirmaretur resurrectio. 2. *Haymo* vult permissum dubitare ad nostram fidem firmandam. Vti cæcus natus ad Dei gloriam; non ob delictum suum aut parentum. 3. Ita & *S. Greg.* qui addit; sicut Iosephum de B. V. integritate addubitare permisit; quo certior eius testis foret.

Eius vtilitas.

4. Quare, 1. Aug. serm. 156. de temp. *Quam bona ignorantia, quæ eruditit ignaros, quæ instruxit incredulos? Quam bona infidelitas, quæ seculi fidei militauit?* 2. S. Cyril. *Quãuis mihi Thomas videri soleat non infidelitate magis, quam summo amore perturbatus fuisse; quia Dominum oculis suis non videbat.* 3. Amplius S. Bern. hom. 2. super Missus est; *Plus nobis Thomæ dubitatio ad fidem profuit; quam aliorum Apostolorum cito credentium fides.* 4. Euthy. *Dubitatio hæc Apostoli multos alios confirmat, & à dubitatione liberat.* 5. Cyrillus nil eum peccasse vult, ad quod resurrectionem credere non teneretur; vtpote nondum ab Ecclesia ceu articulum fidei declaratam; quod factum dein Apostolorum in Concilio.

At accusatur.

Equidem ipsum non omni culpa absoluerim; vnum nolle credere viris 10 Et sic nõ credere, vt diceret: *Nisi videro in manibus eius fixuram clauorũ, & mittã manũ in lat° ei°, &c. nõ credã.* Æcque ista obstinacia?

Magni & docti agre conuertuntur.

Plane quanto maior, tanto ad conuersionem difficilior. Hoc magnatũ & Doctorũ ingeniũ est; itemq; eorũ, qui à veritate exciderũt. 1. Vnde Angelus Zachariæ prædicationem Baptistæ exaggerans, ait: Luc. 1. *Et multos filiorum Isr. conuertet ad Deum.* q. d. qui difficilius conuertuntur, quam ethnici, &c. Videte hic decẽ in vno cõuertẽdo sacerdote nequicq; laborare.

Inueteratique in peccato.

Dein obstinacia causa erat inueteratio:

nam

nam diu in errore iam hæserat. Ita peccatores inoliti. Ecce Matth. 4. Vocante Domino Iac. & Ioannem cum patre Zebedæo, illi protinus sunt secuti; hic non.

PARS III.

Cur imperfectiones Sanctorũ commemorẽtur.

Credere est prius, & mortalis. at videre posterius, & Beatorum.

I. *Nisi videro, nõ credam* Falleris Thoma; prius credendum, quam videndũ est. Fides mortalium est in mundo; Visio, beatorum in cœlo. 1. Iacobo Laban ait: Gen. 29. *Non est in loco nostro consuetudinis, vt minores ante tradamus ad nuptias, &c.* Lia, militans Ecclesia, *erat lippa oculis*: Nam *hic in ænigmate videmus*: Rachael autem decora facie, *& venusto aspectu*: qualis Triumphans Eccl. videns *revelata facie ad faciem, sicut est.* Tametsi Lia fœcunda meritis in tempore gratiæ; Rachael sterilis fuerit. Quare Liam prius ducere oportet, quam Rachaele perfrui.

Contrariũ est infidelium.

Quid? Incredulorum est, nõ Apostoli, velle Videre, vt credant: Ioan. 6. *Quod ergo signum facis, vt Videamus, & Credamus?*

Apostolorũ vero credere est.

Apostolorum vero est, Io. 5. *Nos credimus & cognouimus; quia Tu es Christus Filius Dei viui.* 2. Vbi Aug. tract. 7. in Ioan. *Dixit prius, Credimus; quã Cognouimus: Vt doceret occulta Dei mysteria credenda esse, vt cognoscãtur, & Fidei cognitionẽ esse præmittendã.* 3. Etenim ait S. Prosper lib. de vita contemp. *Non fides ex intellectu; sed intellectus ex fide nascitur.* 4. Hinc Sponsæ dicenti, Cant. 2. *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi cubes in meridie.* respondetur: *Murenulas aureas faciemus tibi*, ad aures sc. *vermiculatas argento.* q. d. audias prius, quam videas. Nam Rom. 6. *Fides ex auditu est.* Iob. 42. *Auditu auris audiui te; nunc autem oculus meus videt te.* Et Thoma ais; *Nisi videro, non credam?*

Et Fides nõ est ex intellectu.

Defectus Sanctorum cur proponantur.

II. Thomæ autem incredulitatem Deus proponi finit, vt & aliorum Sanctorum defectus; quo nostros cognoscamus; ac emendemus exẽplo: Nõ nos excusemus per Sanctos ad eorum contumeliam.

Hi Diuis faciunt, quod Palatini Regis Hanon missis à Dauide quibus barbã & vestes illi p̃secabãt, 2. Re. 10. aduscp verẽda.

Mali eis abutuntur.

Ita ad nostram emendationem, non excusationem se peccatorem non celat: 1. Tim. 1. *Quia Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum; sed ideo misericordiam consecutus sum, vt in me primum ostenderet Christus Iesus omnem patientiam; ad Informationem eorum, qui crediturisunt illi in vitam æt.* Ecce finem; *Informatio.* Bene ergo Ecclesia pariter lapsus & laudes Sanctorum proponit: sicut Romani eodem in curru triumphali & triumphãtem & mancipiũ collocabant; qui, dũ cæteri eius facinora heroica prædicabant, contumeliam sibi, mortisque memoriam ingereret. At nos meras Diuis laudes accinimus ex eorũ & recte, & male factis; ex hisce quod omissa conuerũ adobruerent Sanctis meritis. Vnde præcipua Deo laus existit, qui dat gratiã talem hominibus Octiduanam post incredulitatem, (quæ reliquos non mẽtiri, sed decipi putaret) derepente se discipulis sistit Dominus: *Infer*, ait, *digitum*, &c. O misericordiam, O amor!

Boni benè vtuntur.

Cui Thomas amore respondens pari exclamat, *Deus meus*, &c. Hunc item ante ostenderat, cũ reliqui Dominũ comitari in Iudæã metuerent, Thomas autem ad eos: *Eamus & nos, & moriamur cũ illo.* Io. 2. Sicut Ethai Satrapa ad Dauid fugientem Absalonem: 2. Reg. 15. *Viuit Dominus, viuit Dominus meus Rex: quoniam in quocunq; loco fuerit, siue in morte, siue in vita; ibi erit seruus tuus.* Quæ generositas adeo placuit Dauidi, vt eũm è tribus summis Ducibus constitueret vnum. Ita & illa Thomę sic Dño placuerat, vt iã eũ nõ desereret in errore.

Amor Thomæ in Dominũ.

Hoc tale orabat Ezechias rex, audito se moriturum: Isa. 38. 4. Reg. 6. *Obsecro Domine, memento quæso, quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto;*

Bon. operũ recordatio potens est apud Deum flectendũ.

& quod bonum est in oculis tuis fecerim. Multum valet bonorum operum recordatio apud Deum. Psalm. 131. *Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius.*

PARS IV.

De conuersione S. Thomæ, & martyrio.

Incredulus à Domino seruatus est.

I. *Infer digitum tuum huc.* Visa mulier Ecclesia, *Apoc.* 12. cum XII. stellis Apostolis: Vnam Sathan iam detrahere nitebatur, qui *cauda trahebat tertiam partem stellarum cœli, & misit eas in terram.* At obstitit ei Deus. Nam Psalm. 36. *Homo cum ceciderit, non collidetur; quia Dominus supponit manum suam.* Ideo Dominus: *Vide manus meas, affer, &c.*

Quem cæcus tactu cognouit, & credidit.

Hic ille: *Dominus meus,* &c. Cæcus attrectando res cognoscit: 1. Vt Isaac, Gen. 27. *Accede huc, fili mi, vt tangam te, vtrum tu sis filius meus Esau, an non.* Ita cæcus Thomas tactu voluit explorare de Domino. Quem vere resurrexisse perfecte agnouit; non imperfecte vt deceptus Isaac: *Vox quidem vox Iacob est; sed manus sunt Esau:* 2. Dic Thoma. Psal. 76. *Deum exquisiui manibus meis nocte* incredulitatis *contra eum; & non sum deceptus.*

Mira hæc gratia fuit: Et quidem Sacerdotalis, tangere Christum.

Quæ quanta gratia? Ab amantissima & amatissima Magdal. ipso resurrectionis die tangi noluit Dominus: Ioan. 20. *Noli me tangere.* vel ad pedes: hic vero & latus offert. Mirum? S. Ecquianam? 1. Sacerdos erat Thomas. Sacerdotibus, *Num.* 4. licebat Arcam fœderis tangere. 2. Apostoli erant Fidei testes XII. *Act.* 10. Vnde, ceu è XII. fontibus Elim, *Exod.* 15. hauriret orbis. Isa. 12. *Haurietis aquas de Fontibus* Saluatoris. 3. Apostoli erant q. exploratores terræ, tangunt, portant Ecclesiæ Botrum Christum; populumque animant ad pugnandum pro terra benedicta. 2. Pet. 1. *Non enim indoctas fabulas secuti, notam fecimus vobis D. N. I. Christi virtutem & præscientiam, sed speculatores facti illius magnitudinis.* Hanc in Thabor cominus viderat Petrus.

Ostensa plaga mi. uent.

II. Antipater Idumæus, Herodis magni pater, apud Cæsarem proditionis reus cum perageretur, teste *Eccles. hist. in Antipatro*: nil respondit: pectus nudauit, cicatrices ostendit: Demum ait: *Has pro te, proque patria in præliis excepi, sanguinem profudi: crede nunc, si vis, accusatori meo, me reum esse proditionis.* Protinus absolutus est, ac insuper honoribus & præmiis auctus ampliorib. Ita suum corpus S. Thomæ aperuit Dominus: 2. Hoc & sponsæ Cant. 5. præstitit, *Aperi mihi soror mea sponsa: quia Caput meum plenum est rore; & cincinni mei guttis noctium.* i. Humanitas mea displagata est: vide. *Infer digitum.*

Facta, non voce.

O Amor: reipsa, non tam voce vocat. Isa. 42. *Non clamabit vox eius, non audietur foras; calamum quassatum non confringet, & linum fumigans non extinguet.* Ideo *Infer* &c. O misericordiam, & benignitatem.

Cum lapsis aliis aliter agit Dominus.

Aberrantes à Iericho duos pie reducens acriter obiurgat ignotus: Luc. 24. *O stulti, & tardi corde ad credendum.* Longe aliter cum Thoma, vt cum ægro. *Infer.* &c. *Noli esse incredulus, sed fidelis.* è diuerso iterum, Mar. 16. *Discumbentibus IX. apparuit illis Iesus, & exprobrauit incredulitatem eorum.* O Domini patientiam & longanimitatem.

Reprobus est lapsos afflictionib. affligere.

Disce non statim vindicare delicta, refractarios desperare & peccatores. Patienter *expecta, reexpecta.* 1. Theophyl. hic. *Vide, quomodo propter vnum hominem non dedignatus est ita condescendere Dominus, & latus ostendere; vt saluet animam vnam incredulam: Ita & nos neque minimum contemnere debemus.* 2. Trucis reprobi Caini vox est: Gen. 4. *Nunquid custos fratris mei sum ego?* 3. Desperanti Iudæ: *Peccaui tradens sanguinem iustum:* reprobi reddunt: *Quid ad nos. Tu videris.* Vah! Sacerdotes hi, an latrones? Non sic Dominus cũ seruo Thoma.

III. Euenit

Felix tactus visusque Thomæ.

III. Euenit huic, quod Moysi; & felicius. Exo. 33. is orabat: *Si inueni gratiam in oculis tuis, ostende mihi faciem tuam.* Hęc negabatur: tergum videre dabatur, iusso stare in foramine petræ: vbi viso fulgore exclamat Moses: *Dominator Domine Deus.* Non ei dabatur tangere. &c. Et Thomas per foramina Petræ cognito Domino, exclamat, *Dominus meus, & Deus meus!*

Lux fidei ictusta emicat ipsi.

Ex confracto Domini latere emicuit lux Thomæ & Ecclesiæ: sicut *Iud. 7.* è collisis lagenis Gedeonitarum lux apparens his victoriam, istis terrorem attulit.

Datum ei plus cæteris de Christo.

Quid si S. Thomas attonitus visu in medio fuerit q. extra se factus? q. d. Quis me nunc beatior. 1. Dominus Petro claues dedit, pedes Magdalenæ, dextram latroni bono, pectus Ioanni clausum; mihi manus, pedes, latus, aperta omnia. 2. Dicat cum Regina Saba, visa Salomonis auditaque sapientia: 3. Reg. 10. *Verus est sermo, quem audiui in terra mea super sapientia tua.* 3. Quare, quod Sauli prædictum, 1. Reg. 10. *Insiliet in te spiritus Domini, & mutaberis in virum alterum.* Idem Thomæ factum est.

Eo: opera sint discreta.

At duo iussit eum Dominus: Inferre digitos in loca clauorum, id est, discretionem operum: & manum in latus, id est, operandi facultatem. Nimirum sic in Leuitico sacrificia omnia sale conspergi iubentur. Et sponsa: Cant. *Manus meæ distillauerunt myrrham, & digiti mei pleni sunt myrrha probatissima*: idque omne in loco clauorum, in que latere, id est, permerita Christi passi opera pœnalia vim obtinet.

Reseruatorum Christi vulnerũ causa.

IV. Infer, &c. q. d. Disce me, disce vulnera, causamque seruatorum. *Prima est,* vt idem post resurr. esse, quod ante fuerat, teneatur. *Chrys. ho. 86. in Ioan. Aug. Psal. 74. Et p. 49. q. 1. Beda, Cyr.* 2. Vt signa memoriæ gerat beneficiorum, & infinitæ misericordiæ. *Haymo in Ioan.* 3. Vt irato Patri ea ostendat placando. *Amb. in vlt. Luc. Cypr. ser. de S. Baptista, Beda.*

4. Vt in extr. iudicio electis ea ad solatium, reprobis ad tormentum exhibeat. *Haymo, &c.* 5. Vt sint ipsimet tropæa suæ generositatis inuictæ. *Amb. in vlt. Luc. Bern. ser. 3. de resur. Beda. 7.* Causa. Vt ea sint asyla tentatis contra dæm. car. mundum: sint piis columbis requies optata, &c. *Bern. ser. 61. in Cant.* 8. Causa: Vt æternum cognoscãtur manuũ eius pro nobis opera, pedũ labores, lateris cor, & cordis amor &c.

Animatus fuit ad martyriũ.

Credere est S. Thomæ isto tactu ac visu mirificos additos fuisse animos ad Martyrium. Sicut 1. *Mach.* 6. elephantes succo mori viso in prælium exarserunt. 1. Hinc intrepide S. Thomas Calamine Indiæ vrbe se stitit lanceis transadigẽdũ.

Hasta insignę regium est.

Vnde cum hasta, vt insigni, pingitur. 1. Et vero regale est insigne hasta, sicut diadema. *Virgilius* AEneam vt Regem repræsentaturus, *bina manu lato crispantem hastilia ferro*, inducit. 2. *Festus Pompeius* ait, Viris generosis olim hastas offerri solitas. 3. Ideo, ait *Plut.* statuarius Lisippus Alexandro Mag. hastam in manum dedit, insigne regium. 4. Ideo, ait *Cyril.* Deorum statuæ cum hastis ponebantur.

Subhastatio felix.

Captiui quoque subhastabantur: ita & S. Thomas sub hastam subiectus est Domini seruus perpetuus. Felix subhastatio: *iugum enim Domini suaue est, & onus leue*: æternum que gaudium. Amen.

IN FESTO S. THOMÆ APOSTOLI.

Suppleuit Enucleator.

Cum sero esset die illo, & fores essent clausæ, venit Iesus, & stetit in medio eorum.

Io. 20.

IAcob, *Gen.* 45. audito, filium suum Ioseph viuere, dominarique AEgypto;

quasi ex somno reuixit, etsi vix crederet: dicebatque, *Sufficit mihi; si adhuc Ioseph filius meus viuit. Vadam, & videbo illum, antequam moriar.* Vadit, videt, inque amplexibus ait: *Iam lætus moriar, quia vidi faciem tuam.* Ita S. Thomas audito Dominum resurrexisse, ait: *Non credam, nisi videro fixuram clauorum.* Visaq; exclamat, *Dominus meus, & Deus meus!*

Super quo nos

I. *Quod aduersa faueant, & adiuuent.*
II. *De glorificati corporis dotibus duabus.*
III. *De transitu per ianuas clausas.*
IV. *De imprecante pacem.*
V. *De dante potestatem Apostolicam: deq; vi vulnerum ostensorum.*

PARS I.

Aduersa fauent & adiuuant.

Aduersa virtutum sunt fomenta.

I. SEneca refert, Demetrium vitam tribulationum expertem mari mortuo conferre solitum; quod magis, quã procellosum, sit pertimescendum. 1. *Chrysostomi* vox erat: *Prosperitas virtutis nouerca est, at vera philosophiæ mater.* 2. Vt neruus belli pecunia: ita virtutũ, ærumna. 3. Dabunt id vltro Philosophi mihi: Vel mundum ipsum sustentat elementorum dissidium; quod ni foret, nullæ forent generationes; perirent omnia. Quia fluxa. Ita in animis *amat ardua virtus*; & gliscit in aduersis; marcescit prosperis, ac collabascit. 4. Herbæ amaræ, vt absynthium, Rhabarbarum, &c. magis sunt medicæ; quã dulciaria. 6. Sal carnem conseruat: mel corrumpit. 7. Ventus succendit ignem 8. Iguis metalli scoriam excoquit, ipsum sublimat: Sic aduersa.

Sũt ea Dei beneficia necessaria.

Quo maius est beneficium, à Deo ea vel immitti, vel permitti. 1. Ponendi in Ierosolymitano templo lapides aliunde politi inuehebantur. Hic animarum est polionæum: hinc̃q; per multas tribulationes in gloriam intratur.

2. Noluit Deus offerendas sibi victimas illimi melle 3. Fastidit melitæos molliculos: duris assuetos amat. 4. Non farris flore; sed hordeaceis suos pauit. *Ioan.* 6. Ita mauult suos asperis durari, vt æternum durent, quam emollescere, vt putres diffluant.

Causa, vt ad Deum compellamur.

II. Omnium vna est princeps causa: vt sui ad extrema tristibus perducti; ab terrenis abducti in Deum se iactent vnum, hinc̃q; petant, sperentq; auxilium. 1. Ps. 9. *Tu Domine exaltas de portis mortis.* Tob. 13. *Tu deducis ad inferos, & reducis.* 2. Anna prius sterilis, post fœcundata; sic laudat grata Deum: 1. Regum 2. *Dominus mortificat, & viuificat, deducit ad inferos, & reducit: Hoc ab aduersis condidicit.*

Et altius euehamur.

Testis Iob, quo ex quo deiectus? Quo ex quo deinde uectus? Vt eius etiam vitæ sint adiecti anni 140. videritque abnepotes.

Et auxiliator.

Lazari, *Ioan.* 11. suscitatio, ad quatriduum dilata, fuit tãto admirabilior, quo insperatior, & è verminantiore fœtore ad pristinum reparatior.

Sit venerabilior.

Piscatio discipulorum, *Mar.* 6. diurna nocturnaque ni inanis fuisset; illa ad Domini iussum facta demum adeo fœliciter, minus accidisset admiranda & grata. Ita illa hodie serotina apparitio, tanto fuit oportunior ad fidem, & lætitiam; quanto insperatior. Dei auxilium nunquam serum. Nunquam sera salus.

PARS II.

De glorificati corporis dotibus duabus.

Dotes glorificati corporis duæ.

DVas glorificati dotes ostendit Iesus. Subtilitatem, penetrando clausa: Agilitatem, toties tam diuersis locis apparendo. Magdalenæ, vt hortulanus: Viatoribus, vt peregrinus: aliis aliter. Ita & nos glorificati; ait Sanctus Augustinus 22. Ciuit. Dei. *Vbi volet spiritus, ibi protinus erit corpus.* 1. Consentit Sap. 3. *Sicut scintillæ in*

De agilitate.

illæ in arundineto discurrent. 2. Talia vidit animalia Ezechiel cap. 2. *quæibant, & revertebantur instar fulguris coruscantis.* 3. Visa sunt quoque habere alas ad euolandum in Deum, ac pedes, ad descendendum ad nos inuocatorum Sanctorum corpora. 4. Vidit idem rotas, quæ ad motum Spiritus mouebantur. Hæc sunt glorificata corpora, spiritu agitanda quo quo versum. 5. Quam subito, *Dan.* 14. ferebatur Abacuc à Spiritu ex Iudæa in Babylonem per 500. milliaria? 6. Angelorum impulsu primum mobile 24. myriadibus milliarium circumagitur. Cæteri item cœli ab assistentibus Intelligentiis agitati quanta spatia euoluunt? Celeriora tamen erunt glorificata corpora.

De subtilitate. *II. Ianuis clausis.* Itque, reditque Deus quocunque volet. Simile corpus Sanctum. 1. Penetrauit sepulcrum sigillo saluo; iam ianuas. 2. Ionam, *cap.* 3. clausum & mari, & ventre ceti; eduxit tamen. 3. Ad Danielem, *cap.* 14. in lacum sigillo clausum, perduxit Abacuc. 4. Clausos in fornace succensa Deus adit, præstatque illæsos. *Dan.* 2.

Nil occultum Deo. Iam finge tibi peccator, nescire Deum, nec adesse, cum peccas. Quid? 1. Orcum effringit. Et *scrutatur renes Deus: Quem nullum latet secretum.* 2. Vani senes, Ezechielis *capit.* 2. visi clausis ostiis adorasse idola. 3. Similes illis, Psalm. 93. *Dixerunt: Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob.* Sed quid Psaltes? *Intelligite insipientes in populo, & stulti aliquando sapite: Qui plantat aurem, non audiet? Aut, qui finxit oculum, non considerat?* Intrat vel clausis ianuis.

PARS III.

De transitu per ianuas clausas.

I. FOelices ianuæ; quæ fidem & adituatis, & docetis; vt cauillationes hæreticorum per vos infringamus. Vos transiens Domini corpus ostendit dari penetrationem corporum: corpus suum nullum tunc locum occupasse; item numero idem pluribus in locis adesse posse absq; loco. Quibus Sanct. Eucharistiæ mysteria constabiliuntur.

Hæretici cũ negant. Audet impietas hæretica mendacij arguere Scripturam. 1. Textum Berengarius adulterat. 2. Oecolampadius vult; ad instar furis, per fenestram se iniecisse Dominum. 3. Caluinus *l.* 4. *Instit. c.* 17. §. 29. ait, virtute diuina clausis ianuis irrupisse, noluisseque expectare donec aperirent, qui intus morabantur: foresque pessum dedisse, ac momẽto reparasse. 4. Petrus Martyr, foreseum, vt ceram, emolliisse, aut rarefecisse fingit.

Concedunt alii: sed abutũtur. 1. At si ista: vbi tunc miraculum? Nam S. Patres certum affirmant id miraculũ esse. 2. Prisci hæretici, vt Marcionistæ, Valentiniani, Origenistæ, veram negantes resurrectionem; istis item ianuis sic abusi sunt: Verum corpus non potest ianuis clausis intrare: sed ita Dominus intrauit: ergo verum eius corpus non erat. Maiorem orthodoxi, minorem hæretici hodierni negant; altera concessa.

Refutantur ex *II.* Atqui agite, 1. Idem nondum glorificatus, vtero clauso Matris exiuit natus: at hæc fuit penetratio corporum. Assentiuntur id nobis ipsi quoque Mahometani. *I. Natiuitate.*

2. Resurrectione. 2. Glorificatus exiit clauso sepulcro.

3. Ascensione. 3. Ascendit super omnes cœlos idem: Atqui, Iob. 37. *hi solidissimi sunt, velut ære fusi*, nec effringi, corrumpiue queunt. In omnibus penetratio fuit dimensionum, sine loco, & corruptione alterutrius.

Occupatio obiectionũ. Quod cœli dicantur aperti alibi: vt *Marc.* 3. columba descendente: *Act.* 6. Stephano Iesum videnti; id pro captu nostro dicitur; nec sine metaphora. Vti & *Ioa.* 1. angeli ius deque scandere videbuntur. Nec

tur. Nec enim hi, vel Sanctus Spiritus, aut reuelatio oculorum egent cœlorum diuisione, cum Spiritus sint.

4. Comparatione. 4. Potest Deus, *Matt. 19. Luc. 18.* camelum, (seu animal, seu funem nauticum:) per foramen acus facilius adigere; quam inferre cœlo diuitem: *Hoc apud homines impossibile est: sed apud Deum omnia possibilia sunt.* Atqui id sine corporum penetratione non fieret: ergo hæc Deo possibilis est. Nam si per extenuationem faciendum intellexisset Dominus; etiam ea homini possibilis esset: foretque inefficax Domini demonstratio.

PARS IV.

De imprecante pacem.

Apostrophe Christi cũ prosopopœia consolatoria. I. PAX *vobis*, ouibus, sine pastore: discipulis sine Magistro: militibus sine duce: peregrinantibus sine conductu: nauigantibus absque sidere: at dilectis mihi vt pupilla oculi. Euge agite; alleluia Psallite. *Ego sum Ipse, qui loquor vobis.*

Fidite: nolite timere Synagogam, &c. Ecce ego vici *leo de tribu Iuda*: Confregi tartara: nunc triumpho omnia. Alia quæro tropæa, vestra pectora: vt & ista expugnem, & occupem.

Age Petre: arripe fidem: spem concipe; plorare desine: elui peccata, oraui pro te: quia nescisti, quid faceres. Quin ex me paratam tibi gloriam percipe: vide, palpa: *Ego sum.*

Figura. Atque ita omnes ac singulos affatur, & animat. Inprimis Thomam. 1. Qualis Ioseph, *Genes.* 40. pauore exanimes fratres osculabatur, solabatur, erigebat, se in fame, in aduersis præfore ipsis, &c. Ad quæ ipsi reuixerunt; sui, Dominique admiratores: iam gaudio pectus obtinente, ac veneratione.

2. Quale fuit gaudium in Arca clausis, visa oliua frondente, per columbam allata; diluuioq; remittente: *Gen. 7* Tale Apostolis, ex causa potiore, viso Seruatore, pacificatore Iesu; victore ac fugatore partium aduersarum.

Effectus consolationis. II. Psalm. 39. *Ad vesperam demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia* angelorum iã inexplicabilis: maior ipsorum amore, doloreque antegressis. Hunc detergebat: istum succendebat. 1. Audisses spiritu confitentes, Iob. 10. *Credo, quod Redemtor meus viuit: & in carne meâ videbo Deum Saluatorem meum.* 2. Audisses, 1. Cor. 15. *Christus resurrexit, ergo & nos* resurgemus: 3. Audisses elatius exclamãtem Thomam: *Dominus meus, & Deus meus.*

Figura. 4. Variis varia spiritus inspirarit; quæ confecerunt. 1. Vnus: Tu Samson; qui rediuiuus inferni portas sustulisti. 2. Alius; Tu Ionas: qui ex ceti ventre redditus es terræ, &c.

Similia. 3. Fœlix Theseu; qui inextricabilem Minotaurici labyrinthi exitum reperisti! 4. Prodigiosa Phœnix; ex tuopte busto crucis rediuiua! Nescit amor mori: se suscitat ex se. Vel in sepulcro, vbi putrescunt omnia, reuirescit amor.

PARS V.

De dante potestatem Apostolicam; deque vi vulnerum.

Vicarii Christi cum pari potestate. I. PAX *vobis*: sperate iam victorias: cœloque S. Spiritum. 1. Ecce *sicut misit Me Pater, & ego mitto vos.* Quid amplius? 2. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis*, &c. Vel ab vno hoc Diis similiores estis, quam hominibus: quin Angelis superiores. 3. Ergo *Mitto vos*, vt Cæsares, Reges, Philosophos; orbem subiugetis mihi; Noua facitis omnia. 4. Neu dubitate: *Ego sum, Palpate; & videte.* Accedite, à quo fugistis ante! Vos nunc facio bases orbis, & columnas veritatis, *eritisq; mihi testes.*

Et eventu patiendi. *Palpate, videte*, & similes effici contendite. *Videte*, nec vnquam ab me oculos

los auertite: æstimate propius inspectum redemtionis pretium, & *prædicate* id *omni creaturæ*. Sic fatus: simul alios in viros eos repente mutauit.

Exemplū de vi stigmatum vulnerum.

II. Prodit *Iosephus l. 1. de bello Iud. cap 8.* Antipatrum, Herodis patrem, de coniuratione aduersus Cæsarem, fuisse accusatum. Audiit Antipater: Romam aduolat: oratorem non optat: Cæsari ipse pectus nudat suum; cicatrices ostentat: *Hæc*, inquit, *ô Cæsar accepta prosalute tua, non sunt proditoris tui, sed seruatoris.* Virum Cæsar amplexus etiam ab omni suspicione absoluit; arctiusq; dein amauit, ac coluit; totius quoque Iudææ procuratorem constituit. *Videte* IESVM, latus, manus, ac pedes ostendentem, &c. Quantum amabitis! coletis?

Refert Xenophon l. 3. Pædiæ. Cyrus Rex Persarum, bello victum, captumque Tigranem, Regem Armenorum, cum Regina mensæ suæ adhibens: illi per iocum ait: *Quanti hanc coniugem tuam redimeres?* Tigranes ait: *Regnum, quod abstulisti, equidem, si haberem, libens pro ipsa darem: sique non sufficeret, adderem & sanguinem meum.* Quo motus Cyrus, regnum eis reddidit; & ipsos regno. Reuersus Rex Reginam percunctatur: *Quid tibi de Cyro videtur vxor mea? An non regno dignus?* Illa: *Nescio*, ait: *Nec enim; quid egerit, aut dixerit Cyrus, noui. Nam ita toto eo tempore captiua in te oculos animumque habui, parato me sanguine suo redimere.* Nos quātum Regi nostro debebimus? Nil tamen postulat iam aliud; *quam, Palpate; & Videte.* Et quisquam oculum auerteret?

Vides suspecti. Amor cō iugalis.

Gratia præstita magnitudo.

1. In gratiam magnam Hebræorum, Deus olim stitit in axe solem, *Iosue* 10. At maior hic amor est & gratia, solem iustitiæ in terram descendisse. 2. Magni amoris erat traductio eorundem per mare rubrum in terram benedictam. At maioris, per sanguinem in Dei gratiam facta nostri restitutio. 3. Magnum; eos ex seruitute Aegypti exemisse; & maximis hanc plagis mulctasse: Maximum; ereptos dæmoni in libertatem filiorum Dei vindicasse.

DE FESTO NATIVITATIS Christi.

Verbum Caro factum est: & habitauit in nobis. Ioan. 1.

NOe, *Gen. 7.* (Poetis Ianus bifrons dictus; vt qui ante, postque diluuium vixerit:) arcam ingressus, vt humani generis reparator futurus, id diluuio exemtum in tuta collocauit. IESVS humanæ carnis ingressus arcam ab ęternę damnationis diluuio ereptos nos in libertatem vindicauit. Felix dies, plena miraculorū: nunciumq; diei felicius! Felix Virgo parens! Felix stabulum, præsepium, fœnū; Pastores feliciores?

Super quibus nos

I. De mysterio Incarnationis generatim.
II. De gemina Christi generatione.
III. De generatione in tempore figuræ.
IV. Nostra inde documenta figuris illustrata.
V. De inuoluto panniculis Iesulo.
VI. Magna, Mira, Læta, quæ acciderunt.

PARS I.

De mysterio incarnationis generatim.

Incarnatio est incomprehensib. 1. Omnib.

I. ISaias nouum Incarnationis mysterium descripturus, insolito more ita orditur: cap. 53. *Quis credidit auditui nostro? Et Brachium Domini cui reuelatum est? Generationem eius quis enarrabit? Quia abscissus est de terra viuentium.* Dicam: *Natiuitatem eius quis enarrabit?* 2. Ambros. l. de Patriarcha Benedict. ait, Ignorari, vndenam Rhinoceros originem trahat. At Num. 13. *Fortitudo eius, Christi, similis est Rhinoce-*

2. Hominibus.

rotu. Ideo generatio eius ignota captui humano; non Fidei.

3. Salomon. 3. Ignorantiam suam fatetur Salomon Prou. 30. *Tria sunt mihi difficilia: & quartum penitus ignoro. Viam aquilæ in cœlo: Viam nauis in medio mari: viam colubri super petrã: & viam viri in adolescentia.* Id est, Christi Ascensionem: Passionem: & Resurrectionem: & Natiuitatem. Etenim via insueta, & ignota per B. V. Mariæ vterum transiuit sic, vti prædictum Ps. 76. *Et vestigia eius non cognoscentur.*

4. Angelis. 4. Quin ipsi Cherubini ab exordio sui eam capere nequiuerunt. Hinc Ezech. 1. *Cum fieret vox super firmamentum, quod erat super caput eorum: stabant animalia, & submittebant alas suas,* intellectus. Vox autem erat: *Verbum Caro factũ est.* Nam subiicitur: *Et similitudo hominis erat super firmamentum.*

Ideo est mysteriũ mysteriorum. Bene igitur Cyprianus serm. de Nat. Dom. *In cæteris mirabilibus quocunque modo aliquæ satisfaciunt rationes: hic solum me complectitur stupor.*

1. Adoratur nominatim tãtum. II. Qua causa Ecclesia ad vocem: *Et homo factus est*: genua flectit tum admirabunda, tum venerabunda.

2. Creditur. 2. Salomon Templo iam constructo; Arca introducta; victimis immolatis: apparenteque Dei gloria solum in nebula spissa, prostratus in genua, expansis palmis inclamat: 2. Par. 6. *Ergo ne credibile est, vt habitet Deus cum hominib. super terram?* Quid si vidisset apparentem ore, cultuq; humano?

3. Cernitur oculis. 3. Magi in somnio Nabuchodonosoris interpretando suam ignorantiam diserte confessi aiunt, Dan. 2. *Sermo, quem tu quæris, Rex, grauis est: nec reperietur quisquam, qui indicet illam: exceptis Diis quorum non est cum hominibus conuersatio.* Errant. Quin iam etiam cum bestiis est Dei conuersatio.

4. Prædicitur. Ita prædixerunt Prophetæ futurum. 1. Baruch. 3. *Posthæc in terris visus est: & cum hominibus conuersatus est:* 2. Ieremias 7. *Habitabo vobiscum in loco isto.* 3. Dauid Psal. 84. *Vt inhabitet gloria in terra nostra.* 4. Edixit factum Ioannes, cap. 1. *Verbum Caro factũ est: & habitauit in nobis:* Non in flamma rubi: non in nube; non in vertice Sinai: sed in carne nostra, in Virginis gremio. O miraculum.

4. Nonnisi genio capitur. O torrentem Ezechieli intrãnabilem! *Ezech.* 37. Eum iussu Angeli ingressus ille primum ad talos: dein ad genua: tum adusque renes: porro progressuro sic intumuere aquæ, vt periisset; ni Angelus ipsũ eripuisset. Iste torrens S. Scriptura est, 1. de Creatione: Hæc cuiuis facilis captu est. Eam Plato, & Aristoteles sat intellexerunt. 2. De iustitia Originali, deque amissione eiusdem. Hæc paulo profundior, captuque difficilior accidit. 3. De Redemtione, Incarnatione, &c. Hic torrens scripturarum est humanitus inuadabilis.

Naufragia hic hæresiarchum. III. Nauicula rationis cum tentarunt quidam infelices: at naufragauerunt de fide. 1. Cerinthus abnegauit infantis nostri diuinitatem. Cuius impietati Ioannes scriptum à se Euangelium obiecit: vt ait Hieronymus libr. de script. Eccles. 2. Cerdo, qui duos colens Deos, Bonum, & Malum, negat Iesum vnum esse? 3. Manes Persa, Iesum negat verum assumsisse corpus: sed imaginarium. Quo in errore S. Augustinus nouem ipsos annos deerrauit. 4. Valentinus, negauit è Virgine, sed è cœlo corpus eum traxisse.

5. Nestorius Constantinop. negauit Deum ex Virgine natum fuisse, vel Crucifixum; sed merum hominem. Nam duas in Iesu personas, vti & naturas, constituebat. 6. Eutyches è contra, naturas fuisse permistas, humanitatemq; transisse in Diuinitatem: ac vice

versa

versa. 7. Arius pertendit Iesum meram esse creaturam: ideoque minorem Patre etiam qua Deus est. Quæ hæresis orbem obtinuit totum annis ducentis.

8. Donec Arianus quidam componeret Alcoranum: quo errores Mahumetanorum exorti, ac propagati hodieque dominantur. Ecce naufragia in torrente Incarnationis.

6. Occultum est.

IV. Si in consilium adhibeas sensus; vides paruulum inopem; audis vagientem. Si rationem adeas; hæc dicet: Hanc incarnationem non intelligo: nescio modum, qui nascatur in tempore æternus, patiatur impassibilis; infinitus capiatur à præsepio. Quantæ hic voragines?

Essej. voluit Deus.

1. Elisæus, viduæ puero excitando, corpus corpori, membra membris eius coextendebat: sed ostium occludebat; ne cui patesceret, quod agebat. Ita hic Deus secrete se Tantum tantillo homullo coextendit.

2. Nimirum hoc est ænigma, quod Samson, (Deus per Prophetas) Philistæis (humano generi) dedit *Verbū caro factum est*: Quod non paulo difficilius est illo: Iudic. 14. *Exiuit de forti mel.* Nam IESVS est *Leo is de tribu Iuda*, simul *dulcis super mel & fauum.* Hoc ænigma hodie diuinandum proponitur.

PARS II.

De gemina CHRISTI Generatione.

Generatio Iesu duplex est, æterna & temporaria.

1. VT Generationes; sic & Natiuitates sunt duæ in CHRISTO: Aeterna: qua ex sinu, vel Memoria Patris Verbum natus est: Et Temporaria ex Virgine. De illa Ioan. 1. *In principio erat, &c. & habitauit in nobis.* Hac, vt homo, natus est è fœmina: vt Deus, ex virgine.

Simile.

1. Vt vestis aurea, quam leuidensa byssi tela obducit, per hanc transparet: ita per humanitatem Diuinitas. Huius emicans splendor terrefecit Herodem; acciuit Magos, pastores, Angelos, stellas.

2. De vtraque Psalm. 61. *Semel locutus est Deus: Duo Hæc audiui: Quia Potestas Dei est: & Tibi Domine Misericordia.* 3. Augustinus id exponens, ait: *Quomodo semel locutus est, & secundo sonuit. Nisi, qui Verbum intransgressibile procedens à corde Patris suscepit carnem, vt esset homo in vtero matris.* Mira potestas, quæ hominem exaltauit ad Deum! Mira Misericordia, quæ Verbum humiliatum, & exinanitum, nostræ copulauit naturæ!

Item Potentia, & Misericordia.

II. S. Leo. *Mirabilior sit nobis in Deo humilitas; quam potestas: Et difficilius capitur diuinæ Maiestatis exinanitio, quam seruilis formæ in summa prouectio.* 5. Totum hoc duobus dicit Euangelista: *Verbum caro factum est.*

Hæc est mirabilior illa.

Verbum ait, non *Filius*: Vt spiritalem insinuet generationem; Nil carnale cogites. Sed quomodo natus à Patre est? Ps. 2. *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu. Ego hodie genui te*: in die illo æternitatis scilicet. *Dixit*: nam Verbum, mens, seu cogitatio Dei fuit Filius Dei; & mutuus vtriusque amor fuit S. Spiritus. Quam gloriosa illa generatio: tam obscura hodierna.

Æterna modus.

PARS III.

De generatione temporanea.

1. ECce Virgo partui vicina, exclusa diuersorijs, stabulum sumit campestre, cum suo corporis custode Ioseph: parit: adorat: pannis inuoluit. Hic impletæ figuræ sunt: 1. Noe. *Gen.* 6. finito damnationis diluuio, ex arca veteri progreditur, ad genus humanum instaurandum.

Figura. 1. Noe.

2. Laterculus, *Dan.* 4. monte descendens; à nemine impulsus, statuam impietatis comminuit orbemque replet ipse, *Petra autem erat Christus*: & *Mons in vertice montium* est factus sic: vt Psalm. 112. *à solis*

2. Lapillus.

ortu, vsque ad occasum laudabile nomen Domini sit.

3. *Fluuius paradisi.* 3. Fluuius è paradiso voluptatis, vtero Virginis emanans Iesus est: cuius torrente aquæ viuæ peccata nostra lauantur, orbis fœcundatur. De quo Eccl 24. *Ego quasi fluuius Dorix, ego quasi aquæ ductus exiui è paradiso.*

4. *Angelus fortis in nube.* 4. Ioannes, Apoc.10. *vidit alium Angelum fortem descendentem de cœlo, amictum nube: & iris in capite eius.* Hic *fortis* Est IESVS; & à *summo cœlo egressio eius*: amictus nube nunc carnis; post crucis: iridem seu 5 *Soloriens* arcum fœderis & pacis gerit. 5. Talem in nube aduentum eius prædixit Isai. 19. *Ecce, Dominus ascendet super nubem leuem*: humanitatem nullo peccato grauatam: *ingredietur Aegyptum* mundi: & com. mouebuntur simulacra Aegypti, idololatria, dæmones, scelera, &c. Hæ figuræ.

II. Iam Oracula Prophetarum hodie impleta sunt: & ipsa tamen figurarum plena. Mala. 4. *Orietur vobis sol iustitiæ.* Vt enim sol oriens idem est, qui ab orbe Cond. etsi recens ortus videatur: Ita IESVS, etsi natus hodie de Virgine; esse tamen hodie non cœpit. *Nam in principio erat verbum, &c.* e si hodie *Verbum caro factum est.* 2. Zacharias Luc.1. *Visitauit nos Oriens ex alto.*

6 *Sol retrocedens.* 3. Hodie sol cursum suum vertit, & X. gradibus retrocessit; vt Ezechiæ tempore: 4. *Reg.* 18. Namque *Minuisti eum paulo minus ab Angelis, Deus*: quando *Verbum caro factum est*: Quanta hæc retrocessio?

7 *Os è costa Adæ.* 4. Hodie ex Adæ soporati latere exempta costa est, substituta caro, formataque Eua: qua visa Adam dixit: *Hoc nunc os de ossibus meis, & caro de carne mea.* Quid hoc? Eph. 5. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico, in Christo.* Nam Patres docent: imprimis S. Augu. Incarnationem fuisse designatam. Etenim Pater, Verbum quod in sinu eius intellectus delitescebat, carne cooperuit hypostatic$\tilde{\omega}$s, vt inde Deus sit homo Deus: possitque dicere, *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.*

Ratio comparationis est. 1. Quia vt os, vel costa sub carne latet: Ita Deus sub homine. Psal. 17. *Posuit tenebras latibulum suum.* Isa. 45. apertius: *Vere tu Deus absconditus.* 2. Vt ossa, etsi vegetentur, nil tamen sentiunt, suntque impassibilia. Ita Verbum Deus est impassibilis in se: in carne vero vel hodie pati cœpit. Impletum ergo Ioan. 19. *Os non comminuetis ex eo*: significans illæsibilem eius Diuinitatem. 1. *Abscondita.* 2. *Impassibilis.*

3. Ossa, ait *Arist. lib. 2. de part. anim.* carnem sustentant: ita Humanitatem Diuinitas, ad tanta pro nobis agenda, patiendaque, roborauit. Vnde hãc illa sic, quasi alloquitur. Ps. 17. *Diligam te Domine: quia tu es fortitudo mea. Dominus firmamentum meum: Qui* Heb. 1. *portas omnia Verbo virtutis tuæ.* Et hic tantus in præsepio, fœno, frigore, nuditate. 3 *Sustentatrix carnis.*

Hic natura & omnia obstupescant. *Abacuc* certe, *cap.* 3. stupens ait. *Consideraui Domine opera tua, & expauit: in medio duorũ animalium cognosceris*, qui inter, imo supra choros Angelorum versabaris. 4. *Admiranda.*

III. Sed vetuit olim Deus. Deut. 11. *Non arabis in boue simul & asino.* An forte id reseruatum fuit Filio Agricolæ? Nam hodie Dei filius in præsepio ad id sese præsentat. Ita est: hoc compare Veteris ac Nouæ legis orbem perarabit vniuersum. 1. Et hunc Aratorem Deum & hominem quis non obstupescat? Quid Regina Sabæa illum sic stupes Salomonem, 2. *Par.* 2. vt non sit vltra in te spiritus? Hic Salomon iacet: hunc agnosce, &c. adora. 2. Dic cum Dan. 10. *Domine, in visione tua dissolutæ sunt compages meæ, & nihil in me remãsit virium: & quomodo poterit seruus Domini* 5. *Aratur nouum.* *Admirandus.*

mei

mei loqui cum Domino meo? Nihil enim remansit in me virium: sed & halitus meus intercluditur. Itan' ad Angeli conspectum: quid ad Dei? Quid ad Dei Incarnati? Nec Angeli ad hunc satis obstupescunt. Quo impensius adorant.

PARS IV.

Nostra inde Documenta, item figuris illustrata.

Arca sub pellibus nobis salutifera.

I. ECce Figuras hodie elucidatas. 1. Arca Testamenti sub pellibus: Diuinitas est sub pelle carnis. Dic igitur ipse tibi, quod Dauid, 2. Reg. 7. *Videsne, quod ego habitem in* domo cedrina: & Arca Dei posita sit in medio pellium? Quod Vrias Dauidi, 2. Regum 11. *Arca Dei, & Israel & Iuda habitant in papilionibus, & Dominus meus Ioab, & serui Domini mei super faciem terræ manent: & ego ingrediar domum meam, vt comedam, & bibam, & dormiam cum vxore mea. Per salutem tuam, & per salutem animæ tuæ, non faciam rem hanc.* Iesus est illa Arca: est Ioab cum seruis Angelis: est ipse Vrias sub dio cubans. At & literas habes Vriæ, Iesu, patieris, & oppetet in acie.

Christo morti.

Manus Moysi producta.

2. En manum Moysis à sinu productam leprosam. *Exod.* 4. Iesus est dextera Patris: Et Isa. 53. *Nos putauimus eum quasi leprosum.* Sed Psal. 67. *Hæc mutatio dexteræ Excelsi.* Qui Angelis imperabat: obsequitur hodie animalibus, coram his plorat. Et tu ô Domine, *Vt quid auertis manum tuam, & dexteram tuam de medio sinu tuo:* vt eam, quasi leprosam ostentui des mundo? *Ps.* 73.

Reconciliat nos Deo.

II. Alexander Magnus subacta Persia habitum assumsit persicum, Macedonico tamen non prorsus deposito. Vt gentis vtriusque fauorem sibi, & regnum inter ipsas stabiliret. Ita Iesus, Deus licet, tamen *habitu inuentus, vt homo*, Psalm. 2. reconciliationem nostrum cum Cœlitibus, est adortus.

Prait nos ad pœnitentiam.

Iona cap. 2. clamante: *Adhuc 40. dies, & Niniue subuertetur*: Rex regio fastu posito posuit in saccum se, ac cinerem. Ita totus *in maligno positus mundus* subuerti meruerat; sed Rex IESVS in saccum se humanitatis induit, abiicit in cineres mortalitatis, pœnitet, iubet pœnitentiam cunctis; spondet gratiam.

Exorat pro nobis.

Israel idolatrica mania transuersum actus pœnitere iubetur à Moyse, *Exod.* 33. Patet, luget, ornatum ponit omnem, saccum indutus. Sed ante omnes Moyses, qui orat, seque etiam deuouet pro populo: Ita Iesus. Et exorarunt ambo. Tantum potuit nuditas, paupertas, humilitas, patientia, pœnitentia! Tantum, Ait Cyprianus ser. de Nat. *Panniculi pro purpura, pro byssо in ornatu regio laciniæ!*

PARS V.

De Iesulo panniculis inuoluto.

Querela priscorum quatuor.

I. ET *pannis eum inuoluit.* Hic ô quot inuoluta mysteria? Quatuor olim cõquerebantur homines de Deo. Primum: Quod Deus inaccessibilis. Psalm. 41. *Fuerunt mihi lacrymæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, vbi est Deus tuus?* Secundũ Quod manus Dei nimis essent graues. Id. eo Iob. 3. *Manum tuam longe fac à me.* Tertium, Quod in loquendo nimiũ durus. Ideo Exo. 20. *Ne loquatur nobis Dominus: ne forte moriamur.* Quartum, Quod etsi cætera omnia placidus, Maiestate tamen inq; throno terribilis sit. Isai. 6. *Vidi Dominum super solium excelsum & eleuatum, & Seraphim stabant, & clamabant Sanctus.*

Nunc præcisa sunt.

At nunc facessant querelæ audito ab Angelis, *Inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio.* Inuenietis eum non fabricantẽ fulmina, pestes, gladios, non inaccessum, non grauem manibus, non austerum voce, non maiestate formidabilem. Sed in campis expositum, ligatum, vagientem in præsepio.

Ligatus est Samson.

II. O Samsonem ligatum in sinu, non Dalilæ; sed Virginis. Vinceris, & vinciris, quia diligis. Ten' virgunculaligat? Non: sed Amor. Vere *Amare, & Sapere vix Deo conceditur.* At sapis. Et heu! Sapientia tua est stultitia coram hominibus. Ideo, 1. Corin. 1. *Nos autem prædicamus Christum Crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam.* Nempe, *Quæ stulta sũt mundi, elegit Deus, vt confundat sapientes.*

Gratia circumscripta

Hodie soluta est quæstio. Iob. 38. *Quis concluſit ostiis mare* infinitum gratiarum, *quando erumpebat, quasi de vulua procedens,* natum de irreserata Virgine. *Cum ponerem vestimentum eius, & caligine illud, quasi pannis infantiæ obuoluerem.*

Adam obtectus.

Adam, ne ad folia refugias; hic inuenit tibi panniculos, quibus tuam obtegat nuditatem. Tu pellibus animantum rectus exis paradiso, vt moriturus instar animalis. Hic cœlo exiit, tua tectus pelle, iam insuper panniculo se contegit: nudus olim in cruce exponendus; ac rursus in syndone munda inuoluendus. Hé, qui Cherubinos vestit lumine, agros! liis, plumis aues, operit cœlum nubibus, is hic serpit in fœno, interque lacinulas, ac fasciolas.

Homo requisitus, & repertus est

III. Cur & in stabulo? An quia brutalem indutus naturam *homo, cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus?* Tu Redemtor hominem inter bruta requiris, hospes stabuli? Vere Psal. 35. *Homines & iumenta saluasti Domine. Quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam Deus.*

Susceptus, & in curam.

Laudatur, *Luc.* 10. Samaritani pietas: Tu is erasipse; mutato nomine de parabola dicetur. Tu spoliatum, seminecem hominem in iumentum Diuinitatis imposuisti, &c. O stabulum Capitolinum! Quin Salomonianum: cui erant 41200. equorum currulium. Tibi plures Angelorum myriades.

PARS VI.

Magna, mira, læta quæ acciderunt.

Magna in virtutum pretio.

I. ERgo, vt Bernard. sermon. 4. in Vigil. Nat. *Ascende Maria, Noui splendorem Solis. Pone in præsepio, inuolue pannis infantem: Nam & ipsi panni diuitiæ nostræ sunt. Preciosiores panni Saluatoris omni purpura. Et gloriosius hoc præsens, auratis Regum soliis, Ditior paupertas cunctis opibus, cunctisque thesauris sæculi.*

In Natu ad orata.

S. Anselmus sermon. quodam ista: *Archelaus,* Herodis filius, *natus in palatio, positus in lecto. Christus in diuersorio natus, in præsepio est reclinatus. Ille pretiosis inuolutus est sericis. Iste vilissimis pannis, & tamen ille contẽnitur. Iste quæritur, & suppliciter adoratur.*

In Infanti Sapientiæ.

Age anima exi de mundi contemtis Deo palatiis; limina osculare stabuli. Descende cum pastoribus de vanitatum collibus: & præsepe hoc mirare, venerare Sapientiorem Platone; argutiorem Aristotele, Angelis maiorem. Qui dicunt cum Ioann. 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenum gratia & veritatis.*

Vide, quantillus; qui orbem sustentat, ac gubernat omnia, tempora mutat & annos; regna transfert: mortificat & viuificat. *Oculi eius super gentes respiciunt.* Heb. 1.

In Restore præsentia.

II. Ecce tibi mutata, nouata omnia. 1. Nam Temporalitas vertit in æternitatem, seruitus in libertatem, mors in immortalitatem, humanitas quali in Diuinitatem, peccatum in gratiam, contemptus in gloriam, paupertas in affluentiã, infirmitas in robur transiit. 2. E contra: Deus in hominem, immortalis in mortalem, passibilem, finitum, &c. Creator in creaturam, & æternus in temporalem, Dominus in seruum, &c. Virgo in matrẽ & virginem: Anima in Deum transit: Deus *nouissime locutus est in Filio.* Heb. 1.

Ad tot

Mira in cõtingentibus.

Ad tot mira ista, quid mirum. 1. Orbem totum describi edicto Augusti? 2. Iani templum occludi, signum pacis vniuersalis? Prædictum hoc impleri necesse, Psalm. 72. *Orientur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis.* 3. Quid mirum, vetari ab Augusto; neu quis Domini sibi nomen arroget? 4. Magos aduolare, trepidare Herodem: Doctores oracula consulere, Pastores audire concentus Angelorum, bouem ac asinum agnoscere præsepe Domini: Vineas Engaddi florere: corruere idola: oracula obmutescere: soles tres apparere: Romæ fontem isse oleo, inque Tiberim influxisse; Magna hæc, At maiora illa superiora.

Mira in præfiguratam repræsentatis.

Istis paria hæc. 1. Adamum è terra virgine formari, hunc è matre Virgine nasci. 2. A sterili vetula Isaacum, *Gen.* 20. Iesum è virgunculà deuota progigni. 3. Rubum, *Exod.* 3. ardere, & non comburi. 4. Vellus Gedionæum, *Iud.* 5. irrorari, nec madescere.

3. Lata defunctis.

III. O Lætam diem hominibus, quod Redemptorem; Angelis, quod Dominum; Patribus in limbo, quod Messiam adepti sint! Quale gaudium Patribus, cum audiuere natum cunctis gentibus desideratum? Psalm. 10. *Vox exultationis, & lætitiæ in tabernaculis iustorum.* Adam clamat, Hic est Arbor vitæ. Noe, hic est Arca. Abraham; hic est Benedictio mei seminis. Iacob: hæc scala mea. Moyses, hic Rubus ardens. Isaias, hic Flos de radice Iesse. Daniel; hic lapis auulsus de monte. Omnes, Hic gaudium & expectatio plebis est.

Lata viuentibus.

Tu vero ó homo, non gaudeas, cuius natura eo vsque euecta est, vt ei se Angeli dein submissuri sint. Ecce vel ad pastores iam aduolant gratulatum, qui ante se adorari permisere à Patriarchis, Prophetis, Ducibus, Regibus. At posteà, se ab Ioanne adorari vetuerunt, Apocalyp. 19. *Caue. ne feceris, Conseruus tuus sum.*

Nimirum hoc erat, vnde Lucifer, inuidia stimulatur, coniurationem iniit infœlix. Legem enim tulerat Deus, in Cantico; *Adorent eum omnes Angeli eius.* No. Lucifer cum sociis. *Vt ringatur Satan.*

PERORATIO.

Lætandũ

I. EXultet orbis igitur, 1. quod, qui prius fuit *Lumen de Lumine*, iam *Homo factus est* de Virgine. 2. Noua Academiis Logica nascitur, *Homo est Deus*, & conuersa, *Deus est homo.* 3. Athenis Deus ignotus annunciabitur: 4. Romæ, virginem peperisse. 5. Ierosolymis, Messiam aduenisse, orbe toto, Deum natum esse. Iam illud templum Pacis Romanum occidet, quia virgo peperit. Nam in eius dedicatione consultus Apollo respondit, tum id interiturum, cum Virgo peperit. Teste Innocentio Papa III.

Compara. tio generationis æternæ cũ temporali.

II. Liquet nunc igitur, Filium Patri consubstantialem factum esse & mortalem, Naturas duas in vna Deitatis Persona hypostatice vnitas. 1. Sicque se hanc *ad extra* communicare humanitati, Sicut *ad intra* sese vna diuina essentia tribus Personis communicat. 2. In hac generatione ad intra Verbum est increatum, & Deus. In illa est incarnatum, ac Deus homoque simul. 3. Ibi Trinitas Creatorem, hic binitas naturarum in vnitate personæ constituit Redemtorem.

4. Ibi tres faciunt vnum; hic duo vnum. *Verbum caro factum.*

Imitandus ac sequendus est natus.

III. Hic ergo Fideles canite cum Angelis *Gloria*: inuisite cum Pastoribus: discite nouam Theologiam, humilitatem, paupertatem, &c. audite prædicatorem in cathedra præsepij.

1. Alexander Magnus, prodit. *Q. Curtius lib.* 5. Persidem subiugaturus, ob vim niuium retrocedente exercitu, ipse descen-

scensione facta ex equo, primus niuem inuadit pedes altam; trahit exemplum pudorq; cęteros, seseque penetrant. Iesus nostra inijt frigora externa, & interna: & fidenter sequi dubitabimus?

2. Ionatham per confragosa reptantem, saxa noctu in castra Philistęorum, suus puer assectabatur. 1. *Reg.* 14. 3. Armiger Saulis viso, quod Saul in gladium incumberet, & ipse in suum sese proiectum transadegit. Quid nos? Tam horrida non adeunda nobis: & stamus, pedem struimus? Quin in contraria alia omnia ruimus: ad vitia, superbiam, &c.

IN FESTO S. STEPHANI PROTOMARTYRIS.

Video cœlos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei.

Actor. 7.

NAboth, 3. *Reg.* 23. quod vineam maiorum suorum cedere nollet Achabo Regi impio; Iezabelis Reginæ astu reus agitur, & peragitur: Vt regis edicto fuerit lapidatus. S. Stephanus quod vineam Domini Sabbaoth, Ecclesiam prodere nollet, ab Synagoga damnatur, lapidatur.

Nos super ea

I. *De præstantia Martyrij.*
II. *De supplicio lapidationis, & Martyrum fortitudine.*
III. *De inuicto Protomartyrio Sancti Stephani.*
IV. *De visis cœlis apertis.*
V. *De intendente in cœlum.*
VI. *De orante pro lapidatoribus sui.*

PARS I.

De præstantia Martyrij.

Præstat id omnibus I. MArtyrium suâ & pretij, & præmij excellentia semper in Ecclesia fuit præ omnibus, & longe supra Confessorũ Virginumq; tropæa: teste *S. Th.* 1. 2. *q.* 112. *a.* 24. 1. Nam Ioan. 15. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Charitas dat pondus operi: sed nulla maior quam Martyrij: quod opere ipso diligit, dans animam, id est, vitam. Qua quid habet pretiosius homo? *Quam dabit homo commutationem pro anima sua?* 2. Quod si igitur, Matth. 16. *Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres &c. aut filios, aut agros propter nomen meum; centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Quanto magis, *qui perdiderit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodiet eam?* *1. Ob pretium vitæ.* *2. Charitatis.*

II. 3. Deus, *Gen.* 22. tanti fecit paratum Abrahæ animum ad immolandum filium, vt dixerit: *Per memetipsum iuraui: Quia fecisti rem hanc, & non pepercisti vnigenito tuo propter me; benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum, sicut stellas cœli.* At suam dare vitam per Martyrium, quanto maius id est? Ergo maius & præmium. Martyres sunt, qui Deo libere dicere possunt. Ps. 43. *Propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis.* *3. Obtemptum omnium.* *4. Obparatam minorum ad maius.* *1. Obedientia Abrahæ.*

2. Si Matt. 10. *Quicunq; potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ, tantũ in nomine discipuli; non perdet mercedem suam:* quanto certiorem is auferet, qui dederit sanguinem suum? Non vita pluris, quam eleemosyna? Dominus, quam discipulus? *2. Potus aquæ.*

3. Sephora, *Exod.* 4. vt viro in circumcidendis filijs tardanti, Deumq; offendẽti, vitam seruaret; raptim filios recutiuit, dicens: *Sponsus sanguinum tu mihi es*, quasi dicat. En, quam te diligam, vt nec liberorum sanguini pepercerim; te seruem: quare me redamato. Iustius id Martyres Christo dicent. *3. Factum Sephoræ.*

4. Si, Gen. 4. *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra* vindictam: vt eo clamore *4. Sanguis Abel.*

more Deus excitaretur. Quo magis excitabitur ad gloriam impertiendam clamanti sanguini ob generositatem, fidem, &c. in patiendo.

7. Ob fructum centupli.

III. Est ager hic mundus: Agricola Deus, qui seminat homines: sed in idem solũ cadunt non omnes. Alij enim *Matth.* 13. in latam idololatriæ viam cadunt; & ab harpyis deuorantur. Alij in petram obstinationis: hi exarescunt, vt Iudæi. Alij in hæresum spinas: hi suffocantur. Reliqui in terram bonam: & hi fructum afferunt, tricesimum Doctores: sexagesimum Virgines, centesimum Martyres.

Paulus se Apostolum Doctorum gentium, vas electionis, &c. nominare solebat: At post carceres, verbera, vincula, gloriosius nomen vsurpans, ait: Eph. 1. *Ego Paulus vinctus Christi.* Eph. 4. *Ego vinctus in Domino.* Ad Philem. *Paulus vinctus Iesu Christi.* Ita S. Stephanus meruit titulum Protomartyris hodie.

PARS II.

De supplicio Lapidationis, & Martyrum fortitudine.

I. *Eicientes eum extra ciuitatem lapidabãt.* Nullum isto crudelius supplicium Iudæis; & proprium blasphemorum. 1. Ita Leu. 24. *Educ blasphemum extra castra: & ponant omnes, qui audierunt, manus suas super caput eius, & lapidet eum vniuersus populus.* 2. Blasphemia grauior iis homicidio: par idololatriæ. Quia par vtriusque pœna. Audi leges. *Qui occiderit hominem; morte moriatur.* Seuera hæc: at seuerior de blasphemia ista. *Qui blasphemauerit Nomen Domini; morte moriatur.* Parum hoc. *Lapidibus opprimat eum omnis multitudo populi.* Par de idololatria. Leuit. 10. *Si quis dederit de semine suo idolo Moloch, morte moriatur, populus terræ lapidabit eum.*

Lapidationis supplicium olim grauissimum fuit. 1. Idololatrarum. 2. Blasphemorum.

Hodie iuramenta, sunt elegantiæ sermonis: sunt indicia magnanimi: sunt lætitiæ, sunt amicitiæ phrases: sunt sales ac lepores. Proh! Lapidatio talium vbi est? Tot in orbe non lapides sunt; quot blasphemiæ iaciuntur in Deum. Hoc vero est Deum lapidari.

Lapidatio item militare olim supplicium fuit. Sic Iosue *cap.* 7. obruit Achanum prædæ vetitæ lerichuntinæ reum. 3. *Fuit militum.*

Ad eandem damnabuntur & iniqui Exactores regij. Sic Aduram, 3. *Reg.* 12. superrationes Roboami constitutus, quod exhauriret populum, à populo lapidatur. Verbo: Lapidatio summum habebatur Iudæis supplicium. 4. *Depeculatorum.*

Vnde & Deus Israelitis vltima minatus per Ezechielem, *c.* 19. istam eis minatur ab hostibus euenturam. 2. Et Apostolus eam inter Martyrum tormenta sæuiora recenset. Heb. 11. *Ludibria, & verbera experti, insuper & vincula, & carceres; lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt.* 5. *Deo inobedientiũ.* II.

3. Ab lapidatione sibi metuebat Moses, vt eam ab Deo auerti precaretur: Exod. 17. *Quid faciam populo huic? Adhuc paululum, & lapidabit me.* 6. *Martyrum.*

II. Quo admirabilior in S. Stephano gratia fuit constantiæ, martyriumque gloriosius: qui tantum non ad lapidationem contraxit animum: Vt etiam *ei lapides torrentis dulces fuerint.* Vt furor lapidantium, robur esset lapidati. Non tot illi lapides populus, quot gratiarum vires ei Deus adiiciebat. *S. Stephano est* 1. *Dulce.*

Vere Psalm. 67. *Mirabilis Deus in Sanctis suis! Deus Israel ipse dabit virtutem, & fortitudinem plebi suæ.* 1. Est *Fortitudo* propria Martyrum. Ideo *Hebr.* 11. dicuntur *Fortes facti in bello* vitæ. 2. Quis lectulus ille Salomonis, *Cant.* 1. quem circumstant *LX. fortissimi ex Israel, tenentes gladios?* Status est Ecclesiæ: cuius Fortes sunt Martyres: quibus, vt excubitoribus, gladios dedit animosos Deus. 3. Ecce, *Cant.* 4. Similis Ecclesia turri est, septem propugnaculis, 2. *Cos fortitudinis.* *Martyres sunt fortes Ecclesiæ.*

septem donis S. Spiritus, munitæ: ex qua *mille clypei dependent, & omnis armatura fortium:* vt fides, constantia, patientia, castitas, &c.

Anteeunt cæteros exemplo fideles.

1. Israelitis Chananæos oppugnaturis mandat Deus; neruum virorum educi in campum. Num. 1. *Tollite summam vniuersæ congregationis filiorum Israel omnium virorum fortium ex Israel.* Idem in Ecclesia sua obseruat. Ipse delectum agit. 2. Iosue, *cap.* 1. Dux populi, monet fortissimum quemque præire alios, terramque inuadere promissam. Ita Iesus Dux, Martyres in acie nobis præstruit imbellioribus, vt primipilos.

PARS III.

De inuicto Protomartyrio Sancti Stephani.

1. Impauidus fuit.

I. EXemplum cape ex S. Stephano, per saxa, per dira præeunte, Martyrum ductore: derisorem ore mortis, ac tyrãnorum. Ecce tibi; vt Virgil. canit.

Veluti magno in populo cum sæpe coorta est
Seditio, sæuitque animis ignobile vulgus:
Iamque faces, & saxa volant: furor arma ministrat.

2. Inuictus.

Invnum omnes Stephanum: vincitur; palo astringitur, obruitur.

Sed nil agitis rabidi. Nam, 1.

Si fractus illabatur orbis,
Impauidum ferient ruinæ.

Mons hic Atho est, qui fulmina ridet. 2. Hic ille est, de quo Ierem 1. *Ego dedi te hodie in Ciuitatem munitam: & in Columnam ferream: & in Murum æneum super omnem terram. Bellabunt aduersum te; & non prævalebunt. Quia Ego tecum sum, dicit Dominus.*

3. Vicinior Deo, quo afflictior.

Vt Arca Noe *Gen.* 8. salus orbis, generisque humani seruatrix, quo procellæ surgebant altius ventique sæuiores, hoc illa cœlo fiebat propior. Similis Stephano in pelago lapidoso. Et quo vsque eueheris? *Video*, ais, *cœlos apertos; & Iesum stantem à dexteris virtutis Dei.*

4. Angelus in scala cœli.

Iacob, *Gen.* 28. vidit scalam cœlo terræque contiguam, sus deque scandi ab Angelis. Heri ea scala fuit demonstrata; cœlum Diuinitate, terram Humanitate contingens. Per eam Magni consilii Angelus Iesus, *Isa.* 9 descendit heri, hodie ascendit Angelus Stephanus. Nam *Intuentes omnes, qui sedebant in Concilio, viderunt faciem eius, tanquam faciem Angeli.*

5. Plenus gratia.

Eratis, quale Summi Pontificis Rationale, Sancta Sanctorum ingressuri. Ex puro id auro erat, præferens gemmarum ordines quatuor; in quibus nomina tribuum XII. Talis hic ad pectus Iesu, aureus totus charitate, & gemmeus charismatis. Ezech. 28. *Omnis lapis pretiosus ornamentum tuum, & in medio lapidum ignitorum ambulasti.*

Protomartyr. ad Steph.

II. Quod Iacob ad Ruben, idem Iesus ad Steph. Gen. 39. *Ruben primogenitus meus Martyrum.* 2. *Tu fortitudo mea* Ecclesiæ. 3. *Et principium doloris mei*; persecutionum. 4. *Prior in donis*: charismatum. 5. *Maior in imperio* cœlorum. 6. Vere Ruben, id est, *Videns filium*, is talis est. Ait enim. *Video cœlos apertos*, &c. 7. Quid ni de te accipiatur istud, Ps. 88. *Ego primogenitum ponam illum; excelsum præ Regibus terræ?*

Comparationibus minorum illustratur Inuasor primus.

1. Qui in oppugnatione primus scandit muros aut vallum, inuadit vrbem, vel castra: is præ omnibus laudem fert primam, ac honorem. Sic Ioab. 1. *Par.* 2. 9. primus in muros Ierosolymitanos euasisset, Dux fit exercitus. Annon *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud?* Horum primus est Stephanus.

1. Solymæ Ioab.

2. Maris rubri Aminadab.

2. Aminadab, 1. *Par.* 2. totius tribus Iudæ Princeps, quod primus mare rubrũ inuasisset, metuentibus cæteris antegradiens; Deus tribui eius regnum contulit, & sanctificationem. De quo Psal. 113. *In exitu Israel de Aegypto, facta est Iudæa sanctifica-*

ctificatio eius. Talis Step. in mare Martyrum primus. Idcirco *in memoria æterna erit iustus.* Et, *Ponam illum excelsum præ Regibus terræ.*

3. Dux Cerauum. 3. Cerui similis est, cæterorum per flumen tranantium ductoris, in cuius dorsum secundus cornua reclinans, alterius in alterius deinceps, sic flumen euadunt. Sic ad beatorum insulas Stephanum secuti martyres euaserant Ps. 65. *Transiuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.*

4. Martyrum primus. 4. In Lege naturæ primus martyr Abel. *Gen.* 3. In Mosaica, primus Achimelech, ab Saule cum LXXX. Sacerdotibus contrucidatus. 1. *Reg.* 22. Inter Prophetas, Zacharias. In Apostolis, Iacobus. Stephanus inter cæteros primus.

5. Victor leuis. 5. Celebratur Banaias, inter fortes Dauidis, 2. *Reg.* 23. quod solus inuasorem discerpsisset leonem manibus, in summo hyemis rigore. Laudabilior Stephanus; in frigore sæuissimo persecutionis victor mortis, & Satanæ: ac cœlorum effractor.

PARS IV.

De visis cœlis apertis.

Gratulatio de apertis cœlis. I. *Video cœlos apertos*, quasi dicat: Eia agite, mortales: Clausi ab an. 5000. cœli vltro se nobis pandunt; rupit repagula Iesus: remouit Cherubinum, romphæa horribilem flammea; custodem aditus paradisiaci: Numen iratum placauit; portionem nostri, nostram naturam ad Patris dexteram collocauit; se desinter Diuos nobis parauit. Huc inuitat; hic nos expectat; hinc nostra spectat. *Video* cœlos, Iesum, Angelos, Patriarchas, &c.

Visionis amplificatio à minori. 1. Parum præ hoc, quod Iacob vidit *Gen.* 28. Scalam, & Angelos: 2. Parum quod Iosue, *cap.* 10. solem stare iussit, ac vidit. Aliam vidit Scalam, ac Solem Stephanus, &c. 3. Si omnes Christiani, 1. Cor. 4. *Spectaculum facti sumus mundo, Angelis, & hominibus*, quale Stephanus hodie fuerit? Vidit, & visus est.

Visionis effectus. 1. Desiderium patiendi. II. Saxa inter crepitantia clamat. *Video cœlos*, quasi dicat: Agite dum carnifices strenui, ictus ingeminate, contendite vires, vitam mihi exturbate: Sepeliar saxis, vt fruar cœlis. *Video*, quod *non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Rom. 8.

2. Patriæ. Vt, qui diu iactati in Oceano denique terram procul prospiciunt, exclamant. Terra, Terra, Vt illi apud Virg.

Italiam, Italiam primus conclamat Achates.
Italiam socii læto clamore salutant.

Ita Stephanus portum salutis salutat: *Video cœlos, &c.* Enauigato salo, isthanc intrabo salutem.

3. Gaudium de salute. O gaudia, ô fœlicitas mea quanta? *Certus sum, quia nec mors, nec tribulatio me separabit à Christo.*

4. Inspiratio Christi ipsum animantis. Hunc dicere audio. 1. Stephane: *Per multas tribulationes oportet intrare in regnum cœlorum.* Act. 24. 2. Sustine tu, 1. Saxa, 2. secus pedes Saulis: Ego sustinui crucem, 2. inter latrones. Tu vides cœlos apertos, ego opertos caligine. Tu me stantem: at Patrem iratum ego. 3. Phocion, dux Athen. ab ingrata patria damnatus ad mortem, Tu dippum in eadem damnatione socium, sed animo fractum, sic affatur: *Non tibi satis est, cum Phocione mori?* Ita quasi ad Stephanum Iesus: Non tibi satis, cum Christo extra portas oppetere.

Visio visionum incõparabilis. III. Fœlix Stephane! Vides; quæ præcedentium nemo. Vidit Arcam Noe: Abraham Angelos: Iacob scalam: Moses rubum: Aaron Virgam: Gedeon vellus: Iosue solem stantem: Ieremias virgam vigilantem: Ezechiel Seraphinos: Daniel giganteæ vastitatis Virum: alii alia: Cœlos apertos nemo. At tu, ô priuilegium.

Prolepsis. Quid ais, Paule? 1. Cor. 2. *Nec oculus vidit; nec auris audit: nec in cor hominis ascendit quæ Deus præparauit diligentibus se.* Vidit Diaconus Stephanus. O oculum plusquam lynceum! Diuine ocule, quo te penetras? Vltra vndecimũ cœlum Empyreum. Nam *intendens in cœlum vidit gloriam Dei, & Filium hominis.*

PARS V.

De intendente in cœlum.

Suspectio cœli est salutaris, seu Cõtemplatio cœlestium.

I. BEata oculorum intentio! 1. Non alio diuerte; huc intende oculos. Ita Psalm. 121. *Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cœlis.* 2. Et Psalm. 120. *Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi.* 3. Ita Iesus Lazarum suscitaturus in cœlum intendit *Ioan.* 11. 4. Ita Mater Machabæorum natu minimum animabat. 2. Mach. 7. *Peto, nate, vt aspicias in cœlum: Ita fiet, vt non timeas carnificem istum.*

Animat. 1. Omnino hæc in cœlum suspectio Therſites mutat in Hercules: acerba reddit dulcia: impossibilia visa, fieri posse docet. 2. Hieronymus Eustochium Virginem Romanam huc vertit: *Præsentis*, ait, *laboris tibi ante oculos pinge mercedem; quam nec oculus vidit, &c.* 3. Huius scintillam duntaxat vidit Paulus: & exclamauit; Act. 9. *Domine, quid me vis facere?* An mundum temnere, fugere, mortes subire? &c. Tanti est, cœlestis gloriæ contemplatio? Cœlos illa videt apertos.

Cœli nec sunt scissi. II. Quid hic dicitis Philosophi? Cœline se didunt? Frangine queunt? *Solidissimi sunt cœli, & tanquam ære fusi.* Iob. 37. Sed quæ ista huc acies penetret? Quanta sit fissura oportet; cum sol tantus videatur esse tantulus? Quam color micans, vt videri queat? Esto: sint cœlorum corpora Diaphana: vt per quæ septena, etiã stellæ in firmamento nobis cõspici queant. Non tamen Stephanæa visio esse naturalis potuit.

Nec visu penetrati. 1. Erat, qualis Ezechielis cap. 1. *Cœli aperti sunt & vidi visiones.* 2. Qualis, Apoc. 4. *Ecce ostium apertũ est in cœlo.* 3. Qualis Matt. 3. in baptismo Christi; *cœli aperti sunt.* Ita se, suaque Deus simpliciorum accommodat captui. 4. Sicut in diluuio dicitur: cataractas cœli reseratas: vt vis pluuiæ significetur.

Sed imaginaria visio fuit impressa. Deinde Creator animarum, Dominus est potentiæ imaginatiuæ: huic exhibet quę vult in imagine: Ita Stephanæa visio imaginaria fuit: vt partes hiantes viderentur densiores; hiatus ipse rarescens perspicuus. Cuius artificii & pictoribus est vsus; dum fenestram, aut hiatum adumbrant. Ita Suarez de Baptismo Christi.

Sententiæ tres de visione. Apud Lyram tamen hic tres referuntur sententiæ. 1. *Aug. serm. 99. de diuers. Greg. & Nyss.* Visionem fuisse mentalem: qua adeo Deum ac Trinitatẽ viderit. 2. Fuisse imaginariam: impressis à Deo speciebus istis in mentem Stephani. Id q. Prophetis familiare. Ita *Tostatus* post multos. 3. Visionem fuisse corpoream, indita oculis viuacitas, vt eo se penetrare possent, videreque Iesum, vt Angeli videri solent. Ita *Caietanus* cum multis. Neque tamen Deum ipsum, ait, vidisse potuit. Quia *Deum nemo vidit vnquam*: sed claritatem, quæ Dei præsentiam includeret.

Quid sit Videre gloriam Dei. Ita Scriptura gloriam Dei visam exprimit per quiddam illustre. 1. Vt 3. *Reg.* 8. cum Templum repletũ esse Dei Gloria dicitur apparente fumo. 2. Itẽ *Exo.* 40. in Tabernaculo Moysis. 3. Item *Luc.* 1. de splẽdore pastorib. viso. 4 Vnde Hier. in Epist. ad Gal. l. 3. c. 5. *Significat in Scripturis*, vox gloria, *cum augustius aliquid, atque diuinius se præbet obtutibus.*

PARS IV.

De orante pro lapidantibus.

Ignoscendum. I. DOmine Iesu suscipe spiritum meum: Et ne statuas illis hoc peccatum. Gemina chari-

charitas hæc: Proximi, vt sui. Didicit ab Magistro: *Pater ignosce illis: quia nesciunt, quid faciunt.* q. d. Grande peccatum est, sed maior ignorantia: putant latronem quendam se morti addicere. Et adhuc quisquam inimicitias alet? *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros.*

Vindicta cupiditas est execrabilis.

Quo detestabiliora sunt odia, atque vindictæ. 1. Audi Iacob iam moriturum, Gen. 49. *Simeon & Leui fratres, vasa iniquitatis bellantia: in consilium eorum non veniet anima mea; & in cœtu illorum non sit gloria mea: Maledictus furor eorum, quia pertinax; & indignatio eorum, quia dura.* Quia Sichemitas trucidarant, auidi vindictæ. Iesus qua maledictione feriet similes illis?

Ergo Cor Iesum Deo offerendū.

II. Voluit Deus *Leu. 7.* in dedicatione Tabernaculi ab principibus tribuum argentea offerri acetabula: Quo nos iubemur Deo corda offerre irarum, odiique plena & acetosa; atque amore Dei remittere offensas. Prou. 23. *Fili, præbe mihi cor iratū, vt fiat placatum.* Relinque *mihi vindictam, & ego retribuam.* Roman. 12.

Cauendū odium.

1. Num. 6. Lex est: *Vir, siue mulier cum fecerit votum, vt sanctificentur, & se voluerint Domino consecrare; à vino & omni, quod inebriare potest, abstinebunt: acetum ex vino, & ex qualibet alia potione, & quicquid de vua exprimitur, non bibent.* Acetum nihil est Deo curæ: sed quod in pectore est acetum iræ; istud significabatur, ac vetabatur; quia rationem obfuscat, & euertit.

Exemplo Christi columbæ.

2. Dominus moriturus aceto potari se permisit; vt nostras aceti fæces exhauriret. At quot etiamnum sunt acetosæ spongiæ, scilicet animæ? 3. Non talis spōsus, *Cant.* 4. cui oculi sunt columbarum, queis nil fellis inest; non oculus toruus. Talis Stephanus.

Cæsaris.

4. Cicer. pro Ligario coram Cæsare, iam Dictatore, perorans, ait: *Nihil obliuisci soles, nisi iniurias,* quasi dicat: Vno hoc omnes victorias vincis tuas; ac tropæa: recipiendoque in gratiam omnes, Deo similis es. Stephanus quid non ignoscebat dicens: *Ne statuas illis,* &c.

Orandum pro male facienti bus.

Aristides præclare de patria meritus cum proscriptus exiret vrbe Athen. in exilium; flexis humi genibus orabat Deos suspiciens: neu hanc in se iniuriam vindicare velint. At Stephanus ad mortem etiam eiicitur, non tantum in exilium.

IN FESTO S. IOANNIS Euangelistæ.

Hic est Discipulus, quem diligebat Iesus. Ioan. 21.

IAcob, *Gen. 37.* in XII. filiis Iosephum, natu minimum maxime diligebat: Iesus Ioannem.

Circa quod nos

I. De gratitudine.
II. De S. Ioannis prærogatiuis nonnullis.
III. De dilecti nomine, & Accubitu supra pectus Domini.
IV. De Tutela Matris Iesu credita Ioanni.
V. De quæsito, Quid autem hic.
VI. De permanentia S. Ioannis.

PARS I.

De gratitudine.

Iustissimæ Deo grati, cui tribuūt omnia.

I. PRiscis sancta semper, solennisque beneficiorum Dei memoria colebatur. 1. Psalm. 65. *Venite, audite, & narrabo omnes, qui timetis Deum; quanta fecit animæ meæ.* 2. Ita & Iacob sciscitanti Esau ait, Genes. 33. *Paruuli sunt, quos donauit mihi Deus seruo tuo.* Bonorum dein partem offerens ait. *Accipe benedictionem, quam attuli tibi, & quam donauit mihi Deus tribuens omnia.* 3. At Esau seruus Deo nil attribuit. *Habeo,* ait, *plurima frater mi, tua tibi sint.* 4. Ioseph. Genesis quadragesimoquinto. *Deus fecit me Dominum vniuersæ domus Pharaonis, ac principem in omni terra Aegypti:* Non ait: Pharao fecit.

Secus impro bi.

Signis vtuntur memoria in prolibus.

II. Eidem *Gen.* 41. filiorum primo nomen indidit *Manasses*: id est: *Obliuisci me fecit Deus omnium laborum meorum*: Alteri *Ephraim*: id est: *Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ.*

In locis.

Exploratores duo *Iosuë*, *cap.* 2. adiurati ab Raab meretrice in Iericho, vt gratiam redhibeant olim; volunt signum memoriæ sibi fieri in loco accepti beneficij, fumiculum coccineum in feneſtra, per quam dimiserat eos. Ars bella memoriæ!

In monumentis.

3. Deus similem docet Israelitas, ad memoriam transiti Iordanis. Iubet Iosuæ, capit. quarto. *Elige XII. viros singulos per singulas tribus, & præcipe eis; vt tollant de medio Iordanis alueo, vbi steterunt pedes Sacerdotum, XII. lapides durissimos, quos ponetis in loco castrorum, vbi fixeritis hac nocte tentoria.* Ex XII. tribubus, non vna vult eligi viros, vt ostendat commune esse beneficium. Et lapides durisimos, non quosuis, vt perennet memoria.

In reliquiis.

4. Eadem de causa, *Ioan.* 6. colligi fragmenta iubet ex V. panibus, & duobus piscibus, quibus cibarat 5000. hominum.

In Actis.

5. Assuerus in somnis, *Esth.* 6. annales euoluit, vbi benefactorum sibi præstita recensebantur officia, quique nondum remuneratus erat, iubet compensari. In quibus & Mardochæus eximius Annales nostri Euangelium est. Hic quanta? At nos quam ingrati? 6. Tanto gratior Ioannes; gratitudinem suam hisce testatam relinquens. *Hic est discipulus, quem diligebat Iesus.*

PARS II.

De S. Ioannis Prærogatiuis nonnullis.

1. Euangelistarum est maximus. 2. Visu mentis acutissimus.

I. IOannes, frater Iacobi maioris, Zebedæanus; Apostolorum natu minimus, Euangelistarum erat maximus, Ezech. 1. *Facies Aquilæ desuper ipsorũ quatuor*: id est, Ioan. ait Aug. ho. 1. in Apoc. Greg. Mor. 31. c. 33 Hier. &c. Vt enim aquila nil fulmina metuit, solemque fixis intuetur; Ita Ioa. nil tormenta vlla, ipsam intuens Diuinitatem, & alios, & seipsum superauit. Bene Ezec. 17. *Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis, & varietate venit ad Libanum*, montem glorioſum Deum, *& tulit medullam Cedri*, Diuinitatem Filii protulit explicatiorem. O volatum!

3. Volatu scientia altissimus.

Ps. 17. *Ascendit super Cherubin, & volauit super pennas ventorum.* Vbi Aug. intelligit scientiæ altitudinem. Per Cherub. cum alis duabus, vtramque naturam Christi: Per pennas, Angelorũ & Apostolorũ, ac Philosophorũ scientias. Nimirum ideo doctus, quia *Hic est discipulus quem dil. Iesus.*

4. Doctorũ Deo doctissimus.

Dignus Magistro Discipulus! Iactet se Alexãder Aristotele Magistro. At *Beatus, quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum.* Ps. 63. Referũt Magistrũ Scripta. In Apocalypsi, ait *Hier.* tot esse sacramenta, quot verba. *Chrys.* ait etiam Angelos ab eo mysteria quædam didicisse. An idéo Marcus c. 3. eum filium tonitrui appellat, quod cœlesti; non humana voce loquatur? Consentit Ps. 76. *Vox tonitrui tui in rota*, Ezechielæa scilicet.

5. Prophetarũ sum. mus.

II. Doctrinæ par Prophetia fuit Ioannis. Apoc. 1. *Beatus, qui audit verba prophetiæ huius, & seruat quæ in ea scripta sunt.* Eminus videntes alii prophetarunt; at hic ex Prophetati pectore hausit.

6. Martyr quartum.

Martyr idem est quarto. 1. Sub Cruce. 2. Veneno propinato, & hausto. Quo impletum. *Calicem meum bibetis.* 3. Exul in Pathmo factus à Domitiano. Namque ad mortem ciuilem referũt I. C. exilium. 4. Suasu Tyanæi Magi Romam est euocatus, iussu Domitiani, & in oleum bulliens coniectus; sed *in oleum igneum demersus, nil passus est*, ait Tertull. l. de præscript. hær.

Quod autem vitam non violenter amisit, non ideo martyrium amisit. Nam Deus

Deus nunquam edit miracula in damnum alterius, atqui, Ioannem seruando innoxium à veneno. & oleo, affecisset damno erepti martyrii per miracula. Quin *Chrys. hom. 66. in Matth. & 27. in Ep. ad Gal.* ait promissum ei Martyrium istis fuisse. *Calicem meum bibetis.* Ad hæc aliis Apostolis, omnibus data Martyrii gratia, & huic vni, *quem diligebat Iesus* : negata fuisset ? Quædam hæc iniuria foret.

PARS III.

De Dilecti Nomine, & Accubitu.

7. Nomen Dilecti singulare est.

I. IAm nomen tale *Discipulus, quem diligebat Iesus*, cui vnquam simile? De Iesu, Heb. 1. *Tanto melior Angelis effectus, quanto excellentius præillis nomen hæreditauit.* Sed illud Ioannis post Hoc, & Mariæ, est omnium excellentissimum &c. O. delicium Iesu! *Dedit hic illi nomen, quod est super omne nomen.* Philip. 2. Profecto *Melius est nomen bonum, quam diuitiæ multæ.* Prouerb. 22.

Commune Ioanni cũ Christo.

Sed & commune hoc illi nomen cum Christo. Hic enim in V. T. sic audiebat: Psalm. 28. *Dilectus quemadmodum filius vnicornis.* Et, Cant. 4. *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Matt. 17. *Hic est Filius meus Dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite.* Ita & Ioannes.

Quia Amico.

Ratio. Quia *amicorum communia sunt omnia.* 1. Et Iesus quos amat; sibi similat. Ro. 3. *Quos præsciuit, & prædestinauit cõformes fieri imaginis filii sui:* Atqui iserat, *quẽ diligebat Iesus*, ergo. 2. Magni facta amicitia est Chusai cum Dauid, 2. *Reg.* 16. vt antonomastic῀s diceretur *Amicus Dauid.* Sed nihil ad Iesum & Ioannem. 3. Non iam de Rachaelis suauio Beniamino dic Moyses, Deuter. 33. *Beniamin amantissimus Domini inter humeros requiescet.* Nam Ioannes etiam *supra pectus* Iesu: Et Iesus super humerum Ioannis recubuit. Vere tale *nec oculus vidit, nec auris audiuit: nec in cor hominis ascendit.* 1. Cor. 3. Ioann. 9. *A sæculo non est auditum.*

8. Accubitus supra pectus incomparabilis.

II. O. amor, ô honor! 1. In vtero sanctificatus: educatus in deserto: maior è mulieribus non natus; & tamen adhuc corrigiam soluere Christi indignus? 2. Magdalena, *Luc.* 7. videre etiam metuens, ad pedes accidit retro. 3. Thomas *Luc.* 24. digito latus tangere veretur. 4. Petrus, Luc. 5. *Exi à me domine: quia homo peccator sum.* At Ioannes corpus totum sibi cum Iesu commune habet.

Erat quietis.

5. Sponsa gloriatur; Cant. 3. *Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Spiritalis iste amplexus est: at Ioannis etiam corporalis. Limites amicitiæ transcendit hoc: in sinu requiescere amici.

Doctrinæ.

6. Iacob, *Gen.* 28. indormiens lapidi, mira vidit: Mirissima Ioannes innixus Petræ. Hæc illi schola, & oceanus scientiæ.

Amoris.

7. Aquila, ait *Plut.* pullum cordatius amat eum, quem ex ouo ad cor viciniore exclusit, dum ouis incubaret. Ita Ioannem Iesus. Ideo & *sicut aquila prouocans ad volandum*, Deut. 32. ipsum euexit.

PARS III.

De custodia Mariæ concredita Ioanni.

Datur ea vni.

I. PAuca, quæ dixi, hominis cum Deo familiaritatis argumenta: At hoc omnem familiaritatem excedit, Deiparæ esse custodem, ac filium: Reginæ cœlorum asseclam esse primum, vt Tutorem, solenni testamento Crucis constitutum. Iesus Animam Patri; Mariam Ioanni cõmisit; idque in Cruce; vbi de summa rei agebatur tantæ. Quare ipsam quoq; circumduxit in Asiam secum. Vt liquet ex Epist. Conc. Ephesini ad Clerum Constantinopolitanum.

Vt fidissimo procuratori.

1. Ioseph, *Gen.* 39. ita gloriatur, & iuste. *Ecce Dominus meus omnibus mihi traditis, ignorat, quod habeat in domo sua, quod non in mea sit*

mea sit potestate. Quanto iustius Ioannes?

Pignus eximium. Figura. Prima.

2. Iacob moriens suum erga Ioseph amorem singularem istis testatur: Gen. 48. *En ego morior: & erit Deus vobiscum, reducetque vos in terram Patrum vestrorum. Et tibi do partem vnam extra fratres tuos: quam tuli de manu Amorrhæi in gladio, & arcu meo.* Ita suum amorem in Ioannem Iesus testatur data ei Matre: quam præseruauit à peccato Adæ per Crucem & Passionis meritum.

Secunda.

3. Ioseph, *Gen.* 44. in sacco iunioris Beniamini suum argenteum scyphum includebat. Atqui Rupertus ad istud Cât. 7. *Vmbilicus tuus sicut crater tornatilis, nullis indigens poculis*: ait, B. V. Mariam istum fuisse scyphum. Et ille in saccum quasi, inque custodiam Ioannis includitur.

Inde Ioannidignitas singularis.

II. Hinc Dignitas Ioannis est, quanta maxima. 1. Amã, *Esth.* 5. gloriatur: *Nullum alium Regina Esther vocauit ad conuiuium cum Rege præter me.* Ad Reginæ Angelorum contubernium etiam solum Ioannem Iesus. 2. Elisæo, 4. *Reg.* 2. maximi erat pallium Eliæ relictum ab rapto. Sed B. V. pallium fuit Iesu, ex qua suam Diuinitatem texit: sub quo vmbratur, ac meridionatur Ecclesia. Et hoc in suo raptu, in cruce facto, Iesus reliquit Ioanni, pignus amoris, ac honoris.

Vtilitas spiritalis.

1. Si igitur domui Obededom benedixit Deus, 2. *Reg.* 6. ob receptam Arcam: quid non Ioanni, annos XV. Deiparæ custodi ac nutricio? 2. Si Baptista in vtero sanctificatus fuit, ad vnam Mariæ salutationem, *Luc.* 1. Quid Euangelista ex tanta cohabitatione? Hic hominem lingua, vox, oratio, ratio deficiant necesse est: ad tantas gratias, & vel vnum istum Dei, Deiparæque amorem mutuum adumbrandum.

Auctoritas intercedendi.

Si enim ad solam Iosuæ vocem sol cursum stitit, *Ios.* 10. ad Eliæ verba ignis cœlo bis lapsus, 4. *Reg.* 1. Quæ vis erit vocis Ioannæ ad Iesum, vel Mariam, pro re quacumque? Si magna seruos Dei, si & Amicorum Dei auctoritas tanta: quanta talis Dilectæ?

PARS V.

De quæsito: Quid autem hic?

I. DIcente Iesu ad Petrum de futuro eius martyrio: *Sequere me*: id est, corporali passu, vt Theophyl. Vel, vt Theodorus Heracl. & Rupert. per viam crucis: Is de Ioanne subiicit: *Hic autem quid?* Quod varie accipitur.

Explicatio, Videtur esse curiositas Petri scire cupidi, quæ alium attinent. 1. Istud in se deplorat Psalm. 37. *Et lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum*: sed in aliorum est factis; ac vita. 2. Similes curiosi sunt oculo omnia tuenti, præter se: Ita in suis *oculos habent, & non videbunt, &c.* 3. Adam omnium creaturarum naturas penitissime peruidebat: sibi tamen aptum nomẽ indere nequibat. Similis curiosus. Sed alius: *quid ad te?*

1. Curiositas.

2. Explicatio. Quibusdam videtur sapere inuidiam, vel æmulationem istud *Hic quid?* quasi dicat: Ego ad mortem destinor: Hic an immortalis erit? Quid Petre? cum audis: *Pasce oues meas*: super omnes euectus; cur non item quæris *Hic quid?* Velles illum habere socium dolorum; & non honorum? Miser es hac parte: Nam *solatium est miseris habere socium in pœnis.* Vellet decaudata vulpecula cæteras sui esse similes.

2. Æmulatio fraterna.

II. Tertia. Nolim tamen notam æmulationis impingere S. Petro. Si enim in transfiguratione voluit socium gloriæ Moysen & Eliam; non se solum, *Matt.* 17. Quanto magis Ioanni non inuiderit gloriam? Proin ad fauorem potius interpretabor: *Hic quid*: q. d. Me Pastorem constituisti, & occidar: quid tunc ouibus fiet desertis: & hoc meo fratre tam dilecto.

3. Fauor Petri fraternus.

Dissi-

Vt Superiores pro inferiore soliciti.

Dissimilis mundanorum; qui ad honores prouecti, inferiores despectant. Quasi honores non dentur de cœlo: non ad inferiorum subuentionem.

Exemplo Ioseph.

1. Non ita Ioseph. *Gen.* 45. sed ait: *Pro salute vestra misit me Deus ante vos in Aegyptum.* 2. Eiusdem monuit Esthéram, iam Reginam effectam, Mardochæus: Esth. 4. *Neputes, quod animam tuam liberes: quia in domo Regis es. Si enim nunc silueris, per aliam occasionem Iudæi liberabuntur: & tu, & domus patris tui peribitis. Et quis nouit, vtrum idcirco ad regnum veneris, vt in tali tempore parareris?*

Esthera.

Natura.

3. Natura docet, minoribus subuenire maiores. Nec enim sibi ipsis creati sunt cœli, sed inferioribus, vt causæ generales. Item elementa, corporum maxima, sunt velut communes patres, & rerum officinæ. Ignis calorem, aer spiritum, terra victum, potum dat aqua: & sic *traditur miseris mortalibus ævum.*

Secus ingratus pincerna.

4. Pincernam Pharaonis rogarat Ioseph, Gen. 40. *Tantum memento mei, cum tibi bene fuerit: & facias mecum misericordiã: vt suggeras Pharaoni, vt educat me de isto carcere, quia furtim sublatus sum de terra Hebræorum, & hic innocens in lacum missus sum.* Ille contra, *succedentibus prosperis, oblitus est interpretis sui.* Non sic Ioannes, aut Petrus.

Omnium debitores sumus.

1. Cic. in offic. ait. *Non solum nobis nati sumus: sed ortus nostri partem patria: partem parentes, partem sibi amici vendicant.*

2. Imo vitam impendi vult Ioannes c. 3. pro proximo. *In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit: & nos debemus pro fratribus nostris animas ponere*, ad quantosuis honores supra alios conscenderimus.

3. Ita Sponsa in cellam vinariam introducta, & amore sponsi ebria; item & socias ad eius fruitionem inuitat: Cant. 8. *Egredimini filiæ Sion: & videte Regem.*

Petrus optat Ioan-

Similem hic Petrus charitatem ostendit in Ioannem. Quem pari etiam Martyrij corona secum optabat clarificari. *Hic autem quid?* q. d. Nunquid & ipsum ea dignaberis gloria: qui te non negabit; non fugiet à te; primus ad sepulcrum veniet, &c. Significat: quos amat Deus maxime, hos & castigari maxime; indicio amoris. 1. Psalm. 30. *Potum dabis nobis in lachrymis in mensura*: quæ est dilectioribus maior: minor minus diligentibus vel dilectis. 2. Vult Deus suam cum dilectis amicitiam sanguine firmari. Sicut *Exod.* 24. Moyses, ipsius iussu sanguinem fudit super aram: & eo populum respergens, ait: *Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum super cunctis sermonibus his.* Ergo *Omne gaudium existimate, fratres, cum in varias tribulationes incideritis.* Alii tamen sanguine tantum respergunter; vt Confessores; alii, vt altaria, immadescunt toti ab eo; Vt Martyres.

ni gloriam martyris.

Hoc maximum maximi amoris est signum.

PARS VI.

De permanentia S. Ioannis.

Iesus voluit Ioannẽ diu superuiuere.

I. SIc eum volo manere: vt Apostolis cunctis superuiuat: quasi dicat, post varia superata aduersa, nolo violenter eum extingui. 1. Vt Satrapæ Dauidi, ex prælio reuertenti, 2. *Reg.* 21. aiunt: *Non egredieris amplius nobiscum in prælium: ne extinguas Lucernam Israel.* 2. Vt enim Protoplastas diutissime viuere voluit Deus, proli propagandæ: ita Iesus Ioannem, consolandis Christianis, post sublatos Apostolos omnes. Tradunt enim historiæ annis, vno minus, centum vixisse Ioannem, solatio Ecclesiæ maximo. *Hier.*

Noluit eũ non mori.

II. Opinati sunt quidam, Ioannem viuere raptum, venturumque cum Enocho contra Antichristum. 1. Secundum sermonem, qui *exit in discipulos, quoniam discipulus iste non moritur.* 2. Nixi isto Angeli. *Apoc.* 10. *Oportet te iterum prophetare gentibus, linguis, & multis regibus.* 3. Et quia Dominus dixerat: Luc. 12. *Non transibit*

generatio hæc, donec omnia fiant. 4. Quia vt in Lege naturæ Enoch, in Lege Mosaica Elias; sic in Noua Ioannes esset inter non mortuos; sed translatos.

Sed mori voluit.

III. Attamen probabilius est, mortuũ esse, & vna cum corpore ac anima in cœlo regnare. 1. Quia opinationem fermonis istius refutat ipse: *Non dixit: quia non moritur.* 2. Psalm. 88. *Quis est homo, qui viuet, & non videbit mortem?* 3. Paulus: *Statutum est omnibus hominibus semel mori.*

PERORATIO.

QVare cuius *Apoc.* 19. esse conseruus voluit Angelus, Is & dilexit Dominum vsq; in finem. Nam Prouerb. 12. *Omni tempore diliget, qui verus amicus est.* Idem *in arduis* perfectionis *posuit nidum suum, in Petris* IESV manfit, & inaccessis rupibus Diuinitatis. Iob. 39. Ideo & IESVS *posuit eum, vt signaculum super cor suum* in æternitatem.

IN FESTO SS. INNOCENTIVM.

Herodes videns, quoniam illusus esset à Magis, iratus est valde, & mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus eius, à bimatu & infra.

Matt. 2.

DAuid, 2. *Reg.* 6. cum in natalem ciuitatem suam Bethlehem conduxisset Arcam; victimas, thimiamata, sacrificiaque plurima Deo obtulit. Ita vixdum Arca humanitatis Iesu in Bethlehem intrauerat; cum ecce victimantur infantes Deo.

Super quo nos

I. *De conatu Satanæ ad Messiæ aduentum impediendum.*
II. *De Ioseph monito, & fugam maturante.*
III. *De fuga ipsa.*
IV. *De infanticidio, & infanticidæ.*
V. *De cæsis infantibus.*

PARS I.

De conatu Satanæ ad Messiæ aduentum impediendum.

Odiũ primum, & æternũ Satanæ & Iesu.

I. NVllum fuit sæuius prælium isto, quod Iesum inter & Luciferum exarsit: Nec enim vllum acerbius odium ac immortalius. De quo Apocal. 12. *Factum est prælium magnum in cœlo.* 2. Idem recruduit in Paradiso, indeque ad homines transiit: Vti est Genes. 3. *Inimicitias ponam inter te, & Mulierem: inter semen tuum, & semen illius.*

Repræsentatum.

Qua de muliere, ac inimicitia. Apoc. 12. *Ecce draco magnus, rufus, habens capita septem, & cornua decem. Et draco ille stetit ante Mulierem, quæ erat paritura, vt, cum peperisset, Filium eius deuoraret.* Mulier est B. Virgo, amicta sole iustitiæ, charismatum stellis coronata; mundum sub pedibus proculcans: quam mille nocendi artifex persequi nunquam desistet.

1. Inde ab Creatione Angelorũ ortum.

1. Vtque Iacob & Esau vel in vtero se calcibus impetiuerunt; odiumque hoc cum vita produxerunt: ita ab ipsa natiuitate Iesu ac Satan. Imo, vt *Bern.* ait, ab ipsa creatione Angelorum; quando reuelata iis Christi Humanitate iussit Deus; vt *adorent eum omnes Angeli eius*: noluit Lucifer: eum sibi arrogans honorem Diuinitatis. Vel contra decretum Dei, iudicans indignum, Angelicam naturam subijci vnquam humanæ.

2. Conatus Satanæ ad Messiæ aduentũ impediendi.

2. Hinc, vt primum creatus homo fuit, adortus est Satan ipsum, ac supplantauit vnum; *In quo omnes peccauerunt, & mortui sunt.* Rom. 5. Nitebatur persequi in stirpe Iesum, corrumpendo genus humanum; vt IESVS ab hoc horreret.

Innuit

Innuit hoc Dominus, Ioan. 5. *Vos ex patre diabolo estis: & desideria patris vestri vultis perficere. Ille homicida fuit ab initio*, occidere Messiam desiderans.

3. Conatus. 3. Cumque hac non succe ssit, audiens *Genes.* 22. factam semini Abrahæ promissionem Messiæ; illud in Aegypto studet elidere, edicto Pharaonis in masculos natos, submergendos. *Exo.* 2. Sed extracto vel ex aquis Moyse, & is illi conatus in irritum cadit.

Quartus. 4. Ergo rursus alia tentat. Athaliam concitat Reginam, 4. *Reg.* 11. quæ Dauidis posteritatem exscindere conata perfecisset; ni Ioiadæ Pontificis ope manus sicariorum euasisset Ioas in Regem euectus.

Quintus. 5. Neque dum stetit furor. Multo post, *Esther* 3. per Amanum iam impetrabat Iudæorum ad vnum omnium internecionem. Cum ecce technam Deus vertit in alia omnia per Estheram.

Sextus. 6. Sed & aliam mox telam orditur Satan. Per Antiochum, semen Iacob, Machabæos in primis, qui è regia ac Sacerdotali descendebant linea, abolere laborat, aduentumque Messiæ prohibere. 1. *Mac.* 2. Sed Psalm. 32. *Dominus dissipat consilia gentium.* Et Prou. 21. *Non est sapientia, non prudentia, non est consilium contra Dominum.* Ista draco Satin?

Septimus. 7. Maiora audet sæuus, nato iam Messia: ipsaque acheronta mouet, opportunum sibi nactus in nefas Herodem infanticidam: Nam *mittens* hic *occidit omnes pueros, &c.*

PARS II.

De Ioseph o monito, & fugam maturante.

1. SVrge, & accipe puerum & matrem eius, & fuge in Aegyptum. Cur Angelus Ioseph o potius, quàm Mariæ apparuit? 1. An; ne tam atroci nuncio terreret eam, de quærendo ad necem Filio, ab Rege vicino, quem Orientales quæsierant adorare? 2. An, ne funesti esset nuncij baiulus, qui ante tam læti fuerat. 3. An, vt disceremus, Fœminis conuenire curam domus, rerum grauiorum, viro. 1. Non hoc quidem abs Apostolo ad Titum. 2. *Tu vero loquere, quæ decent sanam doctrinam.* Quæ? *Adolescentulas vt filios diligant prudentes, castas, sobrias, domus curam habentes, benignas, subditas viris suis.* 2. Ita lege veteri discretum fuit; dum cautum est: *Deu.* 22. ne mulier viri, nec vir mulieris vestitu indueretur. Similiter nec officio misceretur. Catonem in agone pœnitebat trium, 1. Quod diesaliquot exegisset otio. 2. Quod iter feciisset, mari: quando terra potuisset. 3. Quod vxori arcana quædam credidisset. Ergo Mich. 7. *Ab ea, quæ dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui.*

Vxor domũ curet. Vir cætera.

Secreta aque sibi seruet.

II. *Qui consurgens accepit Puerum, & Matrem eius*: eadem nocte, prompte vir obedientiæ: & curæ solicitæ nutritius abiit in Aegyptum. Non, vt Abulensis vult, paucis post diebus: Quod reculis suis ante disponere oportuerit. Et quod nocturna, repentinaque fuga notis ac vicinis eius scandalo esse potuisset. Sed dicit ista Tostatus, non docet.

Nocte fugit eadem Ioseph

1. Deproperata hæc fuga quas lacrymas, gemitus, curas ciuerit piæ Matri? O vices! 2. Paucis ante adorabatur à Regibus: iam Rex ei necem machinatur. 3. Vbi Pater? Vbi Potestates ac virtutes Angelorum? Deum fugere? 4. Hæc initia infantis? qualia se dabunt cætera? *Surge, accipe, fuge.* Omnia terrifica. Adeo nil pro tali Nato: in te, & causa, & tempore tali auxilij? Non dicitur, Fide, tecum ero. Solabor, opitulabor, tuebor, ductabo, robur dabo, &c. Nil horum.

Fuga mæstia.

Fuge in Aegyptũ. milliaria circiter LXX. *Longa.* ait Tostatus. Ibi peregrinatus est annis 7. aut 5. Nam anno 32. regni Herodis est

natus IESVS, anno 37. regni est mortuus Herodes: & reuocatus IESVS.

PARS III.

De fuga ipsa.

I. VErũ intuere noctu iter habẽtẽ IESVM; 1. Vt eo nos ducat, vbi nox nulla. 2. Iam verũ esse video, de te quod ais Ps. 101. *Factus sum sicut nycticorax in domicilio*: Ad noctem, illustrem luna, volant noctuæ. Talis es, Christe: Noctu nasceris: fugis, oras, 40. noctes ac dies ieiunas, nocte caperis in horto.

1. Fuga causa. 2. Nox.

Sed quæ vis ista, infantulum persequens? Num id Figuræ prodent? Ecce Moyses vixdum natus, ad necem a Pharaone deposcitur; in profluentem abiicitur. *Exod.* 2. Ergo sic fata ferunt.

3. Figura.

At ô Virgo, quid agis? quid cogitas, & quo? 1. Iacob, Gẽ. 44. vel XII. filiorũ pater, Beniaminum vt in Aegyptum ducerent X. fratres, sub data fide reducendi, infimis precibus vix adigi quiuit: Et tu tam promta pares? 2. Recordare qualem Patres seruitutẽ seruierint in Aegypto quo tendis. 3. Ibi suffocati infantes. Ibi idola, & lerna & barathrum impietatis, &c. 5. Quo tu ibis, poterit eodem te consequi Herodes.

4. Grauamina dissuasoria.

II. Sed facessant ista. Facere iussa didicit; non discurrere Virgo. Fidit iubenti & fugit. Impleri ista, in fatis erat. Psalm. 54. *Ecce, elongaui fugiens, & mansi in solicitudine.* Et Ose. 2. *Ex Agypto vocaui filium meũ.*

5. Vaticinia

Et fugæ isthuc ratio subest. 1. Aegyptus olim percussa plagis Magni egebat Aesculapii illius medici visitatione, sanitati reciperandę. 2 Clades primogenitorum ipsius vnius erat *primogeniti in multis fratribus* substitutione resarcienda. 3. Tenebris cimmeriis vexatam, iam Sole iustitiæ recreari oportuit.

6 Probabilitas.

4. Hieronymus tradit, ad ingressum idola corruisse pleraque. Id quod prædictum, Isa. 14. *Dominus ascendet super nubem leuem, & ingredietur Aegyptum, & commouebuntur omnia simulacra Aegypti à facie eius.*

7 Euersio idolorum.

Sic oportuit, Figuris præmonstrantibus. 1. Arca, 1. *Re.* 4 in terram, ac templum inuecta Philistæorum, Dagon cecidit obtritus. 2. *In exitu Israel de Aegypto* nulla fuit sine clade domus: ita in Christi ingressu nullum fanum, idolum nullum sine clade. Ita *Orig. Cyrill. Athan. Hier.* Fuga igitur Christi stragem intulit idolis Aegypti.

Fuit illa quoque similis fugæ Dauidicæ, 1. *Reg.* 16. Ille vrbem Naioth inijt, vt obsidione liberaret; sed mox inde subducere se coactus, Saule persequente. Ita Iesus è cœlo descendit in orbem, vt eum liberaret: at mox in fugam agitur, Herode persequente.

8. Similis Dauidica.

III. Sed tu IESV cædem fugitas tui, & infanticidia multiplicas. Itan' Dux de prę lio? Quin primum in acie oportuit stetisse. 1. Tun' ille Dux promissus, Isa. 55. *Ecce testem populorum dedi eum, Ducem ac Præceptorem gentibus.* 2. Tun' affirmabis olim de te: Ioan. 10. *Ego sum Pastor bonus. Bo. Pa. animam dat pro ouibus; Mercenarius autem, & qui non est pastor, videt lupum venientem, & fugit: quia mercenarius est.*

9. Fuga ea indecora similis.

Nimirum, quod fortis ac prudentis est Ducis, hoc agis: Videt peditatum in conflictu laborare; se mox subducit vel ad Triarios, vel ad equitatum, vt hos sufficiat, reuersus fortior ad salutem cæterorum, & omnium victoriam. Esto cadant interea aliqui; morte gloriosa cadunt. Et tu quantos dein triarios, principes, Apostolos, Martyres, Doctores, Virgines ductasti, ac in prę lium suffecisti? Iam verum ac salutare Demosthenis illud, è prælio fugientis, & fugam exprobranti dicentis: *Vir fugiens iterum pugnabit.*

At decebat & conducebat.

PARS

PARS IV.

De infanticidio, & Infanticida.

1. Cædis prophetica lamentatio.

I. HErodes illusus, iratus est valde, &c. Heu, rabie efferascentis incendiū quantum sanguinis fluuium hauriet? 1. Exhorruit ad id Ieremias, cap. 9. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei?* 2. Idem de barbarie, ab Chaldæis in Ierosolymitanæ vrbis vastatione designata, sic Thren. 1. *Defecerunt præ lachrymis oculi mei, conturbata sunt viscera mea, cum deficeret paruulus, & lactens in plateis, cum exhalarent animas suas in sinu matrum suarum.* Quanto magis isthoc deplores infanticidium in tali pacis tempore vniuersalis? In causa tali Saluatoris? &c.

2. Cæsorum multitudo.

II. Certe Græcorum Menologium hodie memorat triginta millia interfectorum. Quæ par vnquam vsquam facta clades infantum legitur? 2. Certius Ioannes in Apoc. 14. *Ecce Agnus stabat supra montem Sion: & cum eo centum quadraginta quatuor millia habentes Nomen eius, & Nomen Patris eius scriptum in frontibus suis.* At illi qui? *Et audiui vocem: Hi emti sunt ex omnibus Primitiæ Deo & Agno: & in ore eorum non est inuentum mendacium, sine macula enim sunt ante thronum*, hoc est, Innocentes sunt infantes. 3. Ita & quondam Rex Iudæorum Manasses, 4. Regum 1. *Impleuit Ierusalem cruore innocentum.*

3. Cæsoris execratio.

III. Quin exclamem cum Iacob, (audita cæde, quam filii Simeon & Leui in Sichem ediderant.) Gen. 34. *Maledictus furor eorum?* 2. Sane Augustus Cæsar, audita cæde, in qua & proprio filio non pepercerat; iocans dixit: *Herodis porcus, quam filius esse malim.* Teste Macrob. lib. 2. Saturn. c. 4.

Similes Abimelech.

3. Abimelech, Gedeonis filius, quod 70. fratres suos occidisset, regni perdendi metu, in dirum odium Sichemitarum incidit: vnus tamen fratrum Ioathas cædi subtractus superuixit in spem regni. Quanto Herodes dignior est odio.

Et Draconi Apocalyptico. Tyranni frustratio.

4. Impletus est furor draconis, *Apocal.* 12. & parturientis mulieris clamor, id est, Ecclesiæ.

Nihil tamen agis; ô impie! Figuræ prædocuere aliud. Vetuit lex, *Exo.* 23. hœdum occidi, quam diu sugeret. Id Doctores de Iesu accipiunt, non in pueritia occidendo. Sic *Aug. q.* 90. *in Exod.* D. *Th.* 1. *q.* 102. *a.* 6.

4. Cædis occasio.

IV. Interea tamen propter te, Iesu, vti ob Ionam mare ingressum, hæc cietur tempestas. Ille demersus sedat eandem, *Ionæ.* 1. Te quid fiet? 2. Num, quod Ps. 68. *Veni in altitudinem maris*, huius mundi è cœlo, *& tempestas demersit me?*

Et Martyrij denunciatio.

At prius sentit orbis, quam audiret ex ea, verissimum illud: Io. 12. *Non veni pacem mittere: sed gladium.* 1. Nam ex eo cœpere martyria: cœpit *regnum cœlorum vim pati.* 2. Enimuero *Posuerunt* sicarij herodiani *morticina seruorum tuorum* Innocentium *escas volatilib. cœli, carnes Sanctorum tuorum bestiis terræ: effuderunt sanguinem ipsorum, tanquam aquam, in circuitu Bethlehem: & non erat, qui sepeliret* Ps. 78.

Cæsi Deo grati.

Sed tu Deus, dixisti, 1. Mich. 7. *Præcoces fructus desiderauit anima mea.* 2. Atque tametsi fuerint impij, qui Psalm. 103. *Immolauerunt filios suos dæmoniis, & non Deo:* Iam tamen *Innocentes & recti adhæresunt tibi:* Psalm. 24. 3. Iam dixi, & factum est, Matth. 19. *Sinite paruulos venire ad me: talium est enim regnum cœlorum.* 4. Atque *Hi sunt, qui sequuntur Agnum, quocunque ierit.* Apoc. 14.

PARS V.

De ipsis cæsis infantibus.

Cæsi infantes sunt Ecclesiæ Antes

I. HOdie prima Ecclesiæ iacta fundamenta sunt. 1. Prædixit Isaias 54.

Paupercula, tempestate conuulsa, & absque vlla consolatione, ecce, ego sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in Sapphiris. Erat tunc Ecclesia pauperrima, & simul conuulsa ab Herode: absque consolatione: nam fugit Consolator.

2. De Sapphiro scribit *Plin. lib. 37. cap. 9.* quod cœli colorem imitetur: aureis venis ac notulis interpolatus. Ita Innocentes colorem martyrij sunt mutuati è cœlo: id est, Dei dispositione, non sua voluntate sunt martyres facti.

Sunt primus fomes sacri ignis.

Neque solum in Ecclesiæ domo antes illi, seu lapides fundamentales fuerunt: sed & ignis in ea sunt fomes primus. Nam cum necesse esset, quod edixit dein Iesus, Luc. 12. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi vt ardeat?* Huic excitando palea, è lignellis minusculis opus erat: Infantulis martyribus dein grandiora adijci poterant capita Apostolorum, Paparum, &c. Qui ignis ex tantulo cœptus, in quantum exarsit incendium sub Domitiano, Nerone, Decio? &c. Ex Herode cane rabido, quot catuli?

Herodis figura.

11. Fuit is Hazaeli similis, quem Elisæus ad se, ab Benedad Rege infirmo, cum onustis auro camelis, missum deplorauit. Cui seruus Hazael, 4. Reg. 8. *Quare Dominus meus flet?* Et Elisæus, *Quia scio, quæ facturus sis filiis Israel mala. Ciuitates eorum munitas igne succendes, & iuuenes eorum interficies gladio, prægnantes diuides.* Cui Hazael, *Quid enim sum seruus tuus canis, vt faciam rem istam magnam?* Nonne canis Herodes? Et qui rabiei stragem non defleat? O furibundam tygridem.

Cædis prosopopœia.

1. Vidisses micare sicas; cruentas manare tabo, vultus spirare cædes; carnifices sanguine conspersos, nudare cunas; spondas, matrumque sinus cruentari, illiditerræ, laniarique pusillos: prægnantum ventres effringi ferro, fœtus effundi, obteri calcibus, &c. Audisses, quod Ier. 31. *Vox audita in Rama est, ploratus & vlulatus, &c.*

2. Si matri illi 3. *Reg.* 3. commota sunt viscera, audito de secanda prole: quæ in tanta cæde commotio fuerit? Nonne hic, quod ibi, auditum: *Obsecro Domine, date* Herodi *infantem viuum, & nolite interficere.* *Illustrata exemplis.*

3. Agar, *Gen.* 21. ancilla Abrahæ, deficientibus ei in deserto, quibus Ismaelem aleret, commota ait: *Non videbo morientem puerum: & sedens contra leuauit vocem, & fleuit.* Quid hodie factum autumas?

4. Sacrificuli, dum idolo Molech infantes immolabant, tympanis ac fistris perstrepebant, vt eiulatus auditum parentibus eriperent. 1. *Reg.* 25. 3. *Reg.* 11. *Iere.* 32. *Hic* nil tale solatij.

Apostrophe ad ieos.

111. Fideles ô animulæ, corpuscula tenellula:

Quæ lucis ipso in limine,
Ceu turbo nascentes rosas,
Christi insectator sustulit!

Felices, qui vix egressi portu, portum inuaditis citeriorem. Vere Martyres. Nam vt defuerit voluntas; quam ætatula negabat: non tamen corpus defuit & sanguis. *Non habebatis,* ait Augustinus, *ætatem, qua in passurum Christum crederetis: sed habebatis carnem, in qua pro Christo passuro passionem sustineretis.* Vobis datum est cito; quod sero paucis. Felicitas præuertit ætatem. *Vere Martyres.*

Neque tamen putandum, ijs præcox infusum cœlo fuisse iudicium senile. Veteri quosdam opinatores refutat *S. Thom. 2. 2. qu. 124. a. 1. ad 1.* Nam Deus id suppleuit vt in baptismo fit, ex opere operato Martyrij, non operantis passi. Capiti Iesu intendebatur ictus: vos vt brachia vos obiectastis. Tu vero Iesu vere dicas licet, Psal. *Pauper ego sum, & in laboribus à iuuentute mea.* *Deo quod deerat supplente,*

Perora,

Perora, anacæphaleosi pathetica instituta.

DE S. GENOVEFA VIRGINE PARISIENSI.

Simile est regnum cœlorum X. Virginibus, Matth. 25.

HOlophernes, *Iudith.* 2. & Assyrii ad multiplicem oris, animiq; gratiam in Iuditha obstupefacti aiebant: *Non est talis mulier super terram in aspectu, in pulcritudine, & in sensu verborum, &c.* S. Germanus Præsulum Galliæ præcipuus Præsul Antisiodorensis, idem de S. Genouefa dictum S. Spiritus instinctu vsurpauit, ad virtutum eiusdem intuitum. Nec posteri aliud censuerunt, quotquot in vitam eius ac miracula penitius introspexerunt. Adeo, qualis in Iudæa fuerit Iudith ab & vitæ sanctimonia, & patriæ defensione; talis in Gallia S. Genouefa, & Parisiorum conservatione: hocq; illa superior, quantum virgo præ vidua.

Nos de ea

I. *Ventricolæ Virginimastyges, quæ effutiãt.*
II. *Parthenica Virginitatis & Castitatis præconia, quæ asserant.*
III. *Exempla honoratæ Castitatis, quæ demonstrent.*
IV. *S. Genouefæ laus & Virginitas, quæ prædicent.*
V. *Eius virtus quanta Lutetiæ & Galliæ præstet.*

PARS I.

Ventriculæ virginimastyges qualia effutiant.

Sunt fœda hominum infecta.

I. VTerucæ, bruchi, insectaq; alia pestes hortorum, fœtentes insessitant herbas, & flores castos naturali quadam inuidia taminant, arrodunt, extinguunt. Ita impij seu Ethnici, seu Christiani, Ecclesiæ pestes, spurca voluptatum sectantur, & cœnosa volutabra porci Epicuri, cadauera Corui: atmores castos, sanctaq; alia dire impetunt sic, vt vel extinguere, vel obscurare nitantur; aut rosas in algam, violas vertant in vrticas, *dicãtque bonum malum, & malum bonum.*

Et 1. Ethnici Cœlibatum damnant.

Si quidquam; certe virginitatem infestarunt in Ecclesia. 1. Inter Ethnicos primipilus Hermes Trismegistus scil. *lib.* 9. cuius illa calami venena sunt. *Maxima in vita, & pijssima cura est prudentibus filiorum procuratio: & maximum infortunium & impietas est, sine filiis aliquem ex hominibus excedere. Et pœnas iste dat post mortem dæmonibus, &c.*

Et mulctant.

2. Plato, iuratus hostis Cœlibatus, ita sanxit, lib. 6. de Legib. *Si quis in cœlibe vita ad annum 35. perdurarit: damnis & multa quotannis plectitor: si de maximo censu est, drachmas 100. &c. Si quis singulis annis mulctam non soluerit, decuplum debeto; omnino nullum honorem iuuenes illi debent, &c.* 3. Testis *Dion lib.* 4. & 56. Augustum Cæsarem, Veneris mystã, cœlibes multasse, præmia decreuisse vxoratis. Sic Ethnici.

2. Hæretici eumdem damnant.

II. Hæretici diriora: 1. *Nicolaus Diaconus*, ajunt Irenæus, Epiph. Aug. *dicebat; Nisi quis venerem singulis diebus exerceret, non posse eum vitæ æternæ participem fieri.* Vah! Istis cœlũ voluptatib. deberi. De Nicolaitis Ioannes *Apoc.* 2. Gnostici, ab promiscua venere infames hæretici, castitatem adeo etiam Diris dirius execrati; teste *Epiph. Hær.* 26. continentes sannis excipiebant.

3. Eunomius, mulus voluptarius, virginitati matrimoniũ anteferens immensum, monachos & monachas, ipse prior excucullatus, è sanctimonia in omne nefas seducebat *Hier. in Oseæ* 4. *Aug. lib. de hæresibus hæresi* 54.

Vti hæresim.

4. Vigilantius istis brutalitate nequior, *dixit*, ait S. Hier. aduer. Virgin. cap. 1. *Continentiam hæresin, pudicitiam libidinis seminarium: Virginitatem impugnavit; nullique pudicitiam credidit.*

iabolicã

Faust⁹ Manichęus: teste *Aug. l.* 30. *c.* 4. *cõtra*

Fau-

Fauſtum: Virginitatem etiam dæmoniorum eſſe doctrinam aſſerebat.

Impoſſibilē aſſerunt. 6. Lutherus, Epicuri de grege porcus, Epiſt. ad VVolfgangum Caſtitatem ſic proſcribit. *Votum Continentiæ, contra Verbum & Opus Dei ſuſceptum, vt impoſsibile & impium, nullius momenti eſt. Deus reprobat illud, non ſecus, ac ſi vouiſſem Dei matrem me velle fieri; aut nouum cœlum condere velle, &c.* 2. Idem Lib. de Vita coniugali dicit; ceu edere, purgare aluum, &c. neceſſarium: ita & coire: *Vt in poteſtate mea non eſt, ne virſim, ita nec, quo minus cœlebs viuam.*

Antichriſtianam. 3. Idem lib. cont. Catharinum ait: Decima facies *Antichriſti eſt inſignis ille Cœlibatus Papiſticus: plane angelica facies; ſed diabolica res.* 4. In Coll. germ. de vita Coniug. ait: *Ego prius, quam matrimonium ineram, omnino ſtatueram, ſi forte citius mori me contingeret, vel in ipſo articulo mortis velle cum aliqua puella contrahere ſaltem ſponſalia.*

III. In Priapos iſtos, ſueſque lutulentos S. Io. Damaſ. l. 4 Fid. Orthod. c. 25. ait: *Virginitatem Carnales homines inſectantur*, nequitiam iſto Deut. 25. velantes: *Maledictus omnis, qui non ſuſcitat ſemen in Iſrael.* At Domino etiam tanti Virginitas eſt, vt dicat Matth. 25. *Simile eſt Regnum cœlorum X. Virginibus*: qualis S. Genoueſa.

PARS II.

Parthenica Virginitatis & Caſtitatis præconia.

Virginitas admirāda. I. VOx Conc. Gangrenſis eſt: *Nos autem Virginitatem cum humilitate admiramur.* Et vero ea quid eminentius? Virtutum flos, flos Eccleſiæ eſt & corona. Hanc ei tolle; iam in ſqualore ac pædore iacebit: Hanc redde; iam nec cœli gloria cuiquam rei ſimilior fuerit, quam *X. Virginibus.*

Similis cœlo & martyrio. Præcelſa Martyrum eſt gloria, par, aut celſior Virginum. Exo. 26. *Facies & operimentum aliud tecto* cœlorum, *de pellibus arietum* Martyrum *rubricatis* ſanguine fuſo: *Et ſuper hoc rurſum aliud operimentum de pellibus Ianthinis* Virginum niuea puritate, cum cœleſti ceruleo miſta.

Superior Angelis. Earum enim *Conuerſatio in cœlis eſt*; Angelis altior. Quippe Pſ. 44. *Aſtitit Regina* Virginea Eccleſia *à dexteris tuis in veſtitu deaurato*: ac ne dubites de Virginibus dici, addit: *Adducentur Regi Virgines poſt eam, & proximæ eius afferentur tibi*: En à Chriſto primas Eccleſia, ſecundas habent *Virgines*: porro tertias *Proximæ*, ſc. viduæ, & nupti, nuptæque: ut S. Hier. intelligit.

Eſtea, primitiæ Chriſti ſponſi. 1. Bene ergo Virgines *Apoc.* 4. dicuntur *Primitiæ Deo & Agno*; qui *ſtabat ſupra montem Sion* altiſsimæ perfectionis; & *cum Eo* 144000, *habentes nomen Nouum* Chriſti ſponſi, *& nomen Patris eius ſcriptum in frontibus ſuis, &c.* Ecquod iſtud myſterium? *Hi ſunt*, ait, *qui cum mulieribus non ſunt coinquinati*: VIRGINES *enim ſunt: & ſequuntur Agnum, quocunque ierit: Hi emti ſunt ex omnibus* PRIMITIAE DEO & Agno, &c.

2. Quem primum ex humanæ redemtionis arbore fructum carpſit Ieſus, *Virginitas* erat. Hæc redemtorem genuit: hic dein cum Matre utrique ſexui autor extitit *Virginum* pene prius, quam Chriſtianorum.

A Chriſto laudem accepit & benedictionē. Ab IESV audire bene cœpit *Virginitas*, ante maledicta etiam per Legem. Hinc Iephte Filia, Iud. 11 *Dimitte me*, ait, *vt duobus menſibus circumeam montes, & plangam Virginitatem meam cum ſodalibus, &c.* Chriſtus maledictionem vertit in benedictionem; atque fecit Virginitatem ſuæ Deitatis templum.

Entomia SS. Patrū. Eſt templū Dei. II. Hinc 1. S. Ambr. 1. Offic. *Quanta eſt Virginitas gratia, quæ meruit à Chriſto eligi vt eſſet corporale Dei tēplum, in qua corporaliter habitauit plenitudo Diuinitatis? Virgo*

genuit

genui te mundi salutem. 2. S. Athan. l. de Virginit. *Ingens glorificatio puritas: O Virginitas opulentia indeficiens, corona immarcessibilis; templum Dei; margarita pretiosa, &c.*

Est holocaustum. 5. Hier l. 1. cont. Iouin. *Grandis fidei est, grandisque virtutis, Dei templum esse purissimum, totumque se holocaustum offerre Domino, &, iuxta Apostolum, sanctum esse corpore & spiritu.*

Est Martyrium & apex virtutum. Radulphus Ardens ex S. Hiero. *Culmen*, ait, *omnium virtutum est Virginitas; utpote quæ omni virtute, omni merito, & Martyrio cumulatur. Quæ enim maior est virtus, quod meritum maius; quam viuere in carne non secundum carnem; quam esse in igne, & non ardere? manere in luto, & non contaminari: & inter malitias huius mundi angelicam ducere vitam? Quod martyrium maius, quam seipsum crucifigere?*

Est cognata Angelis. Similia certatim SS. Patres. summatim S. Cypri. lib. de Virginit. *Virginitas*, ait, *est soror Angelorum, victoria libidinum, regina virtutum, possessio bonorum omnium; flos est ecclesiastici generis, decus atque ornamentum gratiæ spiritualis, illustrior portio gregis Christi.*

Est immortalis. 1. Bene *Bernardus* ait, solam Virginitatem in hoc mortalitatis loco & tempore quendam immortalitatis locum detegere, 2. Illustrius *Doctor Angelicus* docet Virginitatem esse perpetuam incorruptionis meditationem in carne corruptibili: i. stabile propositum. 3. Est ergo vt balsamus, corpora à corruptione defendens, & suauissime redolens. 4. *O Castitas*, exclamat S. Ephrem. *quæ homines Angelis similes reddis.*

PARS III.

Exempla honoratæ Castitatis.

Virginitatis Castitas honorat hominem. I. FElices, Castitatis adstricti vinculis! Honor eorum quantus? Ps. 48. *Homo, cum in Honore esset, non intellexit; comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis* in concupiscentia carnis. Hinc, Ioel. 1. *Computruerunt iumenta in stercore suo.* S. Greg. in Ps. 50. *Computrescere*, ait, *iumenta, est carnales homines in fœtore luxuriæ finire vitam.*

Eam Deus honorat vita mortali contra enses. At Virginitas Deo est ut cordi, ita & curæ, ut eius protectori. 1. Ita enim Israelitas iussit de Madianitis, Num. 31. *Cunctos interficite: puellas autem & fœminas omnes Virgines reseruate.* Quia, ait ibi Oleaster, *Accepta fuit semper Domino Virginitas.* 2. Simile Iud. 21. *Hoc est, quod obseruare debetis: Mulieres, quæ cognouerint viros, interficite; Virgines autem reseruate.*

Leones. 3. Quid, quod Deus Virginitatem miraculorum quoque dignatur honore? Damascenus l. 4. de fide. c. 25. *Danielis*, inquit, *corpus ita Virginitate obduratum, ut leonum dentes illi infigi nequiuerint.* 4. Eadem quoque illæsos præstitit tres in fornace Babylonica pueros. *Ignes.*

In Ethnicis etiam. Vel ethnicis Sibyllis vnde Prophetiæ gratia? 1. S. Hiero. tom. 2. l. 1. contra Iou. *Quid referam X. Sibyllas: quarum insigne Virginitas est; Virginitatis præmium Diuinatio?* 2. Subiicit ibidem de Claudia Romana; quæ suspicioni pudoris violati refutandæ, nauim in Tiberinis hærētem breuibus sua zona ad ripam pertraxit sola: nec pluribus vi vel arte motabilem.

Ac Iudæis. Ibidem idem, *Moyses*, inquit, *moriens plangitur à populo Israel; Iosue autem victurus non plangitur: Nuptiæ enim finiuntur in morte: Virginitas post mortem incipit coronari.* Cœlebs vixerat Iosue: ideo mortuus ad coronam euocabatur non plangendus.

Est fundamentum Ecclesiæ castitas, &c. 11. Quale, quod S. Epiphanius in Compend. doctrin. fid. Cath. prædicat? *Ecclesiastici Ordinis*, inquit, *veluti fundamentum est sancta Virginitas.* q. d. Sacerdotii eminentia, Sacramentorum Sanctitas, Maiestas Diuinorum, Ecclesiastica dignitas

in virginitate subsistit nixa & fixa.

Est nota Ecclesiæ. S. Atha. in Apologia ad Imp. Constantium, tria prædicat: 1. Virginitatem esse donum, datum, quo similes Angelicæ sanctitati esse possimus. 2. *In eam magnũ*, ait, *documentum est, apud nos esse veram Religionem* 3. Imp. Constantinum Castitatis ac virginum fuisse obseruantissimum.

Et supra naturam. Quare bene Theodoretus in Epitome diuin. decr. cap. de Virgin. ait, Virginitatis altitudinem esse infinitam. 2. In lib. 1. de Virgin. ait, *Quis humano eam potuit ingenio comprehendere; quam nec suis Natura legibus includit. Aut quis naturali voce complecti, quod supra vsum naturæ sit.* 2. Similiter S. Cyrillus Catechesi 12. *Non ignoramus Castitatis gloriam: angelica enim est corona, & supra hominem perfectio.* 3. Clarius id Damascenus lib. 4. fid. orth. cap. 2. *Virginitas Angelorum munus est, ac peculiaris omnis incorporeæ naturæ nota.*

PARS IV.

De S. Genouefæ laude virginitatis.

I. Præcones S. Virginis. SGenouefa nota sub Valentiniano III. Imper. vixit ad vsque Clodouæum. scripsere de ea V. Beda, Ado, Vsuardus, Baronius sic: *Lutetiæ Parisiorũ S. Geneuefa Virg. quæ à B. Germano Antisiodorensi Episcopo dicata Christo, admirandis virtutibus & miraculis claruit, &c.* De ea *Gregor. Turo.* lib. de glo. Conf. cap. 91. & Histor. Franc. l. 4. cap. 1. *Surius* tom. 1. *Sigibertus* in Chron. ad annum 457. *Constantius* in vita S. Germani multa glorioſe.

Meruit laudem virginitate. Ego ex Iudith. cap. 8. *Erat*, inquam, *hæc in omnibus famosissima; quoniam timebat Dominum valde.* Erat talis; quia, Sap. 4. *O quam pulcra est casta generatio cum charitate! Immortalis enim est memoria illius; & apud Deum nota est, & apud homines.* Proinde cum Holopherne dicam, Iudith. 1. *Tu in domo Nabuchodonosor magna eris, & nomen tuum nominabitur in vniuersa terra.* Neque breui id, aut leui momento: Sed Psalm. 3. *In memoria æterna erit iustus; & ab auditione mala non timebit.* Stetit Diuælaus annis iam amplius millenis.

1. De Iuditha, *cap.* 8. nemo ausus malum loqui verbum: minus de S. Genouefa; adeo nomen eius inclyte sanctum. 2. Rebecca, Genes. 24. *puella decora nimis, virgoque pulcerrima, & incognita viro.* Vbi Origè: Nonne *sufficiebat dicere*, Virgo! *quid opus*, Incognita viro? *Quia non sufficit animæ vt casta sit corpore; op⁹ est, vt vir ille pessimus, qui in Euangelio dicitur* Inimicus homo, *non cognorit eam.* Talis Genouefa. 3. Sara Raguelis, Tob. 3. *Virgo fuit mente & corpore placens Deo:* Vt ipsa secura ad Deum, *Tu scis Domine*, orabat, *quia nunquam concupiui virum, & mundam seruaui animam ab omni concupiscentia.* Talis Genouefa. *Figura.*

III. Nimirũ idcirco ætatis anno XV. fugit vana omnia, mũdum, matrimonium etiam sanctum. 1. Videbat illa, ut Assyrii, Iudith. 14. quod *una mulier fecit confusionem in domo Nabuchodonosor Regis*: in paradiso Eua. &c. hoc metuebat ipsa sui custos. 2. Talem esse præcipit S. Ambr. libr. de Virgin. *Virginem mihi prius gravitas sua nunciet pudore obuio, gradu sobrio, vultu modesto, & prænuncia integritatis anteeant signa Virtutis.* 3. Copiosius S. Chrys. tom. 5. Orat. quod regul. fœm. viris cohab. *Cum in publicum Virgo se recipit; oportet ut omnis prophetiæ specimen præseferat, & omnes in stuporem vertat. Sicut Angelus si nunc è cœlo descenderet, &c.* Talis Genouefa. *Facta erat ad regulam SS. Patrũ.*

4. Ideo quisque de ea visa id poterat occinere, Ruth. 3. *Scit omnis populus, qui habitat intra portas urbis, mulierem te esse virtutis*, Scit hoc Lutetia, universaq; Gallia.

PARS

PARS V.

De S. Genof. insigni multaque virtute.

Virtus tribus cernitur.

I. VIrtus autem hominis trifariam cernitur. 1. Coniecturis; vt Eccles. 19. *Amictus corporis, & risus dentium, & ingressus hominis enunciant de illa.* Et ibid. *Ex visu cognoscitur vir, & ab occursu faciei cognoscitur sensatus.* Hinc Arist. in Physiognomicis ait: *Animæ sequuntur corpora.* Prou. 17. *Sicut in aquis respondent vultus perspicientium; sic corda horum manifesta sunt prudentibus.* 2. Experientia operum. Arist. l. 2. de Anima. *Per actus cognoscitur habitus.* Ita *mores & verba sunt conceptuum signa:* Arist. periherm. Matth. 7. *A fructibus eorum cognoscetis eos.* At duo illa sæpe fallunt: non item hoc tertium. 3. Diuina reuelatione.

Et eximie in S. Genou.

1. S. Germanus de S. Genouefæ Virtutibus cognouit, cum votum eius Virginitatis excipiens diceret parentibus: *Felices vos tam venerandæ sobolis progenitores!* 2. Similes Iullicus Episc. Paris. plures cum ea Deo Virgines offerens, diuinius quid in ea videns, sanctam censebat. 3. Pimeon Antiochenus eius se precibus deuote commendabat.

Virtutis notio triplex. 1. Habitus animi.

II. Itaq; *Virgo virtutis erat.* Virtutis notio triplex est: 1. Significat habitum animæ ad bene faciendum inclinantem. 1. Cor. 4. *Non in sermone est regnum Dei; Sed in virtute.* 2. Cor. 2. *Virtus in infirmitate perficitur.* Colos. 1. *In omni virtute confortati.*

2. Miraculi.

2. Idem est, quod miraculum. Psal. 13. *Dominus virtutum ipse est Deus.* Matt. 7. *Domine, nonne in nomine tuo virtutes multas fecimus?* Matt. 11. *Quia si in Sodoma factæ fuissent virtutes, quæ, &c.* 1. Cor. 12. *Alij operatio virtutū.*

3. Roboris.

3. Virtus pro robore capitur. Iudith. 6. *Præsumentes de se, & de sua virtute gloriantes humilias.* Psal. 73. *Confirmasti in virtute tua mare.* Luc. 4. *In potestate & virtute imperat.* Luc. 9. *Conuocatis Apostolis dedit Virtutem & potestatem super omnia dæmonia.*

S. Genou. clara est virtutibus.

S. Genouefa Virgo virtutis erat in 1. significatu: quia demississima, modestissima, charitatis plenissima, &c. abstinentissima, vt quæ ab XV. ætatis anno ad quinquagesimum ieiunarit, exceptis Dominicis, & feriis V. vino abstinebat omni & carne, hordeaceo pane victitans & Leguminibus. Aetate & morbis fatiscens, suasu Episcoporum pauxillum admisit lactis & pisciculorum: nec tamen ex his gustabat quicquam prius, quam leuatis in cœlum oculis humanæ illacrymasset necessitati.

Miraculis.

2. Miraculorum claruit virtute viuens ac mortua. Precibus, matri cæcæ visum restituit; à XII. energumenis dæmonia excussit: puerum in puteo submersum vitæ reddidit. Parisios ab hostili insultu liberauit: Sequanum effusum solo iussu intra alueum reuocauit. Talia viuens: maiora mortua. Sit vnum exemplo. Anno 1109. morbo exorto nouo, qui *sacer Ignis* nunc dicitur; ars omnis humana cedebat; ut depasceret in numeros Ardentium: Demum inuocata S. Genouefa, Ignis extinctus inextinctos reliquos fecit plurimos.

Victoriis.

3. Fortissima quoque Parisiorum propugnatrix est Genouefa: vrbis omniū forte antiquissimæ; si historiæ fides; ante Christum natum stetit annis octingentis & XXX. Ipsa urbi senescenti Iuditha fuit; Hesteræ Galliæ toti.

Digressiuncula.

Væ vrbibus, sui quas deserunt sancti. 1. Noe terram deserente, eam diluuium submersit: 2. Sodomam hausit flamma egresso Lotho. 3. Mare rubrum, & Angelus percussor Aegyptios internecione deleuit, digresso inde populo Dei Israelitarum.

Adstitit huc vsque Parisiis S. Genouefa: vt vere illud Isaiæ 62. *Super muros tuos Ierusalem* Parisiorum *constituti Custodes*, in his Genouefa: *tota die & nocte in perpetuum non tacebunt*: cum ea S. Marcellus, S. Eligius, S. Maglorius, S. Germanus.

Peroratio. Itaque Iudith 15. *Tu gloria Ieruſ. tu lætitia Iſrael, tu honorificentia populi noſtri, quia feciſti viriliter, eo quod caſtitatem amaueris, &c. ideo eris benedicta in æternum.*

IN FESTO CIRCVMCISIONIS.

Poſtquam impleti ſunt dies octo, vt circumcideretur puer: Vocatum eſt Nomen eius Ieſus.

Luc. 2.

IVsit Deus, *Exod.* 12. vt quotannis, die primo menſis menſium primi, agnus anniculus maſculus immolaretur: in ſignum factæ liberationis ab Angelo exterminatore primogenitorum AEgypti. Imo in ſignum, inquam, Liberatoris noſtri Ieſu, in Circumciſione ſua, ſanguinis ſui immolati profuſione nos ſeruantis ab exterminio peccati, & Satanæ. Et hæc ſtrena Chriſtiana hiſce Kalendis eſto.

Circa quod nos

I. De circumciſione veteris Legis.
II. De circumciſo Ieſu.
III. De cauſa circumciſi.
IV. De circumciſi ſanguine.
V. De Amore circumciſi.
VI. De Nominis Ieſu Admirabilitate.
VII. De eiuſdem Magnitudine, & merito.
VIII. De Kalen. Ianuariis, ac circumciſione ſpirituali.

PARS I.

De Circumciſione Legis veteris.

Lex Circumc. præcipua legũ. I. LEgum veteris teſtamenti lex princeps illa fuit de Circumciſione: *Gen.* 17. Sic Deus ad Abraham: *Infans octo dierum circumcidetur in vobis.* Hæc lex. Iam pœna. *Maſculus, cuius præputij caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illius de populo.* 1. Cauſa legis, & pœnæ eſt, ait Chryſoſt. Hom. 40. in Gen. *Quod ex hoc ſigno Iudæi eſſent cognoſcibiles, & ab aliis gentibus ſequeſtrarentur.* 2. Hinc in deſerto per 40. annos circumciſi non ſunt; quod inter gentes non degerent: nec opus haberent ſigno ſui dignoſcendorum. At progreſsi inter gentes, rurſus circumcidi cœperunt. *Signũ tract. 1. Diſcriminis. 2. Salutis.*

1. Ita militibus dant ſignum certum duces in conflictu: 2. Ita ſuas ſignant oues paſtores. 3. Ita Ieſus baptizatis imprimit characterem. Vnde ait. *Ego cognoſco meas; & cognoſcunt me meæ.*

II. In excidio Ierichuntino *Ioſue* 9. domus Raab ſigno funiculi coccinei fuit immunis à clade: 2. Ita domus Abrahæ per ſignum circumciſionis ab excidio generis humani libera fuit. 3. Iſraelitis in AEgypto ſanguis ſuperliminaris ex Agno immolato ſignum ſalutis erat; *Exod.* 12. Id Chriſtianis eſt Sanguis noſtri Agni circumciſi. 4. Idque eo fine, quo Deus iuſsit Ezechielem *c.* 8. ſigno Thau notare frontes gementium ſuper abominationes Ieruſalem: Iuſſus Abraham ſuos circumcidere, tanquam qui ſoli eſſent pœnitentes, ac veniam requirerent à Domino. Eandem nos ex circumciſi pro nobis Sanguine ſperamus, & oramus. 5. Et hoc diſtinguimur ab iis; quos, *Apoc.* 13. infauſto ſuo charactere inurit beſtia ſepticeps, de cacornis, cum faucibus leoninis, & pedibus vrſinis, è mari emergens. Atque iſta figurate. *Signa ſimilia.*

Exempla facti ſunt iſta. 1. Dinam procanti Sichemitarum Principi fratres reſpondent: Gen. 34. *Non poſſumus ſororem noſtram dare homini incircumciſo: quod illicitum, & neſarium apud nos.* Cur? Vt id eſſet diſcrimen electos inter, & profanos. 2. *Exempla ſimilia.*

Samſo-

Samsoni. *Iud.* 14. cum deperiret Dalilam exprobrant parentes. *Nunquid non est mulier in filiab. fratrum tuorum; quia vis accipere vxorem de Philistiim, qui incircumcisi sunt?* quasi dicat. Nimia disparitas est. 3. Hebræis ex deserto eductis, & circumcisis, Deus Iosuæ ait: c. 5. *Hodie abstuli opprobriũ Aegypti à vobis*, quasi dicat Aegyptiis incircumcisis similes fuistis; nunc differtis electorum signo.

Est professio fidei & cultus Dei.

III. Erat enim Circũcisio cultus Dei, ac fidei professio, teste D. Thom. 3. q. 70. art. 12. ad 3. ex Rom. 4. *Abraham accepit circumcisionem tanquam signaculum fidei.* 2. In quo vno lex tota signabatur. Vt Gal. 5. *Testificor omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est vniuersæ legis faciendæ.* 3. Rupertus in Cantica ait, Abisai datam Dauidi frigido calefaciendo; significare fidem circumcisionis datam frigidis Iudæis, ad quod fidei signum non nihil accenderentur amore Dei.

Est inditiũ Iesu circũcidendi.

Sed omnia ista in signum Circumcisionis Iesu, quæ vna erat profutura omnibus, ait Galatinus li. 10. c. 8. Nam Ioan. 1. *Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est.* Ad terminandam, & exterminandam legem. Vti 1. Cor. 13. *Cum venerit, quod perfectum est, euacuabitur, quod ex parte est.* Dictum factum hodie.

PARS II.

De Circumciso Iesu.

Circumcisus est in stabulo.

I. *Postquam impleti sunt dies octo, vt circũcideretur Puer.* Vbi? à quo? S. Hilarius dictus ab S. Hier. in dialogo contra Luciferianum, *tuba mundi: orbis Deucalion: torrens eloquentiæ:*) in *Psalm.* 118. ait, esse in templo circumcisum. 1. At contra: lege prohibebatur mater & puer in templo apparere ante quadragesimum diẽ à natiuitate. 2. Nec potuit fieri, vt omnes nati, octauo die ferrentur in templum circumcidendi, oblocorum distantiam &c. 3. Nec erat necesse circumcisionem peragi in templo.

Epiphanius ergo bene ait, Hæresi, 2. In stabulo fuisse circumcisum.

Ab Deipara.

A quo? Ab Deipara. Ita *Hier. l. de Circũcis. & Bern. tractat. de lamentatione B.V.* 1. Ratio. Quia in lege certus minister Circumcisionis non erat constitutus. Ita *Abul. in c. 5. Iosue.* 2. Adeo vt etiam mulieres quandoque circumciderent Vt Sephora vxor Mosis, *Exod.* 4. 3. Et sub Antiocho matres quæcunque circumcidebant, 1. *Mach.* 2.

Id admirãda est humilitatis.

II. Ergo natus vt pauper, circumciditur vt peccator; vt seruus redimitur, crucifigitur vt latro. 1. Iam vero Ioannis 3. *Omnis mons, & collis humiliabitur*; Cum mons montium eo se deiecerit. 2. *Scitote*, Psalm. 4. *quoniam mirificauit Dominus Sanctum suum.* Quid enim admirabilius.

Est peccatoris, vel quasi

Quid agis? Circumcisio est aduersus peccatum originale; est seruorum, &c. At tu es absque peccato. Es quidem serpens æneus in deserto erectus, *Num.* 21. sed absque veneno. Nam Roman. 8. *Deus filium suum mittens in similitudinẽ carnis peccati.* Tu quoque Agnus es sine macula

PARS III.

De causis Circumcisi.

Circumcisus est ad legem implendam.

I. CVr igitur circumcisus est? I. Quia Impleturus totam legẽ legi debuit subiici. Matt. 13. *Non veni soluere legem: sed adimplere.* Pandectæ. Vox digna maiestate *regũtis*; *se legibus obnoxium Principem fateri.* Et hic Imperio dignissimus dicitur apud Plutar. in conuiuio 7. sapientum. Itaque se Legis Principem ostendit Iesus; dum legi se subiicit. Non ostante, quod Ipse esset *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum; & in via peccatorum non stetit.* Psal. 1. Sed *cuius in lege Domini voluntas* Psalm. 118.

Abolendæ. II. Quia legem adimplendo abrogat, ac sepelit. Par erat, vt cœpta ab Abrahã, finiretur à Christo, ostendente mysterium figuræ. 1. Quare vt gladius in saxum illisus obtunditur; ita culter circumcisionis in hac petra obtusus est, & porro inutilis effectus. Vnde, Eccl. 44. *In Carne eius stare fecit testamentum.* 2. Cyrillus li. 4. in Ioannem, cap. 51. ait: Mortuo Iosue, omnes cultros lapideos, quibus circumcisi fuerant Iudæi, in eius sepulcrum illatos fuisse: *In* signum: Cum Christo moriente morituram legem ceremonialẽ, 3. Ad hoc aspirauit Sponsa, Cant. 4. *Vtinam adspiret dies, & inclinentur vmbræ.*

Ad humilitatem docendam. III. Humilitatem suam declarauit hoc facto. Natiuitas quidem eius in stabulo, &c. fuit humilis; sed honorata ab Angelis concinentibus, ab Regibus, pastoribus, stella. Humilis in cruce inter latrones; sed obscurato sole eius diuinitas eluxit, At in Circumcisione cernitur mera humilitas instar peccatoris.

Satan tribus cum turmis procedit in aciem, 1. Ioan. 2. *Concupiscentia carnis; Oculorum, & superbia vitæ.* De hisce Daniel c. 7. *Ecce bestia similis vrso, & tres ordines erant in ore eius & in dentibus eius.* Iam Puer opposuit auaritiæ paupertatem, superbiæ humilitatem, voluptati dolorem carnis. Venit, vidit, vicit ea. Vt prædictum Isa. 17. *Ecce Dominus ascendit super nubem leuem,* id est, ait Hieron, *& ingredietur Aegyptum,* mundum, *& mouebuntur simulacra Aegypti à facie eius,* quorũ præcipua illa tria.

Ad humanitatem demonstrandam. IV. Circumcidi voluit, vt verum se hominem demonstraret. Contra Apellem, Cerdonem, &c. 1. Alex. Magnus ait Plut. coli, haberique volens pro Iouis filio immortali, ictus sagitta cruore viso iratus ait: Hæccine signa sunt immortalitatis meæ? Vah adulatores; homo sum. Ita nunc Iesus quasi. 2. Vt aurum ante ad lydium lapidem probatur num spurium sit; quam sublimetur ac approbetur. Ita humanitas Iesu ad cultrũ lapideum probata est. *Domine probasti me, & cognouisti me.* Psalm. 138. 3. Vt chymicus putans se lapidem philosophicum inuenisse experitur in colliquato stanno, ferro, aut plũbo, si materia in fumum abeat, fucus est; sin' resistat igni aliaque metalla subito maturefacta perficiat in aurum versa, iã exilior est. Illum, qui *homo factus est, verbũ caro factum*, inuenit humana natura vt verum lapidem philosophicum. Eius proba in circumcisione est facta, & *inuentus est homo.*

Figura illustriu. 4. Mosi ita Deus, Exo. 28. *Facies laminam de auro purissimo, in qua sculpes opere cælatoris Sanctum Domino, ligabisque eam vitta hiacynthina, & erit super tiaram imminens fronti Pontificis.* Lamina fuit Iesu Humanitas pura à peccato, tunsionibus attenuata; quia *exinaniuit semetipsum.* Et *Attritus est propter scelera nostra.* Vitta est vnio hypostatica, laminam cum tiara iungens, hominem cũ Deo. Ei hodie cultro circumcisorio insculpitur Sanctum. Nomen Iesus. Qui sit, Psal. 109. *Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech,* vt verus homo. Et hæ causæ circumcisionis.

PARS IV.

De Circumcisi Sanguine fuso.

Est illa sacrificium. I. IAm ecce, vix dum natus, & Sanguinem offert Deo. 1. Sicut Noe, simul ac egressus ex arca, post diluuium, gratus Deo sacrificat. Quo sic delectat° est Deus, vt iurarit, se terræ nunquam maledicturum ob homines. Ita Iesus post diluuium damnationis, ex Arca Virginis vt exiit, Sanguinem offert Deo gratissimum. Vti Ps. 50. *Tunc acceptabis sacrificium Iustitiæ:* quæ est Christus. Item *Tunc imponent super altare tuum vitulos.*

Est sol trient. 2. Vt sol mane & vesperi apparet rubicundior: Ita *Qui illuminat omnem hominem* venien-

venientem in hunc mundum Iesus in ortu, & occasu suo sanguinat purpurissatus. Sed hinc præcipimus futuram serenitatem mundi redimendi, &c.

Est pluuiola. 3. Densam imbris ruinam tenuior anteire assolet stillatio pluuiolæ. Talis hodie : at diluuium sanguinis in passione inundabit, quo orbis peccata obruenda sunt. 4. Ecce Elias 3. Reg. 18. ait. *Ecce nubecula parua, quasi vestigium hominis ascendebat de mari*, id est, stilla Sanguinis ex Iesu mari gratiarum. *Cumque se verteret huc atque illuc, ecce cœli contenebrati sunt, & nubes, & ventus, & facta est pluuia grandis*, effusi in passione Sanguinis.

Est arrha redditionis. II. Vt mercator merces emturus multas, dat primum arrhas ; ita mundum redemturus, iam incipit, data sanguinis arrha.

Est secundum legem. Causa subest. Quia *Leu.* 25. ita sancitum erat *Si attenuatus frater tuus vendiderit possessiunculam suam & voluerit propinquus eius, potest redimere, quod ille vendiderat.* Iste attenuatus venditor fuit ; heu, Adam ; Iesus Redemtor vnus propinquus ; diues ; cæteri omnes pauperes. 1. De hoc Psalm. 15. *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei, tues, qui restitues hæreditatem meam mihi.* 2. Anselmus I. Cur Deus homo ait. *Cõueniebat, vt esset, qui nos redimeret, Deus & homo. Homo, vt hominum propinquus esse & pati posset: Deus, vt sanctissimæ humanitatis operibus infinitum daret valorem.* 5. De quo 1. Pet. 1. *Non corruptibilibus auro & argento redempti estis: sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati.* 1. Cor. 6. *Empti estis pretio magno.*

PARS V.

De Amore Circumcisi.

Hunc testatur. I. O Amorem ineffabilem Redemtoris Circumcisi! 1. Amasii colorem amasiarum in vestitu ferre amant, quo plus eis placeant. *1. Sanguis fusus.* Iesus naturæ nostræ amasius einsdem colorem sanguineum testem amoris, ostendit circumcisus. Hinc Sponsa: *Dilectus meus candidus, & rubicundus.* 2. Ita Dinam deperibat Princeps Sichemitarum : Vtque eam vxorem acciperet, se circumcidi finit. *Genes.* 34. Sic Iesus generis humani amator. *2. Circumcisio spontanea.*

3. Sephora, *Exod.* 4. vt Mosi vitam seruaret, filios circumcidit suos, & ait: *Sponsus sanguinum tu mihi es*, q. d. Amasti? At dein iam plus me ama iis seruatricem tui per sanguinem. Quanto iustius sic homini Iesus? Amasti me vt Creatorem : iam ama etiam vt Redemtorem. *3. Finis eius salus nostra.*

Si bene argumentabantur ii, visis in Lazari suscitatione lacrymis Domini, dicentes, Ioan. 12. *Ecce, quomodo diligebat eum?* Quanto euidentius viso sanguine colliges de amore? *4. Assumta il'i forma nostra.*

4. Romæ seruus, cognito herum suum quæri ad necem ab lictoribus ; se heri vestibus induit ; captus, securi percussus occidit. Cui dein herus gratus statuam collocauit. At contra hic: Nam Dominus formam serui accepit, proque eo passus est, &c. 5. Sane Ioan. 11. *Maiorem charitatem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis: imo pro inimicis.*

II. O amorem? Non istu es, qui dicis. Cant. 2. *Fulcite me floribus, stipate me malis: quia amore langueo?* Languebat amore Iesus, vt febri æstuans. Ideo sectione venæ opus. Hęc facta in Circumcisione & passione. *5. Languor amantis.*

Confide æger Christiane, sibi Iesus vitalem emittendo sanguinẽ, tibi mortalẽ vitam subtraxit & correxit. Suã vel Puer pro te obtulit. Sicut Arcades, teste *Plin. lib. 8. cap. 2.* quotannis puerum Ioui immolabant ; vt per annum numine vterentur propitio : Ita anni salutiferi exordio sevltro Deus offert Deo pro te ægro. *6. Et sui pro nobis oblatio.*

PARS

PARS VI.

De Nominis Iesu Admirabilitate.

Nomen par Deo nullum.

I. ET *vocatum est Nomen eius Iesus.* Exclamat Psalm. 8. *Domine Dominus noster, quam admirabile est Nomen tuum in vniuersa terra?* 1. S. Dion. *l. de diuin. Nom. c.* 1. docet, Essentiæ diuinæ nullum posse nomen conueniens imponi: Quod in Deo infinita omnia. 2. Greg. Naz. orat. 9. ait: *Sicut fieri nequit, vt homiuis paruum os totum Oceanũ sorbeat: ita fieri nequit, vt os aut mens infinitam Dei Essentiam nomine aliquo definiat, aut complectatur.* 3. Ideo Tetragrammaton illud ineffabile erat Iudæis, ait Galatinus l. 2. c. 10. *Quia Deus trinus & vnus omnino ineffabilis est.*

Nomen Iesu est nouum.

Imperfectum tamen dari nomen potest. Hinc dictus est *Sadai*, à fortitudine. *Adonai*, ab potentia. *Cados*, id est, sanctus, *Iehouah*, id est, Qui erat, est, erit: vt Epiph. l. 2. c. 10. placet. Et hoc fuit ineffabile olim, nunc Puero datum. Ideoq; nouum est. 1. Quia, vti summis Pontificibus nomen imponitur nouum, ita Puero ad S. Pontificium nato. 2. Ducibus, sæpe nomina sunt data ab subiugatis gentibus, vel locis. Sic Scipio dictus Africanus, alter, Asiaticus. Ita vel natus tantum aduẽtu suo mundum iam subiugarat; vnde nomen ei Iesus. 3. Iacob post nocturnam cum Angelo luctam, vniusq; acceptum, *Gen.* 32. dicitur Israel. Ita & natus, ac sanciatus Saluator.

Ob opus nouum.

Prædictũ.

Prædixit Angelus Matri. Luc. 1. *Ecce, Concipies in vtero, & paries filium: & vocabis nomen eius Iesum.* 2. Item Isaias, c. 9. *Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis, & vocabitur nomen eius Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis.*

Admirabile ob effectus.

II. Vere Admirabile. 1. In quo Reges salutem quærunt, Psalm. 55. *Deus in Nomine tuo saluum me fac.* 2. Quod Regnum suspicit omne. Psalm. 75. *In Israel magnum Nomen eius.* 3. Quod orbis veneratur: Ps. 112. *à solis ortu vsque ad occasum laudabile Nomen Domini.* 4 Quod omnes populi metuunt. Psalm. 101. *Timebunt gentes Nomen tuum Domine.* Psal. 110. *Sanctum, & terribile Nomen eius.* 5. A quo nobis omne auxilium. Ps. 12. *Adiutorium nostrum in Nomine Domini.* 6. Quod appellatum dæmones fugat. Mar. 16. *In Nomine meo dæmonia eiicient.* 7. Quo impetrantur petita. Io. 15. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* 8. Quo iustificamur. 2. Cor. 6. *Sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in Nomine Domini nostri Iesu Christi.*

PARS VII.

De nominis Iesu Magnitudine, ac merito.

Compl. ctes omnia olim rent. lata.

I. A Deo diuinum, vt omnia conteneat vnum, quæ prisciserant per partes reuelata. Vnde Exod. 6. *Ego Dominus, qui apparui Abraham, Isaac, & Iacob, & nomen meum Adonai nõ indicaui illis.* 2. Vt nolæ plures suum singulæ sonum edunt, at conflatæ in vnam campanam grande sonant: ita vis nominum Dei in hoc vnum conuenit, conflatum in fornace charitatis diuinæ. Ideo sonat fic; vt *à soli ortu vsque ad occasum laudabile nomen sit.* Psalm. 112.

Idq; prãcipuũ.

3. Conflari oportuit. Nam prædictum. Zach. 14. *In illa die erit Nomen Domini vnũ.* 4. Perfectum, Phil. 2. *Dedit illi Nomen, quod est super omne nomen.*

Hinc maximum.

Ideo dicitur, *Magnus es tu, & Magnum Nomen tuum:* Ier. 10. Ac Tantum; vt Psal. 48. *Reges terræ, & omnes iudices populi, Principes, & omnes iudices terræ laudent Nomen Domini. Quia exaltatum est nomẽ eius Solius.* Tantum: Vt Phil. 2. *In Nomine Iesu omne genu flectatur, cœl. ter. & inf.*

Acquisitũ re maximã.

Deus cætera sibi nomina singula vno aliquo acquisiuit, vt *Adonai*, per fortitudinem, &c. At hoc per Obedientiam.

quæ

quæ ōmnia complectitur in se. Vnde Phil. 2. *Factus est Obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi Nomen, quod est super omne nomen.*

Deo est dignum. II. Martinus Doyza, Minorita, celebris Hispania tota concionator historiam refert: (ego parabolam aio:) Vespasiani Imp. tempore in senatu Roman. agitatum: Quis Deorum esset optimus, quodque nomen illi foret. Dictæ sententiæ sunt. Hi bello potentissimum: Illi Opulentissimum: Isti doctissimum. Alij refutant: Quod ita soli essent fœlices futuri, vel Milites: vel diuites: vel docti: Cæteri Deum habituri nullum. Ergo amplius pronunciatum est. Postero die dum in eadem sunt disceptatione, adolescens iis medius astat, cum imagine ex collo suspensa: pictus erat expansis brachiis, sub dextero scriptum *Promitto*, sub sinistro *Expecto*: ad latus pectoris aperti, *Remitto*: In peripheria tabulæ erat, *Deo clementiæ*. Itaque constitutum est: Hunc esse colendum Deum, qui bonis bona promittat: malos ad pœnitentiam expectet: iniurias remittat: Cui nomen Clementiæ sit. Huncque omnium esse communem, & vnum posse.

Dirimit inter omnes orbis Deos hospes refutat. Vere dubitarunt omnes nationes orbis, quem sibi Deum deligerent: Hinc Romani Martem: Africani Plutum: Apollinem Græci, alios alij sibi optarunt. Hodie vna dirimit puella litem cum puello in gremio; qui est *splendor gloriæ, & figura substātiæ Patris*. Qui in Cruce latroni, ait: *Hodie mecum eris*. Qui clemens omnibus orat: *Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt*. Cuius in corde, & ore isthoc: *Nolo mortem peccatoris*, &c.

Ideoq; & adorandū est vnicum relative. Tamerlanes, terror & malleus Turcarum, anni diem primum sic celebrabat, Sacrorum minister nomen Principis in lamina maiusculis scriptum præferens, id pronunciabat reuerenter; moxque omnes alto cum silentio se humi sternebant pronos. Vanum istud; Sanctum hoc: hodie præcipue Nomen Iesu, magnis characteribus Humanitatis scriptum, adorari.

PARS VIII.

De Kalend. Ianuar. & spiritali circumcisione.

Calendarū origo. I. NVma Pompilius, Rex Romanorum secundus Kalendas Ianuarias primus instituit, dicatas Magistratui capessendo: postea Consulatus eo die auspicabantur: Vnde Poeta

Iamque noui præeunt fasces; noua purpura fulget.

Colenda sunt ob rē & nomen. Quanto iustius nos Kalendas colimus hasce: quibus Rex noster purpuratur; Cui Matth. 21. *data est potestas in cœlo; & in terra*. Et tale datum est Nomen; cui omnes iure acclament: Isa. 26. *Domine nomen tuum, & memoriale tuum, in desiderio animæ tuæ*.

1. Hinc Paulus id toties in Epistolis vsurpat: Imo profitetur, Act. 21. *Non solum alligari; sed & mori paratus sum propter Nomen Domini Iesu*. 2. S. Aug. l. 3. Conf. c. 4. ait se lectitatione Ciceroniani Hortensii mire captum fuisse: quod autem nomen Iesu nusquam occurreret, se librum abiecisse. 3. Bene Bernhardus *serm. 15. in Cant.* fatetur: Qualiacunque sint: ni hoc Nomine condita sint; sibi putida videri. 4. Vnde in suo Iubilo.

Iesu Decus Angelicum,
In aure dulce Canticum,
In corde nectar cœlicum,
In ore mel mirificum.

Puniendi blasphemi. Quæ igitur maledictio, quod par supplicium iis; qui Dei nomen blasphemant? 1. Romæ, qui iniussu senatus, *Iouem lapidem* iurasset; morti addicebatur. Quid istis fiet? 2. Nabuchodonosor, vi-

sis ex fornace illæsis exire tribus: sancivit, neu quisquam Dei nomen blasphemaret. *Dan.* 3. Quid hodie Magistratus? 3. Refert *S. Bas. hom.* 24. Cliniam potuisse 3000. aureorum mereri, si per nomen Dei iurare, pro veritate, voluisset: at noluisse.

Circumcisio spiritalis vsurpãda.

II. Clausulam sibi vendicat spiritalis Circumcisio: hæc vsurpanda; dimittenda legalis in carne. Id in figura condisce. Deut. 22. sancitur: *Si ambulans per viam*, vitæ mortalis, *in arbore, vel in terra.* S: Scripturæ; *nidum auis inueneris*, Dictum, factumue aliquod legale; *& matrem pullis vel ouis desuper incubantem*, sensum literalem: *non tenebis eam, sed abire patieris: captos tenens filios* doctrinam spiritalis sensus; *vt bene sit tibi, & longo viuas tempore.* Ita D. Th. 1.2. q. 102. a. vlt. Est enim *Circumcisio cordis in spiritu, non in litera.* Rom. 2. Et ea non vnius, sed singulorum membrorum in vsu.

Est ea cordis ac sensuum necessaria.

Necessaria hæc. 1. Nimium enim siluescit vitis, ni putetur: sordet caput, ni radatur. 2. Non hæsisset Absalon suspendiarius, ni ad comæ luxuriem. 2. *Reg.* 18. 3. Quare, Deut. 10. *Circumcidite præputium cordis vestri.* 4. Ier. 4. *Circumcidimini Domino, & auferte præputia cordium vestrorum viri Iuda.*

Aditus Iesu.

Huc nobis adlabora Iesu. Qui de te ipso ais Psalm. 78. *Pauper sum ego, & in laboribus à iuuentute mea*: Inque doloribus, vt verus Benoni Matris, filius doloris; licet Patri sis Beniamin, filius dexteræ, *Gen.* 35. vt, ad cuius nos dexteram transfers beatos.

IN FESTO EPIPHANIÆ.

Cum natus esset Iesus in Bethlehem Iudæ, Ecce Magi ab Oriente venerunt. Matt. 2.

SAlomon. 3. *Reg.* 10. Rex dictus, mox ab Regina Saba, aliisque magni nominis inuisitur, cum muneribus. *Et ecce plus, quã Salomon* hic Iesus est. Bene ergo Magi ipsum inuisunt.

Circa quos nos

I. De regia maiestate.
II. De Magorum appellatione.
III. De eorum aduentu, & conuersione.
IV. De nati Admirabilitate.
V. De nato magis adorato.
VI. De nato muneribus honorato.

PARS I.

De Regia maiestate.

Regũ maiestas est magna & potentia.

I. MAiestas regia, atque potestas permagna est. 1. Hinc Satraparum Persiæ; de hoc disceptantium, quid fortissimum, tertius euincit, Regem esse. 2. Ideo Reges mundi columnæ, soles terræ, cœli filij, Vicarij Dei appellantur. 3. Platonis vox est. *Rex, Deus quispiam humanus est.* Plut. I. de doct. Princ. *Princeps simulacrum est Dei administrantis omnia.* 4. Ideo noluerit se corrumpi Alex. Magnus, quãdo Edicto vetuit, *Ne quis se, præter Apellem pingeret: aut aliue à Lysippo duceret ære.* Sic Pet. Crin l. 16. c. 1.

Par sit constantia animo.

4. Inde quoque Olympo monti Reges conferri sueuerunt. Is mons altior est, quam vt ventis, fulminibus, cœlique subsit iniuriis; adeo, vt si cineribus in eo sparsis inscribas; reuersus post annum integros characteres reperias. Tales, tãq; constantes ac imperturbati esse Reges deberent; vt Dij terrestres.

At maior esto misericordia.

II. Vt Dei; sic Regum est propria misericordia. 1. Hinc Prou. 30. *Tria sunt, quæ bene gradiuntur; & quartum, quod incedit feliciter. Leo fortissimus bestiarum: Gallus succinctus lumbos; & aries; & Rex: Nec est, qui resistat ei:* Si sit fortis iustitia, vt leo; mitis misericordia, vt agnus: solicitus vigilantia, vt gallus.

Iustitia tãto par adillud sit.

2. In Regum Aegypti sceptro est caput ciconiæ superne, inferne hyppopotami:

illud clementiæ; hoc iustitiæ nota. Cœpit id vsurpare primum Rex Osiris. 3. Cassius, interfecto Cæsare, in nummis cusis symbolum regiminis euulgauit: Eratque id Viola, & gladius inter ramos oliuæ, id est, Respub. regenda per iustitiam, & Clementiam. 4. Ideo Deus, *Exod.* 29. iussit summum Pontificem (qui Rex Sacrorum est,) primo inungi oleo; dein conspergi sanguine. 5. Et *Iud.* 3. populo Regem postulante, suscitauit Dominus Aod ambidexterum: Innuens Iustitia, & Misericordia promtum. 6. Ad idem Ezechieli *cap.* 1. visus est Cherub hinc cum humana, inde leonina facie. Qualis enim Cherubini inter Angelos; tales sunt Reges inter homines: humani in bonos, improbos leones.

A Deo habent quod sint Reges.

III. Adhæc vel ab ipso Deo sunt Reges. 1. Prou. 8. *Per me Reges regnant, & legum cõditores iusta decernunt.* 2. Fatetur id Dauid Ps. 2. *Ego autem constitutus sum Rex ab Eo super montem sanctum eius.* 3. Et clarius Ps. 4. *Quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me.* 4. Vel Ethnici idé sensere. Hinc M. Aurelius Imp. in nummismate cuso effinxit aquilam è manibus Iouis accipientem sceptrum. Indicãs se per Deum, non per ambitionem nactum imperium. idem tres Magi profitentur, dum Regem regum indagant.

PARS II.

De Magorum appellatione.

Magi quales non incantatores.

I. ECce *Magi.* At vero, *Quinam estis vos? Aut vnde venistis?* Quærit Iosue *cap.* 9. ex Gabaonitis. Respondet, 1. S. Augustinus *hom.* 2. *de Epiph.* & putat sortilegos fuisse: *Prævalet,* inquit, *imperitia in rusticitate pastorum, & impietas in sacrilegis Magorum.* 2. Origenes *contra Celsum: & hom.* 13. *in Num.* ait eos visa stella sortes cõsuluisse, dæmones incantasse: cumque dæmonibus iam mutis factis esse potentiorem colligerent, quem stella signabat: hinc statuisse, eum indagare, ac sequi. Sic *Iustinus, S. Ignatius,* &c.

Sed Reges Sapientes.

2. At probabilior sententia est, fuisse in Persida Reges. 1. Sic *Tert. Isid. Hier. Atha. Cyp. Chry.* &c. 2. Et Ps. 71. *Reges Tharsis, & insulæ munera offerent, Reges Arabum,* &c. 3. Isa. 64. *Ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in splẽdore ortus tui.* 4 Indicia suadent idem: Vt, celeritas tanti itineris emensi; per dromadarios: cum thesauris: ad Regem nouum cõsalutandum: quos & Herodes respectarit.

At tunc Iesus Rex solus.

II. Sed cur Euangelista ipsos non appellat Reges? An, quod Rex Regum iam ortus, velut sol stellas; obfuscaret alios; vt soli nomen id ipsi deberetur? 1. Sicut Dario, regni dimidium offerenti, respõdit Alex. Magnus: *Nec cœlum duos soles: nec regnũ duos Reges capere posse.* Vere: Nam *Sol, & regnum non patiuntur parem.*

Cunctique Reges vni obnoxii.

2. Itaque sicut Ioannes vidit, *Apoc.* 4. seniores XXIV. coronatos procidere adorantes sedentem in throno, & dicentes; *Dignus es Domine Deus noster, accipere gloriã, & honorem, & virtutem:* Ita terreni Reges vel maxime adorent Agnum.

Ita necesse erat ob vaticinia.

3. Prædixit id Isaias, 49. *Erunt Reges nutritii tui vultu in terram demisso adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent.*

4. Et Ps. 101. *In conueniendo populos in vnum, & Reges: vt seruiant Domino.* 5. Refert Orosius: Augustum Cæs. audito, Regem natum cœlestem; edixisse: neu quis se Dominum fineret appellari. Natus enim erat *Rex Regum, & Dominus dominantium.*

Magi per excellentiã dicti.

III. Appellati sunt autem Magi: Quia, ait S. Anselm. *non malefici: sed sapientes Astrologi fuerunt.* Et Cic. ait. *In Persis auguratur, & diuinant Magi. Nec quisquam Rex Persarum potest esse, qui non ante Magorum scientiam perceperit.* Similia S. Hieronymus.

Adhæc nomen sapientiæ nobilius est

Sceptris. 1. Sap. 6. *Melior est sapientia, quam vires.* 2. Sap. 17. *Proposui illam regnis, & sedibus: & diuitias nihil esse duxi in comparatione illius.*

PARS III.

De Magorum aduentu, & conuersione.

Venerunt ex Persia.

1. SEd *Vnde domo?* 1. Chrysost. hom. 7. in Matth. putat è Perside: Isto persuasus Poetæ.

Ille penes Persas Magus est, qui sidera nouit:
Qui sciat herbarum vires, cultumque Deorum.

2. Iustinus Philosophus, Cyprianus, &c. Ex Arabia; Quia Psal. *Reges Tharsis & inf. &c.* 3. Alij ex Chaldæa; Ex India alij; At probabilior Chrysost. sententia. Quia Persia ad Orientem sita est.

Non biennio post Natiuitatem.

Quando venerunt? 1. Epiphan. &c. biennio post natum Iesum. Quia *à bimatu, & infra secundum tempus, quod exquisierat à Magis*, pueros occidit Herodes. 2. Dein, Deipara, vti paupercula obtulit in Purificatione. Vnde necdum acceperit thesauros. 3. Demum iter longissimum mensium erat plurium.

Vt docetur.

At nihil ista. 1. Nam infanticida, pro securitate occidit adultiores quoque. 2. Et B. Virgo esse maluit, ac videri paupercula, similis Filio; quam gazis ditata: Et putatur continuo in egenos distraxisse oblata Nato. 3. Demum iter par Dromedariis est. Alij aiunt: stellam ijs biennio ante apparuisse.

Sed die XIII.

II. Sed verior, quæ communior, est sententia: Magos nato Christo, exisse quæsitum de eo; apparuisseq; Bethleem XIII. die. 1. Potest autem dromedarius, etiam onustus, 40. milliaria Gallica die vno decurrere. 2. Certe in Bethleem Magi adorarunt: atqui B. V. die 40. Iesum præsentauit Ierosolymis in templo: Vnde necdum puerperio egressam, (pro lege *Leu.* 12.) B. V. inuenisse ipsos cum puero in Bethleem necesse est. 3. Dein Magorum tam citum; tamque procul aduentum fuisse mirabilem, indicat vox *Ecce Magi, &c.*

Regum conuersio difficilis.
1. Ob ipsos met.
2. Ob subditos.

III. Nisi malis id eo referre. 1. Quod miraculo sit simile, Reges conuerti ad Iesum. 1. Sunt enim vt vasta saxa; quæ semel humi strata, perægre mouentur. 2. Vtque animalium rex elephas collapsus humi, erigere se nequit: ita Reges lapsi raro conuertuntur à peccatis. 3. Et vt Saturnus, planetarũ septimus ac summus, se mouet tardissime: vt orbem suum aliquot annorum millibus non conficiat: at Lunaris orbis intra 29. dies se conuertit: Ita magni ad pœnitentiam tardiores sunt mediastimis, ac imis.

2. *Ecce* dicitur: quod ideo Regum admiranda conuersio, quia plures trahit in exemplum. 1. Vt *Ioann.* 2. cum Rege Niniuitæ omnes pœnituere. 2. Vt in cœlis ad primum Mobile mouentur cœli cæteri: ita

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Ecclesiam constare gentibus & Iudæis conuersis.

IV. Ecce Magi. Mirum! Quia primitiæ sunt gentium. 1. Templi, ab Ezechiele visi, *cap.* 14. porta orientalis semper patebat: Sic Ecclesia Christi, gentibus. 2. Ad Salomonis templum, 3. *Reg.* 5. lapides in Iudæa effodiebantur: at ligna ex Libano, confine Tyrijs ethnicis, petebantur. Signum id, Ecclesiam ex Iudæis & Gentibus construendam fore.

3. Ostensum id Petro in linteo, *Act.* 10. animalium immundorum pleno.

4. Idem hodieque fit: Quantæ gentes ad Ecclesiam adducuntur stella iam ex occidente in orientem Indiæ transeunte? Itaque vel in cunis se Dominus cum sponsa gentium desponsauit per hos Magos. Ergo verum, Psal. 18. *Tanquam*

Sponsus procedens de thalamo
suo fuit hodie.

PARS

PARS IV.

De Nati admirabilitate.

Figura de Nato visitato.

I. ECce Magi: Ecce figuræ. 1. *Gen.* 3. Ad Adam vixdum creatum, conueniunt animalia, Dominumque agnoscunt. Ita ad Iesum natum bruta, Angeli, pastores, Reges. 2. Arca vixdum compacta erat, iam ad eam conueniunt, quæcumque seruari optabant. *Gen.* 6. Sic ad modo Natum.

1. Vt orbis Domino.

2. Vt seruatore.

Similia.

1. Deeius odore.

1. De potentia attractiua.

Ecce naturalia. 1. Panthera tam gratum edit odorem; vt in apertum progressa, trahat quæuis animantia è lustris odore euocata. Sic peccatores Iesus. Vnde Cant. 1. *in odorem vnguentorum tuorum curremus.* 2. Magnes lapis ferrum trahit: Ita 1. Cor. 10. *Petra, quæ erat Christus* vno Humanitatis suæ annulo ad se attracto, secuta mox catena est tota mortalium omnium. Vt ipse lapis sit factus angularis, *qui fecit vtraque vnum*: gentes & Iudæos. Edixit id ipse. Ioann. 12. *Ego si exaltatus fuero, omnia traham ad me ipsum.*

Natus, ad famã atq; prædam euler.

II. *Ecce Magi.* Mirus pusio? Emittit per orbem Legatos, sui nuncios: stellas in orientem: Angelos ad montes pastorum: Apostolos per orbem: Et *in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ.* Psal. 18. 1. Id prædixit Isa. 8. *Vocabis nomen eius Accelera, Festina prædari: Qui antequã sciat Puer vocare Patrem suum, & Matrem suam, auferetur fortitudo Damasco.* 2. Id Augustinus *serm. 4. de Epiphan.* ait, iam accidisse, acceptis muneribus Magorum. Quam hic fortis, quam festinus in prædam?

In saltus tius.

3. Bene de eo Cant. 2. *Ecce iste venit transiliens colles.* Id est, cœlos vndecim vsque in stabulum.

Perspicacitas.

4. Vere *Similis est Dilectus meus capreæ, hinnuloque ceruorum saliens in montibus.* Patriarcharum, Prophetarum, Regum; Saliens è cœlo in Sion, in Thabor, in Caluariæ, oliuetique montes.

Cupiditas spectatorũ.

Vt Capreæ est perspicacissimis oculis: Ita Natus vsque in Oriente magos vidit; nutuque exciuit. Sed quo ipsorum cum bono? *Ecce*: Vt ceruus, vixdum effusus, iam serpentes persequitur, vel è cauernis eos halitu attrahendo: Ita peccata, peccatoresque Iesus quærit, & attrahit.

Natus fuit stupori Regibus.

III. Tres amici Iob, (qui *Tob.* 2. Reges dicuntur:) viso Iobo, lachrymantes, oculis manibusque in cœlum erectis, stupebant. Sic tres ad iacentem in præsepio. Id Psal. 47. innuitur. *Reges terræ congregati sunt, conuenerunt in vnum. Ipsi se videntes sic admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt: timor apprehendit eos.*

Amori; honori.

Inter fortes Dauidis tres palmam tulerunt, qui aquam è cisterna vel per hostium castra attulerant Dauidi. 2. *Reg.* 25. Magi per Ierusalem se ad Iesum penetrarant cum muneribus imperterriti.

Sed ad hoc à Deo datus & Rex factus.

Dauid promisit Betsabeæ, regnaturum eius filium Salomonem. Audito autem ex Nathan. 3. *Reg.* 1. inuadere regnum Adoniam; rursus matri Rex promittit idem: accersitosq; tres regni Principes mittit per regnum, vt promulgent, Salomonem regnare, non Adoniã. Quo mire perculsi sectatores Adoniæ cecidere animis. Ita Deus iam sæpius promiserat, quod *dabit* Iesu *Dominus sedem Dauid patris eius, & regnabit.* 6. *Iacob in æternum:* Luc. 1. Viso autem, tyrãnisare Herodem; accersit tres Magos Deus, per quos Iesum regnare publicat; mox *omnis Ierosolyma turbatur cum eo* Herode.

Ideoque per Legatos ac munera honoratus.

Deus in gratiam Ezechiæ Regis solem retrocedere decem gradibus iussit, 4. *Reg.* 2. & *Par.* 32. Quod vt ab Astrologis audiit Rex Babyloniæ, legatos ad eum, amicitiæ causa, misit cum muneribus. Ita Iesu decem gradibus minorato; nouem Angelorum, vno hominum; Magi stella vocante, aduolant cum muneribus, gratia amicitiæ. At Ezechias legatos in pa-

latio ditissimo excepit, eis thesauros ostendit: Iesus autem in stabulo suam iis paupertatem ostendit, cunctis diuitiis ditiorem.

PARS V.

De Nato Magis adorato.

Herodis turbatio.

I. VBi est, qui, &c. *Turbatur Herodes.* 2. Balthasar Rex turbabatur visis scribētibus in Cōuiuio digitis. *Dan.* 3. Mirum hoc. Mirius: turbari Herodem, ac Ierosolymam, audito puellum esse natum, in loco ignoto, obscuro. *Nunc Reges intelligite.* Si digiti, si puellus tantum cient terrorem, quantum ciebit brachium, & Deus Vindex olim?

Rabbinorū occacatio.

O scribæ, ô Rabbini: 1. expectatis Messiam, & veniisse trepidatis? Agnoscitis; & adorare tardatis? Misistis ad Ioannem: & ad Iesum vos non vertitis? 2. Similes, *Aug. serm. 65. de diuers.* vos facitis Arcæ Noe fabris; qui quam pararant, ipsi non intrarunt, sed perierunt. 3. Ecce Magi ad vnam prophetiam vnius maiorum suorum Balaam, *orietur stella ex Iacob:* deseruerunt omnia, tamque procul natum quæsierunt: Et vos nec pedem domo emoueretis.

Ioseph absentia.

Et intrantes inuenerunt puerum cum Maria Matre eius. 1. Ergo Ioseph aberat: forte ne neophyti eum pro genitore haberent. 2. Ergo fuerit Deiparæ gratia linguarum data, vt audire & reddere voces posset Magis.

Magorum adoratio.

II. *Et procidentes.* 1. Ita Isaias, 49. *Erunt Reges nutricii tui: vultu te in terrā demisso adorabunt, & puluerem pedum tuorum lingent.* 2. Psalm. 71. *Coram illo procident Aethiopes: & inimici eius terram lingent.* 3. Sed agite, vbi signa Deitatis. Maiestas adoranda vbi. Non abterret paupertas: stabulum: soli. tudo desertiab omnibus. Non sensus vestros consulitis de visis, auditis, &c. Istane Regis? Dei? &c. Sed Fides illa refutat omnia. Hac magistra Deum adoratis.

Deiin Iesu occultum, sed cognitus tamen.

Euenit 1. quod Regi, in ementito habitu, clam regnum frustranti: facile is gestu, teneritudine que se prodit. Ita hic Iesus: quantumuis se celarit Deum; emicat tamen, & his agnoscitur Magis: timetur ab Herode. 2. Sicut & in cruce, vulneribus obsitus, desertus, despectus, à latrone tamen agnoscitur: *Matt.* 27.

Magorum sermocinatio.

III. An non exclamarint: *Vere, tu Deus es absconditus.* Isa. 42. Dixerint: Diuine puer: *Ad te gentes venient ab extremis terræ, & dicent: Mendacium possederunt patres nostri, vanitatem quæ eis non profuit.* Ierem. 16. 3. Dixerint inuicem, 2. Re. 7. *Videsne, quod ego habitem in domo cedrina, & Arca Dei posita sit in medio pellium?* Hocque impensius *adorauerunt eum.* Rebecca, *Gen.* 44. camelo vecta, indutaque laute, vt procul in agro, conspexit Isaacum meditantem; camelo desilijt, pedesque sponsum accessit. Ita Magi intrantes, dimissis foris camelis, rerum domi suarum iam obliti, stabulo succedentes, procul nixi genibus ad Puerum arrepserunt.

Reuerentia in Iesum.

PARS VI.

De Nato muneribus honorato.

Cum fide etiam Charitas præstanda est egentibus.

I. ET *apertis thesauris obtulerunt ei*, ipsius se vasallos professi, eoque ipso Deum Creatorem que omnium confessi. &c.

Aurum, Thus, Myrrham Regi, Hominique, Deoque

Dona ferunt. Vt Prudentius canit.

Ecce fidem toto facto; at charitatem etiam dono declarant. Præter Fidei cultum, Deo præstitum præstanda quoque in proximum misericordia est. 1. Nec enim vllum in V. T. mundum censebatur animal, nisi quod ruminaret, & vngulam diuideret. Sit & animæ tuæ bifida vngula Fidei, & Misericordiæ. Illa Deum ora: hac *honora de substantia tua:* 2. Sim': ecce ficus,

cus, *Luc.7.* foliis virens, ac fructu carens, maledicitur, & arescit.

Sed opibus multi abutuntur ad ostentationem.

Isti apertis thesauris adorarunt; tu conditis in arca, vel defossis, vel, quod nefandius, in vsuram expositis, abste solo animo sat coli Deum putas? Vere *omnis auarus iniquus.*

Vel ad bestiales vsus.

1. Male & ijs: qui ad ostentationem thesauros reseruant. Vt Ezechias Rex, 4. *Reg.* 20. ostentans thesauros Babylonijs Legatis: at post annum spoliatur iisdem. 2. Male arbori Nabuchodonosoræ; *Dan.* 4. quæ late patula fructibus animalia saginabat; exscinditur: dispergitur. Ita qui opibus abutūtur in vsus brutales vel suos, vel suorum brute viuentium; vel canum ac equorum. 3 Quam in delicias profusus Epulo, *Luc.* 10. tam parcus in egenos. At *sepultus in inferno est.*

Sequenda stella quæ?

II. Porro imitandi sunt Magi in sequela stellæ. 1. Stellæ nobis multæ, & illustres. Vt Sanctorum exempla, ait *S. Leo Sermon.* 3. *de* Epiph. item prædicationes: inspirationes diuinæ, ait *S. Greg. hom.* 36. *in Euang.*

Munera offerenda quæ.

2. Imitanda sunt & munera. 1. Aurum charitatis. Nam D. Th. p. 1. q. 38. a. 2. *Amor omnium donorum est primum.* 2. Thus deuotionis dans odorem thimiamaticum in orationibus, conuersationibus, &c. 3. Myrrha, mortificationis. Nam *expedit vt vnus homo* carnalis in nobis *moriatur pro populo* gratiarum, animæque facultatum. Iussit Deus, *Num.* 3. omnes pilos corporis radi: non euelli: ita non succrescens imperfectum nostrum extirpemus oportet.

Reuertendum quoque.

3. Imitandus eorum & reditus. Nam *per aliam viam reuersi sunt in regionem suam.* Venerunt per viam latam idololatriæ: redeunt per viam fidei, ac pietatis. Ita iussit apud Ezechielem Deus, vt ingressus templum per vnam portam; egrederetur alia, non eadem. Contra egit Pharisæus, qui intrarat per portam sui fastus, & exit eadem, *Luc.* 18. Non sic Publicanus, qui per iustificationis ianuam descendit.

Hisce Bessus valedixit suis Auditorib. alio migras domicilii.

III. Nec Lycurgus à Delphis Spartham reuerti voluit. Remp. is Lacedæmoniorum optimis legibus iam diu instituerat; ciuibus conuocatis ait, se Delphis consulturum Apollinem de legibus. Sed prius eos iurare sibi iubet, omnes leges obseruaturos sese, donec ipse reuerteret. Iurant. Ipsi oraculum ait: Lacones prospere agent, quamdiu latis vsi fuerint legibus. Lycurgus ergo se fame enecat; cineresque suos etiam in mare spargi mandat: ne vel mortuus rediret Spartham; quo suis & iuramentum, & felicitas perennaret. Ita Prædicator instituat auditores suos, vt in doctrinam suā iurare queant. Cæterum, eos Deo committat.

Possit hisce Paulinis eos affari, Act. 20. *Ecce, nunc ego scio, quia amplius faciem meam non videbitis vos omnes, per quos transiui. prædicans Regnum Dei. Quapropter conteſtor vos, quia mundus sum à sanguine omnium. Non enim subterfugi, quo minus omne Dei consilium annunciarem vobis. Attendite vobis.*

O nunquam audire contingat mihi de vobis istud Matth. 13. *Venit inimicus homo, & superseminauit zizaniam.* Sique interroget: *Nonne bonum semen seminasti in agro tuo? Vnde habet zizania?* Cogar respondere dolens: *inimicus homo hoc fecit.*

Vt Iosue, *cap.* 6. cum ad sonitum tubarum solo æquasset circum Iericho; *Maledictus*, inquit, *qui reædificarit mœnia Iericho.* Tuba prædicationis viam sternit: igitur *maledictus, qui reædificarit. &c.*

IN FE-

IN FESTO S. MARCELLI EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Potest esse Communis de Episcopo, aut Confessore quocunque.

Ecce Sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo. Eccles. 44.

MArcellus bello, & pace iuxta vir inclytus. Hãnibalis profligator, quintum Cos. remp. Romanam beneficiis, rebusque gestis magnifice nobilitauit. Et hunc; & Parisiensem Episcopatum suum virtutibus S. Marcellus superauit; lumen Galliæ, columen Ecclesiæ.

Cuius occasione nos

I. *Quæ duæ sint dotes Episcopales.*
II. *De Doctrina Episcopali.*
III. *De vita ac virtute Episcopali.*
IV. *De dictorum omissione Episcopali.*

PARS I.

Quæ duæ sint dotes Episcopales?

I. VItæ probitas; & Doctrinæ sanitas, Episcopo necessaria sunt. 1. Tim. 3. *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, sobrium, continentem, pudicum, Doctorem.*

1. Sũt præfigurata. Ita Deus Leuit. 21. *Qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo: nec accedet ad ministerium eius si cæcus fuerit, si claudus, si fracto pede, si manu:* id est: qui ignorãtia cæcus, aut à piis operibus otiosus cessator est.

Expressè ab Apostoli. In istis ita præstabat Apostolus, vt diceret, Philipp. 4. *Qui vidistis,* opera, *& Audistis,* Verba, *in me; hæc agite.* Nec enim cymbalum erat tinniens: nec eorum è numero, quorum lingua brachio longior; *qui dicunt, & non faciunt.*

3. Doctaq; aliis. Hinc eadem dotes sic Timotheo suo cap. 2. commendat: *In omnibus temetipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, integritate, in grauitate.* Tito autem ita: *Exemplum esto fidelium in verbo, in conuersatione*; quasi dicat: Nolo te, vt campana templi, conuocare fideles; quæ tamen ipsa nunquam intrat templum.

Isaias, *cap.* 30. Messiam, verumq; Episcopum his descripsit: *Erunt Oculi tui videntes Præceptorem tuum,* in Operibus: *& Aures tuæ audiẽt Verba post tergum monentis,* verbis scilicet duobus omnia, quæ Episcopus det tum oculis, tum auribus. 4. Di Christo prædicta.

Euntes in Emaus ab ijsdem Christi qualitates describunt, Luc. 24. *Fuit Propheta potens in Opere & Sermone.* Atqui talis verus est Pontifex. 5. In ipso eximia.

II. 1. Quare merito Anacharsis Philosophus, apud *Plut. lib. de profectu morum,* Græcos exibilabat dicens: *Græci verborum magni sunt Philosophi, Sed vita, & moribus leuissimi.* 2. Idem Plato in Timæo. *Vos,* Græci: *semper pueri estis: senex autem Græcorum nemo,* quasi dicat: Verbis Multi, factis nulli. Quia & ab etiamis cõmendata.

3. At vero vbi ista simul in vno; is magnus. Id Zenalis pictor ostendit, Vlyssem prudentem, & fortem Diomedem pingens sese complexantes, ac intuentes: addita epigrapha hac: *Vnum nihil: Duo simulplurimum.* De quo sic Alciatus emblemate 110. Dicta sint factis sunt irrita.

Viribus hic præstat: hic pollet acumine mentis:
Nec tamen alterius non eget alter ope.
Cum duo coniuncti veniunt, victoria certa est.
Solum mens hominum, Dextraue destituit.

4. Idẽm Aegyptij exprimebant pingentes geminum Mercurium; sed hunc iuuenem, illum decrepitum. Volebant,

acce-

accedentes ad gubernandum prestare oportere prudentia, & operis exemplo. Nimirum Matt. 5. *Qui fecerit, & docuerit; hic magnus vocabitur in regno cœlorum.*

Tanti ista sunt duo; vt ob miranda Opera Barnabas pro Ioue, ob verba diuina prædicator Paulus pro Mercurio à Lystrensibus haberentur; diuinis honoribus, si tulissent, afficiendi, *Act.* 14. Sic res habet, duo illa, in quo conueniunt vno, virum eum diuinum efficiunt. Qualis hic Sanctus extitit.

PARS II.

De doctrina Episcopali.

Episcopus quasi lux est.

1. DOctrina Episcopo perquam necessaria est. 1. Teste Domino, Matth. 5. *Vos estis lux mundi*, quasi dicat: Ego cœli, Angelorumque sum lux; vos mundi ac hominum. Sunt illa cœlorum astra lux animalium; at animarum lux Pastor est; vt oues ad gloriæ lucem perducantur. Non paulo hæc nobilior est lux, quam illa. Nimirum, quantum animæ animalibus præstant.

2. Et Sol.

2. Ac velut Sol tenebras, ac nebulas fugat: è solo euocat omnia, fouetq; : Ita præsul hæreses, moresq; paruos doctrinæ dissipat splendore, & calore.

3. Est columna lucens & ardens.

3. Hinc Sap. 19. *Dedit eis ignis ardentem columnam ducem ignotæ viæ.* En tria: fortitudinem Columnarem in sustinendo: Ignem in zelo Ardentem; doctrina Lucentem: tum vt vias ignotas doceant: & arduas aperiant, ac præeãt. Rupertus *Holcot lect.* 195. vult. Sapientem respexisse ad septem æreas, aliasque septem lateritias columnas, quas Cham post diluuium ingentes constituit, inscripsitque septem artes liberales, ne hæ quo simili orbis excidio intercciderent. Harum esse similes vult idem Episcopos oportere scientia, ac labore. Vt Verum perstet: *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam.*

4. Videri audiriq; debet.

An ideo forte Deus voluit Summi Pontificis vestem tintinnabilis esse fimbriatam? *Vt audiatur*, Sancta sanctorum *ingrediens, & egrediens, & non moriatur*: id est. Vt S. Greg. Magnus intelligit: *Sacerdos ingrediens, & egrediens moritur, si sine sonitu prædicationis incedat.* Væ igitur ab morte iis, qui Episcopatus honorem magis, quam laborem doctrinæ quærunt.

5. Est caput simile Christo.

II. Quam illi dissimiles Christo? Huic, vt Deo, scientia erat increata: vt homini, infusa. Et hæc ideo ait *S. Th. p. 3. q. 9. ar. 3.* vt eodem idiomate posset loqui cum Angelis, quorum Magister & Caput esse debebat; vt ait *S. Dionys. l. de cœl Hier. c. 7.* Quod si docere Christus debuerit Angelos: quanto magis Episcopus subditos?

6. Est oculus in Christo.

Caput enim is est: at huius solius proprij sunt oculi: quorum est, cæteris membris prospicere. Hæc, offendunt, dum palpant; isti, si cæcutiant Matt. 15. *Si cæcus cæcum ducat, ambo in foueam cadunt.*

Inde nomẽ Episcopi.

Hoc Isaias, c. 56. deplorabat: *Speculatores cæci omnes nesciuerunt: vniuersi canes muti non valentes latrare: videntes vana, dormientes: & amantes somnia.* Atqui Episcopi sunt Speculatores, ἀπὸ τῆς ἐπισκοπῆς, ab inspiciendo.

Plaga est excæcatio Episcoporum.

Quo terribilior ac sæuior comminatio illa. Isa. 29. *Claudet oculos vestros, Prophetas & Principes vestros, qui vident visiones, operiet.* Vnde certa ruina, vel ab ipso Deo eam immittente, aut permittente. 2. Sicut; 2. Re. 5. *proposuerat Dauid præmium qui percussisset Iebusæũ, & abstulisset cæcos & claudos, odientes animam Dauid*: hi enim arcem Sion obtinebant: Ecclesiam sæpe Episcopi tales. Væ horum quis Dauid, quis percussor erit?

3. Naas quoque, Rex Ammonitarum, vt Galaaditas deleret stirpitus, iussit Duces eorum exocularí. 1. *Reg.* 11. atque hac conditione ducem eis petentib. impertiuit. Ait Lyranus Galaaditas fuisse pro-

ceros, clypeumque sinistra præferentes oculo sinistro nil dispicere quiuisse: ideoq; Naan dextros erutos voluisse. Talis Satan agit cum nonnullis Episcoporum, quos exoculat.

7. Est candelabrum.

III. Tales quam parum similes sunt Candelabro aureo Tabernaculi. Exod. 25. *super quod lucernæ septem, vt luceant ex aduerso?* Hæ sunt, 7. oculi super vnum lapidem, id est, septem artes liberales cum Theologia, quibus prælucetur populo docendo, & ducendo. De hoc candelabro Dominus, Mat. 15. Luc. 8. *Nemo accendit Lucernam, & ponit eam sub modio, sed super candelabrum.* Quare si lux sit populo necessaria; magis est populi Magistro Episcopo.

8. Est tuba.

Quid enim voluit Deus, cum iuberet in castris Sacerdotes clangere tubis? Nõne hoc potius gregarij alicuius fuisse decebat? At significabat prædicationem Euangelicam fore Sacerdotum propriam. Ideo Isaiæ mandatum, cap. 58. *Quasi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo scelera eorum.*

Omnia ista fuit S. Marcellus doctrina sua.

Talis fuit tubicen S. Marcellus Parisiorum Episcopus nonus, annis ab hinc 1200. æqualis S. Genouefæ, ac ei perfamiliaris. 1. Qui velut duo erant luminaria magna Parisiorum. 2. Velut virentes oliuæ duæ Apocalypticæ. 3. Fuit ille velut Iacob; qui vt gregem Labani seruaret tutum, nulli perdius ac pernox labore parcebat. *Gen.* 31.

PARS III.

De vita, ac virtute Episcopali.

Episcopus non bonæ vitæ est 1. Horologium disturbatũ.

I. ACtio studiosa Episcopo secundum doctrinam quoque necessaria est. 1. Cæteroquin similis mendaci fuerit horologio: quod audis edere ære decimã; at, dum inspicis gnomonem, vides eum monstrare vix semitertiam: continuo vitiatos iudicas axes intus. Ita multa sonãt quidam buccones; at dictorum agunt ipsi nihil: quin contraria subinde. Adeo verbis facta constant parum.

2. Est reprobus.

Quid? Si ab hoc sibi metuebat, qui dicebat, 1. Cor. 9. *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo; ne forte, cum aliis prædicauero, ipse reprobus efficiar*: tute tibi non metues? Qui prædicas pœnitentiam, ac ieiunia; ipse bacchanalia vives? Non sic illi, qui Ps. 125. *Euntes ibant, & flebant mittentes semina sua.*

Similitudo.

1. Similis est docens, nec eadem opere præstans, tædę; quæ lucet aliis, se destruit. 2. Similis aquæ baptismali, alijs ad cœlos asserenti; se minime. 3. Similis arcæ Noe fabricatoribus; quam ipsi non intrarunt, præter Noen.

Virtus practica necessaria.

II. Plane sic est, 1. vti Demosthenes sciscitantibus iterum, ac tertium, *quid in Oratore primas ferret*; respondit iterum, ac tertium, *Actio*. Ita & in Episcopo. *Actio* nãque fundamentum est prædicationis, & Episcopalis dignitatis.

1. Vt orator.

2. Vt sponsa Ecclesia.

2. Hinc sponsa nõ tantum vocem spõsi laudabat, Cant. 2. *Sonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis, & decora*: sed etiã manus: Cant. 5. *Manus tornatiles, aureæ, plenæ hiacinthis.* Hæc sunt opera aurea charitatis in Sponso Ecclesiæ.

3. Vt opus.

Et vero pater ille familias in vineam suam vocauit operatores; non oratores, *Matth.* 9. Ita & in messem messores, Luc. 10. *Rogate Dominum messis, vt mittat operarios.* Et iustam subdit querelam: *Messis quidem multa, operarij autem pauci.* Multi sunt Doctores, Philosophi, Abbates, Canonici: & tamen operarij pauci: Quique sunt, hi sunt plerique mercenarij: Aut Matth. 23. *Dicunt, & non faciunt.* Hinc orbis lacrymæ.

Metuit Saulis exemplum.

Ideo, vt de Saule, non omnes Amalecitas delente, vti iussus; queritur Deus, 2. Reg. 15. *Pœnitet me, quod constituerim Saul Regem: quia dereliquit me, & verba mea opere non com-*

non compleuit. Ita de otioso Episcopo queri potest.

Figura. 1. Sit ambidexter.

III. 1. Hocq; magis, quod similem esse oporteret illi Aod ambidextero, Iudi. 3. qui *fecit sibi gladium ancipitem, habentem in medio capulum longitudinis palmæ manus*. Ita Præsulem esse decet & obsecrando, & increpando ambidexterum, habereq; gladium ancipitem Verbum Dei cum capula palmari, vt faciat, quod docet.

2. Sustinet tota Ecclesia.

2. Est Ecclesia, vt mare fusile, 3. *Reg.* 7. circa quod Salomon sculpsit animalia; quorum Episcopos esse similes conuenit; vt sint *Leones* fortitudine, *boues*, labore, *Cherubini* scientia.

3. Sit Angelus in manu Dei.

3. Monet idem, *Apoc.* 1. quod visus Filius hominis tenere manu septem *stellas, quæ Angeli sunt septem Ecclesiarum*, id est, Episcopi sint puritate Angeli: sint stellæ lucentes doctrina; & fixi in Deo ac Spiritu: sint in manu Dei stabiliti; non in manu, seu fauore ac munere hominum: sint in manu operosa operosi. Atq; talium videre regimen quam pulcrum, quamque beatum est? Sin secus quam id infelix?

PARS VI.

De dictorum omissione Episcopali.

Sciunt nō facientes.

I. ET vero plerique *sciunt: & aliqui non faciunt*. 1. Quales Græci: de quibus grandæuus quondam, cum in Olympicis sibi locum conuenientem inter Græcos quæsisset: nullus viro cano cessit. Transiit ergo ad Lacædæmonios; hic ei iuuentus omnis, virique assurrexere, interque canos similes deduxerunt. Cui facto cum Græci acclamassent, ipse eis acclamabat: *Heu miseriam! Omnes Græci norunt, quid sit honestum: sed eo solum vtuntur Lacedæmonij*. Plut. in Laconicis. Ita inquam, & Præsules sciunt. Sed sæpe hoc tantum.

Malaferiati.

2. Cæterum; *stant tota die otiosi*, Matth. 20. *Otiosi*, non reformantes Clerum: non visitantes diocesim: non pascentes gregem: non arcentes lupos, vulpes, apros: non plantantes, aut euellentes: non in caulis ouium, sed in aulis nobilium conuersantur.

Maiorum dissimies in labore.

II. Quam hi maiorum dissimiles? De quibus S. Gregorius, in Moral. istud *lob.* 39. interpretatur: *Nunquid nosti tempus partus ibicum in pratis: aut parturientes ceruas obseruasti? Incuruãtur ad fœtũ, vt pariant: & mugitus edunt*. ibices ac ceruas celeritate prædicandi superarunt Apostolici viri: hinc continuo *in omnem terram exiuit sonus eorum*. Sed quanto cum labore, ac dolore *per Euangelium ego vos genui?* 1. Cor. 14. Ipse ita describit, 2. Cor. 11. *Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum; ter naufragium feci, itineribus sæpe in periculis fluminum, latronum, ex genere, ex gentibus, in falsis fratribus, in labore & ærumna, vigiliis multis, & fame, & siti, ieiuniis multis, in frigore & nuditate*.

Ita seminarunt maiores; hinc metimus: Ps. 104. *Dedit eis regiones gentium, & labores populorum possederunt*.

Hos illi in egentes, in Ecclesias, in cœnobia dispertiebant. Vnde hodieq; eorũ extant monumenta: sed quæ sint Ecclesiæ & incrementa, & adiumẽta, & firmamenta, & ornamenta. Hinc quisq; eorum *in memoria æterna erit, vt iustus, ab auditione mala nõ timebit*: Ps. 3. *Ideo*, Eccl. 44. *fecit illũ*, eorum quemq;, *Dominus crescere in plebem suam*. Vt Prou. 31. *Laudent eum in portis* OPERA *eius*.

IN FESTO S. SEBASTIANI Martyris.

Suppleuit Enucleator.

Descendens IESVS *de monte, stetit in loco campestri.*

Luc. 6.

HOlophernes, *Iudith.* 5. ab Nabuchodonosore missus cum exercitu, ad

orbem sibi subiugandum ; audito Bethusianos sese ad resistendum parare; exarsit ira , conuocatisque militiæ principibus, quærit: *Quare præ omnibus, qui habitant in Oriente, isti contemserunt nos ?* &c. Tunc Achior dux , Israelitarum repetit originem, gesta, religionem Deique cultum: in quo si persistent, vinci non posse. Ad quod irati principes, ei mortem intentant. Holophernes, *cap. 6.* iubet adstrictum arbori exponi, dum præliaretur: ac dein occidi. Bethulia vero solutum recipiunt: dum victoria daretur in manum Iudithæ.

Ita Diocletianus. *Baron. Anno* 386. dæmonis œstro percitus Christianos persequitur. At S. Sebastianus, dux primæ cohortis Prætorianorum, Christum cõfessus, adalligatus ori telis omnium proponitur. Diuinitus vero morti exemtus tyrannum increpat acrius: Vincente demum Nomine Christiano:

De ipso nos ex Euangelio

I. *De tam innumeri Martyrij & Causa, & voluptate.*
II. *De Domini Descensu, & populi accursu.*
III. *De Virtute, quæ exiuit à Christo, & S. Sebastiano.*
IV. *De Beatitudinibus S. Sebastiani.*
V. *De Mercede S. Sebastiani in cœlis.*

PARS I.

De tam innumeri Martyrij Causa, & Voluptate.

SAepe mihi in mentẽ venit admirari: Cur in lege Gratiæ tantum profundi sanguinem Martyrum voluerit Deus. 1. Cui, in lege seruitutis, brutorum sanguine litasse sat fuerat? 2. Cui Vnius Filij effusus sanguis mille mundis redimendis plus satis erat eoque minus opus Martyrum cruore?

Quæ causa tot Martyrum? Sane miranda.

Quo tamen adeo immaduit orbis; vt vere Psaltes 45. *Effuderunt sanguinem sanctorum tuorum, sicut aquam in circuitu.* Dixeris; Plures martyrio in lege noua; quã in veteri bruta sacrificio occidisse. 2. S. Hieronymus sane testatur; ad suam vsque ætatem, in quemque anni diem, esse quinque millia ex præclaris martyribus. Et quanti post eum oppetiere? 3. Dixerit Ecclesia Christo; quod Sephora Moysi: Exo. 4. *Sponsus sanguinum tu mihi es.*

Veruntamen cum Sponsus sponsam dilexerit *vsque ad mortem , mortem autem Crucis*; percunctanti sibi, Ps. 115. *Quid retribuam Domino pro omnib., quæ retribuit mihi?* Sponsa ipsa respondet : *Calicem Salutaris* Saluatoris *accipiam , & Nomen Domini inuocabo.* q.d. Amor amore , & sanguis sanguine compensetur. Vnde ei debitũ reddit eodem genere monetæ. Ideo subiicit: *Vota mea Domino reddam coram omni populo eius:* publico, plurimoque martyrio, seu testimonio : Quia *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius.*

Amor & mors Christi.

Adhucne quæres Domine, Matth. 20. *Potestis bibere Calicem , quem ego bibiturus sum?* 1. Ecce, potuerunt innumeri : & alia *omnia*; sed *in Eo, qui confortat eos.* Tu sic oraſti; & impetrasti: *Matth 26. Pater, si fieri potest; transeat à me* ad Martyres *calix iste.* Vt nimirum discipuli mei sint veri.

Christus voluit.

Orauit.

3. Hinc S. Ignatius aiebat: *Modo incipio discipulus Christi esse*, cum ducebatur. 4. Ideo S. Sebastianus, Luc. 2. *Ecce, positus est in signum, cui contradicetur*: Sicut & Christus. Verum vterque secure cum Iob. c. 24. *Violenta sagitta mea*; sed *absq; peccato.* Quare sic pro Christo pati, non ira Dei est, sed gratia.

Ipse q; martyrib. voluit.

II. Reges mundi dilectis sibi deferunt officia & laboris, & periculi parui; at honoris & delectationis magnæ : è contra Dominus. Hinc Moysi vocato mox ignem & spinas ostendit. *Exod.* 2. Abrahæ, occidium vnigeniti: *Gen.* 22. Dauidi Goliathum

Summa huc gratia est Dei.

liathum & Saulis hastam: Danieli lacum leonum: Iobo sterquilinium: Apostolis odia ignes & enses. Nempe sic & ipsum pati oportuit, & in gloriam intrare. Neque discipulus est super Magistrū: satis est, si sit sicut Magister eius. Ergo, Phil. 1. *Vobis datū est, non solū vt in eū credatis; sed ēt vt pro illo patiamini.*

Figura testę. Diuini hoc signum amoris est. *Vti* 1. Reg. 20. Ionathas Dauidi, recte an secus res eius essent, hoc signum dabat: *Si dixero puero: Ecce, sagittæ intra te sunt, tolle eas, tu veni ad me: Pax tibi est, & nihil est mali. Si autem dixero: Ecce sagittæ vltra te sunt. Vade in pace; quia dimisit te Dominus.*

Sic Dominus Sebastiano, *Sagittæ intra te sunt.* Ps. 37. *Domine, ne in furore tuo arguas me, neq; in ira corripias me: Quoniam sagittæ* tribulationū *infixæ sunt mihi; & confirmasti super me manum tuam.* amoris; Quia doloris manum sentio.

Summa & voluptas martyriū. III. Enim vero sic *cum infirmor, tunc potens sum.* 2. Cor. 2. Antestat testis expertus Apostolus 2. Cor. 4: *In omnib. tribulationē patimur; sed non angustiamur: aporiamur; sed non destituimur, persecutionem patimur; sed non derelinquimur, deijcimur; sed nō perimus. Semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes; Vt & vita Iesu manifestetur in corporibus nostris.*

Sebastiano teste. Hinc prunæ, illis rosæ, tormenta erant delectamenta, mors vita dulcior; sane pueris puellisque, spectaculum factis, & miraculū orbi. Testis Sebastianus, tū cōstantius affari Diocletianum ausus; cum stipiti ad excipienda tela fixus staret. Quia Militaris est mos, hastandis aut sagittādis patronum legere; qui ictu primo cor figat; quo ictus cœteri sine sensu excipiantur. S. Sebastiano Patronus erat Christus: Cui is cum S. Augustino: *Sagittaueras tu Domine cor meum charitate tua.*

Sed amantibus. Sic confixis dicitur: Colos. 3. *Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* 1. Atqui vero hasce Dominus *sagittas suas ardentibus* cum charitate *effecit*: Vt esset ibi cor, vbi amor, amor, vbi thesaurus in cœlo. 2. Huc inuitat Dominus: Matth. 11. *venite* vltro *ad me omnes, qui laboratis* persecutione mundi vel carnis, *& onerati estis, ego reficiam vos* amore mei. *Sic enim iugum meum* crucis *suaue est, & onus meum leue,* amantibus.

Votū martyrij pro facto imputatur. *Dices.* Opto adire martyrium: at occasio deest: Quid ergo retribuam? Quomodo calicem Salutaris accipiam? Accipe, & Retribue voto; Si non queas facto. Nunc voto soluitur, q̄ olim posita vita. Vt gē. marius, quas recēs ex Indiis allatas gemmas magno vendidit, eas post cogitur dare minoris quo factæ sunt vulgatiores: Ita Dominus Martyrium nunc voto vēdit, quod alias cruore fuso. Vel accipe calicem, voto, si non detur bibere facto. Saltem baiula crucem tuam, & veni post me; *Matt.* 14. Si fixus in ea mori nō queas. Ideo *Descendens Iesus de monte stetit in loco campestri*: Quo accessus est omnibus: paucis ascendere datur, *& adire Corinthos, superasque euadere in auras.*

PARS II.

De Domini descensu, & populi accursu.

I. Ascenderat montem perfectionis cum paucis; qui dicere poterant: Mat. *Ecce, nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Sicut, *Exod.* 19. Moyses cum paucis subiit in montem; populo ad radices eū operiente. Psal. 14. *Quis ascendet in montem Domini? Innocens. Quis hic, & laudabimus eū.*

Loquere paruulis vt paruulus. 1. *Descendit* autem; Vt plures valeant sequi paucorum enim perfectio est. Ambr. 2. *Quomodo enim turba, nisi in humili, Christum videret? Non sequitur ad excelsa.* Mira in hoc Charitas Dei est; parantis sublimia per humilia, viam cœli altam per facilia. 1. Ita Baptista, *Luc.* 3. ab militibus vulgaria exigebat; non suæ rigorem vitæ. 2. *Sic* Apostolus, *Tit.* 2. cuique pro statu suo re-

gulam viuendi dictabat. Ergo stantem in campestri coniugali, sæculari, militari, &c. adi, sequere: quia, 1. Ioann. 5. *Mandata eius grauia non sunt.*

Misce vtile Dulci: & omne fere punctum.

2. Descendit, postquam ascenderat: vt similiter Actiuam misceas vitam cõtemplatiua. Eleuare in Deum ratione; mox condescende proximo per opera charitatis. Sede in monte cum Christo; in cãpestri Peregrinare cum illo. 1. Præclare Hieronymus ad Gælantiam: *Intra in cubiculum secretum; qui sit tibi portus, in quo à tempestate quiescas. Cum Christo in monte sedente, tu quoque sede.* Thr. 3. *Sedebit solitarius, & tacebit; & leuabit se supra se: Vacate, & videte: quoniã suauis est Dominus. Sed postquam sederis surge.* Psalm. 126. *Surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris.* 2. Descendite, necessaria proximo præbete. Cum angelo. 3. Reg. 19. *Surge, comede: grandis tibi restat via* ad montem gloriæ, Vbi, Isa. 32. *Sedebit populus meus in pulcritudine pacis, & in requie opulenta.* 3. Iam tamen, 2. Tim. 4. *Attende tibi*, in abscondito, vel mõte: *& doctrinæ*, in publico & campestri. Sic philacangeli, licet nos custodiant, curentque nostra, tamen & Deo adstant cõtemplatores. Locutio non impedit Intellectionem, sed explicando adiuuat: Sic nec contemplationem actio. Cæsarius Heist. hic: *Qui sedens regnat, stans pugnat.*

Altus es: Humilia te.

3. *Descendit*: Quia licet in alto *Sedeat cum senatoribus terræ*; Prou. 32. non tamen oblitus est pauperis inferioris. 1. Psal. 11. *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit?* 2. Non, vt Pincerna liberatus & lautus, oblitus Iosephi nexi est. *Gen.* 40. Non securus in alto constitit; qui condescendere nescit. 3. Quis tam superbus gallus est indicus, qui visis pedib. suis non cristas ponat? Mich. 6. *Humiliatio tua in medio sui.* 4. Hinc Rex: Psa. 21. *Ego autem sum vermis: & non homo.* Mich. 6. *Descende; sede in puluere virgo filia Babylon.*

5. Descendit de solio Rex Niniue. *Ion.* 2. 6. Nabuchodonosor ascendens ait: *Dan.* 4. Deus ego Sion: Et excidit regno. Postquam ad bestias descenderat; tum secure in regnum ascendebat. 7. Eccl. 32. *Rectorem te posuerunt? Noli extolli: Esto in illis, quasi vnus ex ipsis.* Ecce, qui regnat in cœlo; stat hic in campo. Ps. 31. *Ecce audiuimus eum in Ephrate* Celsitudinis; *& inuenimus eum in campis syluæ* ac turbæ. Hic tamen stat: *Quia*, 1. Petr. 2. *peccatum non fecit, neque inuentus dolus in ore eius.* *Esse saluare.*

II. *Et multitudo copiosa plebis*; Vicinæ, *Ex Iudæa*: Remotæ: *Et Maritima Tyri.*

Iudæa, id est, *Confessio.* Hæc triplex Fidei; Criminis; Laudis. Prima præcedat secundam. Quia, Heb. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo*, eumque placare de peccato. Secunda tertiam. Quia, Eccl. 18. *Non est speciosa laus in ore peccatoris.* *Confessio triplex circumstat Dominum*

De vnaquaque conuenit multitudo ad Christum.

1. De Confessione Fidei, Martyres adsunt circumstantes in campo Martio. Ecce, primipilum Sebastianum: qui ait, Thre. 3. *Dominus posuit me, quasi signum, ad sagittam: misit in renibus meis filias pharetræ suæ.* Venit, vt sanetur: Et sanatus fuit corpore restituto; & post anima glorificata. 1. *Fidei. Vt martyrum*

2. De Iudæa Criminis venit adultera, Magdalena, Zachæus, &c. 1. Ioan. 1. *Si confiteamur peccata nostra; fidelis & iustus est, vt remittat nobis peccatum, & emundet ab omni peccato.* 2. *Criminis vi: peccatorum.*

3. De Confessione Laudis trinæ, ex corde, ore, opere; venit Dauid, &c. Psal. 97. *Confitemini Domino in cythara* cordis; *& Voce Psalmi, in tubis ductilibus. & voce tubæ corneæ* id est, opere: vt Cõfessores prædicatione; & Martyres passione. 3. *Laudis: vt Confessorum.*

De Maritima Gentium prædictum, Isa. 1. *Fluent ad eum omnes Gentes.* Isa. 60. *Tunc videbis & affluës, & mirabitur & dilatabitur* *Accursus Gentium prædictus, & saltus.*

tabitur cor tuum: quando conuersa fuerit ad te ex paganismo multitudo maris, fortitudo Gentium venerit tibi: Sicut 2. Par. 9. *Omnes Reges terræ desiderabant videre faciem Salomonis; vt audirent sapientiã, quam dederat Deus in cor eius.*

Vtiliter 1. ad veritatem intelligendam.

Causa accursus est duplex. 1. Agnitio erroris sui: amorque veritatis. *Venerant, vt audirent eum.* Ier. 16. *Ad te gentes venient, & dicent. Vere Mendacium idololatriæ possederunt patres nostri; & vanitatem* vitæ, *quæ eis non profuit.* Idcirco Mich. 4. *Docebit nos De viis suis: & ibimus in semitis eius.* Vicissim ipsi, ait per Zachariam, cap. 2. *erunt mihi in populum; & habitabo in medio tui:* deserta velut Iudæa.

Matth. 21. *Dico vobis quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.* Ioan. 10. *Oues alias,* quam Iudæos, *habeo, quæ non sunt de hoc ouili: & illas oportet me adducere.* Matth. 22. *Ite ergo ad exitus viarum.* 1. Gentes exteras. Iuit Philippus. *Act.* 8. Petrus admonitu visi lintei. *Act.* 10. Paulus iuit Doctor gentium. Iuerunt & cæteri. Nam *Act.* 13. *Ecce conuertimur ad Gentes.*

Ergo ex amore veritatis, *Venite filij, audite me, timorem Domini docebo vos.* Psalm. 33. *Doce iustum*; Prou. 9. *& festinabit accipere.*

2. Ad sanitatem recuperandam.

2. Causa accursus erat Sanitatis amor: *Vt sanarentur à languoribus suis.* Vt Magister docebat: vt Medicus sanabat. Aduocabat, Matth. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis; Ego reficiam vos.* Adueniebant Oseæ 6. *Reuertamur ad Dominum; quia ipse cœpit, & sanabit nos; percutiet, & curabit nos.* Ipse enim est. Psalm. 102. *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui sanat omnes infirmitates tuas: qui replet in bonis desiderium tuum.*

PARS III.

De Virtute, quæ exiuit de Christo, & S. Sebastiano.

Virtus ex Christo exit.

I. VIrtus de illo exibat, *& sanabat omnes:* id est, operatio virtutis. Luc. 8. *Ego noui virtutem de me exiisse*; quæ latès prius, tũ in opere se manifestarat. Iuxta Sap. 12. *Virtutem ostendis tui, qui non credenti esse in virtute consummatus.* 2. Exit autem, cum se aliis cõmunicat. Isa. 40. *Qui dat lasso virtutem; & his, qui non sunt, fortitudinem & robur multiplicat.* 3. Magna virtus ea; quæ, Sap. 14. *Potens est ex omnibus sanare.* Quod si enim, 4. *Reg.* 13. ossa Helisæi tactu solo mortuum vitæ reddiderunt: quid non poterit contactus Christi?

Fidenter tangendo.

Accede igitur, Assuerus aiebat Hesteræ, cap. 15. *& tange sceptrum* Misericordiæ. 2. Fide; Abolita iam lex est illa: 2. Exod. 15. *Bestia*, peccator, *quæ tetigerit mõtem*, Christum; *lapidabitur*: At iam sanabitur. 3. Oza, 2. *Reg.* 6. quod Aream tetigerit; repente occidit: At tange nũc Christum; & vita viues. 4. Aromata tacta fragrant; afflant; odorem tangenti. 5. Ara tacta fit azylum confugo. Ideo *omnes quærebant Iesum tangere.* Sed tangentem & ipse tangit. Quem admodum?

Item ex S. Sebastiano exiit.

II. S. Sebastianus accessit: tetigit; & multam virtutem ex eo suntem accepit. Verum mox tactus & ipse à Christo, multa item virtute fragrauit. Tangitur à Christo, cum patitur pro Christo; & pariter saccus eius aromatum scinditur: Vt & *Christi bonus odor* esset; & nobis *in odorem vnguentorum suorum.* Hinc, qui hodie ad ipsum conueniunt; cum Christum in ipso, tum ipsum in Christo agnoscunt, ac venerantur: simul *& sanantur omnes.*

1. Humilitas.

Quare & exeuntes in eum, & exeuntes ab eo virtutes inspiciamus. Ideo enim Dominus eum *posuit quasi signum ad sagittam*, quod intuentes imitemur.

I. Vir-

I. Virtus est Humilitas. Hæc exiit à Christo: Matth. 11. *Quia mitis sum, & humilis corde.* Exiit & à S. Sebastiano. 1. Nam de sua nobilitate non superbiuit: Sciens quod, Sap. 7. *Vnus est introitus omnibus ad vitam, & similis exitus.* At vero *Nonnullis* ait S. Greg. Dial. lib. 2. *Solet nobilitas generis parere ignobilitatem mentis: Vt minus se in hoc mundo despiciant; qui plus se cæteris aliquid fuisse meminerint.*

2. Forma corporis erat peregregius: at modestus Gnarus, quod, Prouerb. 3. *Vana est pulcritudo.* Atqui persæpe, Ouid. in Fastis:

Fastus inest pulcris, sequiturque superbia formam.

3. Officio sublimis erat, Dux primæ Prætorianorum cohortis apud Diocletianum Imp. Sciens, quod, Eccl. 10. *Omnis potẽtatus vita breuis.* Verum iure queritur S. Aug. lib. 8. Conf. quod *Hostis antiquus plures tenet superbos nomine Autoritatis.*

4. Prædiues erat: At tanto submissior. Sciens, quod, Prou. 10. *Nihil proderunt thesauri impietatis: Iustitia vero liberabit à morte.* Cum tamen multis eheu, ait S. Aug. hom. 13. *Vermis diuitiarum est superbia. Difficile enim est, vt non sit superbus, qui diues est.* Ecce tetigit nobilis nobilem, speciosus speciosum, potentem potens, diuitem diues: & neuter superbiuit: quia *Virtus* humilitatis *de illo exiuit.* Ideo vterq; *humiliauit se, vsq; ad mortem.*

2 Discretio, ad iuuandos Christianos.

II. Virtus est Discretio exiens à Christo in S. Sebastianum: & ab hoc nobis ad exemplum. Ipsius id Acta loquuntur.

1 Elegit militare tyranno; vt hoc prætextu commodius opitularetur Christianis egenis, aut captis pro fide, aut trucidandis.

Par in hoc Tobiæ, cap. 1. Qui *in* Babylonica *captiuitate positus, viam Veritatis,* Christianæ, *non deseruit; ita vt omnia, quæ habere poterat, quotidie concaptiuis fratribus, qui erant ex eius genere, impertiret.* 2. *Cum irent omnes ad vitulos aureos; hic solus fugiebat cõsortia omnium.* 3. *Custodiuit animam suam; & nunquam contaminatus est in escis eorum.* 4. *Pergebat ad omnes, qui erant in captiuitate; & monita salutis dabat eis.*

Ita prorsus S. Sebastianus. Exemplum est Marcellianus, & Marcus. Hi ab cognatis solicitabantur ad defectionem: & iam labascebant. Ecce Sebastianus prosilit: *O milites,* ait, *nolite per blandimenta coronam perdere sempiternam.* Digna oratio Sebastiano, apud *Surium tomo* 1. prolixa.

Adq; vincendum tyrannum.

2. Deinde ipsum accusatum tyrannus tentabat blanditiis; lactabat promissis; terrebat minis: Sed operam perdebat. Adeo *prudentia huius mundi stultitia erat apud* Sebastianum docibilem Deo, & spiritu plenum discretionis boni & mali. *Omnia arbitratus est vt stercora, tantum vt Christum lucrifaceret.*

3. Virtus omnigena.

III. Virtus, quæ exibat ab illo, erat Panoplia quædam gratiarum, fragrans *sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Gen. 27. Erat namque in sermone verax, in iudicio iustus, in consilio prouidus, in cõmisso fidelis, in bello strenuus; aspectu angelicus; corpore integer, pietate eximius, animo generosus, & in omni morũ honestate singularis. Hinc vel hosti amabilis, inter primos semper palatij, arcanique consilij erat Diocletiano.

Cũctis imitanda.

Quare merito, ait S. Ambr. lib. de Ioseph. c. 1. *Sanctorum vita cæteris norma viuendi est.* Aug. l. 8 de Trin. c. 17. *Summa religionis est, imitari quem colis.*

Nam Sancti sunt imitandi.

Dicis: Altiores sunt, quam ad quos aspirare audeamus. *Respondet* Chrys. l. 1. de Compunctione cordis. 1. *Nonne sancti Dei amici eiusdem naturæ erant; cuius & nos?* 2. *Nonne eadem via ingressi sunt hunc mundum; qua & nos?* 3. *Nonne iisdem cibis vtebantur, & eundem respirabant aerem?* 4. *Nonne iisdem vitæ vsibus agebantur? Non aliqui eo-*

Qui eorum etiam coniugia experti sunt, & liberos procrearunt? Quidam etiam opifices communium artium erant. Alii vero & lapsus perpessi sunt peccatorum.

Sed multum, inquis, gratiæ acceperunt. Si miracula facere iuberentur: aliquid diceres. Sed quia conuersationis obseruãtia quæritur: nihil dicis. Accepisti enim gratiam per baptismum, si non vt signa faceres: at vt rectæ vitæ innocentiam custodires. Ideo perditionis nostræ causa est negligentia nostra. Non dicet: Quia mirabilia feci stis: sed quia esuriui, & dedistis, &c. Cæterum sancti non proponuntur nobis in exẽplũ, quia signa fecerunt: sed quia præcepta seruauerunt, Hæc Chrysostomus.

4. Claritatio. IV. Virtus quædam Christi transfigurati, & Apostolorum exibat ab eo. Nam *Spiritus S. in eos descendit in specie ignis:* Act. 2. *Et tunc cœperunt loqui variis linguis, prout, &c.* Ita S. Sebastianus, *exhortans Marcellianum ad constantiam, Gentiles ad fidem: subito per vnam fere horam, splendore nimio de cœlo veniente, illuminatus est: & à septem angelis clarissimis pallio candidissimo amictus.*

Atque vero S. Spiritus, Sap. 7. *in animas sanctas se transfert: Et non habitat in corpore subdito peccatis.* Sicut emissa ab Noe columba, non requieuit super cadauera, ceu coruus: sed super Arcam. *Genes. 8.*

5. Miraculorum operatio. V. Virtus erat Donum miraculorum. Nam dum exhortabatur Marcellianum ad tolerantiam, 1. Visus est astare angelus, librum præbere ex quo quasi legeret paræneſin: 2. dicere ei, Pax tecum: Sebastiane, tu mecum semper eris. 3. Zoë vxorem Nicostrati, in cuius domo illa gerebantur, quæque ea vidit, mutam restituit ad loquelam; perq; S. Polycarpum baptizauit eam aliis cum plurimis. 4. Tarquilinum patrem Marcellini podagricũ baptizat, & sanat. Itemque Vrbis Præfectum Cromatium. *Scitote, quoniam Dominus mirificauit Sanctum suum, &c.*

6. Martyrii tolerantia. VI. Virtus Patientiæ ab eo exiuit discrutiato telis tot fixis, quot gerit ericius. Pro mortuo relictum Deus reparat integrum. Christiani suadent, loco cedat; at contra audentior ibat in Diocletianum & Maximianum, arguens eos tyrannidis, & impietatis. Quorum iussu fustigatur ad necem: in cloacam abiicitur, ne pro martyre coleretur. At insecuta nocte S. Luciam ipse iubet sese ad limina Apostolorum tumulare.

Demum Canonizatione. Anno post 608. Italiam sæua pestis exhausit, viso angelo malo, iussu boni, ferire fores telo toties, quot morte mactatos volebat. Tunc reuelatum est; S. Sebastiano ara poneretur in S. Petri Aede, vt patrono aduersus pestem: foreque hanc desæuituram. Factum vtrumque est. Ex eo structis aris orbe coli toto cœpit. *Baron. Annal. to. 8.* Meritoque suo: patet ex dictis: & liquet ex Beatitudinibus quatuor, hic à Domino prædicatis. Quas in *S. Sebastianum* conuenire nunc breuiter condocebimus.

PARS IV.

De Beatitudinibus S. Sebastiani.

Beatitudines 4. BEati, 1. *pauperes spiritu.* 2. *Qui esuritis.* 3. *Qui nunc fletis.* 4. *Cum vos oderint homines. Quia* 1. *Vestrum est regnum Dei.* 2. *Saturabimini.* 3. *Ridebitis.* 4. *Merces vestra multa est in cœlo.* Omnia vtrinque in vnum apte conueniunt *S. Sebastianum.* Si quidem vere ac bene promittitur. 1. Regnum opulentiæ, contemnentibus temporalia. 2. Conuiuium abundantiæ, desiderantibus spiritalia. 3. Risus iucunditatis, detestantibus mala culpæ. 4. Multitudo mercedis, sustinentibus mala pœnæ.

Promissa à Christo. Atque vero Dominus istis promisit. 1. Regnum, quod est in participatione diuinæ Potestatis. 2. Saturitatem; quæ est in gustu diuinæ Bonitatis. 3. Risum; qui est in contemplatione diuinæ Veri-

tatis. 4. Mercedem; quæ est in duratione æternitatis.

Promerita à S. Sebastiano.

S. Sebastianus autem 1. temsit temporalia. 2. affectauit spiritalia. 3. odit mala culpæ. 4. pertulit insons mala pœnæ.

Ergo à fidelis Dei 1. Potestate recepit opulentiam regni. 2. à Bonitate abundãtiam. 3. à Veritate iucunditatem. 4. In æternitate mercedem.

Imitanda nobis.

Satagite, Eph. 3. *comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit longitudo* æternitatis, *Latitudo* Bonitatis, *sublimitas* Potestatis, *& Profunditas* Veritatis. 1. Nam super hosce *eleuatis oculis dicit: Beati, &c.* 2. Quippe Psa. 33. *Oculi Domini super iustos.*

1. In paupertate.

Maxime super pauperes. 1. Quia, Ecc. 11. *Homo marcidus, abundans paupertate; oculus Dei respexit illum in bono.* 2. Exemplo Lazarus. 3. Quia Iac. 2. *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, hæredes regni; quod repromisit diligentibus se?* Prou. 19. *Melior ergo est pauper* Sebastianus, qui *ambulat in simplicitate sua; quam diues torquens labia sua* Diocletianus.

2. In esurie iustitiæ.

II. Num & esuriuit? 1. Certe, *qui esurit, virium quærit augmentum*: ait S. Ambr. tom. 3. l. 5. in c. 6. Luc. 2. Deinde, Eccl. 24. *Qui edunt me, adhuc esurient: & qui bibunt me, adhuc sitient.* 3. Denique iustitiam esuriunt, qui cum Domino aiunt: Ioan. 4 *Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me.*

Atqui S. Sebastianus & quæsiit auctarium virtutis; & edit, bibitque Dominum: proindeq; esuriit iustitiam Zelator Dei.

Vt Saturemur.

Ac Saturatus est. 1. Vtij, de quibus Apoc. 7. *Non esurient, neque sitient amplius; nec cadet super illos vllus æstus* persecutionis: *quoniam Agnus, qui in medio throni est, reget illos.* 2. Ex promisso, Psalm. 35. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* 3. Idque de facto, Psal. 80. *Cibauit illos ex adipe frumenti, & de petra mellis saturauit eos.*

III. Num & fleuit S. Sebastianus? Et quidem fleuit. 1. Pro adolescentiæ suæ peccatis. Vt Ezechias Ioan. 38. *conuersus ad parietem fleuit fletu magno.* 2. Vt Petrus, Matth. 26. *Egressus foras* ex infidelitate *fleuit amare.* 3. Vt afflictus Iob. cap. 30. *Versa est in luctum cythara mea, & organum meũ in vocem flentium.*

3. In fletu 1. propeccatis pro priis.

2. Alienis.

2. Fleuit pro peccatis alienis. Vt Dauid super Saulem. 2. *Reg.* 1. Vt Dominus super Ierusalem: *Luc.* 19.

3. Miseriis proximi.

3 Fleuit super alienis miseriis. Vt Iob. 10. *Flebam quondam super eo, qui afflictus erat.* Rom. 12. *Flete cum flentibus.* 4. Fleuit pro euadendis laqueis tentationum. Iuxta 1. Pet. 1. *Modicum nunc sic oportet contristari in variis tentationibus: Vt probatio vestræ fidei multo pretiosior auro, quod per ignem probatur, inueniatur in laudem.* Et talis inuenta fuit illa Sebastiniana in medio nationis prauæ Ethnicorum. Vt dicere queat: Ps. 41. *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi* ab Ethnicis: *Vbi est Deus tuus?*

4. Pro tentationibus vincendis.

Vt ridiamus.

At nunc ridet, ridebitque plenus gaudii ac beatitatis. Prouerb. 31. *Fortitudo, & decor indumentum eius: & ridebit in die nouissimo.* Euge Diue, Iob. 8. *Impleatur risu os tuum; & labia tua iubilo.* Et vero etiam, (quia, Gen. 21. *Risum fecit tibi Deus,*) *quicunque audierit, corridebit tecum,* Tuique, Deique laudator Christianus.

4. In odio passim tur. dis.

IV. Num Sebastianum oderant homines corde? 1. Amarunt ob dona naturæ: at corde oderant ob charismata gratiæ. Iuxta Matth. 10. *Eritis odio hominibus propter Nomen meum.*

Oris.

2. Oderant ore: cum *exprobrauerint* ei Christum; *& eiecerint nomẽ eius* Christiani, *tanquam malum.* Atqui 1. Pet. 4. *Si exprobramini in nomine Christi; Beati eritis. Nonne ipsi blasphemant bonum nomen, quod inuo-*

nuocatum est super vos? Quia, Iac. 2. *Bonum, dicunt malum.*

Operis. 3. Oderant opere : Cum *separauerint eum.* Sicut, Ioann. 9. *Conspirauerant Iudæi; vt, si quis eum confiteretur esse Christum, extra Synagogam fieret.* Exclusus Sebastianus est militia, aula, regis gratia, vita.

Idque omne, *Propter Filium hominis.* Quippe *martyrem facit non pœna; sed causa:* ait Aug.

Vis alue-mur. Quo præmio? 1. Cor. 1. *Si quid patimini propter Iustitiam; Beati eritis.* At S. Sebastiano Christus *factus est Sapientia, & Iustitia, & Sanctificatio, & Redemtio.* Ergo ter, quaterque beatus. Nam *in istis quatuor, hæc octo continentur* aliæ, ait S. Gregorius.

De illis tamen octo singulis eximie S. Augustt. tom. 6. de Virginit. Beati pauperes, Spiritu; inquit: *Imitamini eum, qui propter vos pauper factus est; cum dives esset,* 2. Cor. 8. Beati mites: *Imitamini eum, qui fleuit super Ierusalem.* Luc. 19. Beati, qui esuriunt & sitiunt. *Imitamini eum, qui dixit,* Ioann. 4. *Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me.* Beati misericordes: *Imitamini eum, qui in via iacenti semiuiuo relicto à latronibus, subuenit.* Luc. 10. Beati mundo corde: *Imitamini eum, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius.* 1. Pet. 2. Beati pacifici: *Imitamini eum, qui pro persecutoribus suis dixit: Pater, ignosce illis.* Luc. 23. Beati, qui persecutionem, &c. *Imitamini eum, qui pro vobis passus est, vobis relinquens exemplum.* 1. Petr. 1.

PARS V.

De Mercede S. Sebastiani in cœlis.

S. Sebastiani merces est multa. V. ECce merces vestra multa in cœlo. Ergo Sebastiane, Ier. 31. *Quiescat vox tua à ploratu, & oculi tui à lacrymis, quia est merces operi tuo.* 1. Et quidem. *Multa.* Adeo Psalm. 118. *Pax multa diligentibus legem tuam.* 2. quin & perpetua: quia *In cœlo,* Sap. 5. *Iusti autem in perpetuum viuent; & apud Dominum est merces eorum.* 3. Nec Sera. Nam Apo. 22. *Ecce venio cito, & merces mea mecum est, reddere vnicuique secundum opera sua.* 4. Et merito Sebastiani. Nam vt Elisæus, Eccl. 48. *In diebus suis non pertimuit Principem* Diocletianum: *& potentia nemo vicit illum; nec superauit illum Verbum aliquod.*

Cita.

Merita.

Est nunc, ô Sebastiane, tibi merces tua. 1. Salua; vt Angelorum. Tob. 1. *Inquire tibi aliquem fidelem Virum, qui eat tecum: salua mercede sua* Inuenitq; Raphaelem. Sic enim ministrant angeli mortalibus; vt interim gaudio non priuentur cœlesti: Inuenit & Angelum S. Sebastianus, astitem in concione, in sagitaria cõfixione, in tyranni increpatione, in morte iterata martyrii.

Mercedes variæ. 1. Angelorum.

2. Magna; vt Præpositorum seu Ducum. Sic Abrahæ patri multarum gentium, Deus: Gen. 15. *Ego protector tuus, & merces tua Magna nimis.*

2. Prælatorum.

3. Digna; Vt Obedientium. Est h. 16. *Cognoscantur omnes, qui Persis obediunt, Dignam pro fide recipere mercedem.* Recepit obediens vsque ad mortem geminatam.

3. Obedientium.

4. Plena; Vt Contemplantium. Sic Ruth dicitur, quæ cuncta reliquit: *Ruth. 2. Reddat tibi Dominus pro opere tuo, & plenã mercedẽ accipias à Domino Deo Israel; ad quẽ venisti, & sub cuius confugisti alas.*

4 Contemplatiuorũ.

5. Temporanea quoque; vt Operantium. Eccl. vlt. *Operamini opus vestrum ante tempus; & dabit vobis mercedem vestram in Tempore suo.* Hinc hodieq; in terris accrescit honor, cultus & gloria S. Sebastiano.

5. Practicorum.

6. Festina; Vt Proficientium est. Eccl. 11. *Benedictio Dei in mercedem iusti Festinat.*

6 Proficiẽtium.

7. Fidelis; Vt Perfectorum est. Prou. 11. *Seminanti iustitiam merces Fidelis.*

7. Perfectorum.

8. Copiosa; Vt Patientium. Matth. 5. *Ecce enim merces vestra Copiosa est in cœlis.*

8. Patientium.

9 Perpetua; Vt Perseuerantium. Eccl. 18 *Non verearis vsque ad mortem iustificari;*

Perpetua. *9 Perseuerantium.*

quoniam merces Dei manet in æternum.

Atqui in vno ista omnia S. Sebastiano eximia eluxerunt. 1. Vultu vitaque angelicus; 2. Dux bello fuit. 3. Cœlestium contemplator in terris: 4. Obedientissimus: 5. Operator salutis strenuus: 6. Proficiens de virtute in virtutem sedulus: 7. Perfectus Confessor: 8. Patiens Martyr: 9. Perseuerans Victor. 10. Ergo est & beatissimus æternum Triumphator. Hoc decimum Summa est omnium.

IN FESTO S. AGNETÆ VIRGINIS ET MARTYRIS.

Suppleuit Enucleator.

Simile est regnum cœlorum decem Virginibus. Matth. 25.

DAuidi, 2. Reg. 15. decem erant concubinæ, quas, furente Absalone, excedens vrbe Hebron reliquit pro custodia Domus. Absalon autem tyrannidis inuasor, consilio Achitophel, concubuit cum eis, inspectante populo, ad despectum patris, *ca.* 16. At Dauid, *c.* 26. dein victor, eis conclusis perpetuam imperauit viduitatem.

Felicior nouæ Legis Dauid: quod in veteri virginitas exularet. Is lectas decē Virgines domi reliquit, excedens ex orbe hoc: Furens Mundus, consilio Carnis, corrupit quinque at quinque non attigit. Ideo corruptis sponsus perpetuam imperauit viduationem regni cœlestis, perpetuoq; in carcere clausit.

De eo nos:

I. Virginitatis encomium ex iure merito.
II. De occursu Virginum, & S. Agnetis, ad sponsum.
III. De geminata S. Agnetis Aureola.
IV. De festina surrectione Agnetis, sponso adproperantis.
V. De tentationum incentiuis protinus abiegandis verbo: ITE FATVÆ.

PARS I.

Virginitatis encomium ex iure merito.

I. SImile est regnum cœl. X. *Virginibus.* Hæc vero laus Virginitatis est præcipua; vnde & prædicetur; & ametur; & honoretur. Dignitas nimirum eius, & sublimitas, & sanctitas, & puritas; quanta vel ipsius regni cœlorum est. *Virginitas cœlo confertur à Christo.*

1. Quid cœlum, (à Deo si abeas,) diuiniushabet Virginum Virgine Maria? Et quidem ipsis hæc dignior cœlis est. At nec ipsa quicquam habet Virginitate dignius. Quare nec cœlum, post Deum, aliud melius aut maius Virginitate nouit. *1. Est ea ipsa B. Virgine admirabilissima.*

2. Bene S. Bern. Serm. super Missus est: Ea, *si Dei mater esset futura cum detrimento Virginitatis, & gauderet de Filio, & doleret de Proposito. Nec antea Angelo assensum præbuit, donec ab eo audiret: spiritus S. superueniet in te.* *Præg. materna reuerentia.*

3. Et vero eiusdem Deiparæ cœlesti gaudium in præcipuis hoc est: quod & hic in terris, & hinc è terris ad cœlos, Ps. 44. *Adducantur Regi Virgines post Eam,* Mariam, Virginum Reginæ imitatrices. Quod *proximæ Eius* pedissequæ *asserantur: tibi* Christo & Matri *in lætitia & exultatione beatitatis.* Eas itaque sic quasi appellat: Thes. 4. Sorores *meæ charissimæ, & desideratissimæ: gaudium meum & corona mea, sic state in Domino.* Nunc quam B. Maria cum Virginitate in cœlis gloriam parat: eam seruator cum eadem quoque; in terris exhibet. *Est ei gaudiosissima.*

II. Seruatori Iesu in terris nihil est prę Ecclesia: Vt etiam voceteam Regnum cœlorum, *Matth.* 13. Simile Sagenæ: & alibi sæpius. 2. Vocetur Corpus eius. Col. 1. *Ipse est Caput Corporis Ecclesiæ.* Eph. 5. *Quoniam, vt vir est caput mulieris: sic Christus Caput Ecclesiæ.* 1. Cor. 12. *Vos autem estis Corpus Christi.* *2. Ecclesia fit magnifica Christo.*

Christi, & membra de membro. 3. Et eam dicit Ioannes Apoc. 22. *Ciuitatem Sanctam Ierusalem nouã, descendentem de cœlo, paratam à Deo, sicut sponsam ornatam viro suo.*

Explurimis in ea Virginitate.

Quanti tamen cunque sit Illa Sponso; in ea nihil est humanitus ipsi præ Virginitate. 1. Qua & Matrem suam præcipue voluit insignitam eminere: 2. Seque ipsum ab eadem ornari; quin & beari: 3. Sui quoque voluit ac Matris similes fieri complures: Non præcepto: Quia *non omnes capiunt verbum hoc* tam diuinæ perfectionis: Sed Consilio: dicens, Matt. 19. *Qui potest capere, capiat.*

Figuris ipsarum.

Cæteri Fideles Christi amores sunt: ac Virgines delitiæ. Hæ sunt nostri Abrahami Saræ sorores pariter & vxores, *Gen.* 12. Isaaci Rebeccæ dulcissimæ, *Gen.* 24. Iacobi Rachaeles formosissimæ, *Gen.* 29. Danidis nostri Abisag castissimæ, 3. *Reg.* 1. Assueri Hesteres lectissimæ, Hest. 2. & 7.

Hæ in cœlo post Solem Christum, & Lunam Mariam, sunt octauæ magnitudinis stellæ. Hæ corporis sui, Ecclesiæ, sunt anima; Caput ipse: membra cæteri. Hæ flos sunt delibatus populi Christiani: Ecclesiæque medulla, & mediastima medullæ medulla.

Est ea par angelis horum ruinæ reparatura.

III. Quid? Isidorus. *Qui casti perseuerant & Virgines, Angelis Dei efficiuntur æquales.* Sunt, qui dicant apud Cæsarium Heistert. Ser. 32. de Sanctis; quod ruina angelica de solis Virginibus sit reparanda. Nituntur isto Sap. 3. *Fœlix sterilis & incoinquinata, quæ nesciuit thorum in delicto! Habebit fructum in respectione animarum sanctarum,* eximium scilicet planeque singularem. An centesimum? Ita plerique interpretes in Matth. 13. & Luc. 8.

Eius triplex præmium. Figura.

At ecquê illum? 1. Sequi Agnum, quocumque ierit, *Apo.* 14. 2. Cantare canticum nouum, quod nemo alius. 3. Gaudere Aureola, quali martyrium. Vnde in Tabernaculo fœderis pelles hyacinthinæ coniungebantur pellibus rubricatis: in signum, fere parem martyrio Virginitatem in cœlo.

Martyrio natus.

Imo superiorem forte: Ideo hyacinthinis rubricatæ pelles supponebantur. *Exo.* 25 Quicquid id est: Coniugii est, replere terram; Virginitatis; cœlum.

Eius eminentia docetur.

IV. Quare, Isa. 56. *Non dicat Eunuchus,* id est, circumcisus propter regnum cœlorum: *Ecce ego lignum aridum. Quia hæc dicit Dominus eunuchis: Qui custodierit* Virginitatem, *& elegerit de præceptis meis, quæ ego volui* esse in Consilio Euangelico; *& tenuerit fœdus meum,* votum à se mihi factuũ castitatis perpetuæ. *Dabo eis in domo mea* Ecclesia *locum honoris, & in muris meis* cœli, *locum, & nomen melius à filiis & filiabus meis: & nomen sempiternum dabo eis.*

Cœlites omnes sunt Reges coronati.

Quis locus, quod nomen melius? In cœlesti Ierusalem quotquot sunt, reges sunt iidem, coronati omnes. Matth. 25. *Benedicti Patris mei, percipite regnũ.* Et Apoc. 2. *Esto fidelis vsq; admortẽ, & dabo tibi coronam vitæ.* 1. Cor. 9. *Et illi quidem* in terris, *corruptibilem coronam accipient, nos autem incorruptam* in cœlis. Ecce reges sunt omnes.

Virgines sunt Reges Regum.

Attamen inter eos sunt quidam Reges Regum: id est: quidam, qui super coronam gloriæ essentialis: alia coronatur accidentalis gloriæ: quæ Aureola dicitur. Daturque abheroico facinore insignibus, quod in militia spiritali designarunt.

Figura.

Huius figura extat Exod. 25. vbi Dominus: Facies mensam de lignis Sethim, & inaurabis eam auro purissimo. De hac Lucæ 22. *Ego dispono vobis regnum, vt edatis & bibatis supra Mensam meam.* Additur: *Faciesque ei aureum labrum per circuitum, & ipso labro coronam irrasilem:* (hæc præmium essentiale est Sanctorum:) *Et super illam, alteram Coronam Aureeolum,* id est, coronæ coronulam, seu Laureolam. Quæ est gaudium insigni facinore in corpore præstito.

Cur Aureolæ tres?

Talium porro facinorum genera esse tria censentur: Virginitatis; Doctrinæ; & Martyrij: Secundum tria genera Hostium, contra quos; Virium per quas; Finis triplicis ob quem pugnamus, vt Christo consignemur propius. 1. *Hostes*, ecce. Caro vincitur Virginitate; Mundus Martyrio; cum resistitur vsque ad mortem. Dæmon Doctrina; cum à nostris, imo & ab aliorum mentibus arcetur. De hac, Mat. 5. *Qui Fecerit, & Docuerit; hic magnus vocabitur in regno cœlorum.* 3. Qui fecit magnus. at qui etiam Docuit, insigniter Magnus. 2. *Vires*, quibus pugnamus, sunt; Rationalis, qua Doctrinam spargimus: Irascibilis, qua acuimur ad Martyrium: Concupiscibilis, qua spiritalia sectamur aduersus carnalia. 3. *configuramur* autem Christo vt Mediatori per Doctrinam; qui *omnia, quæ audiuit à Patre, nota fecit nobis.* Eius puritati per Virginitatem: Passioni per Martyrium. *D. Tho. 4. Dist. 495.*

Harum maior Virginitatis est laureola

1 Quia melior.

2. Quia superatu difficilior.

V. Iam vero, 1. Vt malus Dæmon, peior Mundus, pessimus hostis est Caro: Vtque malum est magnum Falsitas, maius Tyrannis, maximum Carnalitas. Ita Aureola Doctrinæ est magna, maior Martyrij, maxima Virginitatis.

2. Christus in seipso vicit Mundum: Ioan. 16. *Confidite, ego vici mundum*: Vicit in sese Dæmonem tentatorem in deserto. *Matt. 4.* At Carnem non vicit in seipso. Quia, vt expers ea fomitis, non ipsi recalcitrauit. Hostis autem victus semel, vincitur iterum facilius; difficilius, qui victꝰ nunquam à Christo est: Quo gloriosior est laureola virginitatis: quia obtinetur difficilius de hoste intra viscera pugnante; non extra nos, vt cæteri.

3 Quia irrecuperabilis.

3. Adde. Victus in pugna Carnis potest tamen reliquas consequi Aureolas. Sic Doctrinæ, Augustinus, etsi carne lapsus: Sic martzres martyrij, etsi non virgines. Imo victus aliquando & lapsus in doctrina; item negans aliquando fidem; potest resurgere, & tamen aureolam prendere doctrinæ. Vt Augustinus, qui errauit: aut martyrij: vt multi. At virginitatis coronulam, qui semel perdidit; recipit nũquam. Dico cum Hieronymo: *Deus, cum omnia possit, Virginem recuperare non potest*: creare potest aliam.

4. Christo similior & proprior.

4. Deinde quia, teste *August. lib. de Virginit.* Virginitas in pluribus configurat nos Christo, quam Doctrina, aut Martyrium: idcirco suo quando iure hæc illis antecellit.

5 Quia est pars melior Christiana gentis.

5. Denique per X. Virgines secundum Hieron. & Orig. hic intelliguntur Fideles Christiani omnes. Iuxta 2. Corint. 11. *Despondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo.* Neque tamen omnes esse corpore virgines possunt.

Quare, qui poterint; erunt quoque ijdem Capiti Christo similiores, propiores Agno, cum coronula singulari supra coronam eam, cum cæteris communem. Et taliter *vincenti dabo Manna absconditum gaudij cœlestis; & Nomen nouum, quod nemo scit, nisi qui accipit. Apoc.*

Quo beatior gaudio, & honore gloriosior in cœlis erit S. Agnes virgo & Martyr. gemina insignis Aureola, per felicem occursum, prudenter factum sponso, consecuta.

PARS II.

De occursu Virginum, & S. Agnetis ad sponsum.

Lampades duplices.

I. *Accipientes lampades suas*: secundum Hilarium, gratiæ baptismalis: De qua Isa. 58. *Erumpet quasi mane lumen tuum.* Secundum Augustin. Lampades bonorum operum. 2. Iuxta Matth. 5. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.*

2. Et

Desponsatio duplex.

2. Et sic *Exierunt obuiam sponso & sponsæ*: id est. 1. Christo, in quo Diuinitas cum Carne desponsata est: Vnde est: Psalm. 18. *Tãquam sponsus procedens de thalamo suo.* 2. Vel ipsi & Ecclesiæ. Quam Io. 3. *qui habet sponsam, sponsus est.* Itaque exire his obuiam est; seruire Christo Patri, & Ecclesiæ Matri.

Exitus duplex.

3. *Exierunt* autem 1. de peccato. Ps. 113. *In exitu Israel*, animæ, *de Aegypto*: de tenebris *domus Iacob de populo barbaro*: *facta est Iudæa*, 1. Confessio peccati, *sanctificatio eius.* Et sic peccator corde egreditur ad contritionem; ore fit confessio ad sanctificationem. 2. Exierunt de sæculo obuiam Pauperi, Casto, Obedienti vsq; ad mortem Christo: idque in Religione professæ.

Virgines duplices.

4. Prudentes exeunt de vtroque: *Fatuæ*, de sæculo: at non de affectu peccandi. Hinc illarum lampades ardent charitate, & lucent opere bono, in gratiæ oleo. Istarum sunt extinctæ ab oleo vacuæ. Suntque hypocritæ.

Ita illæ: S. Agnes autem quid?

S. Agnes qualis.

II. Exiit ipsa duodennis cum lampade & baptismali, & operosa: de originali peccato, at nullo actuali, deque sæculo hoc nequam, cum oleo gratiæ, ardore charitatis, & luce exempli: Suo obuiam sponso, & Virgo prudens, & Martyr inuicta.

Non quales fatua.

1. Non, qualis Eua cum Adamo ad pomũ adijt, deceptura ipsum. *Gen.* 2. 2. Non, vt Cain, *Gen.* 4. cum Abelo, occisura eum. 3. Non, vt Cham, *Gen.* 8. cum Noe, illusura ei. 4. Non, vt, *Gen.* 19. vxor sua Loth, respectura retro, inque sal fatuum peruertenda. 5. Non, vt, *Gen.* 19. filia cũ Loth, inebriatum pollutura. 6. Non, vt, *Num.* 12. Maria cum Moyse; ei fastuose obmurmuratura. 7. Nec, vt, *Gen.* 34. Dina cum Iacob, curiosa spectatum & spectanda. 8. Nec, vt, *Iud.* 11. vnigenita patri Lephtæ occurrit, decepta & decipiens, ideoque suam deplanctura virginitatem. Non obuiam exiit Christo, Non.

Sed quales prudentes.

1. Sed qualis, *Gen.* 12. Sara speciosa exijt cum Abraham, cui foret bene propter ipsam: periclitatura quidem ab Pharaone, & *Gen.* 20 ab Abimelech: at non lapsura. Quin hoc & benedicenda magis, & ditanda. 2. Qualis, *Gen.* 24. Rebecca cum Isaac in agris meditabundo, se pallio verecundiæ opertura ipsum de morte matris consolatura. 3. Qualis, *Gen.* 29. pulcra, & sterilis Rachael, fœta Deo, exijt è Canaa cum Iacob, comes indiuidua.

4. Qualis, 1. *Reg.* 25. Abigail occurrebat Dauidi; ab eo benedicenda, tibique desponsanda. Qualis, 3. *Reg.* 1. Abisag ad Dauidem senem; illius in sinu dormitura, virginitate salua. 6. Qualis, *Ruth.* 2. Ruth in agrum Booz sponsum repertura in spicilegio.

7. Qualis, *Iudit.* 14. cum ancilla Iudith, Holophernem mactatura. 8. Qualis Hester, *c.* 14. & ad Assuerum; suam gentem seruatura.

9. Qualis, 1. *Reg.* 1. Anna exiit cum Helcana in templum animam cum precibus coram Deo effusura. Feliciter ô! Denique Virgo & Martyr S. Agnes exijt obuiam Sponso, laureolam ablatura sibi duplicatam.

PARS III.

De S. Agnetis Aureola geminata.

1 *Figura.*

I. CAleb, *Iosue* 14. deletor gigantum Enacim in monte Hebron, viuidus senex, perinde vt iuuenis; dixit Ios. 15. *Qui percusserit Cariath Sepher, & ceperit eum; dabo ei Axam filiam meam vxorem.* 2. *Cepitque eam Othoniel, frater Caleb iunior.* 3. *Quæ cum pergerent simul, suasa & à viro suo, vt peteret à patre suo agrum: sustrauitque vt sedebat in asino.*

4. Cui

4. *Cui Caleb: Quid habes, inquit. At illa respondit: Da mihi benedictionem. Terram Australem & arentem dedisti mihi; iunge & irriguam. Dedit itaque ei Caleb Irriguum superius, & inferius.* Ita figura: Veritas ista.

2. *Veritas.* 1. Deus Pater, deletor Luciferianorum in cœlis: Isa. 14. Et, vt ait Malac. 3. *Ego Dominus, & non mutor*; dixit: *Qui percusserit & ceperit* Mundum; (in quo gigantes carnales, quales, *Genes. 6.*) *dabo ei S. Agnetem filiam meam vxorem.* 2. Vicit eum Iesus *frater* Dei *iunior* humanitate, par diuinitate. 3. *Pergebantque hi simul* de virtute in virtutem; & *suasa à* sponso *petere agrum*; in quo thesaurus esset absconditus virgineæ laureolæ, *Matt. 13. suspirauit, vt sedebat in asino* corporis infirmi, at promti spiritu. 4. *Cui* Deus: Quid *habes. At illa*; *Da mihi benedictionem: Terram Austr. & arentem* virginitatis perpetuæ sterilis quæ non parit, *dedisti: iunge & irriguam* sanguine Martyrii. Et *dedit ei* vtramque Aureolam *irriguum* virginitatis *superius*: & irriguum Martyrii *inferius*. Hæc summa breuis; ista historia.

II. Primo de laureola virginitatis strictim ex *S. Ambrosio.* 1. *Anno ætatulæ tertio decimo, pulera facie. Sed pulcrior fide, è Scholis reuertitur, à Præfecto vrbis adamatur: Donis & promissis tentatur: quæ à S. Agnete velut stercora sunt recusata.* 2. *Acrius exardescens iuuenis maiora & omnia offert: Cui Agnes.*

At retusus Oratione ad amasiũ S. Agnetis, profess. 1. *Desponsationem sui factam* 2. *Ornatũ sibi in arrã natum.* *Discede à me fomes peccati, nutrimentum facinoris, pabulum mortis; discede à me.* 1. *Quia iam ab alio amatore præuenta sum, qui mihi meliorate obtulit ornamenta, & annulo fidei suæ arrauit me, longe te nobilior & genere, & dignitate.* 2. *Ornauit me inæstimabili dexterotherio, dexteram meam & collum cinxit lapidibus pretiosis; tradidit auribus meis inæst. margaritas; circundedit me vernantibus atque coruscantibus gemmis. Posuit signum in facie mea, vt nullum præter ipsum, amatorem admittam: induit me cyclade auro texta, & immensis monilibus ornauit me.* 3. *Ostendit mihi thesauros incomparabiles, quos mihi repromisit.* 3. Dilationem sui.

4. *Non ergo potero ad contumeliam prioris amatoris vel aspicere alium; & eum relinquere,* 1. *Cum quo sum charitatis iugo deuincta.* 2. *A quo mihi iam thalamus collocatus est, cuius organa modulatis vocibus cantant.* 3. *Iam mel & lac ex eius ore suscepi, iam amplexibus eius castis adstricta sum, iam corpus eius corpori meo sociauit, & sanguis eius ornauit genas meas.* 4 Consummationem matrimonii spiritualis.

5. *Cuius mater virgo est; cuius pater Deus est; cui angeli seruiunt; cuius pulcritudinem sol & lunæ mirantur; cuius odore reuiuiscunt mortui; cuius tactu fulcientur infirmi; cuius opes nunquam deficiunt.* 5. Laudes sponsi.

6. *Si soli seruo fidem; ipsi me tota deuotione committo. Quem cum amauero, casta sum; cum tetigero, munda sum; cum accepero, virgo sum. Nec deerunt post nuptias filij; vbi partus sine dolore succedit, & fœcunditas quotidiana cumulatur.* 6. Castitatem matrimonii, & fructum.

Alter insultus iuuenis, & victus.

Inter hæc iuueni gliscit amor; vt ægrescat lectulo stratus. 1. Recomperta pater Agnetem instantius poscit, recusantem constantius. 2. Solam in tribunali minis adoritur & blandiciis: Nequicquam. 3. Parentes eius appellat: vt nobiles, cogere nequit.

Tertius insultus Antiochi Asiæ, vitiis Dei certa.

Ergo ad sæua vertitur: sed minas perdit ac pœnas. Nudatam lupanari includit 1: At *Crine resoluto tantam densitatem capillis eius diuina gratia concessit; vt melius videretur fimbriis eorum, quam vestibus tecta.* 1. à capillis.

2. *Ingressa autem turpitudinis locum, angelum Domini ita præparatum inuenit, vt circumduceret eam immenso lumine. Et quanto quis curiosior esse volebat, tanto sibi visus aciem obtundebat.* 2. Ab angelo.

3. Oranti apparuit stola candidissima, angelicis manibus præparata; qua induit se, actis Deo gratiis. 3. Abusus.

4. Quis-

4. Quisquis locum ingreditur, dans honorem lumini mundior egreditur.

4. Ab hostium. Quartus triplex martyrium.

Amasius eos, vt impotentes, arguens inuadit, in lumen irruit; at præfectus à Diabolo expirauit. Fit mora, post clamor & planctus; inde concursus omniū. Aduolans pater, vt magam proclamat; dicentem: *Deus misit angelum suum, & induit me, & custodiuit corpus meum, quod abipsis cunabulis Christo consecratum est, & oblatum.*

At virtute miraculo redimuntur. 2. Ignis extinctus.

Petenti filium restitui viuum; 1. oratione facta viuum reddit patri, confitentem Deum Deos execrantem. 2. Illa, igni mox iniecta, nil vritur, vt quæ libidinis non carpitur igne.

3. Sponsi amplexati. Collectio dictorum.

3. Demum obuia sponso eius in amplexibus mortem vincit gladio.

III. Multa hic Admiranda; Veneranda; Imitanda.

1. *Admiranda* in ætatula, Sapientia; in sexu puellari, constantia; in desponsatione, singularitas; in matrimonio castitas; in periculis, ex pietate prosperitas; in aduersis comploratis, ab hoste salus; in tormentis voluptas; in morte, vita. 2. *Veneranda*, cum hæc singula: tum sanctimonię diuinitas; vis spiritus; Gratia miraculorum; Angeli custodia; præsentia sponsi; victoria sponsæ; diuina vtriusq; fœcunditas; & virginalis Aureolæ sublimitas. 3. *Imitanda* vero ex vtrisque illis non pauca; nota seipsis intelligenti.

Apostrophe ad virginem.

Audi filia Agneta, Psalm. 44. *& vide & Inclina, & obliuiscere.* &c. *Quia concupiuit Rex speciem tuam.* Benedicta? Quia 1. Cant. 6. *Sexaginta sunt Reginæ* Salomonis; *octuaginta concubinæ; adolescentularum non est numerus: Sed Vna est Columba mea. Perfecta mea, Electa genetricis suæ.* Quæ? Virgo; & quidem Agneta. Hæc, 1. Cor. 7. *cogitat, quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo; vt sit sancta corpore, & spiritu;* & non *diuisa est.*

2. Multæ puellæ ad Assuerum intrabāt, sponsæ omnes: *Esth.* 2. Verum Hester ei vna placebat maxime: ideoq; Coronam accipit sola; Regina super reginas declaratur, regi adest, manetq; perpetua. Sic, *virgines sequuntur Agnum, quocunque ierit.* &c. Apoc. 14. *Virgines enim sunt.*

Tantane virginib. stat gratia? Gloria tanta?

IV. Nunc de altera S. Agnetis laureola pauca. De hac sanguine scribendum foret; sed sanguine Agnetis Sponsæ, sponsi lacte & melle remisto. Tu igitur, Ambrosi, ambrosiam prome tuam, & purpuratam Martyris describe Coronam. *Tertio decimo*, inquis, *ætatis suæ anno mortem perdidit; & vitam inuenit: Quia solum vitæ dilexit Autorem. Infantia quidem computatur in annis: Sed erat senectus mentis immensa: Corpore quidem iuuencula: sed animo cana.* *Historia Martyrij in puella.*

Cum vero & apud amasium, & apud patrem eius Symphronium Vrbis Præfectū identidem Sponsum in ore ferret; parasitus astans suggerit Præfecto, Christianam esse, magicis ita fascinatam, vt Christum dicat spōsum suum. Hic Præfectus dicto lætus; apparitione missa, eam tribunali præcipit sisti: Secretius blanditiis prouocat; terroribus pulsat. At ea vultu eodem & omnia terrentem sicut blandientem similiter temnit. Parentibus idem iudex titulum Christianitatis in filia exprobrat. *Cōtemtrix omnium præ Sponso.*

Postridie vero eiusdem ipsi superstitionem & magiam obiectat; iubet, Vestam colat; aut perituram. Cui Agnes: *Si hominem cunctis florentem, causa amoris Christi, nulla possum ratione respicere; quomodo possum ad idola muta, ad iniuriam Dei, cerui-cem inclinare. Noli infantiam corporalem ita in me despicere, vt putes me velle te habere propitium: Fides enim non in annis, sed in sensib. inuenitur: & Deus mentes magis comprobat, quam ætates.* *Deos refutans.*

Et ille: Elige: Aut cum virginibus ve-

Fidente seruatori.

ſtæ ſacrifica; aut cum meretricib. ſcortabere. Et ipſa: *Si ſcires quis eſt Deus meus; non iſta proferres. Scio; ideo minas ſperno: Sperno: ſciens quod nec ſacrificem, nec polluar. Mecum habeo cuſtodem corporis mei Angelum Domini: & Dei filiæ murus eſt mihi, cuſtos non dormiēs, defenſor non deficiens. Tui autem Dij ærei ſunt aut lapidei; igne conflati luunt igne cum ſui cultoribus.*

Ignes vincente, & gladium.

Ad hæc in lupanar intruditur: vbi necato, & reſuſcitato proco; ſacrificuli, vt magam, ad necem depoſcunt. Præfectus fruſtra renitens diu, abit: eam vicario Aſpaſio tradit: Qui in pyram injcit; ſed flammis cadentibus illi, & circumſtantes haurientibus, eam gladio ferit orantem; & rogum precibus reſtinguentem. Parentes natam ſepeliunt. Ad tumulum Emerentiana virgo lapidibus obruitur, cœlo in latrones fulminante. Tragœdiæ hæc cataſtrophe.

Gratulandum illi.

Omnes ergo, ait S. Ambroſ. *gratulemur in Domino, & adædificationem Virginum, qualiter paſſa ſit Agnes beatiſſima, ad memoriam reuocemus.* Rurſus idem: *Quia Fides mortis damnanon patitur, vſque hodie multæ virgines Romanæ Agnetem, quaſi in corpore manentem attendunt; & eius exemplo agentes viriliter & integre perſeuerant: credentes quod perpetuæ victoriæ palmam acquirent.*

Imitatrices nacta eſt.

Quare, porro ait Ambroſ. *mirentur viri; non deſperent paruuli: ſtupeant nuptæ, imitentur innuptæ; Fuit deuotio ſuper ætatem; virtus ſupra naturam. Magna vis Fidei; quæ etiam ab illa teſtimonium inuenit ætate?*

Nouum martyrii genus. 1. *Nondum idonea pœnæ; & iam matura victoriæ:* 2. *Magiſtra virtutis, quæ per ætatem diſcipula eſſe non poterat. Mirari omnes, quod vitæ prodiga, quam nondum hauſerat; iam quaſi perfuncta donaret: Stupere, quod iam diuinitatis teſtis exiſteret; quæ adhuc arbitra ſui per ætatem eſſe non poſſet. Cerneres trepidare carnificem, quaſi ipſe addictus eſſet.* Iſta Ambroſius.

PARS IV.

De feſtina ſurrectione Agnetis ſponſo adproperantis.

I. *Ecce; Sponſus venit: exite obuiam ei. Tunc ſurrexerunt omnes.* Hæc tuba in auribus S. Agnetis: *Ecce ſponſus venit*: Cant. 2. *Surge propera amica mea, &c.* 1. Surgit pugnant.

Ecce ſponſus: Surge, non *ludere*; Exod. 3. Sed Pſalm. 34. *Apprehende arma & ſcutum, & exurge* in fide & ſpe; vt bellona Domini. Tam diu non retro ſublapſa fereris; quam diu ad anteriora te extendendo ſurrexeris.

Et nobis ait S. Hieron. *Quotidianis, ac repentibus virtutum incrementis inſtauranda mens eſt.* Nam, inquit S. Bernard. *In via Domini non progredi, regredi eſt.*

II. *Ecce ſponſus: Propera.* Ambr. *Neſcite enim tarda molimina ſpiritus ſancti gratia.* Ambroſ. idem. *Non vlla ſic ad thalamum nuda properaret; vt ad ſupplicii locum læta ſucceſſu; gradu feſtina Virgo Agneta proceſſit; non in torto crine caput compta; ſed Chriſto; nō floſculis redimita; ſed moribus.* Sic ornarat lampadem ſuam. 2. Properat viuere.

III. *Ecce ſponſus*: Surge *amica*; ob fidem, ob Charitatem, ob Humilitatem. 3. Surgit vt amica In fide ſi-ſali.

1. Ob fidem præſtitam *amica*: dixit enim: *Ipſi ſoli ſeruo fidem: ipſi me tota deuotione committo: Ipſe annulo ſuo* Paſſionis Dominicæ *arrauit me.*

2. Ob Charitatem. 1. Ipſa dixit: *Amo Chriſtum, in cuius thalamum introiui.* 2. Dixit: *Ecce, venio ad Te, quem amaui, quem quæſiui, quem ſemper optaui.* 3. Dixit: *Non potero ad contumeliam prioris Amatoris vel adſpicere alium; & eum derelinquere, cum quo ſum charitatis iugo, (quamuis ſit parum honoratus ex me:) deuincta.* In charitate.

3. Ob Humilitatem *Amica*: in qua placere ſtudüit Altiſſimo. Vt Heſter, *cap. 7.* cum humi ſtrata iaceret; tum perplacuit Aſſuero. In demiſſione.

IV. *Ecce*

4. Surgit vt formosa, seu Topazius.

IV. Ecce Sponsus : surge *Formosa* ; ob niueam virginitatem ; ob promissam capillorum aureamq; cæsariem ; ob stolam candidissimam tibi ab angelis allatam: ob diuinam lucem tibi circumfusam. *Tota pulcra es amica mea*: Eccl. 26. Eia *Ostende mihi faciem tuam: facies enim tua decora*. Iob. 28. *Non æquabitur Topazius*. 1.

Hic gēma est, ait *Glossa in* 21. *Apocal* pulchritudinis præcipuæ; vt aspectum prouocet intuentium. 1. Idem in structura superne Ierusalem collocatur. *Apocal*. 21. 3. Eodem in thesauris regum nil charius. Et vero, Eccles. 26. *Omnis ponderatio non est digna continentis Animæ* tuæ, ô Agneta, ocelle Christi delitiose.

5. Venit vt columba vsura Sponsum;

V. Ecce sponsus : *veni columba mea*, prudens ; quæ coruum Præfecti filium repulisti, dicens: *Discede à me pabulum mortis. &c. quia iam ab alio amatore præuenta sum. Veni*. 1. vt faciem meam speculeris. Dixisti; *Pulcritudinem ipsius sol & luna mirantur*. Quippe, Sap. 7 *Emanatio quædā est claritatis omnipotentis Dei sincera ; & ideo nihil inquinatum in eam incurrit. Candor enim est lucis æternæ, & speculum sine macula Dei Maiestatis, & imago bonitatis illius*.

Venit coronanda.

Veni. 2. Vt regalibus induta coroneris æternum. Iam enim ante mortalem adhuc Isai. 61. *induit me*, ais, *vestimentis salutis, & indumento iustitiæ circumdedit me, quasi sponsam decoratam corona, ornatam monilibus. Gaudens gaudebo in Domino & exultabit anima mea in Deo Spōso*. Dixisti: *Congaudete mecum, & congratulamini, quia cum his omnibus lucidas sedes accepi*.

Venit osculanda.

Veni. 3. Vt *osculer te osculo oris mei* : Dixisti enim ; *Mel & lac ex ore eius suscepi*. sic Hesterā suus osculabatur Assuerus, *Esth. c.* 2. sic, Gen. 45. *osculatus est Ioseph omnes fratres suos*.

Oratio S. Agnetis voto potitæ suo.

Surge, propera, veni ; Ecce sponsus venit. Dicis: *Ecce venio cito*. sic enim orabas: *Benedico te Pater prædicande ; qui etiam inter flāmas intrepidam me ad te peruenire permittis. Ecce ; Iam quod credidi, video: quod speraui, iam teneo : quod concupiui, complector. Te confiteor labiis, & corde : te totis visceribus concupisco. Ecce, ad te venio viuum & verum Deum*. Expectata venis, Agnes : propera obuia sponso.

PARS V.

De primis tentationum incentiuis protinus ablegandis verbo, Ite Fatuæ.

Necari præstat, quam taminari.

I. MVris pontici id ingenium est; vt in ignem insiliat prius, quam in cœnum se adigi sinat : adeo sui deamans candoris est, fugitansque næui. Similis S. Agnes, ante in ignem & gladium ruebat, quam in maculam. Hinc vox ea; *Discede à me fomes peccati*. &c. Amores iactas tuos? *Iam ab alio præuenta sum*. Ignes minaris? suauem illi rorem mihi sudabunt. Ita Sathanam in limine primo confecit: obruit ipso in aditu incentorem peccati : Cunctis in exemplum, imitatu necessarium.

Proin, principiis obsta.

Quid arrepitis *Fatuæ* tentatriculæ: quid poscitis: *Date nobis de oleo vestro* ? Apagite ; protinus Ite. 1. Eua, *Gen* 3. male cauta serpentem ad colloquium admisit : incautior cum eo disserere cœpit ; nec expulit veteratorem. Cautior Agnes malesuadū ab adytis arcebat, & strauit. *Exemplo disce sapientiam*: Prou. 24.

2. & Aegyptij ; vt Pierius.

Nā ex ouo basiliscus exit.

Hierogl. lib. 17. inquit, *perniciem aliquam exilientem ex concepta concupiscentia significare volentes Ibin, & Basiliscum pingebant*. Nam ex Ibidis ouo basiliscum nasci tradunt prisci. Produnt causam Philosophi: Quod auis ea venenatorum sit multiuora, quorum virus oua inficiat. Sic in nobis. Nam, Iac. 1. *Vnusquisque tentatur à Concupiscentia sua abstractus. Deinde Concupiscentia cum conceperit, parit peccatum. Peccatum vero, cum consummatum fuerit, ge-*

Ex cōcupiscentia peccatum.

rit, generat mortem. Et *Mors peccatorum pessima est.* Ps. 33. Apte.

Inde mala omnia, mors denique.

At luculentissime ouum id describit Isaias, cap. 59. *Manus vestræ pollutæ sunt sanguine, & digiti vestri iniquitate. Labia vestra locuta sunt mendacium, & lingua vestra iniquitatem. Non est, qui inuocet iustitiam; sed confidunt in nihilo, & loquuntur vanitates: Conceperunt dolorem, & pepererunt iniquitatem.* Causam subijcit: *OVA Aspidum ruperunt, & telas araneæ texuerunt. Qui comederit de Ouis eorum, morietur: Et, quod confotum est, erumpet in Regulum.*

Ergo vel ouum tentationis reijce; vel hostem in ouo, quod aiunt: interfice. Vbi eruperit, iam in manu tua haud fuerit, te ab interitu vindicare. Sapiens igitur Psalm. 136. *allidet paruulos suos ad petram.* Dic, ITE. Hydræ multicipiti serpenti caput mox succrescit aliud, vno resecto. Nec enim extinxeris, nisi vel in semine; vel cunctis recisis capitibus. Istud vel puer effeceris: hoc non nisi herculeo lacerto audendum facinus est. Ita peccatum septiceps aut in semine concupiscentiæ, inque ouo, & vtero occide suffocandum: aut occide ab eo suffocatus. Ergo potius, & protinus, dic tentatriculis: *Ite fatuæ.*

Simile dilematicum.

In figura exemplum eroticum.

II. Ite Amorrhæi cogitatus amorosi: Nunquam Israelitæ terram promissam iniissent; nisi Amorrhæos cum Rege suo Sehon ipso in aditu contrucidassent. Rex concupiscentiæ, Amor est carnis; huius fœtus Amorrhæi sunt omnes: nec aliud homini infestum magis. *Ite* pestes; *Auerte oculos tuos, ne videant vanitatem.* Sic Iob. 31. *Pepigi fœdus cum oculis meis, ne cogitarent de virgine.* Quare, Genes. 21. *Eyce ancillam* concupiscentiam, *& filium eius* cogitationem primam. *Beatus*, Psalm. 136. *qui tenebit, & allidet paruulos ad petram.* 1. Cor. 10. *Petra autem erat Christus.*

Eodem Phi

Præclare, vt omnia, Seneca libr. 1. de ira, ca. 7. & 8. *Quarundam rerum*, ait, *initia in nostra potestate sunt: vlteriora nos vi sua rapiunt, nec egressum relinquunt.*

Philosophia ethnicatem dit.

Vt in præceps datis corporibus nullum sui arbitrium est, nec resistere, morariue possunt, sed consilium omne, & pœnitentiam irreuocabilis præcipitatio abscidit, vt non liceat eo non peruenire, quo non ire licuisset: Ita animus, si se proiecit in affectus, non permittitur reprimere impetum. Rapiat illum oportet, & adimum agat suum pondus, & vitiorum natura procliuis.

Simile sci. tum.

Hoc malum: nunc consilium accipe. *Optimum est, ait, primum irritamentum protinus spernere, ipsisque repugnare seminibus, & dare operam, ne incidamus in affectum. 1. Nam si cœperit ferre transuersos, difficilis ad salutem recursus est.*

2. Quoniam nihil rationis est, vbi semel affectus inductus est, iisque illi aliquod voluntate nostra datum est; faciet de cætero, quantum volet, non, quantum permiseris. 3. In primis, inquam finitus hostis arcendus est. Nam, cum intrauit, & se portis intulit, modum a captiuis non accipit. Hæc ethnicus: Vt nos pudeat Christianos.

Simile.

Ite fatuæ bestiolæ: vos arceo. Nam bestias metuo. *Ite* irritamenta malorum. Ego cum Abraham iuro, & Genes. 14. *Leuo manum meam ad Dominum Deum excelsum, quod à Filo subtegminis vsque ad corrigiam caligæ nihil accipiam ex his, quæ tua sunt:* aiebat Regi Sodomæo: id est, Superbiæ, aut luxuriæ: Nam si vel pilum admiseris, nedum filum, erit mox vt querare serius, heu *Funes peccatorum circumplexi sunt me* Ps. 118.

Conclusio.

Quare *ito, discede fomes peccati, pabulum mortis.* Ite: Ioel. 3. *Quid mihi & vobis, Tyrus & Sidon, & omnis terminus Palæstinorum?* S. Agnes, quam festina surrexit ad vocem:

Ecce sponsus: tam propera Fatuas
reiecit voce Ite.

IN FE-

IN FESTO CONVERSIONIS S.Pauli.

Suppleuit Enucleator.

Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Mat. 19.

MOysē, *Exo.* 12. ex Aegypto secutus Israel, grauis farina & spoliis nationis per mare quidem ductus, sub nube & columna ignis; manna quoque pastus, & veste detrita nulli, aut valetudine læsa vnquam, diu per deserta circumducitur, spe promissæ terræ ineundæ: at in hanc ab Iosue, c. 1. transito Iordane, impedimentis à tergo relictis, demum introducitur, post multa prælia ac pericula profligata.

Ita Iesum. 1. Tim. 2. *Qui omnes homines vult saluos fieri*: ad terram promissam sequūtur alii, vt Moysen, vt Iosuen, alij. *Isti* fortunis onusti, vt sæculares, sub amore & timore Dei protecti per mundum circumducuntur: at in cœlum denique non inferuntur, nisi cunctis exuti, ceu nudi de matre egressi fuerāt. *Alij*; vt Religiosi, Iesum sequuntur, sicut illi Iosuen, per multa prælia: Sed relictis prius omnibus, sic tamen, vt & *hic centuplum recipiant*, vt ij sub Moyse: & ibi *vitam æternam possideāt*; vt illi sub Iosue terram promissam. Experto S. Paulo crede Conuerso.

De quo nos

I. *De Perfectione Euangelica relinquendi omnia.*
II. *De sequela post Christum Religiosa, & Christiana.*
III. *De Paulo furente, & Christum persequente.*
IV. *De Sauli per Lucem Vocatione & Conuersione.*
V. *De eadem eiusdem simul facta per Vocem.*
VI. *De sequela Pauli post Christum, ad vocem eius Conuersi.*

PARS I.

De Perfectione Euangelica Relinquendi omnia.

I. PEtro percunctationis occasio erat ex adolescente copioso, sua relinquere, Dominumque sequi iusso: si quidem velit esse perfect⁹. Et quamuis impar illi opibus habitis: at superior erat tū relictis paucis, tamen omnibus, tum relinquendi voluntate; tum sequēdi Christum. Ideo fidenter ait: *Ecce nos rel. omnia.* &c. effectu, & affectu, tam in relictione, quam in sequela. Magna in vtroque iunctim perfectio est: At certa, illi, cui neutrum adest, damnatio ceu iuueni illi mœsto ex eo *Mat.* 19. ni post resipuit. *Occasio dicti:* Ecce nos.

Sequi Christum voto & facto, cunctis ad salutem necessarium est: at relinquere omnia, effectu quidem, non item: nisi Religiosis. Qui, quod erat Consilij; sibi fecerunt esse præcepti. Proinde omnia his relinquere effectu, & affectu, necesse est. 1. Ne, si parti adhæserint, seruire Deo, & Mammonæ dicantur. *Mat.* 6. 2. Euangelicæ namque perfectionis forma requirit, rerum aliarum formas abijcere, qui illam voluerit suscipere. Cum sint contrariæ. 3. Nequit statuarius nouam inducere formam, ni destruat priorem. 4. Grauiter & vere S. Augustin. lib. 83. 44. q. 36. *Venenum charitatis est*, in religiosis, *spes adipiscendarum, aut retinendarum rerum temporalium. Augmentum eius est, cupiditatis diminutio: Perfectio vero, nulla cupiditas.* *Religiosis necesse relinquere omnia perfecte.*

Ea perfectio gradus habet. Primus, ac *fundamentum est voluntaria paupertas*; vt S. Gregor. 2. Mor. c. 27. *Hæc inchoat perfectionem, & accingit hominem ad culmen eius.* Secundus est, exuere affectum ad terrena. *Diuitiæ enim*, ait ibidem, *velut spinæ animum* *Illius perfectionis gradus.*

mum hominis timoribus, solicitudinibus, mirifice angunt, cruentant. Tertius, si accedat iis perpetuitas. Hæc enim & spem ea repetendi extinguit. Quartus, si illam voto stabilias. Quod Apostolos fecisse, ex hoc: *Ecce nos reliquimus omnia*: colligit S. Augustin. 17. Ciu. c. 4. Hier. Greg. apud *Rosign. l. 5. c. 2.*

Eius adiumẽtum in religione est.

Dices: Perfectionis summa in charitate consistit: hac qui præstiterit, perinde est seu viuat relictis, seu retentis omnibus. Exempla suppetunt: Abraham, Isaac, Iacob &c.

Respondeo: Vox hæc & ingenium est blandientium sibi: 1. Nec enim iam dicti vixere in Euangelica perfectione, id est, in religione professa: quæ compendiosa est via ad perfectionem: offertque Paupertatem voluntariam perpetuam, vt nauim, aut vehiculum pertingendi ad eam: simul aufert incommoda multa retardationis.

Est q; præceptum post votum.

2. Crede Veritati: Luc. 14. *Quæcunque ex vobis non renuntiat omnibus, quæ possidet; non potest meus esse discipulus.* Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vende omnia, da pauperibus: & veni, sequere me.*

Est rationabile.

3. Negotiator, Matt. 13 *inuenta vna pretiosa margarita* regno cœlorum, *vendidit omnia, quæ habuit, & emit eam.*

Est & congruum.

4. Christus vult totum pro toto reddi. Ipse enim non tantum affectu animã posuit exinanitus; sed etiam effectu reque ipsa. Religiosis id dico.

Sæculari quid necesse.

Nam sæculari sat est, & necessarium; affectum terrenorum exuere. Vnde Ps. 61. *Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Manet tamen istud, Mar. 19. *Facilius est camelum per foramen acus, quam diuitem ad cœlum intrare.* Certa affero, non disputo hæc.

Sæculari omnia relinquere solo affectu est.

II. Illud quæri ac disputari permisi rim: *Si quis possit cor non apponere diuitiis in sæculo: an tamen rectius ea relinquat actu, quam possideat?*

Vtrinque momenta sunt: Mihi tamen arridentista. 1. Si peccandi se periculum ostenderit, præstat nimis cautum, quam parum prudentem videri; & tutiora sequi: vt est, *Relinquere omnia, & sequi Dominum.* *1. Periculum.*

2. Non possunt opes teneri absque cura: quo minorem esse cœlestium curam necesse est. Ita *Basil. Hom. 43. in Matth. 1.* Chrysostomi ratio est alia: *Facilior*, ait, *medicina est ad sanandos affectus, nihil, quam aliquid habere etiam moderate.* 2. *Facilius enim est, vt corpus humanum volitet, quam vt plura addendo quietum reddamus desiderium.* 2. Et Seneca Epi. 110. *Quædam facilius abscinduntur, quam temperantur.* *2. Perdifficile.* *Simile.*

3. Cic. *Qui se ex alto demittit, frustra sperat posse in medio se insistere, cum volet.* Sic inhærens opibus, posse simul Dominum sequi, cum volet, posse collectis non delectari: Potius ipsa nostra imbecillitas indulget sibi. *Simile.*

3. Est damnosum.

I. S. Leo. Ser. 12. Quadr. *Per licitos vsque ad immoderatos transitur excessus, dum per curam salutis irrepit delectatio voluptatis: & non sufficit concupiscentiæ, quod potest talis esse naturæ.* 1. Adde, quod, vt S. Basil. hom. de humilit. ait, *Anima similis fiat in studijs & operibus, quæ tractat exterius.* Nam quæ in sensu, eadem sunt & in intellectu. Quam autem secularibus sunt in sensu multa, quam varia? A quibus abiunctus, velut propitiis ventis fertur Religiosus: cum alter velut remis proprijs vrgere nauim suam debeat. *Simile.*

3. S. Greg. 7. Mor. c. 14. *Multi, dum terrenorum curæ licite seruiunt, etiã illicitis mundi iurgiis implicantur. Cumque res terrenas studiose tueri desiderant, cordis requiem deserunt. Sic obortum semen spinæ obruunt.* Concludit: *Dissolutis itaque gressibus ambulant, qui dum mundum perfecte non deserũt, semetipsos gradiendo obligant, ne gradiantur.* Quid luculentius? *Simile.*

4. Addo

4. Addo S. Bernardi sententiã, Hom. *Ecce nos reliq.* vbi ait: *Antiquis patribus sat fuit spiritum Domini solo spiritu sequi. At vbi Verbum Caro factum est, & habitauit in nobis, iam nobis in eo tradita est imago vitæ, & Perfectionis exemplar: quod oporteat etiam corporaliter imitari, & vtroque sequentes vestigio.* Affectus & effectus, *non vlterius cum Iacob altero fœmore claudicemus.* Chrys. l. de Virg. c. 83. *Habuerunt Patriarchæ opes & coniuges: sed non idem à nobis, & ab illis virtutis modus exigitur.* Docui, pene necesse sæcularibus esse, relinquere omnia.

4. Est imperfectum.

Figura.

Non expedit. Quia admit possessa.

1. Vel Mundus, & tempus.

III. Nunc prorsus expedire, suadebo. 1. Cum, 1. Io. 2. *Mundus transeat, & concupiscentia eius,* expedit, à nobis eum relinqui prius, quam vt relinquamur ab illo. Vnde Apostolus, 1. Cor. 7. *Tempus breue est: Reliquum est vt qui habent vxores, tanquam non habentes sint; & qui emunt, tanquam non possidentes, & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur. Præterit enim Figura huius mundi. Volo autem vos sine solicitudine esse.* At *quis est* interrenis *hic; & laudabimus eum?*

2. Vel mors.

Præterit figura. Nam spongiæ, postquam affatim biberunt; exprimuntur: Ita *Viri diuitiarum dormierunt somnium suũ, & nihil inuenerunt in manibus suis.* Psal 75. Imo sæpe ante emunguntur, quam diem obeant.

3. Vel auripeta, & haraspeta.

Notum illud Vespasiani Imp. apud Suet. *Quibusdam, vt spongijs vtebatur, quod siccos madefaceret; repletos exprimeret. Ideo rapacissimum quemque ad Causidicorum munus promouebat, quo locupletiores damnaret.*

4. Vel Deus

Ita & Deus diuiti, *Luc.* 12. de horreis amplificandis cogitanti; dicentique *animæ suæ: Habes multa bona, posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare. Cui Deº, Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te, quæ autem parasti, cuius erunt? Sic est, qui sibi thesaurizat, & non est in Deum dives.*

Ex quo infert V. Beda: *Ergo, qui vult esse in Deum dives: non sibi thesauriset.* Iansenius in Cõcord. c. 86. *id est: Qui propter Deũ vult in pauperes esse beneficus: non debet ad suam voluptatem congregare.*

IV. Nocet hoc; vitam aufert, & honorem. Vnde S. Chry. ho. 18. in Matth. *Si ergo,* ait, *apud terrenum Regem Honorem nobis auferrẽt opes, despicabiles fierent. Rege vero cœlorum inclamante, Difficile est nos cum diuitiis regni cœlestis gloriam intrare, non impendemus omnia?*

Item possessa ipse ab honorem nobis.

2. Non opes expediunt. Notus enim Apologus de Anseribus & Gruibus. In prato pascebantur eodem, adueniente aucupe, grues sua leuitate sublati auolant: capiuntur anseres suo pondere depressi. Ita opibus graues facile *in laqueos incidunt diaboli,* & in seruitutem eius: At nudi sequentes Christum, rident hostem, &, Ps. 18. *Exultant, vt gigas, ad currendam viam.*

1. *Nos onustant in prædam.*

3. *Relinquere omnia,* viam expedit ad Latriam, ad idololatriam vero, aggerere multa Israelitæ, Aegypti spolia ampla ferentes, per viam aurum vertunt ad vitularem idololatriam. *Exo.* 32. Quid auaritia? an non *est idolorum seruitus?* Eph. 5. Qui non in via, relinquendo omnia, ad Christum proficiunt, sensim à Christo deficiunt, & ad idola conuertuntur opũ: Quibus incubant, velut, *Gen.* 31. Rachael tectis sub stramine furtiuis idolis Laban, i. mundi.

3 *Inducũt in idololatriam.*

4. Iosue viderat, quo aurum Aegypti vertisset Hebræis, Cautior præcepit, vrbe Iericho iam æquata solo, *Ios.* 6. omne vrbis aurum & argentum cõsecrari Domino. At Achan, *Ios.* 7. clam aurum sublegit, & morte luit. Iericho, id est, Luna: cui similis mundus, qui *stultus vt luna mutatur.* Eccl. 27. Et Dominus ait, Ioann. 16. *Ego vici mundum:* Idem sequentibus se vetuit auri sacram famem: consuluit relinquere omnia, dare pauperibus. Contra cõmisit, *Act.* 5. Ananias & Saphyra: mor-

4. *Afferũt mortem vetita.*

teque

teq; luerunt ambo subita. Terrena spernas; & vita viues.

5. Impediũt in cœlos viam.

5. Relinque; aut relinquere. 1. Elias, 4. *Reg.* 2. in cœlum ascendere non valuit; nisi dum pallium reliquit. 2. Ioseph. *Gen.* 39. periclitabatur de pudicitia; nisi relicto impudicæ pallio sese protinus eiecisset. *Quid autem*, ait S. Greg. ho. 32. in 13. c. Matt. *Sunt terrenæ opes, nisi quædam corporis indumenta? Qui ergo ad certamen properat, indumenta abiectat: nec succumbat.*

1. Quia polluunt animam castã

2. Et grauant.

1. Cor. 9. *Oportet deponere omne pondus* terrenorum, *& circumstans nos peccatum, vt per patientiam curramus: aspicientes ad Autorem fidei, & consummatorem Iesum.* Qui enim *in agone contendit, ab omnib. se abstinet.*

3. Retardant.

3 Iacob. *Gen.* 33. onere gregum & familiæ sequi se posse negabat.

4. Mergũt.

4. Adolescens, Mar. 14. *reiecta Sindone profugit nudus.* Et tu, Virg. 3. Aen. *heu fuge litus auarum* mundi pontici: & vel onera omnia proiice in Pontum; vt te penetres certior in portum.

5. Oculos humi deprimunt.

5. Vetuit Deus, *Leu.* 12. in Templo sibi ministrare gibbosos: Nimirum, quod oculos minus attollere cœlo queant. Ita gibbosi elephantes mundi, suffarcinati & sarcinati, leuare capita parum volunt, aut valent. Sic diuites camelo comparat Dominus; *Matt.* 19. Cœlum hi suspicerẽt? Citius per foramen acus tranſit & camelus; quam in cœlum auriuorus. Quare Religiosus relinquat omnia affectu & effectu: Sæcularis certe affectu toto; quodque minus effectu pari queat, de hoc sat doleat; & imperfectum suum eleemosynis redimere satagat.

PARS II.

De sequela post Christum Religiosa & Christiana.

I. DImidium facti, *qui bene cœpit, habet.* Perfectionem cœpit, qui omnia reliquit: restat plus altero tantum hoc. *Et secuti sumus te.* Quod quidem *sequi Christũ* vt ipsum *Relinquere omnia*, duplex est: Apostolicum, & Christianum: vtrumque iuxta necessarium: licet aliter aliis.

Sequela duplex est.

Religiosæ perfectorum sequelæ, partes traduntur Abnegatio, Resignatio, & Indifferẽtia. 1. *Abnegatio* quidem; vt prodroma Renunciatio fuit rerum tantum externarum abdicatio, ita abnegatio, sui inquam, est internarũ affectionũ & corporis, & animę mortificata abiectio. 1. *Nisi enim quis à se ipso deficiat*, inquit Glos. *ad Deũ nõ appropinquat.* 2. Ergo *eiice ancillã* Philautiam: & erit Pax Saræ: & rex erit Isaac: ne cum Ismaele seruæ filio affectu colludat obscœne.

1. Religiosa in Abnegatione sui.

Typus.

Hæc Corpus in seruitutem redigit: odit Animam suam, dicens: *Velle meũ nihil est:* Sed *Fiat voluntas tua:* itẽ. 2. Cor. 10. *Omnẽ intellectũ in obsequiũ fidei*, ac vitæ Christi: Sic, vt illi sit, 1. Reg. 15. *idololatriæ scelus, Nolle acquiescere: & quasi peccatum ariolandi, Repugnare.* 2. *Resignatio*: quæ est sui, rerumque suarum libera assignatio, alteri Dei loca facta. Vt B. Virgo, Lu. 1. *Ecce ancilla Domini: fiat mihi secundum verbũ tuũ.* Paulus Conuersus; *Domine, quid me vis facere?* Augustinus: Da *Domine, quod iubes: & iube quod vis.* Isid. *Vt ferrum sub fabro: sic ego sub Obedientia.* 3. Indifferentia: quæ est animi præparatio, circa media vel amplectenda: vel relinquenda, quæ sunt ad finem perfectionis, pro nutu Præpositi. Circa finem quidem nemo esse indifferens debet: qui est ipsa salus: At electio mediorũ est: eaque duplex præceptorum, quæ necessaria: Consiliorum & actionũ; hæc libera cuiq; est. Sed hæc scholæ sunt religiosæ: non cathedræ ecclesiasticæ.

2. In Resignatione sui.

3. Indifferentia mediorum.

II. Ergo sequelam alteram voco Christianam vitæ communis. Huius plena librorum omnia: vt de ea nil dicatur; nisi quod dictum sæpius, Esse ea debet non solius nominis Christiani; sed facti ac vitæ. 1.

2. Christiana sequela, par esse nomini debet.

tæ. 1. Nam, 1. Ioann. 2. *Qui dicit, se in Christo manere debet, quemadmodum Ille ambulauit, & ipse ambulare. Ipse autem*, 1. Pet. 1. *pro nobis Passus est: nobis relinquens exemplum, vt sequamur vestigia eius.* 2. S. Cypriani vox erat: *Christianus nemo recte dicitur: nisi qui Christo moribus prout valet, coæquatur.*

3. Aug. de 12. Abus. c. 7. *Christiani nomen ille frustra sortitur, qui Christum minime imitatur.* Ratio, *Quid enim tibi prodest vocari quod non es, & nomen vsurpare alienum?* Addit durum; at verum: *Ille non Christi seruus, sed subsannator & irrisor est; qui cius se seruum dicit, cui seruire dissimulat.*

Exempla Sanctorum.

1. Quo melius S. Dacianus Tyranno in martyrio de genere, patria, fide percunctanti, hoc tantum: *Christianus sum: hoc mihi nomen, patria, genus, doctrina. Aliud nihil sum.* 2. S. Paulus, 1. Cor. 2. *Non iudicaui me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc Crucifixum.* 3. Sic Paciatus Episcopus ad Sempronium: *Christianus mihi nomen; Catholicus cognomen. Illud me nuncupat, hoc ostendit: hoc probor, inde significor.* 3. S. Christophorus accepta à Sami Præfecto alapa, ait: *Repercussissem, nisi Christianus essem.* 4. S. Malachias Epis. Hiberniæ, suadentibus fugam, obficarios imminentes: *Simite*, ait, *me imitari magistrum meum. Sine causa sum Christianus, si Christum non sequor.*

Dicta Doctorum.

1. Aug. de Symb. ad Catech. lib. 4. c. 1. *Detegeris Christiane, quando aliud agis, & aliud profiteris: fidelis in nomine, aliud in opere.* 2. Orig. hom. 2. in c. 16. Matth. *Nemo potest re post Christum, nisi denegauerit se. Denegat autem seipsum; qui vitam priorem malam bona conuersatione relinquit.* 3. Sic Paulus Conuersus Gal. 2. *Viuo autem iam non ego, viuit vero in me Christus.* Et; Certe. *Christo confixus sum Cruci.*

Necessitas est & ea.

Sequere Christum Christiane. *Sic opus est.* Nam, ait S. Bernardus: *Mundus dicit: Decipiam: Caro dicit: Inficiam: Dæmon dicit, Interficiam, at Christus dicit: Reficiam.* Sequere Agnum: *si non, quocunque ierit:* ait S. Aug. tom 6. de Virginit. *saltem quousque poteris.*

Excudit excusationem.

S. Hieronymus: *Nihil enim omnino agimus, qui nosper multitudinis exempla defendimus, & ad consolationem nostram alienа sæpe numerantes vitia, deesse nobis dicimus, quod debeamus sequi. Ad illius exemplum mittimur, quem omnes fatemur imitandum.*

PARS III.

De Paulo furente, & Christum persequente.

Apologia Saulo pro se.

I. SEcuti sumus te. At persecutus est 1. Saulus, Act. 9. *Spirans minarum, & cædis.* Quid ergo eritilli? Quid de Saulo mihi dicitis? 1. Cor. 6 *Et hæc quidem fuistis.* Vos cæteri quoque Apostoli: *Sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in Nomine Domini nostri Iesu Christi, & in spiritu Dei nostri.* Et hæc omnia Paulus.

Et gloriatur.

Sed ipse pro te loquere Paule. 2. Cor. 11. *In quo quis audet, (in insipientia dico,) audeo & ego. Israelitæ sunt? & ego. Semen Abrahæ sunt? & ego. Ministri Christi sunt? (vt minus sapiens dico:) plus ego, &c. Existimo enim nihil me minus fecisse à Magnis Apostolis. c. 12. Factus sum insipiens: Vos me coegistis. Ego enim debui à vobis commendari. Nihil enim minus fui ab iis, qui sunt supra modum Apostoli: tametsi nihil sum. Signa tamen Apostolatus mei facta sunt.*

Et humiliantis sese.

Adhuc, Petre, dices: Ioan 21. *Domine, hic autem quid?* Rursus tamen ipse respondet: 1. Cor. 15. *Ego sum minimus Apostolorum: qui non sum dignus vocari Apostolus: quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei, &c.*

Figura futuritis.

II. Quomodo? Ibat furiis actus, vt Christi discipulos persequeretur. 1. Velut *Num.* 22. alter Balaam, mercede conductus, vt populo Dei malediceret, 2. Velut Aman impius, *Esth. 3.* acceptis ab Assuero epistolis, Mardochæum, populum.

1. Pro mercede.

2. Pro bono re.

que Iudæum omnem dire persequebatur proscriptum.

Cum animo pessimo. 1. Habebat, ait *S. Thom.* 1.2. *q.* 113. *a.* 10. voluntatem non præparatam conuersioni; sed diuinæ motioni repugnantem; & in peccatis progredientem. 2. Aug. hom. 17 li. 50. Hom. *Quid habebat in corde? Quid, nisi malum? Date mihi merita eius. Si merita quæris; damnationis sunt, non liberationis.* 3. Ecce *spirans minarum* in absentes; *cædis*, in præsentes, *inquirebat huius viæ viros*; tam erant & pauci, & abditi: Vt literis armatus, *perduceret Ierosolymam: si quos inueniret.*

3. Pro præda. O Fili doloris, natu minime Beniamin! Gen. 49 Tu *Lupus rapax, mane comedens prædam*, mane ante conuersionis lucem: *& vespere diuides spolia* Victoris Christi prædicator. Vide de hoc *S. Aug. serm.* 14. *de sanctis.*

4 Pro insita malitia. Nunc quidem, Gen. 49. *Catulus leonis Iuda; ad prædam, fili mi accessisti: requiescens accubuisti, vt leo, & quasi leæna. Quis suscitabit eum?* Leo, inquam, de tribu Iuda. Verum is adhuc *est tacens, sciens, tempus apti temporis?* Eccl. 20.

5 Ex instinctu Dæmonis. Nunc, vt *Exo.* 13. Hebræos Pharao; tu persequeris Christianos minister diaboli.

Iam ministri diabolo sunt simile Hodie similes tui non desunt, August. hom. 85. de Temp. *Hoc tamen scitote, Fratres*, ait, *quia diabolus non persequitur nisi bonos. Malos persequi non consueuit: amici enim sunt sui. Et in tantum eos non persequitur; vt etiam per illos, persequatur alios. Malos enim quasi malleos, vel flagella habet.* Habebat ita Saulum.

Imo peior diabolo, malus est homo. Bene de talib. monet Dominus: Matt. 10. *Attendite vobis ab hominib.* Vbi Chrys. hom. 24. Operis imperf. *Præ omnib. malis, homo pessimum est malũ. Peior bestiis: quarum irrationabilis crudelitas declinabitur. Peior serpente, qui etsi malitam, tamen & timorem hominis habet: nec insanit, nisi irritatus. Peior diabolo: qui iustum non audet accedere; at eum etiam magis contemnit homo malus.* Vt Saulus piorumq; Deiq; contemtor, ac persecutor.

Omina Catastrophæ. III. Verum ex persecutore prædicator idẽ; ex leone agnus; vua ex labrusca futurus erat. 1. Iam quidem. Ille vt Leo Samsonis erat: *Iud.* 14. qui ipsum impetebat. Sed ab ipso discerptus mox, fauum mellis in ore feret: *feret Nomen* eius *coram Gentibus, & Regibus, & filiis Israel.* Act. 9. 2. Ille Piscis magnus, inuasor Tobiæ: Sed eductus ex vndis, & euisceratus sordibus, & cibum præbuit in viam; & patri medicinã; & contra dæmoniũ amuletũ.

1. Leo: sed mellificaturus.

2. Balæna sed medicatura.

3. Fera pessima. 3. Illius propositum, vox illius erat, & par opus: Oseæ 5. & 13. *Ego ero eis quasi leæna, sicut Pardus in via Assyriorum. Occurrã eis, quasi vrsa raptis catulis, & dirumpam interiora iecoris eorũ; & consumam eos ibi, quasi leo: bestia agri scindat eos. Ego, Ego capiam, & vadam: tollam, & non est, qui eruat.*

Sed passura ab suo venabulo. Age Saule, mox Paulus eris. 1. Dan. 11. Dominus *conuertet faciem suam, & cessare faciet Principem opprobrij sui: & opprobrium eius conuertetur in ipsum.* 2. *Ego enim*, Act. 9. *ostendam illi, quanta oporteat eum pro Nomine meo pati*: persecutio, quam in me mouet: conuertetur in ipsum: stimulus cui obcalcitrat; figetur in ipsum. 3. Isa. 10. *Adhuc enim paululum, modicumque: & consummabitur indignatio & furor: Et suscitabit super eũ Dominus flagellum.* Aggæi 2. *Adhuc vnum modicum; & ego commouebo cœlum & terrã.*

Ecce incitio. Et vero ecce tibi; Act. 9. *Cum iter faceret, cõtigit, vt appropinquaret Damasco*, id est, sanguinis poculo, vrbi remotæ in Syria: nam vicinis circum locis iam diu exercuerat persecutionem. Sed hic prostrato eo, Isa. 8. *Deus abstulit fortitudinem Damasci. Et subito circumfulsit eum lux de cœlo. Et cadens in terram audiuit Vocem.* Ecce duo inferam districta tela Dei; Lucem, & Vocem.

PARS

PARS IV.

De Sauli per Lucem Vocatione, & Conuersione.

Lux Dei vocat vt ouis.

I. *Et secuti sumus te.* An Voce magis Vocantis ad aurem allapsa; aut Luce eiusdem in mentē illapsa? Nā ipse & Verbū, & Lux erat id in aure; hæc in mente. Quanto autem mens aure potior; tanto interior vocatio & sequela, est exteriore efficacior. Itaq; Luce magis duce; quam voce illice *secuti sunt* Iesum.

Luce vocatus Paulus in lucem ejus.

Atqui etiam Act. 9. *circumfulsit Paulum lux de cœlo*: quanto magis, 2. Cor. 4. *Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere; illuxit in corde* Pauli? Quare in vocatione sua, & sequela, 2. Cor. 12. *mihi minus fuit ab iis, qui sunt supra modum Apostoli.* Vt, in luce vocatus; sit etiam *in lucem gentium* datus.

Vocationes Dei in luce figurantes Paulum.

Deus, qui, 1. Tim. 6. *lucem habitat inaccessibilem*; & est, Io. 1. *Lux vera, quæ illuminat omnem hominē.* multa, magna, mira semper in luce operatus est; inprimis, electorum vocationes. 1. Sic Moysen ex ardente Rubo vocauit, *Exo.* 3. Quem virū: Homicidam Aegyptii; ideoq; profugū. Qui nimio zelo vindicandi fratris, iniuriam passi, sæuierat: sed non ex scientia. Ita Paulus; vt ait, Gal. 1. *abundantius æmulator existens paternarū mearum traditionū, supra modum persequebar Ecclesiā Dei, & expugnabam illam.* Sed 1. Tim. 1. *misericordiam Dei consecutus sum; quia ignorans feci in incredulitate.* Hæc vocatio Dei est tantum miserentis: non merentis hominis.

1. Vocatio Miserentis: non merentis.

2. Dei consolantis.

2. Ecce aliam. Deus; vt populum Israel vniuersum, quasi virum vnum, vocaret ex Aegypto; tametsi inaudita prodigia designasset interra; ad vltimū reseruauit illud, quod ante maris transitum de columna ignis loquebatur eis, & præcedebat eos: *Exo* 13. cunctis hoc certius sibi astringendis ad cordatam sequelam.

3. Dei terrentis.

3. Eosdem ad accipiendam legem Decalogi & obseruandam vocaturus: inter tonitrua cantusq; tubarum, illuxerunt coruscationes & fulgura. *Exo.* 19. Ita Paulum vocat idem Deus; inque Paulo Doctore gentium Gentes vniuersas, ad sequelam: semper quidem ex Miseratione mera: plerunq; cum Consolatione: aliquando etiam incusso Terrore.

1. Vocatio terrentis Dei.

Vetera omitto; noua carpo. 1. Deus Pastores 2. Pe. 1. *de tenebris in admirabile lumen* vocare dum parat, ecce, Luc. 2. *claritas Dei circumfulsit illos.* 2. Idem sub luce & duce Stella Magos tres, i. e. gētes omnes: (nam *tria sunt omnia:*) vocauit, 3. Idem in vocatione sua cōfirmaturus Apostolos, ac per hosce mundum vniuersum vocaturus: in linguis igneis superueniētibus, q̄ lucēt, & ardent, qua fidē de Apostolis: qua stuporē & timorē populis: qua signū in nationes; qua certā cunctis vocationē sic facere volebat. Ita & hodie Saulo in Paulum conuertendo. Lux ergo Dei, vox Dei est, habens vocem virtutis.

2. Consolantis Dei.

3. Miserētis Dei erga populos.

II. Illustre, q; simili in casu proditur, 2. *Typus Pauli conuersi.* *Mach.* 3. Dignum describi ad longū: perstringam tm. Dux Cælesyriæ misit Heliodorum Ierosolymā, thesauros templi, & victualia pauperū expilaturū. Fit timor, & luctus vrbi, precesq; Deo. Ecce Heliodoro cum satellitib. ærarium adeunte, *Spiritus Omnipotentis magnā facit suæ ostensionis euidentiā, ita vt oēs, ruentes Dei virtute, in dissolutionem & formidinem conuerterētur. Apparuit enim equus, terribilē habens sessorē; is Heliodoro priores calces elisit. Duo etiā iuuenes, virtute decori, optimi gloria, circumsteterunt, & flagellabant eos. Subito autē Heliodorus concidit; eumq; multa Caligine circumfusum, mutum, spe & salute priuatum eiecerunt. Precibusq; Oniæ Sacerdotis vita donata est ei. Cui, qui flagellauerant, dixerunt: Tu à Deo flagellatus, nuncia omnib. magnalia Dei & potestatem.* Sicq; cœpto destitit. Ita Paulus,

cum literis missus, vt expoliaret ærarium Christi, *& vinctos perduceret*, luce circumfunditur, caditque; sed cum spe salutis. Mutatus in alium, ad Ananiam mittitur, prædicare iussus magnalia Dei.

Conuersionem suam prædicat sæpius ipse.

Et vero prædicauit, quoad vixit. Vt 1. Ti. 1. *Fidelis sermo, & omni acceptione dignus: quoniam Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere: quorũ primus ego sum.* Subdit vero: *Sed ideo misericordiam consecutus sum: vt in me primo ostenderet Christus Iesus omnem patientiam*: Cui bono & vsui? *Ad informationem eorum, qui crediturí sunt illi in vitam æternam.* Vide igitur hodie filium prodigum ad patrem reuerti; *Lu.* 15. stola prima indui: cum gaudio cõuiuiali omnium in cœlis super agente pœnitentiam. Hinc lux: ô felix! Mulier *Luc.* 15. Dei sapientia drachmã vt inueniret, lucernã accendit; & Saulum circumfulsit: Simul, vt altera Iudith, c. 13. Holophernẽ occidit, dicens cincta tædis: *Laudate Deum, qui non deseruit sperantes in se: & in me adimpleuit misericordiã suam: & in manu mea interfecit hostem populi sui.* Vtri acclamabunt sic angeli. Sapientiæ Dei, peccatorem conuertenti, an Conuerso? Vtique. at magis Deo miserenti, & potenti. Age Paule, ex hoc eris bos Domino ad arandum vomere Euangelii: fodicaberis periculis & persecutionis: *Durum est, & erit, tibi contra stimulum calcitrare*: Sed, *si contra Deum fortis fuisti: quanto magis contra homines præualebis?* Gen. 32.

Salutariter. Parabola prodigi sit historia.

Drachma inuenitur. Fit gaudium.

Paulus bos est, & erit.

Typus Pauli & peccateris conuersi.

1. Est Deus miserens.

2. Est homo incipiens.

III. Hic Iacobi exemplum vetus in Saulo hic, & peccatore quouis renouatur. 1. Nã *ecce nocte tota* peccati, *Vir*, Deus, *luctabatur cum eo*, multa mouens vt conuerteretur. *Qui, cum videret, quod eum superare non posset*, obstinatum; *tetigit neruum fœmoris eius*, cor impœnitens potenter ferit; *& statim emarcuit*, cadens in terram. Et hæc conuersionis pars prima est. 2. *Dixitque illi* Vir: *Dimitte me*: ne poro lucteris mecum resistendo: seu, *noli iterum peccare: ne tibi deterius aliquid contingat.* Ioan. 5. *Dimitte me, igitur: iam enim ascendit aurora*, gratia te iustificans prima, cuius lux circumfulsit te è cœlo. *Respondit* autem: *Non dimittã te, nisi benedixeris mihi.* Et hæc pars altera est cooperantis. *Ait ergo: quod nomẽ est tibi? Respondit: Iacob*: vel Saulus persecutor. *At ille: nequaquam, inquit, Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israel*: vel Paulus. *Quoniam, si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines præualebis? Et benedixit ei in eodem loco. Vocauitque Iacob nomen loci illius, Phanuel: dicens: Vidi Deum facie ad faciem: & salua facta est anima mea.*

3. Est proficiens.

Ortusque est ei statim Sol iustitiæ perfectioris, *postquam transgressus est Phanuel*, vsque ad domum Ananiæ: *ipse vero* Saulus *claudicabat pede*: nesciens satis, quid se velit facere Dominus. Nam Ananias *ipse dicet tibi quid te oporteat facere. Et nihil videbat.* 1. Nam minorem lux maior obfuscarat. 2. Curaque oculorum corporis reluminandorum ipsi afferebat cum internæ suæ cæcitatis imaginem, tum curam eiusdem consanandæ per Ananiam.

4. Est sæpe perficiens.

Se nil videntem.

Videbat autem in eo Deus; sicut & in Moyse, *Exod.* 3. inquit Aug. zelum, animique robur, multis olim heroicæ perpetrandis aptum. Ceu gemmarius vel in luto gemmas: & aurifex intra terram latens aurum dignoscit.

At visum & cognitum à Deo.

IV. *Circumfulsit eum lux*: *Quæ? Lumen de lumine*, Deus de Deo, Filius de Patre: Nam Io. 1. *Ipse erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem. Et Vita erat lux hominum* primum ipse Christus exemplo vitæ & doctrinæ; deinde & ipsa spiritalis conuersatio illuminati. 2. Ista erat lux lucernæ, *Ps.* 126. qua Deus scrutatur Ieruſalem & tenebris ex ea fugandis; & luci suæ inferendæ. 3. Ista erat, *Iere.* 25. Lux sagittarum Dei: quibus prævaluit contra robustum: Fortius quam 1. *Reg.* 17. Dauid in funda & fili-

Lux erat Christus.

1. Illuminans.

2. Scrutãs.

3. Sagittãs.

& filice contra Goliath. Quando, Iob, 28. *ad filicem extendit manum suam, & subuertit à radicib. montes* Goliathæos. Vere hic; vt Debora, & Barach cecinere, Iud. 5. *Noua bella elegit Dominus.* Nimirum, Abac. 3. *Dedit Abyssus vocem suam, Altitudo leuauit manus suas,* & sic Domine, *in luce sagittarum tuarum, & in splendore fulgurantis hastæ tuæ percussisti caput de domo impij. Domine audiui auditionem tuam & timui. Domine opus tuum in medio annorum* Paulum virum perfectum, *viuifica illud.* Sed *in medio annorum facies, cum citatus fueris* furore Pauli; *misericordiæ recordaberis.*

Nouo belli genere.

Ætas Pauli conuersi.

1. Atque ita Deus, Iob. 12. *Reuelat profunda,* sapientiæ & misericordiæ suæ, *de tenebris* Paulinis: *& producit in lucem vmbram mortis* impium conuertens ac circumfulgens. *Immutat cor Principis populi terræ, & decipit eos, vt frustra incedant per inuium. Palpabunt, quasi in tenebris & non in luce: & errare eos faciet, quasi ebrios.*

Implentur. que prophetia Iobiana.

2. Paule an non dicere potes: Iob. 13. *Ecce, omnia hæc vidit oculus meus: & audiuit auris mea: & intellexi singula.* Dicere ideo & coapostolis potes sic illuminatus, vt ipsi: Iob. 13. *Secundum scientiam vestram & ego noui: nec inferior vestri sum.*

3. Vere Dominus, Iob. 28. *Tempus posuit tenebris* Paulinis: *& vniuersorum* eius *finem ipse considerat: Lapidem quoque caliginis* cordurum *& vmbram mortis* malitiam. *Omne pretiosum vidit oculus eius, & abscondita* Paulina *in lucem* Gentium *produxit*; &c.

Fecit Moyses, Dei iussu, *Exo.* 37. candelabrum ex auro purissimo; cuius lucernæ septem oleo purissimo perenniter erant cõcinnandæ. Paulus id erat, super quem requieuit septiformis Spiritus Dei, vt *luceret omnibus qui in domo sunt* Ecclesiæ.

Inde lucerna Pauli lucerna in ea, vt in Candelabro.

Prius illuminato.

Sed prius opus erat in Paulo; vt Deus diceret; Gen. 1. *Fiat lux: & diuideret* gratię *lucẽ à tenebris* peccatorũ eius: atq; ita porro & Paulus in lumine isto videret *lumen* scientiæ Dei; vnde post item *populus, qui sedebat in tenebris videret lucẽ magnã:* & fieret *lucerna pedibus* eius *verbum* Pauli: Psalm. 118.

Et sicut Israelitas *Exod.* 14. præcedebat obumbrans & illuminans, Soph. 1. *Nubes candida:* ita Paulus præiret gentibus, sicut Nubes volans. *Isa.* 60. Nimirum sic Deus, *Psalm.* 75. mirabiliter illuminat à Montibus æternis, Apostolis æternum prædestinatis.

Lucet, vt Nubes candida.

Adhuc ne quæres, Iob sanctè, cap. 38. *Nunquid mittes fulgura*, in Saulum persecutorem: *& reuertentia* à Paulo prædicatore *dicent, Adsumus?* Ecce, *illuminant: & resoluunt Nubes* Apostolos in *aquas* doctrinæ.

Expleta prophetia.

PARS V.

De Pauli per Vocem Dominicam Vocatione & Conuersione.

SEcutisumus te. Vox Christi vox Virtutis est. Psal. 32. *Verbo Domini firmati sunt cœli: & spiritu oris eius omnis virtus eorum.* 2. Eius voci, *Matt.* 18. venti & mare obediũt: Abscedit, *Mar.* 1. febris abscru Petri: Mortuus resurgit etiã quatriduanus. *Ioa.* 11. Spiritus, *Lu.* 4. obmutescentes exibant. Eam turbæ sequebantur, &c. Vox Domini, Ro. 4. *vocat ea, quæ non sunt: tamquam ea, quæ sunt*: vt & illa essent in charitate. Nam 1. Cor. 13. *Si charitatem non habuero: nihil sum:* quia peccatum totus.

Vis vocis Dominicæ in sensu carentibus magna.

Vis vocis autem Dominicæ in peccatorum vocatione præcipue lucet. Adam, Gen. 4. ait: *Vocẽ tuam Domine audiui, & timui:* concepit q; Spiritũ pœnitentiæ ac salutis. Eã experti vocẽ Matthęus, Magdalena, Petrus, Latro. Sed alij aliter: Hos sagittis figit acutis: Psal. 44. illis multiplicat fulgura, donec *apparuerãt fontes aquarum* pœnitentiæ. In aliis, ait Aug. in Ps. 147. *dat niuem* cordis frigidi, *sicut lanã*, calefacientẽ alios quoque: *Nebulã* caliginosam

In vocatione peccatorum maior.

peccatorum *sicut cinerem spargit* in pœnitentiam. *Mittit crystallũ duros sicut buccellã* mollem & suauem. Vnde? Quia *Vox Domini in virtute: vox Domini in magnificentia confringentis cedros*, Saulos etiam.

In vocatione Pauli maxima.

II. Sauli vocatio cunctis mirabilior est & glorioſior. Reliquos n. vocauit ante: at poſtaſcenſionem Saulum: quando iam ab redemtionis opere quieſcebat. Quaſi vnũ hoc defuiſſet Eccleſiæ. Itaque, qualis ad iudicium venturus eſt, ait *D. Th.* 3. *q.* 57. *a.* 6. *& in* 1. *Cor.* 15. *Lect.* 1. talis iã apparuit ſerius *ſaliens in collibus* Sanctorum, *tranſiliens colles* Angelorum, *viſus eſt & Paulo.* Ideone ipſe, Col. 1. *Adimpleo*, ait, *ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti, in carne mea pro Corpore eius, quod eſt Eccleſia.* Deerat autẽ Paulina imitatio Chriſti paſsi, & Prędicatio. Ad duo hæc Dominus illi apparuit.

1. Vt propter vnum cœlo veniret Dominus.

Et quidem propter vnum de cœlo rurſus deſcendit; quem propter omnes ſemel deſcendiſſe tantæ molis ac moræ fuerat. Quaſi vnus Paulus reliquus, Chriſto & orbis, & omnium inſtar fuiſſet. Nec multo ſecius. Nam ab ipſo Gentium pendebat conuerſio, ex Dei ordinatione; vt in vnius conuerſione ac ſalute, ſalus verteretur plurium. Vnius conuerſio erat futura velut noua quædam orbis quaſi aut redemtio, aut reformatio.

2. Vt vim ei facere opus eſſet Domino.

Alios vocauit Apoſtolos ambulans ad mare, aut aliquo tranſiens, facili vocula: At Paulum de cœlo, cum fulgure, per vim, & Ipſe. Per vim. Quia Iſai. 11. *ſpiritu labiorum ſuorum interfecit impium* Saulum, & ſuſcitauit de terra Paulum.

Et hoc laborioſius, quam de terra creauit Adamum. *Gen.* 2. Nec enim, Iſai. 45. *Contradixit Fictori ſuo teſta de ſamiis terræ.* At Saulus etiam perſequebatur Dominum: vt vis vi repellenda eſſet.

Ob altos eius ſpiritus & conatus Babylonios.

Erat tum Saulus quidam Babylonius *Gen.* 11. Conſilium erat nonnullis iſtud: *Faciamus nobis ciuitatem & turrim, cuius culmen pertingat ad cœlum: & celebremus nomen noſtrum. Deſcendit autem Dominus vt videret ciuitatem & turrim. Et dixit: Cœperunt hoc facere; nec deſiſtent, donec opere compleant. Venite igitur, & deſcendamus, & confundamus linguam eorum.* &c. Ita Saulus turris Phariſaicæ abundantius æmulator celebrabat nomen ſuum. Vnde Ananias, Act. 9. *Domine audiui à multis de viro hoc.* Nec deſtitiſſet, niſi cœlo Dominus deſcendiſſet ipſe.

Ob hominem in eo ſpiritum à Deo viſum

Rege ipſo in prælium deſcendente, de ſumma rerum agi debet, alias ſuos mittere duces aſſolet. *Nec* enim *aquila captat muſcas:* vt eſt in diuerbio. Ita Alexander Magnus ad olympica certamina nunquam venit: quod ſui impares adeſſent; Reges nulli quibus cum ſeſe componeret. Quantus ergo viſus Deo Saulus fuit, ob quem cœlo deſcendit? *Ego ſum* ipſe *Ieſus Naz. quem tu perſequeris.* Ac ideo vim fecit: ac vicit.

Exemplo, vi diuina coercitorũ ad eorum perniciem.

III. Nabuchodonoſor, *Dan.* 4. in Deũ contumax demũ ſubigitur: at vi facta; vt eiectus ad bruta, demũ ad cognitionẽ Dei peruenire. 2. Pharao, Exod. 5. *Quis Dominus*, ait, *vt audiam?* Vt in brachio forti vincendus fuerit. 3. Antiochus, vt vim ſenſerat à Deo, dixit; 2. Mach. 9. *Iuſtum eſt ſubiectum eſſe Deo, & mortalem non paria ſentire Deo.* 4. Herodes, Act. 12. *veſtitus veſte regia, ſedit pro tribunali, & concionabatur. Populus autem acclamabat, Dei voces, non hominis. Confeſtim autem percuſſit eum Angelus Domini, eo quod non dediſſet honorem Deo, & conſumtus à vermibus expirauit. Verbum autem Domini creſcebat, & multiplicabatur.* Ecce vim; Iſtis quidem ad interitum: Saulo autem in ſalutem.

At Paulo in ſalutem. Ob preces Stephani.

Cur? 1. Forte, quia orationi S. Stephani donatus fuit. Iuxta nomen: *Saulus* enim, id eſt, *expetitus, poſtulatus.* Aug. *Niſi enim Stephanus pro lapidantibus oraſſet, Eccleſia Paulum non habuiſſet.*

2. Quid;

Ob Dei promissionem.

2. Quid; quod S. Chrysostomus putet, sexcentos viros de tribu Beniamin sontes ab cæde reliquos fuisse seruatos *Iud.* 21. vt Paulus inde nasceretur? Tanti erat Domino?

Ob Synagogæ occidium, Ecclesiæ, præsidium.

3. Nec immerito; Nam, S. *Augustin.* ait, Beniamin in binominem gessisse Pauli typum; Qui prius *Saulus*, quasi *Bennoni*, id est, *filius doloris*, vti persecutor; Dein Paulus, quasi *Beniamin*, id est, *filius dexteræ* vti cooperator Christi; vocatus est. Ideo Rachaelem matrem Synagogam difficili partu interfecit. Ideo sese 1. *Cor.* 15. Abortiuum vocat; Tum; quia, ait *S. Thomas*, nascebatur extra tempus, *nouissimus Apostolorum:* Tum; quia cum violentia ex vtero Synagogæ fuit extractus à Christi voce obstetricante.

Vox Domini præparatiua est vocationis.

V. *Saule, Saule.* Luce circumfusa Saulo Dominus Intellectum captiuauit in obsequium fidei; *vt nihil videret* ex sese: Voce nunc voluntatem vicit, & vinxit: Ierem. 23. *Nunquid non verba mea quasi ignis, & quasi malleus conterens Petras?* Psal. 119. *Ignitum eloquium tuum vehementer.* Atque inde, Cant. 5. *Anima* Pauli *liquefacta est, vt Dilectus locutus est.*

Est plena dilectionis.

Geminata Appellatio nominis proprij affectum Domini diligentis significat: itemque malitiam viri, & facti. *Dilectionem:* sicut vox sponsi, Cantic. 6. *Reuertere, reuertere Sunamitis* anima: *reuertere reuertere intueamur te.* D. Ambros. lib. 3. de virginit. & Hieron. Epi. ad Algasiam legunt: *Conuertere.* Mirũ! Non solũ tolerari peccatorẽ talem; sed & vocari ad gratiã.

Idque erga peccatorem Figura.

Figurauit id Dauid 1. Reg. 20. *Quem persequeris Rex Israel, quem persequeris?* Vox querula, & suauis vtrobique. *Sit Dominus Iudex inter me & te.* At hic Dominus quasi ipsum Saulum constituit Iudicem, q. d. Ipse iudica; *Quid me persequeris?* 1. Quo maior Domini bonitas, quam Dauidis, est. Vere. Iac. 2. *Eius misericordia superexaltat iudicium.* 2. Ita Ierem. 2. *Quid inuenerunt Patres vestri iniquitatis, quia elongauerunt à me, & ambulauerunt post vanitatem.*

Ea vincitur Saulus

Et Paulus, quasi victus nullam in victore causam persecutionis inueniens, seque dedens ait: *Domine, quid me.* &c. q. d. cum Saule persecutore Dauidis, 1. Re. 26. *Peccaui. Reuertere mi Dauid: Nequaquam enim vltra tibi malefaciam, eo quod pretiosa fuerit anima mea in oculis tuis hodie. Apparet enim, quod stulte egerim: & ignorauerim multa nimis. Ait ergo Saul ad Dauid. Benedictus tu mi Dauid, & quidem faciens facies, & potens poteris. Abijt autem Dauid* Christus in *viam suam, & Saul reuersus est in locum suum,* ad Ananiam. Ecce Dilectionem Dauidis. Porro quanta Saulis *Malitia.*

Figura.

Sauli ferocia indomita.

VI. Age, Iob sancte, nunc (vt S. Greg. exponit,) quasi impossibile interroga: cap. 39. *Nunquid volet Rhinoceros seruire tibi? aut morabitur ad præsepe tuũ?* q. d. Feræ aliæ ferocissimæ mansuefieri queunt; at non Rhinoceros. Ita voci Domini paruere venti, vndæ, mortui, dæmones; an & Saulus spirans? Isa. 2. *Quiesce ab homine, cuius spiritus est in naribus eius.* Iob. 39. *Nunquid Rhinocerota alligabis ad arandum loro tuo?*

Domatur à Domino.

Matt. 19. *Apud homines hoc impossibile est; apud Deũ autem omnia possibilia sunt.* Vidit, Vicit, Vinxit Saulum Deus; & Vertit in Paulum. 1 Ipse dein gloriatus est. Eph. 3. *Ego vinctus in Domino.* q. d. Ego sum onager, ego Rhinoceros ille indomitus; at nunc loro vocationis ducor. 2. Acclamemus victori, Sap. 10. *Victrici manũ tuã laudauerunt pariter.* 3. Hanc coronam victoriæ vidit Ioannes in capite Agni. *Apoc.* 6. qua coronatus *exiuit vincens, vt vinceret.* O Triumphum?

Domiti gladius ità nunc edomat hæreses & mores.

Eius fuit typus in Dauide victore Goliathi. 1. *Reg.* 17. Quid Gladius Goliath, 1. *Reg.* 21. pallio inuolutus dein post Ephod est in Tabernaculo asseruatus. Bonum factum! Saulus erat gladius Diaboli, quo vteba-

vtebatur hic in Christianos. Lapis Christus strauit statuam: *Dan.* 2. id est, Synagogam diaboli; huic eripuit gladium Saulum, & Diabolum Synagogam obtruncauit: gladiumque Paulum condidit in Ecclesia, id est, Doctrinam & Scripta Pauli. 1. Reg. 21. *Non est huic similis alter.* Hebr. 4. *Est penetrabilior omni gladio ancipiti.* Hoc Ecclesia contra hæreses, moresque prauos *accingitur gladio suo super fœmur suum potentissime.* Ps. 44.

Figura.

Hæc causa forte potior erit, Paulum cum gladio pingi; quam quod ense Neronis oppetierit.

VII. *Quid me persequeris?* 1. Redemtorem tuum? Dominum? Patrem? 2. *Me,* Corpus meum Ecclesiam? Nam, Matth. 25. *quod vni de Fratribus meis minimis fecisti mihi fecisti.* Et, Zach. 2. *Qui* meos *tetigerit, tangit pupillam oculi mei.* 1. Par. 16. *Nolito tãgere Christos meos.*

Christus est Aquila.

Aquila, teste Plinio, quantumuis alte à nido euolet, à pullis tamen oculos nunquam auertit. Si quem affectare nidum senserit, instar fulguris momento adest protectrix. Christus est aquila; ait *Gregor.* 31. *Mora. c.* 33. & *Rupertus lib.* 1. *c.* 5. *In Ezech.* Ipse, Zach. 2. est *sicut aquila, prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans,* de cœlo: videns persecutorem pullis imminere, aduolat. Iuxta promissum, Ioan. 14. *Non vos relinquam orphanos: vado: & venio ad vos:* Ac tametsi ascenderim; tamen, 3. Reg. 9. *Erunt oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus.*

Itemque Paulus.

Similis aquila dein factus est Paulus. 1. Cor. 15. *An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus?* Chrys. legit: *An experimentum quæritis præsentis in me Christi?* Matth. 10. *Non enim vos estis, qui loquimini; sed Spiritus sanctus.* Luc. 21. *Ego dabo vobis os & sapientiam.* Dedit Paulo; qui & vocauit.

PARS VI.

De Pauli conuersi ad vocem Dominicam sequela.

In sequibus vicit omnes Apostolos.

I. DOmine; *Quid me vis facere?* Hic tute, Paule, vicisti: hic te, victoriamque tui Christo obtulisti. Vocati sunt, & secuti Apostoli? Tu *plus omnibus*: vocatus fortius; secutus perfectius es. Illi secuti? At tu & animam, & corpus, & omne opus tibi possibile in ipso initio perfecte obtulisti; arborem cum fructibus consecrasti.

Ex pessimo optimus.

Quam repente ex pessimo optimus? Verissime dixit: 2. Cor. 12. *Cum infirmor, tunc potens sum.* Adhuc, quam modo, infirmior fuisti nunquam. Nam *Manus Domini tetigit te:* Iob. 19. *Vt cadens in terram, tremens, ac stupens* diceres: *Domine, quid vis me facere.*

Et quasi omnipotens, idq.

Ecquid stratus fractusq; potes? Quid? Phi. 4. *Omnia possũ in eo, qui me cofortat.* Nã, 2. Cor. 3. *Sufficientia nostra ex Deo* Christ⁹ est.

In infirmitate sua.

Atqui, inquam, is te iam strauit. Esto, 2. Tim. 4. *Omnes me dereliquerunt: Non illis imputetur. Dominus autem mihi astitit, & confortauit me: vt per me prædicatio impleatur: & audiãt omnes Gẽtes. & liberatus sum de ore leonis. Liberauit me Dominus ab omni opere malo: Et saluum faciet in regnũ suum cœleste. Cui gloria in sæcula sæculorum Amen.*

Quia obediens.

Ecquæ tanta in infirmo potentia; an audacia? *Quid me vis?* Ex sui, inquam victoria, & resignata Voluntate, iudicioq; prouenit. Sic, Prouerb. 16. *Melior est patiens viro forti; & qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium.* Victor sui, est & cœli teste Ambros. in Matth. 11. istud: *violenti rapiunt illud,* ait: *Violenti sunt, qui sibi ipsis vim inferendo regnum cœlorum viriliter acquirunt.* Talis hic Paulus: ante fortis contra homines; nunc fortis contra Deum: Vt Iacob. *Gen.* 32.

Et sacrificans.

Quid me vis? Psalm. 115. *Loquere, Domine; quia*

quia audit seruus tuus, Ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ. Dirupisti vincula mea: Tibi sacrificabo hostiam laudis; & Nomen Domini inuocabo. Hac sequendi Dominum celeritate omnes vicit Apostolos: & factus est nouissimus primus. Nimirum, Prou. 1. *Vir obediens loquetur victoriam.*

Sed totam voluntatē.

II. Dominus, *Leu.* 7. iubet omni sacrificio litari sibi sanguinē victimæ. Hic, quia sedes est animæ, ait S. *Tho.* 1. 2. *q.* 102. *a.* 8. voluntatem hominis significat. Hanc da; & dedisti omnia. Prou. 28. *Fili, præbe mihi cor tuum.* 1. Quia cor suum apposuit nobis: & latus rupit, vt cor Patri pro nobis offerret. 2. Obtulit & Dauid. Ps. 102. *Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me sunt, Nomini sancto eius.* Ps. 83. *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* 3. Obtulit & Paulus: Vt diceret, Galat. 2. *Viuo iam non ego: viuit vero in me Christus*: Ergo dic: *Quid me vis?*

Hæc sūma est religionis.

In hoc, *Quid me vis*: totius Religionis est vis. Ergo *Fiat voluntas tua.* Psalm. 72. *Quid enim mihi est in cœlo; & à te quid volui super terram?* Quid? *Deus cordis mei; & pars mea Dominus.*

Paulus sese exinaniuit.

Sese Paulus exinaniuit totum; vtque Christus, *Philip.* 2. factus obediens. Cum autem Sui plenus esset; erat *Spirans minarum & cædis.* &c. at cum exuit sese ex se; Christum induit mitem Agnum. Ideo tam cito inter vtrumq; coaluit amicitia. exinanito & tu te: Ecce, ait S. Aug. in cap. 9. Luc. *Delicata enim est diuina sequela.*

Abnegatione. 1. Sui.

Vidisti Paulum: Hunc & audi. Galat. 1. *Cum autem placuit ei, qui me segregauit ex vtero Synagogæ matris meæ; & vocauit per gratiam, vt reuelaret in Filium suum: Continuo non acquieui Carni & sanguini.*

2. Vitæ & actionis præteritæ.

Quomodo? Primo: Phil. 3. *Quæ retro sunt, obliuiscens.* Deinde, Exuens amorem sui, & æstimationem: 1. Cor. 12. *Ego sum minimus Apostolorū: qui non sum dignus vocari Apostolus: quia persecutus sum Ecclesiā Dei.*

3. Æstimationis sui.

At, *Qui se humiliat, exaltabitur.* Nam Isai. 60. *Minimus erit in mille; & paruulus, in gentem fortissimam*: S. Thomas ibid. legit: *Paulus in gentem fortem.*

Manus Dei mutat Saulum.

III. *Quid me vis facere?* Antea facto dicebat. *Quod non vis faciam.* Quid dicam? *Digitus Dei est hic?* Exod. 8. Non *digitus*: sed, 4. Reg. 3. *Facta est super eū Manus Domini.* Et quidem, Ps. 117. *Dextera Domini exaltauit me; Dextera Domini fecit virtutem. Impulsus, euersus sum, vt caderem: & Dominus suscepit me. Fortitudo mea, & laus mea Dominus; & factus est mihi in salutē. Castigās castigauit me Dominus; & Morti non tradidit me.* &c. Ipse applica sequentia: quadrāt pene omnia.

Sed ipso cooperante.

Et vero meræ *Delectationes in dextera tua, Vsque in finem.* Psalm. 15. Atque hæ etiam tam cum, quam ex gratia prima efficace miserentis Dei; & nostra quoque cooperatione. Hæc vis *Manus* est Dominicæ. Audi sponsam caste. Cant. 5. *Dilectus meus*, Iesus, *misit manum suam* misericordiæ *per foramen* effracti cordis duri. *Et venter meus* animæ *intremuit*, timore Dei & amore; *ad tactum eius*, gratiæ efficacis. Ideo *surrexi* consensu volūtatis; *vt aperirem Dilecto meo.*

Expertus ita Paulus est; tactus fortiter, & efficaciter motus, & ipse celeriter cooperatus; duo pariter vnam certam fecerunt vocationem suam. 1. Cor. 15. *Nō ego autem; sed gratia Dei mecum.*

Similiter omnē conuersum.

1. Ita Ierem. 31. *Conuerte me Domine; & conuertar: quia tu Dominus Deus. Postquam enim conuertisti me; egi pœnitentiam: & postquam ostendisti mihi, percussi fœmur meum. Confusus sum, & erubui.* 2. D. Ambros. in 22. Luc. *Quos Iesus respicit; plorant delictum. Respice ergo Domine Iesu; vt sciamus nostrum deflere peccatum, & lauare delictum.*

3. Hoc est Ioan. 6. *Nemo potest venire ad me; nisi Pater meus traxerit eum* efficaciter.

4. Ideo Luc. 14. *Exi in vicos, & sepes, &* Compelle *intrare.*

Non cogendo sed illiciendo.

Id quod non est cogere voluntatem; sed efficaciter vocare & mouere salua libertate Arbitrij. Sic sponsa, Cantic. 1. *Trahe me post te*: & mox, *curremus*, Id tu; hoc nos ex te tecum. Hæc vis violentos facit passiue, & actiue. Nam trahit ita suauiter: hinc curritur ita vehementer; vt suauiter & libenter.

Hinc obedientia facilis amanti est.

Hæc vis facit aues. Isa. 41. *Quis suscitauit ab oriente iustum?* Septuaginta vertunt; *auem, & vocauit eum?* Vbi S. Hieron. intelligit Abrahamum sequentem vocante Deo. Sic obediens, auis est; volat ad iussa. 2. Imo, Isai. 40. *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut Aquila: current, & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient.* Psalm. 54. *Quis dabit mihi pennas, sicut columbæ? volabo, & requiescam.* 3. Abel ideo placuit Domino; vt notat *S. Ambros. cap. 7. libr. de Abel*; quia statim obtulit de primitiis terræ.

4. Sic & S. Paulus: *Domine, quid me.*

Quinq; verbis reddita quinque.

IV. Dixerat quinque verba Dominus: *Saule, Saule; quid me persequeris?* Quasi quinque sua SS. Vulnera tacta fuissent atrociter. Reddidit quinq; Paulus; *Domine, quid me vis facere?* Quasi corporis sui quinque sensus ei mortificatos offerret.

Figura.

V. Felicior Beniamino: cui, *Gen.* 45. Ioseph frater quinque vestes optimas contulit. 2. Dauid, 1. *Regum* 17. quinque lapidibus limpidis strauit Goliathum: Christus, merito V. Vulnerum, Saulum. 3. Christus verbis quinque transubstantiauit: totidem & Saulum prostrauit, confortauit.

Verba quinq; loqui in Ecclesia.

Hinc idem istius memor ait, 1. Cor. 14. *Volo in Ecclesia quinq; verba sensu meo loqui, vt & alios instruam; quam decem millia verborum in lingua*, id est, in spiritu; quam in humana eloquentia. *Vel*; Quinque verba 1. Credenda. 2. Agenda: 3. Vitanda: 4. Speranda: 5. Timenda. Hæc enim loquenda in Ecclesia sunt.

Quare, vt diuinitus vocatus fuit Paulus: ita vocationi velut echo diuinitus respondit. Vnde, Mat. 19. *Centuplum accepit, & vitã æternã possedit; possidet*; possidebit: *Hanc vt ego Tecum; orato, Paule inclyte, mecum.*

IN FESTO PVRIFICATIONIS B. V. M.

Postquam impleti sunt dies purificationis Mariæ. Luc. 2.

ANna, 1. *Reg.* 1. diu sterilis, demum precibus, dante Deo effecta mater, natum Samuelem offert in templo sanctum Deo: vitulumq; ad gratiarum actionem, facit. S. Maria Deipara Iesum cum munusculis offert.

Super quo nos

I. De vi & efficacia humilitatis.
II. De virgine purificata.
III. De Simeone, & compare turturum.
IV. De oblato Iesu.
V. De offerente matre, & iubilo Simeonis.

PARS I.

De vi, & efficacia humilitatis.

Humilitas vincit omnia.

I. SAtrapis Persicis in atrio Darij Regis sorta disceptatio fuit, *Esth.* 1. Quid fortissimum? Primus virum: Secundus Regem: Tertius Zorobabel, Mulierem. *Super omnia autem vincit Veritas?* Ego dixerim: *Humilitas.* Hæc triumphat Reges, Dæmones, Angelos, Deumque ipsum talis vindictæ exarmat. 1. Benedad, 3. *Reg.* 20. in sacco flexit Achab Regem humilis, inuictum armis, ac ferocientem. *1. Regu.*

2. Danid Angelum populi vastatorem in cilicio stratus humi cohibuit humilis. 2. *Regum* 24. 3. Iob Satanam deuicit in fimeto humilis. 4. Achab impius, 3. *Reg.* 21. *2. Angelu. 3. Dæmones. 4. Deum.*

inten-

intentatam à Deo mortem humiliatus deprecatur. 5. Humilitas Iesum ad mortem adegit. Philip. 2. *Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem.*

5. Iesum.

Dat pretiũ operib. bonis.

II. Ea ex se sola nihili est. 1. Vt o. Nulla: Cui tamen si zipheros præponas; iam numerum efficis maximum: Vt 50. 500. 50000. Ita si nostris operib. piis accesserit humilitas. Hinc Apostolus vocat *Pondus humilitatis nostræ.*

2. Dat robur.

2. Quid in homine imbecillius, ac vilius crinibus? At in iis Samsonis robur inerat omne contra Philistæos, *Iud.* 16. In humilitate robur inest.

3. Obarmat nos.

3. Dauid, 1. *Reg.* 17. armis regiis grauatus magis, quam tutus, cultu solo pastoritio procedit in duellum & vincit: Regis factus gener, & Rex. Sic humilis.

4. A casu seruat.

4. Vere Horatius. *Feriunt summos fulmina montes: Et celsæ grauiore casu decidunt turres.*

5. Exaltat.

5. Aesopus percunctanti, quid Iupiter in cœlis ageret? ait: *Excelsa humiliat: & extollit humilia.* B. V. Luc. 1. *Deposuit potentes. &c.* Et Ps. 17. *Excelsus Dominus, & humilia respicit, & alta à longe cognoscit.* Iacob. 4. *Superbis Deus resistit: humilibus autem dat gratiam.*

6. Deo appropinquat. Tutatur contra dæmones.

III. Succinum, ait Scaliger *exer.* 140. *n.* 12. attrahit festucas: præterquam herbam Basilici capitati: ea caput crassis opplet fumis comesta. Ita Deus attrahit festucas nos humiles: nõ capitatos, fumosos, &c.

S. Onuphrij Anachoretæ parabola erat. Ligna conuentum egerunt, questa de hominum sæuitia, cædere ligna non tandem cessantium. Quid agant? variæ proferuntur sententiæ. Demum Cedrus ait: Nullum nostrum det hominib. lignũ, quo manubrium parent; & cædere desinent. Placuit consilium. At rubus reptans id euertit, & ait: Nullum è nobis crescat in altum, sed, vt ego, serpat humi: sicque non succidemur. Et animæ sunt arbores, Ps. 133. *plantatæ in domo Domini, in atriis domus Dei nostri:* dęmones sunt succisores rabidi. Cõtra hos suadet Iesus Matt. 11 *Discite à me, qui mitis sum, & humilis corde. Discite,* ait Aug. ser. 10. de verb. Dom. *non mundos creare, suscitare mortuos, non miracula patrare, sed vos humiliare.* Et ecce, hodie duo exempla in Maria & Iesu: qualia nulla retro vidit ætas.

PARS II.

De Virgine Purificata.

Mera humilis Virginis, Oetopoeia instituatur, ac seruetur in toto genere dictionis per Apostroph.

1. Virgo quanta ac qualis.

I. *Postquam impleti sunt dies purgationis,* affert, & offert Virgo *Speciosum præ filiis hominum*: Psal. 44. Etsi exemta per legem, Leu. 12. *Mulier, quæ suscepto semine peperit masculum.* Nec enim virum cognouerat Deipara.

Templum ingreditur: 1. Qualis, 3. *Reg.* 10. Regina Saba palatium Salomonis, onusta dono incomparabili. Nam Prou. 31. etsi *multæ filiæ congregauerunt sibi diuitias:* ait Tu Christophora *supergressa es vniuersas.* 2. Fuit vt Luna, quæ in stabulo latitans quasi ecclipsin passa; nunc progreditur pulchra & plena in templum.

3. Fuit vt Arca fœderis, quæ, 3. *Reg.* 8. diu in castris sub papilionibus stabuli inter bruta habitarat; nunc in templum infertur gloriosa. Currite piæ animæ: hanc Diuam comitemini: humilitatem condiscite.

2. Quam humilis.

II. Sed quid agis Virgo! Ten' peccatricibus, pollutisque misces? 1. Dauidem, regiis exutum, indutum lineis, mistum turbæ, arcæ præsultantem, sua ridet Michol: 2. *Regum* 6. Te cum Filio Synagoga subsannatrix olim deridebit. At eo te amplius humilias. 2. Non, vt Iulia, Cæsaris Augusti filia fastuosissima: quæ, cum moneretur, fastũ omitteret nimiũ;

patri haud tolerabilem diutius: respondit: Quid? Pater se Cæsarem esse oblitus est; ad quem orbis tremiscit. *Suet. in Aug.* At B. Virgo longe nobilior Regina fuit: sed & tanto demissior: quasi cæterarum vna de medio. *Vere tibi*, ait S. Ber. *non opus fuit purificatione: Sed nunquid: Filio tuo circũcisione?* Ille igitur circumcisus, vt peccator: tu vt peccatrix purificata.

3. Imitãda est.

Quid anima te effers, & admirarisi-psa; cum nihil sis: & Virgo hæc talis, ac tanta se quousque demittit? De te dicas, Ps. 50. *In peccatis cõcepit me mater mea.* At de illa Deus ait: *Tota pulcra es amica mea, & macula non est in te.*

4. Quam pura ab omni nauo actuali, & originali.

III. Quid ergo purgationem adis? 1. Quæ, vt salamandra in igne viuens, nil vsta: sic inter peccatores tu nil inquinata vixisti. 2. Fuisti laurus semper virens: dicata Deo; nullo inquam fulgure peccati afflata. 3. Fuisti Arca, quæ super vndas diluuij originalis semper natauit.

4. Es de qua Dilectus tuus: *Sicut lilium inter spinas; sic Amica mea inter filias.* Tu lilĩ odore, candore, sapore: cæteræ omnes spinæ meræ. 5. Tu firmamentum es stellarum, quæ ecclipsin nullam pati possunt. Nam de se istud Psalm. 150. *Laudate Dominum in sanctis eius, Laudate eum in firmamento virtutis eius.*

6. Tu es, quæ nec in peccato originali fuisti. Nam Prou. 8. *Nondum erant abyssi*, peccati, mortis, inferni; *& ego iam concepta eram*, inque Dei prouidentia à peccati massa exemta. Et tamen purgari studes; quæ non eges: Vt hoc amplius, qui egemus; studeamus idem.

PARS III.

De Simeone, & compare turturum.

Simeõ minus ad virginem est aduertens quasi.

I. ET tu cane Simeon, afflate Deo: non sentis hanc ab lege exemtam, à Spiritu S. obumbratam; integram vitæ scelerisque puram, gratia plenam? Agnoscis Filium Deum: & matrem non agnoscis purissimam? 1. Ea est Arca, ab Moyse, Dei iussu, de lignis virginitatis incorruptibilibus fabrefacta, *Exod* 25. auroque charitatis purissimo conuestita intus, foriscque. 2. Hæc est Thronus Salomonis, 3. *Regum* 10. eburneus, inauratus; cui in orbe nil simile: Ecce, plusquam Salomõ, qui in vlnis eius residet puellus. Itan' te Natus rapit; vt matrem non attendas? Illa est, quæ

Nec primam visa est similem, nec habere sequentem.

3. Intuere ipsam. Hæc illa Esther; ab Assuero præ cæteris electa; in Reginam euecta, seruatrix Mardochæi auunculi, gẽtisq; Iudææ. *Esth.* Et tu ab ea purificationis debitum audebis deposcere? Sed ita voluit miranda Deiparæ humilitas.

II. Par turturum, & duos pullos columbarũ. *Oblatio parua & humilis.*

Tanquam paupercula: Nam ditiores agnum offerebant. At oblatio tuæ Filiiq; maiestati impar nimis, ô Virgo!

1. Alexander Magnus Anaxarcho philosopho dedit 100. talenta: quia Alexander erat. 2. Pythagoras, quod lineam mathematicam vnam inuenisset, Diis obtulit Hecatombas. 3. Salomon, 3. *Regum* 8. in dedicatione Templi obtulit boum viginti duo millia, ouium centum viginti millia. Et Tu pro Filio tantillum? vbi thus, & aurum? O humilem, amatanque inopiam!

Cur turtures.

Sed quid *Turtures* denotatis? 1. An quod ab turture casta offerri amatis? 2. Quod aues cœlestes decebatis Cœlestem prolem? 3. Quod duas in hypostasi vna significatis naturas? 4. Quod hasce in vtero gestauit Virgo: sicut Rebecca gemellos? *Genes.* 35. 5. An quod similis Virgo est viduæ, *Luc.* 13. offerenti minuta duo; & in his totam substantiam? 6. An, quod hic Filius tuus est Botrus ille, *Num.* 13. quem duo medium baiula-

baiulabant; olim in torculari Crucis exprimendus?

PARS IV.

De oblato Iesu.

1. Lex de primogenitu. I. VT *facerent secundum consuetudinem Legis pro Eo.* Lex Exod. 12. est: *Sanctifica mihi omne primogenitum, tam de hominibus, quam de iumentis.* Orta lex inde ab cædis Aegyptiorum: seruatis Hebræorum primogenitis. Atqui IESVS est primogenitorum *primogenitus in multis fratribus.*

2. Amor Iesu. Quid, Iesu? 1. Parumne te hominem natum talem, taliter, taliq; loco, ac tempore? Te circumcisum? &c. Quid vltra excogitat tuus amor nostri.

2. Sacrum Sanguinem litasti, iam Corpus offers totum: idque pro nobis reprobatis diu.

3. Gaudiū liberatio nostra. O quale gaudium Isaaco, *Gen.* 20. cum à ceruice gladius auerteretur, proque se hircus subiceretur hærens in vepreto? Tale sit gaudium nobis. Nobis id euenit hodie.

4. Sacrificiū Deo litatū. II. Sacrificium en matutinum. *Numer.* 28. nunc Iesus: Vespertinum futurus in Cruce. Sed quanto cum discrimine? Iam offertur à Matre læta: inter Simeonis vlnas: siclis argenti quinis redemtus. At tunc ab lacrymosa: affixus Cruci inter latrones: stillantibus quinque vulnerib. pertusus.

5. Gladius matru. Et tunc *Tuam ipsius animam gladius pertransibit.* Audis hoc, Virgo: neque tamen exhorresces. Qualis pene mater Neronis: vt (*Suet. in Nerone.*) oraculum consulens, quid filio futurum suo? audiensque: *Imperabit: sed matrem enecabit:* Et ipsa: *Occidat; modo imperet.* Talis tu ad istud oraculum Simeonis. At in causa sanctissima. Transadigi gladio nil metuis, dummodo filius agnoscatur Deus:

III. At tu Pater, 1. Ecce tibi Oblationem, cui par nulla, inquam: ad quam tecum orbis anhelauit. *Oblatio exoptata diu.*

2. Ad quam nil Abelis, Abrahæque oblatio. Psalm 39. *Oblationem, & holocaustum pro peccato non postulasti: tunc dixi Ecce venio.* Hunc vnum spectabas offerri tandem.

3. Sicut Herodes omnes occidi infantes iussit: vt in his & Rex natus periret: Ita Tu, Pater, primogenitos offerri iussisti; vt hic demum quoque offerretur. *Et oblatus est, quia voluit.* Isai. 53.

PARS V.

De offerente Matre, & iubilo Simeonis.

Figura de Mediatrice nostra B. V. Maria & Purificatrice.

I. ERgo Pater, hodie ira tua conquiescet; gratiam inueniemus in oculis tuis, aquæ diluuij cessabunt: Filium suum dat mater sua vadem pro nobis. Salua omnia!

1. Abigail prudens, 2. *Reg.* 15. audito, venire Dauidem ad stulti sui Nabalis necem, occurrit ei cum cibariis humiliter supplicans: *Suscipe benedictionem hanc, quam attulit ancilla tua tibi Domino meo.* Quo flexit iratum; iniuriæq; memoriam ipsi deterfit. Istud B. Virgo, pro stulto mundo, Tibi Pater, per Filium, &c.

2. Esau, *Gen.* 33. cum equitib. quadringentis ducebat in Iacob, ad veterem iniuriam vindicandam: at Rachaele paruulum ipsi Iosephum monstrante, vertit animus feroci, ac emollitur; datque dextram, & pacem. Quam Esau, Deus iratior iam deletionem orbis parabat: B. Virgo suum Paruulum offert hodie; placatq; numen.

3. Moysen Deus occisurus erat, *Exod.* 4. ob incircumcisos filios: hic Sephora vxor eius festina cunctos facit recutitos; factoque placat Deum, & virum morte liberat. Id hodie Virgo facit. Vt illud mundo queat dicere: Exod. 4. *Sponsus sangui-*

sanguinum tu mihi es. Non igitur amemus Sospitatricem Talem?

1. *Arcæ triumphus.* II. Sed quid denique in templo actum est? 1. Olim 2. *Paral.* 9. Arca isthic collocabatur: ornabatur: maiestate Domini replebatur: Cum cantu, 3. *Reg.* 9. isthuc introducebatur. At hodie ad veram Arcam audiuntur carmina Prophetiarum:

2. *Simeonis Iubilus.* Canit Simeon. *Nunc dimittis, &c.* 2. Exultat Senex: plusquam Iacob, audiens quod filius Ioseph viueret. Gen. 46. *Iam lætus,* inquit *moriar: quia vidi faciem tuam, & superstitem te relinquo, &c.*

IN FESTO CATHEDRÆ S. PETRI.

Tu es Petrus, & super hanc petram, &c. Matt. 16.

A Aronis Virga, *Num.* 7. vna inter Principum Israelis duodenas, noctu inclusas Tabernaculo, germinauit in amygdala: Pontificatum ei portento hoc conferens. Ideo vnam Moyses in sanctuario perpetuum asseruari iussit. Sic duodenas inter Cathedras Apostolorum Petrina efflorvit celebrior, vt Pontificia; æternum celebranda per Ecclesiam, & conseruanda ordine perpetuo.

Nos itaque

I. *De Ordine rerum, & Ecclesiæ pulcerrimo.*
II. *De variis Cathedris.*
III. *Causæ Festi Cathedralis instituti.*
IV. *Aliæ causæ, præcipue Claues.*

PARS I.

De Ordine rerum pulcerrimo: in primis Ecclesiæ.

Ordo in natura. I. TOtius Vniuersi conseruatio pendet ab ordine fixo: iuxta illud,

Ordine cunctarum stat gloria maxima rerũ:
Ordine subuerso vertitur orbis iter.

Istum Conditor orbis omnium voluit oculis expositum, nostro bono, suo dono, & laude. 1. Sapiens agnoscit, cap. 1. *Omnia in mensura, & Numero, & Pondere disposuisti Domine.* 2. Apostolus quoque: Rom. 13. *Quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt.* 3. Ps. 118. *Ordinatione tua perseverat dies: quoniam omnia seruiunt tibi.* 4. Iobo altæ quæstiones propositæ sunt: in his illa: cap. 38. *Nunquid nosti ordinem cœli, & pones rationem eius in terra?* q. d. Nihil isto admirabilius, ac difficilius. 5. Hinc Debora, Sisaræ regis Iabin victrix, in epinicio canit. *De cœlo dimicatum est contra eos: stellæ manentes in ordine & cursu suo aduersus Sisaram pugnauerunt.*

Vtque ordo constaret, Moyses quoque iussus, tam accurate omnia ceremonialia ordinauit in vestitu. &c. Salomon in templo. Lege caput 28. Exod. 3. Reg. 6. *In veste Sacerdotali 4. ordines lapidum inclusi auro erant per ordines.* Ordo vbi fuerit in terris; index est virtutis cœlestis; hinc apud inferos *nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.* *In lege veteri.*

II. In Ecclesia omnia merus ordo est. *In Ecclesia.* 1. Ideo *Terribilis, vt castrorum acies ordinata.* Prouerb. 8. 2. Illius typus arbor erat Nabuchodonosoræa Dan. 4. in qua nihil non ordinatum. 3. Idæa eiusdem corpus humanum est: cuius membrorum ordo, functionesque quam belle concordant; vt quod vnum eorum facit, homo totus fecisse dicatur. Atqui & Ecclesia corpus est; Eph. 4. *In ædificationem Corporis Christi, quod est Ecclesia.* Col. 1. *Et ipse est caput Corporis Ecclesiæ.* 4. Quæ quid foret, ni in ea docerent Doctores, Prælati regerent, sacrificarent Sacerdotes, orarent religiosi, plebs obediret; quid? mera foret Babylon. 5. Turbarum, &c. olim Iudæis quæ causa! Iudic. vlt. *In diebus illis non erat Rex in Israel, sed vnusquisque, quod sibi rectum videbatur faciebat.*

Sane,

Ordinis hostes.

Sane, inimici pacis hæretici ac schismatici vix aliud peius oderunt, quam Ecclesiæ Hierarchiam, ac Monarchiam. Vociferantur Ps. 18. *Quis noster Dominus est?* Matt. 27. *Noluimus hunc regnare super nos.* Effrenes sunt vt, Iob. 21. *Vir vanus in superbiam erigitur, & quasi pullum onagri, se liberum natum putat.* Quo magis ordinem amant ac seruant Romano Catholici, nixi isto; *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.*

PARS II.

De Cathedris variis.

Notiones Cathedræ.

I. VOcis *Cathedræ* est notio multa. 1. significat regnum. 1. Regum 20. *Cum sedisset Rex super cathedram suam.* &c. 2. Reg. 27. Et Iob. *Procedebam ad portas ciuitatis, & parabant cathedram mihi:* id est, ait Greg. 19. Moral. regnum.

2. Prælaturam Psalm. 106. *In cathedra Seniorum laudent eum.* Matth. 23. *Super cathedram Moysis sederunt scribæ, &c.* Quam S. Hieronymus in 21. Ierem. de Episcopali & sacerdotali dignitate interpretatur.

3. Honoris gradum. Eccles. 7. *Noli quærere ab homine ducatum, neque à Rege cathedram honoris.* Matth. 23. *Diligitis primas cathedras.* Huc adspirabat mater Zebedæidum: *Dic, vt duo filij mei sedeant, vnus ad dexteram. &c.*

4. Autoritatem docendi notat. Sic interpretes *Matth.* 23. Cathedram Moysis accipiunt; & illam seniorum Ps. 106. Vt iuniores hodie declamatores audaculi de Cathedris deturbandi sint. Nam Apocal. 4. *Vidi in circuitu Sedis sedilia 24. & super thronos 24. Seniores*, non iuniores.

Species Cathedrarum.

II. Porro Cathedrarum 4. genera in Scrip. reperiuntur. 1. CATHEDRA DEI. Ezech. 28. *Dic Principi Tyri: Dixisti; Deus ego sum, & in Cathedra Dei sedi: cum sis homo.* Origenes hom. 1. in Gen. & Hom. 1. in Isa. Cathedram Dei interpretatur ad Dei Maiestatem indicandam. Vnde *sedere* Deus varie describitur. Psalm. 46. *Deus sedet super sedem sanctam.* Psalm. 97. *Qui sedes super Cherubin.* Isa. 6. *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum.* Ezech. 1. *Quasi aspectus lapidis Sapphyri similitudo Throni.*

Is describitur, Apocal. 4. *Iris erat in circuitu sedis, & sedilia 24. & de throno præcedebant fulgura, & voces, & tonitrua, & 7. lampades ardentes ante Thronũ, qui sunt 7. Spiritus Dei.*

2. CATHEDRA DIABOLI. Apoc. 2. *Scio vbi habitas, vbi sedes est Satanæ.* Psalm. 1. *Beatus vir, qui, &c. in cathedra pestilentiæ non sedit.* id est, hæreseos, ait Basil. Hil. Hier. Aug. Psalm. 83. *Nunquid tibi adhæret sedes iniquitatis, qui fingis laborem in præcepto.*

Væ insessoribus. Exod. 12. *In noctis medio percussit Dominus omne primogenitum in terra AEgypti, à primogenito Pharaonis, qui in solio eius sedebat.* Væ! Nam Apoc. 16. *Quintus Angelus effudit Phialam suam super sedem Bestiæ; & factum est regnum eius tenebricosum:* Eius cultores præ furore *manducauerunt linguas suas præ dolore, & blasphemauerunt Deum cœli.*

Prouerb. 9. Hæresis depingitur; *Mulier stulta & clamosa; plenaque illecebris; & nihil omnino sciens, sedet in foribus domus suæ super sellam in excelso vrbis loco; vt vocaret transeuntes per viam, & soli vecordi locuta est.* O sellam Philistinam! 1. *Regum* 5. Philistæi in secretis percussi, *fecerunt sibi sedes pelliceas.* Ita hæretici suis parant sedes molibus suffartas; austeris ieiuniorum, & pœnitentiarum sublatis; nil vt terreat, nil doleat, nil mole-

moleſtet. O delicatæ cathedræ! at peſtiferæ.

3. CATHEDRA Moyſis. *Matth.* 25. id eſt, ait *Rupertus in* 3. *Ioan.* Doctrina Legis: 1. Quæ vt in Euangelium tranſiit; ita Cathedra Moſis eſt facta Petri. 2. Sicut 1. *Reg.* 4. Senex Heli de ſella reſupinatus fracta ceruice expirauit: ita lex vetus ad Euangelij prædicationem deſiit. 3. Vt Aman, *Eſth.* 7. inſoleſcens in Aſſueri caput conſpirabat, mox honore exutus ad dedecus vltimum decidit: At humili *Mardochæo tradidit annulum Rex, quem ab Aman recipi iuſſerat.* Ita Caiphas in ſynagogæ rebus inſoleſcens in Chriſti necem conſpirat, & honore excidit. Succeſsitque ei Petrus humilis. 4. Prædixerat Dominus Matt. 21. *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.*

4. CATHEDRA S. PETRI. id eſt, Chriſti; magiſtra veritatis; & mucro mendacij. In hac ab annis 1600. plus 240. Pontifices ſederunt: Ad hanc omnes alliſæ hæreſes periere: ad eam omnia tribunalia reſpectant: Hanc tyranni metuerunt; reges honorarunt: hanc audiunt pij omnes. *Ab* hoc *Throno fulgura, voces, & tonitrua* cenſurarum *procedunt.* Apocal. 4. Hæc honori eſt, & terrori.

PARS III.

Cauſæ feſti Cathedralis inſtituti.

Monarchia eſt naturalis.

1. PRima cauſa Feſti de Cathedra inſtituti eſt, Ordo Eccleſiæ hierarchicus & monarchicus, fundatus hac in Cathedra. Iſte enim de fide eſt, deque lumine naturæ. 1. Nam & ipſa bruta ſuo velut rege quodam reguntur: quadrupedum leo; volucrum, aquila; ſerpentium, crocodilus, Delphinus rex piſcium eſt; & ſuus formicis rex eſt, & Apibus. 2. Quin & Angelis, vt Eccleſiâ canit, *Michael Princeps militiæ cœleſtis exercitus.* 2. *Angel. ca.*

3. Etiam in ſtatu Innocentiæ, teſte *D. Thom. par. 1. quæſt. 96. art. 4.* primatus inter homines fuiſſet. Ratio eſt. 1. Nam cum homo ſit animal ſociale; ſocietas capite conſtare debet, quod bonum procuret publicum. Quare ſi incipiente mundo fuiſſet monarchia; cur deficienti deeſſet? Si in ſtatu perfectionis vtilis; in corruptionis vtilior aut neceſſarius erit. 3. *Innocentiæ humana.* 1. *Obſcuratum.*

2. Voluit Deus homines ab hominibus regi; cum per ſe, vel Angelos regere eos potuiſſet. In quo mira hominis elucet dignitas, Dei ſimilis imagini. Nam ſi quid diuinitatis inſit homini, quo ſimilis Deo credatur ex eo, quod Geneſ. 2. *præſit volatilibus cœli, & beſtiis terræ*: quanto magis, quod præſit hominibus? Hac de cauſa Paulo dictum, Act. 9. *Surge, & ingredere ciuitatem, & ibi dicetur tibi, quid oporteat te facere*; ſ. parere Ananiæ rectori tuo. Ideo, Luc. 17. leproſis dictum: *Ite, oſtendite vos ſacerdotibus*, ſubditi ſuperioribus. 2. *Obſcuratum cum Dei.*

Refert Sophronius, *in Prato ſpirituali. cap.* 119. Sacerdotem ex ſimplicitate verba quædam fidei parum congrua ſoiitum pronunciare: monitum ab Diacono adſtante non emandaſſe; ſueuiſſe autem ordinarie inter celebrandum Angelos intueri preſentes: demum hos eum appellaſſe, cur vidiſſent errare ſe, nec monuiſſent: reſponderunt: *Ita Deus diſpoſuit, vt homines corrigantur, vt homo ab homine diſcat, & gubernetur: ne putet propter angelicam viſionem ſe hominis doctrina non egere.* Quanto dignior eſt Eccleſiaſtica Monarchia, vniuerſis imperans, non vni ſoli?

3. Monarchicum regimen cæterorum eſt perfectiſsimum; vt in quibus 3. *Ob finē*

analyſis

analysis & reductio demum fit ad vnum aliquod. Tale fuit in Synagoga, typo Ecclesiæ: ergo magis in hac esse oportuit. Idcirco Dominus Ecclesiam comparauit sæpe monarchicis rebus: Vt exercitui, cui Dux vnus præest; Regno, Naui, Vineæ vnius patrisfam. Caulæ, vnius pastoris. Ioan. 16. *Vnus Pastor, & vnum ouile*: Cathedræ, in qua vnus Doctor; cui dictum: *Pasce agnos meos, oues meas.*

Honor Petri maximus.

II. *Secunda causa festi* huius instituti est, Honor S. Petri. 1. Mos est, quem Rex honorat; honoretur ab inferioribus. Gen. 41. *Tu* Ioseph *eris super domum meam; & ad tuum imperium cunctus populus obediet*: simul tradidit sigillum regium, potestatis collatæ indicium. Ita Dominus Petrum dedit Ecclesiæ Oeconomum, Vicarium suum, ianitorem cœli: quare nostrum est, colere præpositum. 2. Ita S. Gregorius ad Mauritium Imp. *Dignum est vt vestra Pietas honorare dignetur illos, quibus suo loco honorem Deus tribuit, & Angelos, aut Deos appellat. Et signanter B. Petrum; quem constituit Dominus super omnes Principes, dignissimum Principem: sicut hodie canit Ecclesia: Tu es Pastor ouium, princeps Apostolorum; tibi tradidit Deus omnia regna mundi, &c.*

Incomparabilis, supra Baptistæ.

Et merito: Nec enim post Christum Petro similem vidit Ecclesia. 1. Esto, Mat. 11. *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista*, at alius hunc multis præcelluit Petrus: Vt Nauim Ecclesiæ in altum ducere, Diuinitatis abdita penetrare, cœli gestare claues, Principem esse Apostolorum, Ecclesiæ caput, Dei Vicarium.

Par Christi pene.

2. Quibus quidem par Christo fuit: at inprimis Cathedra. Luc. 1. De Christo dictum: *Dabit illi Dominus Sedem Dauid Patris sui*: Dedit hanc Petro Christus. *Ideo*, ait S. Greg. ad Maurit. Imp. *merito exaltent eum in Ecclesia plebis; in Cathedra Seniorum laudent eum.* 3. De Christo Isai. 22. *Dabo clauem domus Dauid super humerum eius, & claudet, & non erit, qui aperiat: aperiet, & non erit, qui claudat.* Petro Dominus; *Tibi dabo claues* R. C. & Q. L. S. T. &c. Quæ par dignitas, altior potestas.

4. Nihil in AEgypto glorioſius, post Regem, Ioſepho, cui annulus datus Regis, & horrea credita regni. At diuiniora Petro. 5. Daniel, *cap.* 5. Nabuchodonoſorem, ego Petrum, iſtis prædicem: *DEVS Altissimus regnum* cœli & terræ validius inferni portis, *& magnificentiam* Myſteriorum Verbi Dei, Sacramentorum, Sacerdotij &c *gloriam & honorem* miraculorum, & maiorum hiſce *dedit Nabuchod.* imo Petro. *Quos volebat, exaltabat; & quos volebat, humiliabat*, cœlum claudendo vel aperiendo.

Supra Iosephi.

Nabuchod.

Iuſta de hominis excellentia admiratio eſt, Pſalm. 5. *Quid est homo, quod memor es eius? Gloria.* &c. Admirabilior Petrus, gloria & honore coronatus: *omnia* cœleſtia & terreſtria *ſubiecisti ſub pedibus eius*, homines, animas, theſauros meritorum Chriſti, peccata, dæmonia, Angelos. 1. Corinth. 6. *Neſcitis, quoniam Angelos iudicabimus; quanto magis ſæcularia.*

Supra hominem.

7. Illuſtris illa Ioſephi laus. Geneſ. 39. *Ecce, Dominus meus omnibus mihi traditis, ignorat, quid habeat in domo ſua; nec quicquam eſt, quod in mea non ſit poteſtate.* Altior ſors Petri eſt; quanto ei Diuiniora ſunt tradita.

8. Ieremiæ, *cap.* 1. fuerit dictum: *Ecce, conſtitui te ſuper gentes & regna, vt euertas, & diſſipes, ædifices, & plantes.* At maius eſt recipere vel excludere cœlo poſſe. Potuit Petrus. Chriſto & Petro dictum, Pſalm. 2. *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam,*

Supra Ieremiæ.

& possessionem tuam terminos terræ. Nam Ioann. 19. *Sicut misit me Pater, & Ego mitto vos.*

PARS IV.

Causæ aliæ, præcipue claues.

Clauium vsus.

I. TErtia causa sesti huius est, vt S. Petri declaretur maiestas per *Claues*, & *Cathedram*. Hæc n. Symbola sunt cum Autoritatis, tum Potestatis decernendi de Fide, Scripturas interpretandi, hæreses proclamandi, discernendi leprã, condendi leges. &c.

Clauium abusus.

1. Clauiũ quidem is honor est vti Isa. 22. *Dabo Clauem domus Dauid super humerum eius.* Is. 9. *Cuius imperium super humerum eius*: non supra pedes. Hoc n. foret abuti, non vti Clauibus. Abutuntur, qui ad fastum, vel quæstum, aut iniuriam cuiusquam eis vtuntur. Sic namque tartarum, non cœlum aperirent. Talis Apocal. 9. *Stella magna cecidit de cœlo, & data est ei clauis putei Abyssi; & apernit puteum, & ascendit fumus, sicut fornacis magnæ, & obscuratus est sol.* Decidere tales in Ecclesiam stellæ, bonorum vastatrices morum, (non Fidei vnquam) vnde fumus infamiæ ac scandali ascendit, solque Ecclesiæ obscuratus, non è cœlo sublatus fuit ad tempus.

Clauium sanctimonia.

2. Dicitur *Tibi Dabo claues regni Cœlorum*; non *Terræ*: sciant sacri Præsules, cœlestium, non terrestrium eos sectatores esse oportere. 1. Domini exemplo: Matt. 22. *Rex es tu?* ait: *Regnum meum non est de hoc mundo.* 2. Quin, *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari*: mihi vero spineam dabitis coronam. Ita sacri Antistites.

Vis limitata.

3. Eccur autem *claues Cœlorum*; non *Inferorum?* Vt sciant Animarum Curatores, reserare infernum ad animas educendas, non iniiciendas: Educendas non dando eis gratiam effectiue; ceu viuis mortalibus; sed ministrando per modum suffragij. *Nam gratiam & gloriam dabit Dominus*: Psalm. 83. homo adiuuare & cooperari potest. *Date Deo, quæ Dei sunt*: Atqui Apoc. 1. *Viuo Ego, & fui mortuus; & habeo claues mortis & inferni.* Matth. 28 *Data est mihi omnis Potestas in cœlo, & in terra.* Ita nunquam fari aut gloriari de se Ecclesia, vel creatura alia potuit vlla.

Clauis duplex.

4. *Tibi dabo Claues*: non *clauem*: gemina enim potestas est Clauium, *Ordinis*; communis omnibus sacerdotibus: & *Iurisdictionis*, propria Episcopis. 1. Vtque in summi Sacerdotis pectore legebantur duæ voces: *Doctrina & Veritas*: Ita nunc in manu Pontificis duæ hæ claues.

Alia Christi & Christianorum.

5. Dixit, non *Claues meas*, sed absolute *regni cœlorum*: innuens Episcoporum & Sacerdotum potestatem esse imparem Christi potestati. 1. Quia Christus cœlum omnibus reserauit: illi tantum singulis aperiunt: Ipse enim *dedit omnibus potestatem Filios Dei fieri.* Et *Aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit*: per Excellentiam. 2. Quia remissio peccatorum est à Christo in forma meriti: vt cum ea peccator aliquid Christi accipiat: Sacerdotes vero non dant quid suum, sed dispensant quæ sunt Christi; eorum & ipsi indigni. 3. Quia Christus non solum peccata remittendi, sed & sacramenta instituendi potestatem habuit: non Ecclesiæ ministri. Vnde istis vis est ex opere operato: his ex operantis opere. 4. Potestas Christi non est Sacramentis alligata: absque his conferre potest omnem gratiam, prout voluerit; Non sic ministri Ecclesiæ.

Quid gloriaretur canalis, se dare aquam, ex fonte quam accipit per sese manan-

manantem? Sacerdoti opus absoluenti à peccatis, vt pœnitentiam iniungat: nullam Christus dedit vnquam. Lucæ 7. *Mulier, vade in pace; fides tua te saluam fecit.* Ioan. 8. *Vade; amplius noli peccare.*

II. *Quarta festi causa* particularior, est non vna. 1. PONTIFICATVS Petri Antiochenus septennis: Vnde, vt *S. Marcellus* ait, diuina reuelatione Romam est translatus. Docet euentus: quod nunquam inde amoueri potuerit: stetque hodie. 2. Quia Antiochiæ ortum nomen CHRISTIANVM est. 3. TONSVRA CALCEATIS ibidem cœpit. Nam Petro isthic capto, in opprobrium Christi, caput radi contigit.

Continuo & sua Christiani rasere, in gloriam vertentes ignominiam Petri Capitis sui. Ex eo Petrus eximij honoris esse voluit insigne perpetuum. 4. Quia S. Petrus prima Diuina Antiochiæ in Pontificalibus celebrauit: vt Ioannes in Asia, Iacobus Ierosolymis, S. Marcus Alexandriæ. Ista Cathedræ, Clauium, Ecclesiæ, Petri exaltatio.

Exaltatio moralis Christiana. 1. Desiderii spiritalis.

III. Quæ nostra? An quod Ioan. 1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri?* Magna sane hæc & mira: at dira ista depressio, quod Ioann. 8. *qui peccatum facit, seruus est peccati.* 1. Ioan. 3. *Qui facit peccatum, ex diabolo est.* Non sic: non Deuter. 20. *Dominũ Deum tuum hodie elegisti, vt sit tibi Deus, & ambules in viis eius: Et elegit te hodie Dominus, vt sis ei populus peculiaris; & faciet te excelsiorem cunctis gentibus, quas creauit in laudem & gloriam suam.* &c.

Quousque serpes humi, vermicule? Excita caput; cœlo natus cœlo deberis: hoc require, hic habita; hæc patria est.

Cum demissione.

Sed prius hic te humilia, Psalm. 83. *Elegi abiectus esse in Domo Dei magis, quam habitare in tabernac. peccatorum. Dic & faciem Susanna:* Daniel. 13. *Quid eligam, ignoro: Melius est mihi incidere in manus hominum, quam derelinquere legem Dei mei.* Tute te inspice, tibique in sinum inspue; erit quo refugias, adque cœlestia confugias, vt tartarea effugias. Dices: Psalm. 118. *Iuraui, & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ.*

Sic è luto erectus, puriora affecta; scelera priora obrue operum meliorum cumulo; cumulique accumulandi studio irremisso. Ita teipso maior victor tui, hostiumque omnium, regno cœlorum vim violentus feceris; ac viceris. Talis erat, qui aiebat: Eccles. 2. *Magnificaui opera mea;* sed mea ab & in Deo. Talis Psalm. 125. *In mandatis eius volet nimis*: quin & volabit. 2. *Meritorum studii ac operis.*

Ita purgato à sentibus agro tuo; & ditato diuite messe: quid restat? Num illud stulti: *Habes multa bona, requiesce anima*, &c. Absit. Tertia via altior supereſt inuadenda; via Passionis ac patientiæ; quæ coronam det prioribus. Et quidem, Rom. 8. *Non sunt condignæ passiones huius temporis, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Istis exerceri, est exaltari. *Nonne oportebat Christum pati, & sic intrare in gloriam?* 3. *Patientiæ.*

Eia ergo, Iob 8. *Suspendium eligat anima mea; & ossa mea mortem.* Incipe à morte tui, seu mortificatione propria: hæc viam ad glorioſa præstabit.

Mors mortem vincet: Gloria vera est inglorium hominibus videri, &c.

IN FESTO CATHEDRÆ S. Petri, siue Antiochenæ, siue Romanæ: seu etiam in ipso F. S. PETRI.

Suppleuit Enucleator

Quem dicunt homines esse Filium hominis: Mat. 16.

ADolescentes tres, 3. *Esdræ* 3. Darii custodes corporis problema inter se mouent: Quid fortissimum: Differunt in publico coram principibus. Primus: Forte est vinum. Secundus, Fortior Rex. Tertius, Fortiores mulieres. Super omnia autem VERITAS. Hic Zorobabel vicit. Darius ait: *Es sapientior proximis: & proximus mihi sedebis; & cognatus meus vocaberis.* At ille petit reædificari Ierusalem & Templum, aufertque petitum. Hic Dominus mouet problema: Resoluit Petrus. Beatus acclamatur, proximusque Christo futurus in regno Ecclesiæ, nouæ Ierusalem futuræ.

Verum quia tertius Esdræ forte cui minus videri autenticus posset: illi damus. 1. Somnium Pharaonis, *Gen.* 41. Quod diuinis explicare nesciis, resoluit Ioseph: ideoque alter ab Rege constitutus. 2. Aut, *Iudicum* 14. Problema Samsonis *de Forti* propositū triginta nuptialibus. 3. Aut, *Dan.* 2. Somnium Nabuchodonosoris, Chaldæis propositum: at interpretari nescijs, ab Daniele explicatū. Quē Rex idcirco cunctis præposuit.

Nos hic

I. *Quod superiorib. esse curæ debeant subditi.*
II. *De eo:* Quem dicunt homines? *Qui homines? Quem? Cur?*
III. *Quem Apostoli, Apostolicique dicant esse Dominum?*
IV. *Quod Confessionis præmium venerit ad Petrum.*
V. *De Potestate & Dignitate Cathedræ S. Petri.*

PARS I.

Superioribus esse curæ debent subditi.

I. INterrogauit *discipulos suos*: nō vt disceret; sed doceret eos, vti Magister: Dans in sese specimen curæ seu Pastoralis, seu Paternæ in sibi commissos. *Causa quæsiti: est cura pastoralis.*

Pastoralem quidem acuere *curam* debet Christi præsens cura suorum, quos nondum Sanguine redemerat; ne tamen perderet ex eis quenquam: vt pro eis orauit Patrem, *Ioan.* 17. & impetrauit, *Ioan.* 18. Quanto maior esse cura debet Pastori pro tanti redemtis ouiculis? Grauissima certe hanc in partem est oratio D. Pauli ad Maiores Ephesinæ Ecclesiæ. Act. 20. *Contestor*, ait, *vos hodierna die, quia mūdus sum ab sanguine omnium, &c. Attendite vobis, & vniuerso gregi: regere Ecclesiam Dei: quam acquisiuit Sanguine suo, &c.* *Quanta sit.*

1. Iacobo, *Gen.* 31. Quanti stetere greges Laban? Certe somnus ab oculis eius fugerat. 2. Dauidi aries vnus quanti. 1. Reg. 17. *Veniebat leo, vel vrsus, & tollebat arietem de medio gregis, & persequebar eos, & percutiebam, eruebamque de ore eorum.* *Exempla typica.*

Ideo forte Pastores *sal terræ* sunt, quod conteri curis, aut liquari debent; vt ouicularum comedentium acuant gustatum, *Matth.* 5. 3. Certe, vt Pelicanus sanguine suo pullos viuificat, ac alit: ita suos Prælatus sudore pascat, & exsudata doctrina. 4. Moyses, *Exod.* 32. quid non egit, tulitque; vt rebellem Deo populum reconciliaret? 5. Samaritanus, *Luc.* 10. Quid omisit vulnerato resanando. 6. Paulus etiam, Rom. 9. *optauit anathema esse à Christo pro fratribus.*

Sint igitur Curiones circumspecti. Nam, 1. Timoth. 3. *Si quis domui suæ præesse nescit;* *Mali prælati desiderunt.*

neſcit; Eccleſiæ Dei quomodo diligentiam habebit? 2. De talibus Bern. lib. de Confid. *Rex fatuus in ſolio, eſt ſimia in tecto: quæ nihil componit vel vnit, ſed compoſitum diſſoluit.* 3. Salomon, 3. *Reg.* 9. quotannis claſſe in Tharſis miſſa, præter aurum & argentum, pauones etiam ac ſimias aduehebat. In naui Chriſti, Eccleſia, ô quot pauones ac ſimiæ.

Sunt ſimiæ.

Quorum, vt Roboamitarum, 3. *Reg.* 12. Conſiliariorum conſiliis peſſum it Eccleſia. Præſertim ſi iuniores ſint, quorum *in corde ſtultitia colligata eſt.* Prou. 12.

Animicidæ.

Hi illud audiant S. Gregorii: *Tot occidimus, quot ad mortem quotidie tepide & tacentes ire videmus.* Credant ſibi iuſſum illud, Exod. 25. *Pone ſuper menſam panes quotidie recentes*: Talibus rationales Chriſti oues paſcendæ ſunt.

Quæritur debonu.

Sed quærit Dominus, Luc. 12. *Quis putas eſt fidelis & prudens ſeruus, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, vt det illis cibum in tempore* Vbi S. Chryſoſt. *Quærit Dominus, non quaſi ignorans; ſed innuere volens huius rei difficultatem, & raritatem.*

1. Sic Eliſæus, 4. *Reg.* 2. Helia in cœlum rapto, emittit diſcipulos per ſyluas ac montes quæſitum eum; non quod dubitaret ipſe; ſed vt illi iuxta ſecum crederét vnum; eo nuſquam reperto. 2. Sic Baptiſta, *Matt.* 11. diſcipulos miſit ad Chriſtum percunctatum, *Tues qui venturus es, an,* &c. vt ipſi diſcerent; non quod neſciret ipſe. Prudentia hæc & cura eſt paſtoralis pro ſuorum ſuaui ac facili inſtitutione, qualis hic Chriſti pro diſcipulis.

Parentibus curandi ſunt liberi.

II. Similis & parentum eſto in liberos. 1. Timoth. 5. *Qui enim domeſticorum ſuorum curam non habet, infidelis eſt.* 2. Si ad Baptiſmum Patrinis cura baptizatorum commendatur ſeria; quanto maior parentum ſit oportet? 3. Ariſtot. Oeconom. lib. 1. c. 3. *Filium erudire, patris eſt; ſicut nutrire, matris.*

4. Terra gemmas edit & aurum, rudia omnia: at perpolire polionum eſt, & artis opus.

5. Sed quas aues eſſe cicuratas volumus; eas è nido ſubductas manſuefacimus in caua.

Sin: probro erunt.

Verum, quia ſecus fit ſæpe, ideo dici de talibus poteſt; quod de gente Iſraelitica Ezechiel, cap. 16. *Pater tuus Amorrhæus, mater tua Cethæa*, barbari ambo. *Quando nata es, aqua non es lota, nec ſale ſalita, nec inuoluta pannis: ſed proiecta es ſuper faciem terræ.*

Et vindicandi pœnis.

Diogenes, (vt in vita eius teſtatur Laertius,) patrem percuſſit, cuius filium inſolentem vidit.

3. Lacedæmoni, ait *Plutarch. in Lacon. Apoph.* ſi quando fratres duo inter ſeſe diſſidebant; mulctam patri dicebant: quod eius negligentia orta inter eos ſimultas extitiſſet. Proinde Dominus, vt pater filios, de ſeſe interrogat; vt doctrina eis altius in animum deſcendat.

PARS II.

De eo, Quem dicunt homines? Qui homines? Quem? Cur?

Differt homo, & filius hominis.

I QVem dicunt homines eſſe Filium hominis. S. Auguſt. tom. 8. in iſtud Pſalmi 88. *Quid eſt homo, quod memor es eius; aut filius hominis, quoniam viſitas eum?* quærit: *Quid inter hominem, & filium hominis diſtet? Hoc ſane retinendum eſt; quod omnis filius hominis, homo: quamuis non omnis homo filius hominis poſſit intelligi.* Vnde, qui 1. Corinth. 15. *portant imaginem terreni hominis, qui non eſt filius hominis, hominum nomine ſignificantur. Qui autem portant imaginem cœleſtis hominis; filii hominum potius appellantur. Ille enim vetus homo dicitur, iſte autem nouus. Sed nouus ex vetere naſcitur. Ille longe ſeiunctus à Deo: hic autem præſens Deo. Et propterea Illius Memor eſt, tanquam in longinquo poſiti: hunc vero viſitat, quem*

præsens illustrat vultu suo. Longe est enim à peccatoribus salus. Psalm. 35. *Homines & iumenta saluabis: per misericordiam, quæ ad longe positos peruenit: Filii autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt: inebri & c. Nonne homines estis,* 1. Cor. 3. *& secundum hominem ambulatis?*

Sensus quæstionis ac sinus.

Itaque hoc quæritur: Quem dicunt terreni esse Cœlestem? quem mali bonum? veteres nouum? peccatores iustum? *Quem*, quærit de essentia personæ; non *qualem*, de accidente eiusdem. Inter vtrumque hoc multum interest. Vnde S. Thom. in Matth. cap. 16. ait. *Qui Diuinitatem cognoscunt; dicuntur Dij. Psalm. Ego dixi, Dij estis: qui Humanitatem; homines.* Hoc, ait hic S. Hieronym. *Sapiens, cum interrogat docet.* Id quod toto liquet Euangelico textu.

Quæstio. ardua: quis sit.

II. Atqui æ sublimior vsquam quæstio? Est de Diuinitate filii Dei: de veritate Messiæ: de redemtione: de consummatione Prophetarũ: de placatione Dei, &c.

Typi eius varij.

Quem esse dicunt? 1. An *Melchisedech, sine patre* humanitus, *sine matre* diuinitus; *sine genealogia.* Nam Isa. 53. *Generationem eius quis enarrabit.* 2. An *Isaac?* miraculo editus, morti à patre destinatus, & signi victimarij baiulus? *Genes.* 22.

3. An est *Noe?* arcam humanitatis ingressus, *Gen.* 29 diluuio peccatorum nos eripiens; amore ebruus, in ara crucis nudabitur & ridebitur?

4. An Iacob est; *Gen.* 27. qui vestibus Esau peccatoris indutus: in nocte passionis luctans cum angelo, demum vincet?

5. An Ioseph est: qui à fratribus vendendus; veste cruentandus; demum restituendus regnabit? *Gen.* 37. 40.

6. An Moyses est, *Exo.* 2. 8. &c. qui ab Herode infans ad cædem quæsitus; duxque populi per mare rubrum passionis est futurus?

7. An est summus ille Pontifex. *Num.* 35. post cuius mortem exules omnes in patriam reuocati sunt? 8. An Samson est, *Iud.* 14. qui naturæ humanæ captus amore, & cum Dalila in sepulcro congressus, portas & vincula inferni confringens; hostium demum ludus erit?

9. An est Dauid, qui funda Carnis promtus, ærumnarum nostrarum lapidibus instructus; Goliathum Satanam cum exercitu fundet, fugabitque?

Aut *quem* tandem *dicunt homines esse Filium hominis?*

10. An eum, de quo vox lapsa cœlo, dixit: Ioann, 3. *Hic est Filius meus dilectus*, &c. Sed hunc Pater cœlestis esse dixit: *Quem homines esse dicunt?*

III. Si de hominib. sit quęstio: Domine, prius mihi forent quærendi homines: velut in conferto foro Diogenes accensa laternula quæritabat. Quærebat similiter olim S. Chrysostomus, tom. 2. hom. 4. in cap. 1. Matth. verum, inquit: *Nec, si homo sis, possum euidenter cognoscere. Quando enim, vt asinus, calcitras; vt taurus, superbis: Libidine incensus sic hinnis, vt equus: quando in epulis, vrsorum imitaris voratum; & pinguedine corpus, more mulorum, distendis: cum in exercenda simultate, camelum; lupum imiteris rapina: cum irascaris, vt serpens, & atrocitate scorpionum percutias: cum subdole insidieris, vt vulpes: cum veneno malignitatis armeris, vt coluber: cum, quasi diabolus: aduersus fratres crudelia bella suscipias: Qua ratione in numero hominum te possum collocare, nulla in te cernẽs humanæ signa naturæ?* O rem plenam *doloris & lacrymarum?*

Homines brutis imitantur.

Nec inter homines & feras, quod sit discrimen, inuenio. Feram appellem? Hæc vno aliquo horum vitio tenetur: tu vero simul omnia in te colligendo, longe ferarum irrationale & stultum transgrederis.

Bestiigna sunt pauores.

An Diabolum te potius appellem? Sed ille nec pecunias concupiscit; nec tyrannidi ventris obsequitur. Cum igitur plura in te vitia sint, quã in be-

Imo diabolus.

in bestiis, & dæmonibus; vnde possum te iure hominem nuncupare?

Monstra sunt hominum.

Cum ergo hominem reperire sit vix vllum; quid *homines* dicant qui sciam? Nam, ait S. Chrysost. Hom. 6. in 2. Cor. tom. 4. *Si bestiam viderem humana voce loquentem; nequaquam dixerim hominem esse; sed potius ob hoc ipsum bestiam: quin quauis bestia prodigiosiorē.* At tales hodie sunt, qui loquuntur.

Si igitur quæreretur: *Quem dicunt bestiæ esse filium hominis*: facilior foret responsio. Adeo, cum Isaia *cap.* 50. dicere cunctis Dominus verissime potest: *Ecce, in iniquitatibus vestris venditi estis. Quia veni; & non erat Vir.* Vbi S. Hieron. ait: *Omnes enim bestiarum sumsere imagines.*

In Iudæa plerique erant non homines dicti à Domino.

Domine, qui hic homines? 1. Dicis de Herode; Luc. 3. *Dicite Vulpi illi.* 2. De Pharisæis, Matt. 3. *Genimina viperarum.* 3. De voluptuosis, Matth. 7. *Nolite mittere margaritas ante porcos.* 4. De impudentibus: *Neque Sanctum canibus detis.* 5. De gentilibus: Mar. 7. *Non est bonum mittere panem canibus.* 6. De Scribis, & Iudæis, Ioa. 8. *Vos ex patre diabolo estis*, vt sint quasi diaboli. 7. De libidinosis, Ieremias ait, cap. 7. *Equi insanientes in fœminas facti sunt.* 8. De omnibus in communi Isaias, c. 30. *Visio quadrupedum.* 9. Et Dauid Psalm. 47. *Homo comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.*

Et tute ipse dixisti nobis: Matth. 4. *Faciam vos fieri piscatores Hominum*: Et ecce, Luc. 5. *Nihil cepimus* adhuc. Quare qui, & vbi erunt homines, quibus de quæris? Si istos velis, iam ipse audisti. Alii dicunt te Dæmoniacum: Ioann. 8. *Dæmonium habes.* Alii Magum. Luc. 11. *In Beelzebub eijcit dæmonia.* Alij Gulosum: Matt. 12. *Ecce, homo vorax & potator est.* Alij Amicum peccatorum & publicanorum *Luc.* 7. Alij, blasphemum. Ioan. 19. *Filium Dei se fecit.* Luc. 7. *Quis est hic, qui etiam peccata dimittit?* Alij, Latronem, Mar. 14. *Tanquam ad latronem existis.* Alij malefactorem, Seductorem, Regni affectatorem: alij denique dicunt: *Non est hic homo ex Deo.* Ioan. 9.

Et Domi. nulli varie calumniabātur.

Sed porcorum grunitus, canum latratus, sibilus viperarum, hinnitus equorum, Vulpium gannitus, bestiarum voces minime sunt attendendæ. De quo igitur *Dicere hominum* quæritur?

Neque gloriam ab hominibus captabat Dominus.

Neque enim hoc quæris: vt gloriolam captes à mortalibus, Ipse enim dixisti: Ioan. 8. *Edo non quæro gloriam meam: est, qui quærat, & iudicet.* Et, *si ego glorifico me ipsum: gloria mea nihil est.* Itaque Ioann. 5. *Claritatem ab hominibus non accipis.* Simul exprobrasti ambitiosis; Ioan. 5. *Quomodo vos potestis credere, qui gloriā ab inuicem accipitis? & gloriā, quæ à solo Deo est, non quæritis?*

Bona fama est curanda.

IV. An fortassis cordi erat curæque nomen bonum ac fama? Nam Eccles. 7. *Melius est nomen bonum; quam diuitiæ multæ: super argentum & aurum gratia bona.* Proinde monet idem, cap 33. *In omnibus operibus tuis præcellens esto; ne famæ tuæ maculam imponas.* Quia Eccl. 41. *Thesauri pretiosi & magni bonæ vitæ, numerus dierum, bonum autem nomen permanebit in æternum.*

Quod si huius cura Dominum quoq; tangebat; iam nos maxime attinebit. 1. Hier. Ep. ad Celanciam. *Apostolici*, ait, *præcepti & exempli est; vt habeamus rationem, nō conscientiæ tantum; sed & famæ.* Ro 12. *Prouidentes bona, non tantum coram Deo; sed etiā coram hominibus.* 2. Cicer. l. 1. offic. *Negligere, quid de se quisque sentiat, non solum arrogantis est, sed etiam omnino dissoluti.*

Distinguit S. Aug. de bono Viduit. 11. q. 3. *Nobis est necessaria vita nostra: aliis fama.* Et alib. *Sic Doctor bonam eligat vitam; vt etiam bonam non negligat famam.* 3. Quin etiā Episcopus, 1. Tim. 3. *testimonium habeat ab his, qui foris sunt.* 4. Seneca, *Honestus rumor alterum est patrimonium.*

Sed

Eius ortus & causa.

Sed vnde fama bona nascitur? 1. Euripides, Famæ patrem esse *Laborem*, dixit. 2. Hesiodus eam ait, per Labores virtutum incedere. 3. Agesilaus rex Laced. ait Plut. in Apoph. Lacon. percunctanti: *Vnde bona haberi fama queat facile?* respondit: *Si loquamur quæ sunt optima: & faciamus quæ sunt honestissima.* 4. Socrates idem sciscitanti, ait: *Si talis esse studeas; qualis haberi velis.* Non enim medendi imperitus, medicus erit: qui talis appelletur. 5. Itaque ex operibus nomen sortimur: Ps. 41. *Sicut nomen eius; ita & laus eius.*

Effectus eiusdem.
1 Impin. guat.
2. Honorat.

Neque fructus bonæ famæ, ipsa inferior est in vera laude. Nam, Prouerb. 15. *Fama bona impinguat ossa.* 2 Greg. Naz. *Nihil est, quod hominem ad altiores honorum gradus prouehat; quam Virtus, & Fama honestis rationibus collecta.* 3. Ouid. l. 3. de Ponto. Eleg. 3. *Effugiunt structos nomen, honosq; rogos.* Bias aiebat: *Bonum nomen mater annorum est.* 4. Plato sciscitanti: *Ecquod futurum esset ipsius monumentum*, ait: *Prius nomen parandum, ita monumenta futura sunt multa.*

3. Æternat.
4. Memorat.

PARS III.

Quæ Apostoli Apostolicique dicant esse Dominum?

I. VOs autem quem me esse dicitis? 1. Petrus dicit: *Tu es Christus Filius Dei viui*: 2. Ioannes dicit: c. 1. *In principio erat Verbum, &c. Et Verbum Caro factum est, & habitauit in nobis.*

3. Andreas Petro dicit, Ioan. 1. *Inuenimus Messiam, quod est interpretatum Christus.*

4. Philippus ad Nathanael dicit, Ioan. 1. *Quem scripsit Moyses in Lege, & Prophetæ; inuenimus Iesum, filium Ioseph à Nazareth.* Sed Ioan. 14. *Domine ostende nobis Patrem, & sufficit nobis. Dicit ei Iesus. Philippe, non creditis quia Ego in Patre, & Pater in me est: Qui videt me, videt & Patrem.* Et credidit.

5. Thomas, qui dicitur Dydimus dicit, Ioannis 14. *Domine, nescimus quo vadis, & quomodo possumus viam scire? Dicit ei Iesus: Ego sum Via, Veritas, & Vita* Et credidit Ioann. 20 *Deus meus, & Dominus meus.*

6. Iacobus Minor Alphæi Thadeus, Epist. Cathol. cap. 1. dicit: *Iacobus Dei, & Domini nostri Iesu Christi seruus* sum. Itaque *in mansuetudine suscipite insitum Verbum; quod potest saluare animas:* Et c. 2. *Nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Iesu Christi gloriæ.*

7. Iacob. Maior Zebedæi, dicit: Mar. 10. *Magister: volumus, vt quodcunque petierimus facias nobis. Da nobis, vt vnus ad dexteram tuam, & alius ad sinistram tuam sedeamus in gloria tua.*

8. S. Matthæus dicit: Matt. 17. *Ecce vox de nube, dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui; Ipsum audite.*

9. Bartholomæus dicit: Ioann. 6. *Et nos credimus, & cognouimus; quia Tu es Christus Filius Dei.*

10. Simon Chananæus, qui vocatur Zelotes dicit: Mat. 14. *Qui in naui cula erāt, venerunt, & adorauerunt eum, dicentes; Vere Filius Dei es.*

11. Iudas Iacob. in Canonica dicit: *Ei, qui potens est nos conseruare sine peccato, & cō. stituere ante conspectum gloriæ suæ immaculatos in exultatione, in aduentu Domini nostri Iesu Christi, soli Deo Saluatori nostro, per Iesum Christum Dominum nostrū gloria & magnificentia, imperium, & potestas, ante omne sæculum, & nunc, & in omnia sæcula sæculorum, Amen.*

12. Iudas Iscariotes, qui & tradidit eum, dicit Matt. 27. *Peccaui; tradens Sanguinem Iustum.*

13. Paulus dicit: Phil. 2. 6. *Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Iesu: Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, se æqualem Deo: Sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominū factus, habitu inuentus vt homo.* 1. Tim. 3.

Sic

sic Apostoli dicunt.

II. Quid alios commemorem? 1. Angelus Gabriel, Lu. 1. *Ecce concipies & paries Filium, & vocabis nomen eius* Iesum. 2. Item Lu. 2. *Ecce* Pastoribus *ait* angelus: *Euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: Quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus.*

3. Magi Lu. 2. *Est Rex Iudæorum: Vidimus stellam eius in Oriente, & venimus adorare eũ. Et obtulerunt ei munera: Et procidentes adorauerunt eum.*

4. Ioannes Bapt. Ioa. 1. *Hic est Filius Dei: Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Hic est, de quo dixi: Post me venit vir, qui ante me factus est, quia prior me erat.* Mat. 9. *Ego baptizo vos in aqua: Qui autem post me venturus est, fortior me est, cuius non sum dignus soluere calceamenta: ipse vos baptizabit in aqua & Spiritu Sancto.*

5. Martha, Ioan. 11. *Vtique Domine ego credidi: Quia tu es Christus, Filius Dei viui, qui in hunc mundum venisti.*

6. Centurio, Mar. 15. *Vere hic homo Filius Dei erat.*

7. Energumenus, Mar. 5. *Videns* Iesum *à longe, qui dæmonio vexabatur, cucurrit, & adorauit illum; & clamans voce magna dixit: Quid mihi, & tibi* Iesu, *Fili Altissimi.* Mat. 8. *Venisti huc ante tempus torquere nos.*

8. Latro, Lu. 23. *Memento mei cum veneris in regnum tuum.*

Denique Tit. 2. *Apparuit gratia Dei Saluatoris nostri* Omnibus hominibus.

Necesse eō-fueri Christum.

III. Proinde Act. 4. Petrus & Ioannes: *Non possumus ea, quæ audiuimus, & vidimus; non loqui.* Nam sic erit: Matt. 10. *Omnis, qui me confessus fuerit coram hominibus; confitebor & ego eum coram Patre meo. Qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & Ego eum coram Patre meo.* Mar. 8. *Qui me confusus fuerit, & verba mea in generatione ista adultera & peccatrice: & Filius hominis confundet eum.* Luc. 12. *Negabitur coram Angelis Dei.*

Et quidem necessarium est, Rom. 15. *vt vnanimes vno ore honorificemus* Deum. *Corde.* Quoniam, Ro. 10. *Corde creditur ad iustitiã; ore autem fit confessio ad salutem.* *Ore.*

Opere etiam præstandum, Mat. 5. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrũ, qui in cœlis est.* Et Gal. 1. *Licet nos, aut angelus de cœlo euangelizet vobis aliter, anathema sit. An quæro hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem.* Gal. 6. *Et quicunque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos, & misericordia.* *Opere.*

IV. Et ista quidem Fidelium Confessio sustentat Cathedram Petri; quam ipsi erexit Dominus, dicens. *Tu es Petrus; & super hãc Petram,* &c. Eius typus præcessit. Isa. 51. *Attendite ad petram vnde excisi estis, & ad cauernam laci, de qua præcisi estis. Attendite ad Abraham patrem vestrum, & ad Sarã, quæ peperit vos:* Sic Petrus & Ecclesia. *Quia vnũ vocaui eum; & benedixi ei; & multiplicaui eum,* &c. *Confessio Fidelium sustentat Ecclesiam.*

Indigebat & altero inde sustentaculo Ecclesia; nimirum Protectione Principum. Ideo forte ad Cæsaræam Dominus Petro cathedram voluerit erigere. Prædixit Isa. cap. 60. *Reges ministrabunt tibi: suges lac gentium, & mamilla Regum lactaberis.* Isa. 49. *Erunt Reges nutricii tui, & Reginæ nutrices tuæ.* Prædictum factum: vel vno Constantino teste; à quo potissimum descendit Patrimonium S. Petri. *Et protectio Principũ.*

Vtrumque Ecclesiæ fulcimentum, & Principum protectio, & Fidelium confessio typum suum habent in Arca primum. Exo. 25. *Ponesin ea Testificationem, quam dabo tibi. Facies Duos Vectes de lignis Sethim,* incorruptibilibus: & operies auro: Vectesq; semper erunt in *circulis, nec vnquam extrahentur.* Ita duo illa semper inerunt Ecclesiæ. *Typus.*

2. Deinde in Throno Salomonis, 3. Reg. 10. Hi ab duodecim leunculis fere-

batur; & ab duabus manibus sustentabatur: Sic Ecclesia, hinc potentia Principũ; inde testimonio fidelium.

3. Cant. 2. *Læua eius, Professionis sub capite meo; & dextra illius* Confessionis *amplexabitur me.* 4. Inter hæc brachia Sponsi cubans dormit ecclesia. prou. 3. *In dextra illius longitudo dierum: in sinistra, diuitiæ & gloria.*

Inde prosperitas imperio.

Certe Augusti Romanorum victorias eorum tribuit cultui circa templorum cultum, licet impium. Salomon sane, 3. Reg. 10. tanti structor Templi ad tantos opes & gloriam ascendit: quam corrupit corruptus per mulieres & idololatrias.

PARS VI.

De Petra & Cathedra velut Confessionis præmio quod obuenit Petro.

I. *TVes Petrus, & super hanc Petram ædificabo ecclesiam meam.* Impletur istud *Isa.* 28. *Ecce Ego ponam in fundamento Sion lapidem pulcrum, angularẽ, pretiosum, in fundamento fundatum.* Hic est lapis, quem Iacob capiti suppossuit: & vnxit. *Gen.* 28. In hanc Petram excreuit lapillus de monte abruptus, *Dan.* 4. qui creuit in montem.

Petrus fit Petra.

Typus Petri

1. Ieremias.

2. Abrahã.

1. Typus Petri Ieremias erat, c. 1. *Sicut columnam ferream, & sicut murum æneum posui te.* Sed, ait Chry. ho. 66. in c. 16. Matt. to. 2. *Ipsum genti vni Pater: Hunc autem vniuerso terrarum orbi Christus præposuit.*

2. S. Hier. to. 9 Epist. de vera Circumcis. Petrum Abrahæ confert. *Ille*, ait, *est alius Abraham, nescio, an maior: certe, quod sentio, non secundus.* 1. *Illi generatio larga promittitur: huic pascenda committitur.* 2. *Ab illo iustificanda procedunt: in hoc iustificata fundantur: ita quod ille sperat, hic accipit.* 3. *Illi dicitur*; Faciam te in gentem magnam: *huic*, Faciam te piscatorem hominum. 4. *Illi*, In semine tuo benedicentur omnes Gentes: *huic*, Iudicabis XII. tribus Israel. 5. *Illi*, Vt stellæ, erit semen hominum. *huic*, Tibi dabo claues regni cœlorum. 6. *Illi*, pro filiis claritas monstratur astrorum: *sed huic* tradũtur regna cœlorum: *vt videlicet in ea fine Petro nec Filii Abrahæ possint intrare.*

Christus Petrus ait Petra.

3. S. Ambrosius Serm. de fide Petri, hunc cum Christo comparat. *Petra*, ait, *dicitur, eo quod primus in nationib. Fidei fundamenta posuerit. Petra pro deuotione Petrus dicitur: & Petra Dominus pro virtute.* 1. Corinth. 10. *Bibebãt de spirituali consequente eos Petra. Recte consortium meretur nominis; qui consortium meretur & operis. In eadem enim domo Petrus fundamentum posuit, plantat; & Dominus incrementum dat, irriguum subministrat.*

Climax in Petram & cathedra.

Dat 1. Cathedram. 2. In hac Doctorẽ. 3. In hoc scientiam. 1. Quare, Psalm. 106. *Confiteantur Domino misericordiæ eius, & mirabilia eius filiis hominum. Exaltent eum in Ecclesia plebis, & in Cathedra Seniorum laudent eum.*

1. In hac Doctor.

2. Ioel explicat, c. 2. *Filiæ Sion exultate, & lætamini in Domino Deo vestro: Quia dedit vobis Doctorem Iustitiæ.*

3. In doctrina scientia Climax.

3. Promisit Ieremias, 3. *Dabo vobis Pastores iuxta cor meum; & pascent vos scientia & doctrina.* Tu autem Petre *pasce oues meas, pasce agnos meos.*

1. Huc data est illi clauis scientiæ, & clauis Iurisdictionis, 2. Hisce erecta est Cathedra, olim Moysis, nunc Petri. 3. Huius Cathedræ *Fundamenta in montibus sanctis*, Psalm. 88. 4. Hoc fundamentum autem est petra: 1. Cor. 10. *Petra autem erat Christus* Ideo, 1. Cor. 3. *Fundamentum nemo potest aliud ponere, nisi id, quod positum est, quod est Christus Iesus*; primarium excellentiæ: Petrus vero est secundarium: Eph. 2. *Superædificati super fundamentum Apostolorum*, 1. Horum Principem Petrum; sed *Ipso Angulari lapide Christo Iesu.*

Vere, Mar. 7. Petrus *est similis Homini*, Christus est ipse Homo ille, *qui ædificauit domum*

domum suam supra petram. 1. Ecclesiam supra Petrum, hunc supra sese Christum Lapidem angularem. Et honor iste, honorisque meritum Petro in confessionis obuenit præmium fundamentale ac Cathedrale. Hæc generatim: nunc speciatim, quale sit illud, inquiramus. Ac primum de Cathedra sola.

Quid Cathedra.

II. Cathedra est sedes hominis autoritatem habentis ad Docendum, vel Imperandum, quæ & *Thronus* dicitur. *Tribunal* erat locus excelsus, arcuatus; vbi ius Tribub. reddebatur. *Cathedra Dei*, vel solium excelsum sunt vel Angelicæ Virtutes, seu Throni: vel Anima cuiusque Iusti: vel cœlum, &c. Vide *Hier. Laureti syluam Alleg.* Eccl. 7. *Noliquærere ab homine Ducatum; neque à Rege Cathedram* honoris Regii, Pontificii, vel Magistralis. 1. S. Greg. 19. Mor. c. 13. ex Iob. 29. *In platea ponebant Cathedrã mihi* Iudicialem. 2. *De Magistrali* Dominus dat probro Pharisæorum ambitioni, *Luc.* 11. quod *diligebant primas Cathedras in Synagogis* magisteriales. 3. *D. Hier. in cap.* 29. *Iere.* ait, *Cathedram Moysi* esse doctrinam Legis & Prophetarum. 4. *Rupertus libr.* 3. *in Ioann. ait*: Cathedram Petri vocamus Euangelicæ Doctrinæ Magisterium; simul cum suprema Clauium Potestate, ipsi à Christo tradita.

Quotuplex.

Est signum amoris Dei in Ecclesiã.

Deus sui in Ecclesiam amoris signa etsi ostenderit in datis ei Rectoribus: Vt vocato Abraham ex Vr; Moyse in Rubo; Vnctione Dauid. 20. 2. Illustrius tamen præmisso isto, Ezech. 34. *Ego, Ego pascam eas.* 3. Magis Facto, Ioan. 10. *Ego sum Pastor bonus.* 4. Hocq; amplius, (quia in cœlos rediturus erat.) respondet, Ier. 3. *Dabo vobis Pastores iuxta cor meum; & pascent vos sciẽtia & Doctrina.* 5. Et promissum præstitit, Ioan. 21. *Pasce oues meas.* Quo Primariam ei Cathedram conferebat: vt prius Petram constituerat eundem.

1. Vidit *Ezechiel, cap.* 1. supra Firmamentum Thronum Saphirinum; super quem *similitudo quasi aspectus Hominis desuper, & quasi species electri*: id est, Christus in duplici natura: qui est Caput Ecclesiæ totius. Militantis vero Caput Vicarium Petrus, eiusque successores.

Typus sedentis 1. in ea Christi.

2. Hanc Cathedram, typo Nauis, describit Psaltes 106. Periclitantem: *Stetit Spiritus procellæ, & exaltati sunt fluctus eius*, &c. Seruatam in periculo: *Clamauerant ad Dominum, cum tribularentur; & de necessitatibus eorum eduxit eos, &c.* Gratias agentem ob liberationem: *Confiteantur Domino misericordiæ eius; & mirab. &c. & in Cathedra seniorum laudent eum.*

2. Periclitantis.

Desideriũ 1. Eius doctrinæ.

III. Hinc sponsa cupida Cathedræ Euangelicæ, ait, Cant. 8. *Quis mihi det te Fratrem meum*, Papam, *sugentem vbera Matris meæ*, diuinæ Sapientiæ, *vt inueniam te foris.* &c. *ibi me Docebis.* Respondet Sponsus, Is. 30. *Erunt oculi tui videntes Præceptorem tuũ.* Ideo acclamat, Ioel. cap. 2. *Filiæ Sion exultate, & lætamini in Domino Deo vestro; quia dedit vobis Doctorem Iustitiæ.* O vere, Luc. 12. *Beata vbera, quæ suxisti* Ecclesia semper ex Deo & inhabitante tibi Spiritu Sancto.

Nunquam vbera deficient: Quia *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*, super Christum & Petrum *bibent autem de consequente eos Petra.* 1. Cor. 10.

2. Perennantis.

Hæc Petra est *Lapillus de monte* Iudaico *sine manibus*, non ex voluntate carnis, *excisus*, sed ex Deo natus: Dan. 2. *factusque est Mons magnus; qui impleuit vniuersam terram*, non solum Palæstinam.

Typus de eius 1 ortu & magnitud.

2. Huius *Regnum in æternum non dissipabitur. Comminuet autem vniuersa regna; & ipsum stabit in æternum.*

2. De æternatione.

3. Hic est lapis Iacob, Gen. 28. quem *Erexit in Titulum; fundensque oleum desuper, dixit: Erit mihi Dominus in Refugium. & Lapis iste, quem erexit, in Titulum.*

3. De sanctificatione.

4. De eo prædictum, Zach. 4. *Educet Lapidem Primarium, & exæquabit gratiam &*

4. De Primatu.

Potestatem Petri gratiæ & Potestati Christi.

5. De eius successione & subordinatione.

Porro vnum semper in ea sedere Sede voluit Deus. Psalm. 132. *Sicut vnguentum*, Creationis & Inspirationis *in Capite, quod descendit in barbam* Christi; *barbam Aaron*, Petri: Atque inde *in Oram vestimenti eius*, ab ipso dependentes. Quales erant, de quibus, 1. Corint. 3. *Dei enim adiutores sumus, in opus Ministerij.* Ecce Monarchiam Ecclesiasticam.

Monarchia est Petri, vel Papæ.

IV. Ordo optimus Monarchicus est. D. Tho. lib. 4. *contra Gent. c. 76.* Optime Vnus. Quia Finis est pax: at hæc in vnitate consistit. Vnus enim vnitati conseruandæ melior est multis. Nam multis non est pax; nisi conueniãt in vnum. Ioan. 17. *Vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus.* &c. orat vnigenitus.

Cum Potestate suprema ordinaria.

Hic datam sibi Potestatem omnem in cœlo & in terra dedit Petro. 1. Vt Petræ, firmam ordinariam: cæteris, vt legatis; 2. Cor. 5. *Pro Christo legatione fungimur.* 2. Vt supremam supra cunctos: Ideo iussit, Luc. 22. *Et tu aliquando conuersus confirma Fratres tuos.* Item Ioan. 21. *Pasce, Pasce, Pasce oues meas:* & *Agnos meos.*

Ceu prædictum.

Prædictum Isa. 22. Erit in die illa, *vocabo seruum meum Eliacin; & Induam illum tunica sua, & cingulo tuo confortabo Eum: Et Potestatem tuam dabo in manu eius; & erit quasi Pater habitantibus Ierusalem, & Domui Iuda. Et dabo Clauim domus Iacob super humerum eius; & aperiet; & non erit, qui claudat: & claudet; & nõ erit, qui aperiat. Et figam illum paxillum in loco fideli, & erit solium Gratiæ domus patris sui: Et suspendam super eum omnem gloriam domus patris sui, vasorum diuersa genera.*

Prophetia sensus Primus.

1. Eliacin id est, *Deus surgens*, Christus is erat, vere. 2. Tunica Humanitatis assumtæ. 3. Cingulum, Isai. 11. *erit iustitia cingulum lumborum eius.* 4. Potestas iuxta Mat. vltim. *Data est mihi omnis. &c.*

5. Clauis est Crux, Isai. 9. *Factus est principatus super humerum eius.* 6. Aperit, & claudit: Ioann. 14. *Nemo enim venit ad Patrem nisi per me.*

Secũdarium.

Vel Secundario, 1. Eliacin est Petrus quasi Deus surgens in terra: 2. Tunica Potestatis datę: 3. Cingulum crucis, Ioan. *Alius præcinget te: hoc autem dixit significans, qua morte esset clarificaturus Deũ.* 4. Potestas Missionis: *Sicut misit me Pater.* &c. 5. Clauis ligandi & soluendi.

Esse debet Pater & Rex.

6. *Pater.* Reges Palæstinæ omnes vocabantur *Abimelech*; id est, *Pater mi Rex.* Nimirum, ait S. Aug. *quod omnis Rex vel Præsul esse debet non tam Potestate dominus; quã paterna charitate seruiens.*

Typus tim.

1. Hinc, Exod. 29. Pontifex iubetur & *vngi oleo* charitatis; & *Aspergi sanguine* arietis immolati, rigore in delinquentes. 2. Ideo, Ezech. 41. *Habebat Cherub faciem hominis iuxta palmam ex hac parte* Charitatis *& faciem leonis iuxta palmam ex alia parte.* Seueritatis. Semper tamen palmam adspicere debent, victoriæ hic, & præmij isthic.

Veritas.

1. Ita 1. Pet. 1. *Non quasi dominantes in Cleris, sed forma facti Gregis ex animo.* 2. Ideo quæsiuit Dominus, Ioan. 21. *Petre, diliges me plus his?* Ergo *Pasce.*

Typus.

Pasce. &c. 1. Vt Iacob, 31. *Die noctuq; æstu vrgebar & gelu, & fugiebat sõnus ab oculis meis.* 2. Pasce vt Moyses; Nu. 12. *Erat enim Moyses vir mitissimus.* Et tamen, Exod. 32. *Si quis est Domini, iungatur mihi*: mactatque idolatras.

Veritas.

3. Paulus. 1. Corin. 4. *Vultis, in virga veniam ad vos, an in spiritu Mansuetudinis?* Petrus venit in virga Ananiæ, & Simonis: alius in Lenitate. Ista *Ildeph. Giron Prædicator Conc. 7. In Cathed. to. 1.*

PARS

PARS V.

De Potestate & Dignitate Cathedræ S. Petri.

Cathedræ sunt variæ.

I. CAthedræ in S. Script. diuersæ. 1. Pontificia, Regia, Iudiciaria, Doctoralis: Presbyteralis; Nummularia.

Pontificia in vetus.

Pontificia. Et hæc vna; vt vnum Templum, & vnius erat; inde ab Moyse & Aaron, iussu Dei erecta; conseruata: demũ, (quia, Heb. 7. *Trãslato Sacerdotio, necesse est, vt & Legis translatio fiat:*) ad Christũ translata, eique perennis: De ea sic sancitum, Deut. 17. *Si difficile iudicium apud te perspexeris, &c. ascende ad Locum, quem elegerit Dominus, veniesque ad Sacerdotes. &c. Iudicẽ, qui fuerit illo tempore, quæresque. &c. Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tẽpore ministrat Domino, &c. morietur.*

Transit cũ Petro Romam.

In Ecclesia hodie Cathedræ tot sunt Pontificiæ, quot Episcopi. Quarum idem discrimen est ab Romana, quod supra dixi Apostolos inter & S. Petrum intercessisse: Vt *Romana* per Excellentiam dicta semper fuerit *Pontificia*: Cum ob alia; tum quia S. Petrus Romæ Sedem denique stabilem fixit, sanguineq; consignauit. Hanc acceperat à Christo, Christus à Moyse, Moyses à Deo. Eam superbe sibi Tyrios arrogasse, damno ijs fuit. Ezech. 28. *Dixisti: Deus ego sum, & in Cathedra Dei sedi in corde maris, cum sis homo, & nõ Deus, & dedisti cor tuum, quasi cor Dei.*

Primatus Antiochiæ

Si Romana, inquis, Petri sit Cathedra, ecquid de Antiochena nunc festum agitur? Agitur, inquam; & de Romana alias: sed cum discrimine. De hac, vt Prima honore stabili: de illa, vt prima tempore. Sicut S. Andreas etsi fuerit Apostolorum primus Vocatione, at non dignitate: qua Petrus præcellit. Perstringam historice, & liquebit.

Ratio chronologica.

Anno 34. post ascensum Christi, Ierosolymis & circum Apostoli prædicarunt. Anno 35. post necem S. Stephani, in Saulina persecutione, Fideles, plures quindecies millenis è Iudæa proscripti in exilium, ad gentes secum late Fidem detulerunt. Apostolorum facta diuisione, Petr⁹ ad Samaritanos legationem obit, peregrinatur visitans Ecclesias: donec anno 39 Sedem Antiochenam institueret: denique Romam abiret, anno 45. ibiq; diẽ suum Martyr obiret anno LXIX.

Antiochia caput Syriæ tum & Ecclesiæ fuit.

Antiochia id temporis fuerat ab Romanis Syriæ totius ac Palæstinæ metropolis facta, proinde aptus idem locus in Sedem Principis Apostolorũ visus fuit; vnde in totum Orientem haberet inspectionem Petrus. Habuitq; pene septennio fœliciter. Et istius hodie institutæ sedis memoria celebratur quẽ ibi cœpit Prouincialem: & post Romæ fixit vniuersalem, multis à Deo miraculis celebratam.

Quatenus festum Cathedræ agitetur.

De qua vtraque dum nos differimus, aut festa agitamus, non Apsides ipsas plerumque ligneas, verum datam abs Deo, inque ipsis solitam exerceri Dignitatem sacri officij, Doctrinæ sanctitatem, & Potestatem Clauium veneramur. Quæ, cũ maxima sint dona Dei, iure merito quoque sunt gratissima cum Religionis pietate recolenda.

Nunc porro doceamus, in vna S. Petri Cathedra, omnium ac singularum superius allatarum cathedrarum residere Dignitatem.

Pontificiam sua ipsa hactenus tuetur sanctitas, & spiritus sancti infallibilis assistentia: *nec portæ inferi prævalebunt aduersus eam.*

Occasio Antiochia ad fidem conuersa.

Antiochenæ vero ista feruntur exordia: Cum ex Iudæa proscriptorum Ecclesia sese isthic numerosa congregasset, Petrus eodem receptum habere consueuit, dum ad alias visitandas ecclesias peregrinaretur. Erat Antiochiæ Præfectus vrbis Theophilus quidam, cui per-

acerba semper filii; aute annos XIV. defuncti; viuebat tamen memoria. Hunc S. Petrus de puluere suscitauit rediuiuum. Quo miraculo permotus Præfectus & vrbs tota ad prædicatum à Petro Euangelium Christi facile accesserunt. Theophilus palatium suum in templum dedit consecrandum: in cuius medio erexit apsidem seu cathedram, vnde Petrus ad populum annis septem, prædicabat & regebat Orientem.

Regia Cathedra. Saulina. Dauidica. Salomonica prior.

II. Regia Imperatorum ac Principum Maiestas suas item cathedras reddit augustas. 1. Reg. 20. *Cum sedisset Rex Saul super Cathedram suam, secundum consuetudinem* Calendarum scilicet.

2. Reg. 23. *Dauid sedens in Cathedra sapientissimus Princeps inter tres: ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus.*

2. Reg. 2. *Salomon sedit super thronum Dauid patris sui. Et Rex Salomon benedictus, & Thronus Dauid erit stabilis coram Domino vsque in sempiternum.* Qui thronus Cathedræ Petri figuram exhibuit.

Posterior.

Præsertim ille, de quo, 3. Reg. 10. *Fecit etiam Rex Salomon thronum de Ebore grande: 2. & vestiuit eum de Auro fuluo nimis. 3. qui habebat sex Gradus: 4. & summitas throni Rotunda erat a parte posteriori. 5. & duæ manus hinc atq; inde tenentes sedile: & Duo Leones stabant iuxta manus singulas: 7. & Duodecim Leunculi statues super sex gradus hinc atq; inde. Non est factū tale opus in vniuersis regnis.*

Synagogica.

Saulis cathedra, ob inobediētiam, 1. *Reg.* 15. reproba, Synagogam significabat abiiciendam. Sicut & illa Heli, 1. *Reg.* 4. ex qua resupinus ille ruens ceruicem fregit.

Apostolica.

2. *Dauid* in cathedra Seruatorem Dominum apte repræsentabat, tenerrimū ligni Crucis vermiculum. 3. *Salomon* vero Petrum, & quemcunque successorem Petri, Christi vicarium designat. Iam ex vmbrarum istarum gloria, de luce veritatis, eiusque & sanctitate & maiestate veneranda facile cuique licet æstimare.

Apostolorū prouincia singulis sua gloriam.

Dicitur quidem, & vere de Apostolis vniuersis: Ps. 44. *Cōstituisti eos Principes super omnem terram*: Sua tamen cuique terra sorte obtigit diuina: vt Ioanni Asia: Simoni & Iudæ Persia, ad vsque Babyloniam: Syria Philippo: Iacobo minori, simul & Matthiæ, Iudæa: Hispania Maiori: Andreæ, Syria: Lycaonia vsque in Indiam Bartholomæo: Thomæ India: Matthæo Aethiopia sorte obuenit. Principatus Pauli, vt nouissimi Apostolorum, per Gentes quaqua versus excurrebat. Petri vero Apostolatus primum Antiochiæ, dein Romæ consedit, velut orbis Christiani speculator, ac rector vniuersalis cæterorum prouincialium.

At Petri, orbis erat teste

Prophetia de Petro.

1. Vt verissime in Petrum cōueniat illud Psalm. 104. *Constituit eum Dominum Domus suæ* militantis Ecclesiæ: *& Principem omnis possessionis suæ*, Christianorum.

Deus Apostolis.

Quocirca etiam Psalm. 46. *Principes populorum* Apostoli singulorum singuli *congregati sunt cum Deo Abraham* Christo, eiusque in terris Vicario Petro; eum vt Caput vnum ac Principum Principem respectantes.

Et testificura fallit.

Neque ceu Abrahæ, seu Iosephi vita & facta minus, quam prophetia conuenit in Petrum. 1. De Iosepho quidem ita mandabat Pharao, Gen. 41. *Numinuenire poterimus talem virum, qui Spiritu Dei plenus sit?* Et Dominus talem quærebat interrogans: *Vos autem, quem me esse dicitis?* Respondit que Petrus. 2. *Dixit ergo ad Ioseph* Pharao: *Quia ostendit tibi Deus omnia, quæ locutus es, Nunquid sapientiorem, & consimilem tui inuenire potero?* Sic Christus Petro: *Beatus es Simon bar Iona: Quia caro & sanguis non reuelauit tibi; sed Pater meus, qui in cœlis est.* 3. Cæterum Pharao ad Ioseph. *Tu eris super Domum meam: & ad tui oris imperium cunctus populus obediet. Vno tantum regni solio te præcedam.* Sic Dominus Petro

Petro: *Et Ego dico tibi: Quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferi non prævalebunt aduersus eam.*

4. *Dixitque rursus Pharao ad Ioseph: Ecce constitui te super vniuersam terram Aegypti: Tulitque annulum de manu sua, & dedit eum in manu eius: vestiuitque eum stola byssina; & collo torquem auream circumposuit.* Ita Petro Christus: *Et tibi dabo claues regni cœlorum: & quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcumque solueris super terram, erit solutum in cœlis.* Ioan. 21. *Pasce oues meas.*

5. Cætera, quæ Iosepho; paria sunt cõsecuta & Petro; eiusque in Cathedra successoribus. Nam *dixit quoque Rex ad Ioseph: Ego sum Pharao; iurantis hoc est: absque tuo imperio non mouebit quisquam manum, aut pedem in omni terra Aegypti: Fecitque eum ascendere super currum suum secundum, clamante præcone; vt omnes coram eo genu flecterent; & Præpositum esse scirent vniuersæ terræ Aegypti.*

Iudiciaria dignitas est penes sedẽ Pontificiam.

III. IVDICIARIA Cathedra erat tertia; vnde ius respondebant Iudices. De hac Iob. 29. *Quando procedebam ad portam ciuitatis; in platea parabant Cathedram mihi* Iudici: vt sequentia de paupere, pupillo, vidua, &c. declarant.

Iudicum quanta fuerit iuxta Potestas & Autoritas, liquet in S. Scriptura se ipso multis. Omnis autem ea, longeque sanctior in Petri residet Cathedra. Quid enim Potestate Clauium sanctius aut diuinius in vlla Cathedra iudiciaria vnquam extitit.

Ea fuit magna in veteri Lege.

Iudicum iudicijque in Ecclesia vmbram solam habuit Synagoga & hæc tamen qualia de iudicibus Exod. 23. abs Deo sancita accepit? Deu. 16. *Iudices & magistros constitues in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dederit tibi, & iudicent populum iusto iudicio.* Deut. 1. *quia Dei iudicium est.* Isa. 5. *Exaltabitur Deus in iudicio, & Deus sanctus sanctificabitur in iustitia.* &c.

Typus.

In Cathedra *Moyses sedit, vt iudicaret populum; qui assistebat illi a mane vsque ad vesperam.* Exod. 18. Quod iudicium vnius erat & de sacris, & de Ciuilibus causis. Quod vni viro quia immensi laboris erat; Iethro ait *illi: Vltra vires tuas est negotium; solus id non poteris sustinere, Sed audi: Esto Tu populo in his, quæ ad Deum pertinẽt; vt referas, quæ dicuntur ad eum; ostendasque Cerimonias & ritũ colendi; viamq; per quam ingredi debeant; & opus, quod facere debeãt. Prouide autem de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus sit veritas; & qui oderint auaritiam, &c qui iudicent populum omni tempore. Quidquid autem maius fuerit; referant ad Te: & ipsi minora tantum modo iudicent. Quibus auditis, Moyses fecit omnia. &c.* Similis huic fuit, Curia Romana, Episcoporumque Cancelli, inde vsque ab Apostolis: estque hodie; si μεγαλοπρεπείων demas.

Apostoli erunt Iudices cum Christo.

Quid; quod ita Dominus esse voluerit Iudices Apostolos, eorumque successores; vt etiam orbem secum essent iudicaturi? Matth. 19. *Amen dico vobis; quod vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in Sede Maiestatis suæ; sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim Tribus Israel.*

Itemque Sancti.

2. Ac ne quis id solis concessum Apostolis arbitretur; ecce omnium id sanctorum fore Apostolus testatur. 2. Cor. 6. *An nescitis, quoniam Sancti de hoc mundo iudicabunt.* Iudæ Catholica. *Prophetauit Enoch: Ecce venit Dominus in Sanctis millibus facere iudicium.*

Et sunt etiam rerum sæcularium.

3. Rursus; ne quis erret; quasi ad Ecclesiasticam Cathedram sæcularia minimè pertineant; addit ibidem Apostolus: *Nescitis, quoniam Angelos iudicabimus? quanto magis Secularia.* Hinc Ecclesia Apostolis accinit in hymno: *Vos secli iusti iudices.* id est, mundi huius.

Iudi-

Aliter tamen Episcopi, & Papa aliter.

Iudiciaria autem potestas ordinaria & suprema est penes Cathedram Petri: sub ordinata ac limitata penes Episcopos. Vnde S. Greg. in Decr. 2. q. 6. *Romana Ecclesia vices suas ita aliis impertiuit Ecclesiis; vt in partem sint vocati solicitudinis; nõ in plenitudinem potestatis.*

Magisterii ambitio.

IV. Magisterij Cathedra inter omnes gentes præcipui semper honoris fuit. Vt eas Scribæ & Pharisæi impense exaudirent. Quod non semel iis Dominus exprobrauit. Vt Matth. 23. *Dilatant enim phylacteria sua, & magnificant fimbrias suas. Amant autem primos accubitus in cœnis; & primas Cathedras in Synagogis: & salutationes in foro; & vocari ab hominibus Rabbi.*

Est eiusdẽ deprauatio

Quam Cathedris existimationem ac reuerentiam sanctitas & reuerentia Legis conciliabat; eam sibi Rabbinorum ambitiosa peruersitas vendicabat; tanto indigniores & nomine, & officio; quo fastuosius honore Cathedrali abutebantur. Idcirco Dominus, Luc. 11. *Væ vobis Legisperitis; quia tulistis clauem scientiæ: ipsi non introistis; & eos, qui introibant, prohibuistis.*

Fugiẽ daq;

Monet ideo suos Dominus: Matth. 23. *Vos autem nolite vocari Rabbi. Vnus est enim Magister vester: omnes autem vos Fratres.* Repetit; *Nec vocemini Magistri: quia Magister vester vnus est, Christus.* Itidemque repetit Iacobus cap. 3. *Nolite plures magistri fieri, Fratres mei: scientes, quoniam maius iudicium sumitis.*

Magisterii magistra Pietas esto.

Vbi non prohibetur res ipsa; sed rei, eiusque reuerentiæ turpis abusus ad superbiam. Adeo sine charitate *scientia inflat*: at sine hac etiam sola *charitas ædificat:* 1. Cor. 8. *Pietas autem,* 1. Tim. 4. *ad omnia vtilis est.*

Sin; proxima impietas est.

1. Tim. 6. *Hæc doce, & exhortare. Si quis aliter docet & non acquiescit sanis sermonibus D. N. I. C. & ei, quæ secundum Pietatem est, doctrinæ; superbus est, nihil sciens; sed languens circa quæstiones, & pugnas verborum. Ex quibus oriuntur inuidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ, & conflictationes hominum mentec orruptorum; & qui veritate priuati sunt, existimantium, quæstum esse Pietatem. Est autẽ quæstus magnus Pietas, cum Sufficientia.*

Petri Cathedra docet infallibiliter.

Quæ idcirco prolixius recito: quo constet illustrior S. Petri Cathedræ sanctimonia, atque maiestas. Quippe ab qua vna omnis hactenus error abfuit; illaque omnia, quæ S. Iacobus commemorat; quæq; Pharisæis Dominus exprobrat. Vt nec etiam eã in Cathedra error cadere possit; ob infallibilem S. Spiritus assistentiam. Morum vero lapsus, æquus rerum æstimator personæ, non Cathedræ, semper attribuit.

Est quæ audienda.

Quid vero grauius, quid excellenitus ad supremæ in Ecclesia Cathedræ afferri commendationem queat isto Domini Oraculo? Matt. 18. *Qui Ecclesiam non audierit; sit tibi sicut Ethnicus & publicanus. Amen dico vobis: quæcunque alligaueritis super terram; erunt ligata. &c.* Tum vero cumprimis audienda est, cum ex Magisterii sui Cathedra pronunciat.

Seruat eius Fidem.

1. Oratio Domini.

Ac ne quis ab errore sibi metuat; sic affirmat Petro Dominus; visque verbi transiit ad posteros successores: Luc. 22. *Simon, Simõ; ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret vos, sicut triticum. Ego autem rogaui pro vobis, vt non deficiat Fides Tua. Et tu aliquando conuersus confirma Fratres tuos.*

2. Præsentia Domini

2. Nec rogauit solum: sed etiam, Mat. 28. *Ecce, Ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi.*

3. Assistentia S. Spiritus.

3. Quin etiam, Ioann. 16. *Cum venerit spiritus sanctus; docebit vos omnem veritatem.*

4. Permanentia eiusdem.

4. Venit, docuit, docet, docebitque. Nam, Ioan. 14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum.*

Quæ omnia vnum Petrinæ Cathedræ Magi-

Magisterium extollunt in immensum, ac venerandum proponunt.

V. Presbyterii Cathedram vero, quam excipiendis peccatorum confessionib. expositi tenent Sacerdotes. De huius sedis sacrosancta reuerentia & præcellentia dicere nil attinet. Quicquid tamen in sese habet vsquam vllaid omne pene ab vna S. Sede S. Petri accepit. Huic enim principaliter dictum, & datum est: *Quodcunque ligaueris.* &c. Atq; inde promanat vtraque potestas & Ordinis, & Iurisdictionis.

Sedes confessionales vtæ in Apoc.

Hanc sedem Confessionis vidit S. Ioannes in Apocalypsi, *cap.* 20. teste S. Augustino, tom. 5. *lib.* 20. Ciu. c. 9. *Cum dixisset*, ait, *Ioannes, alligari diabolum mille annis; & postea solui mille annis breui tempore; mox recapitulando, quid istis mille annis agat Ecclesia: Et vidi, inquit, Sedes; & Sedentes super eas: & Iudicium datum est. Non hoc putandum est, de vltimo iudicio dici; sed Sedes Præpositorum, & ipse: Præpositi intelligendi sunt; per quos Ecclesia nunc gubernatur. Iudicium autem datum nullum melius accipiendum videtur, quam id quod dictum est: Quæcunque ligaueritis super terram.* &c. Hæc Augustinus.

Sedes Misericordiæ gemina.

VI. Nummularia est Cathedra, in qua trapezitæ assident negotiationi. Quales in templo Dominus euertit. *Matth.* 21. Hæc etsi plurimum turpi stet erecta lucro; quia tamen & Domino fœnerari, omnesque datis talentis negotiari iubemur; ideo quædam est optimi quæstus cathedra negotiatoria; & hæc Eleemosynarum, operumque misericordiæ, seu corporalis, seu spiritalis, præcipue vero charitatis. De hac Apocal. 3. *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum, probatum; vt locupleſias.*

S. Pontificis est propria.

In hac S. Petrus negotiabatur, quando in Porticu Salomonis claudo dicebat: Actor. 3. *Argentum & aurum non est mihi; quod autem habeo, do tibi; In nomine Iesu Christi surge & ambula.* Certe Petri Cathedra felicissime semper est negotiata tum spiritali, tum corporali eleemosyna: siue quando depositam ad pedes Apostolorum substantiam & pecuniam Fidelium, per constitutos rite Diaconos, in egentes curauit distribui, siue quando Collectis factis exules ob fidem, & rerum inopes sustentabat ipse, eiusq; in Cathedra successores.

Propria Cleri.

Atque inde ad omnes manauit sacerdotes necessitas egenis benigne faciendi. 1. Vt *S. Aug. Epist.* 50. dicat Ecclesiasticos dispensatores, non possessores appellari oportere. 2. S. Iuo ex Nannetensi Concil. 3. p. ca. 20. ait. *Instruendi sunt presbyteri, decimas & oblationes, pauperum esse stipendia.* 3. Proinde, ait S. Hier. in c. 46. Ezech *qui de iis largitur pauperibus, reddit Deo, quæ sunt Dei.* Prou. 14. *Honorat Factorem eius, qui miseretur pauperis.* Prou. 19. *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis. Et vicissitudinem suam reddet ei.* Eccl. 35. *Qui facit eleemosynam, offert sacrificium.*

Esque necessaria Ecclesiasticis.

Vide negotiationem: 1. Luc. 12. *Vendite, quæ possidetis; & date eleemosynam.* 2. Sed de Ecclesiastica negotiatione mihi sermo est: S. Ambrosius in Decr. 12. q. 2. *Aurum Ecclesia habet; non vt seruet, sed vt eroget.* 3. Aug. ser. 15. de verb. Dom. *Dicit tibi Christus: Da mihi ex eo, quod tibi dedi. de meo quæro: da, & redde. Habuisti me largitorem; fac me debitorem, habeam te fœneratorem: vsuram soluam.* 4. Laurentiani thesauri inter manus pauperum conduntur in cœlo. 5. Bene S. Bernardus ex S. Hier. ad Damasum. *Facultates Ecclesiarum patrimonium sunt pauperum. Res pauperum non pauperibus dare, par sacrilegio crimen esse dignoscitur.* 6. Idem orat. Ecce nos: *Væ, væ tibi Clerice; mors in olla: Ideo præsertim, quod, quæ comedis, peccata sint populi.*

IN FESTO S. MATTHIÆ APOSTOLI.

Cecidit sors super Matthiam : Act. 1.

ADostium Tabernaculi, *Leu.* 16. adductus hircorum alter Dño mactabatur: in desertum alter sacer & inteſtabilis emittebatur : missa prius super eos sorte. Agni hic duo iusti sistũtur: Ioseph Barsabas Dño relinquitur : Matthias sorte in desertum mundi emittitur. Vtraque sors alta adusque prædestinationem pertingit.

Nos in rem

I. *De vicissitudine rerum Cœlestium, & humanarum.*
II. *De reprobo Iuda.*
III. *De sorte S. Matthiæ.*

PARS I.

De vicissitudine rerum cœlestium, & humanarum.

Vicissitudo rerum naturalis.

I. NAturæ prouidentia est ; *vt corruptio vnius sit generatio alterius* : ait Arist. Ipsa sui depastrix suiq; reparatrix est. Prædatrices rerũ 4. sunt Qualitates sibi contrariæ ; & eædem aliarum continuo genitrices, noua exorta re ex corrupta priore. Vt nec pulex pereat, quin aliud inde existat. Ita vnius occasus animæ est alterius successus cum Deo.

Diuina similitudo. Figura.

O bonitas Dei ! Cuius *Iudicia abyssus multa*: *Ps.* 35. quod is pereat: Et quod *Ps.* 22. *Misericordia tua pueniat me, & sequatur me.* Illud malum iræ; hoc gratiæ est Dei, & melius.

1. Sic Ieremiæ iussit, cap. 1. *Ecce constitui te hodie super gentes, & super regna; vt* 1. *Euellas, & destruas, & dissipes, &* 2. *Aedifices & plantes.* Illud Iustitiæ : hoc bonitatis est declarandæ.

Prædictio facti.

2. Sic Christus: Luc. 1. *Hic erit in Ruinam, & Resurrectionem multorum.* Aperuerit Simeoni Dominus abscondita sua prædestinationis. Hinc Isa 43. *Ecce ego facio noua* &c. scilicet ex Synagoga angulari Ecclesiam vniuersalem. 3. Iob. 34. *Conteret multos innumerabiles, & stare faciet alios pro eis.* &c. Sic Deipara, Luc. 1. *Deposuit potentes de sede ; & exaltauit humiles.* Nam *superbis resistit ; humilibus dat gratiam ; istorum naufragium, horum est cautela monimentum.*

Simile facti.

Hac causa Dominus Ieremiam ad figulum misit, *Ier.* 18. vas factum dissipanté, aliudq; parantem ; & ait: *Nunquid sicut figulus iste, non potero vobis facere, domus Israel: ait Dominus? Ecce, sicut lutum in manu figuli: sic vos in manu mea, domus Israel.* Impios iustificare potest publicanos, Magdalenas; &c. & *de lapidibus suscitare filios Abrahæ.*

Scala Dei.

Nunquid Gen. 28. *Iacob vidit in somnis scalã stantem super terrã ; & cacumen illustãgens cœlũ ; Angelos quoq; Dei ascendentes & descendẽtes per eã?* Scala est Dei Potentia, Præscientia, Prouidentia, Prædestinatio, Reprobatio, Iustitia, Misericordia : per hæc ab aliis atq; aliis sus, deq; itur. Excidit hic? Exurgit ille. 2. *Esth.* 7. Perit Amã? Mardochæus existit in solium. Dominus est, qui *Psalm.* 109. *Iudicabit in nationibus, implebit ruinas.*

Exemplorũ datus.

II. Vin' e xempla? 1. Cadunt Angeli: prę. destinantur homines. Isa. 14. *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris?* Lu. 10. *Videbam Satanam, quasi fulgur, de cœlo cadentem.* v. 1. Sent. Dist. 10. 2. Cadit Cain & Gigantum progenies. Gen. 6. *Omnis enim caro corrupit viã suam.* Et ecce ex Noe surgit noua progenies. 3. Impio Chanaan, & XXX. regibus ab eo descendentibus deletis succedunt Iosue, Caleb, alijq; Duces. 4. Esau cum suis Idumæis perditionis vitam viamq; terũt: at salutis Iacob cum suis. Quia Rom. 9. *Iacob dilexi ; Esau autem odio habui.* 5. Core, Datan, Abyron ambitiosos terra dehiscit : Eliguntur sacerdotes Moyses, Aaron, Eleazarus &c. meliores. *Num.* 17.

6. Heli.

6. Heli 1. *Reg.* 6. Ophni, & Phinees scelerati abiiciuntur: Samuel assumitur. 7. Dixitq; Dominus ad Samuelē: 1. *Reg.* 13. & 10. *Vsquequo tu luges Saul, cum ego proiecerim eum, ne regnet super Israel? Implecornu tuum oleo, vt mittam te ad Isai Bethlehemiten: prouidi enim in filiis eius mihi regem.* 8. Demum Gens Iudæa est reproba; Electa Ethnica. En Iob, Centurio, Cornelius, Latro, Chananæa, Samaritana, &c. *Populus, quem non cognoui, seruiuit mihi.* 9. Scribis, Pharisæis, damnatis, succedere Apostoli in functionibus multo diuinioribus, sacramentorum, doctrinæ, miraculorum. &c. 10. Iudas suspendio *crepuit medius, & effusa.* &c. Psal. 108. *Fiant dies eius pauci: & Episcopatum eius accipiat alter.* Itaque *sors cecidit super Matthiam.*

PARS II.

De reprobo Iuda.

Duo in Deo.

I. MAgna Dei attributa hæc duo sunt, Psal. 110. *Misericordiam, & Iudicium cantabo tibi:* 1. Sic vna in Vena aurea inerat Manna misericordiæ, *Heb.* 9. & Virga Aaron, ad memoriam iræ in seditiosos exercitæ. Ita, ait *Bernhardinus de iustit.* in Deo sunt duo illa ,p & paruulis, & superbis. 2. Huc respexit, Matth. 11. *Confiteor tibi Pater &c. quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus; & reuelasti ea paruulis.* Cur? Quia *sic placitum est tibi.* Hæcque sola Prædestinationis est causa. Exod. 33. *Miserebor cui voluero; & clemensero, in quem mihi placuerit.* Quid disputas? Matth. 22. *An non mihi licet facere, quod volo?* Dic, *Confiteor tibi Pater.* &c.

Confessio. ne laudu. Prædestinatio à solo Deo volente.

Miserente. Vel ipse Paulus miratur occulta Dei, Ro. 9. *Cum nondum nati fuissent Iacob & Esau, aut aliqd boni egissent, aut mali, vt secundū electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex voluntate dictum est ei: quia maior seruiet minori.* Progredi metuens sic concludit humiliter: *Igitur non volentis, neque currentis: sed miserentis est Dei.* Dic igitur *Confiteor tibi.* &c.

Caue scrutari. Crede, time; mare ne metiare: labyrinthum inire fuge. Hęc materia Torrēs est Ezechielis ille, qui intranti vadatur; at progredienti aperit periculū. Hoc scias: *Reprobatio ex peccato est.* Prædestinatio pure fit sine intuitu meritorū: quia misericordiæ est actus: *At reprobatio fit intuitu peccatorum:* quia iustitiæ est. 1. Rex potest aliquos obscuros natalibus & factis nobilitare: at neci addicere neminem potest, absq; culpa; salua iustitia. Ita Deus. Nam, Matth. 3. *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Talis arbor Iudas. 2. Sic ficulnea; Luc. 13. *Ecce, anni tres sunt, ex quo venio quærens fructum, & non inuenio. Succide ergo eam: Vt quid enim terram occupat.* Talis triennis cum Christo Iudas. 3. De Nabuchodonosoræa arbore dicitur, Dan. 4. *succidite arborem, præscindite ramos eius, excutite folia, & dispergite fructus eius.* Eccur? Quia *ex ea vescebatur omnis caro.* Talis Iudas Apostolus tantus: at frustra in eo dona erant apostolica: cum fructus eius insatiata depasceret auaritia. Etsi, *Psal.* 1. *plantata secus decursum aquarum;* non tamen *fructum suum dedit in tempore suo.*

Iudæ maledictiones. II. Rupertus in Psalmo 108. numerat XXX. maledictiones in Iudā pro 30. argenteis, queis Dominum vendidit. Sicut 30. impostor Euæ serpens maledictus inter animantia fuit.

Peccata 4. Eius autem scelera potiora quatuor fuerint. 1. Homicidium Dei Filio intentatum. Matthæi 17. *Peccaui tradens sanguinem iustum.* 2. Hæresis: nam à Christo apostata factus, *præuaricatus est, vt*

abiret in locum suum. 3. Simonia diuendens Christum. 4. Furtum. Ioan. 18. *Fur erat, & loculos habens.*

Apex peccati obstinatio.

Omnium caput & summã est eius Desperatio, Spiritui S. contraria, ex mera Malitia promanans: non ex Ignorantia, aut Infirmitate. Istam eius malitiam quibus artibus emollire conatus est Dominus, in cœna, in horto, &c. 1. At Chalacia gemma, ait *Plin. l. 37. c. 9.* in mediis flammis manet frigida. B. Albertus causam assignat: quod poros habeat restrictissimos. Talis Iudas, ad quem Dominus, Luc. 12. *venit ignem mittere*, at frustra. Non frustra iis, Luc. 24. *Nonne cor nostrum ardens erat, cum loqueretur nobis in via?* 2. Tanta Iudæ nequitia, vt de eo Dominus: Matth. 26. *Numquid vnus ex vobis diabolus est?* Et Apostolus erat. *O incomprehensibilia iudicia Dei, & inuestigabiles viæ eius?* Rom. 11.

Ideo diabolus.

Ergo, 1 Cor. 10. *Qui stat, videat, ne cadat*, Apoc. 3. *Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.*

Ratio electi & lapsi.

III. Quæres: Cur Apostolum elegit, quem fore Apostatam sciuit? Cur Angelos, cur Adamum creauit, sciens lapsuros? Respondent prolixe *S. Hier. l. 3. contra Pelag. Et Cyril. Alex. l. 9. in Ioan. c. 10.* Neminem creat DEVS, vt peccet, vel pereat: sed omnes vult saluos fieri. Reliquit tamen nos in manu consilij nostri: Inde, Ose. 9. *Perditio tua ex te Israel.*

Electum vero Iudam labi permisit, ait Aug. ciu. 18. c. 49. *Vt malo vteretur bene ad opus Passionis. 2. Vtque Ecclesiæ suæ tolerandorum malorũ præferat exemplum.* Ea causa paterfamilias ait, Matth. 13. *Sinite vtraque crescere vsque ad messem.*

Exemplis iquet.

1. Iudas, vti Saul, principio bonus erat: 1. Reg. 13. *Filius vnius anni erat Saul, cum regnare cœpisset*, id est, tam insons vt puer vnius anni. Ita erat & Iudas: ait *S. Ambr. Cyr. Hier. Tert. &c.* Nec enim ad Magdalenæ vnctionem murmurasse legitur; quod nondum esset peruersus. Alii tamen Patres aliter arbitrantur. 2. Quicquid id est, bene *Hier. Basil. Greg. &c.* eum Caino comparant fratricidæ desperanti, Gen. 4. *Maior est iniquitas mea, quam vt veniam merear.* 3. Architopheli eum confert Hier. Aug. Rupertus: intimo Dauidis consiliario; at in caput eius cum Absalone conspiranti; ac demum desperanti; *dum suspendio interiit.* 2. Reg. 16. 17.

4. Similis Absaloni: qui 2. Reg. 13. *fecerat conuiuium, quasi conuiuium regis: præceperat autem pueris suis; observate, cum temulentus fuerit Ammon vino, & dixero vobis, percutite eum & interficite.* Demum ipse, 2. Reg. 18. in arbore suspensus periit. 5. Similis Doeg: ait *S. Ambr.* prophetarum occisori in die vna cæsis Sacerdotibus 85. 1. Reg. 22.

6. Similis duobus nequam senibus Susannæ insidiatoribus, *Dan.* 13. ait S. Leo. 7. Similis Ioabo, qui 2. Reg. 20. *dixit ad Amasam: Salue mi frater: & tenuit manu dextera mentũ Amasæ, quasi osculans eum; qui percussit eum in latere, & effudit intestina eius in terram.* Ita Iudas: *cuius peccatum*, Ierem. 17. *scriptum est stylo ferreo, & vngue adimantino* in libro mortis: ait Euseb. Cæsa.

PARS III

De Sorte S. Matthiæ.

Sortium vsus.

1. *Sors cecidit super Matthiam.* Sortes fiebant missis Schedis, aut signis aliis in vrnam, in re politica; in galeam superre militari; aut in vas aliud. Mos terra, marique vsitatus. Mari, Ion. 1. *Miserunt Sortes, & sors cecidit super Ionam.* 2. Terra, vt longe ante *Rex Babylonis*, Ezech. 20. *Stetit in biuio, diuinationem quærens, commiscens sagittas.* 3. Ita Esth. 3. *Missa est sors in vrnam, coram Aman; quo die & quo mense gens Iudæorum deberet interfici.* 4. *Milites*, Matth. 27.

Diui-

Diuiserunt vestimenta eius, mittentes sortem.

1. Romani Magistratus, Legationes: &c. sorte designabantur, *Corn. Tac. l.* 10. Castrensia omnia sorte fiebant, *Liu. 2. dec.* 3. Areopagitæ sententias sorte ferebant datas. *Sigon. de Rep. Ath. l.* 3.

Iudæi sorte terram diuidebant Num. 16. reges eligebant. 1. Reg. 14. Super hircos duos, *Leu.* 16. sortiebantur. Aaron, *Num.* 17. Sacerdotibus aliis sorte præfertur. *Ios.* 7. Furtum Acham sorte comperitur.

Electio Matth. legitima.

II. *At Nota*, post missum Spiritum S. desiisse vsum sortium: S. Matthias tamen rite electus sorte est: quo ad Electores: nam Psalm. 46. *Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham.* Quoad Electum: 1. Reg. 10. *Certe videtis; quem elegit Dominus; quod non sit similis ei in omni populo.* Quoad modum eligendi: Nam *Orantes dixere*, &c. Ita adhuc sueuit omnis Ecclesia: 2. Par. 20. *Cū ignoramus, quid agere debeamus; hoc solum habemus refugij, vt oculos nostros dirigamus ad te.* 2. Ita Iudith ausura facinus, ait, cap. 8. *Nolo, vt aliud fiat, nisi oratio pro me ad Dominum Deum nostrum, vt mihi propitius sit.* 3. Ita, 1. Tim. 7. *Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, & gratiarum actiones.* Quare cum *Virtus vnita sit fortior seipsa*, orationes quoque Communitatis efficaciores esse tanto necesse est, quanto è pluribus fuerint collectiores.

Oratio optima sortitio est.

Digni eligendi.

III. Itaque in primis est in Præsulum electionibus vsurpanda oratio; vt dignissimus eligatur. 1. *Mach.* 1. Alex. Magnus rogatus in agone, quem sibi velit surrogari, ait, *Dignissimum*: & si filiorum foret nullus. 2. Deus Moysi: Num. 27. *Tolle Iosue, virum in quo est Spiritus Dei, & pone manum tuam super eum, & audiat eum omnis Synagoga.*

Non cogna.

3. Salomon nullum suis è syluis lignum cædebat in templi vsum; sed 3. Re. 5. *Hieram Rex dabat ligna Cedrina, & abiegna, iuxta omnem voluntatem:* Ita si digniores sint honore externi: prætereundi sunt cognati, vicini. &c. Num. 17. *Quem ex hisce elegero, germinabit virga eius*: flore exemplari, & rigore disciplinæ: *Sequenti die regressus inuenit germinasse virgam Aaron.*

Talis S. Matthias erat. 1. Sanctimonia vigens inter 72. discipulos. 2. Sorte diuina dignior Iosepho iusto declaratus. 3. Id. que à Christo iam glorioso; non passibi. li. 1. *Apoc.* 21. Ciuitatis mysticæ lapides 12. Apostolis aptantur: in hisce S. Matthiæ, id est, *paruo Dei*, Amethystus: quod eius demissio nullo vnquam fastu quiverit inebriari. 2. Fuit itaque is vt Iacob, Iudas vt Esau in vno matris Ecclesiæ vtero. Sed vt, *Esth.* 1. Vasthi regina ob fastum excidit: Esthera ob modestiam euecta fuit: ita Iudas & Matthias. *Beatus* ergo, *qui semper est pauidus: & sperat in Domino.* Sane Deus est, Isa. 48. *Vocans ab oriente iustum, & de terra longinqua virum voluntatis meæ; & locutus sum, & adducam.*

Dignissimus S. Matthias.

IN FESTO S. MATTHIÆ Apostoli.

Suppleuit Enucleator.

Confiteor tibi Pater, Domine cœli & terræ, quia abscondisti. &c.
Matth. 11.

DAuid, 1. *Reg.* 22. Saule persequente, *fugit in speluncam Odollam. Quod cum audissent fratres eius, & omnis domus patris eius, descenderunt ad eum illuc. Et conuenerunt ad eum omnes, qui erant in angustia constituti, & oppressi ære alieno, & amaro animo. Et factus est eorum Princeps; fueruntque cum eo quasi quadringenti viri.* Et hoc istis sacrum Azylum erat.

Ita Dominus de sese de Apostolis & Christianis; Ierem. 61. *Spiritus Domini super me; eo quod vnxerit Dominus me. Ad annunciandum mansuetis misit me; Vt mederer contritis corde; & prædicarem captiuis indulgentiam, & clausis apertionem: Vt prædicarem annum placabilem Domino, & diem vltionis Deo nostro: Vt consolarer omnes lugentes; vt ponerem lugentibus, Sion, & darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris. Et vocabuntur in ea Fortes iustitiæ, plantatio Domini ad glorificandum.* &c. quæ sequuntur, Dictum ibi; hic factum: *Venite ad me omnes. &c.*

Super quo nos

I. Aduersa Fidelibus conducere.
II. De abscondita sapientibus gratia Dei.
III. A quibus, ad quæ vocemur per istud, Venite.
IV. De vocatione S. Matthiæ, & Refectione Domini.
V. De iugo, & sorte S. Matthiæ.
VI. De periodo Apostolatus eiusdem.

PARS I.

Aduersa Fidelibus conducere; Dei Patrumque doctrina est.

Typus Christus est orbi diluuioso Noe.

I. VLtimũ orbi, generiq; humano instabat exitium ab diluuio infundẽdo; & datur à Deo, licet irato, Noe; dicẽte patre Lamech: Ge. 5. *Iste consolabitur nos ab operib. & laborib, manuũ nostrarũ, in terra, cui maledixit Dominus.* Sic afflictis Dñs est *repente apparens de cœlo Deus,* vt fert adagiũ quo soletur, & adiuuet. Necessitatis aũt afflictionum nostrarũ, vt causæ sint aliæ, tres tñ præcipuas hic assigno. Ex S. Chrysost. duas: 1. Quia hoẽs sumus: 2. Quia vita nostra nauigatio est. Ex S. Aug. tertiam: Quia peccatores sumus. Hominis est tribulari.

Debent esse aduersa 1. Homini.

Neque enim fas est, inquit S. Chrysosto. homil. 1. in 2. Tim. *vt, homo qui sit; doloris, angorisque sit expers. Sed, nisi hodie; cras se ingeret mœstitiæ causa.*

2. Causa. Quia, *Sicut,* ait, *fieri nequit; vt qui nauigant, absque cura sint: ita & qui vitã hanc fragilem viuunt, absque angore esse non possunt.* *2. Peccatori. Simile.*

3. Causa. Quæstionem mouet *S. Aug. tom. 7. libr. 2. de pecc. meritis, & remis. contra Pelag.* Cum ob peccatum in sudore Adam vesci; in dolore Eua parere debeat; cur, remisso peccato, pœna remaneat? Respondet: 1. *Reatum peccati soluit Deus; ne post vitam obsit: Pœnas ad certamen fidei sinit manere; vt per illas erudiantur, & exerceantur proficientes in agone iustitiæ.* Itaque *Ante remissionem illæ sunt supplicia peccatorum: post eam, certamina iustorum.* *Etiam post culpam remissam pœna remanente. Quæ duplex est: 1. Miseriæ.*

Et infra. 2. *E paradiso eiectus Adã, contra Edem habitauit: id est, sedem deliciarum. Vt significaret: quod in laboribus: (qui sunt deliciis contrarij:) erudienda esset caro peccati: Quæ in deliciis obedientiam non obseruauit.* *Typus. 2. Et mortis.*

Sicut ergo ij, postea iuste viuendo, ab extremo supplicio liberati; non tamen in illa vita meruerunt ad Paradisum reuocari: Sic & caro peccati etsi remissis peccatis homo iuste vixerit: non continuo meretur eam mortem non perpeti, quam traxit de propagine peccati.

Vt Dauid. 2. Regum 12. *confessione peccati veniam meruit; & tamen consecuta sunt, quæ Deus fuerat comminatus. Vt sic humiliaretur à filio; & in illis pietas exerceretur, atque probaretur.* *Exemplum miseriæ.*

II. Tribulatio in nobis spem acuit multorum Bonorum. August. tom. 8. in Psal. 59. Moab olla spei meæ; *Non, consumtionis meæ. Vide ollam: audi Apostolum.* Rom. 5. *Gloriamur in tribulationibus: scientes, quia tribulatio patientiam operatur; patientia probationem; probatio vero spem: Spes autem non confundet:* Nec Olla spei, id est, tribulatio cõfundet nisi stultos; qui vti ea nolunt, aut nesciunt ad virtutem, & ad salutem. *Spes acuitur aduersis.* *1. Spes honoris augendi etiam in hac vita.*

Verum Olla ea tribulationis quorum spem

spem bonorum coquit? 1. Honoris hic etiam illustrioris. S. Chrys. to. 1. homil. 5. de Patientia Iob. *Quando fuit illustrior Iob; 1. Cum domum cunctis aperuit: aut, cum ea cadente, benedixit Deum? 2. An cum de velleribus calefacti sunt nudi: aut, cum audiens de cœlo ignem descendisse, non est turbatus; sed mansuete tulit calamitatem? 3. Cum ad oppressorum defensionem, corporis sanitate vtebatur: aut cum id scutum aliorum videbat vermibus & sanie scatere? Et illa quidem præclara gesta: hæc autem patibula, tormentaque erant. Sed tamen plus hæc quã illa, Iob clariorẽ reddebant.*

Similc. Infra. 1. *Ex duob. reis alter torquetur; alter non, afflictus non afflicto melior est.* 2. *Ita pauperes alii habebant vel laceram vestem; sedebãt sub aliquo tuguriolo: At Iob nudus, lacer sanior; in que fimo, sub dio sedebat.* Maior tamen ab afflictione surrexit; quam vel esset ante, cum ad prosperitatem ascenderit; vel cum ab hac ad fimum descenderet: Nimirum Deus *de stercore erigit pauperem; vt collocet eum cum Principibus* Ps. 112. Tribulari igitur est glorificari.

S. Ber. ser. 17. in Ps. 90. Qui habitat. *In tribulatione spes gloriæ est: sicut spes fructus in semine. Bernardus. Tribulatio, thesaurus in fictili vase est absconditus.*

Exemplũ. Vis Causam? Quia, ait, *Inuenerat, qui ait:* 2. Cor. 4. Momentaneum, & Leue tribulationis nostrę supra modum in sublimitate Aeternum gloriæ Pondus operatur in nobis. *In momentaneo, æternitas: in leui, pondus absconditum est.*

Quare *Omne gaudium existimate, fratres; cum in varias inciderimus tribulationes. Bonum mihi magis in camino,* Dan. 5. *habere Te mecum; quam esse sine Te vel in cœlo. Nam tu dicis.* Ps. 90. *Cum ipso sum in tribulatione. Si Deus nobiscũ quis cõtra nos?* Ita strictim Ber.

2. Spes, ad Deũ adducendi homines. Chrys. hom. 10. in 3. Mat. to. 2. *Deus non modo ab aliis nos sæpe tribulari sinit, Sed Ipse etiam plagam minatur: non, vt eam in nos inducat; sed vt nos ad se potius adducat.*

1. Ratio, *Quod si, quales in tribulatione sumus; tales etiam essemus in requie: nequaquam egeremus afflictionibus erudiri.* 1. *Eruditiores & meliores.*

2. *Quid ego de nobis loquor? Sanctis quoque plurimum eruditionis de tribulatione ventebat.* 1. Ps. 118. *Bonum mihi, quod* humiliasti me; vt discam iustificationes tuas. 2. *Ipse Dominus,* Ioan. 16. In mundo pressuram habebitis. 3. *Cum Paulo datus esset stimulus carnis deprecatus obtinere non potuit: Quia maxima inde commoda colligebat.* 2. Cor. 12. *Exemplũ.*

1. *Dauidem quoque inuenimus inter pericula clariorem.* 2. *Sed & cæteros Sanctos. Nam B. Iob maxime, cum tribularetur, effulsit. Et Ioseph Deo in trib. plus placuit. Iacob, & pater eius. &c.* 2. *Clariores & Deo gratiores.*

Nosse enim, quando tribulationes auferri oporteat, illius est; qui permisit inferri: Illatas vero, cum gratiarum actione tolerare, nostræ opus voluntatis est. Atqui omnes iam dicti gratias Deo egerunt pro immissis aduersis: quæ eo tolerarunt patientius; atq; ad posteros glorioſius. Quæ est gloria & gloriatio ecclesiæ Militantis? Quæ militum: nimirum, Per tul. sse multa.

S. Bern. Ser. 28. in Cant. 1. Nigra sum. *ex persecutione:* sed formosa, *ex iustitia. Vnde,* Act. 5. *Ibant Apostoli gaudentes à conspectu Concilii: quoniam digni habiti sunt pronomine Iesu contumeliam pati. Hac nigredine gloriatur Ecclesia: Quid exprobratis nigredinem; quam feruor persecutionis, non pudor conuersationis inuexit? Quia* Filii matris meæ pugnauerunt contra me. Hæc Bernar. 3. *Formosiores.*

III. Olla ea spem coquit Iustitiæ. 1. S. Chry. hom. 3. oper. Imperf. *Iustitia in tentationibus floret, in prosperitate, marcida est. Vt si focum posueris super terram, cõburit ipsas radices herbarum: sic tentationis ignis, positus super carnem, cõburit radices cõcupiscẽtiarum.* *Spes paratur Iustificationis.* 1. *Concupiscentias ex urendo.*

2. Aug. to. 8. in Ps. 33. Multæ tribul. iustorum. *Num ideo iusti; vt nil tribulationis patiantur? Non hoc promittit: sed dicit,* multæ trib. *Iniusti paucas habent. sed post paucas venien* 2. *Fidem firmando.*

niens

nient ad tribulationem sempiternam: iusti post multas ad pacem. Et tamen in his omnibus Custodit Dominus ossa eorum: vnum ex his non conteretur. Ossa firmant carnem: Fides, cor in patientia. Hæc non conteritur. Hæc summatim S. Augustinus.

3. Finem prosperãdo.

3 Idem in Ps. 91. Iustus vt palma florebit. &c. Transit fœnum, transit flos peccatorũ: & Iustus vt palma: quæ in nouissimis suis pulcra est. Aspera radix videtur in terra: pulcra coma sub cœlo est. Erit ergo & tua pulcritudo in fine. Nunquid, cum solexierit, aresçit palma, aresçit Cedrus? At sole cadente aresçit fœnum. Venit iudicium, vt aresçant peccatores: viresçant fideles.

Tribulatio exonerat à seruitute mundi: adstringit ad seruitutem Dei.

Olla ea spem coquit nostri è mundo liberandi. Chry. to. 4. Hom. 9. in c. 5. Ro. Deus nobis vitam reddit laboriosam: vt nos mundi seruitute liberaret. Sic Iudæi, Exo. 1. dum luto adstricti essent, faciles erãt, Deumq; assidue inuocabant: at liberati, tum murmurare, Deũ irritare ac se malis multis conficere. Nã qui ab afflictione transuersum agitur: is facilius à laborum relaxatione patietur. Si enim ligatus (afflictione) cadis: facilius solutus.

Spes paratur beatificationis.

IV. Olla spem coquit beatitatis. S. Hier. to. 2. lib. 2. contra Pelag. Computresçant, ait Abacuc, ossa mea, & subter me vermes scateant: tantum, vt requiescam in die tribulationis, & ascendam ad populum fortem meum, Sanctorum.

Exemplum amantis pati quam regnare.

Ideo Fide Moyses grandis factus, ait Chrys. hom. 26. in c. 11. Hebr. negauit se esse filium filiæ Pharaonis; eligens magis affligi cum populo Dei; quam temporalis peccati habere iucunditatem; cum ei liceret & pie viuere, & sæcularibus perfrui bonis. Peccatum dixit, nolle affligi cum aliis: ergo bonum est afflictio, ad quam ex fastigio regali se ipsum protecit. Maiores diuitias æstimans, thesauro Aegyptiorum, improperium Christi: id est improperium sustinere ab domesticis his quibus beneficium præstitit. Aug. to. 8. in Psal. 36. Cum sequeris viam Christi; non tibi sæculi prosperitates promittas. Per dura ambulauit; sed magna promisit. Sequere: noli tantum attendere, qua iturus es; sed quo venturus sis. Si vis sustinere laborem; attende mercedem. Mirabere tantum dari pro tanto labore.

Intuitu finis beati.

Exemplo militis.

Veterani milites versantur inter vulnera tot annos; incipiunt militare in iuuentute; exeunt senes; vt habeant paucos dies quietos senectutis: Ad quos vtrum perueniant, nesciunt. Ergo, Psal. 36. A Domino gressus hominis dirigentur, & Vitam eius volet: Christi. Noli per aliam viam velle ire; quam quæ ipse iuit. Dura; sed tuta est: Alia forte delicias habet; sed & latrones. Cum autem ceciderit iustus; non conturbabitur: quoniam Dominus firmat manus eius. Quid timebis, ô homo?

Deum fortatis via.

Nam, Aug. tract. 17. in Ioan. Quis operarius perdurat ad percipiendam mercedem. Mat. 20. finito die, finito opere; nisi qui pascitur via, cum laborat? Ita Deus hic nos pascit, ne deficiamus in via.

Prosperitate tentur ad vitia.

V. Quærit Aug. to. 5. I. 1. Ciu. cap. 30. Cur afflicti querimini? Quia vestram luxuriã cupitis habere securam, & perditissimis moribus, remota molestiarum asperitate, affluere. Vt secundis rebus ea mala oriantur in moribus; quæ sæuientibus pejora sint hostibus.

Exemplo.

Scipio enim, iudicio Senatus, Vir optimus; nolebat æmulam Imperij Carthaginem dirui; & Catoni contradicebat; timens infirmis animis securitatem hostium, & necessarium videns esse terrorem. Nec fefellit sententia. Vt bellis ciuilibus crudeliora paterentur à ciuibus; quam vnquam metuerint ab hostibus.

Aspera ornant.

Quare prospera obsunt; prosunt aspera. Ergo pugna. Chrys. Hom. 26. ad Antioch. Nullus athleta generosus in stadio balneã quærit, aut mensam opiparam. Basilius, to. 1. hom. 5. in Ps. 33. Qui dixerit, quod iustum tribulatio non deceat; nihil aliud dicit, quam athletæ non conuenire aduersarium. Et tum, quas habebit occasiones sibi parandi coronas.

Modo

Modo ergo, ait Aug. in Psal. 36. *tempus est hyemis: & gloria nondum apparet: Sed si alta radix charitatis est, sicut arborum gloria per hyemem transit, dum venit æstas, id est, iudicij dies, tunc arescet vitor fœni: tunc apparebit gloria arborum. Ergo quæ spes, si mortuæ sumus in hyeme arbores? Intus vbi est radix, ibi & vita nostra.* Et vita vestra, Col. 3. abscondita est cum Christo in Deo. *Quando erit Ver nostrum?* Cum Christus apparuerit vita vestra, tunc apparebitis & vos cum ipso in gloria.

PARS II.

De abscondita sapientibus Dei gratia.

Paruuli triplices.

I. *CONfiteor tibi Pater, &c. quia abscondisti hæc à Sapientibus: & reuelasti ea paruulis. Paruulis*, 1. Abiectione: Abdias. *Ecce parvulum dedite: contemtibilus tues valde.* Tales Apostoli ab fortuna erãt, & coram mundo futuri.

2. Humilitate animi. Matth. 18. *Nisi conuersi fueritis, & efficiamini vt paruuli: non intrabitis in regnum cœlorum.* Sic exponit S. Aug. *Vbi enim humilitas, ibi sapientia.*

3. Simplicitate. 1. Cor. *Malitia paruuli estote.* Sic Hilarius exponit. Sap. 1. *in simplicitate quærite illum.* Atqui etiam, 1. Cor. 1. *Despecta mundi elegit Deus, vt fortia quæque confundat.* Hisce reuelauit Deus agnitionem Filii sui.

Sapientes triplices.

Non abscondit sapientibus, 1. naturali ingenio, seu carnali sapientia. Iere. 9. *Non glorietur sapiens in sapientia sua.* Nam Eccl. 17. Dixi, *sapiens efficiar: & ipsa longius recessit à me, multo magis, quam erat.* Nimirum Ro. 10. *Ignorantes Dei iustitiam, & suam quærentes statuere: iustitiæ Dei non sunt subiecti.*

3. Abscondit sapientib. superbis. Ro. 1. *Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt.* Quippe quæ carnis sunt, *quærentes, non, quæ Dei.* 3. Sunt sapientes, vt faciant mala: & bene facere nescierunt. Eph. 4. *Non ambuleris, sicut & gentes ambulant in vanitate sensus sui.* Hisce abscondit sapientiam suam, non apponendo gratiam. Vnde Rom. 1. *Tradidit eos in reprobum sensum.*

Abscondit quia vult.

Quid est, quod, gratias agit, quia abscondit? Non; quod gaudeat de cæcitate eorum: Sed de iudicio Dei, ita sapienter ordinantis. Quare? Hic non est quærenda causa: In talibus enim Dei Voluntas pro causa est. *Ita, Pater: quia* Sic *Placitũ est ante te:* Quod Deus hos saluet, est misericordia: quod alios damnet, est iustitia. Rom. 9. *Cuius vult, miseretur: & quem vult, indurat.* Ergo Psl. 118. *Beneplacitum fac Domine.* Huc vsque S. Thomas tom. 14. in c. 11. Matt.

S. Chrys. tamen ait: Gratias agit, non quia mysterium abscondit sapientibus; sed quia reuelauit paruulis. Sicut Paulus, Rom. 6. *Gratias ago Deo, quoniam fuistis serui peccati: obedistis autem ex corde in eam formam doctrinæ, in quam traditi estis.*

Dolet tamẽ de nostris afflictionibus. Quia amat.

II. Certe is amor Christi est in nos; vt hominum aduersitate doleat, non gaudeat. Aug. in Psl. 101. Et ossa mea sicut in frixorio frixa sunt: *Fortitudo corporis Christi frigitur: quando ait: Quis infirmatur: & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror? Stupendus amor. Christus dicitur infartagine frigi; quando nobis eueniunt mala.*

1. *Vt pelicanus viuificans.*

Similis factus sum Pelicano solitudinis. *De quo fertur, quod rostro se vulnerat: vt sanguine matris superfuso pulli reuiuiscant.*

2. *Vt mater fouens.*

S. Hieron. lib. 18. in c. 66. Isa. Ad vbera portamini, & super genua blandientur vobis: quomodo si cut mater blandiatur, ita & ego consolabor vos. *Tanta est vis amoris:* Isa. 46. *Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum: vt non miseretur filio vteri sui? Et si illa oblita fuerit: ego tamen non obliuiscar tui.* Nam, Deut. 32. *sicut aquila protegit nidum suum, & pullos suos desiderauit, expandens alas suscepit eos.* Sic Dominus.

3. *Vt Aquila protegés.*

Bruta quidem omnia suos amant fœtus; at aquila maxime. Ideo in editis &

inaccessis nidum ponit; ne coluber accedat. Amethystem gemmam inter pullos ponit: quo omnia venena superentur. Ita Dominus arcet Satanam. Hæc strictim Aug. ibid.

Pœnitentiam in pœna expectat

Imo, Ieremiam mittit ad peccatricem Ierusalem, ait Hier. l. 1. in c. 1. Ier. *iam vallante eam exercitu Babylonio: populumque ad pœnitentiam prouocat: malens seruare conuersos, quam perdere delinquentes.*

Auidius quam peccator.

Quare, ait Aug. lib. de spiritu & anima: *Nemo de Dei misericordia diffidat: quoniam maior est eius misericordia, quam nostra miseria. Et tardius videtur ei dare ventã peccatori: quã ipsi peccatori accipere, quasi plus eũ cruciet passio miseri: quam ipsum miserum cõpassio sui.*

Typus.

Adeo sitit miserorum salutem. Vnde Aug. in Psal. 61. Pretium meum, *honorem*, cogitauerunt repellere: cucurri in siti: *ego sitiebam eos. Moyses Caput vituli*, Exod. 32. *in ignem misit, comminuit: in aquam sparsit: bibendum populo dedit iratus. Caput vituli, corpus est impiorum: in similitudinem vituli manducantis fœnum: Hoc mittitur in tribulationes: verbo Dei comminuitur: sparsum in aquã peccati sitit Dominus. Multos bibit, sed nunquam erit sine siti.*

Exemplũ.

Inde, Ioan. 4. *Sitio: Mulier da mihi bibere. Sẽtit illa sitientẽ: & bibit ille credentẽ. Et in cruce, sitio, ait, ipsos, nimirũ.* Io. 19. sic fere Aug.

Quomodo gaudeat pœna impii.

III. Verũ enimuero idẽ miserator Dominus gaudet intuens Dei Iustitiã in peccata vindicantẽ: gratiasq; patri agit. Ps. 57. *Lætabitur Iustus, cum viderit vindictam:* Non lætatur de malo proximi: sed de ostensa gloria Dei in perditione impiorum.

Similc.

Ita Regis maiestas liquet, dum absoluit insontes, sontes plectit.

Aug. lib. 2. de pecc. meritis & remissione. to. 7. *Hoc in sapientiæ thesauris, in Christo absconditis, docetur & discitur: cur vnusquisque nostrum bonum opus suscipere, & implere nunc scit, nunc nescit, nunc delectatur, nũc non: Vt nouerit non suæ facultatis, sed diuini muneris esse, cum velit illos conuertere; illos pro auersione punire. Sicut in Euangelicis operarijs nemo culparit reddentem alijs placitam; alijs non placitam mercedem. Consilium tamen occultioris iustitiæ penes ipsum est.*

Abscondit, non reuelando.

Ita hic Abscondit sapientibus: quia non reuelat, lumen subtrahens; non velamen obiiciens. Sic Pharaonis cor indurasse dicitur; quia id non molle faciebat. De quo Aug. ser. 88. de Temp. *Quoties Pharaonem Dei plaga percussit; rex pœnituit. At vbi ei remissio facta; iterum in superbiam elatus se erexit. Ergo dictum; Ego indurabo cor: intelligi voluit; Ego suspendo plagas meas, permittens indurari.*

Misericordia semper cum Iustitia est.

IV. Coniungit vero vtrumque, *Abscondisti, & Reuelasti*: vt scias Misericordiam semper esse eius Iustitiæ coniunctam. Hebr. 12. *Quis enim filius, quem non corripit pater?* Pater est Deus. 1. Vnde, ait Orig. to. 2. Hom. 5. in cap. 1. Ezech. Sic Aegyptios fame puniuit; vt eis tamen prouideret Saluatorem Ioseph. 2. Ita, Psam. 79. *Cibabis nos pane, sed lacrymarum, & potum dabis nobis*; sed *in lacrymis*. 3. Ita Ezechiel, cap. 1. videt insidentem currui esse igneum pube tenus; at infra electri similem: *Non enim*, ait Orig. *tormenta solum habet Deus; sunt in eo etiam refrigeria. Obserua coniunctiones: spiritus, & Nebulæ: Ignis, & Luminis: Electri & splendoris: Sic tristia, iucundiorum vicinitate pensantur.* Hæc strictim Orig.

Exemplũ.

Typus.

Hunc mergit illum erigit.

Vide bilancem Dei: Hunc mergit; erigit illum, *vt collocet eum cum principibus populi sui.* 1. Iudas suspenditur: suo merito: Matthias substituitur, beneficio Dei gratuito. 2. Angeli cœlo proturbantur: homines eo collocantur. 3. Spiritus Domini malus exagitat Saul, 1. *Reg.* 18. & à die illa, cum spiritus Dei ab illo recedit, dirigitur in Dauid. 4. Ideo monetur Episcopus Philadelphiæ, Apoc. 3. *Tene quod habes: vt nemo accipiat coronam tuam.* Iob. 34. *Conteret multos; & stare faciet pro eis.* Sic pro

Iudæis

Iudæis Gentes substituit. Ergo Ro. 5. *Considera in eos, qui ceciderunt seueritatem, in te autem bonitatem.*

At homo non iudicet

Interim moneo cum S. Aug. Tract. 26. in Ioann. *Quare, & quem trahat, quem non trahat, noli velle iudicare si nō vis errare.* Quia Eph. 1. *Deus operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* Sicut Ps. 113. *Omnia, quæcunque voluit, fecit.*

PARS III.

A quibus ad quæ vocemur per istud Venite.

Onerum triplex genera.

I. VEnite *ad me omnes*, &c. q. d. Ego, vt Dauid, 1. *Reg.* 22. sum dux omnium, *qui amaro sunt animo.* Onus autem est vniuerse triplex: Vitæ humanæ: conscientiæ: Legis Mosaicæ.

1. Vitæ onera varia.

I. Onus Vitæ. De hoc Eccl. 40. *Occupatio magna creata est omnibus hominibus, & iugum graue super filios Adam, à die exitus de ventre, vsque in diem sepulturæ.*

Oneris huius Pars 1. est Coruptibilitas humana Sap. 9. *Corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam.* 2. Prælatorum austeritas. Matth. 23. *Alligant enim onera grauia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea mouere.* 3. Hominum malitia. Isa. 4. *Bestiis & tumentis onera vestra grauipondere, vsque ad lassitudinem.* 4. Mundi vanitas. Naum. 1. *Onus Niniue*, Glossa, id est, *mundi.*

3. Proximorum indigentia quæcunque, Gal. 6. *Alter alterius onera portate, &c.* Et. 2. Tim. 3. *Omnes, qui pie volunt viuere in Christo, persecutionem patientur.* Et Iob. 7. *ipsa vita hominis militia super terram:* qua haud aliud oneriosius est. Denique *Cogita, quam multi luctus sub his tectis olim fuerint, nunc versentur, moxq; futuri sint:* aiebat, Solon amico consolando, qui Athenis ingenti exarce subiectas ædes monstrabat. Quare vitæ molestiæ tam onus graue sunt, quam necessarium.

2. Conscientiæ, peccatum.

2. *Onus* conscientiæ est peccatum. Ps. 37. *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me.* Thr. 1. *Vigilauit iugum iniquitatum mearum.*

3. *Onus* Legis Mosaicæ. Act. 15. *Vt quid tentatis imponere onus, quod nec nos, nec patres nostri portare potuerunt?* Ab his oneribus auocat benignissime Dominus.

Vita onus est flebile.

II. Ab Onere vitæ auocari tanto beneficium maius est: quanto ea grauior. Nec mirandum, inquit S. Hieron. Epist. ad amicum ægrotum. tom. 9. *quod sic mortalium vita populetur in mundo; in quo nemo nascitur ridens. Malorum primitias in primis lacrymis gustamus. Primam vocem, ait Salomon,* Sap. 7. *Similem omnibus emisi plorans, & similis est exitus. O angustum & anxium tempus vitæ. vbi cum initio nominatur & finis?* Vere, Eccl. 30. *Melius est mors, quam vita amara, & requies æterna, quam languor perseuerans.*

Hinc à Deo vocamur ad mortem Simile.

Itaque hinc auocari, gratia est. 1. *Sæculum*, ait ibid. S. Hiero. *pelago comparatur; in quo rara sunt prospera, solus exitus, securitatis est portus.* 2. *Sed vsque ad portum, virtutis est tolerare. Nec suam virtutem didicit, quem calamitas non excussit. Nec eum sequitur felicitas præmiorum, qui sarcinam non vult gestare armorum. Superatur animus in corpore, si deficat animus sustinere.* Tum Deus te vocat, cum gratiam tolerandi subministrat.

2. Ad patientiam.

3. Ad castigationem.

Item tum vocat, cum flagellat, 1. Nam bene ibid. S. Hieron. *Profecto illi sani sunt, quos morbus iactat insanus. Incolumis est, quem quolibet verbere corrigit Deus: qui se hominis amatorem castigando testatur.* 1. Cor. 11. *Cum iudicamur, à Domino corripimur: ne cum hoc mundo damnemur.*

Simile.

2. *Paterna enim flagella, exercitia sunt innoxiæ pietatis.* 3. *Nec inimicus est medicus, qui ferit, vt periculum tollat, & vulnere vulnus excludat.* Deut. 32. *Ego occidam, & viuere faciā. percutiam & sanabo.*

Ergo sustine & abstine.

Itaq; regnum teneat virtus intra corpus anxietatibus captiuatum. Eccl. 2. *Coniungere Deo, & Sustine; vt crescat in nouissimo vita tua.* Nam qui, Ps. 72. *in laboribus hominum non sunt, cum hominibus non flagellabuntur: ideo tenuit eos superbia. Cernis igitur medicinali flagello immeritos despici: & meritos amicabiliter castigari.* Huc vsque S. Hier.

Amor omnia vincit.

Sed dices cum S. Aug. to. 10. ser. 9. in Mat. *Mirum videtur quibusdam, cum audiũt:* Venite ad me, &c. *Et considerant eos, qui iugum Domini subierunt, tantis agitari difficultatibus sæculi: vt non à laboribus ad quietem; sed à quiete ad labores vocati videantur. 1. Quomodo est iugum suaue, & sarcina leuis; cum illa ferre nihil sit aliud, quã pie viuere, id est, persecutionem pati?* 2. Tim. 3. 2. *Cur non dicit potius: Venite, qui vacatis, vt laboretis? Nam,* Matt. 20. *Vacantes conduxit in vineam.*

Respondet: *Quæ dura sunt laborantibus, ijsdem ipsis mitescunt amantibus.* 1. Ideo Paulus: Rom. 8. *Non sunt condignæ pass. 2. Et via etsi angusta est paucis eligentibus: facilis tamen omnibus diligentibus.*

Metusque peccati.

S. Chry. hom. 39. in c. 11. Mat. *Si iugum aut onus formidas; non eum timorem naturæ rerum, sed ignauiæ attribuas. Dixit* onus, & Leue *apposuit; ne aut tanquam laboriosa nimium fugeres; aut vt facilia cõtemneres. Quod si vehementer ardua tibi Virtus videtur; veniat in mentem, quanto difficilior vitiositas est: cum Dominus eos, qui in peccatis sunt laborantes & onerati, vocauerit.*

Peccati onus pergraue.

III. Ab onere peccati auocari, summũ est beneficium Dei. Nõ onus peccatum? 1. De Israelitis Isaias c. 1. *Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate?* Vbi S. Hier. to. 5. l. 1. *Grauis dicitur, vt illius recorderis,* Zach. 5. *quod, vt mulier, Iniquitas sedeat super talentum plumbi.* 2. De Aegyptiis Exod. 15. *Descenderunt in profundum, quasi lapis.* Vbi Origenes Hom. 6. to. 1. *Quare? Quia non erant tales lapides, de quibus suscitari possent filij Abrahæ, sed qui amarent profundum voluptatum. Vnde & de ipsis dicitur: Demersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus. Sancti autem ambulant super aquas, quia peccato non grauantur.* 3. De Iona, ait S. Hiero. tom. 5. in c. 1. Ion. *Arbitrabantur nauim solito onere prægrauari; & non intelligunt totum pondus esse fugitiui prophetæ.*

Ab onere auocamur per inspirationem.

Ab hoc onere nos auocat Deus. 1. Per inspirationem. Mal. 3. *Reuertimini ad me; & reuertar ad vos.* Iac. 4. *Appropinquate Deo; & appropinquabit vobis.* Et Ipse: Matth. 9. *Non veni vocare iustos, sed peccatores.*

Sed orandus est: Psal. 79. *Domine Deus virtutum conuerte nos, & ostende faciem tuã, & salui erimus.* Thre. 5. *Postquam enim conuertisti me, egi pœnitentiam.*

Rite rogatus ait: Isa. 42. *Reuertere ad me, quoniam exaudiui te.* Ab hoc enim onere, Ioan. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum* inspiratione.

Per tribulationes.

2. Auocat etiam per afflictiones. 1. Psal. 82. *Imple facies eorum ignominia; & quærent te Domine.* 2 Prodigus, Luc. 15. *Quanti mercenarij in domo Patris mei abundant panibus; & ego hic fame pereo? Surgam, & ibo ad patrẽ meum.* 3. Quare Eccl. 5. *Non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem. Subito enim veniet ira illius, &c.*

Per Prædicatum.

3. Auocat per Prædicatores: Iere. 26. *Noli subtrahere verbum; si forte audiant; & conuertatur vnusquisq; à via sua mala: & pœniteat me mali, quod cogitaui facere eis.* Et auocat aliis plus mille modis: *Currendum igitur est,* ait Aug. to. 9. Tract. 2. in Ioan. *vt deponatur ille sarcina, quæ premit, & mergit.*

Lex V. antiquata ob inutilitatem.

II. Ab onere Legis veteris auocamur per hoc *Venite,* Mat. 11. *Omnes enim prophetiæ, & lex vsq; ad Ioannẽ.* Causa. Quia, Heb. 7. *Reprobatio fit præcedentis mandati propter infirmitatem eius, & inutilitatem. Nihil enim ad perfectum adduxit lex.* 2. Accedit, quia *2. Obstrumentum.* Ro. 3. *Ex operibus legis non iustificatur omnis caro coram Deo.* Ro. 5. *Lex enim iram operatur. Vbi enim non est lex, nec præuaricatio. Lex autem*

tem subintrauit, vt abundaret delictum. Quia Rom. 7. *Peccatum non cognoui, nisi per legem,* Gal. 3. *Igitur lex propter transgressiones posita est, donec veniret semen, cui promiserat ordinata per angelos in manu mediatoris.*

Christus abstulit nos rede. Demum vero, Gal. 3. *Christus nos redemit de maledicto Legis, factus pro nobis maledictum? Quia scriptum est, maledictus omnis, qui pendet in ligno: Vt in gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Iesu: vt pollicitationem spiritus accipiamus per fidem.*

Vt simus Christi. Vnde sic infert: Rom. 7. *Itaq; fratres mei, & vos mortificati estis Legi, per Corpus Christi: Vt sitis alterius, qui ex mortuis resurrexit: Vt fructificemus Deo.*

Redemtio ob factam Cruce. Ita nostri translatio à lege iræ ad gratiam tunc facta est; quando, Col. 3. *Nos: cum mortui essemus in delictis & præputio carnis: conuiuificauit cum illo, donans omnia delicta: delens, quod aduersus nos erat chyrographũ Decreti: & ipsum tulit de medio affigens illud Cruci: & expolians, principatus & potestates traduxit confidenter palam, triumphans illos in semetipso.*

Typus. Id totum fuit significatum in eo, quando, Matt. 27. *Velum templi scissum est in duo, à summo vsque ad deorsum.* Hinc iam, Ro. 8. *non secundum Legem ambulamus: sed secundũ spiritum,* charitatis. Nam *Hoc est mandatum nouum: Vt Diligamus.*

PARS IV.

De vocatione S. Matthiæ, & Refectione Domini.

Bona vocatio ipsius. I. *VEnite ad me omnes.* Et S. Matthiã vox hæc vitæ attigit. 1. Qui Bethleemita nobiliter natus, & ab Simeone sacerdote literis bene eruditus; vocatione Domini inter duos & septuaginta discipulos fuit coaptatus. 2. Deinde ad apicem euocabatur: nam confestim, vt S. Spiritus erat datus, itum ad sortes fuit: *Act. 1. Et cecidit sors super Matthiam; & annumeratus est cum vndecim Apostolis.*

Vbi innouatum fuit gaudium illud Christi: Ex quo Patri gratias agebat: *quod reuelasti ea paruulis:* vt Episcopatum Iudæ acciperet alter: vt *Apoc.* 21. muri Ierusalẽ suis constarent portis XII. ex gemmis totidem; in quibus duodecimam portum gemma duodecima *Amethystus* efficiebat, index idem S. Matthiæ. *Lætæ Deo.*

Hunc, ait *Plin. lib. 37. c. 9.* ad vini rubei colorem accedere, detinere in violam cum fulgore purpureo; & ebrietati resistere: fœcundare sterile, frangere eq; venenum. S. Matthias variarum dono linguarum imbutus: ad purpureum martyrij fulgorem designatus: musto plenus putabatur, cum ebrietati infidelitatis viriliter resisteret; venena idololatriæ vinceret; & Ecclesiam fœcundaret. *Ob fructũ.*

Quale gaudium Christo hæc electio, talisque viri prædicatio extitit? Luc. 10. *Gaudete, quia nomina vestra scripta sũt in cœlis. Tunc in ipsa hora exultauit Iesus in Spiritu sancto.* Vbi Cyrillus: *Exultauit amator hominum de acquisitione plurium, per potestatem à se traditam, & operationẽ Spiritus sancti.* *Ob prædestinationẽ Apostolorum.*

Abraham, *Gen.* 21. cum ablactauit filiũ *Isaac,* id est, *risum:* fecit grande cõuiuium: Ita Dominus, ablactatis à mundi vanitate discipulis, fecit grande Conuiuium misso S. Spiritu: in quo, & ex quo deinde porro ad vnum omnes respexere Dominũ. Quale inter herbas, (quas omnes sol vnus recreat) Heliotropium tamen, flos solis, quaqua versus ab oriente ad occidentem sequitur solem. Ita par. Nam Eccl. 1 *& flumina, vnde exeunt, reuertuntur, vt iterum fluant.* *Ob eorum sequelam Christi.*

Apostoli pro nobis orant. II. S. Matthias etsi ad Dominum, vnde exiit, reuertit; tamẽ hodieq; fluit ad nos. Verũ est enim, quod vnus instar omniũ ait: 2. Thess. 1. *Oramus pro nobis, vt dignetur nos vocare. Vocatione sua sancta.* Sic etiamnũ oranti. 2. Vti & Dominus vocare non desinit, *Venite ad me.* Quia, *Vult omnes homines*

Christus nos expectat.

saluos fieri. Estque 1. Rom. 10. *Idem Dominus omnium, diues in omnes, qui inuocant illum,* Quique Iac. 1. *dat omnibus affluenter, & non improperat.*

Et vocat.

Quocirca, *Venite*, Ier. 3. *Tu fornicata es cum amatoribus multis; veruntamen reuertere ad me, dicit Dominus, Leua oculos tuos in directum, & vide, vbi nunc prostrata sis.* Ierem. 31. *Reuertere virgo Israel, reuertere: vsquequo dissolueris filia vaga?*

1. Vt reparet fractos.

I. *Ego reficiã vos*, id est: 1. Reparabo fractos: 2. Cibabo defectos; 3. Alleuiabo oneratos. 1. Reficere fractos, est Dei solius. 1. Psal. *quoniam Ipse fecit nos, & non ipsi nos.* 2. Conuenientiam assignat S. Tho. p. 3. q. 3. a. 8. Quia Heb. 1. *Cum sit Imago Patris, & figura substantiæ eius:* ad cuius similitudinem homo factus est; oportuit hominem per ipsam Imaginem reparari. 3. Ipse per Baptismum nos reficit ad innocentiam primam. Ipse *Agnus, qui tollit peccata*, ad resipiscentiam. Ipse, Psal. 22. *Super aquam refectionis educauit me.*

2. Vt Satiet in Euchari. stia.

2. *Ego reficiam vos.* 1. in Cœnaculo grandi strato Eucharistico. August. *Cibus sum grandium: cresce, & manducabis me.* Prædixit Isa. 25. *Faciet Dominus omnibus populis in monte hoc conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ: conuiuium pinguium medullatorũ, vindemiæ defæcatæ.* Psalm. 22. *Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos, qui tribulant me.*

Inque beatitudine.

2. In cœnaculo cœlesti: Luc. 22. *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum; vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo.* Refectio hic ineffabilis est. Quia 1. Cor. 2. *Nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus iis, qui diligunt illum.*

Vtriusque opperens sponsa est.

Merito Sponsa, Cant. 1. *Indica mihi, vbi pascas?* Hebræi quidam legunt: *quomodo pascas.* Non Isa. 29. *Sicut somniat esuriens, & comedit: cum autem expergefactus fuerit, vacua est anima eius. Sic erit multitudo omnium Gentium: quæ famem patientur vt canes.* Sed Agnus Dei est noster cibus.

Infelices, quos per visum aspexit S. Bernardus. Primus arenam vorabat. Secundus aerem; tertius fumum fornacis: quartus fauillas sorbebat; quintus scintillas, sextus carnes proprias rodebat. *Fetus vitæ*

3. Vt consolemur nos confirm.

3. *Ego reficiã vos* oneratos, tentatos, &c. refocillabo, viresq; dabo. 1. Paulus Philemoni: *Refice viscera mea in Christo*, fideles conforta. Isa. 28. *Hæc est requies mea, reficite lassum: & hoc est meum refrigerium:* consolamini, & supportate inuicem. 2. Reficit; cum 1. Cor. 10. *Non patitur vos tentari supra id, quod potestis, sed facit etiam cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere.*

In aduersis felicit.

Hinc, 2. Cor. 4 *In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur: aporiamur*, id est depauperamur, *sed non destituimur: tribulationem patimur, sed non derelinquimur: humiliamur, sed non confundimur: tanquam despecti, sed non perimus. Semper mortificationem Iesu Christi in corpore nostro circũferentes: Vt & vita Iesu manifestetur in cordibus nostris.*

Fortes & victrices.

Sicut lux lampadum, in manibus militum Gedeonis, Iud. 7. fractis lagenis manifestabatur ad terrorem hostiũ, & certam de eis victoriam. Sic, qui, 2. Cor. 4. *portamus thesaurum* gratiæ confortantis *in vasis fictilibus*, dum concutimur, vincimus cum gloria: dum laboramus, reficimur. Ps. 127. *Labores manuum tuarum manducabis: beatus es, & bene tibi erit.* Vbi Aug. ait. *Modo labores habemus, postea fructus erit.*

Spe bona pleni.

Interim in labore Rom. 12. *Spe gaudentes* sumus. 2. Cor. 6. *Quasi tristes: semper autem gaudentes.* Ita, Act. 5. *Ibant Apostoli gaudentes à conspectu Concilij: quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati:* Sic Andreas crucem exultans consalutabat: Matthias gestiens sese lapidantibus exponebat. Quare *gustate & videte, quoniam suauis est Dominus* reficiens laborantes & oneratos.

PARS

PARS V.

De Iugo & sorte S. Matthiæ.

Portat Iugum Christi Præceptorũ eius, & Crucis.

I. TOllite iugum meũ super vos? quocunque sensu vocem Iugi acceperis: omne in S. Matthiam quadrat. Nam iugum bonum suscepit; malum vel excussit, vel pertulit. Est enim iugũ præceptorum Dei, & Crucis Christi. Thre. 3. *Bonum est Viro, cum portauerit iugum ab adolescentia sua.* Sic istud præceptorum Dei tulit S. Matthias, à Simeone sacerdote eruditus. Sic & iugum Crucis, ab articulo suæ vocationis.

A iugo 1. Legis. 2. Et Peccati orig. liberatur.

1. Duxerat diu, *Luc.* 14. iuga boum quinque, id est, Pentateuchum Legis obseruarat. 2. Etiam subierat Eccl. 40 *iugum graue super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum, vsque in diem sepulturæ, in matrem omnium*, hoc est, iugum peccati originalis, & consecutæ id miseriæ humanæ, 3. Iugum quoque; Assur, *Isa.* 14. id est, peccatorum forte perpessus fuerat: Verum ab his omnibus liberauit eum Dominus; imposito ipsi suo iugo vnico suaui. Adeo omne iugum aliud, Isa. 9. *computrescit à facie olei*, id est misericordia Christi: vt ibidem S. Hier. exponit.

In Vocatione sua ad Discipulatum.

Ad faciem olei vero vnus ex primis venit S. Matthias; S. Petro teste: qui ait, Act. 1. *Oportet ex his viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intrauit & exiuit inter nos Dominus, incipiens à baptismate Ioannis, vsque in diem, quo assumtus est à nobis, testem resurrectionis eius nobiscum fieri vnum ex istis.*

Subit iugũ Apostolatus.

II. Postquam autem, oratione communiter facta, sortibusque datis, *cecidit sors super Matthiam, & annumeratus est cum vndecim Apostolis*; iam tum, Virtute indutus ex alto, in agrum Domini strenuus, velut bos arator, inuasit; ipseque sub iugo alios item suauissime subiugauit Christo. Illa sunt iuga boum quingenta, quæ Iob, *cap.* 1. habebat; id est, ait S. *Gregor. lib.* 1. *Moral. cap.* 16. sunt laborantes sub iugo Christi Apostoli atque discipuli.

Et subiugat multos

Et vero sic laborarunt, vt illa quingenta duplicarentur Iobo Christo, fierentque ei mille iuga, *Iob.* 42. id est, ait *Gregor. lib.* 31. *Moral. cap.* 19. innumeri Fideles.

Subit iugũ persecutionis.

Atque illius iugi suauissimi amore deinde porro iugum illud terrificum Babylonis. *Isa.* 47. hoc est, ait *ibi Glossa*, sæuæ persecutionis iugum adire non exhorruit. Quod tamen sic adiit, non vt subiugatus ab eo vinceretur, sed vt victor idipsum glorioſe trirmpharet.

Iniugis tamen est sub cũctis iugis

Nimirum vaccis fœtis, iniugibus, arca Domini imponitur reducenda. 1. *Reg.* 6. Tales erant Apostoli fœcundi à felicissimis fœtibus; & iniuges, siue ab omni iugo Peccati, ac diaboli Nabuchodonosoris, *Ierem.* 27. immunes, portabant Christum coram Gentibus, portabant Ecclesiam, reducentes militantem ad triumphantem.

Denique triumphat martyrio.

Denique S. Matthias Martyr factus est, qualis *Num.* 19. vacca iniugis describitur. Vbi sic Dominus. *Ista est religio Victimæ, quam constituit Dominus. Adducant ad te vaccam rufam* ex desiderio patiẽdi pro Christo, *ætatis integræ*, animam spiritus heroici: *in qua nulla sit macula* peccati, *nec portauerit iugum* dæmonis; *tradetisque eam Eleazaro sacerdoti qui eductam extra castra immolabit in conspectu omnium: comburetque eam cunctis videntibus, tam pelle & carnibus eius, quam sanguine & simo flammæ traditis.*

Sors Matthiæ ignea.

III. *Tollite iugum meum*: Hoc erat *Sors*, quæ *cecidit super Matthiam*. Et vero præclarissima sors illa: teste vel ipso fulgore diuino cum caderet sors ipsi. Nam S. *Dionysius* ait, sortem fuisse lucem, quæ de cœlo super Matthiam descendit. Cum quo sentit S. *Augustin. sermone* 2. *in Ps.* 30. & *Orig. hom.* 33 *in Iosue, & in cap.* 12. *Leuit.* Nec absimilis ea sors erat orationi S. Petri: Actor. 1. *Tu Domine qui corda nosti omnium, ostende,*

ostende, quem elegeris ex his duobus vnum, accipere locum ministerij huius.

Et victima lucrat. Et sic *Ostendit*, vt simul eum victimale iugum præmonstraret subeundum. Sicut, ait *Augustin. ibid.* descendit de cœlo ignis super sacrificium Abel, *Gen.4.* Et 4.*Reg.*10. super Heliæ bouem immolatum. Parem namque sortitus exitum est S. Matthias, igne magis suæ Charitatis consumtus, quam saxis obrutus lapidantium.

Sortes duplicat. Sed vt iugũ est bonum aliud, aliud malum: ita sortes in Scriptura dispares; bonæ, & malæ. De bona bonorum gloriatur Paulus, Col.1. *Qui dignos nos fecit in partem Sortis sanctorum.*

1. Bonorum in prædestinatione.

2. Inconuersione. 2. In hanc sortem vt duceret idem Gẽtes, se vocatum ait: Act.26. *Vt conuertantur à tenebris ad lucem; & de potestate Sathanæ ad Deum: vt accipiant remissionem peccatorum; & Sortem inter Sanctos per Fidẽ, quæ est in me.*

3. In Beatificatione. 3. De ea item gloriatur Psaltes, Psalm. 15. *Funes ceciderunt mihi in præclaris: etenim hæreditas mea præclara est mihi.* Funes erant sortes: Nam Psal.77. *Sorte diuisit eis terram in funiculo distributionis.*

2 Malorũ sortes. De malorum sorte mala, Eccles.6. *Animam nequam disperdet, & ingaudium inimicis dat illum, & deducet in sortem impiorum.*

1 In reprobatione.

2 In conuersatione. 2. Impii aiunt, Prouerb.1. *Sortem mitte nobiscum.* Infelix sors? quia vana, momẽtanea. Sap.2. *Venite ergo: fruamur bonis, quæ sunt. &c. quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors nostra.*

3. In damnatione. 3. At quo euentu. Iere.13. *Disseminabo eos, quasi stipulam, quæ vento raptatur in deserto. Hæc sors tua, pars que mensuræ tuæ à me, dicit Dominus; quia oblita es mei, & confisa es in mendacio.*

Sors bona à solo Deo est. IV. Iam vero hoc etiam attende: sicut, Prou.16. *Sortes mittuntur in sinum; sed à Domino temperantur:* Ita Dei gratia datur, cui vult prædestinator Deus. Sic, Roman.9. *Iacob dilexit, Esau autem odio habuit.* Matthiam elegit; reprobauit Iudam: hunc demerito suo; illum ex mera gratia. Psal. 17. *Saluum me fecit, quoniam voluit me.* Nimirum, *Ita Pater, quoniam hic fecit placitum ante te* Matt.11.

In hanc vocamur. Eph.1. *In quo etiam Nos sorte*, id est, gratia *vocati sumus, prædestinati secundum propositum eius, qui operatur omnia secundũ consilium voluntatis suæ* Eph.2. *Gratia enim saluati estis per fidem, & hoc non ex vobis: Donũ enim Dei est nõ ex operibus, vt ne quis glorietur.*

Ea sors vestis Christi. Aug. in illud Ioan.19. *Super Vestẽ meã miserunt sortem*, ait: *Vestis Christi gratia est, quæ sorte datur: quia Deus eam concedit, cui vult.* Quod figuratur *Leu.*19. Vbi iubetur; vt duo hirci adducantur coram Domino: & mittentes sortem super vtrumque, cui sors euenit, is offerebatur Deo; non quem ipsi mallent. Vbi Orig. homil.9. ait: immolatũ significare sortem electorum: emissarium vero libere dimissum filios *Belat*, id est, *absque iugo* Dei Hæc Osorius ex nostro Ildeph. *Giron. conc.* 1. *in hoc festum*: vt pleraque alubi cætera.

Sorti Dei cooperãdum est. Quod si nos sorti prædestinationis nostræ non strenue cooperamur; iuste irascitur Deus. Sicut Ioadi Elisæus: cui dixit: 4. Reg.13. *Affer arcum & sagittas: pone manum tuam super arcum*: & *superposuit Elisæus manus suas manibus Regis.* Et cum tres sagittas emisisset, ait: *Ter percuties Syriam; & si plures sagittas emisisses pluries percussisses.* Et indignabatur, quod non pluries. Ita Manus Domini cum sit nobiscum in cooperatione, iuste irascitur, si instantius operemur, quicquid manus nostræ possunt. S. Matthias sane ita sortem vocationis suæ expleuit, vt nihil vel Deo reliquũ fecerit, quod desideraret. Similis in Ecclesia lapidi Abeston, de quo Plin.l.37. c. 10. Albert. Mag. & Ilid.l.16.

Inferum charitati: vt S. Mat.

Arcadiæ tellus lapidem producit Abeston:
Ferreus huic color est; naturæ mira potestas;

Nam

Nam semel accensus conceptos detinet ignes;
Extinguique nequit, pellucens perpete flāma.

Vnde ἄβεσος, inextinguibilis dictus est. Talis S. Matthias; semel accensus ab alto, non potuit separari à Charitate Christi q.d. Ro. 8. *Certus sum, quod nec instantia, neq; futura; neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.*

PARS VI.

De periodo Apostolatus S. Matthiæ.

I. HAnc termino intra Principium ingressus; Medium progressus; Finē egressus sui. De ingressu Apostolatus sui Lucas Act. 1. tria. Eligentes, Electum, & Eligendi modum exponit. Eligentes erant Collegium xi. Apostolorum, cæterorumque tum fidelium, fere cxx. capitum. *Petrus* vero *in medio fratrum exurgens* commemorabat de apostasia Iudæ. 2. de necessitate subrogandi alterū. 3. De sortitione inter duos propositos.

Defectio Iudæ, & suffectio Matthiæ renouauit veterem Luciferianæ ruinæ fortunam. quando Deus, Luc. 1. *Deposuit Potentes de sede* cœlesti, *& exaltauit humiles* de terra hoēs. Vnde sic de improbis colligit S. Petrus in 2. ca. 2. *Si Deus Angelis peccantib. non pepercit; sed rudentib. inferni detractos in tartarum, tradidit cruciandos: &c. Hi velut irrationabilia pecora, in corruptione sua peribunt, percipientes mercedem iniustitiæ.*

Iudæ casus est Matthiæ exaltatio.

Par enim sors est vtriusque peccatoris cuiusque & Iudæ. Nam & ille dux est ligantium Iesum, cum tamen sit cōnumeratus cum Fidelib. 2. Possidet agrum sanguinis & iniquitatis: 3. Suspendit se ex fragili creaturarum arundine: Sicut Achitophel, 2. *Reg.* 18. consilium dans contra Dauid, id est, Christum. 4. Crepat, & effundit viscera, vires & vitam in amore sæcularium. 5. Fit notum omnibus, aut hic, aut in iudicio. 6. Episcopatum eius accipit alter, *Matthias*, id est, *donatus* seu *paruulus Domino.*

Similiter & peccatoris. &c.

Quare. Apoc. 3. *Tene, quod habes,* gratiæ, *vt nemo accipiat coronam tuam*; quæ est ex merito gratiæ: nā quæ est ex prædestinatione, perdi nō potest. *D. Th. p. 1. q. 23. a. 6. ad* 1. Itaque 2. Thes. *qui tenet, teneat; donec de medio fiat.* Etenim, Iob. 34. *Conteret multos & innumerabiles; & stare faciet alios pro eis.*

Ergo attende tibi;

Id; quod Angelis, quodque Christianis è gratia lapsis euenit; contingit quoq; indignitate positis. De quo Ps. 82. *Deus meus pone illos vt rotam*, vt similiter alius alium extrudat; *& sicut stipulam ante faciem venti.* En quanti sit grauitas honorum mundi; vt stipula.

Ne ex alto deponteris.

Olim fugiebantur Episcopatus: 1. Vt opus esset suadere; quod, *qui Episcopatum desiderat, bonū opus desiderat.* cogere electos oportuit, vt impositos adirent honores. 2. S. Aug. li. 1. de vita & morib. Clericorum: de se ait: *Quod esse potui; esse nolui, nec tamen quæsiui esse, quod sum.* Ps. 83. *Elegi enim in domo Dei abiectus esse magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum. Adeo timebam Episcopatum; vt, quoniam cœperat esse iam alicuius momenti inter seruos Dei fama mea, in quo loco sciebam non esse Episcopatum, non illum accederem, Cauebam autem hoc, & agebam, quantum poteram, vt in loco saluarer humili & non in alto periclitarer. Sed Domino seruus contradicere non debet, cui placuit, mihi dicere; Ascende superius.* Luc. 14.

Episcopatus fuga.

II. Eligentium Caput Petrus, à Deo instinctus, conditione Apostoli eligendi sic proponit. Act. 1. *Oportet ex his viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore.* &c. Similiter in electione Diaconorum: Act. 6. *Considerate fratres, viros ex vobis boni testimonij septem plenos spiritu & sapientia, quos constituamus.* Ita D. Iethro Moysi, Exo. 18. *Prouide de omni plebe viros potentes, & timentes Deum in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam.*

Electus esse debet. *1. Vir.*

Nunc eligendi conditiones aduerte, Virtutesq; Apostolicas. 1. *Ex viris*: Vir sit robore corporis & animi ad orbem peragrandum. Nam fœmineum sexum pudor abstinet à publico; infirmitas ab labore tanto atque periculo.

2. Nõ puer.

II. *Ex his viris*: non pueris aliis, aut adolescentulis; quibus prudentia raris inest: nec par est, tam adultam sponsam dari minorenni: Ne impleatur Istud. Isa. 3. *Dabo pueros Principes eorum; effœminati dominabuntur eis*, Eccl. 10. *Væ tibi terra, cuius Rex puer est.*

Electi sane peccata recidũt in caput eligentis; nec sola; sed tradunt simul in vtrumque errata subditorum. Adeo raro, peccans Episcopus peccat solus: adeoque rarius, peccatũ populi non etiam nõ fit Episcopi. Quo sanctius hoc monitum est Pauli, 1. Tim. 5. *Manus cito nemini imposueris, neq; communicaueris peccatis alienis.* Quem in locum *S. Chrys. hom. 3. in Act. t. 3.* paucos saluari Episc. putat.

3. Integer vitæ & doctrinæ. *4. Patriota.*

III. *Ex his*; minime suspectis de hæresi, ambitione, vita. &c. IV. *Ex his viris*: huius nationis nostræ, non exteræ. Talis. n. si in quoquo haberi loco queat extero præferri põt, cæteris paribus: quod esse gratior, & fidelior soleat. Hinc sub *S.* Gregorio natæ sunt Commendæ Episcopatuum extero factæ, dum internus haberi posset idoneus.

5. Caritate pollens.

V. *Qui nobiscum sunt congregati*, in vinculo Charitatis. Hæc necessaria est. Ideo Dominus, Ioann. vlt. *Simon Ioannis diligis me? Pasce oues meas: & agnos.*

6. Et Scientia.

VI. *In omni tempore.* Vt Scientia adsit vtriusque Testamenti electo: & non sit *neophytus.* Periculose enim ab extremo laici adextremum Ecclesiastici fit transitus. Idque cautum est, 1. Tim. 3. *Ne in superbiã elatus in iudicium incidat diaboli.* Sit ex catechumeno factus Episcopus S. Amb. hoc rarum est: quia rari sunt Amb.

7. Testis fidelibus.

VII. *Testem resurrectionis fieri nobiscum.* luxta Vocem Domini Actor. 1. *Eritis mihi testes*, Et Ioan. 15. *Vos testimonium perhibebitis; quia ab initio mecum estis.*

5. Matthias cur illaudatus sit.

Quę quidem conditiones tametsi in Electo *S.* Matthia abunde fuerint, & eximiæ, nullam tamẽ Lucas ipsi laudem apponit, sicut Iosepho Iusto: quod sua ipsũ electio prædicaret: Iosephum vero ne sua præteritio insimulare culpæ videretur, laudauit.

Electis regitur oratione.

III. Electionis denique modus hic erat. 1. Orabant: vt Dominus ipse, *Luc.* 6. Apostolos electurus pernoctauit in oratione. Item Saulus & Barnabas *Actor.* 13. Apostoli creati sunt præmissis orationibus & ieiuniis. Sic fieri decreuit *Concil. Trident. sess. 24. cap.* 1. Sic Elias, 3. *Reg.* 18. pro igne sacrificii orauit; & impetrauit. Atque ita vnctio spiritus docet intus. 1. *Cor.* 2. quæ oratione impetratur.

Sorte.

Deinde *Dederunt sortes eis*: Vt affectus abessent; ac studia; humanique erroris metus. Et vt Galat. 1. *non ab hominibus, neque per hominem; sed per Iesum Christum fieret Apostolus.*

At quales Sortes? 1. Proprie ad litteram intelligit *S.* Chrysostom. Homil. 3: in Acta. *Si enim*, ait, *illic, vbi necerat deprecatio, nec viri probi; tamen valuit sors; eo quod recto animo fieret super Iona: multo magis hic.* Ita sentit D. Thomas & Beda. &c.

Sors duplex. Vetita.

Sors diuinatoria, de faciundis, est illicita; quia est vel superstitiosa, vel impia, vel fortuita, *At diuisoria*, de rebus diuidundis licet, sæpeq; necessaria est. Quia Prouerbior. 18. *Contradictiones comprimit sors; & inter potentes quoque diiudicat.*

Licitu.

Et hæc, licet bona; à malo tamen discordiæ oritur: sicut & iuramentum. Præstaret igitur maiorem diuidere; minorem eligere: vt fecit Abraham cum Loth. *Gen.* 13. Et Sortes in electione Ecclesiastica perpetuum damnauit Honorius

norius III. *tit. de Sort. cap. vltim.*

Iudæi frequens. Iudæis tamen in vsus sortium vsus erat: Vt *Num.* 33. in diuisione terræ promissæ: in ministerio Sacerdotum & ianitorum. 1. *Par.* 24. in electione Saulis, 1. *Regum* 9. Item, *Ios.* 14. Acham; Ionathas quoque 1. *Reg.* 14. & Ionas, *cap.* 1. sorte ad mortem sunt deprehensi. Eæ sortes, Prouer. 15. *mittebantur in sinum, sed à Domino temperabantur*: vel vt Hebræi legunt: *exibat illarum iudicium.*

Non est vel inspiratio diuina. 2. Metaphorice, *Sortes* quidam exponunt. Vt sortes dare sit declarare ex Deo occulte inspirante: vt in creato Saule & Sacerdotibus factum. Ita Luc. 1. *Zacharias sorte exiit, vt* poneret incensum. Sic, *Isa.* 33. Idumæa brutis fuit sorte data in vastationem.

Vel apparitio aliqua. Alij nolunt Sortes dare, esse petere signum sensibile à Deo. Ita *Num.* 17. Aaron factus est sacerdos signo florentis virgæ: ita Ioseph factus est Deiparæ sponsus: S. Fabianus columba in caput eius insidente fit Papa: Ambrosius episcopus, &c. Ita igne de cœlo patuit, *Gen.* 4. Abeli sacrificium placere Deo: Item, *Iudic.* 13. Manuæ: item Eliæ 3. *Reg.* 18.

Hi tres sensus sortis Dei assistentiam habebant: primus, Deo sortes temperante: alter, Deo cor inspirante: tertius, Deo sensibiliter ostendente. Et hæc de S. Matthiæ ingressu in Apostolatum. Petro de eiusdem progressu, Egressuque loquitur Historia vitæ & passionis illius.

IN FESTO S. IOSEPHI NVTRICII IESV CHRISTI.

Cum esset desponsata Mater Iesu Maria Ioseph. Matt. 1.

IOseph, *Gen.* 40. celebratur tum à Castitate, tum à Fide Domino præstita, somniorum interpres. Celebrior Ioseph Mariæ custos, Angelorũ dignus alloquio.

Nos itaque

I. *Quod sua cuique sit gratiæ sufficientia.*
II. *Ioseph gratia ex eo, quod sponsus Mariæ.*
III. *Item, quod Pater Christi nutricius fuerit.*
IV. *Varia de S. Ioseph.*

PARS I.

Quod sua cuiq; sit sufficientia gratiæ.

I. SVfficientem cunctis, ad quodcunq; munus à se vocatis, dat gratiam Deus: 2. Cor. 3. *qui idoneos nos fecit ministros Noui Test.* per, Ro. 8 *primitias spiritus quem accepimus.* 1. Exod. 3. *Quis ego sum, vt vadam ad Pharaonem, & educam filios Israel de Aegypto?* Cuius Deus: *Ego ero tecum* Exod. 6. *En, incircumcisus labiis ego sum, quomodo audiet me Pharao?* Cui Dominus: *Ecce constitui te Deum Pharaonis.* 2. Ieremias cap. 1. *A, a, a, Domine Deus, ego nescio loqui; quia puer ego sum.* Et Dominus: *Ne timeas à facie eorum, quia tecum ego sum. Ecce constitui te hodie super gentes, & super regna, vt euellas. &c.* Et rursus: *Ne formides: Ego quippe dedi te hodie in ciuitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æneum. &c.*

Ita est, vt Philosophorum fert axioma: *Qui dat esse, dat & quæ consequuntur ad esse.* Id si in natura: magis in gratia: quia vtriusq; Autor idem; & in gratiam tanto propensior, quo hæc natura superior.

Ita dedit & Iosepho gratiam parem suæ vocationi: quę quanta, esse sponsum Matris Dei, Nutricium Christi? Dixerit: *Quis ego sum. &c.*

PARS II.

Gratia Ioseph ex eo, quod sponsus esset, Deiparæ.

I. PSalm. 67. *Mirabilis Deus in Sanctis suis:* at in Iosepho hoc mirabilior, quo ipsius singularior desponsatio: cui paria

quoque gratiarum dona haud dubie collata fuere. 1. Si enim Eccles. 26. *Mulieris bonæ beatus vir:* & Eccl. 25. *Beatus qui habitat cum muliere sensata*: quæ aut bonitate, aut sapientia præ Deipara extitit. *Nec primam similem visa est; nec habere secundam.* 2. Si Eph. 1. *Vir caput mulieris!* iam vel ipsa Virgo Mater debitum marito suo detulerit honorem: Hocque amplius, quod Angeli etiam ei, vt capiti, fugam in AEgyptum, indeque reditum denunciarint.

Cherubinus est. 3. Exod. 31. *Duos Cherubim aureos, & productiles facies ex vtraque parte Oraculi, respiciantque se mutuo versis vultibus in propitiatorium.* Christus est, Rom. 3. *quem proposuit Deus Propitiatorē per fidem in sanguine ipsius.* Virgo hinc & hinc Ioseph Cherubini sunt ardentissimi: vtriusque vox, Cant. 7. *Ego Dilecto meo, & ad me conuersio eius.*

II. Cherubinus est Ioseph inter viros tantus, quanta B. V. M. inter mulieres benedicta; quod Mater sit Christi: is, quod Pater sit eiusdem. Pares ambo natalibus regiis, similes & donis spiritalibus fuerint.

Ab vtero sanctificatus. Hoc potissimum nixus fundamento *Gerson* docuit; quem & sequuntur plures; S. Ioseph um, ceu Ieremiam, ab vtero matris sanctificatum fuisse, inque gratia confirmatum; vt vel isto aliquanto similior foret Deiparæ sponsus.

Nec peccauit m. Sane *S. Aug.* & *Rupertus* Abbas aiunt, nunquam eum mortale delictum commisisse. In quo superior Apostolis, proximus fuit Deiparæ.

Virgo perpetuus. *S. Hieronymus* est autor, eum perpetuam conseruasse Virginitatem. Sunt, qui die Ascensionis eum cum anima & corpore surrexisse, cœlosque petisse dicant. Hoc constat quod *Ioseph, cum esset IVSTVS, &c.*

Similis fuit Mariæ. Magnus S. Elisabethæ honor, quod visitata semel ab S. Maria: Magnus S. Ioanni Euang. quod ipsi Dei commendata parens: maior ab vtroque S. Ioseph. Siverum illud coniugum: *Gen. 2. Faciamus adiutorium SIMILE sibi:* Scilicet vt in morum animorumque similitudine charitas cōiugalis solidius constet: plane negandum nō est, permagnam inter hoccе par Coniugum similitudinem voluisse DEVM, & fuisse. Quin Ipsa suum quasi imperfectum aperit: *Nigra sum*: At *Dilectus meus Ioseph candidus, & rubicundus electus è millibus.* Sicque ipsa eum prædicat: cum tamen defectus vxoris potius sint excusandi, quam mariti.

Seruus alius. Abrahæ seruus, *Gen.* 24. donis variis donata Rebecca, iniquum censebat eius parentes ac fratres indonatos relinqui: DEVS hanc Rebeccam despondens, Iosephum non magnis donasset? Vel hoc donum quantum: deligi in seruum Deiparæ? 1. *Reg.* 25. Beatam se Abigail censuit seruire Dauidi: *Ecce*, ait, *Famula tua sit in ancillam, vt lauet pedes seruorum Domini mei.* Ad hanc autem B. V. M. Matrem Domini ita omnes Patriarchę, Prophetæ, Apostoli respectarunt, vt serui eius minimi. Quanto ipsi prę cunctis interior suus fuerit Ioseph us?

PARS III.

Varia de S. Ioseph o.

Causa desponsationis. I. CVr autem Deipara ei nupserit, dantur causæ. 1. Ne Filius notus crederetur. 2. Vt nutritium haberet. 3. Vt eius incarnatio diabolum lateret. Hanc S. Patres assignant ex S. Ignatio.

Deinde quoad Deiparam. 1. Ne innupta pariens notam incurreret ac pœnam, iuxta *Deut.* 22. Lapidationis. Sic *Ambr.* 2. Vt haberet adiutorem, ducemque peregrinationis. Sic Hier. in Matth. 3. Vt ex Iosephi stirpe etiam de Deiparæ constaret progenie.

Demum quoad nos: 1. Ambr. in Lu. Vir-

Virginitatis Marianæ *locupletior testis maritus adhibetur, qui posset & delere iniuriam, & vindicare opprobrium; si non agnoscerent sacramentum.* 2. Ob mysterium: A virgine nupta ortum peccatum: à nupta oriretur remedium. 3. Vt ita sanctitas Matrimonij innotesceret contra venturos Manichæos.

Ætas eius que. II. Neque decrepita ætas sat recte Iosepho tribuitur, ad fidiorem Virginis custodiam: cum etiam senibus insit salacitas: & iuuenibus multis eximia castitas. Neque sat consultum Virginis honori per senem; cuius impotentia suspicionem de grauida aperuisset. Hinc similior vero sententia, quæ quadragenarium asserit sponsum, in Euangelio semper *Virum*, non *senem*, appellari solitum.

Itaque infirma & obscura mundi elegit Deus, vt confundat fortia: Sicut Zacharias, cap. 1. *Vidi, ecce, quatuor cornua*, quæ 4. regna orbis ventilarent; aiebat Angelus: qui mœsto mox *ostendit 4. fabros, vt deijciant cornua gentium*: S. Ioseph Faber, fit sponsus, vt obturet ora maledica, &c. B.V. Prou. 31. *facta est quasi Nauis institoris, de longe portans panem* cœli: Eius nauarchus Ioseph.

Quamdiu vixerit. III. S. Augustinus putat eum 30. annis cum B.V. superuixisse, inque monte Garusim adorasse resurgentem: sic completum Iosephi somnium, *Gen.* 37. quod sol & Luna, Ioseph, Maria & Apostoli Christum adorarint. Rectius tamen plures sentiunt, eum sub initium prædicationis Christi, diem obiisse.

PARS IV.

De gratia Iosephi ex eo, quod Pater esset.

Maior est Adam. I. LVc. 2. *Ego, & PATER Tuus dolentes.* Magna reuerentia & dignitas Patris Christi. 1. Adam creatis cunctis nomina indidit; Ioseph Christo: Luc. 2. *Vocatis nomen eius IESVM.* 2. Laus est & gloria Deo. Psalm. 146. *Qui memorat multitudinem stellarum, & omnibus eis Nomina vocat.* Ergo & Iosepho; qui Nomen Deo imposuit. 3. Ipse IESVS eum obedienter honorauit: quia Luc. 2. *Erat subditus eis.*

4. Pharao Iosephum, Gen. 41. *Fecit ascendere super currum suum, clamante præcone, vt omnes coram eo genu flecterent*, vt conseruatori, &c. Iustius is honor debetur nostro Iosepho, nutricio *Panis qui de cœlo descendit.* Ioan. 6. Is omnino est, Matth. 25. *Fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam* Matrem & filium. Gen. 41. *Nunquid sapientiorem, & consimilem tui inuenire potero?* Quare *Tu eris super domum meam; & ad oris tui imperium cunctus populus obedient.* Qui enim Deiparam ac IESVM subditos fecit Iosepho; quomodo non simul subiecit ei vniuersos eisdem subditos? *Fidelior Iosepho & dignior.*

II. Dauidi Deus. 2. Reg. 7. *Fecit nomen grande, iuxta nomen Magnorum, qui sunt in terra*: Maius Iosepho, quanto Iesus & Maria maiores. 2. Esto sint Claues regni cœlorum commissæ Petro: At Iosepho Rex ipse cœlorum cum Regina. 3. Steterit ad iussum Iosue *cap.* 10. Sol: ad Iosephi iustum Sol & Luna Iesus & Maria; idque semper. *Maior Dauide.* *S. Petro Iosua.*

4. Apostoli acceperint Spiritum S. & scientiæ plenitudinem: His maius accepit Ioseph, & citius. Psalm. 20. *Præuenisti eum Domine in benedictionibus dulcedinis.* 5. Et Maioribus, quam domus Obed-Edom. 2. Reg. 6. *Cui benedixit Dominus, & omnem domum eius*, ob Arcam receptam. 6. Non plus splendoris Ioseph hauserit ab Iesu & Maria tot per annos; quam *Exod.* 24. Moyses à facie angeli per dies 40. in Sina? *Apostolis.* *Benedictior Obededom.* *Clarior Moyse.*

Quid, quod & Tutor fuerit Domini, melius ac sanctus, quã M. Lepidus Ptolomęi regis Aegypti, de quo *Val. Max. l. 4. c. 4.*

Ioseph & Maria fuerunt illa candida lilia, inter quæ pascebatur Dilectus noster, quo sanctius honorandi. &c.

IN FESTO S. IOSEPH SPONSI Mariæ.

Suppleuit Enucleator.

Cum esset desponsata Mater eius Maria cum Ioseph. Mat. 1.

MIssus Abrahæ seruus. *Genes.* 24. ad quærendam filio Isaac sponsam, cũ Rebeccam illi Deus præparatam obtulisset; huic ingentia donabat munera; simul mater & fratres eiusdem dona ampla ferebant. Ita, facta desponsatione Dei cum Humanitate in vtero S. Mariæ, per Angelum paranymphum; continuo spõsa Humanitas; eiusque Mater Maria, ac frater seu cognatus sponsus Ioseph donis ingentibus sunt donati.

Super quo nos

I. *De coniugali virginitate.*
II. *De Ioseph; desponsatione historica relatio.*
III. *Quantum id Iosepho erat;* Virum Mariæ *fuisse.*
IV. *Quantus eiusdem honor, dici* Patrem Christi.
V. *Deeo, quod* Ioseph esset vir iustus.
VI. *De profectu Iosephi ex conuictu Christi.*
VII. *De Iosephina cogitatione dimittendi Virginem.*

PARS I.

De coniugali virginitate.

I. *CVm esset desponsata.* Fateor victus: Honor, amorq; Diuæ sponsæ mihi adeo imperat; vt ne Sponsi honorem præteream silentio: forte nonnullis exemplo futurus idem, ac imitationi.

Noui exempli primus autor, post Deũ, est Sancti Ioseph: Exemplum virginei Matrimonij cœpti, & obseruati. 1. August. lib. 2. de conf. Euang. cap. 1. *Exemplo virginis & Iosephi insinuatur fidelibus coniugatis, etiam seruata pari consensu continentia, posse permanere, vocariq; coniugium, non commixto corporis sexu.* *Virginum matrimonium.*

2. Idem lib. 1. de nupt. & concup. cap. 12. *Cur non coniuges maneant, qui ex consensu, concumbere desinunt; si manserunt coniuges Ioseph & Maria; quia cõcumbere nec cœperũt?*

Rationem reddit S. Ambrosius libr. Virgin. cap. 6. *Cum enim initiatur coniugium, tunc coniugij nomen adscisc itur. Non enim defloratio Virginitatis facit coniugium; sed pactio coniugalis. Cum iungitur puella coniugium est; non cum virili admixtione cognoscitur.* Idem huius in exemplum affert Iosephum & Mariam, Epist. 79. *Testis est,* inquit, *Christus, materni pudoris Assertor; quod desponsata fuerit tantummodo viro Ioseph; nulla tamen coniugalis coitus consuetudine, thori iura cognouerit.* *Defenditur ratione.*

Veritatem facti confirmat testimonio S. Augustinus libr. 1. de nupt. & concup. cap. 11. *Non,* inquit, *fallaciter dictum est ab Angelo ad Ioseph: Noli timere accipere Mariam coniugem tuam. Coniux vocatur ex prima fide desponsationis; quam concubitu nec cognouerat; nec fuerat cognituru. Nec perierat, nec mendax manserat coniugis appellatio; vbi nec fuerat, nec futura erat carnis commixtio. &c.* *Et testimonio.*

Idem ibidem. *Omne nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus Christi: Proles, Fides, Sacramentum. Prolem cognoscimus ipsũ Dominum Iesum: Fidem; quia nullum adulterium: Sacramentum; quia nullum diuortium:* At voce Sacramenti late accepta. Theologia id vocat *matrimonium ratum*; etsi non *consummatum*: estque verissimum. Rationes liquent supra. *Et earumque ratione.*

De quo ego sic censeo. Cum esse castitas sine virginitate possit; non tamen hæc si- *Id excellentius est cum virginitate.*

hæc sine illa: hanc virginitatem castitatj longissimæ antecellere necesse est. Est tamen Virginitas coniugalis quæ solitariæ virginitati spatiis anteſtat altioribus, reor, quam ipsa castitatem virginitas antecedat.

Similia. Et miracula.

Quid? 1. In mediis flammis nihil vstulari; quin etiam irrorari; ceu in camino babylonico tres pueri; *Dan.* 3. hoc vero miraculum est. Qualia & ista. 2. Ferrum aquis innatare, 4. *Re.* 6. 3. Ex aqua, 2. *Mach.* 1. gliscere flammam. 4. Vellus Gedeonæũ, *Iud.* 6. in rore medio non irrorari. 5. Vndis, *Matt.* 14. inambulare; nec mergi tamen, aut humectari. 6. Aridam, *Num.* 17. efflorescere virgam Aaronis.

Et quasi prophetatus.

Qualia deniq; ista apud Isaiam, cap. 11. *Habitabit lupus cum agno; & pardus cum hædo accubabit: vitulus, & leo, & ouis simul morabuntur; & puer parvulus minabit eos. Vitulus & vrsus pascentur; simul requiescent catuli eorum; & leo quasi bos comedet paleas. Et delectabitur infans ab vbere super foramine aspidis: & in Cauerna reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet.* Idclare exponit Isaias c. 62. *Lætabitur sponsus super sponsam, & habitabit iuuenis cum virgine* Maria. Hæc miracula, sunt virtutes dexteræ Excelsi: atqui par istud coniugalis virginitatis, aut virginei coniugij.

Origo ipsius causa quæ effi. cient.

Cuius innocentiæ vim & causam ibid. assignat Isaias: *Non nocebunt, & non occidēt* 1. quia sunt *in vniuerso Monte* Ecclesiæ *sancto meo.* 2. *Quia repleta est terra scientia Domini, sicut aquæ maris operientes.* Hæc virtus est in spiritu nouæ Ierusalem; & in noua castitatis gratia, prius incognita in vet. testamento.

Imitatores exempli noui.

II. In noua lege vox Turturis audita est Mat. 19. *Sũt Eunuchi nati, facti; & sunt Eunuchi qui seipsos castrauerunt propter regnum cœlorum.* Neq; id exp. præcepto; sed Consilio: Nam *qui potest capere, capiat.* Ac tametsi *non oēs capiant verbum hoc*; continuo tamen multis mens dextra fuit, q̄, Apoc. 14. *cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim erant. Hi sequebantur Agnum: Hi emti sunt ex hominibus primitiæ Deo, & Agno.*

Ecce primitias sic emtorum, primum Apostoli: qui relictis vxoribus, liberis, & omnibus, secuti sunt Agnum. 1. Vnde Tert. l. de Monoga. *Apostolos*, ait, *cum maritos non inuenio; aut spadones intelligā necesse est; aut Continentes.* 2. S. Hier. Epist. 50. ad Pammach. *Apostoli vel virgines, vel post nuptias Continentes fuerunt.* 3. Quid; quod Theologia doceat cum D. Th. 2. 2. q. 88. a. 4. ad 3. quod *Apostoli intelliguntur etiam voluisse pertinentia ad perfectionis statum, quando Christum relictis omnibus sunt secuti?* Platus da bono sta. Rel l. 2. c. 20. de hoc luculente. 4. Quid: quod Domino in cœlos assumto, 1. Cor. 9. *Cephas, fratres Domini, & cæteri Apostoli mulierem sororem circumduxerint?* At hoc in facto nouo præluxerat exemplum iis Iosephi ac Mariæ coniugum ac Virginum. 1. *Apostoli.*

Exinde idem iuit in exemplum adeo vulgariter, vt obstupescens dicat Tertul. lianus l. 1. ad vxorem. c. 6. *Quot sunt, qui consensu pari inter se matrimonii debitum tollunt? Voluntariis spadonibus pro cupiditate cœlesti, saluo matrimonio, Abstinentia toleratur; quanto magis ademto?* Hanc Abstinentiam appellat idem, l. de resurr. carnis c. 8. *honestam in occulto matrimonii dissimulationē.* Quodq; amplius, ait, l. de veland. Virg. c. 13. *Ex consensu Contumeliam communem iam recusauerunt* multi. 2. *Innumerique alii.*

III. In exemplorum copia, nonnulla e tiā illustria extitere. 1. tradit *S. Greg. Dial.* li. 4. c. 11. de Vrsino Nursiæ presbytero, q presbyteram suam amabat, vt sororem; deuitabat vero etiam, vt hostem; vt nec vel accedere ad se propius sineret. Iamque X L. ipsos annos cum ea sic vixerat; & febri delectus animam pene agebat. Vxor aũt propius ori applicabat iacen-

iacentis viuum inter ac mortuum, exploratura num spiritum duceret: & ecce vir sentiens, exclamat: abscede mulier: adhuc viuit igniculus; stipulam remoue. Dictoque citius inter astantes Petrum & Paulum Apostolos animam Deo resignat.

2. Haud scio num admirabilius sit, quod narrat *S. Gregor. Turon. libr. de gloria Confess. ca. 67, & 77. Surius tom. 3. die 24. Iunij.* de S. Simplicio Augusto dunensi Episcopo: qui & tecto eodem communiter cum vxore vtebatur; nec tamen alteruter quicquam tentabatur, quod cum populo incredibile iuxta & impossibile videretur, multumque obloqueretur; demum ipso Natali Domini palam tumultuans plebs in eum vociferabatur. Forte puella focum gerebat Ecce vxor eius, recti conscia, foci carbones viuos sinui suo infusos gerit vltra horã; nec ipsa, nec veste læsa: dein viro S. Simplicio ardentes in manus inque vestes infundit; qui item gerebat diu innoxius: Cũctis ab indignatione in admirationem pariter ac venerationem vtriusque coniugis versis.

3. De alio *Idem cap. 78.* refert Episcopo; qui solicitantem sæpius vxorem petulcam refutabat, fui negator constans. Id metienti ipsum pede suo vxori suspicionem mouebat: quod furtiua gauderet venere & aliena. Ergo noctu in cubile irrepit exploratrix; Episcopum dormire altum videt; sed & Agnellum ipsius incumbere pectori cernebat. Quo viso, curiositatem suam ac temeritatem ipsa vehementer arguebat, plurimum ædificata. Sed coniugalis hæc castitatis, non virginitatis Coniugum exempla esse dices.

IV. Iam igitur Virginitatis inter coniuges perenniter conseruatæ exempla suppetunt innumera. E multis vnum dabo, & eximium. Antiochiæ sub annum LXXX. teste *Metaphraste, Baron. in Martyrol. 9. Ian: & Surio to. 1. 9. Ian.* S. Iulianus, vtroque; instante parente vt Basilissam, parem ipsi stemmatis illustris generositate, duceret in vxorem; dierum decem petiuit deliberationem. Quib. in orationem incumbenti, Christus apparens aiebat: Age, fidenter parentib. obsequere: est parata tibi eiusdem futura tecum propositi sancti. nam ipse virginitatem amabat. Quæ prima nocte, celebratis rite nuptiis, conueniebant; Iulianus prior Deum precatus, thorum vt inibat; continuo mirifica variorum flosculorum fragrantia diuinitus spirabat, idque in media bruma. admiranti sponsæ sponsus ait: Non hic florum; sed virginitatis est odor; quæ si perinde chara tibi fuerit, vti mihi; mecum pariter angelico etiam consortio gaudere poteris. Nec difficile erat persuadere illi virginitatis propositum obseruandæ; quæ in promissum quoq; prompta ruebat. Vt ambo vouerent perpetuam virginitatem coniuges; ecce conclaue moueri totum, refulgere clarum, astareque Christum hinc; inde Deiparam, choris Cœlitum stipatos, diuinum concinentib. Hyminæum. Ille Iuliano, hæc Basilissæ coronam spondere; iungere ambos stabili fœdere virginitatis: simul æterna omnia sperare iubebant, Par tuis initiis vita est vtriusq; consecuta ad vsq; & miraculum sanctimoniæ; & salutem plurimorum. Similia, cui libuerit, reperiet apud *Surium t. 4. die 27. Aug.* de S. Aurelio & Natalia: *Apud Baron: to. 5. anno 415.* de S. Pulcheria & Martiano. *Item to.* 11. de S. Henrico Imperatore, & *S.* Kunegunde. *Apud Surium to. 1. die 5. Ian.* de *S.* Eduardo & Editha. *Apud Gregor. Turon. l. de gloria Conf. c.* 32. de duob. Romanis & alubi aliorum complura talia: quæ vnum omnia Iosephi ac Mariæ respectabant exemplum.

PARS

PARS II.

De Iosephi desponsatione historica relatio.

Desponsatur per sacerdotes. I. CVm esset desponsata: hoc ordine historico. *Greg. Nys. or. 1. de Nat. ex arcana historia*, ait, sacerdotes, obseruata virginis venerabili sanctitate, cognitoq; eius virginitatis voto, perplexi quid agerent: ne quid de sacro illo corpusculo statuentes peccarent in Deum; id viri tradendo potestati: consilium inierunt, perspectæ probitatis cognato Ioseph dandam desponsationi forte magis, quam nuptui: cum eam manere innuptam nefas esset ex lege: nec in templo retinere deceret sacerdotes. Ita & *Niceph. l. 1. c. 7.*

Sorte. *S. Germanus Episc. & Epiphan. hæresi 78.* dicunt sortem ita cecidisse super Mariam. Sortem fuisse ait *Autor. libr. de Natiuit. B. M. V.* quod vna inter omnes cognatorum virgulas virga Iosephi germinasset.

1. Ad suspicionem cauendam. Causæ Coniugij afferuntur à SS. PP. I. S. Ambros. lib. 2. in Lucam. *Desponsata*, ait, *Virgo, ne temeratæ Virginitatis adureretur infamia; cum grauis aluus corruptelæ videretur insigne præferre. Oportet enim sanctos & ab ijs bonum testimonium habere, qui foris sunt. Nec deerit sinistra virginibus opinione viuentibus velamen excusationis relinqui; quod infamata quoque mater Domini videretur.*

2. Ad cõsulendũ Christi honori. II. S. Bernard. Homil. 2. super Missus. *Tolerabilius, putari ad tempus, Christum de coniugio fuisse natum; quam de fornicatione.*

3. Virginitati cum matrimonio honorãda. III. S. Basilius homil. 25. de Christi generat. *Virgo erat, & Desponsata: vt & virginitas in honore haberetur; & Matrimonium propterea non improbaretur.*

4. Vt testis esset puritatis. IV. *Simul, Vt & Ioseph domesticus puritatis Mariæ testis esset.* S. Bernard. ibidem. 4. *A sponso virginitas comprobatur; & virginis famæ prouidetur. Illa fuit ratio desponsationis Mariæ; quæ dubitationis Thomæ. Hic palpando, resurrectionis Christi; ille conuersando pudicitiæ Mariæ factus est testis.*

5. Vt esset auxilio. V. S. Hieron. in 1. Matt. Theop. Orig. Vt in Aegyptum fugiens comitem haberet & solatium Virgo.

6. Diabolo fallendo. VI. S. Ignatius: *Vt partus diabolo celaretur.*

Ætas desponsatorũ. II. Aetatis erat virgo annorum XIV. Nam trimula præsentatur; XI. annis perstitit in templo: Sic communis.

De ætate Iosephi variant. 1. Damasc. Niceph. Epiph. octuagenarium fuisse putant; vt aptus custodiæ foret, non generationi: At si Virgo nõ exisset suspicionẽ.

2. Gerson & Abulensis, quinquagenarium. 3. Viguerius, iuuenem; aptum labori, solatioque Virgini. Iuxta Isai. 62. *Lætabitur sponsus super sponsam, & habitabit iuuenis cum virgine.*

Prætextus. III. Incarnationis Dominicæ velamen fuit hoc coniugium. Et hoc mirandum. At habuit typum: *Exod. 20.* velum ante sanctorum oppandi iussum ex hyacintho, purpura, cocco, byssoque. &c. quæ symbola virtutum erant variarum huius coniugij.

Matrimonium magnum fuit. Fuit magnum: 1. Quia. Inter magnos. Nec enim S. Virgine maius quid inter Diuos; nec Iosepho, inter homines.

2. Quia Dos coniugij maxima: Virtus pretiosior auro; Deique gratia dos vtrique fuit, & sanctitas, 3. Quia: Maxima matrimonij bona aderant: Proles: Fides, sacramentum: ait supra S. August.

4. Quia, Gemina floruit Virginitate.

5. Quia, Expers curæ fuit istius: 1. Cor. *Quæ nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro: & quomodo placeat vxori.*

6. Quia, vtrinque sanctitas, velut duo Pyrobi lucebant. Typus esto Rubus: Exod. 3. Quod Moysi, idem Iosepho? *Ne appropies huc; solue calceamentum de pedibus tuis: locus enim, in quo stas, terra sancta est.* Putatur itaque & S. Ioseph vouisse Deo virginitatem. Et nihilum addubito.

PARS III.

Quantum id Ioſepho erat; Virum Mariæ fuiſſe?

Ioſeph par eſt titulis cuicũque.

I. *IOſeph fili Dauid; noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* Magnus hic titulus viri eſt? Tituli ſunt Virtutum & dignitatis indices. At Ioſeph titulatur *Vir Mariæ*, & *Pater Chriſti nutritius*. 1. Vere Hebr. 1. *Tanto melior angelis effectus; quanto differentius præ illis nomen hæreditauit.* 2. Nec inanes putandi ſunt tituli, quos Deus indidit. Si enim Deus, 2. Cor. 3. *Idoneos fecit miniſtros noui teſtamenti*: certe & *idoneum* ſibi nutricium. Nam, vt bene S. Thom. in 2. Cor. 3. *Deus cuique rei dat ea, per quæ poſſit conſequi perfectionem ſuæ naturæ.*

Maior Ioanne Euangel.

Quid vero altius iſto: *Vir Mariæ?* 1. Magnum Ioannes; commendatam ſibi matrem accepiſſe in *ſuã?* At Ioſeph etiam in *Suam* accepit. 2. Vt torques aureus gemmatus ornat virum: ita Maria Ioſephum. 3. Gerſon. Serm. de Nat. Virg. *O Miranda Ioſeph ſublimitas tua, ô dignitas incomparabilis: vt Mater Dei, Regina cœli, Domina mundi appellare te Dominum non indignum putarit,*

Choris Angelorum maior.

Id vel inde mecum æſtimes velim. Inter choros Angelorum etſi alter altero ſuperior ſit: ſua tamen eſt inuicem proportio; vt comparari queant: At B. V. M. eſt adeo ſupra omnes choros, vt nulla ſit horum cum ea proportio, nec comparatio; ſolaque ipſa chorum totum efficiat ſingularem. Quantus ergo Ioſeph, qui in terris vt coniugium, ſic & chorum cũ ea fecit vnum.

Similis ſponſa.

Crede: ſi cordi Deo *facere adiutorium ſimile* Adæ: quanto magis, ſimile Mariæ? Haud enim paulo minus intererat. Ergo Mariæ ſimilis factus Ioſeph eſt. Et ea, ô qualis? 2. *Quomodo*, ait S. Bern. tom. 3. ſerm. de Ioſeph: *cogitare poteſt mens diſcreta, quod S. Spiritus tanta vnione, coniugii, vniret menti tantæ Virginis aliquam animam; niſi virtutum operatione ſimillimam. Vnde credo Ioſeph fuiſſe mundiſſimum in virginitate; profundiſſimum in humilitate: ardentiſſimum in charitate; altiſſimum in contemplatione.*

3. *Fidelis ſeruus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuæ Matris ſolatium: ſuæ carnis nutricium; ſolum denique in terris magni Conſilij coadiutorem.*

4. Quare ſicut S. Greg. Naz. orat. 11. de S. Gorgoniæ viro ait: *Vultis vno verbo deſcribam virum? Vir Gorgoniæ fuit.* Ita in hoc omnia: *Vir Mariæ* fuit Ioſeph.

Impetrauit ipſe omnia Maria.

Si S. Gorgonia putarit, ſe tantum ſemibaptizatam; quod vir nondum eſſet tinctus: reor & B. V. Mariam ratam, ſibi deeſſe; quod Ioſepho defuiſſet. Quodq; deerat, ſuis illi precibus id impetrabat Ipſa. Nam, ait S. Bern. *Cũ Virgo tot & tanta impetret peccatoribus; quanta putas impetrauerit chariſmata ſponſo?*

Profectus familiaritatis S. Virginis.

II. Iam ex familiari cohabitatione quæ non à Maria ad ſponſum tranſierunt? 1. Namque vel *Vua liueſcit ab vua*: Et, vt Cicero ait, *Sicut in ſole ambulans, nec ſentit ſe decolorari*: Ita Ioſeph mire profecit, vt nec ſenſerit, 2. Bene S. Bern. ſerm. 1. de Aſſumt. *Quod ſi paruuli, necdum nati, anima liquefacta eſt, vt Maria locuta eſt: quid putamus, quæ fuerit illa cœleſtium exultatio, cum & vocem audire, & videre faciem, & beata eius præſentia frui meruerunt?* At meruit item S. Ioſeph. *Quid ergo putamus?*

Examen ſponſæ.

3. Præſertim vt ait S. Bern. *Quia nouerat Virgo, quanta erat Vnitas matrimonialis in amore ſpirituali; & ſciebat Ioſeph ſibi à S. Spiritu datum ſponſum, cuſtodemque ſui, participem charitatis mutuæ, & curæ obſequioſæ: credo quod totius ex cordis affectu eum ſinceriſſime diligebat.*

Excellentia ſponſæ.

4. *Amplius: Cum omnia, quæ ſunt vxoris, ſint viri, credo quod B. Virgo totum theſaurum cordis ſui, quem Ioſeph recipere poterat, ei liberaliſſime exhibebat.*

Ruper-

Ex spiritu sponsa. Rupertus in 1. Matt. *O coniugium sanctũ, & cœleste? Vnus spiritus, & vna fides erat in eis; sola illic carnis corruptio desiuit.*

Ex qualitate sexus. *Si mulieris bonæ beatus vir*: Prou. 26. Si Eccl. 25. *Beatus vir, qui habitat cum muliere sensata*: Si Eccl. 26. *Mulier bona pars bona, & ea in parte timentium Deum dabitur viro pro factis bonis*: Si denique Prou. 19. *A Domino vxor prudens*: quis in terris vnquam beatior Iosepho? Deus ipsum Psalm. 76. *habitare fecit Vnius Moris in domo* cum *Maria*; quæ *optimam partem elegit.*

Beatus inde euasit. III. Fecerit Abrahæ risum Sara: *Gen.* 21. at Iosepho Maria gaudium beatum. 1. Illius vna salutatio domum totâ impleuit gratia; quid non familiaris conuersatio? 2. Certe 1. Cor. 7. *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem.* Imo, 1. Pet. 3. *Qui non credunt Verbo per mulierum bonam conuersationem lucrifiant.* Lucrifactus sanctificatus est Ioseph per Mariam.

Beatior ex Christo. 4. Adde conuictum Christi: Et si velis, adde Cœlum ipsum. Cœlum desideres, vbi Christus & Maria sunt præsentes?

1. Beatior Ioseph Prophetis, qui videre diem Domini desiderarunt; & non viderunt. 2. Beatior Simeone, qui semel dũtaxat vlnis amplexus est Ipsum: 3. Beatior Angelis, qui desiderabant videre faciem eius: Ioseph etiam conuescebatur, &c. Felix *lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum*, imo fontem vitæ ac paradisi, *quod dabit fructum in tempore suo, & solium eius non defluet.* Ps. 71.

Caput Mariæ ipse, officioq; maior, non gratia. Accedit, quod, Eph, 1. *Caput mulieris Vir*: Ideo Maria Iosepho obediebat, vt capiti: Ideo ipsi, vt capiti, reuelationes fiebant, de accipiendo eam coniugem, de fuga in Aegyptum, deque reditu. Non tamen ex hoc eũ Mariæ anteponas: Quia is propter hanc tantus erat: sicut Illa propter Christum tanta; nec maior filio, etsi Mater. Nam *propter quod vnumquodque est tale, illud magis est tale.*

PARS IV.

Quantus honor Iosepho, dici Patrem Christi?

Hoc nomine maior Ioanne est. I. *Ecce, Pater tuus*, opinione hominum, non generatione, *& ego*, &c. Altus hic titulus est, Patrẽ esse Altissimi. 1. Magnus ex hoc prædicatur; & iure, S. Ioannes Euang. q; dictum ei: *Ecce filius tuus.* At de Iosepho dictum, *Ecce pater tuus.* Vtrum maius, Filium esse, an Coniugem Virginis? Vtrum mirabilius; dici filium Virginis, an Patrem Christi?

2. Felicior Elisabetha. 2. Elisabetha exclamat: *Vnde hoc mihi vt veniat Mater Domini mei ad me?* Quoties Ioseph visitatus interiore gratia exclamarit: *Vnde hoc* &c. q; *Mater Domini*, & Dominus ipse veniat ad me? Vt matris Dei sim coniunx? Vt Pater Dei appeller? Vt Deus obediat mihi? *Erat* enim *subditus eis.*

3. Potentior Iosua. Mirum ad vocem Iosue, *c.* 10. stetisse solem, vt si Deus obediret ei: at mirabilius solem iustitiæ retrogressum cœloq; delapsum parere Iosepho. *Hæc subiectio*, ait Gerson in c. 2. Luc. *vt inæstimabilem notat humilitatem in Christo; ita dignitatem incomparabilem signat in Ioseph & Maria.*

1. Christo vicinior cunctis. II. Vidit Iacob Deum in cœlo, Scalæ gradui supremo innixum: *Gen.* 28. Ioseph est supremus in Genealogia gradus, ait *Rupertus in c.* 1. *Matt.* Ipsi, Dominus, vt tutori pupillus, innitebatur, & cum matre sustentabatur: ipsius in vlnis quiescebat vigilans ac dormiens.

2. Beatior Simeone. 2. Simeoni semel videre contigit, & amplecti puellum: felix? Felicior Ioseph, cui licuit id toties, cum libuit. Haud minus spiritu exultauit, in cantica prorumpens, quam Simeon.

3 Ioanne Euangelista. 3. Felix Ioannes q; semel ei recumbere datum super pectus Domini: Felicior Ioseph, in cuius sinu toties totus recubuit Dominus, & super Dominum ipse

vicissim. *Læua* Ioſephi *ſub capite* Chriſti, *& dextera* Chriſti *amplexabatur* Patrem C.2.

4. Sponſa. 4. Optabat Sponſa, Cant 8. *Quis mihi det te Fratrem meum, ſugentem vbera Matris meæ, vt inueniam te foris, & deoſculer te; & iã me nemo deſpiciat?* Optato, votoq; felicior Ioſeph *inuenit* eum *foris* in ſtabulo natũ, *& deoſculatus eſt* & eum quis *deſpiciat*: quis nõ beatũ prædicet? Primus vidit Sponſum è thalamo procedentẽ, primus adorauit; Manna guſtauit primus: primus ſolem vidit poſt noctem longiſſimam.

Ardebat ex Chriſto. III. Nunquid *poteſt homo abſcondere ignẽ in ſinu ſuo, vt veſtimenta ſua non ardeant?* Prou. 6. Tulit Ioſeph Ieſum, arſitq; amore Ieſu.

Fulgentior Moyſe. 1. *Moyſes.* Exo. 34. *ignorabat, quod cornuta eſſet facies ſua, ex conſortio ſermonis Domini* id eſt ſplendida: nec diu tamen cum Deo verſatus eſt. Quis Ioſephi ſplendor animæ, quis ardor erat, tam diu, taliterque cum Ieſu verſantis?

Beatus ex duorum conſortio. *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis*, Ioſeph & Maria? *Luc.* 10. Beatæ manus, quæ portant, quæ vos, &c. Nonvobis dicitur. *Noli me tangere.* Non interrogamini: *Quis me tetigit*, &c. *O venerandã*, exclamat Gerſon, *Trinitatem Ieſu, Mariæ, Ioſephi? Inuidebat terris tales habitatores cœlum, cœlo digniores.*

Domus eius hortus erat & cœlum. Vere, Cant. 2. *Hortus concluſus* ab profanorum oculis illa domus, vbi Agnus *inter lilia*, Mariam & Ioſephum, *paſcebatur*, ac paſcebat?

Domus ea cœlum erat, cœlans Deum in puello: Virginitatem in cõiugio; Virginem in matre; in patre ſeruum.

Ioſephum ſuperat Ioſephus. IV. Ioſeph, id eſt, Gen. 49. *Filius accreſcens*, vel vt Pagninus vertit, *vt ramus fructificans iuxta fontem*: iuxta Ieſum noſter Ioſeph quantum non creuit & fructificauit? Facto nomẽ ſuperauit. Felix lignũ vitæ ad fontem vitæ?

Bene comparat S. Bern ſerm. 2. S. Miſſus: 1. *Ioſepho illi data eſt intelligentia in myſteriis ſomniorum: noſtro datum eſt conſcium fieri cœleſtium ſacramentorum.* 2. *Ille frumentã ſeruauit, non ſibi; ſed omni populo: hic Panẽ viuum è cœlo ſeruandum accepit, tam ſibi, quã toti mundo?* 3. Illi ſubditi fuerunt Aegyptij; huic Ieſus & Maria. 4. Illum honorauit Pharao: hunc Dominus. 5. Illi Rex dedit, filiam Sacerdotis, vxorem: huic ſuam Matrem Deus. 6. Illius caſtitas effugit adulterium: Huius Virginitas cuſtos erat Marianæ Virginitatis. 7. Ille dictus Saluator mundi: hic Pater Ieſu. 8. Ille à fame Aegyptum: hic ab Herode liberauit Chriſtum. 9. Ille proculab ortu Domini adfuit: hic proxime abfuit. *Filius* igitur *accreſcens Ioſeph, & vt ramus fructificans.*

PARS V.

De eo, quod Ioſeph eſſet Vir iuſtus.

Iuſtus ab vtero, abſque peccatorum. & mã. 1. *Ioſeph cum eſſet vir iuſtus.* Et his vel ab vtero matris ſanctificatus: & porro ab omni peccato præſeruatus. Sic enim Gerſen orat. de Natiuit. B. V. in Conc. Conſtantienſi habita. 1. *Sicut decuit*, ait, *vt Virgo ſumma puritate niteret: ita decuit, vt haberet ſuo modo parem puriſſimum ſponſum, qui cum perpetua Virgine Virgo permaneret.* 2. *Vterq; regali progenie illuſtris:* 3. *Vterq; ſanctificationem in vtero recipiẽs.* 4. *Cum Maria, gratia plena, fomitem reprimente, manſit Ioſeph repletus gratia, peccatum mortale quodlibet ſuperante.*

Cubicularius Dei Maior domus Dei. Pædagogus Dei, Genet Dei. Atque ideo non Angelo, ſed Ioſepho credita fuit, ceu cubicolario Dei: cui aurea clauis eſſet data ad thalamum ſponſæ Dei. 2. Fuit Deo Maior domus, *quem conſtituit ſuper familiam ſuam.* 3. Fuit Deo Pædagogus Vnigeniti ſui. 4. Fuit Gener Dei. Ad quos honorum gradus cum aliquem eligunt Principes, multo vti conſilio conſueuerunt, Eccl. 7. *Trade filiam ſuam*

tuam viro sensato; & grande opus feceris.

Aliis idoneus à Deo factus. Alii vero reddere idoneum pro voto suo non possunt, quem ad talia legunt: at Deus, Psalm. 113. *Omnia, quæcunque voluit, fecit:* & Iosepho ad omnia sufficientiam suffecit. 1. Sicut Moysi ex pastore Duci facto, Exo. 7. *dedit os, & sapientiam:* Imo *constituit eum Deũ Pharaonis.* 2. Sicut Dauidi, *de post fætãtes* accepto, heroica omnia dedit, 2. Reg. 7. *Fecitq; illi nomen grande, iuxta nomen Magnorũ, qui sunt in terra.* 3. Sicut Baptistam in vtero sanctificauit: vt præcursor esset. 4. Sicut 2. Cor. 3. *Idoneos fecit ministros noui Testamenti* Apostolos. 5. Sicut Electæ in Matrem, Luc. 1. *fecit Dominus magna, qui potens est, & sanctum Nomen eius.* Ita Iosepho fecit.

Cherubinus fuit. II Vnde ipse Ioseph, considerans altitudinem misericordiæ Dei; *non satiabatur considerare diebus ac noctibus*, ait S. Augustinus. Vere Ioseph & Maria duo erant: *Exo.* 25. Cherubini mutuo respiciẽtes & sese, & propitiatorium Christum. Vt dicere posset vterque: Cant. 7. *Ego Dilecto meo: & ad me conuersio eius.* Alter in alterius amore ac desiderio absorptus hærebat: conuersi ad inuicem, ceu Heliotropium ad solem.

Typus præsignatus. Hinc splendor Iustitiæ veniebat & in Iosephum; & ex Iosepho. Par typis suis. 1. Adam Deus posuit principem paradisi: *vt custodiret, & operaretur eum* Genes. 2. inprimis lignum vitæ, Fontemque orbis irriguum vnicum Hæc cura fuit Iosephi verior: Vnde & magis *gloria & honore coronasti eum* Iesu.

2. Magnus Assuerus, *Esth.* 2. prouinciarum 127. Rex, totidemque Principum Dominus. 3. Magnus Iosue, *cap.* 10. qui voce solem stitit. Maior his Ioseph & Pater Domini Dominantium; & illius, Psal. 146. *qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat.* 4. Magnus Adam dans cuique nomen suum: At Ioseph *Vocauit nomen eius* Iesus.

Nunquam sat laudatus. III. Vere Ioseph *Iustus*: Vnde, Psalm. 47. *Secundum nomen tuum, ita & laus tua.* Nomen est, *Filius accrescens, ramus fructificans:* Laus eius; quod creuerit *de virtute in virtutem*, vsque in perfectum virum: vt, *qui perfectus est, perficeretur adhuc.*

Antecedẽtium sese perfectione donatus pandorus. Accepit namque perfectionem & antecedentium sanctorum; & præsentium: Innocentiam Abelis, Fidem Abrahæ, obedientiam Isaac, patientiam Iacob, castitatem Ioseph, misericordiam Dauid, mansuetudinem Moysis, &c. Ideo Gen. 49. *in vertice eius Nazarai inter fratres suos*, id est, perfectio omnium: Et Deut. 33. *Beniamin, amantissimus Domini, habitabit confidenter in eo quasi in thalamo sponsæ sola die vitæ morabitur: & inter humeros illius requiescet.*

2. Sequentium sese. Inde inter coætaneos ipse, Rom. 8. *accepit primitias spiritus*, etiam ante Apostolos ex tam domestica vita cum Iesu. 1. Sicut domus Obededom, 2. *Reg.* 6. repleta est benedictionibus ad præsentiam arcæ susceptæ. 2. Sicut Paulus raptus *audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* 3. Sicut Moyses resplenduit ex colloquio cum Deo. 4. Sicut Ioannes altitudinem Verbi hausit in accubitu super pectus Domini.

3. Præsentiũ sive æqualium. Nimirum, qui arborem inuenit in prædio suo; iure fructus eius colligit: At arbor vitæ Iesus est: B. Maria prædium Iosephi est: ergo ex arbore ea sibi fructus gratiarum proprios, plurimosque collegit: pariterque ex agro seu prædio, quod *gratia plenum* erat: vt *Ager, cui benedixit Dominus.*

IV. Quis tam vel cogitatione esse aut iniquus in Alumnum Iesum, aut finister in Nutricium eius Iosephum posset; vt suspicetur Fontem gratiæ Iesum quicquam negasse eorum Patri suo; quod abunde profundebat in Zachariam, E-

Iisabetham, Baptistam; Pastores, Magos, Simeonem; publicanos porro & peccatores; infirmos, arreptitios & obsessos. 2. Cui subditus iura omnia præstabat naturæ; dona illi gratiæ non affatim affudisset? 3. Ab cuius fide, & cura; amore, ac reuerentia fouebatur Alumnus: non illi gratitudine Filius; non gratia certasset Dominus; non gloria nunc omni cõmunicata illi respondere: Deus? 4. Qui asylum Matri sacrum erat; & tali, ac tantæ: vllum ipsi beneficium gratiæ subtraxisset Filius is, talis, ac tãtus? 5. Qui hostes obruit gratijs; præuenit amicos: patri nutricio vel in tantillo defuisset? Non patitur Christiana pietas, hæc in mentem vlli venire. Itaque *Pandorus* fuit Iosephus, id est, *Iustus*.

Quem, vt S. Bern. serm. 2. Missus ait, *tanquam alterum Dauid, Dominus inuenit secundum cor suum; cui tuto committeret secretissimum, & sacratissimum sui cordis arcanum: cui, tanquam alteri Dauid, incerta & occulta sapientiæ suæ manifestauit; & dedit illi non ignarum esse mysterij, quod nemo Principum huius sæculi cognouit.* Et hęc est vita æterna, cognoscere & Iesum Christum.

PARS VI.

De profectu Iosephi ex comitatu Christi.

Exemplo Christi profecere Apostoli.

I. *EXemplum dedi vobis.* Ioann. 13. Addit 1. Petrus, c. 2. *Vt sequamini vestigia eius:* memores omnium & imitatores, quæ Act. 1. *cœpit Iesus facere & docere, in omni tempore, quo intrauit & exiuit inter nos Dominus Iesus,* ait Petrus ante electionem Matthiæ; *incipiens à baptismate Ioannis, vsque in diem, qua assumtus est à nobis.*

Ab ipsis alij.

Atque ita quidem ex paucorum annorum exemplo Domini profecerunt Apostoli; vt vnus de omnibus affirmet, 2. Cor. 2. *Christi bonus odor sumus in Deo, in his qui salui fiunt; & in his, qui pereunt.* Nimirum ab exemplo Domini cunctis in exemplum euaserunt. Vt vnus diceret, 1. Cor. 11. *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Imo de tota Ecclesia inquit vere S. Bern. ser. 21. in Cant. *Habet sponsa imitatores sui; sicut & Ipsa est Christi.*

Plus cæt. Iosephi.

De S. Iosephi quid sentire par est? qui vt domesticus, vt familiaris, vt interior, vt continuus speculator, ac venerator, vitæ, factorum, dictorumq; Christi extitit, tot annis, inde ab infantia eius: qui primitias spiritus hausit: qui in Sole iustitiæ dies noctesque versabatur: qui Magistro intus S. Spiritu, & Filio Dei; foris hinc coniuge, inde Nato vtebatur. Idq; annis forte plus triginta.

Qui vel superuixit Christo.

Nam ex *S. Augustini* sententia, *Serm. 81. de Tempore*; Christum vidit, & planxit Crucifixum. Quippe quem in monte Garizin adorauit rediuiuum: Simul impleuit Iosephi illud somnium, *Genes.* 37. cum cæteris; quando Sol Maria, Luna Ioseph, & stellæ vndecim Apostoli Dominum adorarunt. Etsi dicant alij, diem clausisse suum Ioseph ante Iesu passionem.

Typus.

Vel sanctus vixit cum eo.

Quod vt vt fuerit: tam diu minimum sui superstes egit Alũni Ioseph nutricius, reor: donec succedentium illi piarum fœminarum liberalitas de suis facultatibus sustentare Dominum cœpit.

Irrigatus ab eo.

Interim Iesus, vt *fluuius Dorix* fœcundauit cœlestem Paradisum Iosephum; *Dedit* illi *irriguum superius* ex sese Fonte vitæ; & *irriguum inferius* ex S. Maria: Et Ipse *pascebatur* medius *inter lilia* Matris ac Nutricij.

Typus.

Voce & vita, & gratia.

Vnam audiuit vocem Domini Saulus; & factus est Paulus: vnam Petrus, cæterique vndecim; & facti sunt Apostoli sectatores Domini: vnam Zachæus; & factus est hospes Christi; vnam Magdalena; & fiebat pœnitentiaria, intima dein Christi: Potuit talia in peccatoribus vox vna Ie-

vna Iesu, qualia non valuit & voluit per omnem vitam in Nutricio Iusto? Hunc, nil dubito, factum *Vas electionis*; raptumque sæpius audisse, vidisse, *quæ non licet homini loqui*: quæque *nemo scit, nisi qui accepit*. Exempli viua vis viui quanta non est?

Exemplo Domini profecit Ioseph.

II. In sola memoria S. Augustini versabantur exempla Sanctorum: & hi ex mortuis viui efficiebantur ipsi: erantque ei carbones vastatores, qui frigidam eius mentem accendebant: erant & sagittæ acutæ, quæ animam amore vulnerabant, *lib. 9. Confess. c. 2.* In oculis Iusti quam vim habuit Vita ipsa Dei & hominis?

1. Saul spiritu Dei malo agitabatur, *1. Reg. 24.* Ad cytharam tamen Dauidis auditam respirabat cedente maligno. Ioseph plenus spiritu Dei optimo ad vocem Christi seipso melior indies euadebat.

2. Saul quantumuis efferatus *2. Reg. 26.* audita mitis Dauidis voce, miteſcebat accusator sui furoris, & prædicator iustitiæ Dauidis. Dixit cunctis Dominus, *Discite à me, quia mitis sum, humilis*: at prius id iam didicerat, & hoc amplius, ab eo suus Ioseph, mitior, humilior, patientior, maior, melior Dauide. 3. Nempe, *qui sanctus, sanctificabatur adhuc*: Vt, Eccles. 4. *Qui tangit picem inquinatur ab ea*: sic cum *sancto sanctus eris*; Quo sanctior Ioseph cum sanctissimo Iesu.

Item & Sponsa.

1. Dotem sanctitatis magnam attulit Ioseph ad S. Mariam coniugem suam: hanc in immensum fecit auctiorem, cõiunctam cum Dote sanctitatis Marianæ: Ex dono autem filij, quo non perfectionis ascendit?

Typus.

2. Vidit Ezechiel, *cap. 3.* animalium alas mutuo concutientes loqui: *Ala sua me percutit*, ait S. Greg. 24. Moral. cap. 6. *qui exemplo suo me accendit*: Vidit, Ioseph, audiuitq; Iesum & Mariam colloquentes, ac conuiuentes; colloquebatur, & conuiuebat ipse: mens eius, oculiq;, sensusq;, & omnia interiora exterioraque eius alis amborum diuinis percutiebantur; & ad ignem Seraphicum accendebantur. Hęc quis explicet fando? vel cogitando comprehendat nemo.

Præsertim in charitate profecit.

Non sic disertus euasit Ezechiel ex infante, carbonis viui tactu exara desumti: Sicut vel aspectu vno puelli, de cœlo viui, mulq; matris sinu recubi, Ioseph inarsit amore omnis boni; & splendore gratiæ colluccbat.

1. Ipse dixit: Luc. 12. *Ignem veni mittere super terram; & quid volo, nisi vt ardeat.* Nũc post Sponsam primus & proximus sensit Iosephus.

2. Qui ignis si arsit in ligno viridi peccatorum: quanto luculentius in arido, ab peccatis exsicco?

3. Suadebat Dominus, *Apoc. 3.* ab se emi aurum ignitum, hoc filius patri dedit dono probatissimum.

4. *Dives in omnes Dominus*; quanto ditior in domesticum, nutricium, iamq; ab initio Iustum Iosephum?

Morienti Iesu & Maria adfuerunt.

III. *Quantas*, ait S. Bern. *exhortationes, consolationes promissiones, illuminationes, inflammationes, & æternorum bonorum reuelationes recepit in transitu suo Ioseph à sanctiss. Sponsa sua, à dulcissimo Filio Dei Iesu, &c.* Nam Gerson opinatur, ante passionem Domini obiisse Iosephum. Itemque post resurrectionem Christi inter corpora Sanctorum, etiam Iosephum surrexisse, & cum Christo cœlos ascendisse: *non dubium*, inquit, *in anima: sed in corpore, nescio, Deus scit.*

Cũ corpore in cœlũ assumtus putatur.

S. Bernardus tamen ait: *Pie credendum est; non tamen asserẽdum: quod pius Filius Dei pari priuilegio decorauit suum putatiuum patrem; sicut suam sanctissimam matrem: At sic. ut illam assumsit in cœlum in corpore & anima: sic & Ioseph.*

Vt sicut

Probabiliter. *Vt sicut illa sancta familia, Christus, Virgo & Ioseph, in laboriosa vita; & amorosa gratia simul vixerunt in terris: sic inamorosa gloria nunc & corpore & anima regnet in cœlis, Iuxta regulam Apostoli, 2. Cor. 1. Sicut socij passionum estis, sic eritis & consolationis.*

In gloria vicinus Christo. De gloria eius cœlesti sic Gerson: *Cum dicat: Vbi sum ego, illic & minister meus erit, ille proximior videtur collocandus in cœlis: qui in ministerio fuit vicinior, & fidelior, post Mariam, tnuentus in terris* Iosephus, De eius

Exauditur facile dū orat pro nobis. patrocinio sic Gerson in Iosephina.

----Quanta, ô fiducia quanta est
Vis impetrandi? Quia, dum Vir, dum pater orat
Vxorem, & Natum, velut imperium reputatur.

PARS VII.

De Iosephina cogitatione dimittendi Virginem.

Ordo facti historicus. 1. IOseph *accepit Coniugem suam, & non cognoscebat eam*: accepit Angeli iussu. 1. Nam Iosepho desponsata est verbo de præsenti; non de futuro; ait Caiet. matrimonio rato. 2. Ipsaque Virgo tradita viro, habitans in domo Iosephi, salutatur ab Angelo sola noctu; tecto enim, non lecto communiter vtebantur.

3. Ab salutatione, id est, conceptione *confestim exurgens Maria iuit* ad Elisabethā sola, non comitante Iosepho, ignaro conceptionis. 4. Inde post tertium fere mensem reuersa, *inuenta est in vtero habens de spiritu Sancto.*

5. Ideo Ioseph Iustus, eam traducere per ora hominum nolens, voluit dimittere.

Cur? 1. An ex reuerentia; quod sciret eam de S. spiritu habere? 2. An ex metu; quod crimen suspicaretur? Difficilis hic responsio est, eaque duplex.

Cogitatio dimittendi Prior sententia, Origenis. *Virtutem* ait, *mysterii, & magnificum sacramentum in ea cognoscebat; cui approximare se indignum existimabat: ideo humilians se, quærebat se longe facere.* *Mariam orat esse metu reuerentiali.*

1. *Sicut & Petrus*, Luc. 5. *Recede à me Domine, quoniam ego peccator sum.* 2. *Vel, vt Centurio: Non sum dignus*, Matt. 8. *vt intres sub tectum meum.* 3. *Vel, vt Elisabeth: Vnde hoc mihi?* *Exempla similia.*

Consentit S. Basilius orat. de hum. generat. Domini. 1. *Talis nominari Vxoris maritus metuens: Et verens patefacere, quæ circa ipsam gesta erant.* 3. *Non abominatus Virginem, nec quod moleste tulerit.* 4. *Sed quod eam metuerit, vt S. Spiritu plenam.* Ita & Theophyl. & Bernardus.

Viguerius in Theol. Institutionib. c. 2. §. 9. addit: 45, Virginis vultum à conceptione effulsisse sanctitate. 5. Gerson orat. de Festo S. Iosephi instituto, ait B Virginem ex conceptionem aperuisse ante, quam abiret ad Elisabetham. *Causa cogitati.*

Altera sententia vult Iosephum mysterii prorsus ignarum fuisse. 1. Ideoque & de suspicione sinistra innoxium: informatum vero ab Angelo posuisse & timorem, & suspicionem. 2. *Deinde*, sententia prior dum tribuit Iosepho humilitatem; prudentiæ derogat. Nam scisse mysterium, & dimittere velle; parum esse prudens videtur. *Vel primo ex suspicione.*

3. Ita S. Chrysost. hom. 4. in Matth. Euthy. Niceph. Aug. serm. 16. de Verb. Dom. Cum illi esset *certa adulterij suspicio; mariti dolor non vindictam quæsiuit: voluit prodesse peccanti, nō punire: nec approbator flagitij fuit.*

4. S. Hieronymus censet mitius: *Ioseph sciens illius castitatem, & admirans quod euenerat, celat silentio, cuius mysterium nesciebat.*

5. Autor Oper. imperf. ait: *Quoniam auditio verborum Mariæ, & consideratio vitæ eius mala considerari de ea non sinebat Ioseph: Consideratio autem conceptionis non permittebat*

mittebat eum ad plenum bona æstimare de ea: & sic animus eius inter vtrasque partes fluctuabat, & tenere, & tradere eam non audebat: ob hoc necessaria ei reuelatio fuit.

Alioquin occulte eam dimisisset, nimirum vel ea relicta clam abeundo procul aliam in regionem: Vel dando ei libellum repudii Sic Abulensis.

Non ipsa tamen aperire mysterium voluit Ioseph; quod spe certa Deo fidens omnem ipsi dispositionem relinqueret.

Mysterium occultare incarnatum.

II. Multa hic miranda mihi veniunt: ex his mouenda aliqua. *Primo*: Mysterium Verbi, mundo incarnati; & tamen mundo cælati. Sicut Arca testamenti, *Exod.* 40. auro intus foris q; tecta, oppanso velo variegato tegebatur; ita B. Virginis Virginitas matrimonij velo cælabatur: & Conceptio, Virginis silentio. Hanc, Ioseph, si ex Ipsa sciebas; cur dimittere eam cogitabas? Si nesciebas; quid suspicabaris?

Audi Sponsam: Cant. 6. *Nigra sum*; id est, ait Rupertus; grauida inuenior: *sed formosa*; ab viginitate salua. *Nigra sum*, opinione male videntium: *formosa*, fide recte credentium. Nigram putat sponsus, & vult dimittere, *velut Agar* alteram cum filio eiicere: sed formosam me docebit custos Angelus. *Nolite me considerare, quod fusca sim*; coniugata quasi defiorata: quod grauida sim: *quia decolorauit me sol*, S.S. me obumbrauit.

Exemplo fugienda ostentationis.

Hoc tamen ipsum celabat omnes certe alios præter Elisabetham ac forte etiã Iosephum. Agar, *Gen.* 16. concepisse videns, despexit Dominam: Non sic Maria honore concepti filii intumuit; non sese ostentauit: sed cognatæ obsequium sese demisit.

Fuge pariter ostentationem monet S. Chrys. hom. 2. in Ioann. *Nam*, ait, *videns Moysis mater eum elegãtem*; Exo. 2. *abscõdit: sic tu, si quid, quod laudem mereatur: accepisti, absconde: ne per inanem gloriam corrumpatur. Intolerabilis quædam ebrietas est inanis gloria.* Ea Ophthalmodulia, id est, oculorum seruitus appellatur, *Col.* 3. Hoc fascinatus, ait Chrysostomus Homil. 17. in Roman. *quam multis est cognitus, tã multos habet dominos; omnibus seruire coactus.*

Sed expectanda diuina manifestationis.

Virgo tuam gloriam occultauit: at Deus orbi manifestauit. Idem & tibi 1. Cor. 4. *illuminabit abscondita tenebrarum & manifestabit consilia cordium: & tunc laus erit vnicuique à Deo*, Col. 3. *Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo; Cum autem apparuerit Christus Vita vestra; apparebitis & vos cum ipso in gloria.*

Etsi id post mortem modo fiat

Theophylactus in Col. 3. *Delituit margarita tantisper, dum in conchyli fuerit: simul ac vero id confractum fuerit, tum in gloria relucet. Sic & vos, quam diu in hoc corruptibili corpore estis, &c.*

Item exẽplo Inducta in Deum.

Adhæc silebat mysterium Virgo, quod fisa Deo, honoris tui curam ipsi resignasset. Sic 1. Pet. 5. *Omnem similitudinem vestrã proiicientes in eum: quoniam ipsi est cura de vobis.* Psalm. 45. *Iacta cogitatum tuum in Deum, & ipse te enutriet: & non dabit in æternum fluctuationem iusto.* Quia Psalm. 124. *Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion* eruntimmoti.

Adfore optulatorem.

Et ecce Angelum misit Deus, qui causam ageret Mariæ apud Iosephum. Psal. 30. *Saluasti me de necessitatibus meis; & statuisti in loco spatioso pedes meos*, Psalm. 4. *In tribulatione dilatasti mihi.* Ita S. Virgo quidem fidebat Deo.

Iustus angitur tentatione.

III. At Ioseph angebatur seu metu reuerentiali, siue suspicioso: in isto suæ indignitati, in hoc grauidæ honori volens consulere, dimittere beatissimam Virginem animus ipsi erat. Sed iusto intentatione posito prouidit Deus. Esse poterat occasio lapsus cum Virgine faciendi. In hac dicere anima potuisset:

Vadam post amatores meos: At respondit occurrens ei Deus. *Ego sepiam viam tuam spinis: &c. Quæret eos, & nō inueniet; & dicet; reuertar ad virum meum priorem*: Cum prodigo, *Luc.* 15. cuncta, quæ ei perditionis occasio fuerant, defecissent: dixit: *reuertar*. Misericordia Dei est subtrahere peccatoribus occasiones peccandi.

Sed in occasione peccādi seruatur à Deo.

Itemque, iustos in periculo conseruare. Vt Iosephum, *Gen.* 39. Susannam, *Dan.* 13. cōseruans in solicitatione vtriusq; periculosa tunc *fecit ventis pondus*, Iob. 28. lubricam naturæ fragilitatem sustentauit. Hæc virtus heroica est, meritiq; maximi, virtutem operari, cum deest occasio, impedimentaque circumstans constantia nutaret vel cogitatu carnis vllo: ecce Deus metum ei aliunde suboriri permisit de infamia virginis extitura, vel de sua indignitate. Quas inter cogitationes foras iacebat mens iusti, Sicut Daniel, *c.* 14. in lacu inter leones: Sicut, *Dan.* 3. tres pueri inter globos igneos: Sicut Ionas, *c.* 1. inter fluctus.

Ne Ioseph Iusti Aut tentationi medetur alia tē tatione.

Vel auxilio submisso.

Viam tamen inuenit ei Deus, fecitque ex tentatione prouentum. Angelus ei adest; vt Danieli Abacuc; pueris tribus angelus; Ionæ Deus: Petro in vndis Christ°: Iosepho annis tredecim in carcere ad. est liberator Deus, & vinctum educit ad honores. *Gen.* 41. Iacob post luctam cum angelo, ab ipso demum benedicitur. *Genes.* 31. Ita hic Ioseph ex nutatione sua confirmatur.

Oratio tamen necessaria tentato est.

In ea tamen nutatione mentis, dubio procul, orauit intense: Ps. 118. *Amputa opprobrium meum, quod suspicatus sum: quia iudicia tua iucunda.*

Atque ita in spe & silentio erat fortitudo eius, nolens grauidam traducere. Sicut, *Genes.* 30. nec putipharæam Ioseph: nec Iudices Susanna: *Dan.* 13. verum vterque siluerunt.

IN FESTO ANNVNCIATIONIS Deiparæ V. M.

Missus est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ.

Lucæ 1.

ABraham, *Genes.* 24. filio sponsam quęsiturus, seruorum ad id delegit prudentissimum, & honoratissimum. quo ponderis plus foret legationi. Ita Deus Angelorum præcipuum, in proxenetam Sponsæ sponsarum delegit.

Super quo nos

I. *De causis, & effectibus Incarnationis.*
II. *De Angelo Annunciante Incarnationem.*
III. *De Virgine, cui Annunciatio est facta.*
IV. *De Virgine conceptura.*
V. *De nascitura cum vno duplici Natura.*
VI. *De Responso Mariæ.*

PARS I.

De causis, & Effectibus Incarnationis.

Dei filium incarnari necesse fuit.

I. POstquam homo lapsus; & Deus fuit offensus grauiter: nulla hic re placabilis erat, nisi Filij Incarnatione peracta.

1. Vnde Ps. 35. *Sacrificium & oblationem noluisti: aures autem perfeciſti mihi. Holocaustum pro peccato non postulasti: tunc dixi: Ecce, venio.* scilicet Homo factus: *In capite libri*, de æterna rerum prouidentia, *scriptum est de me; vt facerem voluntatem tuam*; Homo factus, & Patiens. *Deus meus volui: & legem tuam in medio cordis mei.*

1. Ob implacabilitatem Patris.

2. Achab, 2. *Reg.* 22. vix decreuerat bellum aduersus Syriam, cum ecce habitum regium mutat cum plebeio. Ita ab æterno prænisso peccato, belloque contra inferos declarato, continuo necesse fuit Dei Filium incarnari, Dux hominum futurus.

2. Ob bellū infernale.

3. Ita

1. Ob diuinam prouidentiæ decretum.

3. Ita namq; & in mente Patris fuit Dei filius conceptus ; vt olim hominem indueret. Sicut, quam in conceptione mater sibi formam imprimit; eandem proles referre solet : Vt patuit *Gen.* 30. ex obiectu virgarum, ante oculos ouium, in conceptu virgis similes fœtus reddentium. Quare necesse fuit, vt ab æterno conceptus Dei filius, cum respectu ad incarnationem, homo tandem fieret, similis conceptioni primæ. Hinc demum Phil. 2. *Habitu inuentus est vt homo.*

4. Ob humanam impossibilitatem ad suas dotes Deo.

II. Neque pro peccato, quisquam alius erat satisfaciendo, præter hominem Deum. Sicut paralyticus ille, Matth. 9. *erat* 38. *annos habens in infirmitate, quia hominem non habebat*, à quo in probaticam ab Angelo motam inferretur. Talis humana natura erat, & Christus *magni consilij Angelus.*

5. Ad eam à peccato suscitandã.

Sunamitis, 4. *Reg.* 4. vt suus ipsi vnicus mortuus erat filius, Elisæum supplex orat auxilium, eum vt suscitet. Hic suum Giezi puerum mittit cum baculo. Quo is eum tangit; at non excitat. Venit Elisæus ipse : solus soli se applicat, & membris membra coaptans calefacit mortuum, reuocatque in vitam. Ita Natura humana, vnico suo Ada mortuo cum tota posteritate, ipsa Deum orat. Qui mittit Patriarchas, Prophetas, &c. excitatum illum, at nihil agunt. Deus solicitatur his ipse : Psalm. 142. *Inclina Domine cœlos tuos, & descende.* Exod. 4. *Mitte Domine, quem missurus es.* Venit Deus; seque homini adaptat, factus homo, hominis suscitator IESVS.

6. Ad redimendos morti deditos.

III. Mardochæo. *Esth.* 2. totique Israel fata vltima imminebant, ni Assuerus plebeiam Esthera elegisset sibi in Reginam, adeoque deamasset, vt eius precibus condonaret deditam neci gentem Iudæorum ; ac cædis antiquaret edictũ: honoraret Mardochæum : Amanum ageret in furcam. Continuo *Iudæis noua lux oriri visa, gaudium, honor, & tripudium.* Ita actum erat cum genere humano, ni humanam Deus acciuisset sibi Naturam, Diuinæ sociam ; hæcque illi culpam remisisset omnem, ac Satanam, eiectum orbe, ad inferos relegasset.

7. Ad profligandos hostes inferni, mũdi, carnis.

Quin etiam, qualis Codrus Rex Athen. cum omnem Atticam late belli vastaret clades ; consulto per legatos Delphico, oraculoq; reddito : tum Athenas vincere posse, si Rex acie oppetierit. Ergo hostis edicit, nemo Regi vim inferret: At Rex habitum mutat, vt gregarius irruit: cæditur: simul hostis vincitur, fugatur : teste *Val. Max. l. 5. c. 6. Iustin. l. 2.* Talis Dei Filius in acie pro nobis, *habitu* prius *inuentus vt homo.* Et facta est *in terra pax hominibus.* Matth. 2. ac deniq; *Consummatum est.* Matth. 27. Vt vere diceret, Luc. 24. *Pax vobis; nolite timere. Ego sum.*

8. Ad placandum Deum.

IV. Idem Ionæ historia repræsentat. Nauis tota periclitabatur : hic demum Ionas exclamat : *Tollite me, & mittite in mare: & cessabit mare à vobis.* Ion. 1. Ita quasi dormiens in Humanitate IESVS it obuiam capturis se, eijciturque ex humanis necatus. Et ira quieuit Patris, salusque Niniuitis ex prædicatione succedit.

9. Ad vitã nobis perẽnandam.

Ezechias Rex æger ad mortem, ab Isaia Propheta inuisitur; diciturque ei vitam annis XV. prorogatam esse. Res visa Regi citra fidem. Ergo fit fides per signum solis, gradibus X. reuoluti. Homo febri peccati originalis afflictus ad mortem, à multis viris Dei visitur, vitam pollicitantibus per signum Dei infra nouem choros Angelorum inter homines descensuri. Atq; ea causa *Missus est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ.*

PARS II.

De Angelo Annunciante.

Cur Angelus sit nuncius.

I. PRæsentis mysterij paranymphus Angelus fuit. 1. Quia ruinæ, mortisque pararius item cacangelus fuerat. 2. Vt, *vnde mors oriebatur, inde vita resurgeret.* 3. Hic Euam excitarat in perniciem. Ille Mariam in omnium salutem conciliat.

4. Vt ad Rebeccam, Isaaco sponsam quærendam, missus Eleezer ab Abraham, Gen. 24. Ita Gabriel ad Mariam dicens: *Aue gratia plena*, &c. O gratiam? Quanta, ex vna hac plena, redundas in omnes?

Et tam dispar ab aliis angelis.

Sed tu boni nuncii Angele, tuus docét aduentus & vox ista tua, quod non sis Angelus, qui *Gen.* 2. romphæa formidandus flammea paradisi aditū obseruabat. 2. Non, qui *Exo.* 12. Aegypti primogenitos mactabat. 3. Non, qui 4. *Reg* 18. exercitum Sennacherib delebat.

4. Non, qui, 2. *Regum* 14. cum gladio visebatur Dauidi. 5. Non, qui, *Gen.* 19. Pentapolim flammis absumsit. Sed Angelus pacis, *iis, qui longe* in limbo, *& iis qui prope* in terra, gentibus ac Iudæis. O gaudia vndique omnium!

Infamis humanitas cur adamata à Deo.

II. Sed quid amas, Christe, filiam Adæ, Naturam nostram, seruam Dominus? &c. Infamis est. Cuius maiores alij diluuio submersi: Alij in Babel confusi. Alij mari rubro submersi: Terra absorpti alij: Alij de cœlo exusti: aliter alij infames: quid inquam horum posthumam amas?

Quia sic voluit.

Samsonem parentibus, *Iud.* 14. ab Philistæa, ne duceret eam, auertere nitentibus, causam is aliam non affert iisdem, cur vellet eam; nisi quod amaret ipsam. Ita Iesus, etsi Deus, & Angeli dissuaderēt ei cum Philistæa nostra coniugium, ipse tamen, quia amat, adoptat. Ita & Dominus. Atage; amabo, Psal. 8. *Quid est homo, quod memor es eius, aut filius hominis, quoniã visitas eum?* Respondes Prou. 8. *Delictæ meæ esse cum filiis hominum.*

Qui finis Aduentus Iesu.

III. Eia, veni ergo vt Iacob ad tuos Esauitas. 1. *Inclina cœlos, & descende.* 2. Assuescepati humana Deus. 3. Baculo nixus crucis peregrinare fine domo in terra Chã. 4. Iordanis nostri aquas inuade pie Iosue, etsi intumescentes demergant te. 5. Pasce armenta ingrati idololatræ Labani. 6. Eius filias duc Liam triumphantis, & Rachaelem militantis Ecclesiæ. 7. Duabus stipatus gregum turmis occurre Esau, redique in patriam. *Gen.* 29.

8. Veni Dauid pastor: Contra Goliathã nemo audet: aude tu; namq; potes. Præmium erit filia Regis, Ecclesia. 1. *Reg.* 17.

PARS III.

De Virgine, cui Annunciatio est facta.

Præconia Mariæ præfigurata.

I. AVe, *Gratia plena*, prædestinata Dei Mater, cum Filio nascituro, homineque condendo: *tunc aderas cuncta componens.*

1. munita.

Plena: Nam 1. Turris es Dauid. *Cant.* 5. quam circa *mille clypei* virtutum, *& omnis armatura fortiũ.* 2. Salomonis es Lectulus, quem LX. *fortes circumsistunt*, imo Cherubini.

2. Custodita.

3. Sapientia contra calidum serpentem.

3. Dominus Sapientiæ, *Prou.* 9. septem fulta columnis donorum Spiritus.

4. Benedicta.

4. Tu *Benedicta inter mulieres*; imo homines vniuersos; qui cum maledicerentur, *Gen.* 2. Tu excipiebaris ea; de qua dicebatur: *Ipsa conteret caput tuum.*

5. Fortis.

5. Tu es illa, de qua Zorobabel asserebat; omnium fortissimum esse Mulieré. quãdo. 3. *Esd.* 2. tres Satrapæ disceptabãt, Quid esset fortissimum? 6. Te spectabat Sapiens, dum quærit: Pro. 31. *Mulierem fortem quis inueniet*, quæ ruinas nostras reparet?

In fœminis item præmonstrata.

II. Quot te illustres fœminæ præsignarant? 1. Iudith, *cap.* 10. expugnatrix Holofernis,

fernis, obsessæ Bethuliæ liberatrix.

2. Esther, *cap.7.* Assueri regina, seruatrix populi. 3. Rebecca, *Gen.25.* Isaaci à patre immolandi coniux.

Quare *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere domum patris tui; & concupiscet Rex decorem tuum.*

PARS IV.

De Virgine Concepturâ.

Prophetia similes Annunciationum.

I. ECce concipies, & paries filium. 1. Hæccine tua recognoscis verba Isaia? *Ecce*, inquis, *Virgo concipiet, & pariet filium.*

2. Eadem Angelus matri Samsonis, Iud.13. *Ecce concipies, & paries filium. Ille erit Nazaræus; & dabit initium liberationi populi Israel.* 3. *Paries filium*, non Alexandrum, vt Olympias, non Cæsarem, vt Aurelia, non Salomonem, vt Bethsabee. Sed Iesum.

Qualis sit Conceptura: Vt 1. Vellus. 2. Arca. 3. Cete. 4 Filia Pharaon.

1. O fœlix Vellus Gedeonis, quod es Tu, *Iud.6.* rore cœliplena! 2. O Arcam Noe, seruatricem omnium! *Gen.7.3.* Cœtus es in mari gratiarum eiectum cœlo Ionam ventre excipiens, *Ionæ secundo*, & *Augustin. Epistol.49.* 4. Tu filia Pharaonis, Moysen eiectum, inque fiscella vagientem suscipiens, *Exod.* 2. populi Ducem futurum, & pastorem.

Qualis conturbanda cū salutaretur.

II. Sedebat forte in conclaui Virgo, intenta cœlo, ruminans promissum Patribus factum, & expectationem Israel. Admirabunda, quænam quamque fœlix Messiæ futura Parens? Quam illi optaret famulari, vel vltima famularum? Quanta ea foret,

Quæ Diuum incedet Regina, Deique
Et Mater Coniuxque.

Hisce medius interuenit cogitationibus Angelus: datque salutatam in stuporem altiorem: vt diceret: *Quomodo fiet istud: quon. Vi. non cognosco?* 1. Virgo deuota sum Deo. 2. Et virginitatis custodem Iosephum habeo.

3. Similem illi, qui, *Gen.39.* Putipharæ se negabat. Quam is hanc, non magis ille me cognouit? 2. Non magis, quã Dauid puellã Sunamitidem Abisag. 3. *Reg.1.*

PARS V.

De nascitura in vno duplici Natura.

Figuræ de vnitate naturarũ duarum.

QVare *Quomodo fiet?* 1. Sicut factum, *Exo.3.* vt arderet Rubꝰ incombustus in deserto. Erit Deus in homine, vt ignis in Rubo: Nec ignis tamen rubum vertebat in ignem, sed igneum. 2. Sicut Rebecca gemellos enixa est, hunc læuem, pilosum illum: *Gen.25.* ita tu Deum misericordem, & hominem miserum.

3. Sicut è Bethulia. (quæ nunquam ab hoste capta fuit:) *Iudith*, 10. duæ sunt egressæ mulieres, Iuditha cum famula: ita ex te naturæ duæ, hæc hera, illa assecla. *Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei!*

4. Sicut duo exploratores à Iosue egressi, *Iosue* 20. in domo Raab absconditi latuere; perque fenestram, non ianuam cõsuetam dimissi sunt trans murũ pctrũ nostrorum; postea euersum Dei manu, ad clangorem tubarum prædicationis *Ios.6.* Ita Deus & homo Iesus &c.

5. Sicut, *Num.13.* ex duodecim missis ad terram benedictam cognoscendam, reuersi duo in vecte vna portantes botrum: Ita duæ naturæ, merito Redemtionis onustæ, ex te ad homines redibũt. 6. Sicut ex Arca Noe coruus & colũba euolarunt, ille mortuaria consectans, hæc ramum oliuæ. *Gen.* 8. Et ex te exibit natura mortem passura, vti maledictum, & Agnus sufferens peccata mundi: Exibitque alia semper virens misericordia.

7. Sicut duo Cherub Propitiatorium, auro incrustatum, alis regebant, sese respectantes. *Exod.25.* Illa *Verbum Caro factum*, &c. 8. Sicut Samaritanus duos protulit denarios, in medelam sauciati. Ita

ex te naturæ duæ, ad noſtram redemptionem proficiſcuntur.

Hæreſes de earum qualitate.

II. *Quomodo fiet iſtud?* Neſtorius dicet: Naturas duas accidentaliter vniendas fore. Eutyches & Dioſcorus: eas inuicé fore in ſeſe commutandas. Pro blaſphemias: Arius: Fore diuinam naturam Deo Patre minorem. Sed impie *mentitur iniquitas ſibi.*

Modus vnitatis.

Vere ſic. 1. Velut tres perſonæ in vna Deitate, ita naturæ duæ in vna perſona Chriſti. 2. Sicut Scalenus figura mathematica triangularis; cui latera duo inæqualia, ſed eadem eſt baſis: Ita in Ieſu inæquales naturæ duæ: ſed vna hypoſtaſis.

III. *Ne timeas Maria*, falſitatem, vera affero ab Deo. 2. *Ne timeas* peccatum originale, actuale, veniale: non doloreſ partus: Paries vt Sara Iſaacum ridens. Naſcetur ex te ridens, vt Zoroaſtes Rex Bactrianorum. *Ne timeas* Virginitati: Nam *Spiritus S. ſuperueniet in te.*

Iulius Cæſar in cimba tranſmittens rapide pontum; orta ſæua tempeſtate vectori deſperanti ait: *Ne timeas: Cæſarem vehis, & fortunam eius.* Et timeres ab Meſſia virgo?

PARS VI.

De Reſponſo Mariæ.

Pondus & neceſſitas reſponſi.

I. VErum, ſat multa Angelus: Reſponſum expectat à te, Virgo; quod referat Domino. Ecce noſtræ tibi redemtionis oblatum eſt pretium: ſi annueris; nos redemeris. 1. Hoc eſt illud, quod expulſi paradiſo debebant; & ſoluendo non erant. 2. Quod votis tot expetitum eſt diu. 3. Quod Iſrael, quod limbus, quod Angeli; quod ruina cœli expectat vnice vnicum. 4. Abs te Eſthera pendet Mardochæus, id eſt, ſtatus omnis humanus. Ab vna oris tui voce dependent omnia. Loquere Virgo, & viuet homo.

Angeli abſceſſus.

Ecce Ancilla Domini: Fiat mihi ſecundum verbum tuum. O vocem! O Angele, ocyus auola: Habes, quod vel Deus optet. Expectat Deus, ſtant Angeli, patent cœli. Age, auola ocyus.

Reſponſi figura.

II. At Tu, ô ter & amplius Beata Virgo, nunc abſorpta Deo, Deoque plena: recognoſco in te Abigailem, quæ ab Dauide in vxorem petita, ait proſtrata: *Ancilla Domini mei* 1. Reg. 10.

Et præcellentia.

1. Beata vox! Dixiſti; & nuptias confeciſti, ô quales? 2. Figuras & Prophetias compleſti, ô quot, & quantas?

3. Orbis eſt debitor tuus, & omnis retro ætas, poſteritaſque omnis. 4. Superaſti etiam vota Prophetarum: Obruiſti mala protoplaſtarum: Demerſiſti maledictiones diluuio gratiarum. 5. Viciſti cœlos: Superaſti Angelos: ad Deum acceſſiſti. O ter optima Virgo: & Deo proxima ter Maximo! 6. Hic ad Te, ad Vocem hanc tuam ſiſtuntur vota & ſuſpiria omnia.

Effectus tuus Incarnatio Ieſu.

III. Hic paruus ille lapillus de montibus æternis in Vterum delapſus tuum, abſque humano opere in quantum excreſcet olim? *Dan.* 4. 2. Vere *Nouus creauit Deus ſuper terram, Mulier circumdediſti virum*, à viro intacta. Ierem. 31.

Et Maria æſtimatio.

Tua quis exprimat, quis mente æſtimet merita: *O pulcra vt luna, electa vt Sol?* Cantic. 6. Quin pulchrior vtroque, Nec enim paſſa vnquam deliquium es. *Aue Maria gratia plena, Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus: Et benedictus fructus ventris tui Ieſus Chriſtus. Sancta M. M. D. ora pro nobis n. & in h. m. n.*

Amen.

FERIA

FERIA II. PASCHATIS.

Duo ex discipulis ibant ipsa die in Castellum, quod erat in spatio stadiorum LX. ab Ierusalem, nomine Emaus. Lucæ 24.

NEuter Tobias, *Tob.* 12. Angelum peregrinationis comitem, quantumuis confabulati multis, & conuersati, noscitare tamen quibat ante; quam confectis omnibus pararet abitum Raphael, ac valedicens dispareret. Simile hodiernis duobus euenit.

Nos super isto

I. *De humanæ vitæ miseria.*
II. *De Magistro sese Discipulis associante.*
III. *De peregrinatione Christi, & cuiusque Christiani.*
IV. *De perpessorum malorum amnistia.*

PARS I.

De humanæ vitæ miseria.

Humana vita est 1. Flebilis. 2. Misera. 3. Corruptibilis.

I. HEraclitus Philosophus humanas ærumnas assidue considerabat; simul & irremisse deflebat. 2. Neque Iob secius, Ecce considerantem: *Homo*, ait, *natus de muliere, breui viuens tempore, multis repletur miseriis.* Ecce flentem: *Tædet animam meam vitæ meæ.* 3. Et quem non tæderet viuere, quem omnia nituntur corrumpere, penitusque destruere? Cœlorum influxus corpora nostra afficiunt, variantque Passiones: elementa valetudinem; animalia infestant vbi possunt: quin *homo homini est lupus.*

Dementes sunt qui ipsius plus amantes. 1. Quia misera est ipsa. 2. Amara est.

1. Stolidos fuisse censemus Hebræos; quod maluerint in Aegypto miseri, quã in terra promissa viuere ab fœlici rerum omnium copia beati. Dementiores ij, qui mundum, illa deteriorem, sic deamant, vt frigide, & vix raro ad superna adspirent. 2. Heu, insueti malis ac indurati, meliora vel nesciunt, vel non credunt: aut seipsos tacite desperant. Itan' amara præ dulcibus, præ bonis mala amantur, & optantur?

3. Mors est

3. Cætera sileo: vel ipsa vita hæc, quid, nisi mera est mortalitas? Bene Seneca! *Vita hominis nunquam acciperetur; si sapientibus daretur.* 4. Obæratorum, vita decedentium, relictam adire hæreditatem timemus. Et vita nostra quid obęratius? Debita est miserijs, quin animam debet. Et suis nos debitis cum obruat, adhuc amamus ipsam?

4. Serua est miseriarũ.

5. Fugitiuaque.

5. Et ipsam fugitiuam? Nam *velut flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra.*

6. Et tamẽ quasi stataria.

6. Solis cursui similis. Is stare videtur: & ita tamen fugit, vt qualibet hora viginti millia milliarium decurrat; testib. Philosophis. Sic vita: Adeo, vt vix ea cucurrisse sentiatur prius, quam cum ad sepulcrum peruentum est.

7. Mendax est.

Recte S. Greg. in Regist. eam nauiganti confert: qui in naui residens arbores, cæteraque foris moueri putat; cum ipse sit, non illa, qui mouetur. Ita vita fugax, & mendax 8. Ephemerus animalculum *8. Diaria.* est die non amplius vno viuens: & tamen eo tam solicite victum conquiritat, vt si foret coruo viuacior, qui sæcula quina superuiuit. Ita homo. Cum igitur Ephemeros; tum & nos ridemus, stultitiæque arguimus.

Vita flenda: mors gratulãda.

II. Ethnici Spartiatę sapientiores nobis. Hi atrati ibant, lugentum cultu ipso vitam flebilem professi: At quibus vel ab senio, aut aliunde spes fiebat mortis propediem adeundæ, hi sese colebant vestitu lautiores. Nimirum emensi miseriam, se ad fœlicitatis ingressum comparabant.

Vna fœlicitas vitæ eius est brevitas.

2. Simile Thracibus vsu veniebat, natos fletu excipientibus: cantu, plausuque mortuos prosequentib. 3. Idem bruta nos monent. Cygnus vitam muto cum mœrore

mœrore exigit: at vicinus morti lætum occinit, *vda proiectus in herba.*

4. Idem sors docuit Iudæos; qui, Babylonica pressi captiuitate, suspenderunt organa sua plangentes, Psal. 16. *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* At contraria omnia cosmophili in mundana Babylone, tam infami ab tot, tantisque miseriis; quæ alibi vndique exclusæ, in hunc orbem redactæ, & compactæ videntur. Inter quas istud fœlicitatis est nobis, quod hic viatores agam⁹, non incolæ.

Vt hi duo mœsti in via: at in termino apertis oculis iam primum sibi viuere, videbantur.

PARS II.

De Magistro se Discipulis associante.

Iesus colligit dispersos.

I. IBant isti, talia confabulantes; subibatque nesciis Dominus, & viæ socium sese dabat. Qualis Dux, cæso fugatoque exercitu suo, palantes, aut latitantes colligit, reparat vires, viros, ac animos, credentes ab hostibus stetisse victoriam: quos ille secus informat, increpat; & victoribus aggregat. Ita Dominus dispersos, &c. Ecce hos è fuga retrahit; de victoria edocet: Errantem quærit Magdalenam: Marias tres ad Apostolos redire compellit. Petrum insequitur. Apostolis se offert, fideique ad castra reducit. *Pax vobis* ait.

Matri apparet primum.

Ante omnes Matri fœlicitatem ex Filio gratulatur. Vt Sol iuga mõtium afflat primum; dein colles, vallesque luce perfundit. At B. Virgo erat, Isa. 2. *Mons in vertice montium.* Psalm 67. *Mons pinguis, mons, in quo beneplacitum est habitare Deo.* Apostoli colles erant: de quibus Psal. 56. *Fundamenta eius in montibus sanctis.* Valles erant discipuli hi. Vt reuiuiscunt luce prima tacti? *Nonne cor nostrum ardens erat in via?*

Qui duo hi:

II. At, qui vos, & vnde domo? qui nomine? Vnus est Cleophas, pater Apostolorum trium Iudæ Thadæi, Simonis, & Iacobi minoris: ac Iosephi Iusti de LXX. discipulis. Alter anonymus est. 1. S. Gregor. Magnus, Niceph. Theophyl. Epiphan. & communis opinatur, Lucam Euangelistam fuisse. 2. S. Hier. tamen illi Dominum in carne visum fuisse negat, ex istis, Act. 1. *Sicut tradiderũt nobis, qui ab initio suis oculis viderunt, & ministri fuerũt sermonis.* At S. Lucas fuerit ex postremo vocatis, non ex primis.

Cur his se iungit.

Sed cur his adiungis te: non mulieribus? 1. An quod hæ aromatibus onustæ quærũt te, fugiunt isti? Exclamat August. *Vere Domine, maiori semper occurris necessitati!* 2. Vt cor lateri adest infirmiori sinistro: Et ipsi, pauore palpitanti, sanguis affluit opitulaturus. Ita Dominus, relictis cæteris, hos defectos fide, spe quoq; destituendos adiutat.

1. Quia fugitiuis.

2. Infirmiores.

3. Passi memores.

3. Deinde horũ esse socius amat; quorum sermo erat de Passo, in via; quamuis ab errore culpandus.

Istius quæ vis & dignitas.

III. O Vim miram memoriæ de Passo Iesu! Sed mirabilior bonitas Dei, eam indignam ex se, dignam tamen propter Filium æstimantis, cui gratia fieret, essetque & meritum.

At vero mirabilissima Passionis pia memoria, tu quanta potes? 1. Amorem suscitas: humilitatem inspiras: superbiã suffocas: carnis delicias effugas. 2. Vt Christianus sit talis, qualis Castrensis Vrias, 2. *Regum* 11. cui suadente Dauide cõmoda, is aiebat: *Arca Dei & Israel, & Iuda habitant in Papilionibus: & Dominus meus Ioab, & serui Domini mei super faciem terræ manent: & ego ingrediar domum meam vt cõedam, & bibam, & cubem cum vxore mea?* Ita Dominicæ Passionis commentator ait, & agit compatiens Passo, fortis aspernator voluptatum.

Imitanda est exemplo.

3. Dauid; 2. *Regum* 15. nudus, & vdus fletu,

fletu, Absalonem fugiebat, torrentem transiens; prosequentibus eum pari cum luctu proceribus. Et quisquam Christianum Passum intueri, aut prosequi nolet? aut poterit sine luctu? sine odio sui? sine demissione animi?

Memoria passionis valet cõtra fraudes dæmonis.

IV. Est illa recordatio vis inuicta aduersus Satanæ technas. 1. Sicut Daniel sparsis in fano Bel cineribus aperuit Beli mentitam diuinitatem. *Dan.* 14. Ita Cineres Iesu, id est, Passi memoria, in anima sparsi dolos mundi, carnis, dæmonisque reuelant. 2. Iussit, *Ezech.* 9. Deus omnes occidi, qui *Tau* signo signati non forent. Væ, quibus non fuerit Passionis signum in mente, vel fronte, vel manu.

Seruat à malo.

Sermo bonus est efficax.

Si aliud non accidat his malum, at isthoc est, quod iis in via vitæ se non iungat Iesus, qui eius immemores degunt: qui de sordibus, de poculis, fabulisque loquuntur. Non cum his ambulat; qui non cum, & in ipso, vera via, ambulans. Quod si etiam ob verba se istis adiunxit; quid non ob opera faciet sancta.

PARS III.

De peregrinatione Christi, & cuiusque Christiani.

Christi peregrinatio.

I. Qui sunt isti sermones, &c. *Tu solus peregrinus es?* Quid hominis es? Nescis vnus quod omnes sciunt? Nescis potentem *in opere, & sermone.* In opere; quia mortuos, cæcos, leprosos, &c. curauit. Et in sermone: Nam Ioan. 7. *Nunquam homo sic locutus est.* Rupes Orpheus traxerit: at iste peccatrices, publicanos, piscatores, hostes, sedauit ventos & maria. &c. Milites in horto prostrauit verbo; tremefecit orbem, petras rupit. &c. *Tu solus peregrinus hæc ignoras?*

Peregrinatio eius de.

Et tu ignoras, Cleopha, te dicere verum. 1. Peregrinus Iesus à cœlo hic exul, ob delicta nostra. Vnde ipse de se Io. 7. *Vos de deorsum estis: ego de supernis.*

2. Ipse ab æterno, Psalm. 131. *Votum vouit Deo Iacob*, se hic peregrinaturum tot annis, tali cultu, sorte, via, modo: *donec inueniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob.* 3. Ecce vias *A summo cœlo egressio eius* ad præsepe in Bethlehem, inde in Aegyptũ, hinc in Nazaret; porro in desertum; tum in Caluariæ Crucem; denique in sepulchrum. Nec singula tantum loca percurrit; sed qualia egit, ac pertulit in præsepio? &c. De viis istis sic Bernard. homil. 29. de Ascens. *Vultis eius saltus agnoscere fratres? De cœlo venit in Vterum: de vtero in præsæpe: de præsepio in Crucem: de Cruce in sepulcrum: de sepulcro rediit in cœlum.*

Eaque votiua.

Soluisti votum, IESV: *tentatus*, & peregrinatus *per omnia* es: nec in fera tibi inuia. Ad ea q te penetrasti? Dicis Iere. 12. *Dimisi domum meam*, corporis: *reliqui hæreditatem meam*, discipulos, ac vitam; *dedi dilectam animam meam. Nunquid auis discolor hæreditas mea mihi. Nunquid tincta per totum: Venite, congregamini omnes bestiæ terræ.*

Et cõplet.

Homo est peregrinus.

II. Tu peregrinus es, Cleopha. 1. An nescis, Hebr. 13. quod *non habemus hic ciuitatem permanentem: sed futuram inquirimus.* 2. Audi Ps. 32. *Aduena ego sum, & peregrinus, sicut omnes patres mei.* 3. Recordare: primum, qui vrbem condidit, Cain fuisse. Ac forte ob id cœlo excidit: 4. Quid? Apoc. 2. *Væ, væ habitantibus in terra?* Quia merum hic exilium est. Quod quanto est peregrinatione miserius? Nam id pœnæ, hæc voluntariæ religionis est.

5. Quocirca ethnicus Philosophus Anaxagoras, teste Laertio: ob hæreditatem in ius vocatus; maluit iure suo cedere; quam lege agere, & ob fluxa contendere; quæ casus forte subditus queat interuertere. Cognatis eum ob hoc increpantibus ait, digito in cœlum intento: *Illa patria mea est: illa hæreditas mea. Illam ego curo: non ea, quæ super terram.*

PARS IV.

De perpessorum malorum amnistia.

Malorum oblivio præ amore nimio.

I. ET quæ? quærit Dominus. Quid? Tune oblitus est talia? Tot? Tanta? *Quæ* O flagrantiam charitatis immensæ! Hęc omnia absumsit præterita: nihil de sacrificio pœnarum, iniuriarumq; reliquum fecit. Vere, *Aquæ multæ non potuerunt extinguere eam.* 2. Ipsa tanta fuit, vt vel corpus suum perrumpens erumperet: Sicut si detractus cœlo ignis antro terræ coerceretur, viam vi sibi faceret prius, quam pressus acquiesceret. O ardor amoris, cui nullus nocuit algor Passionis?

3. Plane, vt sol, quo in meridiem eleuatior, hoc & flagrantior est: ita Iesus, quo in cruce altior, hoc magis ardet amans. Ardet, & quærit amatos.

4. Nimirum is motus amoris ei naturalis erat; ideo in fine vehementior. Nam violenti principio sunt concitatiores; remissiores in fine: & ne cessent, impulsu opus habent. Isto nos egemus, quos & actiue, & passiue esse violentos oportet. Domine, vim patiar.

Præque gloria resurrectionis.

II. *Quæ?* Quæris: Quia resurgentis gloria præteritorum amnistiam attulerat, dolorem deterserat, ablataq; plus millecuplo reddiderat. Vsque adeo *non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Rom. 8.

Sic & Diuis est.

Et Martyres, similia passi, Confessoresque quærunt: *Quæ?* Itan' Stephane non meministi lapidum? Non detractæ pellis, Bartholomæe? Non crucis Andrea? &c. Et tu recordabere, vindex etiã; quæ frater tuus in te asperior dixit, aut egit?

E contra damnatis.

Ita damnatis nulla est memoria voluptatum præteritarum, opum, honorum, &c. 1. Fatere Cæsar, Alexander, Cicero, Homere, &c. Sap. 3. *Quid profuit nobis superbia? Diuitiarum iactantia quid contulit nobis. Transierunt omnia velut vmbra.*

2. Immemorem præteritorum Epulonem, petentemque guttulam, monet Abraham, Luc. 16. *Recordare fili*: etiam ad pœnam: sique possis, *quia recepisti bona in vita tua.*

3. Euenit istis, quod Aegyptiis, *Genes.* 40. quos superuenientes anni sterilitatis coegerunt obliuisci priorum septem annorum fertilitatis. Sed quid ad hos septem anni æternæ damnationis?

III. *Vir erat potens*, inquit. O misera cymba, fractus tibi fidei est malus; anchora spei amissa est. Nam, *sperabamus*, aiunt. *Vir*: Quid? Nescitis, an non agnoscitis eius Diuinitatem? *Potens* opere, & virtute, vt Deus: Sermone, & doctrina, vt homo. Vt Sol, habens lumen, & calorem. Vt bombarda, instructa puluere, & globo; sonans, & effringens. Sperate, credite: *quoniam ecce, ipse adsum, qui loquor vobis.*

FERIA III. POST PASCHA.

Stetit Iesus *in medio discipulorum suorum: & dixit eis: Pax vobis.* Luc. vlt.

ANgelo, *Tob.* 12. manifestante sese Tobiis duobus; quod vnus esset de septem assistentibus Domino, consternati in faciem corruerint proni. Quibus Raphael: *Ego sum*, ait; *nolite timere.* Et Christo sese manifestante Discipulis, vt Deum verum ac viuum agnoscerent: perculsis ait: *Pax vobis: ego sum.*

Circa quod nos

I. De cœlo laboribus inuadendo.
II. De stante in medio.
III. De imprecante pacem.
IV. De voce Ego sum.

PARS

PARS I.

Labore Cœlum inuaditur.

Si honor politicus, quo plus diuinus labore parandus est.

I. CIcero fratri Q. Ciceroni Consulatum petenti sic scribit: *Attende tibi frater: Peregrinus es: Roma est: Consulatum petis.* q. d. Nil Arpinati cum Romano: præ Roma vrbs nulla: præ consulatu honor nullus. Ita Christiano dixerim: *peregrinus: Cœlum est: Beatitudinem petis.* Singula vim habent, ac diuersitatem. Ad eam vt emergas, hoc laboris opus. 1. Nam, 2. Tim. 2. *Nemo coronabitur nisi qui legitime certauerit.* 2. In cœlum fit via vi; Matt. 11. & *violenti rapiunt illud.* 3. Hinc Ethnicis Dii plerique armati pingebantur: vt quibus diuinitas acquisita fuerit heroico nisu. Nã *virtus in arduis* cernitur.

Exemplũ facti.

4. Extincto Romulo, Rege primo Romanorum ac conditore, incertis Romanis, vi discerptus periisset, an diuiniore morte fugisset humana: ecce proditeques, & affirmat: sibi armatum, homine augustiorem, visum fuisse Romulum in cœlos subuehi: iussisseque se pro Deo coli. Finxit is: nil fingo: Cœlum armis acquiritur, *& vim patitur*, Matt. 11. *Diique laboribus omnia vendunt*: canit Hesiodus in Theogenia.

Figura facti.

II. Non ante Saulis filiam meretur coniugem Dauid, quam manus cum Goliath victor conseruisset. 1. *Reg.* 7. Nobis Satan, mundus, caro deuincenda sunt. Est namque prius *vita hominis militia super Terram*: Iob. 7 quam inter superos beata coronetur.

2. Iacobo, *Ge.* 29. merenti annis 7. datur Lyia: iterumque 7. aliis, datur formosa Rachel. Nobis, vt promissa est cœli gloria: at *non est mollis ad astra via*: Suntq; *Arduа, quæpulcra.* Laborandum est prius pro Gratia: dein *Gloriam dat Dominus.* Psalm. 83.

3. Ioseph, *Gen.* 40. quãta perpessus ante, quam eueheretur? venditus seruus: accusatus vt maleficus tulit omnia, iniurias, carceres, aliaque non ferenda. *Vicit gaudens patientia duris?* Ita *per multas tribulationes oportet introire in regnum cœlorum*, Act. 14.

Veritas exempli, & martyrii.

III. Dicite S. Martyres, quo vos tramite emersistis? Potentiæ? Opulentiæ? Gloriæ? Sapientiæ sæculi? &c. Ps. 66. *Transiuimus per ignem, & aquam: & eduxisti nos in refrigerium.*

Dura hæc? Sed ad Beata ducunt. 1. Tantula pro tantis sanus quis abnuat? Sint rotæ, enses, craticulæ, catastæ, vngulæ, faces, cruces, tauri Phalaridis, & mille mortes &c. ludus sunt pro beatitate assequenda. Ro. 8. *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.*

Necessitas Christi.

2. Nec Christus seu voluit, seu potuit secus. Luc. 24. *Oportebat Christum pati: & Sic intrare in gloriam suam*: in propriam; non alienam: Et nos quid non oportebit? 3. Hac causa apparens Dominus *stetit in medio*, seque imitandum proposuit. Fidenter aude: Ipse est qui dixit: *Pax vobis. Nolite timere: Ego sum.*

PARS II.

De stante in medio.

Oeconomia.

I. REpete animo prægressa, intuere mœstos discipulos sedentes; incertos rerum; anxios periculi: dubios fidei. *Aspice* apparentem ex improuiso Deum, intrantem ianuis clausis; stantem in medio coruscum? Attonitos visu discipulos, ac mutos. *Audi* loquentem Dominum. *Pax vobis*, cordi pauido; iudicio turbato, intellectui ignaro ac rudi, affectui vario, & diffidenti animo, &c. *Ego sum*; qui fui ab æuo, quique nudius tertius & ante, qui viuus, qui mortuus, &c. *Palpate, & videte, &c.*

Stetit. hæc dicens. 1. Quia resurrexerat.

Stare est resurgere.

rat. Nam ante vel iacebat, vel sedebat, vel defatigatus sitiebat, vel ambulabat. In præsepio reclinatus, in horto prostratus, in vrbe Solyma vinctus, circumductus, in Cruce suspẽsus, in sepulchro clausus: Iam *sletit* glorioſus, &c.

2. Et liberi ab peccatis.

2. Antea sub peccati iugo ac onere incuruus ac pressus; iam erectus in libertatem nos vocat. 1. O pondus peccati quot, depressos ipsa natura, grauasti petentes superna animas? Vis hæc, & iniuria est. 2. Quot tu infelices Iobos das in fimetum vsque proiectos? 3. Quot in Ierichunta descendentes latrocinio mulctas, & mactas? *Luc.* 10. Quot in sanguine suo Venereo volutas? Quot semiuiuos, aut enectos præteris.

3. Et Sanctorum.

3. Sancti autem non sic. *Stant* cũ Christo, onere peccatorum excusso. Apoc 7. *Vidi turbã magnã, quã dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus & linguis, Stantes ante thronum Dei.* Ita inde vsq; ab creatione sua *decies centena millia astiterunt illi.*

II. *In medio.* Sic & virtus in medio: Sol medius planetarum; qui Rex eorum: terræ globus in orbe: Crux item. Nam *operatus est salutem in medio terræ.* Arbor vitæ in medio paradisi: *Christus* quoque, 1. Tim. 2. *Mediator est Dei & hominum.* Summa fidei mysteria in medio sunt: Incarnatio in duabus naturis: Natiuitas, *in medio duorum animalium cognosceris.* Aba. 3. Transfiguratio, in medio Eliæ & Mosis. Christus in medio latronum: in nocte media natus: & suscitatus est. Psalm. 107. *Exurgam diluculo:* Sedit in medio doctorum: In medio duorum it in Emaus. *Medium amat Mediator*, Iesus.

PARS III.

De imprecante Pacem.

Pax Ethnicis cultis temporalis.

1. PAx vobis. *Ego sum. Nolite timere. Palpate & videte*, quasi dicat: Absit dissensio & dubitatio de me. Absit incredulitas. Pusillanimitas ac diffidentia absit. Sensu percipite, quod sit in intellectu. *Sed ante omnia pacem habete.*

Dia Pax? 1. Tanti priscis eras, vt Parmenides, Hesiodus, aliique Philosophi te rerum Creatricem esse pertenderent: perque te omnia, ipsamq; Naturam subsistere. 2. Romanis Pax Dea colebatur, Quorum templo Pacis quid famosius? 3. Et Redemtoris rediuiui vox prima est, Pax.

Prædicta à prophetis. Præstita à Iesu.

1. Ita fore prædixerat Isaias Messiæ nomen *Princeps pacis.* Isa. 9. 2. Ideo vixdũ nato occinitur: Luc. 2. *In terra pax | hominibus bonæ vol.* 3. Moriturus ait, Ioan. 14. *Pacem relinquo vobis: pacem meam do vobis*: Hanc vel sanguine parabo, sacrabo, donabo.

4. Hanc obstupuit Psaltes, 49. *Venite & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram, auferens bella, vsque ad finem terræ arcum conteret, & confringet arma, & scuta comburet igne. Vacate, & videte, quoniam Ego sum.* 5. Præuidit id Daniel, *cap.* 7. quatuor rabidas bestias deprẽliari; id est, Monarchias Assyriorum, Persarũ, Græcorum & Romanorum: Et eas à Messia prosterni, inque ordinem redigi.

Dominatur orbi.

Diluuium, *Gen.* 7. submersit omnia: vna vndis Arca superferebatur. Ita, vnum Christi regnum extiturum, cæteris illi subiugatis. Id Ecclesia est. Quare, Psalm. 148. *Lauda Ierusalem Dominum: quoniam confortauit seras portarum tuarum, & posuit fines tuos Pacem.*

Mundus ante Messiam fuit merus campus bellorum: parricidia, diluuia, sulphureæ pluuiæ, dehiscens terra: Aegyptus persequens: Bella vndique, & vndiq; bella. Nequicquam Patriarchæ, Reges, &c. orabant pacem, Psalm. 12. *Fiat Pax in virtute tua: & abundantia in turribus tuis*, Tandem promissio facta Psalm. 71. *Orietur in diebus Eius iustitia, & abundantia pacis.* Et vero *Iustitia & Pax osculatæ sunt:* & di-

& dixit *Pax vobis*. Et ergo dixi de pace temporali.

Pax spiritalis ab, & cum Iesu ab.

II. Porro de Spiritali: Hæc à lapsu hominis nulla vsquã: a Christo exorta, hodieque durat. Hæc bella ponit tentationum, passionum, opinionum, religionũ. 1. Qualis nauicula iactabatur fluctibus at iubente Domino, Matth. 8. *cessauit ventus, & facta est tranquillitas magna.* Sic euenit animæ, in turbelis Christum respectanti, ac ab eo respectæ. Nutus omnem peragit rem. 2. Quales *Gen. 7.* feræ in Arca cõgregatæ, concorditer agebãt, præsente Noe, agnus cum vrso ac leone accubabat; dimissæ vero ab Noe suum quæque repetiere cubile, atque sæuitiem. Ita in nobis passiones; præsente, absenteque Iesu. 3. Protoplasta, *Gen. 3.* perseuerante in iustitia, pax ei alta fuit. Vt Deum expulit animo; secuta omnium perturbatio est: Hinc lacrymæ, Gen 2. *Morte morieris.* Hęc *summa malorum*; Et *vltima linea rerum.*

PARS IV.

De voce Ego sum.

Christus est Ens.

I. *Ego sum: Nolite timere.* Tu es Ens entium, verum esse, vera substantia; à te Ipso es, &c. Nos nil sumus, nisi priuationes, imperfectiones, accidentia, ex luto. Sic omnes creaturæ confitentur, Ps. 99. *Quoniam ipse fecit nos: & non ipsi nos. Quid est homo, & c.*

1. Dant omnia. Similia.

1. Sol vnus suo lucet lumine; stellæ reliquæ alieno Solis. Ita Deus, & nos ex eo. 2. Oceanus diffundit flumina omnia, nec minuitur; sorbet omnia, nec augetur. Ita, Deus, *ex quo omnia, in quo omnia.* Quia *ipse est.*

Figura. 2. Et indeficiens est.

1. Vt oleum Eliæ, 3. *Reg.* 17. quo plura implebat vasa, hoc manabat amplius 2. Manna *Exo.* 17. quo pl⁹ colligebatur, hoc plus superabat. 3. Panes hordeacei, *Ioan.* 6. quo à pluribus sumebantur, hoc plus multiplicabantur. Ita.

Omnia dat Dominus, nec habet inde minus.

Deus est 1. Vnus.

II. *Ego sum.* Quid? Deus. Hoc doceo resurrectione, quæ nec humana arte; nec vi naturæ; nec angelica potestate; sed sola omnipotentia fit. Homo sum, corpore, cæterisque sequentibus; en stigmata, *palpate, videte.*

Trinus

Ego sum. Totum hic mysterium latet Trinitatis. Nam τὸ *Ego* triliterale est dissyllabũ, & mononymon. Ita in Deo tres personæ, duæ processiones, Intellectus, & Voluntatis, natura trium vna.

Incarnatus.

Sic & τὸ *Sum* est trium literarum vox vna. Ita & *Iesus* tribus constat naturis, corpore, anima, diuinitate, in vna tamen persona. Ergo *Ego sum* Deus & homo.

Vox Iesu nota.

Et vero Apostoli quid stupetis diu: *Ego sum*, inquit. Vocem non agnoscitis Agni & Magistri? Vox est, quæ clamauit: *Si quis sitit, veniat*: quæ vos vocauit sequutos: quę mortuos suscitauit: quam ventus, ac mare agnouit: quæ Scribas confutauit. *Agnoscite vocem, cui nulla similis: Ioan. 8. Nunquam homo sic locutus est.*

Præfigurata.

Quid? Isaac, *Gen. 27.* cæcutiens, vocem Iacobi agnouit, licet indutus esset exuuias Esau: & ait *Vox quidem Iacob: manus autem Esau.* Et vos verum Iacob, indutum gloria Dei, & hominis, nondum agnoscitis? O tardi? Vere vox est, quæ in cruce septies vltimũ clamauit. Sicq; vox nõdũ sat liqueat vobis: ecce ipsius adest.

Stigmatũ seruatorum causa.

III. *Palpate, & videte.* Corpus est, quod natum & passum est; nam & stigmaticũ: etsi glorioſum. Vtrumq; miraculosum. Quia sic voluit.

Cur autem stigmata reseruauit? 1. Vt Iudæos confundat in iudicio extremo. *Videbunt, in quem confixerunt.* 2. Vt videntes ea, scienteſque Christiani adorent, isthic eis sit, vt *in petra refugium herinaceis.* Psalm. 103. 3. Vt ad grates excitentur. Item extimulentur ad compatiendum: & pa-

tiendum cum ipso pro peccatis propriis; quasi dicat. Hæc mihi vos inflixistis: & necdum desistetis? Inflicta refodicabitis? Iterumne crucifigetis? Hæc vos accusabunt, damnabunt, cruciabunt.

Respice in faciem, inque vulnera *Christi tui*: & pati pro Christo tibi volupe accidet.

Visa mouent vulnera.

Ecce Iulius Cæsar, cum vrbem obiret eques, appellatur à milite emerito, cuius fortunæ in iudicio vertebantur, vt opitularetur. *Tui*, inquit, *Cæsar, auspicijs arma indui: vltima pro te sæpe adiui: perii, si causa nunc cadam. Hocce caput tueare, Cæsar, fortunasque egentis, & emeriti.* Augustus causam viri mandat proximo, qui Iudicem conueniat. Hic miles pectore nudato vulnera ostentans ait: *Non ego te, Cæsar, per procuratorem in bello Actiaco periclitantẽ defendi.* Erubescens Cæsar descensione facta ex equo, pedes adit Iudicem, mandans æquitati causæ militis vt faueat. Ita Christiane te Iesus conuenit, & affatur: ostentans vulnera, quibus permotus non detrectes indicta seruare ieiunia, pati Ipsius nomine quasi dicat tibi: *Ego periclitantem te in bello Passionis per procuratorem non quæsiui*: non Angelum substitui vicarium, ipse excepi tela furoris hoc Corpore: *Palpate, & videte.*

Ita & Cicero *Act. 7.* in Verrem, pro M. Aquilio perorans, cum nihil moueri Iudices cerneret: Aquilii pectus nudat: vulnera pro Reipub. defensione accepta ostendit: peruincit, vt eum viuere patiantur. Quem Vulnera Christi non mouerint; is caute, Caucasoque durior, hominem ex homine exuit. *Palpate* peccatores, *& videte*: quoniam in hoc salutis vestræ Summa consistit.

INFESTOS. MARCI EVANGELISTÆ.

Suppleuit Enucleator.

Designauit Dominus & alios LXX. Discipulos, Luc. 10.

VIsus Ioanni, *Apoc.* 20. Angelus fuit, qualis in S. Scriptura nusquam: Validus clamore, vt leo rugiens in deserto: manu libellum præferens: pede dextro mare: terram sinistro insistebat. Similis S. Marcus: Vita Angelicus: viribus, ac rugitu prædicationis, vt leo: Qui & ipsi appingi assolet, Euangelium gerit minus cæteris; vt idcirco à nonnullis compendium Matthæi vocitetur. Pede is dextero insistit vrbem marinam Venetiarum: sinistro in Continente sitam Alexandriam.

Nos circa Ipsum ista

I. *De ipsis quatuor Euangelistis.*
II. *De quaternario Mysterio rerum Ecclesia multiplici.*
III. *De mysterio quatuor animalium.*
IV. *De præcellentia Euangelistarum pra Vet. Test. Conditoribus.*
V. *De S. Marco historia.*
VI. *De Symbolico ipsius Leone.*

PARS I.

De ipsis 4. Euangelistis.

I. EVangelistas quatuor repræsentauit Deus olim varie. 1. Columnis de lignis Setim in Tabernaculo: *Exod.* 28. quarum capitella aurea, & bases argenteæ: è quibus pendebat Velum ex Hyacintho, Purpurâ, Cocco bis tincto, & Byssо retorta. *Origenes*, & Patres cæteri de Euangelistis ea interpretantur. Quippe qui fulcra Ecclesiæ sint Setimæa, & incorruptibilis, exempli, vitæ, memoriæ, ac doctrinæ inaurati charitate: deargentati Sapientia: in

1. Sunt columna veritatis.

in Spiritu Iesu fundati. E quibus Velū dependet Mysteriorum, varium pro tempore, loco, & personis.

2. Testes sunt Diuinitatis & Humanitatis Christi.

2. Iussit Deus, Exod. 25. *Quatuor Circulos aureos pones per quatuor Arcæ angulos.* Similiter, Circa angelos mensæ propositionis. Hi sunt: ait *Rupertus in Exod. cap. 5.* & alii, quatuor Euangelistæ circa Christi Diuinit. ac Humanitatem: quæ & Arca, & Mensa est gratiarum: quæ per 4. orbis oras prædicata insonuit. Ps. 18.

3. Sunt mysteriosi & coelestes.

3. *In ipso Candelabro* Tabernaculi: Exo. 28. *erunt quatuor scyphi, in nucis modum sphærulæque per singulos, & lilia.* Ita circa Iesum Euangelistæ pleni scyphi mysteriorum sunt: suntque cælestes sphæræ viri perfectissimi, instar cœlorum. De quibus Ps. 18. *Cœli enarrant gloriam Dei.*

4. Sunt Panoplia Christiana.

II. 5. Zacharias ait, cap. 1. *Ostendit mihi Dominus quatuor viros fabros:* Euangelistas, (aiunt interpretes:) qui arma fabricati sunt contra vitia, hæreses, dæmones. Ita *Hieron.* Qui etiam ibidem intelligit per eos virtutes cardinales quatuor, vti passiones quatuor, per cornua quatuor, ibidem visa prophetæ.

5. Sunt currus Trium-phalis Dei.

5. Abacuc. c. 3. visa quadriga Diuinitatis, ait: *Qui ascendis super equos: & quadrigæ tuæ saluatio.* S. Aug. ait Eam esse Euangelium rotis quatuor inuectum; in quo Iesus, Deus triumphat: quodque *est salus omni credenti in eo.* Hieron. in cap. 6. Zachariæ ait: *Legi, quatuor has quadrigas, quatuor esse Euangelia: & equos Apostolos, per diuersitatem cœlorum diuersas gratias possidentes.* Dein quatuor equorum colores sic exponit moraliter; Vt significet *Rufus* Martyres: *Niger* Confessores ænigmaticæ mysteriorum fidei: *Candidus* Virgines, *Variculor* alijs dotatos donis.

PARS II.

De quaternarij mysteriorum Ecclesiæ multiplici.

Quaternarii mysterium est 1. Euangelistarum perfectio.

I. EVangelistæ sunt tantum quatuor, velut Notarii, aut Secretarii Ecclesiæ. Numero subest & ratio, & mysterium. 1. Quia, ait *Philo l. de opif. mundi, & l. 3. de vita Mosis,* quaternarius est perfectissimus, & primus qui de solido corpore participat. Nam vnitas respondet puncto: binarius lineæ: ternarius latitudini: quaternarius solido.

2. Ecclesia Irrogatio.

2. Mysteriosus est in scripturis, Gen. 2. *Fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum: qui inde diuiditur in quatuor capita.* Ita Christus & Ecclesia prorumpens est *Fluminis impetus, qui lætificat Ciuitatem Dei.* Et, vt Hieron. in prol. Matth. ait, *Ecclesia est quatuor flumina, paradisi instar, eructans: id est, quatuor Euangelia.*

3. Eruditio.

3. Iussit ita Deus, Exod. 28. *Rationale iudicii facies operepolymito, &c. quadrangulum erit, & duplex.* Isti inscriptum erat: *Doctrina, & veritas.* Sic & Euangelium est quadrangulum Euangelistis, &c.

4. Munitio.

3. Hæc autem figura quadranguli est solidissima: Tale & Euangelium, vt nec orcum, nec hæreses metuat. Qualis Apocal. 21. *Ciuitas in quadro posita.* Et vero quā *Gloriosa dicta sunt de te Ciuitas Dei,* Ecclesia, in quadro Euangeliorum fundata supra CHRISTVM? Omnio *in his, velut in quadrato lapide sanctæ Fidei structura consurgit:* ait S. Gregorius l. 1. Epist. 24.

5. Vniuersalitas.

5. S. Aug. l. 1. de Consen. Euang. ca. 2. ait. *Ob hoc fortasse quatuor sunt Euangelistæ: quoniam quatuor sunt partes orbis terræ, per cuius vniuersitatem Christi Ecclesiam dilatari, ipsi sui numeri Sacramento declarauerunt.*

6. Congregatio.

6. Idem, *Act.* 10. S. Petro fuit declaratum in linteo, quatuor extremitatibus demisso cœlitus; varia hominum animalia continente; collecta, ait *Irenæus lit.* 3.

tit. 3. *c.* 11. ex quatuor orbis oris. Quibus item quatuor aspirent venti, Spiritus Euangelistarum.

7. *Conseruatio.* 7. Adde: Sicut in rerum vniuerso quatuor elementis omnia constant, & conseruantur: ita in Ecclesia salus singulorum ex quatuor Euangelistis dependet. Ioannes mysteriosa aquila Igni: Lucas, terræ similis: cui arandæ bos natus est. Marcus, aeri: cuius leoninus rugitus per aerea resonat. Est autem aer soni vehiculum. Matthæus aquæ similis; eius typus *facies hominis*: *Omnes* autem homines *velut aqua delabimur in terram.*

8. *Concordia.* 8. Apoc. 7. *Vidi quatuor Angelos stantes super quatuor angulos terræ, tenentes quatuor ventos terræ.* Ita Euangel. conspirant in vnum.

9. *Prædicatio.* 9. Istud Exod. 28. *Quatuor circulos aureos pones per quatuor Arcæ angulos*: S. Gregorius in Prolog. Matth. Sic exponit: Ecclesiam per quatuor Euangelistas ab Prædicatoribus, vt ansulis Arcam, circumferri.

10. *Infallibilitas.* 10. Isti Apocal. 4. *sunt quatuor animalia plena oculis ante, & retro: in medio sedis, & in circuitu Sedis*: Vt nil eorum effugerit obtutum, quæ diuina scitu, vel creditu necessaria fuerant.

PARS III.

De mysterio quatuor animalium.

11. *Sedes Patriarchales.* 4. I. Lyranus tamen per ea scite intelligit Sedes quatuor Patriarchales. 1. In Leone, Hierosolymitanam. Ob audacter prædicatum ibi ab Apostolis Euangelium. *Act.* 4. 2. In Boue, Antiochenam: Ob Fidelium Obedientiam, iugum Apostolorum subeuntium. 3. In facie hominis, Alexandrinam: Ob celebres scientia viros inibi: Vt Athanasius, Clemens, Cyril. 4. In Aquila Constantinopolitanam: Ob viros inibi contemplatiuos, vt Chrys. Greg. Naz. &c.

2. *S. Ambros.* autem *l.* 3. *de Virg.* vult notari in Leone, Fortitudinem, in boue, Iustitiam, in aquila, Temperantiam; Nec enim ista prædam comedit vllam, nisi ipsa ceperit: quamuis sæua fame stimuletur. In homine, Prudentiam, qua qui caret, bestia fuerit non homo. 12. *Virtutes 4. Cardinales.*

3. *Abulensis in proœm. D. Hieron. super* 4. *Euang.* Alii aliter. Nam vult vnum Iesum iis designari; Humanitatem eius in homine; Passionis victimam in boue; Resurrectionem in Leone; Ascensionem in aquila. 13. *Christus Iesus.*

4. Attamen *communis interpretatio* apud S. Hieron. in proœm. est de 4. Euangelistis. *Quod Matth. de homine exorsus est: Liber generationis, &c. Marcus à voce clamantis in deserto. Bos Lucas à Sacerdote Zacharia. Ioannes de verbo disputauit.* 14. *Euangelistæ ipsi.*

II. Sunt vero *plena oculis*: ob mysteriorum cognitionem. *Ante*, ob scientiam futurorum; *Retro*, præteritorum. Vel *ante & retro*; quod vtriusq; Testamenti mysteria complectantur. 15. *Omniscientia.*

Israelitæ in deserto castra metabantur in 4. partes diuisa, tribubus ternis vnam plagam obtinentibus. *Numero* 2. Singularum plagarum vexillis Rabbi Abraham appingit: quatuor animalia Ezechielis: Aquilam Iudæis; hominem Rubenitis. Leonem Ephraimitis; Danielis vitulum. Addit: ea vere inscripta vexillis fuisse. 15. *Ordinata dispositio omnium rerum, situm, articulum.*

Rationem dant alij. Quod scriptum sit de Iuda, Gen. 49. *Catulus Leonis Iuda.* 2. Quod Ruben fuerit primus homo in stirpe Iacob natus. 3. Quod Ephraim fuisset filius Ioseph: de quo Deut. 33. *Quasi primogeniti fortitudo eius.* Vituli 4. ob Gen. 49. *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita.* *Digressio.*

Pulchra castrorum Israeliticorum acies: At Ecclesiæ ea figura fuit. Quæ *Terribilis, vt castrorum acies ordinata.* Cantico. 6. Et ea sub quatuor vexillis fidei Euangelista-

gelistarum collocata est in deserto mundi.

PARS IV.

Præcellentia Euangelistarum præ V. T. Conditoribus.

Præcellunt Euangelistæ. Quod Euangelium Non Lex. 1. Promittit gratiã.

I. DIgnitas vero eorum est, quanta maxima. Quantum Nouum Test. præstat Veteri: tantum Ipsi Moysi, & Prophetis. 1. Ipsi enim habent Patentes nostras iustificationis: quas Veteres nec ausi fuerunt, nec gnari, conscribere. Nam, Gal. 2. *Ex operibus Legis non iustificabitur omnis caro.* Vnde nec promittere ausi fuere.

2. Confert gratiam & veram.

2. Similes Giezi seruo, 4. *Reg.* 4. ad Sunamitidis mortuum vnicum filiũ suscitandum misso, cum baculo Elisæi: At incassum. Venire Elisæum ipsum necesse erat seque mortuo applicare calfaciendo. Ita illi: Elisæo similes Euãgelistæ; qui verba vitæ habent in, & de vita Iesu. Secus Moyses & Prophetæ; indices gratiæ: non efficaces eiusdem ad Iustificationem.

3. Sanat à vulnerib.

3. Similis Sacerdoti, (Aaron,) & Leuitæ, (Moysi,) qui ab latronibus semi-necem relictum præterierunt, *Luc.* 10. iuuerunt re nulla: tantum viderunt ipsum: & hoc solum. At Samaritanus: de quo, Ioan. 8. *Nonne benedicimus nos, quia Samaritanus es?* hic eum suscepit; & curæ mandauit. Atque huius Secretarii. 4. Euangelistæ sunt.

4. Æternæ immutabile.

4. Isti in V. T. nil scripsere perfectum, sed erasionibus obnoxium. Vnde Hebr. 7. *Reprobatio fit præcedentis Mandati, propter infirmitatem eius, & inutilitatem. Nil enim ad perfectum adduxit Lex.* At Euangelistæ aliter scripserunt. Et ita, vt Rom. 1. dicat: *Non erubesco Euangelium. Virtus enim Dei est, ad salutem omni credenti.*

5. Cœlestia & æterna essat.

5. Quid, quod V. T. Conditores terrena duntaxat, & temporalia promiserint: at N. T. Euangelistæ audent addicere: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Ioann. 2. Et Roman. 8. *Iam non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater.* Vnde Augustin. contra Adimantum cap. 16. *In V. Testamento erant onera seruorum, in Nouo gloria liberorum.*

Cõsolatur amore & suauitate.

6. Mosaici scripserũt plena timorum, rigoris, minarum, &c. At Euangelistæ gratiosa, amorosa, pia. In cuius signum S. Spiritus visibiliter eis superuenit in Pẽtec. Quo quid suaui? salutarius? 1. Et Ipse Legislator, Matt. 15. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos,* excusso onere mosaico. Item *Discite à me quia mitis sum, & humilis corde.* Non cinctus amplius ignibus, nubibus, fulgetris, buccinis, vt in Sinai. 3. Item, Noui Test. *iugum meum suaue est, & onus meum leue.*

Quot præcepta V. T.

1. At Vetus explosit, qui dixit, Petrus, Act. 15. *Quid tentatis Deum, imponere iugum super ceruices discipulorum, quod nec patres nostri, nec nos portare potuimus?* 2. Ideo Manus Mosis dicuntur graues & ponderosæ, *Exod* 17. Quia, ait Augustin. sermon. 9. de Verb. Dom. in eis *Sarcina erat veterum observationum.* 3. Plane harum præcepta fuerunt. 613. in Mosaico Digesto. Affirmatiua 248. negatiua 365. Horum vmbram extinxit sol Euangelistarum.

7. Cõsignat realem Veritatem, nõ vmbram.

III. 7. Mirus visus Moses, quod Legem primus accepisset. At maiores Euangelistæ, qui digni fuerunt conscribere Sacramenta, vitam, mortem, doctrinam Iesu, pacem Dei & hominum, apertionem cœlorum 1. Ioan. 1. *Lex per Mosen data est, gratia & veritas per Iesum facta est.* 2. Act. 7. *Accepistis legem in dispositione Angelorum; & non custodistis.* 3. Et Galat. 3. *Lex ordinata per Angelos.* At Euangelium per Iesum.

8. Præferatur Angelis

8. Quid quod Euangelistarum Nota riatus, & apices præponderent Angelis? Gal. 1. *Licet Nos, aut Angelus de cœlo euangelizet vobis, præterquam euangelizauimus vo-*

bis, anathema sit. Cum tamen Angelus cœli non possit mentiri.

Rationem dat S. Chrysostomo in 1. Gal. *Idque valde congruenter. Siquidem Angeli, quâlibet magni, serui sunt. Cæterum omnes Scripturæ non à seruis, sed ab vniuersorum Deo ad nos venerunt.*

Fuerunt ergo Euangelistæ Protonotarii Dei: Calami S. Spiritus, Præcones ac buccinæ orbis æternæ. 1. Audi Apoc. 14. *Vidi alterum Angelum, volantem per medium cœli, habentem Euangelium æternum.* Quin, 2. Ipse Luc. 22. *Hic est Calix sanguinis mei noui, & æterni testamenti.*

PARS V.

De S. Marco historia.

1 Filius Petri fuit.

I. SAnct. Marcus Romam secutus Petrum ei familiariter inhæsit. Vnde 1. Petr. vlt. *Salutat vos Marcus Filius meus.* Quia ipsum baptizarat.

2. Alius à Mat. Marco.

2. Non is est idem cum Ioanne Marco, affine Barnabæ, vt autores volunt graues. Nam Marcus Euangelista est mortuus anno Neronis octauo; ille autem vixit adhuc anno 14. imperij Neronis. Nam Epistola 2. ad Timotheum est sub illum annum scripta: patet ex hoc: *Ego iam delibor, & tempus resolutionis meæ instat.* In ea autem de Ioanne Marco sic: *Marcum assume, & adduc tecum, est enim mihi vtilis in ministerium.*

3. Neque etiam filius fuit sororis Sancti Petri: vt male Nicephor. l. 2. c. 43. Nec pollices ipse sibi præcidit: ne Sacerdos inauguraretur.

Scripsit Romæ.

4. Marci Euangelium est compendium Matthæi. Id scripsit circa tertium Claudij annum, anno post Ascensionem decimo. Sic Euseb. Theoph. Euth. Secundo Claudii anno Romam cum Petro appulit, sequenti scripsit ante, quam subsequenti iret in Aegyptum. Vbi occubuit anno.

Exoratus.

3. Causam scripti ab eo Euangelii assignat Eusebius l. 2. c. 45. Istam. *Non sufficit auditio ijs, qui Petrum prædicantem audierant: sed Marcum discipulum eius omnibus precibus exoratum, vt ea, quæ ille verbo prædicabat, ad perpetuâ eorũ cõmonitionẽ scripturæ traderet.* Eadem S. Athan. Hiero. Epiph. Euth.

Latine, de in Græc.

6. S. Hieron. Epi. 123. Solus Matthæus Hebræo perhibetur scripsisse eloquio; cæteri græco. Genebrardus tamen lib. 3. Chron. 45. Baronius, &c. putant latine scripsisse. Vtrumque potuerit fuisse, Romæ scripserit Latine: Alexandriæ reddiderit græce.

Missio eius in Ægyptũ.

II. Missio eius Roma Alexandriam est in laudem ipsi præcipuam. Nec enim S. Petrus eam vrbem, quæ ab Vrbe Roma princeps esset, misisse; nisi virum vere Apostolicum.

Venturi præsagium prius.

Præiuisse iam olim videtur illius præsagium. Nam refert Pierius Hierogl. lib 25. cum Vrbis conditores primi essent spatium condendę Vrbi designaturi, cretam aut gypsum defuisse: itaq; farina vsos metatores fuisse, quam mox aues deuorarunt. Quo de Augures varie. At verius: Indicium fuisse, venturum olim S. Marcum, qui Psal. 147. *adipe frumenti satiaret* Eucharistica; Ad quem aduolarent Religiosi, Anachoretæ Christiani.

Alterum.

Et illud præsagii fuerit, quod Alexander Magnus vrbem eam conditam voluerit Leontopolim appellari: eo; quod cum vtero gestaretur, mater somniasset, se leonem vtero ferre: quod diuinatores ei ad generositatem prolis sunt interpretati. At Marcus præsignabatur à Deo, cuius Symbolum leo futurus esset.

Corpus in Italia.

Bene igitur Petrus Damianus de S. Marco & Alexandria: *Beata es Alexãd. triũphali hoc sanguine purpurata! Fœlix & tu Italia, Corporis huius thesauro diues effecta!*

PARS

PARS VI.

De symbolo eius leone.

1. Marcus impauidus.

I. ET vero ist hoc leone Marciano quid vsquam, quid vnquam generosius? 1. Prou. 30. *Leo, fortissimus bestiarum, ad nullius pauebit occursum.* Nec S. Marcus ad vllum discrimen expauit: tremefecit Aegypti principes, idola, aras, &c. subuertit: Ecclesiam statuit.

2. Est Triarum in sua vrbe Ecclesia.

2. Mare fusile. 3. *Reg.* 7. leonibus XII. portabatur: sed & *sculpsit in tabuletis illis, quæ erant ex ære, & in angelis Cherubin, & Leones & Palmas.* Id est, Ecclesiæ XII. Apostolos, Prælatos Cherubinæ doctrinæ, & Martyres. In horum angulari statione Leo Marcus.

3. Est dulcis & fortis.

3. Samson leonem occiderat. Iud. 14. *Et ecce examen apum in ore leonis erat, ac fauus mellis.* De quo dein ænigma solutum ait *Quid dulcius melle: & quid fortius leone?* Marcus in vtuis leo, post Martyrium, vitæ & doctrinæ memoria melleus. Vt deserta, ac cœnobia discipulis eius fuerint repleta: Quibus hausta ab S. Marco Euangelia fuerunt *dulciora super mel & fauum.*

4. Est Rex Ægypti.

II. 4. Diogenes Cynicus, factus Xeniadis seruus, eam eius sortem miserantibus amicis ait: *An nescitis, leones non tis seruire, à quibus aluntur, sed altorespotius seruire leonibus?* Talem se gessit Marcus in Aegypto, vt ipsi prædicanti Christum pene Omnis Aegyptus submissa pareret. Et par erat. Quia leoni.

5. Fuit terra Ægypti.

5. Pausanias prodit Agamemonis in clypeo medio leonem efformatum fuisse cum hac perigrapha.

Terror hic est hominum: Quique hunc gerit, est Agamemnon.

Verius hoc Marco conuenit Elogium.

6. Dux LXXII. discipulorum.

6. Chabrias Dux Athen. & Philippus Macedo dicere solebant: Agmen Ceruorum leone duce fortius est, quam agmen leonum duce ceruo. Atqui electi ab IESV LXXII. discipuli, quibus orbem subigeret: fuerunt ceruini. Illis idcirco præfecit Leonem Marcum, qui Prædicatorum Euangelij dux esset Euangelista leo.

7. Euangelistarum secundus.

III. 7. Quatuor testium Christi Marcus vnus, & quantus, inde æstima. Matthæus scripsit de Iesu humana genealogia, vt Homo. Ioannes De Diuina, vt Aquila. Lucas de Passione prolixius cæteris, vt victimarius Vitulus. Marcus de Resurrectione, vt Leo, qui catulum natum aut letho ipso, aut lethali somno iacentem die tertio suscitat horrendum irrugiens.

Campana maxima orbu.

8. Ex tunicæ Pontificalis fimbria dependebant, iussu Dei, mala granata. LXX. & nolæ argenteæ LXX. alternatim. *Exodi vigesimo quinto.* Ita LXX. vel LXXII. duo discipuli circa Iesum, in quibus princeps Marcus, cuius vox in Aegypto quidem, vt nola, sed Calamus per orbem, vt rugitus, vel campana cœli maxima personuit.

PERORATIO.

FInio S. Hieronymi verbis in Prologo in Marcum. *Marcus Euangelista Dei electus,* Vt Paulus vas electionis, *& Petri in baptismate filius: atque in sermone discipulus: Sacerdotium in Israel agens secundum carnem Leuita.* Hæc vitæ Periodus. Quare *Laudate Dominum in sanctis eius. Quia mirabilis Deus in Sanctis suis,* inque eorum vita, doctrina, miraculis, &c

IN FESTO ASCENSIONIS Domini

Et Dominus quidem Iesus, postquam locutus est eis, assumtus est in cœlum, & sedet à dexteris Dei

Marc. 16.

ARca Noe, *Genes.* 9. post quadraginta dierum iactationem in diluuio; de-

mum stetit in montibus Armeniæ. 2. Arca Testamenti, cum diu in castris sub papillonibus habitasset ; demum glorioſe in Templum Salomonis infertur. 3. *Reg.* 8. Iesu humanitas horis XL. in Passionis circumacta diluuio ; ac dein XL. diebus in orbe hoc versata : demum ad dexterã Patris ascendens resedit. 2. Est Idem Testamenti Arca, diu in castris Iudæorum, interq; Philistęos barbaros versata; nunc audijt à Diuinitate sibi acclamari : *Surge Domine in requiem tuam, Tu & Arca sanctificationis tuæ.* Psal. 15. O nobilem tunc diem cœlorum reseratione; Regis coronatione; & nostri, & nostra expectatione.

Super ista vero nos,

I. *De Ascendentis triumpho, Nomine, gloria.*
II. *Adiuncta ascensus Domini.*
III. *Figuræ de Ascensione.*
IV. *Ascensionis causa prior, humiliatio Christi.*
V. *Posterior reseratio cœli.*

PARS I.

De Ascendentis triumpho, nomine, & gloria.

1. *Triumphis Cæsarum gloriosior Iesu triũphus.*

I. NOn verba suppetunt paria scriptoribus, Cæsarum triumphos adumbraturis. 1. Iulius Cæsar triumphali curru, tracto ab XL. elephantis, in Capitoliũ est inuectus. 2. M. Antonius, curru Leonibus quatuor iugatis tracto, triumphabat. 3. Aureliani triumphalis quadriga ceruis quatuor agebatur. At Iesus ante asina & pullo vectus inibat Ierosolymam comitante populo pio.

Hodie autem *Videntibus illis eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum*, ait Lucas. Et Marcus: *Postquam locutus est eis, assũtus est in cœlum.* Ista quis potis describere?

2. *Est ineffabilis.*

Obstupuere visu in medio, stetereque Apostoli. 1. Dicite vos, si potestis, *Viri Galilæi, quid admiramini aspicientes in cœlum?* Act. 1. 2. Dicite Prophetæ : Et tu Isaia, c. 63. *Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra?*

Dicite mortales, Ps. 8. *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in vniuersa terra? Quoniam eleuata est Magnificentia tua super cœlos.* 3. Est tam admirabilis in Scriptura.

Merito Ecclesia, cum ipsum orat *per natiuitatem tuam ; per Crucem & Passionem tuam ; per mortem & sepulturam tuam, per sanctam resurrectionem tuam*; Merito inquã subdit singulare hoc, *per Admirabilem Ascensionem tuam*, quasi dicat. Hæc cæterorum mirabilium est admirabilissima. In Ecclesia.

Esto enim : in Natiuitate Iesu aduolarint è cœlo Angeli concinentes; pastores, Magi, stellæq; approperarint: vt *essent mirantes Maria & Ioseph.* Luc. 2. in Passione sint absciſſæ petræ, sol obscuratus, *ita vt miraretur Præses*, Matth. 27. 3. In Resurrectione, sint aperta sepulcra, rupta tartara; educti Patres, ligati dæmones: *adhuc autem illis non credentibus, & mirantibus præ gaudio* Apostolis illa sunt patrata, *Luc.* 24. In omni Iesu vita.

At vero in ascensione maiora. En Corpus nube vehi, cœlos reserari, Angelos homines affari: mortem vita commutari; *potestatem in cœlo, & in terra* dari: Humanitatem vltra Cherubinos eleuari : collocari ad dexteram Dei : Hæc inquam, quot, & quanta non sunt?

II. Hac de causa, qui antea plurimum *Filius hominis* appellatur: Vt Matt. 17. *Filius hominis à mortuis resurget*, item, *tradetur*, cap. 2. *parebit signum* F. H. cap. 24. *Væ homini, per quem* F. H. *tradetur*. Matt. 24. F. H. *non venit animas perdere, sed saluare*. Luc. 3. *Oportet exaltari* F. H. En Angeli Ioan. 21. *Iesum quæritis Nazarenum.* In dictus Filius hominum.

Is post ascensionem *Dominus quidem Iesus* nominatur, *Marc.* 16. Ita prædictum Psal. 67. *Qui ascendit super occasum. Dominus nomen illi*, quasi dicat. Cœlos vi perrumpere, percellere Angelos triumpho, mor- Iã Dominus dictus.

mortem, & captiuam ducere captiuitatem, &c. non nisi Domini Monarchæ est.

Qui in Natiuitate fuit, & dicit de sese Ps. 21. *Ego sum vermis, & non homo.* 2. Qui in vita fuit, *Ecce, Agnus Dei, qui tollit peccata mundi,* Ioan. 1. 3. Qui in morte Isa. 53. *Sicut ouis ad occisionem* ducitur. 4. Qui in Resurrectione, Apoc. 5. *Vicit leo de tribu Iuda.*

Ut Aquila. At in Ascensione idem, Ierem. 48. *Ecce, quasi aquila volabit.* 1. Vt aquila, inquam, Imperialis biceps in naturis, Rexque omnium creaturarum; vt auium illa. 2. Hæc quousq; euolat? Iob. 39. *Eleuabitur aquila, & in arduis ponet nidum suum:* in totius Vniuersi frontispicio: Vbi *Non datur vltra,* istud vere Herculeæ columnæ.

Tam super omnia. III. Eousque non assequitur Salomon, Prou. 30. *Tria mihi sunt difficilia; & quartũ penitus ignoro. Viam aquilæ in cœlo.* non sub cœlo; *viam nauis in medio maris: viam coluber super petram: & viam viri in adolescentia:* LXX. vertunt. *in Adolescentula.* Id est. De Ascensione nil intelligo; nil de mari Passionis: nil de Resurrectione per clausam petram; nil de Incarnatione.

Homini quidem inuestigabile. Ideo quærit, Prouerb. 30. ignarus; *Quis ascendit in cœlum; atq; descendit?* Iesus, *Quis continuit spiritum in manibus suis?* Iesus; *qui habuit potestatem ponere animam suam, & iterum sumere:* Idem Spiritum Diuinitatis continuit in Humanitate. *Quis colligauit aquas, quasi in vestimento?* Iesus; qui tollit peccata mundi in veste Humanitatis suæ. *Quis suscitauit omnes terminos terræ?* Iesus qui redemit vniuersos in vitam suscitatos; si velint Idem est, Ps. 103. *Qui ponis nubem ascensum tuum, qui ambulas super pennas ventorum.*

Nam ascendit virtute propria. Nihil Eliæ raptus, 4. *Reg.* 2. (quem Elisæus videns, licet duplicato Spiritu donatus,) effari non quiuit: Nil Enochi translato inuisibilis: Nil occultatio Mosis, ad hanc Ascensionem, onustam spolijs opimis mundi, peccati, Satanæ, mortis, lymbi carnis, &c. & tamen euehitur, idque vi propria; vt Ps. 28. *Exaltare Domine in virtute tua.*

PARS II.

Adiuncta Ascensus Domini.

Ascensus Domini. 1 Triumphus. I. DE triumpho graphice Ps. 87. *Currus Dei decem millibus multiplex; millia lætantium: Dominus in eis, in Sinai, in Sancto. Ascendisti in altum, captiuam duxisti captiuitatem.* Descensum Dei in montem, ad dãdam legem, cum Ascensu in cœlum, ad nouam legem ferendam, confert, comitantibus vtramq; innumeris Angelis.

2. Comitatus. Nec mirum. 1. Si enim, 4. Reg. 6. *mons plenus equorum, & curruum igneorum in circuitu Eliſæi:* quanto plures circa IESVM? 2. Currus idolorum finguntur trahi ab bestiis. Vt à serpentibus Saturni, Bacchi à tigribus: Neptuni ab Delphinis, Solis currum à Pegasis, Veneris à columbis. At *Currus Dei decem millibus multiplex.* Nam Angeli sunt currus Dei; Psal. 79. *Qui sedes super Cherubim.*

3. Terminus. Ascensus eius terminus cœlum est empyreum, supra septem planetarum, firmamenti, primi mobilis, crystallinique cœlos. Vnde Eph. 4. *Ascendens in altum.* Ps. 67. *Ascendisti in altum:* Tertullianus vertit, *Sublimitatem.*

Hæreses. Contra hæreticos, ex hoc Psal. 18. *In sole posuit tabernaculum suum.* Et *Ego sum lux mundi:* fingentes, Corpus Iesu terminasse ascensum suum in sphæra solari. Ideo Manichæi, &c. Solem adorabant, vt ait *Gregor: Naz. orat. 51. S. Augustin. lib. de carne Christi. cap. 24. Leo sermon. 4. de Nat. Dom.* Quos refutat, *Theod. libr. 1 de Hæres. fab. August lib. de Hæres. cap. 59.*

4. Dies. II. *De die ascensus* ita supputatur. Obijt Dominus 25. Martij: Resurrexit 27. Ascendit 5. Maij, ætatis anno 33. & quinto mense. *Chrysostom.* putat fuisse Sabbatinum; *Epiphanius*, diem Mercurij. Inde-

que Veteres diebus istis ieiunare solitos aiunt. Existimo die Iouis ascendisse. Fauet tropologia. 2. Nam probabile, eo die piscatores esse missos, quo pisces creati fuerant; at hoc die Iouis. *Genes.* 1.

2. Par erat Aquilam eo die euolare primum, quo aues conditi fuerunt: at hoc die Iouis. 3. Eo die se humiliauit ad pedes Iudæ: ergo par, vt eodem exaltaretur. 4. Dicata Ioui Deorum, Deo, dies; par erat vt Deo vero dicaretur. Vnde quasi nefas semper visum Iouis die ieiunare.

5. *Hora.* *De hora Ascensus*, 1. August. & plerique Patres sentiunt, meridie ascendisse. Nixi isto, Psal. 55. *Vespere* Dominus in Cruce: *& Mane* in resurrectione; *& meridie* in Ascensione: *Enarrabo*, vespere patientiam Morientis, *annunciabo mane* vitam Resurgentis: orabo, vt exaudiat meridie sedens ad dexteram Patris.

2. Alii malunt, hora tertia. Quod illa expirans inferos adierit: Quod eadem olim Adamum eiecerit paradiso. Hocq; probabilius. Nam Marc. 16. *Nouissimo recumbentibus vndecim apparuit*, &c. at prandebatur hora sexta, id est, duodecima. Et tempus interceßitante, quam ad montem Olueti pernenirent, & Dominus eos compellaret valedicens.

PARS III.

Figuræ de Ascensione.

1. *Pontifex Sanctus.* I. PAtres diem, actumque diei certatim Figuris adaptatis celebrant. 1. Origenes *homilia 9. in 16. Leuitic.* Diem esse ait, quo S. Pontifex in Sancta Sanctorum inibat magnificus. At Hebræor. 14. *Habemus Pontificem qui penetrauit cœlos,*

2. *Samson fortis.* 2. Augustin. sermon. 107. de tempore, ait. *Noster hic Samson, ablatis portis, imperioque inferni, & mortis, ascendit in cacumen montis cœlestis.* 3. Idem serm. 180. *Noster Iacob baculo Crucis mundum apprehendit; &*

3. *Iacob p'tu.* *cum duobus populis ad Patrem redijt triumphans.*

4. *David cordatus.* 4. Hieron. tom. 3. *Noster Dauid, Goliatho truncato, in ciuitatem cœlestem cum canticis excipitur.* 5. Greg. Magn. Hom. 29. in Euang. Cyrill. serm. de Ascens. *Elias ascendit per turbinem in cœlum*, &c. Hoc tamen discrimine, quod is raptus; at Iesus vi propria ascendit. 6. Beda, & Glossa Ord. *Hodie Arca infertur in locum suum.* Fuerat illa diu alienis in locis, in manibus Philistinorum diu peregrinata. Demum in Salomonis infertur templum, & sub alis Cherubin collocatur.

5. *Eliacra ptus.*

6. *Arca restamenti.*

1. *Princeps pacis.* II. S. Bern. serm. 10. ex paruis. *Hodie ille*, Isa. 9. *cum natus fuit admirabilis, prædicans, Cõsiliarius, in miraculis Deus: Fortis in Passione: Pater futuri sæculi in Resurrectione: Ascẽdẽs Princeps pacis, fuit in perpetua beatitudine.*

2. *Seruus liber.* Hodie, qui fuit in terris *formam Serui accipiens, & habitu inuentus, vt homo*: Philip. 3. is in libertatem vindicatus, in æthere triumphat infera & inimica omnia. Ita præuidit Isaias cap. 52. *Ecce seruus meus exaltabitur* super inimicos, *& eleuabitur* super cœlos, *& sublimis erit valde* super Angelos, *& adorabunt eum omnes Angeli eius.*

3. *Peregrinus reparatus.* Ecce hodie mirificus ille Peregrinus, de quo Lucas 24. *Tu solus peregrinus es in Ierusalem* confecta peregrinatione, reuertit in patriam. Et *Quid est, quod ascendit; nisi quod & primum descendit.*

Ascendit quo? III. At quo ascendit? 1. In locum beatæ vbertatis: Vbi *promptuaria illorum plena, eructantia ex hoc in illud.* Psalm. 143. 2. In domum voluptatis. Vbi Psal. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* 3. Isthuc, vbi, Apocal. 21. *Ciuitas aurum mundum*, &c. 4. Vbi mansiones Beatorum, Num. 24. *Quam pulcra tabernacula tua Iacob, & tentoria Israel?* 5. Isthuc, vbi Psalm. 117. *Vox exaltationis, & salutis in tabernaculis iustorum.* 6. Vbi, Psalm. 16. *Beati, qui habitant in domo tua.* 7.

Denique

Denique ascendit in *Ierusalem, quæ sursum est libera mater nostra*. Gal. 4. cuius iste titulus, Visio Pacis.

Sol orbem peragens. Beate Sol Iesu! *Oritur sol, & occidit*. Eccles. 1. Ille tuus sic ortus est, velut sacco indutus humano: Sic ille girauit vitam: Sic occidit ille passus deliquium: Sicq; resurrexit: Sic hodie scandit in æternam meridiem. Vere, Ps. 18. *A summo cœlo egressio eius; & occursus eius vsq; ad summum eius.*

Nania in fido. in Christo vera. *IV.* Fabulantur poetæ, apud *Natalem Comit. in Mytol.* Perseum, quod Medusam triueneficam occidisset; Bellerophontem, quod monstra superasset, & equi sui Pegasi vngula fontem Hyppocrenes excitasset: ideo ambos in cœlum inter astra translatos fuisse. Iesus Mortem, & monstra peccatorum perdomuit, & niueo equo suæ Humanitatis aperuit fontem, de quo Isai. 12. *Haurietis aquas de fontibus Saluatoris.* Nam, Apocal. 6. *Ecce equus albus; Et qui sedebat super illum, habebat arcum; & data est ei corona*, &c.

Commentator in Pindarum ait: Perfuncto fatis Hercule, proceres Græciæ consuluisse Delphicum, ecquo foret humandus honore vir factis tam nobilis. Et illud respondisse: *Hodie vt Heroem colite: exinde semper vt Deum adorate.* Nugæ. At vere nos Iesum in Passione vt Heroem heroum, in Ascensione vt Deum adorare necesse est.

PARS IV.

Ascensionis causa prior, Humilitas Christi.

I. Humilitas exaltat. I. ASCensionis causæ plures; at duæ principes. *Prior*, Iesu Humilitas, quę meruit exaltari. 1. Nam *Qui se humiliat, exaltabitur.* Atqui Iesus, Philip. 2. *Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum; & donauit illi Nomen, quod est super omne nomen.* O vim humilitatis! Euehis te sectantes; te deprimentes deprimis.

2. Est primũ mouẽs. 2. Tu primum Mobile es & Ascensionis; & Descensionis Dominicæ. Nam Eph. 4. *Qui descendit, ipse est & qui ascendit super omnes cœlos.* Disce, superbum caput, descensum esse viam ad ascensum. Hæc via fuit Viæ, ac Vitæ Iesu.

3. Est fons saliens. 3. Quantum origo fontium deprimitur; tantum ascendunt ipsi. Atqui, Ps. 35. *apud te est fons vitæ*, Iesu. Ad Te accurrim⁹, vt *Deum fontem viuum*, Psal. 41. Ita prædictum, Zach. 13. *In die illa erit fons patens*, &c. 4. Tu ad vsque centrum descendisti, necesse erat ad vsque summum exurgeres. Quippe Ps. 109. *De torrente in via bibit, propterea exaltauit caput.*

4. Est centrum.

Ascendens est. *II.* Sic Figuræ volunt. 1. Horologium Ezechiæ *Isai.* 38. & 4. *Reg.* 20. in quo X. lineis Sol regressus, dein iter repetijt. Solem Iesum *minuisti paulo minus ab Angelis*, Ps. 8. ecce nouem chori, decimus: *Et Verbum Caro factum est* Ioan. 1. Ideo *Assumptus est in cœlum.*

1. Vt horologium Ezech.

2. Vt Iob fimarius. 2. Iob (Rex *Iob.* 2. dictus,) fortunæ, corporisq; bonis nudatus, inq; fimarium vsque humiliatus fuit. At, Iob 42. *omnia reddita sunt illi duplicia.* Ita Ps. *Gloria, & diuitiæ in domo eius* Iobi nostri. Et idem eo descẽdit pauperiei, vt non haberet, vbi caput reclinaret. Idcirco iuste Deus rursus *Gloria & honore coronasti eum*, &c. Psal. 8. *& exaltatum est nomen eius solius.* Ps. 148. *Assumtus est in cœlum, & sedet à dexteris Dei.*

3. Vt prodigus filius. 3. *Luc.* 15. Pius ille Filius prodigus Maiestatis suæ, desertor domus patriæ, cum nostris animabus meretricatus, dissipauit in nos gratias cœlorum, substantiam suam, ac Sanguinem; ad vsque famem ac sitim suam vltimam. Ter beata prodigalitas! Ea fuit summa charitas, & infima humilitas. Quare summa illi debebatur sublimitas Maiestatis. Ideo *Ascendit Deus in iubilatione, & Dominus in voce tubæ.*

4. Da-

4. Vt Dauid pastoritius.

4. Dauid 1. *Reg.* 17. habitu vilis pastoritio strauit Goliathum, opprobrio liberauit populum. Tum vero in regem euectus, regiis indutus, filiæ Regis fit sponsus. Ita Iesus.

5. Vt Ioseph iustus.

5. Iustus Ioseph à fratribus affligitur, *Gen.* 41. diuenditur. Ab Putipharæa solicitatus continens, fit nexus diu. At cunctis sapientior, euehitur, par Regi imperat cunctis, Saluator mundi nuncupatus. Ita Deus Filium *fecit ascendere super currum suum.* &c. & Ps. 14. *Constituit eum Dominum domus suæ, & Principem omnis possessionis suæ.* Hic triduo carceratus Ioseph *factus est inter mortuos liber, & captiuam duxit captiuitatem. Et data est illi omnis potestas in cœlo & in terra.*

Idæa Triũphantis, & triumphatorum.

Talis ascendit, qualis, *Apoc.* 1. visus est; solari facie oculis stellarum instar, capillis niueis ac vestibus, zona ad renes aurea, iride coronatus, pedibus ære durioribus; cum epigrapha, *Rex Regum, & Dominus dominantium.* O Triumphatorem cuius sub pedib. Satan: Mors reuincta sequitur: consummatum peccatum ignoratur: Caro serua trahitur; Reges cui sceptra submittunt.

Horum vna parens est Humilitas antegressa. Opprobria in encomia: arma passionis vertunt in insignia Maiestatis; condemnatio in iudicium. Nam Ioan. 5. *Pater omne iudicium dedit filio.*

PARS V.

Ascensionis causa altera est Reseratio Cœli.

1. Præiit Caput sequiturque Corpus.

I. ALtera causa glorioſæ Ascensionis est, vt cœlum reseraret, eoque nos inuitaret. 1. S. Leo Sermon. 1. de Ascens. *Christi ascensio nostra est prouectio. Et quo præcessit gloria capitis; eo vocatur & spes corporis:* Ecclesiæ. Vtriusque enim proportio est capitis & corporis, quo vnum, penetrat & alterum: Atqui Eph. 1. *Ipsum dedit Caput super omnes.* Col. 1. *Ipse est Caput corporis Ecclesiæ.* Et, 1. Cor. 12. *Vos estis corpus Christi, & membrum de membro.* Ergo spes, & res, membris à capite est, Non quod forte tubera superbiæ gerat; hoc quo caput, intrare nequit.

2. Spem portus dat desperatis.

2. Desperata iam classis inter vndas, cum sociarum vnam succedere portum cernit; spem concipit eodem pertingendi. Miles, viso Duce scandisse muros, vibrareque stantem vexillum; iam eodem perurget vel per tela, per ignes. At mundus mare est, classis Ecclesia, nos interculi: Visa cœli penetrare portum naui prætoriana; spes animum subit aspirans eodem. Mundus bellum, Dux Iesus, nos milites, &c. Agite, *regnum cœlorum vim patitur*, &c. Vim fecit, & vicit Iesus.

3. Additq; animam sequendi.

II. Iosue 3. *Ecce Arca fœderis Domini omnis terræ antecedebat eos per Iordanẽ*; quo Israelitæ tutius. ac fidentius sequerentur in terram promissionis. Arca Humanitatis Iesu per torrentem passionis nos præiit: Patefacta via est vi, quid restitamus? Ducem desperat omnem, qui post hunc affectare cessat patriam.

4. Additq; auxilium dux.

Cerui, teste Plinio, & *August. libr. de Ciuit. Dei*, flumẽ tranaturi validissimũ præmittunt, seque ex eo longo tractu cornibus in terga positis catenati nectũt cæteri, sicque transmittunt. Nos, patres q; cerui timiduli: At generosus Dominus, Ps. 44. *quem admodum ceruus desiderat ad fontes aquarum:* prius init oceanum passionis: fluctus secat mortis: tum aere tranat: & illi proximus incumbit Adam, Adæ Noe, huic Abraham, &c. dein ordine longo: Sic Vnus, Eph. 4. *Ascendens Christus in altum, captiuam duxit captiuitatem*, dum cõstitit ipse, & stitit oẽs portu in æthereo.

5. Trahit suauitas gratia.

Fertur Panthera odorem tam spirare gratum, vt, dum prodit, feræ ex lustris excitæ eam quaquaversus sequantur. Iesus hodie prodit apertum; odore trahit è lymbo Patres, è sepulcris tumulatos,

tos, è cœlis Angelos, in terra peccatores. Cant. 1. *Curremus in odore vnguentorum tuorum.*

6. Et sua Personæ merito proprio

III. Succinus lapis attrahit paleas festucas, &c. *Petra autem erat Christus; & lapis quem reprobauerunt ædificantes.* Nos ille trahit vt stramen. Nam *omnis caro fœnum.*

Nos igitur trahit: Insuper & *captiuam duxit captiuitatem.* Vnde ipse Ioan. 19. *Ego, cum exaltatus fuero, omnia traham post me:* corda, corpora, animas, Reges &c.

7. Nosque attrahit Spiritus, ac vnit.

Ezech. 1. vidit volantem quadrigam in nubibus virum *de medio ignis quasi electri speciem:* quod est vel succinum, vel succino simile: *attrahique stipulas*, id est, homines. Nam Iob. 13. *Quid stipulam siccam persequeris?* Vnde sic vociferati in cœlum prisci: Psalm. 7. *Exurge Domine in præcepto, quod mandasti: & synagoga populorum circumdabit te: Et propter hoc in altum regredere.*

Quæ hodie acclamationes & facta magnifica.

IV. O triumphum! ô Cœlites, *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis!* 1. Hodie in cœlis, quæ vox futura Luciferum proturbauit, ea præsens omnes exhilarauit: Psalm. 109. *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis.* 2. Hodie Ioan. 5. *Pater omne iudicium dedit Filio.* Et dixit, Psalm. 88. *Ego primogenitum ponam illum, excelsum præ Regib. terræ.* 3. Hodie Psalm. 106. *Dirupit portas æreas, & vectes ferreos confregit.* 4. Hodie cœli peccatoribus referantur: & acclamatur: Psal. 32. *Attollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales* 5. Hodie armatus Cherubin romphæa ab aditu paradisi remotus est: & claues Petro traditæ. 6. Hodie summa omnia de Christo finem acceperũt, confecta vitæ periodus, & post Actum vltimum Epilogus tulit Plausum, Psal. 48. *Psallite Deo nostro, psallite Regi nostro, psallite sapienter.* Quid ni? *Ascendit* enim *Deus in iubilo, & Dominus in voce tubæ. Psallite.* Nam Eph. 4. *Qui descendit, Ipse est & qui ascendit super omnes cœlos.* Huc oculi, animique vertantur: Huc vbi votorum consistit summa meorum Iesus. Iesu *damnabis tu quoque votis.*

FERIA II. PENTECOSTES.

Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum Vnigenitum daret.
Ioan. 3.

TObiæ *cap.* 12. submissus Philacangelus magnum magnæ beneuolentiæ fuit argumentum. Qui filium duxit, seruauit ab cete, dæmone, vxore donauit, patrem reluminauit. At maioris amoris erat, Dei filium dari ducem, seruatorem, medicum, medicinam, doctorem, & omnia, Gaudij mille argumenta.

Nos illius occasione

I. De amoris vi acrobore.
II. De amore Dei in nos incomparabili, vt causa rerum prima.
III. De Amoris in nos diuini Excessu.
IV. De Amore Dei nos quærentis.
V. De S. Spiritus dono, ex Christi merito.
VI. Quo fine datus sit Spiritus Sanctus.

PARS I.

De Amoris vi acrobore.

Vanus amor fortis.

I. TRes Principes Darij, Regis super actum viginti septem prouincias, coram hoc disceptabant, 3. *Esd.* 3. Quid omnium esset fortissimum: Hic vinũ: ille Regẽ: ait: at Zorobabel: *super omnia vincit Veritas.* Errant. *Omnia vincit Amor.* 1. Enimuero, Cant. 8. *Fortis est, vt mors dilectio.* Nulli Parca fatalis suo parcit telo: Sic & profanus amor, *Quem ferit; ille perit.* 2. Ecce, *Dan.* 13. Senes duos decapulares: *ambo vulnerati amore illius* Susannæ. 3. Ecce, 2. *Reg.* 13. sic ardebat sororem Thamarim Ammon, *vt propter amorẽ eius ægrotaret.* 4. Ecce Sponsa hos ignes sensit, Cant. 2. & 5. *Nuncietis ei*, inquit, *quia amore langueo.* 5. Ideo Poetæ finxerunt puerum Cupidinem,

flammis armatũ, & sagittis pharetratum, cui Mars sit Pater. Hinc Ouid. 1. Metam.

Quidve tibi, lasciue Puer, cum fortibus armis?

Vincitq; animos. Alex. ab Alex l. 4 c. 7. tradit, Lacedæmones ante prælium semper Amori fecisse victimas; quod sentirent, victoriam magis pendere ab effectu animorum, quam vi armorum. Si illos subruisset amor; facile hostes imperata accepturos. Vel q̃ omnia mallent amice componere; quam vi cogere.

Habetur inter Deos. Certe & Philosophi, vt Empedocles apud *Arist. in Metap.* Amorem inter Deos esse cẽsuerunt. Et Plato *l. 1. in conuiu. Socr.* Diuinum asserit, & orbis beneficium singulare esse Amorem: Atque ipsum orbis fuisse conditorem. Inde pingebant eum hac pisces, illa spicas præferentem: vt cuius potentia terræ mariq; imperitaret. Sic *Cartariusl. de imag. Deor.* Ista vana.

Super omnia diuinus Amor. II. At hæc sana adeoq; diuina. 1. Nam, 1. Ioan. 4. *Deus charitas est:* Non sic dicitur *Iustitia est:* Nam hoc *alienum opus ab eo:* Ex illa condidit omnia, & conseruat. 2. Hinc 2. Cor. 13. dicitur, *Deus pacis & dilectionis erit vobiscum.*

Non, vt olim, Gen. 17. *Ego sum Deus omnipotens:* Exod. 20. *Deus tuus Fortis Zelotes,* Deut. 7. *Deus magnus, & terribilis:* 1. Reg. 1. *Deus scientiarum Dominus:* 2. Reg. 5. *Dominus Deus exercituum:* 2. Esd. 1. *Deus cœli:* Tob. 13. *Deus sæculorum:* Esth. *Rex Deorum, & vniuersæ potestatis.*

Qui Deus ipse verus est. Ista olim: At nunc quicquid est Deus, amor est. Nam ad intra gignit Amorem amore suum Filium: & spirant Amorem ambo: & amore personæ tres sunt vnum essentialiter. Vt cuiusque sit dicere *omnia mea tua sunt.* Ex amore vnus & tres condiderunt omnia: inquiunt: *faciamus hominem ad imaginem, & sim. nostram.* Quantus hic amor? Denique *sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum Vnigenitũ daret.* Ioan. 3.

PARS II.

De Amore Dei in nos incomparabili, vt causa rerum prima.

Naturalia dona homini facta sunt magna. I. Mirificum Deus amorem ostendit in hominem, cum in ipsius gratiã condidit orbem: & Psal. 8. *omnia subiecit sub pedibus eius.* 2. Ad hæc Angelos ei custodes addidit: Psalm. 90. *Angelis suis mandauit de te. &c.* 3. Dein vim creaturarum, naturamq; omnium dedit vni: vt plantarum vegetationem, sensum animantum, Angelorum intellectum. Quo esset velut parua auri massa pretium terræ totius. 4. Vnde μικρόκοσμος dictus: Et istud Marci 16. *Prædicate Euangelium omni creaturæ,* S. Gregori⁹ interpretatur, *omni homini.*

At nil ea ad vnum Diuinum donũ, Deo datore dignum. Magna hæc. at nihili ad istud donum Filii: quod vt infinitũ, Deo dignum infinito est. Vt Philippus Macedo Rex in vltimæ sortis homullum incidens, miseratus ei talenta dans XXX. arguẽtibus profusionẽ ait: *Non quod is meruit: sed me quod decet, dedi.* Ita Deus. Hoc de dono: sed quę causa doni?

Amor Dei causa rerũ est omniũ. II. Bene Philosophi, principiorum orbis indagatores, ad causam deuenere primam, liberam, ęternam, omnium potentem ac diuitem; ex qua, inexhausta tamen, manarunt omnia: Atq; hanc Amorem entis entium esse statuerũt; qui gratis omnia fecit: tantum, quia amauit. Qui tamen ipse seipsum denique nobis dedit Amor. Num quid superesse potest.

Non meritum nostrũ de Deo. Esto 1. fuerit Paulo gloriæ promissa corona: sed quia *bonum certamen certauit, cursum consummauit:* 2. Tim. 4. Abrahæ, benedictio seminis: *Gen.* 22. sed quod ꝓprio filio non pepercisset. 3. Iacob etiam data benedictio, *Gen.* 32. sed quod *fortis contra Deum* siue Angelum *fuisset,* At quod *Deus Homo factus est,* inde est, quia *Sic Deus dilexit mundum,* Non, quia nos merebamur; aut cum prius dilexissemus.

Prin-

Vil de homine.

Princeps Sichimorum deperibat Dinam *Gen.*34. ideo fratribus nihil non offerebat; inque conditiones quaſcunque deſcendebat. 2 Pharao, *Gen.* 41. Ioſephũ euehebat parem ſibi, Solio excepto; Sed ita merentem, ac dignum. 3. *Aſſuerus, Eſth.*6. cum Eſthera quoque regnum partiri paratus erat: Sed forma, ſenſuque captus fuerat. 4. Nabuchodonoſor Danielem cunctis anteferebat; ſed miraculo prius obſtupefactus erat. *At* Deus *Filium ſuum dedit*, Quia *ſic dilexit mundum* gratis.

Comparationes dilectum ſeſe.

III. Furente Saule, 1. Reg. 18. *inierunt Dauid & Ionathas fœdus. Diligebat enim eũ quaſi animam ſuam*, At erat illis æqualitas, & cauſa: Deo cum homine nulla; & tamen is hunc plus pene dilexit, quam Filium. 2. Iſaac, Gen. 24. *In tãtum dilexit Rebeccam: vt dolorem, qui ex morte matris eius acciderat, temperaret.* Ita Deus dilexit mundum, vt dolorem ex paſsione filii eo temperaret. 3. Dauid, interfectum in montibus Gelboe Ionatham ſic deplorat: *Sicut mater vnicum amat filium, ita ego te diligebam.* 1. Reg. 31. Ita Deus hominem quaſi lugebat lapſum in peccatum.

At nil ad Deum, noſtri amantem.

4. Deo multa præſtiterat Abraham, euocantem ſecutus Deum, exiit cognatione ſua, ancillam cum filio eiecerat: ad offerendum quoque filium cum paruiſſet, aiebat Deus: Gen. 22. *Nunc cognoui, quod timeas Deum*, quaſi dicat, ne quid vltra: maximum hoc amoris eſt ſignum. Ita multa Deus homini ante: at nil illuſtrius eo, quod *filium daret.* 5. Moabitarum vrbem obſidentes Iſraelitæ deſerunt, viſo quod eorum Rex ſuum filium immolaret in muro, 4. *Reg.* 3. Vel vt oſtendat, quam ad extrema ſit adactus: ait Abulenſis. Vel, vt Lyra, quo ſibi conciliaret Deũ Iſraelitarum, quem audierat ſibi propitiaſſe Abrahamum filii oblatione: vt adhuc poſteris inde faueret. Qui quidem ingens Regis erat amor in gentem ſuam, ac vrbem. Sed quid ad Dei in nos amorem? Rom. 8. *Qui proprio filio non pepercit: ſed pro nobis tradidit illum*: vt nos diabolica exolueret obſidione.

PARS III.

De amoris in nos diuini Exceſſu.

Dans Filium, ſe dedit. Quia Pater & Filius vnũ ſunt.

I. ILlius intenſum ardorem poſt factũ, etiam voluta. Sic innuit, quæ emphatica eſt: Vt Mar. 15. *Videns Centurio quod ſic clamans expiraſſet.* Et Luc. 2. *Fili, quid feciſti nobis Sic?* Ioann. 5. *Sedebat ſic fatigatus.* Ita. *Sic Deus dilexit mundum.* q. d. Tanto cum amore, quantus eſt Ipſe Pater, quantus Filius, quantus Spiritus S. Ergo dans Filium, ſeſe dedit. Inde Dominus, Ioan. 14. *Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum.*

Vnus in Deo exceſſus eſt, & is Amoris.

De amore illo Eph. 2. *Deus, qui dives eſt in miſericordia, propter Nimiam Charitatem ſuam, qua dilexit nos.* Notant Scholaſtici, nullum Dei opus appellari ſic exceſſiuũ, præter Amorem. Quem quantum in peccato hominum declaraut, per ſemetamoliendo: tantam iuſtitiæ ſeueritatem in Angelos diſtrinxit. An quod mente *Angelus apprehendit immobiliter*; vt D. Th. ait, 1. q. 64. art. 2. *homo autem mutabiliter?*

Amoriſque prodigi.

Notaſſe ſponſa videtur illum amoris exceſſum verbis iſtis, Cant. 8. *Oleum effuſum Nomen tuum.* q. d. Cum nil tuo ſit Nomine pretioſius, vt quod ſit ipſa ſalus; adeon' id prodige effundis? Hæc profuſio Dauidi calcar addidit gratitudinis. Hinc Pſal. 53. *Voluntarie ſacrificabo tibi, & confitebor Nomini tuo, quoniam bonum eſt,* vltra quam æſtimari queat.

Amantis inimicos.

II. Iam vero *Si, cum inimici eſſemus: reconciliati ſumus Deo, per mortem Filij eius*: Ro. 5. quanti is nobis eſſe debebit Amor? Merito eum Angeli obſtupeſcunt, Iſa. 63. *Quis eſt iſte, qui venit de Edom?* de terra hoſtili, & idololatrica? Indutus ibi naturam

Idque infinite, & gratis.

humanam, Deo tam exosam? Respondet iis Deus: Matth. 3. *Hic est filius meus dilectus in quo mihi bene complacui.* Respondet hic Ioannes: *Sic Deus dilexit mundum.* Non potuit nisi ex infinito Dei *Esse* creari mundus, vnde tot eius creaturæ *esse* acciperent ex nullo præexistente: nisi quod ita vellet Deus. Quæ & infinita fuit beneuolentia. Ita quoque ex nullo nostro præexistēte merito donauit nobis Filiū: quia gratis, ac *prior dilexit mundum.*

Vt cum Deo reconciliaremur.

Si verum, quod Ioan. 15. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis*: Quantam habuerit Deus qui dedit Filium inimicis? Quantam Filius, qui posuit animam pro iisdem? *Nam cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filij eius.* Ro. 8. Ideo Iussit Iesus, Matt. 5. *Diligite inimicos vestros; &c. vt sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est: qui solem suum oriri facit super bonos & malos.* Id est, solem iustitiæ Filium obtulit pro omnibus.

PARS IV.

De Amore Dei nos quærentis.

Dei incomparabilis amor nostri.

1. MAgnum videbatur Iacobo, dare Beniaminum fratribus, non inimicis, in Aegypto duntaxat sistendum pro obside redimendo Simeone, adque testandam fratrum innocentiam; & frumenti plus reportandum. *Gen.* 43. Non ita suo metuebat Filio Deus. Quia infinities plus diligebat nos inimicos suos.

Quasi nostram ambientis amicitiam.

Quin nostram Deus amicitiam quærere videbatur. Sicut *Gen.* 32. Iacob Esau fratris inimici; *placabo*, ait secum, *eum muneribus.* Sic nos Deus vt reconciliaret, dedit Filium suum pro munere. Quid est homo, quod ambias ipsum, Deus?

Disparatorum cōtentio.

1. Nos à via aberrasse cernebas; Ecce das Illum quia ait Ioann. 14. *Ego sum via.* 2. Eramus *mendaces filii hominum*: Ille datur, qui ait; *Ego sum veritas.* 3. Eramus in tenebris tenebræ; Das eum, qui ait: Ioan. 8. *Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris.* 4. Eramus vt oues errantes; Das eum, qui ait, Ioan. 11. *Ego sum Pastor bonus.* 5. Eramus viam veritatis ignorantes; At nunc Ioel. 12 *Filiæ Sion, exultate, & lætamini in Domino Deo vestro: quia dedit vobis Doctorem iustitiæ.* Isa. 55. *Ecce Testem populis dedi eum, Ducem, ac præceptorem gentibus.* 6. Dedit eum, cuius mors nobis vita fuit: sicut, *Gen.* 35. Rachaelis interitus Beniamino fuit occasio vitæ. Vnde ineffabilis Dei elucet amor, Filium dantis nobis pro nobis.

Vnigeniti donatio quanti.

II. Sed istud: *Vnigenitum* dari, iure obstupescit Chrysostomus hom. 27. in Genesin dicens: *Si filios plures habuisset, & dedisset vnum: hoc etiam esset maximum: Nunc vero Filium vnicum dedit.*

Erat Iacob complurium liberorum pater: Et tamen, *Gen.* 43. vel vnum natu minimum missurus in Aegyptum misere plorat: *Ego autem*, ait, *quasi orbatus absq; liberis ero.* Non sic Deus: Dedit Vnigenitum, & vltro. Parum hoc amanti: Addit & S. Spiritum.

Additur & S. Spiritus.

Verus nobis Elias est, duplicem dans Spiritum. Sed prius Filium: quia vt, (pro captus nostri modulo:) gigni filium in Deo prius fuit, quam Spiritum ab vtroque spirari: tametsi nihil in Deo, ad intra, prius posteriusque sit. Ita prius dari Filium oportuit, quam Spiritum S. Quod innuit Ioannes 14. *Spiritus nondum erat datus: quia Christus nondum erat glorificatus.*

PARS V.

De S. Spiritus dono, ex Christi merito.

1. In vno Spiritu omnia.

I. IN vno S. Spiritus dono, dona omnia. 1. Eph. 4. *Dedit dona hominibus*, in plurali: (Sicut in S. Scripturis vox, *Peccata*, pro vniuersitate peccatorum accipitur: Vt Psalm. 50. *In peccatis concepit me mater mea.*) Itaque Rom. 8. *Quomodo non etiam*

cum

cum illo omnia nobis donauit? 2. Sane, postquã, Isai. 9. *Filius datus est nobis*; nihil erat, quod denegari poterat. Diu quidem distulit donũ Deus, sed demũ dedit duplũ.

2. Qui tardè datus: sed duplicatum. 2. Laban, *Gen.* 29. ægre quidem filiam dabat Iacobo: at longo eius seruitio eam denique debebat: dedit; & cum ea dotẽ. Ita Deus quater annorum millibus dare distulit promissum. Vt dedit semel; addidit & S. Spiritum.

3. Datus ex Filii meritis de condigno. 3. Verum, vt Filius est donum iure promissionis gratuitum, ex nullius merito, ita *S.* Spiritus est donum ex merito Filii. Hinc, Ioann. 14. *Paracletus autem Spiritus, quem mittet Pater in nomine meo*, id est, ob merita mea.

Bella figura. Vt Iacob: *Gen.* 37. Iosephum mittebat ad filios; quod eos diligeret. At Ioseph dein suo merito ad summa omnia conscendit, deditque dona suis, aliisque Saluator Aegypti: Ita Pater *sic dilexit mundũ vt daret Filium suum.* Dein huic Matt. 28. *Data est omnis potestas in cœlo & in terra*, ex condigno merenti: Merenti quoque *S.* Spiritũ mitti. Hinc, Ioan. 15. *Cũ venerit Paracletus, quem ego mittã vobis à Patre Spiritũ Veritatis.* Et Io. 16. *Expedit vobis, vt ego vadã. Si enim non abiero; Paracletus non veniet ad vos. Si autem abiero, mittam eum ad vos.*

II. Adhæc, Quia Pater Filium dedit gratis: & Filius cum Patre *S.* Spiritum ex merito Filii: Spiritus, cũ persona quarta nor sit, quam daret; seipsum dedit.

Quia seipsum dat ipse. Hunc dãdo Pater egit, vt amicus; qui, cum dedisset omnia amico; demum cor ipsum extraheret sibi, daretque dilecto. 1. *Spiritus enim est, qui viuificat*, Ioa. 6. Quia vita est Dei. 2. Ideo, Gal. 2. *Viuo ego, iam non ego: viuit vero in me Christus.* 3. Et Dauid Dei vita viuebat. Sin; nõ dixisset Deus: *Inueni Dauid secundũ Cor Meũ.* Tale petebat idẽ Ps. 50. *Cor mundũ crea in me Deus:* Nec enim habeo: *Nam vt iumentum factus sum apud te*, Ah! Cor illi Betsabea abstulerat.

2. Et Deus ipsum dãdo cor suum dedit.

Vt vidit, periit: vt eum malus abstulit error.

Quam se penitus nouerat? quam depingit graphice? Certum est enim, quod *Fornicatio, & ebrietas auferunt cor.* Vel igitur cor Dei petit sibi dari; aut suũ emundari. Dat Spiritum Deus, & cum hoc cor suum.

PARS VI.

Quo fine datus sit Spiritus Sanctus.

1. *Vt affectaremus despoliare Deum.* I. ET vero idcirco suos in dato Filio thesauros ostendit, sicut 4. *Reg.* 20. Ezechias exteris Babylonijs suos: Quo similiter suis Deus à nobis exspoliaretur. Nam hoc optat, nec tamen inde minus habet, quanto rapimus plus, vimq; cœlo facimus.

2. *Vt duo certatim nostram operentur salutem.* 2. Duo terrestres interitum attulerũt, duo cœlestes salutem; Ita quoque Filius, vt peccata lueret Satisfactor: Spiritus; vt eluere et Sanctificator. Is, vt hostes eiiceret, hic, vt præsidium imponeret gratiarum.

3. *Vt Ecclesia nauis fieret vndequaque absolutissima. Ergo gratissimus.* 3. Ecclesiæ nauim instruxerat Iesus: Gubernatores Apostolos dederat: Sacramenta, in arma; Fideles, in milites, virtutes in tela. Crucem in malum; ventus derat. Orauit ille, & exorauit: *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.*

II. Eia, Anima mea; animam debeo obrutus beneficiis, tu exolue me. Sed, Ps. 138. *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* Dicam cum Apost. 1. Cor. 9. *Gratias ago super inenarrabili dono eius.* Nec; ex me vel ipsum hoc possum: Sed sufficientia mea Iesus.

Finio verbis ad Israelitas Mosis: Deut. 4. & 32. Deus *dilexit Patres tuos, & elegit eos. De cœlo fecit eos audire vocem suam; vt erudiret te, & in terra ostendit Ignem suum maximum.* Hæc in Filio, inq; *S.* Spiritu præstita sunt, atque completa.

Si igitur sis fidelis seruus, & prudens

Simusque fideles serui a bstinentesque peccati.

in domo Domini cũ solicitaris ad quodcunq; peccatum, dic cum Iosepho, Gen. 39. *Ecce Dominus meus omnib. traditis ignorat* (quasi) *quid habeat in domo: nec quicquam est, quod non sit in mea potestate, vel non tradiderit mihi.* Quid enim facere debuit, & nõ fecit tibi? 1. Qui tantum te amauit gratis; non illum tot, & infinitis de te nominibus meritum redamabis? 2. Hocque amplius: quia cum te sic dilexit inimicum; quantum iam diliget reconciliatum? 3. An non tecum expostulet Amor: *Si contra Deum fortis fui, quanto magis contra hominem* prævalere me fas est?

FERIA III. PENTEcostes.

Et repleti sunt omnes Spiritu Sancto. Actor. 2.

PHarao, *Ge.* 41. per quietem vidit septẽ spicas in culmo vno. Quibus tunc regni; nunc Ecclesiæ significatur abundantia. Nam illius ex essentia vna septem existunt dona in agro Ecclesiæ.

Super quibus nos iam

I. *De S. Spiritu generatim.*
II. *De VII Donis S. Spiritus generatim, deq; effectis eorum.*
III. *De dono Sapientiæ, & Intellectus.*
IV. *De dono Consilij, & Fortitudinis.*
V. *De Donis reliquis strictim.*

PARS I.

De S. Spiritu generatim.

Prophetia. I. IN S. Pagina S. Spiritus per pluuias & aquas designatur. 1. Ioel. 2. *Effundam de spiritu meo super omnem carnem.* 2. Psal. 67. *Pluuiam voluntariam segregabis hæreditati tuæ Deus.* 3. Isa. 55. *Omnes sitientes venite ad aquas.* 4. Ioann. 4. *Qui biberit ex hac aqua, non sitiet in æternum.* 5. Apocal. 21. *Ego sitienti dabo de fonte aquæ viuæ gratis.*

Vt enim nec homo viuere, nec terra germinare sine aqua potest: ita nec animæ sine S. Spiritu. Vnde Psalm. 142. *Anima mea sicut terra sine aqua tibi*; Ac proinde infrugifera. *Pluuiam necessaria Spiritui ob siccitatem longam annorum 3. Figura.*

Sub Rege Achab triennali siccitate fontes & flumina exaruerant, & erat vbique plurima mortis imago. 3. *Reg.* 18. Loquente Elia cum Rege, fit sonus; Et ait Elias: *Sonus hic sonus aquæ multæ.* (iam orarat prius.) Dixit: Et *Ecce cœli cõtenebrati sunt, & nubes, & venti, & facta est pluuia grã. dis.* Ita triennio, naturæ, Legis, & Prophetarum, clausum fuit cœlum: siccitas erat mera, & dira sitis gratiarum.

At Iesu in montem ascendente, & orante, *Ecce factus est repente de cœlo sonus, tanquam aduenientis spiritus vehementis.* Factaque est pluuia charismatum, & priscaim. pleta oracula sunt. Vt illud Mosis: *Percussit Petram,* in passione Christum: *& fluxerunt aquæ: & torrentes inundauerunt.* Ps. 66. *Etenim cœli distillauerũt à facie Dei Israel.* Quid? Spiritum Sanctum. Nam hic est, Cant. 4. *Puteus aquarum viuentium, quæ fluunt cum impetu de Libano.* *Veritas.*

II. Ioannes ait, Apoc. 22. *Ostendit mihi fluuium aquæ viuæ splendidum, tanquam Crystallum, procedẽtem de sede Dei, & agni:* id est, à Patre Filioque procedentem S. Spiritum, quorum Trium est vna Sedes Essentiæ. Qui Cant. 4. *Fons hortorum* dicitur, S. Spiritus intelligitur. Ex quo maxima per Ecclesiam *eleuauerunt Flumina Domine*, Apostoli scilicet, *eleuauerunt flumina vocem suam,* Ps. 92. *1. Processio S. Spiritus & vox in Apostoli.*

2. Posito in paradisum Ada, Gen. 2. *Ecce fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum:* Ita reuerso in cœlos Iesu, continuo ecce *Fluminis impetus lætificat Ciuitatem Dei, S.* Spiritus Ecclesiam. Ps. 45. *2. Missio eius ex meritoChristi.*

Prodit *Mela lib.* 2. Euripum in Bœotia quotidie septies reciprocari. Cuius cum Aristoteles causam nequisset capere; in eum *3. Est septiformis incomprehensibilis.*

eum se præcipitem dedisse dicentem *Nõ capio te? Tu cape me.* Est autem fluxus ille atq; re fluxus Euripæus ad instar torrentis, Atqui Isa. 30. *Spiritus eius sicut torrens inundans.* Et hic septies redandruans; *Tu septiformis munere*: Idemque infinitus altitudine, occultus causa, planeque incomprehensibilis: credibilis tantum. O quot in eo periere Euripo hæretici; Schismaticique pereunt Græci?

4. Fœcundans omnia.

4. Plinius tradit Nilum, Aegypti fluuium, certis anni temporib. late stagnare, suaque effusione & rigare loco pluuiæ, & oblimatos stercorare agros: eundemque septenis ostijs in Mediterraneum mare deuolui. Id natura. Quid gratia? Ecce Spiritus *Flumen Dei repletum est aquis.* Ps. 64. & cum septenis se donis effudit in mare mundi eluendi, ac fœcundandi.

Ille namque est fluuius iste, de quo Isa. 11. *Leuabit manum suam super flumen* Nilum, *in fortitudine Spiritus sui, & percutiet eum in septem rius.* Tunc ita quidem; iratus Aegypto rebus tristibus feriendæ: at nunc propitius nobis diuidet Septiformem gratiis, ad hostium perniciem; salutem nostram.

PARS II.

De VII. Donis S. Spiritus generatim: eorumque effectis.

Dona 7. Spiritus in Christo.

1 DE Messia, deque S. Spiritu sic Isaias c. 11. *Egredietur Virga de radice Iesse: & Flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum Spiritus Domini. Spiritus* 1. *Sapientiæ, &* 2 *Intellectus: Spiritus*, 3. *Consilii, &* 4. *Fortitudinis: Spiritus* 5. *Scientiæ, &* 6. *Pietatis, & replebit eum Spiritus* 7. *Timoris Domini.* Eph. 2. *In Ipso enim complacuit omnem plenitudinem Diuinitatis inhabitare.*

Et à Christo ad nos.

Et eadem ipse *Ascendens Christus in altum, dedit Dona hominibus.* Nam sine hoc spiritu nemo sapit, intelligit, &c. 1. Septé ab Planetis cœlestes influxus sunt in hæc inferiora necessarij: sed motu primi Mobilis impulsi. Ita ab istis septem donis in animas omnia, sed dante ea Iesu; *Act. 17. in quo viuimus, mouemur, & sumus.* 2. Testatur id ipse, Ioan. 16. *Expedit vobis, vt ego vadam. Nisi enim abiero, paracletus non veniet.*

Sed nota Septenarium in Scriptura accipi pro infinito, siue indeterminato. vt Ps. 118. *Septies in die laudem dixi tibi. Et Septies in die cadit iustus.* Hinc mysteria septenarij multa & alta.

1. Ea Cor Deo consecrant.

II. Nam Moses Leu. 8. *Cum sanctificans Aaronem & filios in Mystas, aspersisset altare septem vicibus*, vnxit illud, & omnia vasa eius. Plane 1. Cor. 10. *Omnia in figuris contingebant illis.* Quare, Heb. 9. *Christus Assistens Pontifex* erat: Ara, cor hominis, donis S. Spiritus septenis aspergendum. Eia *Asperges me Domine hyssopo, & mundabor. Ps.* 50. Et me vngat *spiritalis vnctio.*

2. Cor illuminans.

2. Ezechiel vidit in cœlo, *cap. 4. Ecce candelabrum aureum & septem lucernæ eius super illud.* Idem deinde in Ecclesia, *Num.* 8. Illud est S. Spiritus in cœlo, & in terra, ad illuminandas animas. 1. Pro quo orabat, *Ps. 17. Deus meus illumina tenebras meas.* 2. Illuminatus Ps. 33. *Accedite*, ait *ad eum, & illuminamini.* Etenim, *Ps. 145. Deus illuminat cæcos.* 3. Tãtum velis: iam *nox sicut dies illuminabitur* tibi *Psal. 137.* & ô luce quanta?

Lumini incõparabili.

Tabernaculum Moysis, *Exod. 16.* resplenduit ab candelabro 7. lucernarum: Et clarius Salomonis templũ, cui è cœlo accessit ignis, & diuinæ Maiestatis splendor, 2. *Par. 7.* victimas omnes deuorans. At multo clarius istis cor Spiritu plenum relucebit. Euibret igitur se splendor iste, 1. Pet. 2. *Vt Virtutes annuncietis eius, qui de tenebris vos vocauit in Admirabile Lumen suum.* Est enim admirabile candelabrum in Ecclesia, inque anima cuiusque, à quo intellectus voluntas, &c. illuminatur; affectus in bono roborantur, &c.

III. Eze-

3. *Christo id Conformant circũ spectum.*

III. Ezechiel vidit, c. 3. quod *super lapidem vnum septem oculi sunt. At lapis angularis, & Petra erat Christus*: 1. Cor. 10. Et Isa. 11. *requiescet super eum Spiritus Domini.* Ita Hier. & Hector Pintus.

4 *Corroborant.*

Ioannes Apoc, 5. *Vidi.* ait, *& ecce in medio throni, & quatuor Animalium, & Seniorum Agnum stantem, tanquam occisum habentem cornua septem, & oculos septem.* Agnus est Iesus, quotidie immolãdus. Num. 28. *Offeretis agnos anniculos immaculatos quotidie in holocaustũ.* Eius cornua sunt Potestas ac robur: Vt Ps. 131. *illuc producam cornu Dauid.* 1. Reg. 2. *Sublimabit cornu Christi sui.*

Obiecta singulorũ donorum.

Oculi septem sunt dona Spiritus, quibus omnia vndique illustria fiunt. Nam sapientia & intellectus cælestia: Scientia & Pietas naturalia & Sacra: Timor futura: Fortitudo & Consilium vtilia seu noxia intuentur, atq; dispiciunt. Vt Agnus fiat anima; similisque animalib. Ioan. in Apoc. & Ezech. 1. *oculis plena ante & retro.*

5. *Alligant cor Deo.*

IV. Credebant Philistæi, *Iud.* 16. Samsonem, neruis septem nouis ligatũ, euadere non posse. Sic Anima 7. donis Spiritus alligata Deo, non rapietur illi è manu. *Nam Iustorum animæ in manu Dei sunt.* Vel vno horum se ligari Dauid orabat, Ps. 118. *Confige Timore tuo carnes meas.*

6. *Fiduciã conferunt.*

Prou. 9. *Sapientia ædificauit sibi domum: excidit columnas septem.* Illa est Ecclesia vel Anima istis stabilita. Istis fretus Iob ait: c. 17. *Pone me iuxta te; & cuius uis manus pugnet contra me.* Quis enim prævalebit contra sapientem, intelligentem, fortem, consiliarium, pium, &c.

7. *Vitam reddunt.*

Puer Sunamitidis mortuus, post varias Elisæi ceremonias, 4. Reg. 4. oculos aperuit, & oscitauit septies. Ita Iesus super humanam naturam emortuam incubuit, factus homo: calfecit: resuscitauit: vitæque indicium fuit septiformis Spiritus.

8. *Desponsant Christo.*

Istud, Isa. 4. *Apprehendent septem mulieres virum vnum,* Christum Ecclesia, donis S. Spir. iam tum septemplicata, (ait Orig. hom. 3. In Isaiam: Et Cypr. in Exhort. ad Mart.) *in illa die* Pentecostes; *dicentes: inuocetur Nomen tuum super nos: aufer opprobrium nostrum.*

9. *Euertit hostes.*

V. Ios. 3. *Omnipopulo vociferante, & clangentibus tubis, muri* Iericho *illico corruerunt.* Mundus, animique peccatores, idololatria, &c. euersa sũt ad 7. tubas SS. Dii boni, quantus clangor Fortitudinis? Sapientiæ? Consilii? &c. 2. Tali vsus Isa. c. 58. *Quasi tuba exalta vocem tuam.* Quantæ tubæ Apostoli? Ps. 18. *In omnem terram exiuit sonus eorum.* 3. Talis Apocalypticus Angelus personam Dei gerens, Apoc. 4. Cuius *Vox prima, tanquam tubæ loquentis mecum,* plena Deo, ac Spiritu.

10. *Sunt Tuba.*

11. *Sunt nitrua.*

Quid? Quod Apoc. 10. *Et locuta sunt 7. tonitrua voces suas.* His peccatores terrentur, vt caput sustollant. An non *Sapientia clamat in plateis?* Quantus sonus Consilio. rum Euangelicorum est? Deserta, cœnobiaque repleuit. Fortitudo quot Martyres: Quot Doctores scientia fecit? Timor quod tonitru, &c.

12. *Sunt gradus ad cœlum.*

Ezech. c. 40. ait, *Septem graduum erat ascensus* in templum. Et per 7. dona S.S. est ascensus ad templum cælorum. Ipsa sunt *scala Iacob.* Nam *Initium Sapientiæ timor Domini.*

PARS III.

De dono Sapientiæ, & Intellectus.

Sapientia est donum diuinum.

I. BIna ac bina recensentur dona illa: timor autem solus. Par primum: *Sapientia, & Intellectus.* 1. Prou. 18. *Vbi Torrens redundans, fons Sapientiæ* dicitur: Qualis nulla est humana sapientia. 2. Item Psalm. 146. *Sapientiæ eius non est numerus,* quia infinita est: *& nihil* naturalium aut supernaturalium *absconditum est ei.*

Sap. humana, supernat.

Est itaque duplex sapiẽtia. Terrena *huius mũdi* quæ *stultitia est coram Deo.* 1. Cor. 3. Corinthij vero Græcique se perquam sapientes

pientes credebant. Sed & Romani in rebus gerendis. Quibus tamen scribitur Rom. 8. *Sapientia carnis inimica est Deo.* Et *Mors.* Quia terrena quærit. Vt is, cui dicitur Luc. 12. *Stulte, hac nocte repetent animam tuam à te.*

Cœlestis datur parvulis.

II. Cœlestis sapientia est prima in 7 donis Spiritus: Et datur tantum humilibus. 1. Psal. 18. *Sapientiam præstans parvulis.* 2. Mat. 11. *Confiteor tibi Pater, &c. Quia abscondisti hæc à Sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis.* 3. Infœlices, quos *scientia inflat*; & non perinde *charitas ædificat!* Stulti & bardi estis Deo. At vero Prou. 2. *Beatus homo, qui inuenit Sapientiam* &c.

Mundus eam non habet.

De Mundo dicitur Eccles. 7. *Stultus* antonomasticos *sicut Luna mutatur.* Dauid, etsi politicis in rebus sapiens: de se tamen fatetur, Ps. 72. *Vt iumentum factus sum apud te* in Spiritalibus negotijs.

Dauid eam precibus imperat.

Quocirca sic orabat. Psalm. 118. *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam.* Ibidem iterato: *Intellectum da mihi, & viuam.* Cui Deus, Psalm. 31. *Intellectum tibi dabo, & instruam te.* Dedit Psalm. 118. *Super omnes docentes me intellexi.* Ibidem *Super senes intellexi.*

Efficit prætiosos.

Hoc donum est, quod *infantes facit esse disertos* Salomones. 3. Reg. 4. *Deus dedit sapientiam Salomoni.* Ideoque 2. Par. 9. *Omnes desiderabant videre faciem Salomonis, & audire sapientiam eius.* Et beati inde serui eius ab Regina Saba prædicabantur.

Docet omnes scientias

III. Quanti vero discipuli ex Schola hac Sapientiæ prodiere? vt Angeli, Adam, &c. Noen docuit naupegiam: Iosuen, c. 10. astrologiam: Mosen rhetoricam. Exod. 3. *Obsecro Domine, non sum eloquens.* At causanti Deus: *Perge: Ego ero in ore tuo, & docebo te, quid loquaris.* Apostolos docuit omnia, quia *loquebantur variis linguis magnalia Dei.* Et *non poterat resisti sapientiæ* eorum. Vt promissum, Luc. 21. *Ego dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterunt contradicere, & resistere omnes aduersarij vestri. Nõ enim vos estis, qui loquimini; sed Spiritus Patris vestri.* Gloriatur Apostolus 1. Cor. 2. *Loquimur Sapientiam inter perfectos, quam nullus principum huius mundi cognouit: nobis autem reuelauit Deus per Spiritum suum.* Vere Ps. 93. *Beatus homo, quem tu erudieris Domine, & de Lege tua docueris eum?*

PARS IV.

De Dono Consilij & fortitudinis pauca.

Coniuncta valent.

I. COnsilio & Fortitudine in actum cogimus; quæ ardua intellectu & sapientia cognouimus. Neutrum sine altero vllius est pretij: At coniunctorũ vis eximia. 1. Hinc Emblema apud Alciatum, vbi pictiambo simul Vlysses vaferrimus, & Diomedes validissimus addita Epigrapha. *Vnus nihil: duo plurimum possunt.* 2. Idem prisci repræsentarunt pictis simul Mercurio vno sene, iuuene alio, id est, forti cum prudente.

Hæc illi. At Spiritus S. *Ipse dabit virtutẽ, & Fortitudinem plebi suæ.* Psalm. 67. Nam, Psalm. 60. *Est turris fortitudinis à facie inimici.* At vero *Terribilis in Consiliis super filios hominum.* Psal. 65. Consulit mundus honores, opes, volupt. &c. At Spiritus contraria omnia; quæ & supra, & contra filios hominum sunt.

Consilia Spiritus.

II. Quare Prou. 12. *qui sapiens est, audit consilia: via autem stulti recta in oculis eius.* Id eo enixe Psaltes 24 *Vias tuas demonstra mihi, & semitas tuas edoce me.* Viæ sunt mandatorum communium. Quæ *si vis ad vitam ingredi, serua mandata.*

Duriuscula egent auxilio Dei.

Semitæ Consiliorum sunt, inuentu & ambulatu difficiliores. Vt in ijs duce opus. Vnde *Ps.* 118. *Deduc me in semita mandatorum tuorum, quia ipsam volui.* Ps. 26. *Dirige me in semita recta.* Ps. 16. *Perfice gressus meos in semitis tuis.* Duriora sunt carni Consilia. Vnde Ps. 16. *Propter verba labio-*

rum tuorum ego custodiui vias duras paupertatis, cast. obed. hum. patientiæ.

Sunt tamẽ & suauia. Est tamen & suum illis delicium cœleste. Sunt iugum; sed suaue: onus, sed leue. 1. Quales pennæ aliti: hæ grauant, sed subleuant ad volatum. 2. *Audi* igitur, *quid loquatur in te Deus*; audi spiritus consiliũ: *& sine Consilio nihil facias.* Eccles. 32. 3. Temerarios deplorat Moses, Deuteron. 25. *Gens absq; consilio est. Vtinam saperent, atque intelligerent!*

Cauenda temeritas præceps. Cæsar Augustus pro symbolo gerebat in annulo Delphinum anchoræ illigatum, cum inscriptione: *Festina lente*: Idque cum in re omni; tum in consilijs. Hinc animæ dicitur Psalm. 44. *Audi filia*, promissa, vel iussa; *& vide* pericula, *& inclina aurem tuam* Deo loquenti ad cor.

PARS V.

De reliquis donis excursim.

I. PArt tertium donorum est, *Scientia, & Pietas*, 1. Hic, 4. *Reg.* 2. Eliæ spiritus est duplex. 2. Hi oculi duo sponsæ, Cant. 5. *Oculi tui, sicut columbæ.* 3. Sunt, *Gen.* 1. illa duo, quæ *fecit Dominus luminaria magna.* 4. Hisce, Prouerb. 31. *omnes domestici eius*, Sapientiæ, *vestiti sunt duplicibus.* 5. De hisce Sponsus ad Sponsam. Cant. 1. *Murenulas*, ait, *aureas faciemus tibi vermiculatas argento*, id est: Virtutes adijciamus tibi scientijs humanis vermiculatas. Has S. Spiritus largitur. Ideo, 1. *Reg.* 2. dicitur *Deus scientiarum Dominus est, & ipsi præparantur cogitationes.* Nil vsquam in Christianis doctorum fuit hominum, quod non ab hoc Spiritu. Nam 2. Petr. 1. *Spiritu sancto inspirati locuti sunt Sancti Dei homines.*

II. Supereſt *Timor Domini*, cuius epitheton Psalm. 18. *Timor Domini Sanctus.* Et vero *Initium Sapientiæ timor Domini.* Sed timeo, ne sim longior. Itaque, diue Spiritus, esto mihi, quod ais ipse: Zach. 1. *Ego ero ei murus igneus in circuitu.* Inspira me, vt mortuum Elisæus, 4. *Reg.* 4. septies, vt viuam tibi, &c.

DE F. SS. PHILIPPI ET IACOBI Apostolorum.

Non turbetur cor vestrum, neque formidet. Ioan. 14.

IN Arca Moysis, seu Tabernaculo, *Exod.* 25. duo stabant Cherubini ex auro, sese respectantes, alis expansis. Aureum charitate par Apostolorum est istud in Ecclesia, obumbrantes eam alis patrocinij sui, &c.

Nos in præsens

I. *Encomia Apostolorum nonnulla.*
II. *De Passionum turbatione.*
III. *De Turbatoribus, & turbatis.*
IV. *Typis designati fuerunt Apostoli.*
V. *De S. Philippo, & S. Iacobo singulatim pauca.*

PARS I.

Encomia Apostolorum quædam.

I. MAiestatem Ecclesiæ depingit Psal- *Apostoli sunt Dij terra.* mus, Psalm. 46. *Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham*, relictis idolis suis facti sunt Credentes; *quoniam Dij fortes terræ vehementer eleuati sunt*; qui fuerant serui dæmoniorum, iam sunt *Dij scuta terræ*, vt S. Hier. vertit: ideoque honorandi sunt. Vel, vt S. Chrys. exponit: *Principes* sunt Christiani facti; *quoniam Dij* Apostoli *eleuati sunt* scientia, spiritu, miraculis, fic! vt nil eis esset resistendo. Aperuerunt Euangelio terras, maria, insulas; vicerunt Principes, dæmones, mortem. Impletumque istud Psal. 27. *Dabit fortitudinem plebi suæ.*

Vt Apostoli vere sint *Dij scuta terræ*, & *Sunt Eclesiæ protectores.* protectores. 1. Quales 1. *Paral.* 5. Rubenitæ, & Gadditæ *Viri bellatores, scuta portantes & gladios, & tendentes arcum, eruditique ad prælium* Apostoli contra idola, tyrãnos, &c.

2. Ipsi

2. Ipsi fuerunt Cant. 5. *Mille clypei*, qui *pendent ex ea* turri Dauidica Ecclesiæ. 3. *Facit Rex Salomon ducenta scuta aurea* ad decus Templi suspensa in eo, 3. Reg. 14. *Et ecce*, Matth. 12. *plus quam Salomon hic Christus*, qui elegit Apostolos Principes.

Eadem scuta rex AEgypti sustulit; & Roboam rex Israel alia ænea substituit, ita sublatis tyrannide Apostolis, hæreses dæmon inuexit vt scuta ænea; de quibus Psal. 45. *Arma & scuta comburet igni.*

Sunt Amici Dei, & diuturnarii.

Quantum, quod Apostoli etiam Amici Dei sint? Ioan. 5. *Vos autem dixi AMICOS: quia omnia, quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis*: quorum capaces eratis. Vt fuerint velut secretarii Christi. Quo, Psal. 131. *Nimis honorificati sunt amici tui Deus; nimis confortatus est Principatus eorum*, super vniuersam terram; imo & cœlos. Hinc varij eorum in S. Scr. tituli. *Sal terræ, Lux mundi, Ministri N. Testamenti.* 2. Cor. 3. 4. *Dispensatores mysteriorum Dei.*

Duodenarius eorum numerus typicus.

II. Numerus quoque eorum duodenus ex Figuris multum eos illustrat. 1. *Nu.* 1. Principes XII. Tribuum à Moyse electi. 2. *Ios.* 4. Lapides ex peruadato Iordani exportati, super quibus tentoria explicarent Israelitæ: an non XII erūt fidei articuli Apostolici? 3. *Nu.* 12. Principes XII. quanta offerebant ad Tabernaculum: quanta charismatum dona Apostoli ad Ecclesiam. 4. *Apoc.* 21. Portæ XII. & fundamenta designant Apostolos. 5. XII. Fontes Elim, *Num.* 33. sunt ij, de quibus Isa. 12. *Haurietis aquas* gratiæ *de fontibus Saluatoris* Apostolis.

Sunt Oeconomi Christi.

Oeconomi sunt Christi: 3. Reg. 4. *Habebat Salomon XII. Præfectos super omnem Israel, qui præbebant annonam regi, & domui eius.* Tales in cæteris SS. Phil. & Iacobus.

PARS II.

De passionum turbatione.

Animatio Apostolorū ibi.

I. ANte conflictum Duces de more in exercitu spiritum militarem excitant oratione qua victorias obtentas, & gazas, factaque maiorum extollunt; deprimuntque hostem, spe facta victoriæ & prædæ. 1. Vt Antigonus relatam ex hoste gazam ostendens tātum aiebat. *Hæc sunt, propter quæ pugnatis, ô Socij.* 2. Iudas Mach. 2. Mach. vlt. *hortabatur suos, ne formidarent ad aduentum nationum; sed in mente haberent adiutoria sibi facta de cœlo; & nunc sperarent ab Omnipotente sibi affuturam victoriam.* Christus, positis contra dæm. mun. carnem castris suis, suos ita compellat. *Non turbetur cor vestrum, neque formidet*: sed contra audentius ite.

Ob trinā turbationem.

Tria prædixerat Dominus, Apostolos perturbatura: 1. *Adhuc modicum vobiscum sum.* 2. *Vnus vestrum me traditurus est.* 3. *In mundo pressuram habebitis.* Hodie metum his discutit: *Non turbetur*, &c. Ad patientiam animat spe gloriæ: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.*

Passionum vis & propassionum.

II. Passionū vis permagna est tum in rationem obscurandam, tum in humores ciendos ad vel inflammationem, vel pallorem. Et *primi* quidem *motus non sunt in hominis* potestate; secundi vero sunt propriæ voluntatis: ac proinde laudabiles aut vituperabiles.

Timoris vis.

In passionibus Timor potens est. 1. Psa. 17. *Cor meum conturbatum est in me, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorū, & ipsum non est mecum.* 2. Ita; vt Polypodi pisci euenit: is ex terrore lapidi, naui, aut ipsi piscatoris manui adhæresci terrore obstupefactus. *Non sic turbetur cor vestrum.*

Vincendæ est.

Non sic Apostolus. 2. Cor. 4. qui ait: *In omnibus tribulationem patimur; sed non angustiamur* vt animum despondeamus. 2. Talem infractum videns, vere Visionem magnam videt, *Exod.* 3. vt Moyses Rubum ardentem; sed incombustum. Talis aiebat: *Si exurgat aduersum me prælium in hoc ego sperabo.* 3. Generosus equ⁹, Iob 39.

cum audierit buccinam, dicit, vah! i. gestit. *Nō* ergo *turbetur. &c.* Deut. 20. *Si exieris in bellū contra hostes tuos; & videris maiorem aduersarij, quam tu habeas multitudinem; non timebis eos, quia Dominus Deus tecum est.* Ergo nō turbabor: Sed Iob. 17. *Pone me iuxta te; & exiguis manus pugnet contra me.*

Passionum species tres.

III. Passionum tria genera S. Scripturę notant: 1. Cum ob peccata quis perturbatur. Vt Psalm. 47. *Ipsi videntes turbati sunt, commoti sunt; tremor apprehendit eos.* 2. Cor. 7. *Gaudeo propter vos, quia contristati estis ad pœnitentiam,* Dauid Ps. 6. *Sana me Domine, quoniam conturbata sunt omnia ossa mea.* id est, *anima mea turbata est valde; sed tu Domine vsquequo?* Cur? Ps. 37. *Non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum.* Eccur & hoc? Ps. 6. *Turbatus est à furore* Dei *oculus meus.*

1. Ob peccata.

2. Ob casū naturalem aut ciuile.

2. Species perturbationū est tolerabilis, cum doletur ob licitam causam; vt ob mortem, morbum, &c. Ita *Gen.* 37. Iacob lugebat Iosephum: Iob, *cap.* 1. *Scidit vestimenta sua, & tonso capite corruit in terram.* Et tamen *In omnibus his, non peccauit Iob labijs suis.* Dominus, Mat. 27. *Tristis est anima mea vsq; ad mortem.* Ioa. 12. Nunc anima mea turbata est.

3. Ob cōcupiscentiam.

3. Species perturbationū vitiosa est: fit ob amissionem rei concupitæ. Psal. 108. *Turbati sunt, & moti sunt sicut ebrius, timor apprehendit eos, & omnis sapientia eorum deuorata est.* Ita q; Cor *impij quasi mare feruens, quod quiescere non potest.* Isa. 57. Hinc suauiter mouebatur Martha, solicitior iusso: Luc. 10. *Solicita es, & turbaris.* &c. *Non turbetur cor.*

PARS III.

De Turbatoribus, & Turbatis.

Turbatores sunt Principes sæpe.

I. HEm, quot cient turbas iā, qui sedare deberēt: 1. Ionathas ait, 1. Re. 14. *Pater meus turbauit terrā.* Quia *Adintrauit populū dicens; maledictus vir, qui comederit panē vsq; ad vesperā, donec vlciscar de inimicis meis.* Ipse forsan satur erat: suis panē vetabat. 2. Quot sunt qui Mat. 13. *dicunt, & non faciūt: alligant onera grauia, & importabilia imponūt in humero, digito autem suo nolunt ea mouere.*

Non huc potestatē acceperunt. 2. Cor. 13. *Potestatem quam Dominus dedit mihi in ædificationem; & non in destructionem.* Turbator erat Achab rex; cui Elias, 3 Reg. 18. *Non ego turbaui Israel; sed tu, & domus patris tui, qui dereliquisti viam Domini.*

1. Inobedientes.

2. Inobedientes turbant: vt Achan: Ios. 7. *Quia turbasti nos, exturbet te Dominus in die hac. Vnus improbus tantum valebat ad omnes turbandos.*

3. Peccatores.

3. Peccatores turbāt, sunt causa bellorū, cladum. &c. 1. Eccl. 28. *Vir peccator turbat amicos.* 2. Ita Ionas, *ca.* 1. Deo parere recusās, tantæ causa tempestatis erat. Bis malum, q; vicinū: quale cōsortium malū. 3. Italudas causa, vt turbarentur in Cœna Apostoli. 4. Detractores turbant. Eccl. 28. *Multos perturbat pacē habētes bilinguis & susurro.*

4. Detractores.

Sex turbabilia in homine.

II. Sex in homine turbari solere S. Scrip. notat. 1. Mens & spiritus: Vt Assyrij Holopherne obtrūcato, Iud. 14. *turbati sūt animi eorū valde.* 2. Anima Ps. 6. *Anima mea turbata est valde.* 3. Oculus. Ps. 6. *Turbatus est à furore oculus meus.* 4. Cor. Ps. 142. *In me turbatum est cor meum.* 5. Sensus. Ier. 4. *Sensus corporis mei turbati sunt.* 6. Ossa. *Conturbata sunt omnia ossa mea.*

Ergo cor custodi.

Cordis vero custodiam inprimis cōmendat Dominus: *Non turb. cor vest.* q. d. etsi sensus, oculi, ossa, mens turbētur. Mirum! Turbetur terra: 1. Reg. 14. *Pater meus turbauit terram.* Cœlum, Isa. 15. *super hoc cœlum turbabo.* Mare Psal. 64. *Qui conturbas profundum maris.* Montes Ps. 7. *Fundamenta montium cōturbata sunt.* Insulæ, Ez. 26. *Turbabuntur insulæ in mari.* Abyssi. Psal. 76. *Timuerunt, & turbatæ sunt abyssi.* Ista, inquam, omnia turbentur; *non tamen turbetur COR vestrum.* Tale ijs erat: Psal. 45. *Non timebimus, dum turbabitur terra.* id est, etsi fractus illaba-

illabatur orbis. Ratio confidentiæ: quia Psl. 72. *Deus Cordis mei, & pars mea Deus in æternum*: Hebræa sonat: *Deus petra cordis mei & rupes.* Quare, Prou. 4. *Omni custodia serua cor tuum.*

PARS IV.

Typis designati fuerunt Apostoli.

Typi Apostolorum.

I. SS. Phil. & Iac. sunt Tubæ duæ argenteæ malleatione tribulationum productæ, quibus canebatur ad mouēda castra. *Nu.* 10. Ita argētei sunt virtutibus, incude patientiæ fabrefacti. 2. Sūt duæ Columnæ æreæ, 3. *Reg.* 7. quibus porticus Salomonis nitebatur 3. sunt duo sponsæ Vbera, Cant. 4. *Vbera mea quasi turris*: ob charitatem, & doctrinæ abundantiam: quib. lac dederunt paruulis. Iuxta Isa. 66. *Ad Vbera portabimini.*

Apostoli sunt Nubes contemplatiuæ.

4. Sunt Nubes. *Psl.* 6. *Vocem dederunt Nubes*: loquentes: Sed & volantes: *Psl.* 60. *Qui sunt isti, qui vt nubes, volant?* 1. Ambo, vt nubes, sublimes in contemplatione. Hinc Philippus: *Domine, ostende nobis Patrem*: quasi præ hoc cætera fastidiret omnia. Talis Phil. 3. *Nostra*, ait, *cōuersatio in cœlis est.*

Obedientes.

2. Vt nubes, mouentur ambo. At nubes mouentur motu solis, qui est, *Psalm.* 134. *Educens nubes ab extremo terræ.* Et motu ventorum: Ita Apostoli 1. E limo terræ extracti eleuantur in altum regimen animarum, ac gentium; demum in cœlum beatum. *Psalm.* 146. *Qui operit cœlum nubibus* At, Vento spiritus ferebātur. Deut. 33. *Magnificentia eius discurrit nubes.* Vt singuli dicere possent. *Psalm.* 142. *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Tales rotæ, Ez. 1. *Vbi erat impetus, illuc gradiebantur rotæ, currus triumphalis Ecclesiæ, & militantis.*

Fluentes doctrinā.

II. 3. Vt nubes naturæ sunt quasi cellariæ, sitientem aquantes terram: nam Eccles. 11. *Si repletæ fuerint nubes, imbrem effundunt super terram.* Ita Apostoli. Prou. 3. *Sapientia illius eruperunt abyssi, & nubes rore concrescunt. &c.*

Aliæ degeneres nubes, honoribus eleuatæ, Iudæ Epist. *Nubes sine aqua, quæ à vētis circumferuntur.* Hi ventos & tempestates in Ecclesia ciere, & perdere fruges nati. Dira plaga Dei. Isa. 5. *Mandabo nubibus, ne pluant super terram.*

Fœcundātes terram.

4. Nubium est, fœcundare terram: Ab Apostolis factum, Nam *Psal.* 18. *In omnem terram exiuit son. eorum*: sonus verborum, virtutum, &c.

Digressio.

Non pompæ, ditationis suorum, præbendarum. Nunc fere, Ier. 61. *Pascit vnusquisq; eos, qui sub manu sua sunt* cognati. &c. 2. Similes puteis altis, qui sibi conditam seruant aquam, emanantem fundunt nullam, nisi labore exantlatam: Prou. 5. *Habeto diuitias & scientias solus; nec sint alieni participes tui.* 3. Similes mari nubes humectanti vaporibus, non indigas: ita opulentos, nobiles ij beneficiis cumulāt. Contra quam Luc. 14. *Cum facis conuiuiū, noli vocare diuites.* &c.

Typus.

Aliter ille, Gen. 2. *Fons*, qui *ascendebat de terra, & irrigabat vniuersam superficiem terræ.* Ita Prou. 5. *Deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide*: aquas doctrinæ, vitæ, &c.

Tonantes.

5. Nubes fulgurant, tonant. Ita miraculis & exemplis Apostoli. *Psal.* 76. *Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ, commota est & contremuit terra.*

PARS V.

De S. Philippo, & S. Iacobo singulatim pauca.

Philippi prædicatio

I. S. Philippus è patria SS. Petri & Andreę Bethsaida, id est, domo venationis, oriundus; illud cum eis compleuit Ieremiæ c. 16. *Mittam eis venatores multos, & venabuntur eos* in montibus. &c. Et venatus est; idq; in quam altis montibus? Domine, ait, ostende nobis Patrem.

Familiaritas cum Christo. Maior hæc eius cum Christo est familiaritas: quam Ioannis scisitantis: *Domine, quis est, qui te traditurus est?* tantoq; confidē. tior, quanto res postulata est diuinior.

Prudentia. Nec eius minor Prudētia fuit; vt Christo ab consiliis. Ioa. 6. *Philippe, vnde ememus panes, vt manducent hi?* erat ea Gentibus perspecta: ideo Ioan. 12. *Venerunt ad Philippum dicentes; Domine, volumus IESVM videre.*

Pietas. Pietate in Deum præ cæteris præstitit. Nam suis in petitionibus alij honores quærebant: Matth. 20. *Dic, vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dextram, & alter ad sinistram.* Alij, futurorum notitiam: Matth. 24. *Dic nobis, quando hæc erunt?* Alij vindictam: Luc. 9. *Vis dicamus, vt descendat ignis de cœlo, & consumat eos?* Alij mercedem. Matth. 5. *Ecce, nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis?* At S. Philippus cœlestia tantum: *Domine, ostende nobis.* &c.

Mors. Demum Hierapoli Phrygiæ crucifigitur. Id quod ibi tam infame; vt, teste *Bapt. Pio. c.* 35. tum expiatam domum & sanctam putarent, si in ea vespertilionem, aut simile fœdum quid cruci affixissent; tum vrbes & resp. Dijs reconciliatas, si flagitiosus quis fuisset crucifixus. Hinc Sap. 2. *Morte* crucis *turpissima condemnemus eum.*

S. Iacobus cur Minor. II. S. IACOBVS dictus Minor vel quod vocatione posterior, vel quod Maior cum Petro & Ioanne à Christo in consilium vocaretur, non hic; vel quod humilior visus.

Sanctificatio eius. S. Hieron. & Hegesippus aiunt, fuisse in vtero matris sanctificatum: quam gratiam ita semper integram conseruauit, vt vndiq; eius gratia visendi, tangendi, osculandiue confluueretur.

Rigor vitæ. Accessit vitæ austeritas, nam *siceram*, ait S. Hieron. *non bibit, carnem non edit, ferrum in caput eius non ascendit, oleo nō vnctus, balneo non vsus est.*

Adhæc adeo similis Christo fuit, vt vix dignosceretur, vnde frater Domini dictus *Gal.* 1. Et Iudas osculo Dominū ab eo discreuit. *Similitudo Christi.*

Errat autē Eusebius dicens ex Iosepho nutricio Christi natum; hincq; Minorem dici, & fratrem. At S. Hier. contra Heluidium docet, ex Cleopha fratre Iosephi, & sorore B. V. Maria genitum fuisse. *Frater Domini.*

Quantum, quod resurgens Dominus, 1. Cor. 15. *visus est Cephæ post vndecim; dein visus est Iacobo*, ex speciali gratia? Quod Apostolorum suffragio primus sit Ierosolymorum electus Episcopus, & primo Ecclesiæ Concilio præsederit? Causa illius assignatur non vna. 1. Quod qui similior Domino, idem eiusdem quoq; foret Solymę successor. Eccles. 8. *Mortuus est pater, & quasi non est mortuus; similem enim reliquit post se.* *Primus Patriarcha.* *Ob simil. tudinem.*

2. Quia, ait *S. Bern. lib. de consid.* in Deut. iubetur frater suscitare semen fratris defuncti absq; prole, ducta vxore eius. At S. Iacobus erat frater Domini, & Dominus paucos Ierosolymis conuerterat, Deo renatos. S. Iacobus conuertit multos; quos Christo ferebat acceptos; cuius nomini dabat gloriā. Vt Ioab. 2. Reg. 12 nunciabat Dauidi, *Dimicaui aduersus Rabbath*, iam proxime capiendam: inuitabat ergo Regem in gloriam: *Obside ciuitatem, & cape eam; ne cum à me vastata fuerit vrbs, nomini meo adscribatur victoria.* Ita Prælati, Non nobis, sed Deo gloriam: *Et cum feceritis omnia, dicite; serui inutiles sumus.* *Ob iuu fraternum.*

3. A quo significaretur, Ecclesiam Ierosolymitanam non perennaturam; sicut nec Pontificatus Iudæorum: eo quod successio fieret in linea cognationis. Petri vero Pōtificatus erat ęternaturus. ideo spiritus successio erat, nō sanguinis in eo. *Ob portentum.*

4. Causa, Figura est. Ge. 25. Rebeccæ gemini indole discrepantes, proinde & sibi pugnantes; notabāt in Ecclesia fore sēper malos *Ob Typū.*

malos bonis mixtos, Dein maiorem minor supplantauit: ita Petro maiori Iacobus Minor Ierosolymis ante positus fuit. Hinc Gal. 2. *Cum cognouissent gratiam, quæ data est mihi, Iacobus*, Cephas, *Ioannes, qui videbantur columnæ esse; dexteras dederunt mihi & Barnabæ societatis.* Vbi Iacobum anteponit.

Est columna S. Sacramentorum.

Forte quia insignior Sacramentorum zelator. Nã missam primum publice ceremoniis exornauit, & celebrauit: Quos dein ritus S. Basilius & Chrys. in suis Liturgijs secuti in Græciam inuexerunt. 2. Columna fuit Cõfessionis auricularis: *Confitemini alterutrum peccata vestra.* 3. Columna item extremæ Vnctionis; vt de ea nullus disertius. Iac. 5. *Infirmatur quis in vobis; inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngẽtes eũ oleo in nomine Domini* 4. Columna operum bonorum fuit: Orationis maxime; vt genua quoq; callum duxerint camelinum.

IN FESTO SS. PHILIPPI ET Iacobi Minoris Apostolorum.

Suppleuit Enucleator.

Non turbetur cor vestrum. Creditis in Deum, & in Me credite.

Ioan. 14.

NIcanor: 2. Mach. 15. *cum summa superbia erectus, cogitauerat commune tropæum statuere de Iuda:* 2. *Et cum omni impetu die Sabbati committere bellum.* Dicẽtibus Iudæis: *Honora eum: qui vniuersa conspicit;* aiebat: *Si est potens in cœlo, qui imperauit agi Sabbatum? Et ego potens sum super terram, qui impero sumi arma, & negotia Regis impleri.*

Machabæus autem semper confidebat cum omni spe, auxilium sibi à Deo affuturum. 2. *Et hortabatur suos ne formidarent ad aduentum nationum: sed in mente haberent adiutoria sibi facta de cœlo: & nunc sperarent ab Omnipotente victoriam: Et allocutus eos de lege, & c. promtiores cõstituit. Singulos aũt armauit, non clypei & hastæ munitione: sed sermonibus optimis, & exposito somnio* de Onia, & gladio Iudæ. &c.

Ita Dęmone aduersum Fideles ac Deũ furente; Christus hic suos animat: exposita visione mansionum in cœlis, ac Paternæ secum vnitatis fide proposita.

Nos itaque in præsens

I. De Apostolorum typico præconio.
II. De Turbatione pastorum & rationis.
III. De constantia Rationis in turbatione.
IV. De antidotis euangelicis aduersum turbationes.
V. De aliis ex Euangelio tribus aduersum easdem.
VI. Par hoc Apostolorum Typis adumbratum.
VII. De vitæ periodo S. Philippi.
VIII. Vitæ summa breuis S. Iacobi Minoris.

PARS I.

De Apostolorum typico præconio.

I. *ITerum veniam, & accipiam ad meipsum: vt vbi Ego sum; & vos sitis.* Mira hæc & Charitas Christi; & Apostolorum est Dignitas. Ac laus ea, ceu & gratia, Apostolorum communis est omnium, esse interiores & à secretis, & in amicis Christo. Moriturus enim ait: Ioan. 15. *Iam non dicã vos seruos; sed Amicos: quia seruus nescit voluntatem Domini sui. Vos autẽ dixi Amicos: quia omnia, quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Omnia quorum capaces erant: 2. quæ amicus amico credidit: 3. quæ Apostolatui necessaria. 4. quæ saluti hominum. *Sunt amici Christi.*

His ideo consona dedit nomina suis: vt, Sal terræ; Lux mundi; Principes Ecclesiæ, & primitias spiritus impertiit. *Ideoq; Omniscij.*

Et congruis eos typis præsignauit. 1. *Gen.* 17. Ismael mũdus XII. *Duces generabit:* quorum nomina, *Genes.* 25. recensentur. *Typis signati tanquam.* 1. *Electi è mundo.*

Verum

Verum eos Dominus vocauit de mũdo; & ex filijs Abrahæ vet. Teſtamenti fecit filios Iaco bi fortis contra Dominum, id eſt Chriſti Patriarchas XII. qui creſcerent in XII. Tribus Iſrael, Gentis Chriſtianæ: iuxta ſuam cuique datam à Iacob benedictionem. *Gen. vlt.*

2. *Doctores* 2. Moyſes XII. Principes elegit, qui ducerent, & docerent populum. Ita Dominus. 3. Ioſue, *c.* 4. viros elegit XII. qui de medio Iordanis tulerunt XII. Lapides, ſuper quos figerentur tentoria & caſtra Iſrael. Sic Apoſtoli de medio mundi electi, tulerũt de medio *S.* Scripturæ XII. articulos fidei, quibus inniteretur Eccleſia.

3. *Baſes:*

4. *Fontes.* 4. Eccleſia ait *S. Hier. Epiſt. ad Fabiolam.* 5. *Prædeſtinati.* *to.* 3. eſt Elim, Exo. 15. *Vbi erant XII. fontes aquarum, & LXX. palmæ.* 5. Apoſtolorum nomina ſex vni, & ſex alteri inſculpta Onychi; Exo. 28. incluſaque auro in ſuperhumerali portantur ab Aaron coram Domino. *Gaudete, quoniam nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis.* 6. Ibidem, *Exod.* 28. In Rationali gemmæ XII. inſcriptæ XII. nominibus Tribuum, coniunctæ catenulis duabus, charitatis geminæ, poni iubentur: cum quo Pontifex inibat ſanctuarium; Chriſtus Eccleſiam ac cœlum cum ſuis XII.

6. *Beati.*

7. *Panes mundi.* 7. Ijdem ſunt Propoſitionis Panes XII. *Leu.* 24. ex ſimila facti, ſuper menſam cum thure impoſito. Nam & ſaliant cunctos, & redolent odore thureo his in ſalutem, alijs in mortem. 8. *Nu.* 17. Virgas XII. ſingulorum Principum Iſrael in Tabernaculo ponit Moyſes, Domini iuſſu: inter quas Aaronica germinat. Sic Chriſtus inter Apoſtolos in virga ad mundum venientes.

8. *Virgæ orbis.*

9. *Victimæ & oblationes.* 9. Vide oblationes in dedicatione altaris, à XII. Principib. factas, & victimas; *Nũ.* 7. ac ſenties ſingulorum ab iis Apoſtolorum eſſe vitam, labores, ac paſſionẽ velut repræſentatam.

10. Moyſes *Deut.* 1. *Nũ.* 13. miſit XII. viros in terram promiſſam exploratores, iuſſu Dei. Chriſtus Apoſtolos. &c. 11. *Habebat Salomon.* 3. Reg. 4. *duodecim præfectos ſuper omnẽ Iſrael, qui præbebant annonã Regi, & Domui eius.* &c. Apoſtoli Chriſto & Eccleſiæ.

10. *Explaratores vtriuſque orbis.* 11. *Paſtores*

12. *Salomonis* mare fuſile XII. bobus innitebatur: 3. *Reg.* 7. *&* 2. *Par.* 4. *Item* 3. *Reg.* 10. Thronus *Salomonis* ab XII. Leunculis ſuſtentabatur: Thronus, Doctrina eſt Eccleſiæ, Mare, orbis at Chriſtianus. Alia talia complura & myſterii, & dignitatis plena prætereo.

12. *Baiuli Eccleſiæ, Thronique doctrinæ.*

Totum Pſaltes ita complexus eſt. Pſ. 46. *Deus ſedet ſuper Sedem ſanctam ſuam: Principes populorum congregati ſunt cum Dijs Abraham: quoniam Dij fortes terræ vehementer eleuati ſunt.* Quid altius dici poſſet? *Ego dixi, Dij eſtis.* Sic Veritas Scripturæ.

13. *Principes & Dij terra.*

II. Quid SS. Patres? Mirificam Apoſtolorum dignitatem ex typis item propoſuerunt venerandam. S. Hieron. tom. 4. lib. 2. in ca. 3. Abacuc. *Fluuios ſcindes terra. Cerne Apoſtolos XII. Intellige exire de paradiſo fluuios XII. Iſti ante, quam terra commoueretur, latebant in terræ venis, & ſitientibus poculа non præbebant. Poſtquam vero ad Chriſti aduentum omnis terra concuſſa eſt, ſubito proruperunt. Tunc,* Pſ. 106. *poſuit Dominus deſertum in ſtagna aquarum, & terram ſine aqua, in exitus aquarum, & habitare fecit ibi eſurientes, & conſtituerũt Ciuitatem habitationis.*

Orbem irrigant & fecundant.

Huius ciuitatis *Fundamenta in Montibus ſanctis*, Pſ. 86. id eſt, Apoſtolis, ait S. Hier. tom. 7. ibidem. *Quia in his primum poſita eſt Fides Eccleſiæ. Legamus Apocalypſin,* cap. 21. *Vbi ædificatur Ieruſalem, & XII. portæ ipſius dicuntur de XII. lapidibus pretioſis conſtructæ. Illa diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob, ſuper omnes veteres ſanctos.*

Eccleſiæ ſunt fundamenta.

Quid ciuitatis fundamenta dico Apoſtolos? *Cœli ſunt Apoſtoli*, ait *S.* Auguſt. tom. 8. Conc. 2. in Pſalm. 32. *per quos compulſi ſumus, vt per totum mundum ſeges Eccleſiæ*

Orbigratiam conciliant.

ſiæ pullularet. Ergo miſericordia Domini plena eſt terra: Vnde? Miſſi ſunt cœli, vt eam ſpargerent. Nam alibi, Pſ. 11. *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera. &c. Non ſunt loquelæ, neque ſermones, quorum non audiãtur voces eorum. In omnem terram exiuit. &c. Quomodo auſi ire ex infirmis electi? Verbo Domini firmati ſunt. Vnde enim haberent tantam virtutem oues inter lupos? Spiritus oris eius omnis virtus eorum.*

Diſgratio-ſiſſimi. Vere Iob. 16. *Spiritus eius ornauit Cœlos,* id eſt, *Apoſtolos,* ait ibi S. Hieron. tom. 8, *Secundum illud,* Abac. 8. *Operuit Cœlos virtus eius. Hi ergo ſancti à S. Spiritu ita diſtincti ſunt gratiarum donis, tanquã ſidereis luminaribus.*

Et coronãt Eccleſiam. De iſtis Apoc. 12. *Mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus eius.* &c. id eſt, ait S. Auguſt. tom. 9. Hom. 9. in Apoc. *Eccleſia; in cuius capite erat Corona ſtellarum XII. quæ XII. Apoſtoli intelligi poſſunt.*

Idolatriã mutant. Horum in prędicando vis inuicta fuit: qualis Tubarum Ioſuæ, *cap.* 6. Vbi Orig. hom. 7. ait. *Dominus mittit Sacerdotes Apoſtolos, portantes tubas ductiles prædicationis, quibus muros Iericho, & omnes idololatriæ machinas, & Philoſopherum dogmata deiecit.*

Quod philoſophi nul. ſuperarũt. Id pulcre deducit S. Chryſoſt. hom. 4. in 1. Cor. 4. *Non idem eſt, regnum nouum inſtituere, & nouam Religionem. Id Plato potuit; at hoc conatus ipſam amiſit libertatem. Et Protagoras, quod auderet dicere, ſe Deos ignorare; vltimum ſubijt periculum. Diogoras Mileſius & Theodorus atheus appellatus eſt, quantiuis eſſent Philoſophi: & Socrates venenum hauſit; quod parum quiddam alienaſſe animos à Dijs in diſputatione creditus eſt. Quod ſi ſola innouationis ſuſpicio tantum philoſophis, qui multa habebant auxilia, periculum attulit; quid non admiraris piſcatorẽ barbaros & Græcos ſuperantem; vt dij tollerentur; & Crucifixus annunciaretur? Quæ duplex innouatio eſt.*

Vitia extir. parunt. Homil. 7. ait. *Et non ſimpliciter à conſuetudine in conſuetudinem trahebant; ſed ab ea, cui multa eſſet licentia, in eam cui multum impendebat periculum. Credentem enim oportet exulare, perpeti. &c. & tranſire iuſuper à luxuria ad continentiam: ab ebrietate ad ieiunium, à riſu ad lacrimas. &c.*

Quodque mirere magis, tanta pro tantillo peregit Deus. Vt bene Iob. cap. 40. *Alligabis Leuiathan ancillis tuis.* Vbi Gregor. 36. Moral. cap. 15. *In ſeruis, etſi deſpecta conditio; Virilitas viget: in ancillis autem cum cõditione pariter ſexus iacet. Bene ergo Dominus eius fortitudinem non ſeruis, ſed ancillis ligare ſe aſſerit:* quia 1. Corint. 1. *infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia.* *Dæmonẽ ligarunt.*

Quæ quidem abiecta eo vſque eleuauit; vt, pro iure amicitiæ, fecerit æquales ſui. Nam, ait Cic. in Lælio, *Amicitia pares aut accipit, aut facit Vbi inæqualitas eſt; ibi non iam amicitia, quam adulatio eſt.* Quam æqualitatem hic innuit Dominus, cum inquit: *Accipiam vos ad me ipſum; vt, vbi ego ſum, & vos ſitis.* Cui quæ par dignitas, & altitudo? Vide *Ioan.* 17. vt oret impenſe Dominus Patrem: *Vt ſint vnum, Sicut & nos vnum ſumus.* *Hinc amici & æquales Chriſti ſunt.*

PARS II.

De turbatione paſſionum ac rationis: Siue De turbatione imperfectorum.

NOn turbetur cor veſtrum, Turbationis occaſio ex dictis erat Domini; nec vna. Dixerat enim. 1. De paſſione ſua, morte, ac receſſu ab ijs. 2. *Perſequentur vos: & eritis odio omnibus hominibus.* 3. *Omnes ſcandalum patiemini in me.* Et *dæmon expetiuit vos, vt cribraret vos.* 4. *Vnus veſtrum me tradet.* Et tu Iuda, *quod facis, fac cito.* 5. Petre, *priuſquam gallus cantet ter me negabis.* Primam, 4. quintam recenſent plerique ex S. Thom. hic. *Occaſiones turbationis Apoſtolicæ.*

Qui & quærit: Quomodo docet, non turbari; prius ipſe turbatus? Ioan. 13. *Turbatus eſt,* ait, *ſpiritu:* non, *ſpiritus eius.* Eſt enim turbatio rationis; illaudataque: Eſt & procedens ex ratione: & hæc laudabilis *Turbatio eſt duplex.*

bilis. 2. Cor.7. *Quæ enim secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur: Sæculi autem tristitia mortem operatur.* Hanc prohibet: quia *abducit à rectitudine*, ait S. Thom.

Eius sedes sunt duæ: motus quatuor.

1. Vt in mari, à ventis quatuor, fit tranquillitatis; 2. Vt valetudinis fit, ab humoribus quatuor, in corpore: Sic in corde fit turbatio rationis, à passionib. quatuor. Quarum duæ in appetitu Concupiscibili, Cupiditas & Gaudium; duæ in irascibili, Metus & Tristitia, insunt. Hæ versantur circa bonum aut Malum fugiendum vel appetendum: Earumque, inquit S. Basil. to. 1. hom. 9. in Ps. 33. *omnes immoderati motus aciem perspicacitatēque animi confundunt & exturbant.*

Immoderata fœtus, sunt vitia.

Ausim affirmare, quod ipsa vitia vix aliud sint, quam passiones immoderatæ; eoque grauiora, quo eæ corroboratiores vsu. Dum ergo ait: *Non turbetur cor*, est, q. d. vitiorū principiis obstate. Ps. 136. *Beatus, qui tenuerit, & alliserit paruulos ad petrā.*

Eius initiis resistendū est.

S. *Dorotheus serm.* 11. refert de patre monachorum; qui in silua Cupressorum iussit fratrem has euellere, primo minusculam vna manu; alteram manusculam vtraque: tertiam robustam vix toto annisu: quartam vix ægre: quintam inueteratam nec mouere quibat: ita, ait, passiones sunt. &c. Quare, Bernar. serm. 58. in Cantic. *Scrutemur, iuxta prophetam, vias nostras & studia; & tunc se quisque iudicet profecisse, non cum inuenerit, quod reprehendat; sed cum, quod inuenit; reprehendet Tempus putationis aduenit. Credite mihi, putata repullulāt. Parum est, semel putasse; sæpe, si possit, semper putandum est. Erras, si vitia putas emortua; & non magis suppressa.*

Velis, nolis; intra fines tuos habitat Iebusæus: subiugari potest; non exterminari. Non potest virtus cum vitiis pariter crescere: Ergo, vt illa vigeat; ista crescere non sinantur. Hoc agendum: *Non turbetur cor vestrum.*

Mare cordis à Deo pacatur.

II. Cor mare est: *Impij*, Iob. 38. *quasi mare feruens. Quis conclusit ostiis mare*; quod est *furore turbidum*, ait S. Gregor. 28. Mor. ca. 9. *rixis amarum; superbia tumidum. Cui Deus terminum posuit, ne omnia bona animæ subrueret. Circumdedit terminis suis, quia tentationibus timidum, occultis donorum distributionibus mitigat; ne ad consensum mali veniat. Posuit vectem* charitatis robur: *& ostia*, virtutes: *Dixitque, huc vsque venies.* Opis enim diuinæ est, turbationes coercere; ne hominē absorbeant. Ait ergo, *Non turbetur.*

Sed homine cooperante.

Ac tametsi id Dei sit; hominis tamen operā accedere vult Deus. Nam, vt bene S. Basil. Epist. 166. *Nauclero non permittitur, vbi vellet, vt mare tranquillum reddat: Nobis facile est, vt vitam tranquillemus, si internos animi tumultus, qui ex affectionibus inordinatis aduersum nos insurgunt; mentemq; ijs, quæ foris contingunt, reddiderimus superiorem.*

At *curis vitæ occupati, instar auium carnosarum sunt; quæ frustra alatæ, humi cum pecudibus detinentur.*

Intraque sese conuerso.

Itaque Psal. 114. *conuertere anima mea in requiem tuam: Erras*, ait Bernard. serm. 58. in Cant. *si citra te inuenire existimas locum quietis*: Intra te est; huc conuertere: *Quia Dominus benefecit tibi*, gratia præueniens & adiuuans. Intus, si velis, habes cum Deo, Isai. 4. *tabernaculum in vmbraculum Diei ab æstu; in securitatem & absconsionem à turbine, & à pluuia.*

Passiones regi, non tolli queūt.

III. Interea verissimum est illud Hieronymi, tom. 2. Epist. ad Thesiphontem: *Affectiones tollere*, sic vt esse in homine desinant; *est hominem ex homine tollere; & in corpore constitutum, esse sine corpore.* 2. M. Antoninum, flentem obitum sui instructoris, reuocantibus à luctu ait Antoninus Pius: *Permittite illi, vt homo sit. Neque enim Philosophia tollit affectus.* 3. M. Antoninus verus (prodit *Herod. lib* 1.) iam moriturus flentibus circa lectum aiebat: *Humanum est humanis casibus ingemiscere.*

Itaque

Simile. Itaque *affectiones*, ait Greg. Nyss. *ab homine tollere, est Aquatilia traducere ad vitam aeriam.*

Et hoc regum est sic rigere. Ideo, 1. *Irascimini; & nolite peccare:* vbi Hieron. Epist. 8. ad Demetrium: *Irasci hominis est: finem autem iracundiæ ponere, Christiani.* Ita quoque *turbari.* 2. Nam *is demum*, aiebat Cato Rom. *optimus Imperator est, qui propriis affectibus imperat.* 3. Et Sapiens, Prouer. 16 *Melior est patiens viro forti & qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium* 4. Demonax, viso Domino in seruum sæuire immitius. ait: *Desine, te seruo tuo similem reddere.*

PARS III.

De Constantia rationis in turbatione. Siue *De turbatione iustorum.*

Turbatio pulsat. I. NOn *turbetur cor vestrum*: sicut Dauidi quondam; cum querebatur: Psal. 37. *Cor meum conturbatum est in me; dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum: & ipsum non mecum.*

Gratia sustentat. Quin mage. Hebr. 13. *Optimum est gratia stabilire cor suum.* Hæc enim ad omnem euentum, nos præueniens, excubat, & *stat ante ostium, & pulsat, donec aperias illi.* Apoc. 3.

Motus primos sistit. Esto; motus humorum concitus genas tingat, aut horrore quatiat artus; actus etiam Appetitus, seu motus primo primi anteuertant rationem in nobis: demus hoc ipsis: at NON VLTRA, dicit Columna Herculis, virque fortis. Non sunt motus isti in potestate nostra: nostra autem ratio est, cuius actus actum appetitus continuo sequi assolet, ac debet, facereque ex passionis necessitate virtutem.

Exacuitq; renitentem Hic est equus ille. Iob. 39. *qui, cum audierit buccinam* affectus in sese moti; *dicit, Vah.* 2. vbi S. Greg. ait. *Hic sermo exultationis est. Vir iustus, & fortis miles Christi, cum certamen passionis sibi propinquat; non terretur, sed exultat.* Hoc opus rationis, hoc gratiæ.

Exempla. Quod enim vel ethnici, heroico tali rationis & altæ mentis vsu, nomen sibi immortalitatis inuenerunt? nomen Magni, Inuicti, Adamantini, Herculis?

2. Petrus, vt primum dictus *Petra* fuit, audit: Ioann. 21 *Alius cinget te, & ducet, quo tu non vis*; animalis homo tuus. Nam *Spiritus quidem promtus est, sed caro infirma*: ideo ducenda hæc *Spiritu in desertum*, ad ieiunia, ad tentationes.

Similia. 1. Mauortius instante prælio non trepidat; sed ira iusta in hostem exardet: ita *Iustus naturæ quidem infirmitate concutitur, sed spei soliditate roboratur: de vicina morte trepidat, sed de triumpho exultat: & gaudens metuit, & metuens gaudet.* Hæc Sanctus Gregorius. Moxque subijcit:

2. *Sicut qui nouit salutem in potione amara esse, timet amaritudinem, sed libens bibit, vt salutem assequatur &c. Licet ergo vt homo trepidet, sed vt Christianus exultat.*

Typus. Hæc est, *Exod.* 3. Visio illa magna Moysis; *Rubus ardens*, attamen *incombusta.* 2. Cor. 4. *In omnibus tribulationem patimur; sed non angustiamur.*

Custoditur aduersis. Ideo, ait S. Gregor *iusti tentatione exerceri desiderant: quia tanto robustius gratiam custodiunt, quanto tentatione concussi infirmitatem suam humilius agnoscunt.* 1. *Audita ergo buccina, dicit. Vah: quia ex aduersitate magis cōfidit.* 2. *Sicut, qui ait* Ps. 16. *Si exurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo.* Non turbatur tunc cor; sed solidatur. 3. Vox iusti est, Cantic. 5. *Ego* homo carnis *dormio cor meum* spiritus *vigilat.* Talis, verus est assecla Christi.

Sic hortari est Christi. II. Christi proprium erat sic exhortari: *Non turbetur cor*: perinde Christiani proprium est, vt Scæuola aiebat, apud Liuium dec. 1. libr. 1. ad Porsennam regem: *iuxta fortia agere & pati*: Christi quidem: quia viator simul & Compre-

henſor erat, qua viator, *dolores noſtros tulit*, expertusque loquitur; qua Comprehenſor, (nam anima Chriſti ſemper in viſione Dei fuit:) ſolus nouerat optime de promiſſis manſionib. Terræ Sanctæ in cœlis. Itaque conferre vtraque aſperis dulcia, quiuit. Nequit ſic Angelus; qui ſolum Comprehenſor eſt; expertus victor non extitit.

Chriſtus vero fuit, 1. Vt ſenſus communis in homine eſt, ſpiritalis & corporalis: ideoque vtriuſque æſtimator optimus, & prædicator huius doctrinæ: *Non turbetur cor.* 2. Fuit, qualis Scala Iacob, Gē. 28. ſuperne Dei baiula; inferne terræ cōtigua. 3. Fuit, quale lignum vitæ, quod hinc & hinc flumine alluebatur, *Apoc.* 19. 4. Fuit, qui pede hoc mari, iſto terræ inſiſtebat. *Apoc.* 10.

Sic agere & pati eſt Chriſtiani.

5. Tales Apoſtoli, de quib. Phil. 3. *Noſtra aūt conuerſatio in cœlis eſt.* Idem proinde monet: 1. *Quæ ſurſum ſunt ſapite; non quæ ſuper terram.* 2. Quare, Heb. 12. *adſpicientes in Autorem fidei, & Conſummatorem* Ieſum, ſimus qui dicere valeamus. Pſal. 121. *ſtantes erant pedes noſtri in atriis tuis Ieruſalē.*

3. Quod *ſi quando dicebam, motus eſt pes meus*: continuo tamen *miſericordia tua Domine adiuuabat me.* Pſ. 39.

Contra impii.

Contra impius. Huius pes alter per culpam in tartaro eſt; in terra ſpei quidem alter, dum viuit: attendit in pœnam. Quot ſunt, qui duas vias ingrediuntur, hanc pede hoc cum Chriſto; illam iſto, cum diabolo? 1. Ita meretrix illa, Prou. 5. *Pedes eius deſcendunt in mortem, & ad inferos greſſus eius penetrant: per ſemitam vitæ non ambulant. Nunc ergo fili mi, audi me: Longe fac ab ea viam tuam; & ne appropinques foribus domus eius.*

Horum viæ ſunt mortis.

Sunt cauenda.

2. Ita quoque de impiis, Prouerbior. 1. *Fili mi, ſi te lactauerint peccatores, & dixerint: Veni nobiſcum. &c. Ne ambules cum eis; prohibe pedem tuū à ſemitis eorum. Pedes enim ad malum currunt. Ipſi quoque contra ſanguinem ſuum inſidiantur; & moliuntur fraud contra animas ſuas. Sic ſemitæ omnis auari; animas poſſidentium rapiunt.*

Earum iniquitas eſt Affectus meus.

Huius tam iniquæ viæ caput, ingreſſus progreſſuſque eſt, quod Pſ. 72. *prodiit quaſi ex adipe iniquitas eorum & tranſierunt in Affectum Cordis*: hoc eſt: Gen. 6. *Spiritus meus in homine caro eſt*: hinc nimirum *cuncta cogitatio cordis intenta eſt ad malum*, & eſt *multa malitia hominum ſuper terram.*

Ab hoc in profunda ruunt.

Quouſque impietatis, quantos in fluctus turbationum ac paſſionum abripiantur tales; qui, omiſſa Rationis conſtantia, tranſeunt in affectū cordis; graphice deſcribit Pſaltes. Pſ. 72. *Quam bonus Deus Iſrael his, qui Recto ſunt Corde*, id eſt, imperturbato, inque cœlis anchorato. At *qui elongant ſe à Te; peribunt.* Atque iſta generatim de tuenda rationis conſtantia in quacumque turbatione paſſionis.

Triſtitia turbatione.

11. *Non turbetur cor veſtrum*: non ſolum turbatione quacunque; ſed nec ſingulatim Triſtitia de morte mea; nec Metu de proditione mei, ac perſecutione veſtri.

De 1. Non immoderata triſtitia: Quia Prouerb. 15. *In mœrore animi deiicitur ſpiritus.* Solus? ſequitur & corporis deiectio. Nam Prouerbior. 17. *Spiritus triſtis exſiccat oſſa; animus gaudens ætatem floridam facit.* Atque adeo, Eccleſ. 25. *Omnis plaga, triſtitia cordis eſt.* Quæ plaga? Eccleſ. 38. *A triſtitia enim feſtinat mors; & cooperit virtutem; & triſtitia cordis flectit ceruicem*: id eſt, Prou. 12. *mœror in corde viri humiliabit illum.* Heu, quam triſte malum.

Eſt ea triſtitia ſacularis.

Quod tam malæ nomen triſtitiæ? 2. Corinth. 7. *Sæculi triſtitia*: & illa *Mortem operatur.* Hac *non turbetur cor veſtrum.* Nam ſæculum hoc nequam eſt.

Quærit S. Chryſ. homil. 15. in ad Cor. tom. 4. *Quid eſt ſæculi triſtitia?* Reſpondet, *Quæ triſtibus perniciosa eſt. Quando contriſtaris propter diuitias, gloriam, mortuum: ideo & mortem*

mortem facit. Nam qui propter gloriam tristatur; inuidet, & sæpe perire cogitur; qualis erat tristitia Cain, & Esau.

Hæc vastat hominem, & bestiam efficit.

Nulla in his rationis inest constantia; sed mera vastitas eius & subiugatio: oē tenet imperium tristitia; hæcque velut hominem ex homine exuit, & cani similem inuido constituit: Sic ira furorque leoni, luxuria hirco, pauoni superbia, gula porco & lupo rapacitas harpyiæ, asino ignauia, lepori metus similem efficit. His tristitia accidit ac turbatio; si cupitis non potiantur. Quare sic *non turbetur cor vestrum.*

Iustorum tristitia est quatuor rebus.

Neque tamen nulla cadit in iustos tristitia: Ecquæ vero? S. Gregor. libr. 23 Moral. cap. 13. *Quatuor*, ait, *sunt qualitates, quibus iusti viri anima in compunctione vehementer afficitur. Cum* 1. *aut malorum suorum reminiscitur, considerans*, Vbi fuit. 2. *Aut iudiciorum Dei sententiam metuens cogitat*, Vbi erit. 3. *Aut mala vitæ præsentis solerter attendens, mœrens considerat*, Vbi est 4. *Aut cū bona supernæ patriæ contemplatur; quæ quia necdum adipiscitur, lugens conspicit*, Vbi non est.

Exemplum Pauli mœsti.

Sic lugens Paulus, 1. ait, 1. Cor. 15. *Non sum dignus vocari Apostolus; quia persecutus sum Ecclesiam Dei*, De 2. ait, & hoc agit; 1. Cor. 8. *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo; ne forte alis prædicans, ipse reprobus efficiar.* De 3. ait, 2. Cor. 5. *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mētis meæ; at captiuum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* De 4. ait, Ro. 7. *Videmus nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem.* Item 1. Cor. 13. *Scimus, quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur; quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, sed æternam in cœlis.*

Timor humano noct.

De II. Nec Metus turbare iustum debet: pulsare potest, & agitare, vt pinum ventus; at non euertere. Aliquis timor est iusti; nimirum Dei, non hominum, nisi propter Deum. Nam Prou. 29. *Qui timet hominem, cito corruet.* Eccl. 22. *Sicut ornatus arenosus in pariete limpido; & Sicut paleæ in excelsis contra faciem venti non permanebunt: sic cor timidum in cogitatione stulti contra impetum timoris non resistet.*

Temne eū Quia corpus vile est.

Quare monet Luc. 12. *Dico vobis Amicis meis; ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius, quid faciant.* Cordate Petrus, 1. Pet. 3. *Quis est, qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis? Timorem eorum ne timueritis, & non conturbemini.* Vltra nō possunt, nisi in corpus: hoc vile heroi est præ virtute: Quo magis præ Deo?

2. Deus ad. est. 1. Timenti se.

Nam 1. Ps. 24. *Firmamentum est Dominus Timentibus eum.* 2. Psal, 55. *In Deo Speraui; non timebo, quid faciat mihi homo.*

2. Sperantі 3. Seruo suo.

3. Isa. 41. *Seruus meus es tu; ne timeas, quia Ego tecum sum. Ego Deus tuus: confortaui te, & auxiliatus sum tibi, & suscepit te dextera Iusti mei. Ecce confundentur & erubescent, qui pugnant aduersum te; erunt, quasi non sint; & peribunt viri, qui contradicunt tibi, Quæres eos, & nō inuenies vires rebelles tuos. Quia ego Dominus Deus tuus apprehendens manum tuam; dicensque tibi: Ne timeas, ego adiuui te, &c.*

4. Redemto à se.

4. Ibid. *Noli timere, quia Redemi te; & vocaui te nomine tuo.* Isa. 43. *Cum transieris per aquas, tecum ero; & flumina non operient te: cum ambulaueris in igne, non combureris, &c.*

Iusti timētur.

Hinc iustos timent impij, Exod. 14. Aegyptij clamant: *Fugiamus Israelem: Dominus enim pugnat pro eis contra nos.* 2. Item 1. Reg. 18. *Timuit Saul Dauidem; eo quod Dominus esset cum eo; & à se recessisset.* 3. Adde 2. Esd. 6. *Factum est, cum audissent inimici, vt timerent, & conciderent intra semetipsos; & scirent, quod à Deo factum est opus hoc.*

Ita Iosue gentibus terrori erat: 1. Gladius Gedeonis, *Iud.* 7. Madianitis. 2. Samuele sacrificante, 1. *Reg.* 7. & pugnante Israele *intonuit Dominus super Philisthiim,*

& exterriti cœsi sunt. 3 Sic, *Iudith.* 15. periit exercitus Holophernis. 4. Expertus est, 2. *Mach.* 3. vapulans Heliodorus. 5. *Mar.* 6. Herodes metuit Ioannem. *Non igitur turbetur cor vestrum.*

PARS IV.

De antidotis Euangelicis contra turbationes.

1. *Fides.* I. CReditis in Deum, *& in Me credite,* id est, habete & Fidem, & Fiduciam seu spem. Amuleta duo in verbo vno. De Fide, S. Ambr. 1. Off. cap. 36. *Facile forsan homini erit, plures diuitias aut honores non quærere, difficile vero est, eum non turbari, cum ea amittit. Sed hoc difficile Fides magna facile præstat.* Hinc dicitur, 1. Pet. 5. *cui resistite fortes in Fide. Et iterum*, 1. Ioann. 5. *Hæc est victoria, quæ vincit mundum, Fides nostra. Et iterum,* Eph. 6. *Accipite scutum Fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.*

Eius vis vnde. Est autem fidei ea vis inde; quod illuminet mentem, turbatio obtenebrat. Fides docet spernere temporalia; æterna spectare; adstare Deum; spectare Angelos, &c. Ps. 45. *Propterea non timebimus dum turbabitur terra.* Luc. 17. *Domine, adauge nobis fidem.* Hæc dum intuetur Deum credendo, fit animo, quod cerebro debili in nauigatione; intuens aquam labentem capite turbatur; at montes fixos contuenti cessat turbatio.

2. *Spes in Deum.* II. De spe, Iob. 17. *Pone me iuxta te; & cuiusuis manus pugnet contra me.* Isaias c. 50. *Iuxta est, qui iustificat me; quis contradicet mihi? Stemus simul; quis est aduersarius meus? accedat ad me. Ecce Dominus Deus auxiliator meus; quis est q. condemnet me* Fortis mundus? Trux dæmon est? Fide: Psalm. 43. *Non enim in arcu meo sperabo, nec gladius meus saluabit me: sed dextera tua & brachium tuum.* Ita Deus spondet.

Assistentia Christi: seu spei, peculiarem eum Accedit specialis sponsio, fauor & adsistentia Christi. *Et in Me credite.* Hinc Ps. 3 *Multi dicunt mihi: non est salus ipsi in Deo eius: Tu autem Domine* Iesu *Susceptor meus es.* Nautæ cum lembo C. Iulium Cæsarem, in Pharsalica pugna, traiicienti mare, ac periclitanti ait: *Fide: Cæsarem vehis.* At suos Christus in manibus portat. Isa. 45. *Ego ante te ibo & glorioſos terræ humiliabo: portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam; & dabo tibi thesauros absconditos.*

Vel Moysis virga potentior est Pharaone: Pallium Eliæ, Vmbra Petri quanta poterant? at in Deo. Quanta ergo Iustus credens & sperans?

Firmata promissione. Præsertim cum spes ea nitatur promissioni Christi, iureiurando firmatæ, Hebr. 6. *Abundantius volens Deus ostendere hæredibus immobilitatem consilij sui, interposuit Iusiurandum; Vt per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus; qui confugimus ad tenendam propositã Spem; quã sicut anchorã habemus animæ tutam ac firmam; & intedentem vsque ad interiora velaminis, vbi præcursor pro nobis introiuit Iesus.* Quid vsquam certius, quam quod habet Christi præsentiã, securitatem loci; & firmitatem iuramenti? At hæc bonæ spei adsunt. Vnde hodie inquit: *Vado parare vobis Locum* spei: *Et iterum veniam, & accipiam vos ad meipsum: vt, vbi Ego sum, & Vos sitis.* Vel Thersites & lepus hoc Duce Hercules fieres ac Leo.

Si nautis ponti tantum spei; quantum peregrinis mundi factum: qua contentione ac spiritu per mare, per terras cursitaret mercator ad Indos?

In spem peccantes triplices. Et tamẽ adhuc sunt, qui spem hastumque abiiciunt. Horum tria sunt genera apud S. *Bern. ser. 1. in Psal. 90. Qui habitat.* 1. triplex. Non confitentes; qui sua freti virtute sola abs Deo se elongant. 2. Diffidentes: qui sua imbecillitate inspecta deficiunt pusillanimes. 3. Præsumentes de bonitate Dei, sic vt in peccatis maneant. *Nullus horum habitat in adiutorio Altissimi. Primus enim habitat in meritis suis: secundus in*

præsu-

pœnis: tertius in vitijs. Immunda habitatio tertij, anxia secundi, stulta & periculosa primi.

At vero Prou. 28. *Iustus quasi Leo confidens, absque terrore erit.* Quare, vt S. Hier. ad Eustoch. *Quod si dæmonum te multitudo turbauerit: & ad singula vitiorum incitamenta cæperis æstuare: & dixerit tibi tua cogitatio: quid faciemus? Respondit tibi Elisæus: Noli timere: quia plures nobiscum sunt, quam cum illis. Igitur Non turbetur cor vestrum.*

4. Spes præmij excitat. III *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Tertium hoc cõtra turbationes antidotum est: præmium beatitudinis. Præmii cuiusq; vis permagna est ad virtutẽ, adq; conandum, & audendum in omni re, cum quantouis etiam periculo. Vnde Persæ Lysandrum interroganti: *Quam Remp. florentissimam censeret*: responsum: *In qua benemeritis condigna præmia redduntur.*

Maxime calestis. Antisthenes paucorum discipulorum philosophus; quod care doceret; aiebat, se argentea virga depellere discipulos. At Christus discipulos etiam inuitat, & cumulat Præmiis; non minerali terret. Quo plures habere eum oporteret, illectos solo beatitatis præmio.

Apophtheg. Vox erat S. Ludouici Episc. Tolosani, nati regis Siciliæ: *Quid terrena hæc regna, si si ad cœlestia conferantur?* 2. Recaredus Hisp. rex Patri necem minitantis, quod Arianismum eiurasset, ait, teste Egnat. l. 1. c. 2. *Bene igitur mecum acturus es, mi pater: si quidem, hoc amisso regno, consequar æternum.* 3. Amedæus Sabaud. Dux plurimos indies pauperes pascens, legatis externis se canem venaticum nullum cernere mirantibus ait: *Ecce, hi canes mei sunt, quibus cœlestem gloriam venor.* Sic Munster. l. 2. Cosm.

Quod affectandum. 1. Abraham, *Gen.* 12. ex patria in terram euocatus ignotam non tardat: & nos ad cœlum sequi tardamus? 2. *Isachar*, Gen. 49. *vidit requiem, quod esset bona: & terram quod optima: & supposuit humerum suum ad portandum: factusq; est tributis seruiens.* Et nos pro cœlo tributa mandatorum soluere cessabimus?

S. Hier. ad Demetriadem c. 31. *Respice, quod promissum. Omne opus fit leue, cum eius pretium cogitatur. Et spes præmij solatium est laboris.*

Itaq; manum mitte ad fortia: & cõtra audentior ito. Nam *iucundi, acti labores*: & in cœlo requies beata. 1. Ideo Ps. 121. *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi*: quæ? *In domum Domini ibimus.* Ecce mãsio. 2. Hic, Ps. 64. *Replebimur in bonis domus tuæ* 3. Ps. 83. *Concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.* *Eo dulcescunt labores.*

Hocq; amplius, quod *multæ sunt mansiones*, & gloria sanctorum dispar. 1. Sicut 1. Cor, 15. *Alia est claritas solis, alia Lunæ, alia stellarum: & sicut stella differt à stella: sic & resurrectio mortuorum.* *Idem est dispar.*

2. Quantum vas quisq; ad Fontem attulerit; tantum & hauriet. 3. Quanto cuiusq; oculus acutior: hoc cernet plura. 4. Idem manna comedebant omnes, at non sapor omnibus idem: par tamen saturitas. Ita ait S. Greg. 4. Mor. c. vlt. *Eundem denarium dispares laborantes accipiunt: quia vna cunctis erit beatitudo lætitiæ: quamuis non omnibus sit vna sublimitas vitæ.*

Diuersitatem causat varietas charitatis in via; ex quo mensura sumitur meritorum. 1. Hinc dicitur, Iob. 1. *Non fuit similis Iob in terra*: 2. De Saule. 1. Reg. 9. *Non erat vir in filiis Israel melior illo.* 3. Et Mat. 8. *Non surrexit maior Ioanne Baptista.* 4. De Magdalena Luc. 7. *Quoniam dilexit multum.* 5. Matt. 16. *Simon, diligis me plus his?* *Quia dispar charitas hic.*

Terra item alia affert centuplum, alia sexagesimum, &c. *Matth.* 13. In corpore quoque, 1. *Cor.* 12. membrum alio dignius est: Et super fundamentum ædificat alius aurum, argentum, alius lignum, & 1. Cor. 3. *Et merita dispar.*

PARS

PARS V.

De tribus aliis antidotis aduersum turbationes.

In Christo tria.

I. EGo *sum via, ver. & vita.* Hoc quartum est contra turbationes antidotum. q.d. De mansionibus securos feci: nunc ecce: ne erretis, *Ego sum via*: ne dubitetis: *sum veritas*: ne inania, ait pereuntia vobis danda metuatis *sum Vita*. Ergo *Non turbetur cor vest.* Augustinus hic ait: *Idem est, ac si diceret: Qua vis ire? ego sum via. Quo vis ire? Ego sũ veritas. Vbi vis permanere? Ego sum vita.*

Typus.

Qualis columna ignis *Exod.* 13. populo ex Aegypto in terram promissam Dux erat, & Lux, & Salus protectionis: Ita Christus est omnia tria: Dux viæ, Lux veritatis, Salus vitæ.

Per eum itur ad Deum.

Quare audacter dico; vt ad Deum Moyses: *Si tu non Ipse præcedas; ne educas nos de loco isto?* Nam ipse dixti: *Nemo venit ad Patrem, nisi per Me.* 2. Quia nimirũ ais, Ioa. 10. *Ego sum ostium: per me si quis introierit, saluabitur: & ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet.* 3. Et ibid. *Bonus pastor ante oues vadit, & sequuntur illum.*

Simile.

Et necessario. Nam riuulus via longa non ad mare pertinget; nisi in flumen se maius infuderit: quo peruehatur. Ita nec opera nostra neq; nos ad Deum, nisi per Christum pertingemus. Ioan. 8. *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit Lumen Vitæ.* Quod, ceu sol, non illuminat solum, sed & fouet. Sol iustitiæ Christus est; Viatoribus se viam dedit exemplo, prælucet Veritatis doctrina, roborat vita vsque in vitam.

Sed orãdus est.

Orem cum Moyse, Exod. 1. *Si inueni gratiam in oculis tuis, scire fac me viam tuam, & sciam Te.* Dauid Psalm. *Vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me.*

Et sequendus.

S. Bern. ser. 2. in Ascens. *Sequamur Dominẽ te per te: quia tues Via, in exemplo; Veritas, in promisso; Vita, in præmio.*

II. Porro non turbari docet ex factis, & votis. Ex factis: Nam *Qui credit in me opera, quæ ego facio, & ipse faciet: & maiora horum faciet.* Ex Votis precum: nam, *Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam.* q.d. Si ego hactenus & Me, & vos illis sum tutatus; & vos eadem protegent opera vestra, & orationes.

Facta sanctorum mira.

Sed quomodo *Maiora?* Lopez ait, aut Existimatione hominum: aut pro causa, & loco, vbi expedierit: aut plura numero; aut vtiliora effectu. 1. Qualia enim; tot mortuos suscitasse. 2. Petrum, *Act.* 4. vna concione 5000. conuertisse? vt datis in commune omnibus Christum sequerentur. Quod vel ab vno adolescente impetrare Dominus nequibat. 3. Quale hoc; tales orbem totum conuertisse? Augustinus id *omnium miraculorum maximum miraculum* appellat.

Per fidem.

4. Quot, quanta, qualia produntur Sancti perpetrasse? Impletum facto illud Mar. 9. *Omnia possibilia credenti. Si habueritis fidem sicut granum sinapis dicetis monti huic: transi hinc illuc, & transibit, &c.* Hebr. 11. *Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones; obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugauerunt aciem gladij, conualuerunt de infirmitate.*

Prædicta de iis facta.

Bene dicit S. Hieron. in c. vlt. Sopho. impletum illud per Apostolos: *Auferam de medio tui magniloquos superbiæ tuæ* Pharisæos, Legisp. Philosophos; *& derelinquam in medio tui populũ pauperem & egenum, & sperabunt in Nomine Domini.* 2. His dictum factum: Isa. 41. *Ego posui te, quasi plaustrum triturans nouum, habens rostra serrantia, triturabis montes, & comminues; & colles quasi puluerem.*

3. His dictum credit August. to. 8. in Psalm. 76. *Vox tonitrui tui in rota: illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ.* Rota est terra; Apostoli tonuerunt præceptis, coruscarunt

runt miraclis: Hinc *commota est & contremuit terra*, id est, terreni. *Illuxerunt fulgura orbi terræ*, ex volantibus, vt nubes, Apostolis. 4. Hinc vt Dii habebantur, *Act.* 14. Paulus & Barnabas: *Homines diis similes descenderunt ad nos.* 5. Hinc Act. 19. Semicinctia Pauli sanabant ægros. Ducebantur in carceres: Ab angelis educebantur. *Act.* 3. 4.

Impetrantur mira per ratum Iesum.

III. De altero: *Quodcunque petieritis, &c. faciam.* 1. Vt sciant thaumaturgi; ex Deo, non ex sese ista mira promanare. 2. Vt sciant Operatorem miraculorum, esse eundem & protectorem suum. Quippe, Rom. 5. *Per hunc habemus accessum ad gratiam istam; in quæ stamus.* Et Ille *consummatus* passione, *factus est omnibus obtemperantibus, sibi, causa salutis æternæ* & meritoria, & efficiens. Celebratur Moyses mediator Deum inter & populum potens precib. ad victorias, reconciliationes, &c. At potentior Iesus; dummodo ipsius nomine rogemus. Et quia hoc rarius vsurpamus, increpat: Ioan. 16. *Vsque quo non petitis quicquam in nomine meo.*

PARS VI.

Par hoc Apostolorum typis adumbratum.

Typi duorum Apostolorum.

I. DIcit ei *Philippus: Domine, ostende nobis Patrem.* Rei vnius desiderium hoc plurium est indicium. Sed quia compar ei S. Iacobus: ideo sunt ambo. 1: Velut duo Cherubini, diapleni sapientia, se mutuo respicientes: alasque protectionis extendentes super Propitiatorium Ecclesiæ. *Exod.* 37.

1. Sunt Ecclesiæ Seraphici protectores.

2. Prædicatores.

2. Sunt, *Num.* 10. Tubæ duæ ductiles argenteæ quibus populus conuocabatur castris mouendis.

3. Bases.

3. Sunt, 3. *Reg.* 7. duæ Columnæ æneæ, in porticu templi Salomonis erectæ.

4. Lactatores.

4. Sunt, *Cant.* 4. Vbera duo Sponsæ; quæ hinnulis duobus capreæ assimulantur. Cant. 8. *Vbera mea quasi turris*: ob charitatis, pietatis, doctrinæque apostolicæ robur, & copiam. Sic promissum, Isa. 66. *Ad vbera portabimini.* Quæ rore cœli impleta turgebant: adeo *in omnem terram exiuit sonus eorum* doctrinæ ac vitæ.

Sed cum varii sint horum cęterorumque typi Apostolorum; equidem dabo vnicum duntaxat duobus hisce communem ab Nubibus repetitum. De quib. Isa. 60. *Qui sunt isti, qui, vt Nubes, volant?*

Apostoli hi sunt in perfectissima vita.

II. Bene Nubes Philippus & Iacobus 1. Ob vitę actæ sublimitatę in terris cœlestem. Quanta enim theologia hæc: Relinquere patrem, liberos, cognatos? Abdicare se cæteris vitæ commodis, agris, auro, &c? Nil in via ferre, neque tunicas duas? Abnegare se ipsum, tollere crucē, sequi Christum? Benefacere malefacientibus: Adire Persecutiones irretorto oculo: Pro persecutorib. orare: Alteram præbere etiam maxillā percussa altera: hæc, inquam, supra hominem sunt. At sunt propria Apostolorum Philippi & Iacobi. Esto, fuerit intertium raptus cœlum Paulus; & hi dicere queunt, Phil. 3. *Nostra conuersatio in cœlis est.* Et Illud, Gal. 6. *Mihi mundus crucifixus est & ego mundo. Viuo autem ego iam non ego; viuit vero in me Christus.* Atque hinc *facti sunt spectaculum mundo, angelis & hominibus*, 1. Cor. 4.

Portant Christum.

2. Nubes sunt, ab officio portādi Christum per orbem, ac depluendi Iustum, vt germinet terra Iustos Christianos, 1. Iob 36. *Quid tu scis, si voluerit* Deus *extendere nubes quasi tentorium suum; & fulgurare lumine suo desuper; cardines quoq; maris operire.* Vbi S. Greg. *Extendit*, ait, *dum ministris suis viam prædicationis aperiens, eos in mundū circumquaque diffundit.* 2. Nam in Apostolis orbem peragrat Dominus: quib. ideo dicitur, Ps. 67. *Iter facite ei, qui ascendit super occasum.* 2. Cor. 6. *Quoniam inhabitabo in illis,*

lis, & inambulabo inter eos: ecce tentorium Domini.

Imo in ipsis est Christus.

Qualis igitur hic inter Apostolos iuit prædicans; talis & in ipsis obiuit orbem prædicans, 1. Ps. 96. *Nubes* Apostoli, *& caligo* ipso nimirum inuisibili manente, *in Circuitu eius*. 2. Expressius Ps. 17. *Posuit tenebras latibulum suum*; inuisibilis enim est, qua Deus: *in Circuitu eius Tabernaculum eius*; Apostoli: *tenebrosa Aqua* prædicationis Verbi Dei, *in nubibus aeris*, Apostolis. 3. Nam cum sit Deus lux immensa, *lucem habitans inaccessibilem, & amictus lumine sicut vestimento*; nunquam Solem suum doctrinæ exerit ad homines sine Apostolica Nube. Cæcutiremus enim à fulgore; vreremur ab ardore. Ideo *Nubi insidēs leui*, Apostolis, descendit in Aegyptum mundi: ideo *videmus nunc in ænigmate*. Et sic, Ex. 15. *iuit Deus in Aegyptum, vt redimeret sibi populum.*

Miraculis potentes sunt.

3. Nubes dicuntur, ob miracula. Nam ab Apostolis procedunt pluuia doctrinę; coruscatio miraculorum; fulgura cōmi. nationum. Quale fulmen Petri in Ananiam? *Act.* 5. Pauli, 1. *Cor.* 5. In Corinthium incœstuosum? In Simonem; *Act.* 8. Magū? *Act.* 2. In incolas & aduenas Ierosolymæ die Pentecostes? Hæc vniuersim dicta: porro singulatim, ac primū de S. Philip.

PARS VII.

De vitæ periodo S. Philip.

I. S. Philipp. è Bethsaida Galilææ, Mosaicis imbutus disciplinis, ait *Sim. Metaph.* iste fuit adoiescens, inquit *Clemēs Alex* 3. *Strom.* cui dixit Dominus, Matt. 8. & Luc. 9. *sine mortuos sepelire mortuos suos; tu me sequere; vade & annuncia regnum Dei.* Dictum, factum.

Præ amore parentum.

Nec enim tristis recessit; vt alter, Mat. 19. *qui erat habens multas possessiones.* Vocem nimirum vna Vocationis edoctus caput perfectionis istud: Præ dilectione parentum esse Deum oportere. Quippe ait S. Ambr. serm. 15. in Ps. 118. to. 4. *Si ideo deferimus parētibus, quia nostræ generationis auctores sunt; quanto magis Christum oportet amare; qui ipsorum est autor parentum? Isti dederunt, quod nō potestatis est; sed ministerii sui: Christus donat salutem, qui parentum beneficia conseruat.*

Sequitur Christum.

Bina vocatione tractus est: Primo, *Io.* 1. quando Petr. & Andr. vocabantur: Secundo, *In crastinum*, inquit, *voluit exire in Galilæam, & inuenit Philippum: & dixit ei: Sequere me.*

Sui inuentorem.

Inuenit eum: sicut, *Gen.* 16. Angelus Domini inuenit Agaram cum filiolo in deserto; iussitq; reuerti in domū Abrahæ, ac subditam esse Saræ. 2. Sicut inuenit Angelus Loth inuentus in Sodoma iustus, & euocatus est, *Gen.* 18. 3. Ita, *Exod.* 3. ex rubo vocans angelus Moysen inuenit. 4. Ita, 1. *Reg.* 3. Samuel. puerum noctu inuenit Dominus, & vocauit, 5. Ita, 1. *Reg.* 9. Saulem Samuel. 6. Idemq; 1. *Reg.* 16. Dauidem paruum pastorem, vnxitque in Regem.

Inuenit ergo consilio, non casu. Et Inuentori par vox vocans, efficax scilicet; parque animus vocati ad audiendum ac parendum.

Tertius in ordine & possessū.

II. Fuit idem inter Apostolos vocatione tertius, vocatis pridie Andrea, & Petro: Ideo hodieque habet præcedentiā, vt aiunt, præ Iacobo, in Calendario, Martyriologio, & Euangelio.

Detractantia.

Quo minus insimulandi sunt ambitionis Fratres Prædicatores; quod in Corpore Iuris Fratribus Minoribus, multoque magis cæteris Mendicantium Ordinum, præponūtur. Vt liquet *in gloss. c. Quia ex eo. Rubric. De pact. l. 6.* Et *Extra. De excessibus præl. c. Nimis parua.* Et *Extra. De priuileg. c. In his.* Item *in Clementinis Rubric. de sepulturis. c. Dudum.*

Quam quidem præcedentiam; ad instar

ſtar primogenituræ Ordines inter Mendicantes ex tempore orti approbatique Ordinis noſtri repetitam Pontifex dedit honori; eſſeq; iuris perpetui iuſsit. Et vero complura ſui habet exempla in Eccleſia inde vſque ab illius primordio.

Superciliosa. Sed hic metuendum illud S. *Auguſtini lib. de XII. Gradibus Abuſionum Gradu 6.* quod aliqui præſunt multis, qui forſan coram Domino ſunt multo meliores ipſis. Imo aliqui per ſupercilium dominationis ad deteriora defluunt: ſicut Saul poſt regnum ſuſceptum, per inobedientiæ ſuperbiam Deum offendit.

Zelus in fratre conuertendo. III. Charitate ac zelo ardebat idem, ac lucebat, Deo; teſte ſequela ad vocationē, proximo, teſte fratre ſuo Nathanaele, quem ad Dominum adduxit, inuentum nuncians ei Meſsiam, *Ioan. 1.*

1. Merito *Philippus*, id eſt, *os lampadis* dictus; quod lumen inuētum prædicarit 2. Quaſi dictum ſibi fuiſſet, quod Iacobianis, Gen. 43. *Non videbis faciem meam, niſi adduxeritis mihi fratrem veſtrum.* 3. Quaſi iſtud Cainum deteſtaretur, Gen. 4. *Nunquid ego cuſtos ſum fratris mei?* Quaſi igitur exultabundus ait, *Quem ſcripſit, &c. inuenimus IESVM:* inquē deſiderāt angeli proſpicere, deſiderarūt & Patres noſtri, &c.

Veni & vide. Ecce quam auide, Sap. 7. *qui ſine fictione ſapientiam didicerat; ſine fictione communicat.* Similis Andreæ, qui idem & Petro prædicarat.

In vere Apoſtolum tit. Vere impletū, Pſ. 67. *Præuenerunt Principes coniuncti pſallentibus.* Vbi S. Hier. *Apoſtoli præuenerunt, vt populi ſequerētur.* Ita hic præuentus à Domino Philippus præuenit & fratrem pari Zelo; vt ſequeretur Dominum vna ſecum. Et hoc velut tyrocinium ſuæ in Deum & proximum charitatis poſuit. Inde porro cætera redundarunt ex eo in omni ſua triennali conuerſatione cum Chriſto & cum infidelibus conuertendis.

Chriſto familiaris. IV. Familiaritate cum Chriſto vſus fuit omnino ſingulari. Indicio eſt 1. Quod Ipſe eum vocauit Dominus primum: Nā Andream vocauit per Ioan. Bapt. Petrum per Andream, Nathanaelem per Philippum; hunc vero non prius per alium. 2. Volens paſcere 5000. hominum, *Ioan. 6.* ex Philippo percunctatur: *Vnde ememus panes?* 3. Quod gentiles eum, vt Dominū familiariorem rogarent: Ioan. 12. *Domine volumus Ieſum videre.*

Sic & quiſque ſacerdos. Ita illius iam ſimiles ſunt Eccleſiaſtici: queis familiarior ad Dominum eſt aditus in ſtatis precibus, in ſacrificiis; vbi ore ad os loquuntur; manibus pertractāt; populo diſpenſant Dominum. Sane, 1. Reg. 2. *Si peccauerit populus, orabit pro eo Sacerdos.* Quod explicatius S. Aug. tom. 8. in Pſ. 36. *Talem oportet eſſe Domini Sacerdotem; vt quod populus apud Dominum per ſe non valuerit; ipſe pro populo mereatur, quod propoſuerit, impetrare.*

Salutis anxius errabat. V. Solicitudo de ſalute vrebat eum. Hinc vox illa: Io. 14. *Domine oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis.* Gloſſ. *Quia in eo ſufficientia erit nobis.* Vbi *Hugo Cardinalis* ait. Fuit in errore, q. maior eſſet in Patre viſo ſufficientia, quam in Filio. Item in errore; ait *Nic. de Lyra*, oculis cerni poſſe corporeis Patrem, ſeu Filius.

Docetur à Domino. Cuius vtrumque errorem ſic arguit Dominus. *Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum*: eo quod vtriuſque vna ſit eſſentia.

Similis & nos nī curā tangat; expertes fore ſalutis continget. Per merita Chriſti nati, paſsi videre nos Patrem in cœlis, optandum eſt: Et hoc *ſufficit nobis.* Nā, Io. 17. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant Te ſolum Deum verum; & quem miſiſti IESVM CHRISTVM.* Sap. 15. *Noſſe Te, conſummata iuſtitia eſt.* Gloſſ. id eſt, *ſumma beatitudinis perfectio.*

Miraculis claret. VI. Idem *Vir potens in opere* erat, *prodi-*

gia & signa multa faciebat in populo : Ceu Christus, *Luc.* 24. & Steph. *Act.* 6. Signa, in quâ, super dracones; infirmitates; mortem, hæreticos; Paganos. Omnia hęc vna docebit relatio. In villa quadam Syriæ, (quam forte receperat :) statua Martis colebatur, sub qua ingens draco latitabat. S. Philippus eam adorare iussus, orat Deum, & ecce sub base draco erumpit, filium Pontificis, Tribunosq; duos enecat: halitu complures inficit.

1. Apostolus beluam in loca sola cogit abire procul, nec vlli nocere vnquam. 2. Infectos cruce consanat. 3. Occisos resuscitat. 4. Ebionitas hæreticos, affirmantes Christi carnem phantasticam fuisse, multos ad fidem reducit, spectaculi testes. 5. Paganosque loci conuertit. 6. Denique deiecto Marte Crucem substituit erectam. An huius in signum hodie statui solent maiales arbores virétes?

Martyr suspendi. tur.

VII. Denitq; circumlato per eum Euangelio per Galliam, Phrygiam, Syriam ac Asiam, in hac Hierapolis item dracodiuinis cultus honoribus, precib. eius occiditur. Continuo sacrificuli vinctum cædunt Apostolum, ac è talis capite deorsum suspendunt; anno prædicationis suę 20. ætatis 87.

Ecce tempestas sæua, terræque motus terrificat, quatitq; omnia, vt solum hiatu magno dehiscens magna terræ spatia absorberet.

Sepelitur.

Philippus vero ab S. Bartholomæo cũ hymnis de more sepeliebatur. Qui honor vni soli inter Apostolos contigit S. Philippo. Fœlix *suspendium*, quod Iob. 7. *elegit anima tua* Philippe. Sic *oportuit eum pati, & intrare in gloriam*, Lu. 24. Nos item, Rom. 8 *si compatimur, simul conglorificabimur.* 2. Cor. 1. *Sicut socii estis passionum, sic eritis & consolationis.*

PARS VIII.

Vitæ summa breuis S. Iacobi Minoris.

I. *Cedros Libani plantauit; illic passeres nidificabunt.* Ps. 103. Tales Cedri Phil. & Iacobus erant, infelicis Arabiæ monte Christo seu Ecclesia plantati. Libano haud locus est magis ab thuris ac Cedrorum præstantia inclytus: Ecclesia nihil ab sanctitate, ac robore celebratis. In hac Iacobus stat, vt Cedrus.

Eius genealogia.

Cedro præaltæ sunt radices? Et S. Iacobo longa est retro genealogia. Patre natus Alphæo iusto, matre S. Maria Cleophæ: qui vir erat S. *Annæ*: è qua nata S. Maria Mater Domini, Maria Cleophæ, & Maria Salome. Iacobi fratres erant Simon & Thadæus Apostoli, & Ioseph Iustus. *Hæc est generatio quærentium Dominum.*

Cur Minor.

Dictus fuit Minor: quia etsi S. Iacobus maior, fuerit & natu minore natus sorore Maria Salome; ex maiore autem natu Iacobus minor; tamẽ ille prior vocatione fuit. Quippe eodem die vna cum S. Ioanne fratre suo vocatus; quo Andreas ac Petrus vocabantur: *Mat.* 4. Ideo, *Matt.* 10. in Apostolorum Catalogo Iacobus Zebedæi ante Iacobum Alphæi minorẽ nominatur. Neq; in hac præcedentia attenditur, aut vitæ sanctitas; aut gloriæ in cœlis sublimitas: Nam soli hęc nota Deo, qui ponderator est spirituum.

Archiepiscopus existimat.

Episcopatus honore inter Apostolos excelluit. Petrus etsi vt Christi Vicarius; Iacobus tamen etiam vt primus Archiepiscopus Ierosolymitanus, post Christũ ibidem Pontificem. 2. Vtq; qui primus post Christum Missam ibidem celebrauit. 3. Vt, qui primus Missæ ordinem ac ritũ conscripsit. *De consecr, Dist.* 1. 4. Vt qui in Concilio Ieroso. de obseruatione Legalium, ita sententiam dixit: *Act.* 15. *Ego iudico, non inquietari eos, qui cõuertuntur ex gentibus ad Dominum: Sed scribite ad eos, vt abs-*

abstineant se à contaminationibus simulacrorum; & fornicationibus, & suffocato & sanguine. In istis, inquam, Eccl. 44. *Non est inuentus similis illi* Iacobo per vocationem Minore; at istis Maiore. Atq; ita Eccl. 5. *Excelso excelsior est alius.*

Præelsus ut frater Domini.

II. Cedro nulla arborum altior est? Iacobo quis altior? 1. Quia *Frater Domini* dicitur Gal. 1. id est, consobrinus: & vultu persimilis, teste B. Ignatio in Epist. ad S. Ioannem: *Cupio videre Iacobum Ierosolymitanum Episcopum, qui cognominatur Iustus: de quo etiam dicitur, quod, qui videt eum, videt Christum.*

Creatione sua.

2. Quia, ait Anacletus Papa, *Dist. 66. Porro.* fuit ordinatus in Episcopum ab eximiis, Petro, Iacobo Maiore, & Ioanne. Hinc sancitum; vt nullus ordinetur Episcopus, minus quam à Episcopis tribus Qua causa S. Florus in Gallia ordinatus à duobus Episcopis, & Abbate vno; sub annum M. CCC. XC. iussu Papæ debuit rursus consecrari, omnesque ab eo ordinati, rursus sacris initiari.

Epistola sua.

3. Quia Canonicam conscripsit: suppar eo nonnullis, maior cæteris.

Nimirum, Matth. 5. *Qui fecerit & docuerit, hic Magnus vocabitur in regno cœlorum.* Item Matth. 12. *Quicunque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, hic meus Frater, & soror, & mater est.* In quibus imitabilis nobis est.

Innocentiã seruauit.

III. Cedrus nunquam non viret? Et S. Iacobus nunquam amisit gratiam, vt peccato susceptо aruerit in eo charitas. Vnde *Iusti* cognomen inuenit: Nec absre. 1. Nam, teste Hieronymo libr. de viris illustr. ex Egesippi *lib. 5. Comment. in* vtero matris creditur sanctificatus fuisse. 2. Tantæ sanctitatis fuit & opinionis, ait *Hieron. ibid.* ex Iosepho *li. Antiquit.* vt creditum sit, propter eius necem fuisse Ierosolymam per Titum & Vesp. destructam. Eadem *Euseb. Eccles. hist. libr. 1. cap. 13.* 3. In passione Domini, tametsi Matth. 26. impletum; *Omnes vos scandalum patiemini in me in nocte ista:* Tamen S. Iacobus vel non peccauit, *quod* vt S. Hieron. ait li. de viris Illustr. *votum vouit se nõ comesturũ, donec videret ipsum Christum à mortuis resurrexisse.* Ideoque *ipsa die resurrectionis apparuit illi Dominus, pariter & illis, qui cum eo erant:* dicens: *Ponite mensam & panem. Et accipiens panem, benedixit, deditque Iacobo,* dicens. *Surge frater mi, & comede: quia Filius hominis à mortuis resurrexit.* De hoc videtur 1. Cor. 15. *Deinde visus est Iacobo.* Præseruatus igitur sic fuisse videtur ab peccato mortali; sicut ab originali sanctificatus.

Aut, si in isto Domini *Omnes vos*: & ille comprehensus fuit: (quod Ecclesia in cereorum extinctione declarat in septimana sancta.) 1. *Iustus* tamen fuit, tanto cum rigore vitæ; vt omni vita pane & aqua victitaret, nec carnem nec piscem gustans. 2. Lacrymis pene semper infusus, orationi vacabat sic, vt genua camelina mortui sint visa, ait *S. Chrys. ho. 5. in 5. Mat. to. 2.*

3. Hinc Paulus Gal. 1. *Vidi Iacobum fratrem Domini:* Quod retulit, ait Metaphrastes, quod dignum esset memoriæ mandari, *Vidisse Iacobum. Gal. 2.* Iterum ascendit Ierosolymam, allocutusque est Iacobum, Pet. & Ioannem, *qui videbantur Columnæ esse.* 4. Vere *Iustus* & dignus fuit, qui solus sancta sanctorum semper iniret populi cum Deo reconciliator plus, quam Moyses. Itaq;, vt Cedrus, semper viresceba.

Superstes esse post Christum.

IV. Cedrus longæuæ durationis est præ cunctis arboribus. S. Iacobus post Christi passionem annos superuixisse XXX. putatur. Magna hæc ætas in vrbe tam inimica nominis Christiani; vt Stephanum lapidaret anno; quo Christum occiderat; *Act. 7.* Apostolos flagellaret; *Act. 5.* Christianos persequeretur: Iacobo

non pepercisset, ni singularis protectio Dei eum seruasset, gratia ipsi data, vt cūctis amabilis degeret mansuetissimus.

Meritum est tribus. Scilicet tria longæuum efficiunt: 1. Exod. 20. *Honora Patrem.* &c. 2. Eccles. 27. *Qui abstinens est, adijciet vitam.* abstinens in victu & venere: nam, *Arist. libr. de animal.* Animalia magni coitus sunt breuis vitæ. 3. *Mansueti hæreditabunt terram, & inhabitabunt in sæculum sæculi:* id est, diu. Hæc tria in S. Iacobo: ideoq; longæuo.

Integer virgo fuit. V. Cedrus nec cariem sentit, nec vermes. Nec S. Iacobus corrupit virginitatem vnquam. Petro eam abstulit filia Petronilla genita. *Excepto Petro,* ait S. Hieron. Epist. 5. parte 1. Epistolarum, *non est manifestum alios Apostolos habuisse vxores. Et cum de vno scriptum sit ac de cæteris tacitum; intelligere debemus sine vxoribus fuisse, de quibus nihil tale Scriptura commemorat*: Virgo igitur Iacobus erat. Verum, cum, vt S. Augustin. ait serm. 2 Dom. 25. post Trinit. *Inter Christianorum certamina sola duriora sunt prælia castitatis; vbi quotidiana est pugna, & rara victoria.* Idcirco triplici vsus antidoto est. 1. Abstinentia. Nam, ait Hieron. l. de vir. illust. *carnes nunquam comedit, neque vinum aut ciceram aliquando bibit.* Atqui inquit S. Augustin. sermon. 47. ad frat. in eremo. *Castitas cum abundantia & fertilitate stare non potest. Sed, si mihi non creditis Gomorrensibus credite. Abundabant enim cunctis bonis; & postquam comederant & biberant, surrexerunt ludere.*

Vt se tueretur, vsus est.

1. Abstinētia.

3. Asperitate corporis. 2. Irritamenta luxurię deuitauit. Nam, ait Hier. *Oleo non est vnctus*; pro more Palæstinorum ad carnis delicias fouendas. Item. *Balneo non est vsus.*

3. Oratione. 3. Orationi insistebat. Gnarus, Sap. 8. *Non possum esse continens, nisi det Deus.*

Imitandus est. Similiter vero Apostoli, eorumq; assecłæ, tria sibi indicunt, seruandæ Castitati. 1. Exemplum Christi ac Mariæ intueri. 2. Meritum sublime sperare. Quippe semen castitatis *in terram cadens bonam fructum affert centuplum.* 3. Desiderium vitæ angelicæ. Hier. 2. p. Epistolarum, Epist. 55. *Bene ad Mariam Virg. Angelus mittitur: quia Semper Angelis cognata est Virginitas. Profecto, in carne præter carnem viuere, non terrena vita est; sed cœlestis.*

Fit Mar. tyr. VI. Cedri ferre odorem serpentes nequeunt: Nec Iudæi odorem sanctimonię vel doctrinæ, Iacobææ. Ideo anno post Christum passum XXX. proceres Iudæi ad Iacobum aiunt: *Oramus te, vt reuoces populum, & suadeas in die Paschæ ne vlterius credant in Iesum. Nam omnis populus tibi credet: quod habet magnam de te opinionem, quod sis iustus & sanctus.*

Multipliciter coronatus. Ascendit pinnaculum templi: prædicat Iesum. Furentes eum præcipitant, orantem: *Domine, dimitte eis; quia nesciunt, quid faciunt.* Dixit; simul impius pertica fullonis ei cerebrum elidit.

Ter & amplius Fœlix. Nam vt Discipulo, sanctificato in vtero, Apostolo, Pontifici, Iusto, Fratri Domini, & Martyri coronæ ei debitæ & redditæ sunt multiplices.

IN FESTO INVENTIONIS S. CRVCIS.

Sicut Moyses exaltauit serpentem &c. Ioan. 3.

MIraculum, 2. *Mach.* 1. & gaudium fuit Israelitis, Persica exemptis captiuitate fuit ignis sacri, in puteo olim conditi, inuentio Nehemiana. Præ illa multis est Heleniana Crucis Inuentio.

De qua nos

I. Præconium Crucis bellatricis.
II. Vis S. Crucis
III. Exaltatæ efficacia.
IV. Exaltationis gloria.
V, Hon oratio crucis, vt libri vitæ.

PARS

PARS I.

Præconium bellatricis Crucis.

Christo est bellator.

I. MEssias, vt præpotens bellator, in Scripturis proponitur. 1. Psalm. 23. *Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio.* 2. Ideo implorat ipsum, Psalm. 44. *Accingere gladio tuo super fœmur tuum potentissime; sagittæ tuæ acutæ sub te cadent populi.* 3. Ecce triumphantem: Isa. 63. *Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? Quare rub. est vest. tuum, & vest. tua sicut calcantium in torculari?*

At pacificus.

Hinc cæci Iudæi rebantur, Messiam bella gesturum cruenta. At nō sic. 1. Nam Salomon pacificus est: *ecce, Rex tuus venit tibi mansuetus.* 2. Ideo Isa. 53. Ier. 8. Agno comparatur. 3. Et Psalm. 2. *Ego autem constitutus sum Rex super Sion montem Sanctum eius Prædicans præceptum eius*: non belligerans. 4. Ose. 1. *Saluabo eos in Domino Deo suo; & non in arcu, & gladio, & in equis, & equitibus.* 5. Etenim, Psalm. 71. *Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis.*

Spiritualiter bellat.

Bella tamen, nec parua, geret; at spiritalia. 2. Cor. 10. *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt; sed potentia Deo, ad destructionem munitionum.*

Ipsius hostis armis.

Dauidis de Golia victoriam arma, queis vsus, admirabiliorem reddiderunt; quod pedum essent, lapides, ac funda: Nisi quod demum, 1. Reg. 7. *Stetit super Philistæum, & tulit gladium eius, & interfecit eum, præciditque caput.* Ita Dominus Cruce victor eo admirabilior est: & quod mors morte superata est, suopte quasi gladio. 1. Nam, Sap. 2. *Inuidia diaboli mors intrauit in orbem*; sicque mortis Christi fuit occasio. 2. Psalm. 7. *Lacum aperuit, & effudit eum, incidit in foueam, quam fecit, conuertetur dolor eius in caput eius, & in verticem ipsius iniquitas eius descendet.* Quibus vero id armis? 1. Reg. 17. Dauid ait; *Nouerit vniuersa Ecclesia hæc, quia non in gladio, nec in hasta saluat Dominus*

Arma Christi est ara crucis.

Exprimit arma Abacuc, c. 3. *Cornua, Crucis, in manibus eius: ibi abscondita est fortitudo eius.*

Hæc inuisa.

Horum audi vim armorum ibid. *Ante faciem eius ibit Mors: & egredietur diabolus ante pedes eius* prostratus, protritus. Iacob de læto rerum successu gratus Deo, ait: Gen. 32. *In baculo meo transiui Iordanem istum; & nunc cum duabus turmis regredior.* Christus in Cruce transiuit torrentem passionis, in ascensione cum Patrum è limbo & Angelorum, è cœlo huc redit.

Est gladius.

II. Pro baculo dixit gladiū Isaias c. 27. *Visitauit Dominus in gladio suo duro, & grādi, & forti super Leuiathan, & serpentem.* Ita isti.

Est Iris.

At nobis Crux est Iris. Gen. 9. *Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me, & terram:* Crux est reconciliationis signum.

Et admiranda.

Stulte Plato *in Theeteto* Iridem Thaumantis seu Admirationis filiam vocat: Crux est ea vere; vt in qua Deus homo suspensus, tot tantaque patrata miracla sunt. Iris, Aeneid. 5. *Mille trahit varios aduerso sole colores:* sed prius est densa nubes. Ita ante Saluatorem crux obscura erat & infamis; at post, glorioſa est.

Est scala Iacob.

Scala Iacob, *Ge.* 28. summitate hāc cœlum, illa terram tangens, Christi & Diuinitatem & Humanitatem notat: verum & Crucem, ait *Aug. serm. 79. de tempore.* Nam per hanc in cœlum hi, isti ad inferos scandunt: scalę autem innititur Deus, Christus crucifixus.

Est Therebinthus.

Iacobo, Gen. 35. sui famuli *dederunt omnes Deos alienos, & inaures, quæ erant in auribus eorum, & infodit eas subter Therebinthum:* id est, ait Rupertus Tuit: *Therebinthus, arbor resinam generans pretiosissimam, lignum Crucis est optimæ virtutis; subter quam omnia peccata nostra sepeliuntur, ne vnquam appareant.* Imo ante eam mors in vitam vertitur: vti ante serpentis æneī stipitem.

PARS

PARS II.

Vis S. Crucis.

1. Crux peccantiũ.

I. CRux in Caluaria triplex: 1. Latronis impij quæ est peccatorum, torquês eorum conscientiam. Nam, Eccles. 12. *Non est bene ei, qui est assidue in malis.* Psal. 31. *Multa flagella peccatoris.* Psalm. 50. *Peccatum meum contra me est semper*, vt tortor.

2. Pœnitentium.

2. Crux Latronis boni, quæ pœnitentium est, & orantium: Psalm. 50. *Secundum multit. miserationum tuarum dele iniq. meam.* Ierem. 31. *Dolor meus in conspectu meo semper.* Felix talis?

Optanda.

Quare, 1. Isa. 38. *Pone tibi speculam, statue tibi amaritudines, &c.* Inde pax conscientiæ erit: Nam, Isa. 38. *Ecce, in pace amaritudo mea amarissima.* 2. Ideo orat Psaltes: 118. *Confige timore tuo carnes meas*, id est, concrucifige me tibi. Nam, Eccl. 27. *Nisi in timore Dei te tenueris; cito subuertetur domus tua.* Timor Dei crux est pœnitentiæ: hæc firmat domum conscientiæ.

Petenda.

Sequenda.

Huc inuitamur, Luc. 9. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat Crucem suam, & sequatur me.* Tolle sufferens: sequere progrediens.

Non abiicienda.

Caue deseras. Impiorum vox est, non Dei: Matth. 17. *Si filius Dei est, descendat de Cruce*: imò tunc maneat. Nam, Matth. 10. *Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus*: nomine Christiani, aut filij, aut coronæ honore: Crux coronat, filiat, beat.

3. Crux Christi.

3. Crux Christi & iustitiæ: Gal. 2. *Christo confixus sum cruci*: hinc gaudium: vt dolor inde confixum esse mundo. Huc monemur Psalmo, 4. *Sacrificate sacrificium iustitiæ.* Gal. 5. *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.* Vbi Aug. in Glossa. *Congruit nostræ deuotioni, vt, qui Domini crucifixi passionem celebramus, reprimendarum carnalium voluptatum crucem nobis faciamus.* S. Bernardus ait quadrangulam crucem notare Christũ pro 4. orbis plagis passum: gemmasque affigit quattuor: pedibus patientiam, capiti humilitatem; charitatem dexteræ, sinistræ obedientiam. De hac in præsens. *Quadrangula.*

Crucis encomia.

II. Apud S. Patres Crucis encomia mira & diuina sunt, apudque Chry. hom. de cruce: & lib. 2. de fide, cap. 3. *Hæc dormientium resurrectio, infirmorum baculus, pastorum virga est, salus animæ & corporis, malorum auersio, bonorum datrix, lignum vitæ, adeo pretiosum, vt Corporis & Sanguinis Iesu Christi contactu sanctificatum omni cum honore ADORARI debeat.*

Est ea victoriarum Christi tropæum; est confusio diaboli, &c. Sicut, *Esth. 7.* suum Amano patibulum fuit scandalo & neci; at Mardochæo gloriæ. Vti serpens deserti fuit mors morti, salus confugis.

Conferitur cum serpente exaltato.

Ecce tibi: 1. Serpens is erat nõ serpens; sed æs veneno carens: ita Dominus forma serui & peccatoris; nõ peccator. Phil. 2. *In similitudinem hominum* peccatorum *factus* verus homo Deus. Ro. 8. *Misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati.* 2. Is serpens ex alto propositus fuit solatio & saluti: *Et*, Ioan. 12. *Ego si exaltatus fuero à terra.* Ioan. 8. *Cum exaltaueritis Filium hominis*, pessum datos peccatis attraham. 3. Serpens saluti erat aspicientibus; morti, eam auersantibus: ita Crux Rom. 1. *Virtus Dei est in salutem omni credenti*: at *scandalum Iudæis, gentibus stultitia.* 4. Serpens & sibi vicinis, & remotis, dummodo ad eum versis, erat vitæ: Ita Rom. 10. *Christus ad iustitiam omni credenti*, Iudæo & Græco ethnico: præsentibus fidelibus, præteritis retro, & post futuris. Ioan. 8. *Abraham pater vester vidit diem meum, & gauisus est.* Hæc Crucis gloria exaltata est.

PARS

PARS III.

Exaltatæ Crucis efficacia.

Typus exaltationis propitiatoriæ.

I. EXaltari oportuit: Leu. 23. *Feretis manipulos spicarum, primitias messis vestræ, ad sacerdotem; qui* ELEVABIT *fasciculum coram Domino, vt acceptabile sit pro vobis.* Ecce vnus, ex omni messe hominum, manipulus poscitur placando Numini.

Is in arbore crucis exaltatus est: quanta arbor, quæ Tantum ferre potis? Isa. 4. *Forte & imputribile lignum elegit artifex sapiens* ad fabricam mundi reparandi. Baculū quo Dauid Goliam strauit, 1. *Reg.* 17.

Exaltata est signum Christi.

Ideo Crux vexillum regis est victoriosum: Matth. 24. *Apparebit Signum Filij hominis*: id est, crux aiunt SS. Patres: non, vt de Caluino ait *Maloratus in Catenac.* 24. dicente: Filius hominis tam apparebit clare, vt si signo aliquo ad se, omnium oculos traxisset. At cum S. Patribus dicit Ecclesia: *Hoc signum crucis erit in cœlo, cum Dominus ad iudicandum venerit.*

Quin *Tho. VValdensis to.* 3. *tract.* 20. *c.* 159. probabiliter ait ipsum illud crucis signū appariturum. Consonat Sibylla lib. 6. oracul. Sibyll. dicens: *O lignum cœli, in quo Deus ipse pependit.* Isa. 5. *Leuabit signum in nationibus; sibilabit ad eum de finibus terræ, ecce festinus velociter veniet;* vti gens Assyria Iudæis, ita Christus mundo iudicando.

Alius typus, victoriosa.

Exaltare ò Crux S. sicut, Ios. 6. *Dixit Dominus ad Iosue, LEVA Clypeum, qui in manu tua est, contra Hay; quoniam tibi tradam eam.*

Lyra & alij tradunt, clypeum prælongo in hastili eleuatum fuisse omnium obtutibus: & vicisse. Sic Christus.

Memoran.

1. Pet. 4. *Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini.* Tanta vis Crucis, vt non visa solum, sed & cogitata vincat, saluet. Ea Clypeus Ecclesiæ est.

Ad animationem.

Ergo Heb. 2. *Recogitate eum, qui talem sustinuit a peccatoribus, aduersus seipsum contradictionem; vt non fatigemini animis vestris deficientes.* O animationem inuictam! Bern. in Cant. 1. *Christus tanquam myrrhæ fasciculus tunc inter vbera Sponsa commoratur; cum Ecclesia mortem sui Redemtoris, sine intermissione intimo corde meditatur.* Post hunc te myrrheum fasciculum conde: feliciter? Secure.

Crux est refugium nostrum.

II. Exaltata Crux eadem est Turris. Psalm. 60. *Deduxisti me Domine, quia factus es spes mea, Turris fortitudinis à facie inimici.* Vbi Aug. Tom. 8. *Vnde spes factus, nisi quia passus est, & resurrexit? Nos enim nasci noueramus & mori; resurgere hominem, & viuere æternum non noueramus. Suscepit, quod nouerat: & demonstrauit, quod non nouerat. Ideo factus est spes & turris nostra.*

Est sedes donorum S. Sp.

Vidit Ioannes, Apoc. 5. *Agnum stantem, tanquam occisum:* Nimirum Isa. 53. *Oblatus est, quia ipse voluit, & non aperuit os suum: sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet.* sed vidit *habentem Cornua 7. & oculos 7.* id est Spir. S. dona.

Est robur.

Sed quid Cornua? 1. An Regna? vt *Zach.* 4. regna orbis 4. cornibus designantur. Et Psalm. 131. *Illuc producam Cornu Dauid.* 2. An maiestatem & prærogatiuam innuunt partem in vtramque? Vt *Ps.* 74. *Omnia cornua peccatorum confringam; & exaltabuntur cornua iusti.* An robur? Psal. 17. *Protector meus, & cornu salutis meæ.*

Plane robur & decus gloriæ septemplex significant, id est, vniuersale & infinitum. Hæc sunt, Deut. 33. *Cornua rhinocerotis, cornua illius; in ipsis ventilabit gentes.* Tert. lib. aduersus Iudæ: ait, id in cruce factum, quando totum triumphauit orbem. *Ibi* Habacuc 3. *abscondita est fortitudo eius.*

Est salua.

Et ea ad protegendum ac saluandum maior quam ad conterendum hostes. Nam *Ezech.* 9. emissi ad perdendum terram, mare, homines, &c. angeli iubentur stare, donec alius signo Tau frontes

gementium notasset. Sicut & Apocal. 7. *Nolite nocere terræ, & mari, neq; arboribus; quousque signemus seruos Dei in frontibus eorum*, signo Tau.

Est scientia. In hoc omnia: sine hoc nil sciebat Paulus: 1. Cor. 5. *Non iudicaui me aliquid scire inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum.* Et tamen percallebat Legem, historias, Philosophiam, Theologiam.

Est honor noster. Quid? Scientiam? Quin omnem honorē suum in Cruce constituebat, Gal. 5. *Mihi absit gloriari, nisi in cruce D.N.I. Christi.*

PARS IV.

Exaltationis gloria.

S. Crux defoditur. I. ANno à Christo passo 140. ad abolendam Crucis memoriam, Adrianus Imp. eam cum duabus latronum obscuro loco defodit; ibique Veneris statuam erexit. Sed, Ezech. 8. *Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum.*

Inuenitur. Hinc anno 318. iam prius in cordibus, tum in capitibus, inque Regum coronis gerebatur: Constantino Magno adhuc ethnico, contra Maxentium præliaturo, clara die apparebat in aere istis circumscripta: *In hoc signo vinces.* Insequente nocte Christus ei cum eodem apparet; mox ille omnia vexilla eodem insignit: vincit: templa Christianis aperit & erigit. Demum Helena, anno 326. per visum monita, S. Crucem Solymæ quærit, præuiis miraculis edocta inuenit. In memoriam beneficij, Ecclesia festum instituit.

Mirabile. Quam inuentionem S. Augustinus nuncupat *Altitudinem diuini consilij super salutem humani generis.* De ea Isa. 12. *Notas facite in populis adinuentiones eius.* Psalm. 79. *In adinuentionibus tuis exercebor*, ad salutem certiorem: sunt autem eæ Creatio, Incarnatio, Passio, &c.

Causa Festi instituti 1. Potentia Christi. II. In hac permagnam, Psalm. 79. *excitauit potentiam suam, & venit, vt saluos faciat nos*, Nam terra tremuit, sol inhorruit, &c. vt hostes dicerent: Matth. 26. *Vere Filius Dei erat hic.* Ecce Ioan. 8. *Cum exaltatus fuerit filius hominis, tunc cognoscetis, quia ego sum.*

2. Istud exaltationis festum igitur est recordatio amoris Christi in nos. Rom. 5. *Commendat charitatem suam Deus in nobis; quia, cum adhuc peccatores essemus secundum tempus, Christus pro nobis mortuus est.* Eph. 2. *Eramus natura filij iræ, sicut & cæteri: Deus autem, qui dives est in misericordia, propter nimiā charitatē, qua dilexit nos.* Hic charitatis *Excessus* est. Luc. 9. *Loquebātur de Excessu hoc* in Thabor Moyses & Elias. Vere, Ioan. 13. *Cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos*: id est, vsque ad vltimum amoris gradum. De quo Eph. 3. *Scire supereminentem scientiæ charitatem Christi*: id est, quæ excedit omnem scientiam, vt humanitus nequeat comprehendi. *2. Causa amor Christi.*

3. Demum hæc exaltatio insignis gloria Christi est, quanta passio. 1 Hinc Ioan. 17. *Pater venit mortis hora, clarifica Filium tuum.* 2. Hinc dies passionis dicitur dies despōsationis à sponsa, Cant. 3. *Egredimini filiæ Sion, & videte regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua, in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis illius.* 4. Heb. 2. *Eum, qui modico, quam Angeli, minoratus est, videmus Iesum propter passionem mortis gloria & honore coronatum.* Psalm. 8. *Minuisti eum paulo minus ab angelis; gloria & honore coronasti eum.* *3. Causa gloria Christi.*

Psal. 18. *Cœli* ergo *enarrent gloriam Dei*, eam præcipue, quæ est ex cruce. Nam magnam Deus bonitatem in aliis ostendit; at maximam in passione; Velutè doctorali sua cathedra Crucis. Vnde *S. Tho. 3. q. 12. a. 4.* vult crucem adorari posse non tam repræsentationis causa, quam quod S. membra tetigerit. *Ergo laudandus.*

PARS

PARS V.

Honoratio Crucis, vt libri Vitæ.

Regnat à ligno Deus.

I. CRux Christo regnum tribuit. 1. Isa. 9. *Factus est principatus super humerum eius*, Crucem baiulantis: Ita. *Tertul. l. cont. Iudæos. & l. 3. cont. Marcion. Iustinus, Cyr. Cyp. Hier. Ambr.* 2. Isa. 22. *Dabo CLAVEM domus Dauid super humerum eius.* id est, crucem, Ecclesiæ & cœli clauim. Sic *Chry. to. 2. de Epulone. Aug in Psal. 45.*

Iure meritoCrucis.

3. Psalm. 95. *Dicite in gentibus, quia Dominus regnauit*: LXX. addunt, *à ligno.* id est, in cruce regnum promeruit. Sic *Amb. in* 15. *ad Cor. Aug. in psal. 95. Iustinus. &c.* Cypr. l. de eleem. ait Iudæos illud, *à ligno*, erasisse. Vt & alia, *teste Hieron. in S. Mich. & Iosu. 15.*

Sic Ecclesiam acquisiuit.

4. Psal. 77. *Induxit eos in montem sanctificationis suæ*, id est regnum suum: *montem, quem acquisiuit sibi dextera eius* in cruce potenter extenta. 1. Ideo 1. Pet. 2. dicitur *populus acquisitionis.* Act. 20. *Attendite, &c. regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.* 2. Pro hac orauit Isaias c. 16. *Emitte Agnum Dominatorem terræ de petra deserti, ad montem filiæ Sion.* Agnum, non leonem: quia Bonitate, non Potentia voluit orbem in cruce subigere. *Exaltatus omnia traham.* id est, regnabo.

Per misericordiam.

Ideo crucẽ honorat Christus.

En, exaltatio est crux Christi & passio. 1. Ad sapientiam mundi confundendam; cui quæ magna, sunt Christo vilia: & è cõtra. 2. Quia Crux fuit virtutum Christi theatrum, ostendens eas in sole, terra, sepulcris redapertis, orando pro crucifixoribus. &c. Non igitur crucem honorarent Christiani, quam adeo decorauit Christus.

Est Aegyptiũ signũ vitæ.

Quin & ipsi AEgyptii gentiles Crucem esse voluerunt, & coluerunt hieroglyphicam Vitæ futuræ. 2. Suo summo Deo serapis pro eximio monili crucem è pectore suspendebant. *Aug. 8. ciuit. cap. 5.* 3. A Cosroe rege Persarum, *teste Nicephoro*, missi ad Mauritium Imp. Legati incisam frontibus crucem gerentes interrogati causam, aiunt: in sæua olim peste id signum cunctis fuisse saluti, pestemque remisisse: hinc obseruari cœptum hoc vitæ remedium. 4 Ecce vetus illud Angeli, *Exod.* 12. Et istud Tau hic renouatum.

Nobis est iustitia.

Olim dictum, Deut. 21. *Maledictus omnis, qui pendet in ligno*: Iam Sap. 14. *Benedictum lignum, per quod fit iustitia*, Fecit hanc in cruce Christus perfecte. Ideo, Psalm 5. *Confitebor tibi Domine in toto corde meo; narrabo omnia mirabilia tua; lætabor & exultabo in te.* &c. Cur tam affectuose? *Quoniam fecisti iudicium meum, & causam meam, sedisti super thronum* crucis, *qui iudicas iustitiam*, diremta lite nos inter & Deum.

Est liber vitæ.

II. Apocal. 5. *Vidi in dextera sedentis super thronum Librum intus & foris signatum sigillis 7.* Librum Bibliorum intelligunt *Orig. ho. 12. in Exo. Hila. Hier.* &c. sigilla eius septem enumerat *Hugo Card.* scilicet Sententiarum profunditas, sensuum multiplicitas, Figurarum varietas, rerum incomprehensibilitas, Mysteriorum obscuritas, Tropologiarum pulcritudo, Veritatis infallibilitas. Deut. 32. *Nonne hæc condita sunt apud me, & signata in Thesauris meis.*

2. Alij rectius Librum dicunt esse Crucifixum ipsum cuius sigilla 7. sunt figuris olim tecta & prophetiis: Incarnatio, Natiuitas, Passio, Mors, Resurrectio, Ascensio, Sp. S. missio.

1. Psalm. 138. *In libro tuo*, Christo, *omnes scribentur.* Isa. 49. *In manibus meis descripsi te*, penna crucis, & sanguine. 2. In cruce extensus Dominus liber est. Abac. 2. *Scribe visum, & explana eum super Tabulas*, crucis *vt percurrat, qui legerit eum.* 3. Isa. 8. *Sume tibi librum grandem*, Christum, *& scribe in eo stylo hominis*: vt ab hominibus cerni

legique valeat. Nam ãnte Incarnationem Deus stylo angeli scribebat prophetice; at post humano more Deus homo iã factus: vt quod ante perobscurum, iam cũctis sit obuium intellectu perfectæ vitæ genus, quod Deus assumsit & exhibuit, præsertim in cruce; vbi se, vt librum, oculis aperuit. 4. Gal. 3. *O insensati: &c. ante quorum oculos Iesus Christus præscriptus est, & in vobis crucifixus*: præscriptus stylo hominis vt legi possit quoad virtutes omnes. 5. Legit Apostolus & profecit. Hinc 1. Cor. 5. *Non iudicaui me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum.*

Crux est prodigiũ. III. Quicquid id est, sane in cruce, Psal. 70. *Tanquam prodigium factus sum multis*: his vt fugiant à me, istis vt mirentur & venerentur me. Sic Hier. Vel *tanquam portentum*, vertit Hier. Isa. 20. *Sicut ambulauit seruus meus nudus & discalceatus trium annorum signum & portentum erit super AEgyptum, & super AEthiopiam.* Ezechielem, *cap.* 10. iubetita ambulare Deus sine domo per vrbem, designans captiuitatis transmigrationem. *Quia portentum dedi te domui Israel.* Et quem portentosiorem, quam crucifixum.

2. Est portentum.

3. Miraculum. 3. Vel, *Vt miraculum factus sum*: dignum admiratione seu figuras, seu factum spectes. Ita *Caietanus.* Quare cum Elia cum hoc iunipero quiescamus, cumque Iona, c. 1. Hoc ligno amaras aquas dulcoremus. 4. *Reg.* 4. Sub hac idola defodiemus, &c.

* * *

DE F. CORPORIS CHRISTI EVCHARISTICVM AD VNDENAS REDACTVM CONCIONES de Eucharistiæ

1. *ET SACRAMENTO,*
2. *ET SACRIFICIO,*
3. *ET VSV SVB VNA VEL Vtraque Specie.*

Dispersorum Bessæi Conceptuum collectio mea in iustum excreuit libellum. Reor tamen, ordine collecta malle te habere; quam dispersa diu quærere. En accipe in Nucleo.

CONCIO PRIMA.

De Excellentia Sanctissimi huius Sacramenti.

MIRABILE PRIMVM.

Memoriam fecit Mirabilium suorum misericors & miserator Dominus: Escam dedit timentibus se. Ps. 110.

REbecca, *Gen.* 24. quæ ab Eleazero, sponsi nomine Isaaci, cimelia in futuri connubij arrham acceperat: eadem exultabunda vicinis spectanda exhibebat. Ecclesia CORPVS CHRISTI, pignus amoris, acceptum à Sponso Iesu, adorandum dat spectaculum, & circumfert pompa solenni: Qualis Salomon, 3. *Reg.* 8. cum Clero, omnique populo Arcam in Templum inferebat. Iustior hodie nobis cum Arca Dei viua triumphus est.

Super

Super quo nos:

I. *Mysterium hic credendum: non scrutandum.*
II. *De varia V. Sacramenti excellentia.*
III. *De Titulis nonnullis Panis Eucharistici.*
IV. *De Figuris eiusdem nonnullis.*
V. *De amore se dantis in cibum, ac potum.*
VI. *De pacte fœdere amoris.*
VII. *De redhibitione amoris mutui.*

PARS I.

Mysterium hoc credendum: non scrutandum esse.

I. *Timide*, inquit Cic. lib. de nat. Deor. *de potestate Deorum, & pauca dicenda sūt.* Conscisci Seneca in laudibus Aristot. *Nūquam nos verecundiores esse debere, quam cum de Diis agitur.* Hem, talia ethnici de Idolis? Qualia nos ergo de Deo? 1. Solum Angelus in ardente rubo inerat; *Exod.* 3. Et propius inspecturus Moyses, quasi temeritatis arguitur: *Ne appropies huc: Solue calceamenta de pedibus tuis.* Nos, quo animo, & oculo vel aspectabimus, quem Angeli desiderant aspicere? 2. Metu trepidarint Hebræi ad Dei vocem, in monte auditam duntaxat, dicentes: Exo. 19. *Ne loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur.* At nos præ veneratione soliciti simus coram Deo, Angelorum imitatores, adoratores Dei absconditi in publico.

Mysteriū. 1. Reuerentia deum dum Sint: pœna est proxima.

2. Venerare, inquam: nō scrutare. Quin, quo in re maiore, eo metue magis, quam Hebræi, de quibus ad Mosen Deus: Exo. 19. *Contestare populum, ne forte velit transcendere terminos ad videndum Dominum: & pereat ex eis plurima multitudo.*

2. Est reuerendum.

3. Quo rectius ita ordinatum: Num. 4. *Aaron, & filij eius intrabunt tabernaculum fœderis ipsique disponent opera singulorum: & dividant, quid portare quisque debeat.* Terribile, & iustum, quod subditum: *Alij nulla curiositate videant, quæ sunt in Sanctuario, priusquam involuantur: Alioquin moriantur.* At quanto diviniora in Eucharistia involuit Deus? Et homo curiositate evoluerit? Væ! Caue. Sin': Prou. 25. *Sicut, qui mel multum comedit, non est ei bonum: sic, qui scrutator est Maiestatis, opprimetur à gloria.*

3. Clero est credidū.

4. Silendū est.

II. An forsideo, vti Vulgata legit, Ps. 64. *Te decet hymnus Deus in Sion*; Hieronymus vertit, *Te decet silentium Deus?*

Crede: & file; quæ effari nequis digne: 1. In symbolum, Romani Angeroham Deam finxere cum ore obvoluto: 2. Harpocratem Deum Aegyptii: cum digito compescente labellum. Ergo in divinis homines *fauete linguis.* Aut nihil, aut parce; aut divine loquitor. In quibus etiam Theologi se Andabatas magis, quam lynces fateri malunt, plusq; venerari admirabundi, quam se ostentare Magistros, quorum nunquam satis esse discipulos posse confitentur.

3. Verum est hic Iobianum istud: cap. 37. *Non audebunt contemplari omnes, qui sibi videntur esse sapientes.* In hac enim Oceani abysso *Sapientia eorum devorata est* Ps. 106.

Divine igitur S. Gregorius libr. 27. Mor. cap. 25. *Homo*, inquit, *si de Deo loqui cœperit: illico, quam sit Nihil, ostendit. Quia magnitudinis illius immensitate devoratur, & quasi in profundum raptus absconditur. Loquitur enim caro de spiritu, creatura de Creatore, temporalis de æterno, mortalis de Immortali: & quasi cæcus de luce loquitur.* Quo magis in hoc Mysterio omnis succumbit scientia, ac deficit: *Sola fides sufficit.* Hæc est vna, & summa ex Magistris tribus vitæ huius, rerumque omnium: Nam Sensus, sensibilium: Ratio, intelligibilium: Fides, magistra est cœlestium.

In quo scientia deficit omnes. Sufficit Fides.

2. Caligantem senio Iacobum, *Gen.* 27. Tactus decepit: Auditus, verum dixit, Vnde ait: *Vox quidem vox Iacob: manus autem Esau.* Hoc certius & hic crede; quo

Fallit sensus. Non tamē Auditus.

minus intelligis. Ideo *Fides ex auditu est.* Rom.10. Et Rom.1. *Iustus ex fide viuit.* Adde, quod; vt Augustinus ait: *Fides non habet meritum, vbi ratio humana præbet experimentum.*

Ratio cautit.

3. Quare vsu venit rationi, quod hæmorrhoissæ, *Matth.9.* cuius malum ingraueſcebat, quam diu humana ſequebatur: at ſecuta Deum fide, & prece tacita; conſanatur. 4. Ita Magi, *Matth.2.* recto calle procul inde proceſſere, ſtella duce: at hanc perdunt ex oculis, vt primum humana captant conſilia Ieroſolymis. Fuge ergo habere ſcientiam præ Fide, in myſterio tam paradoxico; vt nullum ei ſimile. Nec enim ſcientiam, ſed *Memoriam fecit Mirabilium ſuorum &c.*

Memoria commendatur.

PARS II.

De varia V. Sac. excellentia.

Mirabile Sacramentum.

I. DE Manna ſic, Pſ.43. *Deus, auribus noſtris audiuimus. Patres noſtri annunciauerunt nobis,* OPVS *quod operatus es in diebus antiquis,* Mirabile. Hinc eo viſo exclamarunt. *Man hu?* Sic iſti de figura. At de Veritate hodie vel Angeli ipſi: *Quid hoc?* videre Accidentia ſine ſubiecto? Corpus; nec tamen viſibile? Quod variis ſit in locis; nullum tamen occupet locum. Eſſe quantum, ſine dimenſione. 1. Abac. 1. *Admiramini & obſtupeſcitis: quia Opus factum eſt in diebus veſtris, quod nemo credat, cum narrabitur.* 2 Ideo S. Dionyſius l. de cœl. Hieron. cap. 3. id appellat, *Miraculorum miraculum, Sacramentorum Sacramentum, & conſummationem.*

Finis id eſt omnium.

Quia, ait S. Thomas, eſt finis & perfectio cæterorum, Vnde Concil. Trid. Seſſ. 13. c. 3. *Sacramentum hoc aliorum finis eſt, & perfectio. Quia cætera Sacramenta ordinantur ad ipſum, vt finem.*

Simile.

1. Vt Sol in planetis, lucet.

II. Declarant id Figuræ, & Exempla. 1. A Planetis 7. inferiora dependent omnia: at in iſtis Sol rex eſt, ac medius: vnde tamen omnes ſex cæteri lucem mutuantur. Talis Euchariſtia: in qua vt *in ſole poſuit tabernaculum ſuum Altiſſimus: Deus in medio eius non commouebitur.*

2. Vt Vinū in 6. hydriis potat.

2. Vtque in nuptiis Cananæis, Ioann. 2. Vinum ex aqua factum ſex repleuit hydrias: ita Euchariſtia ſex reliqua Sacramenta. Quippe, quæ omnem ex Corpore & Chriſti Sanguine gratiam accipiunt. Vnde *Vaſa gratiæ* dicuntur: at Fons eorū eſt Euchariſtia.

3. Vt Spica 7. in culmo crebat.

3. Pharao, *Gen.* 41. vidit, & ait: *Septem Spicæ pullulabant in culmo vno plenæ, atq; formoſæ.* Ex Chriſto ſeptem Sacramēta, quibus Eccleſiæ horrea complentur: Vnde *Adipe frumenti ſatiat te,* Chriſtiane. Pſ. 147.

Eſt vnum ſummum omnium.

III. Omnibus in rebus naturalibus vnum aliquod eminet: In aſtris ſol; aurum in metallis, in brutis leo, homo in animalibus. 1. Axioma eſt Philoſophis: *In omni genere datur vnum primum.* 2. Ita (vt ait Auguſt.) *Reliqua Sacramenta, quæ in Eccleſia tenentur: ſtupenda ſunt, & veneranda: Sed iſtud tuum Domine Sacramentum præcellit vniuerſa.* 3. Prædixit in figura Iacob; Gen. 27. *Frumento, & Vino, & Oleo ſtabilitui eum: & tibi poſthæc, fili mi, quid faciam?* Tria hæc in Euchariſtia ſunt: oleo Vnctionem ſignificante Miniſtri Myſtæ. Quare, quod Salomon moraliter; tu myſtice accipe: Prouerb. 23. *Quando ſederis, vt comedas cum Principe; diligenter attende, quæ appoſita ſunt ante faciem tuam.* Alia Verſio legit: *in menſa Potentis?* At Euchariſtia eſt opus eximium Omnipotentiæ Dei. Ideo *memoriā fecit Mirabilium in* hoc vno. Attende, quod appoſitum eſt.

Horrenter tremendus ſurpauit.

Eſt terra benedicta bimoris.

IV. Promiſit Iſraelitis Deus. Exod. 3. *Educam eos de terra illa in terram bonam & ſpatioſam; in terram, quæ fluit lacte, & melle.* Anagogice terra hoc Sacramentum eſt. De quo Pſalm. 67. *Paraſti in dulcedine tua pauperi Deus.* De quo Ioel. 3. *In illa die ſtillabunt montes dulcedinem; & colles fluent lac.*

O al-

O altitudo collium Humanitatis; ac mõtium Diuinitatis in Sacramento! Quippe in quo illa Hanc etiam præcedat, *Primo enim*, aiunt Theologi, *per verba Consecrationis producitur Corpus Christi* cum tamen in Incarnatione secus sit factum; Diuinitate præcedente Humanitatem.

Est thesaurus absconditus. Quid intelligas per istud: Matth. 13. *Simile est regnum cœlorum Thesauro abscondito in agro.* An Verbum dei sub ænigmate? vt *Ambros. Augustin. Hieron.* An Sapientiam? vt *Orig.* An Deum in Humanitate? vt *Hilar.* An Christum in Sacramento? Hoc existimo. O thesaurum! Nihil ad hunc ille, è Dauidis erutus sepulcro; quo de *Iosephus lib.* 13. *Antiq. cap.* 15. qui tribus millibus talentorum æstimatus est: millies millenis, & octingenties millenis millibus coronatorum. Adeo *Thesaurorum Deus* In Sacramento habitat: Col. 2. *In quo thesauri sapientiæ & scientiæ Dei reconditi sunt.* Liquet ex titulis eiusdem.

PARS III.

De Titulis huius Panis.

I. PAnis dicitur Ioann. 5. *Hic Panis, qui de cœlo descendit.* Et Psalm. 104. *Panem cœli dedit eis* in aere formatum: At illius è *sũmo cœlo egressio.* Nam, Psalm. 31. *facta est*, Ecclesia, *quasi nouis institoris*, Christi, *de longe portans panem* Sacramenti. Quod est, vt panis nauticus, bis coctum & genitum æternaliter in sinu Patris: temporaliter in vtero Virginis.

II. *Panis Vitæ.* Ioan. 6. *Ego sum Panis vitæ: Qui manducat ex hoc pane, viuet in æternum.* Docet hoc etiam, quid hunc inter, & profanum cibum intersit. Qui est mortuorũ, & laborum. 1. Gen. 4. *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* 2. Psalm. 79. *Cibabis nos pane lacrymarum.* 3. Psalm. 126. *Manduca panem doloris.* 4. Ah, Prouerb. 23. *Ne desideres de cibis eius, in quo est panis Mendacij.* At vero iste *Panis, quem, Ego dabo, Caro mea est pro mundi vita.* Ioan. 5.

III. *Panis Angelorum.* 1. Ps. 77. *Panem Angelorum manducauit homo.* O honorem! Hominem à pastu bestiarum ad mensam adhiberi Angelorum? 2. Vere igitur, Matthæus, *cap.* 7. *Non est bonum sumere Panem filiorum, & dare canibus*: id est ad literam: doctrinam sumere Iudæis, & dare ethnicis: At horum similes sunt flagitiosi fideles: & hi Doctorem ipsum sumserint?

3. Abacuc, *Daniel, decimoquarto*, id est *Luctator* Christus, coxerat prandiũ messoribus suis, id est, Angelis. *Matthæi decimooctauo.* Sed miseratus Danielem in lacu leonum Angelus: id est: hominem in mũdo Deus: stitit isthic Christum, & dixit: *Daniel, serue Dei: Tolle prandium, quod tulit tibi Deus.* Atqui inde quidam, proh! Psal. 16. *Susceperunt me, sicut Leo paratus ad prædam, & sicut catulus leonis habitans in abditis.* O Danieles nos simus; non leones, in Christum Domini.

IV. *Panis supersubstantialis.* 1. Luc. 11. *Panem nostrum quotidianum*: Matthæus ait, *supersubstantialẽ*: id est, ait Sanctus Cyprianus *de Expos. Dominicæ Orat.* Eucharisticum. Sic & Augustinus *libro secundo de sermon. Dominic. in monte.* 2. Et græce legitur τὸν ἐπιούσιον. Quare is omnes Categorias & substantias transcendit. 3. Itaque bene Cassianus Coll. 3. Επιούσιος *dicitur quia super omnes substantias est, omnesque creaturas Magnificentia eius, & sanctitas, eiusq́; sublimitas excedit.* Idem & Ambrosius. 4. Augustinus ait sic dictum *Panem supersubstantialem*; quod animas cibet, quæ super omnia creata sunt.

PARS IV.

De Figuris eiusdem nonnullis.

I. IAm, quantam non excellentiam Figuræ testantur? 1. Arbori Vitæ, *Genes.* 3. quid par in paradiso: 2. Quid *Figuræ.*

Sacri-

Sacrificio Melchisedechano sanctius? *Genes.* 14. 3. Quid sanctius in aurea mensa Panibus Propositionis? *Leuit.* 14. 4. Agno Paschali, *Exod.* 12. quid religiosius? Cætera sileo.

Est manna Viuificans.

5. Manna, par Legi ac Virgæ Aaronicæ, in Arca æternans; maximi erat: Attamẽ; Ioan. 6. *Patres vestri mãducauerunt mãna, & mortui sunt: Qui manducat hunc panẽ, viuet in æternum*

Absconditum.

Illud Apoc. 2. *Vincenti dabo edere manna absconditum: & dabo illi calculum candidum:* Patres omnes de Eucharistia intelligunt cum Apostolo *ad Corinthios.* Nam abscõdita sub speciebus est: vt illud in Arcæ vrna aurea, *Num.* 11.

Et mortificans.

Quam Oza lapsantem irreuerentius attrectans: & Bethsamitæ curiosius adspectantes, 1. *Reg.* 6. morte luunt subita. Credo Domine, quia *Vere tu es Deus absconditus,* Isa. 45. Abscõditus in Trinitate; in Incarnatione; in Sacramento. Hocq; admirabilior.

In manna inque Eucharistia quatuor similia.

II. Porro *Exod.* 16. Manna pluebat 1. nocte, 2. Tantum in castra Israel: 3. In aere per Angelos confectum dabatur peregrinis in deserto: ingressis vero in terram promissionis itemque sabbatinis diebus dari desiit. 4. Cum Manna ros tenuis descendebat. Ita Eucharistia 1. obscurum ænigma est rationi; 2. Tantum reperitur in Ecclesia, per veros Angelos sacerdotes. Nam, Ose. 4. *Separatum est conuiuium eorum,* hæreticorum, Et Ose. 9. *Sacrificia eorum, quasi panis lugentiũ: Omnes, qui comedunt illum, contaminabuntur,* hæretici: ait Cyprianus, *l.* 1. *Epist.* 4. & 6. *Hier. in Comment.* 3. Panis ab Angelis Sacerdotib. confectus est viatorum: Sabbato beatificationis non datur; sed tota vitæ hebdomada. 4. Interim cum eo descendit ad nostros gratiæ. Quis *memoriam fecit mirabilium suorum?* Nisi *Misericors, &c.*

Institutionis ratio.

III. Mirabile hoc institutum est, ait Hieronymus, ac tum institutum, Cum *exisset Israel de Aegypto* peccatorũ: Cũ *Agnus Dei, qui tollit peccata mundi,* immolatus esset. Cum occisa primogenita Luciferiana dæmonum; & super liminaria frontium Christianarum essent Sanguine Agni consignata Christi iam immolati.

Effectus in abroganda Lege Vet.

1. Ideo Christus, (ait *August Tract.* 10. *in Ioan.*) cum Salomonæum intrasset, *Matt.* 21. mensas euertit nummulariorum, propositionis, thimiamatis, victimarum, ceremoniarum. &c. O euersio felix!

2. Immolato Agno, tinctisque postibus, finis plagarum est factus; *Exod.* 12. reliquit à tergo Aegyptum Israel: seque ad anteriora extendit progrediens in manu forti: Ita, hoc instituto Sacramento, deserta fuit infidelitas; progressa est Christianitas, &c. Statque adhuc; *Stabit autem.*

PARS V.

De amore sedantis in cibum, ac potum.

Amor Eucharisticus Domini maior est Incarnationis amore.

1. MAgnus amor Dei, quod, Philip. 2 *exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens, & habitu inuentus vt homo.* At maior: quod se glorificatum dedit in *escam timentibus se.* 1. Augustinus Conc. 1. in Ps. 33. & sermon. 27. de Temp. exclamat: *Videte ergo humilitatem! Quia panem Angelorum manducauit homo: id est; Verbum illud, quo pascebantur Angeli sempiternum, quod est æquale Patri, manducauit homo.*

2. Dauid.

2. Dauid, 2. *Reg.* 9. rarum quendam amorem in Miphiboseth claudum, ac mancum testatus est istis: *Tu comedes panem in mensa mea semper.* At maiorẽ Deus in magis claudum, mancum, cæcum, miserrimumque hominem, Psal. 22. *Parasti in conspectu meo mensam* Quod de Eucharistia accipit Cyprianus 3. *l. Epist.* Augustinus 22. *Ciu. c.* 20.

3. Procori.

Procorum mos habet, & ingenium.

ad

ad cor suis emolliendum mittere & cimelia; & eduliorum apophoreta. De clinodiis. *Gen.* 24 Eleezer Isaaci *protulit inaures aureas, & armillas.* Cā. 1. *Murenulas aureas faciemus tibi.* De eduliis pararius amorum Vagao, Iud. cap. 12. ait. *Nō vereatur introire bona puella ad Dominum meum, vt honorificetur ante faciem eius: & manducet cum eo, & bibat vinum cum iucunditate.* Ita Dominus, cordium pertractator, adspirans ad matrimonium cum Ecclesia, peractis in Incarnatione Sponsalibus; demum hunc cibum delicatissimum transmittit Sponsæ. De quo Ps. 30. *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te,* sub specieb. Eucharisticis. O Amorem; hocque maiorem, quo magis absconditum.

4. Patris. dantis Vnigenitū. Hic Chrysostomus ait: Vt Pater suum testatus amorem est dono dato Filij. Nam Ioann. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum Vnigenitum daret.* Ita & Iesus suum testatur amorem dono sui Corporis & Sanguinis. Nam Ioan. 13. *Cum dilexisset suos, in finem dilexit eos,* dans pignus amoris.

5. Amātis ouiculam. II. Nathan; Dauidem exacerbaturus contra peccatum, & ipsum peccatorem; eductus à Deo parabolam ficti, instar facti proponit ei de ouicula: hero vnica, & charissima: 2. *Reg.* 12. quod fuisset *de Pane illius comedens, & de Calice eius bibens, & in sinu illius dormiens: eratque illi sicut filia.* Talis quæque est anima Christo. Psalm. 79. *Nos autem populus eius, & oues pascuæ eius.* Pane & Calice eius viuimus, vt Oues, vt Filij, &c.

6. Ionathæ. Celebris est amor Ionathæ, & Dauidis. Nam 1. Re. 18. *Conglutinata erat anima Ionathæ, animæ Dauid: & dilexit eum Ionathas quasi animam suam.* Idque facto testatus, dum *expoliauit se tunica sua,* ipsum cōuestiens. At Christus Corpore & Sanguine suo se exuit, deditq; nobis: vt corpus, cor & anima essemus vna.

III. Ambrosius & Augustinus in suo Cantico, Incarnati amorem extollunt inde: quod *Tu non exhorruisti Virginis vterū:* At quanto maius est, quod sit cibus, qui hómo factus; & non exhorreat cuiusque hominis ventrem foricosum? *Quo te, te amor quo agit?*

Quid iam obiectatis Domino, Pharisæi; quod cum peccatoribus comedat; qui etiam se ipsum ipsis propinat in cibum & potum? Sique illud magni sit amoris opus; quanto maioris isthoc? Ecce, Ioseph ante, quam à se fratres dimitteret domum, cibum eis in viam dabat; amoris indicium. At Dominus inimicis etiam, ac seipsum dedit cibum prius, quam hinc abscederet.

PARS VI.

De pacto fœdere amoris.

I. PRæsensit amorem hunc amore æstuans reciproco sponsa, cum ait; Cant: 1. *Osculetur me osculo oris sui,* quasi dicat; os de ossibus meis, & corpus corpore tangat meum ipse suo; osque ore sumam. Ambrosius libr. 5. *de Sacramento ca.* 2. id sic accipit; *Ecclesia mirabatur, & ait: osculetur me osculo oris sui.* O amorem, Deū homines basiare! & sumere? *Redamare oportet.*

Bene Augustine, & Thoma Aqu. dixistis: Eucharistia est *Sacramentum reconciliationis*; adde etiam *Vnionis* Dei cum hominibus. Sicut fœtus inituri Romani Panem sumebant simul; signum reconciliationis: Vnde Pythagoricum hoc; *Panem ne frangito.* id est. pacem. Hinc etiam Romæ, Sulla Dictatore, fractus in mensa panis quod Sāguine flueret, portentum erat Sullanæ & Marianæ seditionis sanguinolentissimæ. At noster Panis est meræ pacis, stillans Sanguine Diuo; vt prædictum, Psalm. 71. *Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis.* Quomodo? Addit: *Et erit firmamentum in summis* *Fœdus pacis per panem.*

montium. Vbi Hebræi legunt: *Erit placenta frumenti in capitibus Sacerdotum.* Id est, ait Galatinus; *S. Hostia ab Sacerdotibus vltra verticem eleuabitur, in reconciliationem amoris perpetui.*

Per sãguinem. II. Inito fœdere amorem testabantur Scythæ & Caramanes, educto è venis sãguine, & poto. Medi & Lydij sub axilla sanguinem exugebant; Alij cæsorum animalium sanguinem sibi propinabant, interque diuisas carnes medij pertransibant; indicio, sic dissecandum amoris violatorem. Sic & *Gen.* 15. pacto fœdere Dei cum Abraha, victimarum sanguine tellus respersa est, diuisaq; caro *& lampas ignis transiens inter diuisiones illas* ibat. Ita in *Exod. cap.* 24. Moses holocaustorum sanguine populum conspergens ait: *Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum.* Quanto istis excellentius est symbolum pacti amoris ipsa Eucharistia?

O amoris mysterium, & amica coniunctio! *Cogita, quali sis insignitus honore,* ait Chrysost. hom. 60. ad pop. Antioch. *quali mensa fruaris? Quod Angeli videntes exhorrescant; neq; libere audent intueri; propter emicantem inde splendorem; Hoc nos pascimur; huic nos vnimur; & facti sumus vnum Corpus Christi, & vna Caro.*

PARS VII.

De redhibitione amoris mutui.

Exemplo Iacobi. I. IAm nos quid retribuimus Domino pro omnibus quæ retribuit nobis! 1. O si, quod Iacob, Genes. 28. *Si dederit mihi Dominus panem ad vescendum, erit mihi Dominus in Deum, & toto vitæ meæ tempore seruiam illi.* Exulabat ille patria, nos paradiso: Et nobis iam dedit Panem Dominus, ac talem. 2. *Per ipsum omnibus bonis repleti sumus: quid ergo poterimus ad hoc illi dignum dare?* Aiebat gratus Tobias, *cap.* 12. Et quãto nos maiora à Christo, quam is ab Angelo acceperat?

Tobias.

Ioseph. 3. Quid ergo retribues sic amanti? Redama. Ioseph heræ pellacem ardorem retudit, obiecto Domini in sese amoris vmbone. Genes. 39. *Ecce,* ait, *Dominus meus omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo sua: Et non est quicquam, quod non sit in mea potestate.* Eodem vtere clypeo aduersus mundum. *An non* enim *cum Filio donauit nobis omnia?* Et adhuc tantis beneficiis malefacta repones? *Miphibo seth.* 4. Quin dic cum Miphiboseth, Dauidicæ mensæ admoto; 2 Regum 9. *Quis ego sum seruus tuus, quia respexisti super canem mortuum similem mei?* Et quid illa est mensa ad hanc diuinam?

Amæn. 5. Aman in primis hoc ponens gloriabatur; Esth. 5. *Regina nullum alium ad conuiuium cum Rege vocauit, præter me.* Tu id quanti facies; factus conuiua Dei? Heu, Psal. 18. *Homo, cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus.* Quo quid vel infælicius; vel deplorabilius; aut detestabilius? &c.

PERORATIO.

EIa redamate: quid dulcius? Comedite: quid salutarius? Bibite: quid pollucibilius? Aeternum Christo conuiuite: quid beatius? Ei conregnate: quid gloriosius? Psalm. 33. *Accedite ad Eum, & illuminamini, & facies vestræ non confundentur.* Fuit vna Christi cruenta mensa in Cruce, Aaronico similis sacrificio; quod sanguine conspergendum erat: *Exod.* 25. At altera iam perpetua est incruenta, *secundum ordinem Melchisedech.* Accedite &c.

CON-

CONCIO SECVNDA.

De vera, & reali Existentia Corporis Christi in Eucharistia.

MIRABILE SECVNDVM.

Memoriam fecit Mirabilium suorum, &c.
Ps. 110.

AAron, *Num.* 4. occludebat Sanctuarium; vasa sacra inuoluebat: sarcinã filiis Caath portandam dabat, quam diu motis castris populus procedebat. Nefas erat mortis, ea retegere. Ita Iesus Sanctuarium Ecclesiæ eum suis obfirmasset figillis doctrinæ, miraculorum, &c. & Vasa gratiæ Sacramẽta, inuoluisset Symbolis; dedit ea filiis Fidei portanda, quãdiu castra Ecclesiæ in hac vita procederent. Vetuitque euolui ratione, & tangi sensu: mandauit solum credi, ac coli. Quia tamen temerarij sunt Ozani & Bethsamitæ: 1. *Reg.* 6. qui Arcam Eucharistiæ irreuerẽter tangunt, & aspiciunt: nec Veritatis Manna illi inesse credunt; dicuntq; cum Capharnaitis: *Durus hic est sermo*, Ioa. 6. Idcirco inuolutum Vas Eucharistiæ euoluã, per dispensationem: quantum fas, debita cum reuerentia.

Atque de ea in præsens

I. *Quod sit Mysterium Fidei.*
II. *Hæresum de reali existentia enumeratio.*
III. *Caluiniani Symboli eleuatio per Figuras.*
IV. *Cœna figurantis è Verbis Domini refutatio.*
V. *Fides Catholica de Præsentia astruitur Scripturis.*
VI. *Veritas Eucharistica docetur Figuris, & rationibus.*

PARS I.

Quod Eucharistia sit Mysterium Fidei.

Sacramenta æqualia sunt & inæqualia, &c.

I. TEmpli Salomonæi lapides, ad eandem secti mensuram, pares erant: sed non æque omnes pretiosi, 3. Regum 7. *Fundamenta erant de lapidibus pretiosis, magnis, decem siue octo cubitorum; & desuper lapides pretiosi æquali mensura sectierant.* Ita Sacramenta æqualiter ab vna mensura, diuina Potestate Excellentiæ, sunt instituta, & pro fundamento posita super Lapidem Angularem Christum: æqualiter sunt eadem fide credenda: sed non sunt æqualia pretio, vel modo intelligendi.

Credenda hoc magis, quo obscuriora.

Alia n. aliis sunt obscuriora. Ac ideo hoc magis Christiana ac vera; quo magis credi debẽt, & minꝰ intelligi possunt. 1. Atque (vt August. aiebat:) *Ibi præcipue fides habet meritum, vbi ratio humana non præbet experimentum.* 2. Et Ioan. 20. *Credidisti, quia vidisti. Beati, qui non viderunt, & crediderunt.*

Infideles credunt, quod vident.

3. Adulterinæ religiones ac spuriæ credunt, quod ratione naturali vident. Sic Turcæ, ac Barbari Deum vnum credunt; conditorem omnium: sed non trinum; non passum; non datum in cibum corporaliter. Quia hic fatiscens ratio id non capit, nec docet.

Hoc diuinior fides est: in primis Eucharistica.

Eoque sublimior est Fidei, & Orthodoxorum dignitas, quo altius omnem supergreditur rationem percalcatam. Idque cum in aliis; tum vero imprimis in Eucharistia: quæ antonomastice *Sacramentum* appellari meretur; velut Caput, finisque cæterorum: Vtq; vltimum institutione; ita summum mysterio; præstãtia; fide; & adoratione. Vt quo in rerum vsu Christianarum nullum sit prius, nec par; nec diuinius.

II. Id est, inter inuenta Dei præcipuũ: ad quæ, reuelante Spiritu, Isaias stetit ob-

Inuentum ea Dei est admirabilissimum eb Dei in ea præsentiam in nobis.

stupefactus: Vt exclamaret; non intelligite; *sed prædicate, & Notas facite Adinuentiones eius.* Isa. 12. Et vero in Eucharistia quales sunt *adinuentiones* Dei? 2. Obstupuit sapientissimus, 2. Par. 9. *Ergone credibile est, quod Deus habitet cum hominibus super terram?* Imo, quod & in cibum detur? quod amplius est. 3. Fallimini Magi Babylonij, ac fallitis Nabuchodonosorem, cum asseritis, *Deorum non est cum hominibus cõuersatio.* Dan. 2. Quin est & conuiuatio. Testis Eucharistia.. Eaq; talis hodie; qualis ante nec vnquam, nec vsquam.

4. Admirans, & vere affirmabat olim Moses, Deut. 4. *Non est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi,* sicut Israel. At magis Christiana. Quanto magis hæc diligat, colatque Deum amplius; quam ibidem Moses exigit ab Israelitis?

Id quod est summum bonum Ecclesiæ militantis.

III. Ezechiel, *cap.* 38. ciuitatem ab omni bono ac parte beatam vt descripsit, demum ita concludit: *& nomen ciuitatis illius ex illa die, Dominus ibidem,* quasi dicat, incola est. Ecclesiæ omnis hæc summa bonorum est, & honorum, habere Deum præsentem ipsum in Eucharistia. 1. Merito igitur Psal. 86. *Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei.* 2. Id eminus præsagiens Isaias, fore fortunatam sic ominatur, cap. 60. *Pro eo, quod derelicta fuisti, & odio habita, ponam te in superbiam sæculorum gaudium in generatione, & generationem.* Dictum factum in Ecclesia. 3. Iohannes, post multa, magna, mira subijcit, quod omnia super: *Et Verbum caro factum est; & habitauit in nobis.* Nõ ait *nobiscum*: Hoc enim in Incarnatione factum est: sed *in nobis*: quod fit in Sacramento charitatis ac fidei Eucharistico. Iuxta illud: *in me manet, & ego in eo.*

Impii sunt qui non credũt sed ire malunt.

IV. Auerroes, impius ἄθεος, religiones omnes auersatus despuebat: Iudaicam, vt puerilem in ceremoniis: Turcicam & Saracenicam, vt immundam patinam sordibus: Christianam, vt in Eucharistia fatuam; etsi cætera bonam: ideoque aiebat, velle se amplecti nullam; sed philosophico more degere. De similibus 1. Corinth. 1. *Nos autem prædicamus Christum Crucifixum: Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam.* Et quidem rationi soli stultitia sunt mysteria Fidei.

Crede, & sat intelexeris.

V. At sequendus est Psaltes 115. *Credidi; propter quod locutus sum: Ego autem humiliatus sum nimis. Ego dixi in excessu meo.* Fidei; *omnis homo mendax*, qui sola nititur ratione. Ecce primo *credit*: dein *profitetur locutus*: interim *humiliat* captiuum intellectum; sed & humiliatur ipse per sciolorum despectum: At denique arguit hos mendacij.

Credo & profitetur.

Et ego dico in excessu fidei, Berengarius impostor est, Lutherus mendax, Zvvinglius calumniator, Caluinus blasphemus, in Veritate Eucharistiæ. In ea epitomen omnium, & *Memoriam fecit Mirabilium suorum misericors, & miserator Dominus*, In quibus est Existentia Christi realis in V. Sacramento.

PARS II.

Hæresum de reali Existentia enumeratio.

Propositio 1. De adumbranda hæresi.

I. MOs pictorum est, carbone prius adumbrare: dein suis quidque coloribus reddere. Ita hæreticorum errores manu prima atro carbone notabo; dein orthodoxos colores adhibiturus: sic demum Præsentiæ Eucharistiæ imaginem expressero.

2. De oppugnanda.

1. Atque vt Deus, Iudic. 3. *suscitauit eis,* Iudæis, *Saluatorem vocabulo Aod, inclytum filium Gera, filij Iemini, qui vtraque manu pro dextera vtebatur.* Ita sinistra hæreticos feriam: dextera Catholicos constabiliam. Idq; verbo vitæ.

Verbo De.

2. Apocal. 19. *De ore eius,* Angeli, *gladius vtraque*

vtraque parte acutus exibat. Cum similis gladius *viuus est Sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio acuto:* Act.4. eo hic vtar ambidexter. 3. Reborque dictum mihi, Ierem. 1. *Ecce constitui te hodie super gentes & super regna, vt euellas, & destruas & dispердas, & dissipes, & ædifices, & plantes.* Et hoc agam, cum Deo: quantum licuerit, 4. Vtque excitatus à Deo Spiritus Danielis coarguit Veteratores duos, castæ Susannæ accusatores: *Dan.*13. ita Lutherum contra, & Caluinum stabo hodie pro Ecclesia.

Et Spiritu.

Hæresis Caluiniana.

II. Caluinistæ, noui Capharnaitæ, realem Christi in Eucharistia præsentiam, quia ratione non capiunt, cum impietate abnegant: tantumque abesse ab ea pertendunt, quantum *Sidera terra distant, flamma mari.* Volunt istud: *Hoc est Corpus meum*: Dominum intellexisse, intelligique debere sic: *Hoc significat Corpus meum.* O Monstrum interpretationis! Sed altius repetenda hæc nouitas est.

Fuit eadem 1. Capharnaitarum.

Primo. Domino suam Veritatem Eucharisticam instituendam prædicente, *Ioann.* 6. discipulis & Capharnaitis, isti *abierunt retrorsum.* In quibus, vt vult S. *August. in Psalm.* 54. primus fuit, Iudas hæreticus, dein proditor. Sed eos Dominus reduxit, ostendens non fore carnuoram cruditatem: Sed *Verba, quæ locutus sum vobis, Spiritus & vita sunt.*

2. Corinthiorum.

Secundo. Post hos Corinthii quidam non credebant, tam esse diuinum cibum, sanctamque Communionem, cui Ipsius Christi Corpus ipsum cum Sanguine inesset: sed ad instar cibi communis esse. 1. Cor. 10. & 11. Hinc Apostolus: *Conuenientibus vobis in vnum, audio scissuras esse inter vos: & ex parte credo. Nam oportet hæreses esse,* &c.

3. Manichæum.

Tertio. Manichæistis in errore successerunt, præciseq; pernegarunt Præsentiæ Veritatem. Ista *Aug. lib.* 20. *cont. Faustum.*

Quarto. Nestorius negauit carnẽ Verbo vnitam sumi. Quem Conc. Ephesinum condemnauit. 4. Nestorianorum.

Quinto. Sub annum DCCC. Ioannes Scotus Benedictinus, Caroli Magni præceptor eundem ex inferis reuocauit errorem. Sed Conc. Vercellense damnauit. 5. Scoti.

Sexto. Sub annum M. Berengarius solam contineri figurã in hoc Sacramento peruulgabat. Et hic plærium exagitatus stylo ac voce, in Turonensi demum Conc. conuictus errorem eiurauit. Relapsusque, rursus in Concil. Romano, cum iterata erroris abiuratione, scripta sua concremauit. 6. Berengarii.

De eo refert Malmesburiensis l. 3. *de gestis Anglorum.* S. Fulbertũ, morti proximum, viso ad lectũ assistere Berengario puero, iussisse eum eiici conclaui: quod videret eius hærere lateri cacodæmonem, olim ei instigatorem ad Ecclesiæ magnas clades futurum. Vaticiniũ.

Septimo. Sub annum M.CCC. LXXX. sopitam diu pestem VViclef. & Huss resuscitarunt. Idque tempore erroribus percommodo, quo schismate scissa Ecclesia ab Papis tribus simul distrahebatur. At ea coalescente, ac ad vnum Nicolaum V. redeunte legitimum, vel ex sepulcris iidem eruti hæretici, flammis sunt traditi. 7. Huss, & Wiclefii.

Octauo. Demum æuo hoc nostro, ab hæresibus infœlice, innumeri eam in hæresim irruerunt, & in hæc verba: *Hoc est Corpus meum*: plusquam octoginta expositiones commenti sunt. Sed plus centies confutati, & in Concilio Trid. condemnati vniuersi. 8. Hodiernorum.

Lutherus Realitatem credens, sed abnegans Transsubstantiationem, inducebat Impanationem: explodebatque Significatiuos, Figuratiuos, Energicos, Metamorphositas, &c. similiaq; portenta. *Tract. de part. Cœnæ Domini.*

PARS III.

Caluiniani symboli refutatio per figuras.

Caluinismi explicatio.

I. HVgonotarum Caluinisticorum opinio est. Tametsi σωματικῶς & ἐνίως Christus non existat sub symbolis specierum; sed tantum in cœlo: vere tamen inibi recipi Christum : Sed tantum. 1. Spiritaliter, per fidem, & arctam animæ cum Christo coniunctionem. 2. Sacramentaliter, per symbolorum, ore factam sumtionem: sub quibus, velut sigillis, sui nos Christus efficiat participes, vt promisit.

Refutatio per figuras.

At Psalm. 118. *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes: sed non vt Lex tua. Omnia mandata tua veritas.* Ista est falsitas, & impietas maxima vna è multis Caluiniana.

1. Suppositia statua est.

1. Similis Michol: quæ, Dauide ad necem quæsito, sed à sese clam dimisso, 1. Reg. 19. *tulit statuam, & posuit eam super lectum : & pellem pilosam caprarum posuit ad caput eius, & operuit eam vestimentis.* Talem Caluinistæ laruã in cœnæ suæ lecto supponunt, ablata Christi veritate: & conuestiunt eam propudiis figmentorum.

2 Babylonica meretrix.

2. Similis Babylonicæ meretrici: Apoc. 17. *Vidi mulierem 1. sedentem super bestiam coccineam, 2. plenam nominibus blasphemiæ, 3. habentem capita septem, 4. & cornua 10. 5. Et mulier erat circumdata purpura & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioso, & margaritis, 6. habens poculum aureum in manu sua plenum abominationibus, & immunditia fornicationis eius.* Sic Caluinismus 1. bestiali cum ignorantia fidei, & sensu de SS. hoc Sacramento decernit 2. Blasphemat cætera horrendum. 3. Discissus inter suos plusquam septiceps, 4. Technis instructus, vt cornibus, ad animarum euersionem, 5. Fastuosus, 6. Poculo aureo propinat manias, figuras, ac abominationes; plurimosque inebriat. Vah!

3. Olla mystica coqua.

II. Ollæ similis herbis refertæ agrestibus, qua de 4. Reg. 4. *Cumque gustassent de coctione, clamauerunt dicentes: Mors in olla, vir Dei: Et non potuerunt comedere.* Ita erroribus suffarta nefandis olla Caluiniana iam inde ab illius exordio audiit in sese conclamari: *Mors in Olla!* Olla Vulcanea, Circæa, Medeæa est reformati Euangelij scilicet Eucharistia. Et illi par, dignaque est eiusdem cænatica mensa. Psalm. 68. *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in retributiones, & in scandalum.* Ita fiat: ni resipiscant.

4. Gabaonitica fallia.

Sicut suus panis mucidus Gabaonitis, *Ios.* 9. Vt enim hi: ita Caluinistæ, ex oletis se conuestierunt hæresibus, & concentonatis: asinosq; suos Ministros pane mucido, ac vino acido cœnę onustarunt, ac è longinqua se antiquitate primæuæ doctrinæ adesse confingunt; etsi heri, interque nos nati. Castra ineunt Ecclesiæ; pacem reformationis prætendunt; fœdus pacisci optant simulatores; Fidei, Vnionis, Communionisque peruersores. Quid enim peruersius, quam pro Re Vera meram vmbram ingerere Symbolicam? Ita Symbolistæ. Nimirum

5. Prandia Heliogabali.

Qualem Heliogabalus Imperator Romanis mensam apparabat. Populum vniuersum inuitarat: Iamque in palatio discumbenti pictos, fictosque ciborum missus apponebat, oculos pascens, non ventres: denique dimisit inanes, ac delusos. Tali cœna suos luditiam diu Caluinus veterator nouus.

6. Panis mendacij.

III. Per Deum, perque salutem tuam, mi Christiane, Prou. 23. *Ne desideres de cibis eius, in quo est panis mendacij.* Hic, si vsquam, vera hæc, & prophetica monitio est, planeque necessaria.

7 Arcanus & vacua.

Porro, quale apud Hebræos sacrificiorũ erat altare, Exo. 27. *Non solidum, sed inane & cauum intrinsecus facies illud*, ait Mosi Deus: Indicio: quod *omnia in figura contin-*

contingebant eis, 1. Cor. 10. nec enim inania gratiæ gratiam vilam conferebant elementa mortua. Talis mensa est Caluiniana, vacua, & inaniter mendaciterque figurata, id est, ficta. Hæc similia dic claudicare: at doce minus apte quadrare. Dico Symbolum Caluini esse asymbolum. Tesseram fregit: Apage sit.

PARS IV.

Cœnæ figurantis ex verbis Domini refutatio.

Obstat Caluinistis. 1 Cõsensus Euangelistarum.

I. IAm vnum omnibus obiicio consensum Euangelistarum trium ac Pauli: qui omnes scribunt: *Hoc est*: at nullus: *hoc significat Corpus meum*: cum tamen diuersis linguis, locis, ac temporibus sua conscripserint singuli.

1. Figurarũ abolitio in N. Test.

2. Cui fas credere; in re tanta, apud obtusiores tum Apostolos, Dominum figurate loqui voluisse? 1. Cum in Lege Veteri figuras tam diserte, & clare edixerit, ac mandarit? 2. Is, qui venit figuras tollere & vmbras; nouis earum inuolucris mentes fidelium rursum obfuscasset, perque gryphum talem tali in re contorsisset?

3. Testamẽti formalis ratio.

3. Iusisti Domine, Ioan. 3. *Ipsum audite.* Sed quid audiam, quem non intelligam? Vt volunt Caluinistæ.

1. Idque in re vna maxima omnium? 2. Idque in Testamento; cuius ratio est & forma, *Liquere*: Non ludere æquiuocatiunculis, aliisve logogryphis. 3. Is parens audiret Impostor; qui gemmas legaret scripto; & mente pictas eas destinaret. Et de Veritate Summa Christo tale credas? Heu infandum! 4. Enimuero ille, Psalm. 144. *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis: & Sanctus in omnibus operibus suis; qui fecit mirabilia magna solus.*

4. Et Noui Testamẽti quidem.

4. In figuris fari, mosaicum spirat; redolet Iudaicum; sapit *vetera veterum.* At qui dixit; *Ecce noua facio omnia*; is & fecit. Dixit. *Hic est calix Noui Testamenti.* Matt. 26. Ergo noluit figurate per vmbram, aut Mosaice per nebulam, perque velamen, sed reuelate per ipsam Veritatem vera, certa, liquidaque fari.

5. Sponsaliorum inter præsentes contractus.

5. Absens cum absente se despõsaturus, sui mittere effigiẽ assolet: inter præsentes in tantum frustra pictura est, quantum natura superat fictitium. Ita sub lege Mosaica, sui vmbram misit Dominus Synagogæ absens: & præsens non solum rebus, sed & verbis deluderet figuratis? 1. Hebræorum est, *cap.* 10. *Vmbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum:* quam Noua Lex continet Christianorum. 2. Et Hebræi cap. 11. Hebr. *Iuxta fidem defuncti sunt omnes, non ACCEPTIS Repromissionibus: sed à longe eas aspicientes.* At nos scimus, quod Veritatem à Veritate Christo accepimus.

6. Vocis Hoc demonstratio

II. Iam illud *Hoc* cùm sit demonstratiuum rei; iniuria fit Christo idem velle ac inanias detortum interpretari. 1. Cur nõ item & illud Patris æque liceret: Matth. 17. *Hic est filius meus dilectus*; sic accipere: *hic figuratus significat filium meum*? Aut hic Elias, vel Moses, nam & ipsi aderant.

2. Quid? quod ista præuidens Dominus figuratis Glossematis cunctis præuenit, *Ioann.* 6. dicendo: *Caro mea vere est cibus.* Quæ hic tropologia? quasi dicat: Multa de me dicta sunt, lapis, lex, agnus, &c. sed per similitudinem: at hic *Veritatem dico vobis.* Quare ergo non creditis mihi? Quia Figuristæ estis Caluinistæ, & ficti p. ctique Christiani.

7. Idolothagia Caluinistica.

III. Sed quid Iudaizantes figuris vestris Caluinistæ, nos idololatras calumniamini imaginum cultores; cum vos esse contendatis idolophagi, seu voratores imaginum? id est, imaginati, seu imaginarij Christi vestro in Symbolo.

8. Theologia Orthodoxa.

1. Semper illa Maxima Theologis obtinuit:

tinuit: *In Sacramentorum verbis nulla figura inest.*

2. Item: *Vbi in verbis necessarium fidei mysterium continetur; inde tropi absunt.* Per hoc prisci Patres confutarunt Manichæos: Qui istud Ioannis 1. *Verbum caro factum est,* & Arianos qui istud: *Ego, & pater vnum sumus;* & Nestorianus qui istud 1. *Hic est filius meus dilectus*; tropice interpretabantur: tanquam de carne symbolica: de vnione non substantiali: de filiatione adoptiua, non substantiali. At contraria omnia Sancti Patres.

9. Christi protestatio professa.

Quis furor, ô viri, dicere, figurate locutum Dominum; qui iam ante edixerat: *Iam non in prouerbiis loquar vobis?* Si *filij lucis* sitis; quid vmbras quæritis? Sed *Lux* Veritatis *in tenebris* Iudaicis & hæreticis *lucet, & tenebræ* tenebrionum *eam non comprehenderunt.* Si *Veritas vos liberauit*; quid *ad inania & elementa reditis,* & figuras in aperta Veritate, absentiam in præsentia, in luce tenebras comminiscimini? O peruersi viarum, *redite ad cor.*

PARS V.

Fides Catholica de Præsentia astruitur Scripturis.

DOcet *S. Synodus* Tridentina sess. cap. 1. *ac simpliciter profitetur, in almo S. Eucharistiæ Sacramento, post panis & vini consecrationem, Dominum nostrum Iesum Christum, verum Deum atque hominem, vere realiter, & substantialiter sub specie illarum rerum sensibilium contineri:* qualis natus, passus, resurrexit, & ascendit.

Cibus adoratur. Ergo diuinus est.

1. Quia, *Hoc est corpus meum.* Ergo *Verum.* Hinc Psalm. 21. *Apud te laus mea, in Ecclesia magna:* quasi dicat: Adhuc ea parua in paruula Synagoga fuit: At nunc *edent pauperes, & saturabuntur, & laudabunt Dominum.* Quo genere laudis? *Manducauerunt*, (prophetico ritu, præteritum pro futuro ponit:) *& adorauerunt omnes pingues*: Atqui formalis adoratio debetur soli Deo: & tam *pauperes* tenues, quam *pingues* proceres, *manducauerunt*: Ergo *omnes adorauerunt*, in esca Deum: Alioquin commisissent idololatriam.

Præsens per incarnationem fuit adorãdus. ergo & præsens idẽ per transubstantiationem.

2. Psalm. 1. *Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus.* Hebræi legunt *osculamini filium*: Alij: *Adorate Panem,* Quod soli filio Dei conuenit. Nam is nobis natus, est cum adoratione osculatus, ergo idem datus sub specie panis est quoque adorandus. Ait enim, Ioan. 6. *Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi.* Et eum tu, qui de aula est, colis, non eum adores, *qui de cœlo descendit*, adest præsens, cum *Verbum Caro factum est,* pane transubstantiato?

3. Indigne sumtus damnat: ergo non communis est.

3. *Quicunque,* 1. Corinth. 11. *Manducauerit & biberit Calicem Domini indigne, reus erit corporis & Sanguinis Domini*: At si merus foret panis, qui posset manducatio eius cum peccato aliud mortiferum inducere delictum? *Dices*: ideo, quia panis ille imago Dei est, ob quam peccatur. *At contra*: Et Agnus fuit repræsentatio Christi; neque tamen ob id edentes eum in statu pecccati, peccabant amplius.

4. Iudæis figurata licent: hic eis non est licitus: ergo non est figuratus.

4. Hebr. 13. *Habemus Altare*, (continens pro contento:) *de quo edere non habent potestatem*, qui *Tabernaculo deseruiunt,* vt Iudæi: quibus data figura tantum: at nobis Veritas, & solis reseruata nobis. Nam olim, Leu. 16. & Hebr. 13. *quorum animalium infertur sanguis in Sancta pro populo per Pontificem; horum corpora cremantur extra castra*: Idque in signum *primo,* CHRISTVM extra vrbem passurum; & eius sanguine fideles sanctificandos. *Secundo*, Iudæis carnem eius dandam fore ad manducandum. Qua causa, vt ab esu Agni arcebantur serui: ita hodie ab Eucharistia Iudæi. Iam ni in suo altari Apostolus non maius quid nouisset, quam in altari Iudaico; qui tam se auda-

audacter Iudaicis Sacerdotibus præpositus esset?

5. Dominus astruens Sacramenti Veritatem, sic ait, Ioann. 6. *Sicut misit me Viuens Pater, & ego viuo propter Patrem: &, qui manducat me, ipse viuet propter me*, id est: Ego viuo ex Patre; & vos ex Corpore meo. Sed Christus non viuit ob sola symbola Patris, vel accidentia; sed vera substantiæ eius participatione ab æterno. Quippe *Apud te est fons vitæ*. Ergo & manducans viuit perinde de vera Corporis Christi substantia; non de mera symbolica imaginatione.

5. Qui mãducant, hi ex Corpore Christi viuũt: ergo nõ est symbolum solũ

6. Matth. 26. *Hoc est Corpus meum quod pro vobis tradetur*. Rursus. *Qui pro vobis effundetur* Sanguis: Atqui verum Corpus fuit traditum, effususque Sanguis; non figura. Ergo verum datur in Eucharistia. Ite nunc Symbolistæ, & fictum sumite Christum, qui factum abnegatis: & de imaginato vos pascite, qui à transsubstantiato abhorretis. Bene de vobis Apostolus: *Speciem pietatis habentes, ipsam autem Veritatem abnegantes*. At hic vos nec *speciem* quidem realem, sed mere imaginatam ex sensu vestro, non Domini spiritu.

6. Ite cibus est Corpus traditum, ergo verũ.

PARS VI.

Veritas docetur Figuris & rationibus.

1. Arbor vitæ realis.

I. PAschasius Abbas *l. de Corp. & Sang. Domini, cap. secundo*, ait quod permixtam allegoriam reddo strictim; In paradisi Ecclesiæ medio fuisse arborem vitæ, *Eucharistiam*, inter arbores fructiferas *Sacramentorum* constitutam mediam: quæ sola vim habebat *immortalitatem* conferendi; at cæteris suam fuisse cuique particularem efficaciam. Hinc Dominus, Iohannis 6. *Qui manducat me, viuet propter me*. Et *Qui manducat ex hoc pane, viuet in æternum*. Quia. *Apud te est fons vitæ*: Et *In Ipso vita erat*. Ergo succedens *fugauit Vmbram Veritas*.

2. Cypr. *Epist.* 3. August. 17. *Ciuit. c.* 30. aiunt: *Sapientia ædificauit sibi domum*, Prou. 9. Ecclesiam è Iudæis, & Gentibus: *excidit columnas septem*: Sacramentorum, aut septem donorum Spiritus: *& proposuit mensam*, Eucharisticam: De qua Ps. 22. *Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos, qui tribulant me*. Atqui nec domus ea esse potuit inuisibilis; nec Mensa figurata: ergo & figurarunt rem visibilem ac Veram.

2. Domus sapientiæ.

3. Agnus paschalis figura extitit huius Sacramenti: Atqui ille & per familias comedebatur; & à Sacerdotibus immolabatur. Ita & Eucharistia est Esca populo; & Sacrificium Deo per Sacerdotes pro populo. Agni sanguine aspersi postes ab exterminatore seruabant. Sic Christi sanguis animas seruat ab cacodæmone. Sane, post realia, realiora sunt secuta.

3. Agnus paschalis.

4. Manna, Eucharistiæ figura, cibus erat angelicus: omnẽ reddebat gustum ad cuiusque libitum: Visumque, mox stuporem pariebat dicẽtibus: *Manhu!* Ita Eucharistia cibus est etiam diuinus, omni plenus gratia, & stupendus. Ergo *fugat vmbram veritas*.

4. Manna.

II. Hisce rationes subiicio. *Prima*. Nisi vera realitas; vmbræ fuerunt nobiliores Veritate. Quia melius significabant Christi innocentiam, mortem, &c. Vt Agnus, &c. quam Panis & vinum. Atqui Dominus ab vmbris ad perfectiora progressus est, ergo ad realia. Nã hæc proxima sunt abeunti ab vmbraticis. Ni malis dicere, Nouum Testam. esse Vetere imperfectius: Christum Mose inferiorem. Turcicum hoc, Iudaicum, Atheum.

Ratio 1. Quia figuræ forent nobiliores veritate.

Secunda. Christus Legem Mosaicam impleuit. *Non veni soluere Legem, sed implere*. Et factum: Nam Matt. 27. *Consummatum est*. At si ab Sacramento hoc Veritas abesset, Christus figuras nondum implesset. Quia Iudæorum adinstar figuris

2. Non esse adimpleta.

pasceremur ac symbolis. Id quod pertendunt Figuristæ,& Symbolistæ.

3. *Fides nil addit rei creditæ. Ergo symbola Calu. sunt mera inania.*

Tertia. Dicunt: Fide hic subsistit Christi Corpus. At fides non dat rei existentiam; sed existentem supponit, & credit. Vti fides nō facit Dominum resurr exisse, sed credit factum. Quare inibi non potest fide apprehendi, vbi nec per se est, nec per fidem. Ergo falsa est fides eadē, quæ credit esse, quod non subsistit. Estque figmentum atheum, quod Deum negat adesse in Sacramento hoc.

4. *Non fieret vnio nec Communio.*

Quarta Ratio. In Synaxi fit hominis cū Deo vnio; vnde dicitur Communio. At si fide sola inibi apprehendi fingatur, nil fieret aliud, quam quod in baptismo; spiritalis coniunctio scilicet. Atqui coniunctio in carne fieri debet. Nam Eph. 5. *Erūt duo in carne vna: Ego autem dico in Christo, & Ecclesia.* Hæc vero nusquam in carne cum Iesu vnitur, nisi per Eucharistiam: Ergo in hac vera esse debet Caro IESV: non imago solum imaginata in *fide ficta.*

1. *Ratio cedit: succedet oratio, postulans fidem.*

III. Sed quid ratione pugnem longius? 1. Hic ratio succumbit, sensus non capit, oratio non exprimit. Quid ergo? *Sola fides sufficit. Hæc animosa capit.* At ora, Isa. 38. *Domine vim patior*, rationibus oppugnatus in re, quæ supra rationem, *responde pro me.* Nam natura fatiscit, nescit. *Tu adauge nobis fidem*, Sine hac, in re hac, causa cadam necesse est. Sed *Fide stamus*, vt Christiani: Rationem non spernimus, vt homines. Væ, quos & fides deficit & ratio, in suo sensu abundantes?

2. *Caueantur Syrenes hæretica.*

2. Vlysses præter Syrenum scopulos nauigans, metuens illicia cantuum, mandat se malo alligari: neu pellectus se præcipitet; aut omissa gubernatione nauis feratur in rupes. Tu te orationis ac fidei malo adstringito, mundi mare nauigans, inter cantus hæreticos, neu fascinatus, naufragium facias integritatis in Fide.

3. Imitare quoque Iob in arcana ascendentem animo; sed ita dicentem: ca. 39. *Manum posui super os meum*; ne quid extra rem loquerer. *3. Caue si qui silenda & credita.*

Vas carens operculo, immundum erat Deo, *Lenit.* 19. Sic os patulum ad eblateranda Diuina, quæ mens nec capit, nec sapit. 2. Os opprime; oculos aduerte: vt apud Isaiam, *cap.* 6. Seraphini ad Propitiatorium: Sed oculos fidei admoue. *Sile. Credi, Cole.*

Et sic Agni Paschalis, Exod. 12. *Caput cum pedibus vorabitis*, id est, Diuinitatem cum Humanitate Christi sumetis. *Caput enim Christi Deus.* 1. Cor. 9. Daniel. *cap.* 14. non curiose in cibos, ad lacum leonum allatos, inquisiuit; tamen vnde ferrentur scisitatus est. Ita tu, &c. *Et mandūcabis dignē.*

CONTIO TERTIA

De admirabili transsubstantiatione.

MIRABILE TERTIVM.

Memoriam fecit Mirabilium suorum, &c.

Ps. 110.

MAgnum! *Exod.* 4. & 7. Virgam conuerti in serpentem, in sanguinem flumina, ad vnum barbarum seu mitigādum, seu perterrēdum. At maius: ab orbis Assertore, vi propria Verbi, panem ac vinum conuerti in Corpus & Sanguinem Ipsius. *Quis credidit auditui nostro? Et est mirabile in oculis vestris*; quin & angelorum. Factum admirari licet, ac venerari: effari minime sine Numine.

Ergo cum Deo nos

I. *De Miranda Fide Eucharistica.*
II. *De peroso hæreticis vocabulo Transsubstantiatio.*
III. *Obiectiones hæreticorum contra idem.*
IV. *Credita docetur Transsubstantiatio.*
V. *Rationes pro eadem.*

PARS

PARS I.

De admiranda Fide Euchariſtica.

1. HEb. 11. *Fides eſt ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium.* Indicat vox hic, ὑπόστασις fidem eſſe baſim ac fundamentum. Quare, vt, *Iud.* 16. Samſone columnas atrii collidente ſubtractas, ruina domus & oppreſſio omnium eſt conſecuta: ita & Eccleſia rueret, fide ſublata per Satanam. Subſtat igitur Fides cunctis rebus ſpiritalibus ipſi vni ſuperſtructis, quas accepimus de Deo: Sacramenta, myſteria ſunt, fideſque ô quantorum montium baſis! 5. Qua quaſſa, quati & illos neceſſe ſit. Namque potens eſt montes etiam transferre Satanas. Quin & abſtulit iam Nouatoribus montes ſacramentorum pleroſque, baſimque montium fidem euulſit. Infelices!

Fides eſt baſis vna omnium ſpiritualium rerum.

Ea caligãt caligant & cætera.

Sole per Paſſionem obtenebrato, *Matth.* 27. tenebris ſqualebant omnia: indicio; Dei Filium occidiſſe. Fide animæ extincta; cæleſtium nil cernitur: cymmerię vndique tenebræ. *Signum*; pulſum abeſſe Deum, nec ibi viuere. Iam, Matth. 6. *Si Lumen, quod in te eſt, tenebræ ſunt; ipſæ tenebræ quantæ erunt* Tenebrionum?

Quod ſtudet Satan.

Antiochus, 1. Mach. 1. *intrauit in Sanctificationem cum ſuperbia, & accepit altare aureum, & candelabrum luminis.* Hæc eſt prima cura Satanæ, Deum ac fidem tollere animæ. Proinde, Pſal. 142. *Collocauit me in obſcuris, ſicut mortuos:* dicere quilibet Nouator poteſt.

Eſque plaga maxima.

Legimus Apocal. 16. *Quartus Angelus effudit phialam ſuam,* (irę diuinæ miniſter:) *in ſolem; & datum eſt illi æſtu affligere homines, & igni: &c.* Ita Satan hoc ſtudet: vt phialam hæreſios in animæ fidem effundat, quo rabie exæſtuent animi: blaſphemi in Deum, ac Sacramenta.

Fides Eucharistica est clara, & obscura.

II. In primis in *S.* Euchariſtiæ fidem. Quæ ſol quidem in ſe clariſſimus; at intellectui perobſcurus. 1. Vt de ea dicas licet, Pſalm. 138. *Nox illuminatio mea eſt*, id eſt: Fides credita, non intellecta me docet. 2. Atque ita, Pſal. 18. *Nox* fidei *nocti* ignorantiæ *indicat ſcientiam.*

Vtque Lya eſt & fructuoſa.

Fides eſt, vt Lya, *Gen.* 29. 1. lippa oculis intellectus, filia Labani *Dei.* 2. At fœcunda meritis operum. Nam *Fides ſine operibus mortua eſt.* Iaco. 2. 3. Et eam natu maiorem par eſt enubere priorem: Tu dein formoſa ſequare Rachel *Viſio diuina. Credo:* & ſic *in carne mea Videbo.* 4. Sed ſterilis illa. Recte. Nec enim in viſione beata tempus merendi eſt. 5. Ergo prius neceſſe illud, Oſe. 2 *Sponſabo te mihi in fide*, id eſt, in Lya lippa fructuoſa, deinde in Rachele glorioſa. Vtq; Lya lippiat, certa tamen eſt, nec fructu fallit.

Ac infallibilis.

Feramus igitur noſtram, circa Euchariſtiam, lippitudinem; cum infallibilem fide tenemus eiuſdem certitudinem. *Et hæc* Fides *mea* requieſcit in ſinu meo.

Eſt ſubiugatrix Rationis ac ſenſuum.

III. Fidem ſic veteres pinxerunt: Virgo viſebatur, aurea vinctum catena Regem tenere, turbamque populorum ſubiectam pedibus: inaurem ore mordicus; calicemq; cum hoſtia manu ferre. Ita Virgo fides incorrupta, *captiuat intellectum in obſequium fidei:* ſenſus proculcat: reuelat aurem. *Fides enim ex auditu eſt.* Rom. 10. Circaque Euchariſtiam exercita præcipue eluceſcit.

At tanto mirabilior.

Hocque magis, quo ſcientiæ minus accedit. Nam ait *Ariſtot.* 2. *de anim. Omnis per ſenſum eruur ſcientia:* at in Euchariſtia ſenſus accidentium aduerſatur, ac negat foris quod fides intus affirmat. Sic & debet abnegare ſuum ſcientiæ miniſtrum ſenſum, & cæca aſſentiri iubenti: *Crede. Et hoc age.* Neu dubita. *Fides* ſum quæ iubeo.

A pari aut Minori.

Fide age: & Abrahæ certato: Rom. 4.

Qui contra spem in spem credidit, vt fieret pater multarum gentium. Videbat sterilitatem; & credebat fœcunditatem. Nullam susceperat prolem; & credebat innumeras ex se gentes orituras. Talis Sara est Eucharistia: Tu Abraham esto, Cætera mitte Deo. Crede.

Mira mirorum. Credis in ea; quod audis de ea: *Hoc est Corpus meum*: non quod cernis inea. Cernis accidentia panis; ac credis substantiam abesse panis, adesse Dei & hominis: ac illius in huius substantiam transisse: Idque Verbo, sed omnipotentiæ: proferente Ministro; sed transsubstantiante Deo.

Deus *dixit*, *& facta sunt*: Sacerdos hic dicit, & Facit. Quia *Ego dixi, Dij estis*: nempe per Deum dicentes consecrando, & facientes transsubstantiando. Atque horum *Memoriam fecit Mirabilium suorum Misericors, &c.*

PARS II.

De vocabulo: Transsubstantiatio: *hæreticis exoso.*

Hæreticis est 1. Exosa. I. VTinam vox *Transsubstantiatio* & Res Catholicis esset in honore pari: quo in odio est hæreticis! Hi, vt ad Nomē Iesu dæmones; sic ad id auditum percelluntur & efferascunt. 2. Tigris, animalium ferocissimum, & velocissimum, rubeo colore viso rabit: Elephas sanguine conspecto ferocit, inque prælia ardet. 1. *Mach.* 6. Sic Nouatores ad vocem Sanguine rubentem, *Transsubstantiationis*, ringuntur, & excandescunt.

2. Execrabilis. Hebræi, male sibi conscii, & obmurmurationibus insueti, Exod. 20. *Non loquatur*, aiunt, *nobis Dominus: ne forte moriamur.* Tales hæretici murmuratores eam fugiunt diuinam vocem: vt ipsam mortem: mortalium miserrimi.

3 Irrisui. Tametsi alii; ceu Athenienses, Act. 17. *cum audissent resurrectionem mortuorū, quidam irridebant*: Ita isti audita *Transsubstantiatione*, Nouam esse vociferantur; priscis inauditam; ignoratam Scripturis; barbaram latinis; piis auribus inimicam. An, quia vox ea sectæ ipsorum fulmen est, ac ruina? At quid secta porro?

Eam exterminatam volunt. II. Hinc scilicet hæresis, vt Antiochus, 1. Mach. 1. *accepit*, id est, sustulit, *altare aureum*, Missæ Sacrificium; *& candelabrum eius* Fidem *& vniuersa eius* vna cum voce hac Transubstantiationis: *& mensam propositionis* diuinæ, supposita sua abominationis Satanicæ: omnia, inquam illa abstulit hæresis V. Sacramento.

Blasphemant. Nam 1. Caluinus *lib.* 4. *Instit.* passim eam appellat incantationem, diabolicam illusionem: Quod actionem eam nec sensus, nec ratio capiat. Itane vero? At nec factam in baptismo animæ mutationem capit. Imo nec cibi in stomacho conuersionem sentit. Ergo non fit? Ergo fascinatio fuerit? Quis sensus capit oui conuersionem in auem, sub putamine factam? Et tamen fit.

1. Vt fascinationem.

2. Vt Deum malignum. 2. Vviclef alio vsus telo, apud *Thom. Valdensem tom. 2. ca. 68.* & isto. Si vera fiat Transsubstantiatio; ergo Christus foret Deus ille malignus; quem Manichæi finxerunt, Bona creata annihilantem.

Refellantur. III. At draco es Vviclef, *Apoc.* 12. nequicquam annitens stellam hāc è firmamento Ecclesiæ diripere. 2. Blasphemus es Rapsaces, 4. *Reg.* 18. Transsubstantiationem appellans monstrum, magiam, chimeram. 3. Noctua es: nictas ad lucem hanc, & cæcutis Elymas vel patentibus oculis. Nempe Ioann. 11. *Lux* Eucharistica *in tenebris lucet* ceu humanæ ignorantiæ, seu hæreticæ obstinaciæ: *& tenebræ eam non comprehenderunt* intellectu suo hæretico.

Causa obj.

Vis vocabuli est. Et Lux ea vocis huiusce *Transsubstantiatio* vno flatu omnes hæreticorum nebulas obiectas difflat. Hinc odium. Audio

cio *Transsubstãtiationem*, continuo statuo: ergo non est hic, quod fuit: estq; virtute non naturali, sed diuina: Et nil amplius naturale; sed mere diuinum: adeoq; adorandum. Hæc, similiaque vna in voce hac. Et ista hæreticis infesta omnia. 1. Sic Arianis olim vox ὁμοούσιος *Consubstantialis* odium erat ac mucro: Eaque in Nic. Conc. recens seu nata, seu publicata. 2. Ita Nestorio vox θεοτόκος, *Deipara*, intolerabilis videbatur; quia hæresi ipsius exitialis. Et ipsa id temporis noua erat: Neutraque in Scripturis: vt neque hæc: *Trinitas*. Num idcirco eliminanda? *Absit*.

Est tessera fidelium. IV. Quin tessera esto Fidelium vox illa: qualis vox. *Schiboleth* fuerat Iepthteanis, *Iud.* 12. ad fusos fugatosque prælio Ephratæos, Iordanem transmittere cupientes, dignoscendos ab Iudæis. E quibus qui respondebat *Sibboleth*; *statim iugulabatur in ipso Iordanis transitu*.

Est vox electorum. Isaac, *Gen.* 27, è voce agnoscebat Iacobum, etsi habitu mentitum. *Vox quidem Iacob: manus autem Esau*. Ita Ecclesiæ Patriarcha Papa Romanus, Senex sexcentarius supra millenarium, per vocem istam discernit fideles inter & infideles: quam ideo *gens prauа & adultera* refugit, & auersatur.

Est signum salutis. In Aegypto, Exterminator primogenitorum diaboli, Israelitas ab Sanguine in superliminaribus internoscebat: *Et pertranssibat*. Sic fideles ex hoc vocis signo rubeo Satan agnoscit credentes in idem: *& fugit ab eis*.

PARS III.

Obiectiones hæreticorum.

Detimus antiquitate quidhæreticis. I. DE eius antiquitate 1. Lutherus *lib. de Cap. Bab. ca.* 1. fingit eam sub annum 1224. ab Innocentio III. ac D. Thoma cõfictam fuisse. 2. Caluinus *instit. li. 4. cap.* 16. §. 15. tempore ait S. Bernardi fuisse ignoratam. 3. Kemnitius, tempore Petri Lõbardi de *Transsubstantiatione* nil adhuc certi constitisse decretum.

Sed quid interest; vetus sit, an vox noua? Cum *Res* sit peruetus ipsa. 1. Dixerit quis, India occidentalis annis abhinc cẽtum inuenta est, dictaque America; ergo ante non fuit; ergo nomen est execrandum: iure is exibilabitur. 2. Dixerit: vox ὁμοούσιος sub annum à Christo nato trecentesimum noua fuit: ergo & Res? Occlamabitur: Blasphemia hæc est.

Sed duos hic obiiciunt Achilles: At ficulneos ego ostendam.

Primus. Panis esse non desinit; quin annihiletur: sed annihilatum, non fit transsubstantiatum: ergo panis non fit transsubstantiatus, ac proinde transsubstantiatio nulla est. *Respondeo*. Negando maiorem. Nam panis Esse dum desinit, hoc ipso incipit Esse Sacramenti, fitque non annihilatio, sed transsubstantiatio: id est: Panis non fit *Nihil*; sed *Aliud*. Nam panis dum suum esse amittit; aliud accipit. Sic aqua vinum facta transmutata fuit; non annihilata; licet *esse* aquæ desierit. Nam non desiit in nihil; Sed in aliud.

Secundus Achilles; scilicet. Sensus circa propria obiecta falli non queunt: at in Eucharistia fallerentur posita transsubstantiatione. Quare sicut S. Patres docebant contra Manichæos, Christum verum esse hominem; quod comederet, dormiret, &c. Ita dicendum, in Eucharistia verum esse panem; quod sit albus, sapidus, &c. Isto se iactat Vviclef, vt insuperabili vallo: Apud Thom. Vvald. to. 2. cap. 45. *Respondeo*. 1. Sensus non falluntur circa obiecta per se; vt sunt accidentia. At circa obiecta per accidens falluntur. Sicut substantia videtur per accidens. 2. *Deinde*, Non falluntur in obiecto proprio; at in contrario, vel alieno. Vt in stellarum magnitudine: in baculo aquis semimerso: in arboribus visis

moueri dum nauigatur. 3. Non falluntur, cum medium; & organum bene dispositia sunt. Alioquin trans medium viride alba videntur viridia. Quare in Sacramento sensus falluntur in obiecto accidentario, quod est substantia; non in proprio, quod sunt accidentia.

PARS IV.

Credita docetur Transsubstantiatio.

Fidei dicēti, fieri transsubstantiationem, credendū est.

I. CRedit; docetque Ecclesia, fieri in Eucharistia conuersionem totius substantiæ in totam; sine annihilatione, corruptione, vnione Christi ad panem, &c. Sic Fides docet. Sicut viso manna populus attonitus ait, *Man hu?* Interueniensque Moses docebat ipsum; Exod. 16. & Num. 11. *Hic est panis, quem dedit nobis Dominus ad vescendum.* Videbant, tangebant, gustabant: nec tamen, quid esset, agnoscere poterant, sine docente. Ita sensus, ad Sacram Hostiam hęsitantes, informat Ecclesia. Cuius Fidei acquiescendū fidelibus: Sicut Mosi populus credebat.

Requisita quatuor, ad trāssubstantiationem.

Sed nota: Ad veram conuersionem quatuor esse necessaria. 1. Vt aliquid desinat esse. 2. Vt incipiat aliud. 3. Vt inter esse desinentis vltimum, & primum incipientis esse; sit connexio sic, vt desitionis virtute fiat successio. 4. Vt ambo termini *à quo*, & *in quem* sint positiui. Atqui hęc quatuor in hac Sacramentali Conuersione conueniunt. Ergo est vera conuersio; & quidem substantiæ in substantiam. *Ob primum* non est delusio: Vt virgæ Magorum in serpentes putatitios vertebantur, eratque falsa Conuersio, ceu ait: *Augusl.* 18. *Ciuit. cap.* 18. Per *secundum*, non est corruptio, nec annihilatio. *Ob tertium*, non sunt duæ actiones; sed vna. *Ob quartum*, non est corruptio vnius, generatio alterius: vt in naturalibus conuersionibus accidit.

Græcorum vocabula recensēt.

Atqui istam Transsubstantiationem priscí *Patres Græci* variis, efficacibusque verbis signanter expresserunt. Orig. lib. 8. cont. Celsum. ἐσθόμεν ἄρτους σῶμα γινομένους. id est, *comedimus panes Corpus factos.* Grego. rij Niss. vox est, μεταστοιεῖσθαι, id est, *transformari.* Theophylacti est vox, μεταστοιχειῶσθαι. id est, *transelementari, &c.* S. Patres *Latini* iisdem verbis inhæserunt; quæ idem sunt, quod *transsubstantiari.* Et hoc sex Concilia vniuersalia confirmarunt, Vercellense, Turon. Lateran. Romanum, Basile. Tridentinum.

Quare, rumpantur vtilia Codro hæretico; negent Transsubstantiationem; quod impossibilem esse credant; At nos cum S. Gregorio credimus, *esse factu possibile Deo; quod intellectu impossibile nobis; sed creditu facile.* Neque tamen eiusdem desunt rationes.

PARS V.

Rationes pro eadem.

1. Vt caueatur artolatria.

I. *Ratio prima.* Ni vera fieret transsubstantiatio, sed Christi in panem insinuatio; periculum esset ab artololatria simplicibus, qui parum distinguunt: foretque eius gratia dicendum, *Sub hoc est Corpus meum.*

2. Ne ieiunę communicetur.

Secunda. Augustinus *Epist.* 117. *cap.* 6. ait Apostolicas Constitutiones vetare, ne ab ieiunis communicetur. At si Corpus Domini esset sub pane manente; non posset ieiune sumi. Neque ter ieiune sacrificaretur in nocte Natalis Domini. Qui tamen mos durat inde ab annis plus mille, teste *Greg. hom.* 8. *In Euangelia.*

3. Quia possibilia Deo est.

Tertia. Difficilius est ex nihilo creare, quam ex vno aliud facere: sed illud Deo fuit possibile verbo: ergo & hoc. Sic *Hieron. tom. 2. Serm.* de Eucharistia, *Chrysostomus* in 26. Matth. *Ambrosius* libr. 4. de Sacramentis. *Damasce.* libr. 4. cap. idem fic confirmat: *Si tantum valuit sermo Eliæ, vt ignem*

ignem de cœlo deponeret : non valebit Christi sermo, vt species mutet elementorum.

4. Omnipotentiam Christi tentant.

Quarta. Deus hoc *Mirabile* persuasurus hominibus, non solum in V. T. miracula præmisit ; vt conuersionem virgæ in serpentem ; solis stationem fixam in cœlo ad iussum Iosuæ : sed & in Nouo iam mira patrarat : Vt suscitationem Lazari : saturationem quinque millium panibus quinis. Et Institutioni Eucharistiæ sic præfatus est S. Spiritus de eo : Matth. 16. *Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manu.* Et ipse fidei de sese professionem à Petro omnium nomine repetiit : Nimirum ne tantæ rei institutio posset vlli patere diffidentiæ.

5. Hæretici sunt deteriores tentatore Satana.

Quinta. Satan, *Matth.* 4. incertus Diuinitatis Iesu, ex isto periculum de eo facit: *Dic, vt lapides isti panes fiant.* Id quod sine transsubstantiatione fieri nequibat. Dubitabat Satan : at hæretici pernegant: Hocque Satana deteriores sunt. Ideo Dominus de Iuda, cum Capharnaitis non credente realem præsentiam, ait; Ioan. 6. *Nunquid ex vobis vnus diabolus est?* Pares in hoc Iudæ Martinistæ sunt & Caluinistæ. *Vos* ex patre diabolo estis, qui cum Iuda & Capharnaitis Realem Christi præsentiam in Eucharistia abnegatis, non creditis, blasphematis.

6. Argentinenses reprobati à Patriarcha.

Sexta. Argentinenses Lutherani ortæ nos inter & ipsos de *Transsubstantiatione* controuersiæ diremtores Græcos delegerunt. Simul ablegarunt ad Constantinopolitanum Patriarcham, spe, fore eum secundum ipsos pronunciaturum. At is reprobauit eosdem ; tanto ferocius infremiscentes. Vah pudor, & furor.

PERORATIO.

VErum, vt Ierichuntini obsessi dedere se obstinate non statuebant : (Arcam interea Israelitis festa cum pompa circumferentibus) demum tamen Illius reuerentiæ vel ipsi muri cessere collapsi, aditumque dedere : Ita quem obstinati cultum Eucharistiæ negant hæretici ; eũ nos Illi tanto magnificentius deferimus ; vt ipsi quoque vici campique applaudere videantur. Quo illi impotentius aduersus Eam insaniunt gygantomachiam molientes. Sed in capita sua.

At vero tu Isaia, quid iussum tibi ? ca. 6. *Sume tibi librum grandem : & scribe in eo stylo hominis : Velociter spolia detrahe ; cito prædare.* Grandis liber Sacramentum est : in quo *folia* tria : Corporis, Animæ, Dei : *inuolucrum* sunt Species : *stylus* scripturæ est Præsentia hominis Christi Dei. *Scriptura* ipsa est ; *velociter* post consecrationem *detrahe* substantiam panis & vini ; *cito deprædare* quantitatem extensione, &c.

Et tu, ô homo, iam demum ad Cibum hunc acquiesce : *Nunquid*, ait Iob, 6. *rugiet onager, cum habuerit herbam ; aut mugiet bos, cum ante præsepe steterit?* Nec Angelis ea obtigit ; quæ hominibus, cibi felicitas.

Quo minus vel Deo, vel proximo obmurmuremus, ad instar psychicorũ Hebræorum : quorum vox ista, Num. 11. *Anima nostra arida est : quis dabit nobis ad vescendum carnes?*

Quin potius læti inuicem, grati Deo concinamus : Ps. 103. *Quã magnificata sunt opera tua Domine? Omnia à te expectant, vt des illis escam in tempore. Quis similis tui ; Magnificus in sanctitate?* Nullus : Nam *imples omne animal benedictione* Eucharistica.

CONCIO QVARTA.

De admirabili epulo, quod in Eucharistia apparatur.

MIRABILE QVARTVM.

Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos. Luc. 4.

MIrabile ; *Ioan.* 6. IESVM : in monte Hermon hominum quinque millia panibus

panibus quinis hordeaceis exatiasse sic, vt XII. cophini fragmentorũ superarent. At mirabilius, quod ex vno Pane *sumit vnus, sumunt mille, tantum iste, quantum ille, nec sumtus consumitur*: semperque tantum superat; quantum ante erat.

Quo super nos

I. *Quod summa Dei liberalitas: & in hac Cœna præcipue.*
II. *Quis quos vocet ad Cœnam: & cur sic dictam.*
III. *Cœna cur Magna dicatur?*
IV. *De inuitatis generatim.*
V. *De negligentib. Cœnam, cumque Mundo prandentibus.*
VI. *De vecordia negligentium Cœnam hanc.*

PARS I.

Quod summa Dei sit Liberalitas: & in hac Cœna præcipue.

Dei Virtutes in excessu sunt.

I. VIrtus *in mediocritate consistit*: ait Arist. Id verum in hominibus: at in Deo virtutes sunt in excessu. Ideo dicitur, Ps. 23. *Dominus Virtutum, ipse est Rex gloriæ.* Et in Thabor cum eo Elias ac Moyses de stupendis eius Virtutibus agentes, *de excessu loquebantur.* Mat. 17.

Vbi liberalitas eius.

Istarum vna ipsius liberalitas est, quæ medium nescit, sed omne extremum transgreditur. Hinc Eccl. 43. *Admirabilis magnificentia eius.* 2. Ps. 67. *Magnificētia eius, & virtus in nubib.* 3. Nimirum quod in plebeis prodigalitas; id in magnatibus Liberalitas est: In Deo maxime. 4. Vnde tanta eius in creatis rebus ac beneficijs profusio, & Magnificentia prædicatur, Ps. 8. *Domine Dominus noster, quam admirabile est Nomen tuum in vniuersa terra? Quoniam eleuata est Magnificentia tua super cœlos.*

Ea præcipue, quæ hominem enutrit corporaliter.

Ea vel in solius hominis conseruatione sat eluceſcit. 1. Quam hominem iam à quinque millibus annorum enutriuit magnifice? Horrea, penuaria eius, &c. redundant: Aér auibus, aqua piscib. terra brutis, & frugibus. De his viuit omnibus vnus homo. O mensam! 2. Stupori est Salomonis expensa quotidiana, 3. Reg. 4. *Erat autem cibus eius per dies singulos XXX. cori similæ, LX. farinæ, X. boues pingues, & XX. boues pascuales, & C. arietes exceptà venatione ceruorum, caprarum, & bubalorum, & omnium altilium.* Et Oeconomi hæc *necessaria mensæ Regis præbebant tempore suo.* At mirabilior in Domo Dei est œconomia vinearum, agrorum, syluarum, &c. quæ omnia dant fructum *in tempore suo.*

Maximè vero quâ spiritualem

II. In signum gratitudinis pro dispensatione tali, iussit in Tabernaculo mensam statui XII. panum propositionis, qui omni Sabbato recentibus mutarentur. *Leui.* 24 1. *Reg.* 21. Id quod etiam figura est Eucharistiæ.

De cuius mensa iustius dixerit Ecclesia; quam de hortis suis Sponsa: Cant. 7. *In hortis nostris omnia poma noua, & vetera, Dilecte mi seruaui tibi*: Nam Ecclesia tam Figurarum Testamentum Vetus conseruat, quam Nouum veritatis.

Climax, seu gradatio liberalitatis diuinæ ascendit usque ad Eucharisticam summam.

Vidit Ioannes, Apocal. 22. *In medio plateæ eius, & vtraque parte fluminis, Lignum vitæ, afferens fructus XII. per menses singulos reddens fructum suum*: & folia salubritatem ægris afferebant. Ista tametsi alij de Christo, Apostolis, & doctrina eorum interpretentur: quin tamen & de magnificentia Dei, hominem enutrientis, accipiantur, nil obstat. Dei enim pro homine cura cum orbe condito cœpit, & perseuerat.

1. Gen. 2. *Dixit que Deus: Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram: & vniuersa ligna terræ, quæ habent in semetipsis sementem generis sui, vt sint vobis in escam.* 2. Nequedum satis. Si ab frugibus forte nauseaturus foret; adiecit, Gen. 8. *Omne, quod mouetur, & viuit, erit vobis in cibum.* 3. Neque

Neq; hic stetit liberalitas eius. Etiam *Panem Angelorum manducauit homo* Manna. 4. Parum adhuc. Addit maximum: Seipsum dat in cibum : Ecce *Hoc est Corpus meum*. Atq; ideo *Memoriam fecit Mirabiliū suorum*. Id quod ista docet parabola ipse: *Homo quidam fecit Cœnam magnam.*

PARS II.

Quis quos vocet ad Cœnam: & cur sic dictam.

I. OMnino ter Maximum est epulum, Eucharistiæ Sacramentum. Ad quod Ipse vocat, Matth. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & Ego reficiam vos*, quasi dicat: Solus sum, qui animas pascere queam. Nam mundus reddit esurientiores. Testis Psalm. 16. *Satiabor cum apparuerit gloria*, q. d. esuriens ex mundi surgo mensa: ad aliam adspiro.

Ad Cœnā vocat le sus solus.

2. Vocantur non otiosi; sed laboriosi, & patientes. Nam multi in mundo laborant: sed Christi Cruce onerati non sunt.

1. *Et solos cum ipso patientes.*

1. Quo item inuitat Dominus, Matth. 11. *Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.*

2. *Et proximo compatientes.*

2. Neque hoc solum. Adde & istud à proximo: Gal. 6. *Alter alterius onera portate: & sic adimplebitis Legem Christi.*

3. *Et Passionis suæ memores.*

3. Quid Ecclesia? *O Sacrum Cōuiuium: in quo Christꝰ sumitur: & recolitur memoria Passionis eius.* Sacrum est, & magnum 1. ob cibum Christum: 2. ob Passionem, cuius pretium infinitum est 1. Sicut Aegyptij, teste *Herodoto. libr. 6. & Plut. in conui. sap.* cranium mortui mensis suis inferebant; vt mortis, ac temperantiæ meminissent; qui cibum vitæ tolerandæ sumerent. Simile hic Christus instituit. 2. Huc iussit, *Exod.* 12. superliminaria sanguine Agni conspergi, in quibus is domibus comedebatur: vt remaneret mnymosinon mortis, & occisi. Ita Dominus voluit animas nostras tingi memoria Passionis in Synaxibus.

II. Cœna autem dicitur Sacramentum hoc: quia sic & Paulus 1. Corinth. 11. *Iam non est Dominicam Cœnam manducare.* Causa. 1. Quod id Dominus pridie Passionis post cœnam instituit, sero vespero. 2. Quod magna conuiuia ad vesperum instituta prodantur. Vt 3. Esdr. 3. *Rex Darius fecit cœnam magnam.* Iud. 6. *Tunc Ozias* Pontifex *suscepit eum*, Achiorem, *in domū suam, & fecit ei cœnam magnam.*

Eucharistia cur Cœna dicatur.

3. Quod, vt cœna est vltima diei refectio: ita Eucharistia in sæculorum est data. 1. Trina per diem refecto fit. Ientaculum mane dedit Deus tempore Naturæ, in pane Melchisedech, & sacrificio Abelis, & Abrahæ. Prandiū in Lege, lautioribus missibus, sed Figurarum, apparatum. Cœnam in Euangelio gratiæ: quæ vltima, & optima refectio est. 2. In nuptiis Canæ, *Ioann.* 2. laudem commeruit Architriclinus, quod *seruarit bonum vinum vsq; adhoc*, & ad vltimum. Ita Dominus fecit.

PARS III.

Cœna cur magna dicatur.

FEcit Cœnam Magnam. 1. Quia Psal. 144. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis* 2. Quia numerus inuitatorum est magnus. *Venite ad me omnes, qui &c.* 3. Quia fercula sunt magna: Vt Christi Diuinitas, Corpus, Anima, merita, gloria. 1. Magna foret cœna, in qua vnica orbis Phœnix, Arabica auis, inferretur. At cœlica Phœnix est Dominus. 2. Finge, cibum esse saporum omnium, deliciarumque; & hunc cœnæ missum fore: quid ea præ cœna foret laude, pretio, honore? Hinc de manna quæ par laus? Ps. 77. *Pluit illis manna ad manducandum: panem cœli dedit eis, cibaria misit eis in abundantia*, Cibaria. Vnicum manna

Cur Magna? Ob Cibum 1. Vnicum in orbe.

2. Saporū quæ omnium.

erat. At in vno omnia. Recte igitur attoniti *Manhu*? Et Psalm. 16. *Panem de cœlo præstitisti eis, omne delectamentum in se habentem, & omnem saporem suauitatis.* 3. Iam præ hoc vilis est cœna Cleopatræ, quæ Antonio suo quos apposuit vniones, qui singuli plusquam centum millibus coronatorum æstimabantur. Nam Diuinitas Christi, & Humanitas Vniones quanti sunt? Atqui eas vt emas, suadet idem omnia diuendas. *Matt.* 13.

3. In quo Deus & Homo inest.

4. Omnesq; gratia.

4. Missus fuit priscis Porcus Troianus dictus: Suffartiebatur is porcus omni genere auium, animalculorum, & eduliorum. Ex quo in mensam illato, ea prodibant, velut milites ex equo troiano: Cuius in memoriam is luxus cœperat. Teste *Athenæo. l. 1. & Macrob. Saturn. l.* 3. c. 12. Refert Chiliastes in Adagiis, priscos etiam in Principum epulis bouem, aut camelum similiter suffartum inferre consueuisse. Sed insaniæ istæ. At salus ipsa Cœna nostra est. In hac Christi Corpus quantis plenum gratiis est? Ex eo prodeunt robora Martyrum, sapientiæ Confessorum, &c. Denique quid non! O magnam cœnam! Ei quæ par?

5. Et omne pretium.

5. C. Caligula Imp. epulum instituit, æstimatum 300000. coronatorum: *quique etiam ex auro panes, & obsonia apposuit*, ait Agellius. Quid istud vel ad pretium Christi, vel ad aurum Charitatis Eucharisticæ? Nugæ?

6. Quin & omne viuens.

6. Deus, *Gen.* 8. Quale dedit epulum? *Omne quod mouetur, & viuit, erit vobis in escam.* Nil tamen & hoc ad Christi escam.

7. Item ordinata, omnia diuinitus.

7. Regina Saba cibos, mensam, ministrosque Salomonis intuita, *non habebat vltra spiritum*, 3. Reg. 10. & 2. Par. 9. Exclamat: *Beati viri tui, & beati serui tui hi, qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam!* Sed *ecce, plusquam Salomon hic.*

PARS IV.

De inuitatis generatim.

Inuitatio. mnes accumbunt excluso nomine.

I. ASsuerus, 127. prouinciarum Rex, *Esth.* 1. Principibus suis epulum dedit, continuis 180. diebus anno regni sui tertio. *Cumq; implerentur dies conuiuii inuitauitq; omnem populum, qui inuentus est in Susan, à maximo, vsque ad minimum.* Atqui ea duntaxat figura fuit Eucharistiæ: quâ tertio p̃dicationis suæ anno instituit Iesus. Vbi primum *belli triumphatores Duces* tractauit; dein orbem inuitauit. De eo, Isa. 28. *Faciet Dominus exercituum omnib. populis in mõte hoc conuiuiũ pinguiũ, conuiuiũ Vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ.* Idque sub vltimum vitæ Actum.

Idque Iure Testamenti.

Sicut Dauid, morti proximus, successori filio de *filiis Berzellai Galaaditis* ita mandat: 3. Reg. 2. *Reddes* illis gratiam; *erũtque comedentes in mensa tua.* Ita Iesus constituto suo Vicerege Petro, & cæteris *Principibus super omnem terram*, quo *memores essent Nominis sui*, dicit: *Hoc facite in mei memoriam* omnibus creditur is in me. Beata nostri commendatio?

Sed circa annos discretionis.

II. Sed agitur nobiscum, vt Abraham cum filio agebat. Nascebatur is; lacteba-tur: demum ablectatur, Gen. 21. *Fecitque Abraham grande conuiuium in die ablactationis.* Ita in Baptismo renascimur: ab Ecclesia informamur: demũ sub annos discretionis Pane cœli pascimur, simul Dei Magnificentiam memoramus.

Vere nuptiales.

In nuptiis Canensibus, facto ex aqua vino, Ioann. 2. *Fecit hoc initium signorum Iesus; & manifestauit gloriam suam.* Et vero multo maximam tum, cum aquam figurarum vertit in vinum Veritatis: imo panem & vinum in Corpus verum & Sanguinem. Quare & maximum illud miraculorum est.

III. Daniel 5. *Balthasar Rex fecit grande conuiuium Optimatibus suis mille: & vnusquisque*

quisque secundum suam bibebat ætatem, ac merita. Maius, planeque diuinum Dominus suis, ac nobis. Ergo *Bibite amici, & inebriamini charissimi* omnes, excluso nemine; nisi qui sese excluserit ipse.

Percipitq; gratiam quisque pro merito.

Apud Athenienses, prodit A. Gellius, l. 5. Genial. dier. c. 21. *in celebri epulo, quod Sysitiam vocant, tenuiores cum ditioribus vna conueniunt; & æqualem obsoniorum partem ferunt.* Idem ibidem ait. *Spartanis communia erant conuiuia, pauperes cum ditioribus eodem vescuntur obsonio.* Ita vt in hymno Sanct. Thomas. *O res mirabilis? Manducat Dominum seruus, pauper, & humilis.*

PARS V.

De negligentibus Cœnam, cumque Mundo prandentibus.

Cœnam posthabentes 1. repudiantur à Deo.

I. *Villam emi*, Ambitiosus. *Iuga boum emi*, Auarus. *Vxorem duxi*, Luxuriosus. Tria sunt omnia: Et ista genus omne peccantium significant, qui cœnam respuunt: sed suo malo. 1. Ita Assueri Regina Vasthi, Esth. 1. *renuit, & ad Regis imperium, quod per Eunuchos mandauerat, venire contemsit. Vnde iratus Rex, & nimio furore succensus*, &c. eam repudiauit. Væ, renuentibus digne comparere.

2. Ad vltima rediguntur.

2. Talis prodigus, *Lucæ decimoquinto*, spretis paternæ mensæ cupediis, in sterilem procul regionem abscessit; adque incitas redactus, porco sutulentior, sero demum ad patris domum suspirauit, & vel porcis ipsius compasci optauit. Quanta hæc mutatio? At ex suapte culpa. Infeliciora istis euenient causatoribus, ni resipiscant. Sin': *Famem patientur, vt canes*, Psalm. 58.

3. Infamia perpete notantur.

Infames ab hoc Israelitæ sunt: Numerorum 11. *Recordamur piscium, quos comedebamus in Aegypto gratis. In mentem nobis veniunt cucumeres; porrique, & cœpæ, & allia. Anima nostra arida est: nil aliud respiciunt oculi nostri, nisi Man.* Infœlices etiam erunt, quicunque Panem vitæ aspernabuntur: præ opibus, honoribus, voluptatibus: præque mundi prandiis: Et his tam noxiis, funestis, feralibus.

Prandet breue mũdus.

II. Prandia mundus habet; non cœnas: Quia illa raptim breuia sunt. Iob. 22. *Ducunt in bonis dies suos; & in puncto ad inferna descendunt.* Hem! Sic mundus prandet; vt eodem puncto apud inferos cœnet. Testis Epulo; Luc. 16. *Et sepultus est in inferno.*

Sed cœnat in orco, præcipitatus.

Leonides Dux Spartanorum, prælium periculumque adituros milites hortatus militari ioco, ait: *Forti animo prandete viri; quasi apud inferos cœnaturi.* Idem suis mundus occinit, heu in quanta irruentibus vltro pericula? At è diuerso: Ioan. 6. *Qui manducauerit ex hoc pane viuet in æternum.*

Aut aliam in crucem actus.

Aman mirifice placebat sibi, quod ab Rege, Reginaque solus ad prandium fuisset adhibitus. *Esth. septimo.* At nesciit infœlix, quid exitij serus illi vesper veheret. Adeo recta ex triclinio abiit in malam crucem, littera longa factus suspendiarius. Agite cosmophili, genialiter viuite deliciati cum regina vestra Carne, Mundoque rege: certa vos pœna, nec sera, manet.

Schema, & Scena mundi.

III. Hanc discite in exemplo Adoni bezech tyranni: Iudicum 11. *Septuaginta Reges, amputatis manuum, ac pedum summitatibus colligebant sub mensa* illius *ciborum reliquias.* Is Mundus est: Hi, vos esse contenditis. Et vere nati, renatique Reges veri estis: at quis vos manusque, pedesque truncat? Cur? Ob micilegium; idque sub mensa. Cum regifice, ac diuine ad Christi aram tractari possetis. *Quis furor ô ciues: quæ vos dementia vertit* ab Ara ad haram?

Contra: Cœna beata Aræ.

Cogitate, qualia in Ara? Cant. 5. *Comedi fauum cum melle meo, bibi vinum cum lacte meo*: LXX. vertunt: *Comedi panem.* Qui

bus quid dulcius? Psalm. 30. *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine; quam abscondisti, in Eucharistia, timentibus te!*

PARS VI.

De Vesania negligentium Cœnam.

1. *Agasones sunt tales.*

I. ET præ hac Ara quisquam sectabitur haras? Quam brutus Saul erat, 1. Reg. 19. quod asinas patris quæritaret, cursitando per montes, ac saltus tum, cum ab Samuele in Regem vngendus quæreretur? At brutissimus fuisset, si vngẽti eum Samueli sese præbere detrectasset. Et vos *filii hominum vsquequo graui corde? Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Ps. 4.

2. *Sunt Cynomolgi.*

Cæsar, ait, *Plut in vita Periclis*, visis Romæ exterarum gentiũ obambulare Legatis, ac melitæos gestare, & demulcere; quærebat. *Pariuntne apud vos mulieres etiam liberos?* Sugillabat ineptiam: quod debitum liberis amorem canibus præstarent. Perũersius est, debita Deo præstare mundo: ob lutulentam villam perdere auream Ierusalem: ob lenticulam diuendere primogenituram. Vah Esauitas!

3. *Sunt terra filii lutulenti.*

II. Quæ vero dementia, villam emere mundi nec visam prius? Quæ sit tantæ is sit fidei: extraque omnem suspicionẽ. Formosa, & famosa Lais, vile scortum ex forma, & corpore questum faciebat. Cum ab Demosthene, pro corporis vsu mille drachmas atticas postulasset; is ait: *Tanti pœnitere non emam.* A Gell. l. 1. cap. 8. Maioris stat vsus mundi, eiusque pœnitere, immo æternum cruciari.

4. *Sũt bruta subiugata mundo.*

Adhæc, *quinque iuga boum emi*: Misera mancipia! Vnũ est iugum Christi: quinq; mundi. Et hæc intolerabilia subeuntur: suaue illud excutitur. Digni brutorum iuga subeuntes, quibus, quod Nabuchodonosori, cueniat: Dan. 4. *Eijcient te ab hominibus, & cum bestiis, ferisque erit habitatio tua, & fœnum vt bos comedes*, Iuste, Quia, Ps. 48. *Homo, cum in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Qui noluit honorem diuinæ mensæ, meretur horrorem gehennæ.

5. *Sunt pulsi.*

III. Deniq; sunt, quos caro putida abstinet ab hac Cœna. Quo quid fœdius? 1. Fieri autem, Abimelech docet: 1. Reg. 25. *Non habeo laicos panes, sed tantum panem sanctum, Si mundi sunt pueri, maxime à mulieribus, manducent*, quasi dicat: Venus profana Sacramentis est indigna. Absorbet animam in fœdum sensum, vt exurgere sat nequeat in Deum.

6. *Inhabiles deuotioni.*

2. Hieronymus *to. 2. Epist. l. 1. cont. Iouin.* refert, Hirtium sororem suam obtulisse Ciceroni in coniugem, post repudiatam Terentiam: Sed Ciceronem respondisse: *Non possum philosophiæ simul, & vxori vacare.* At sublimis philosophia est deuotio, & vxor fera, caro: Vtriq; vacare valet nemo. Ecce, cæteri dicebant: *Non possum venire, rogo te habe me excusatum*: At vxorius præfracte ait: *Non possum venire.*

7. *Excordes.*

O excæcans libido! Quantum rationem ex homine exuit, tantum brutum induit, Vere Ose. 4. *Fornicatio, & ebrietas auferunt cor.* Vt hæc cerebrum rotat, sopitque animum: sic & illa.

8. *Hirciũt.*

Phidias, nobilis sculptor, Venerem finxit hirco insidentem, vt fœtidam, & insidentem testudini, vt excordem. Nam Aristot. ait hoc animal vnum omnium corde carere. Dauidi adulteranti num quod fuerat cor? Quia excors erat, iccirco orabat Psal. 50. *Cor mundum crea in me Deus.* Heu! quo ex quanto vir recidit tantus? Et per rem male vxoriam.

CON-

CONCIO QVINTA.

De admirabili ratione, qua Christus in hoc Sacramento continetur.

MIRABILE QVINTVM.

Memoriam fecit Mirabilium suorum, misericors & miserator Dominus, &c. Psal. 110.

BEthsamitæ, 1. *Reg.* 6. Arcam curiosius, ac irreuerentius inspectantes; pœnas morte dedere. Idem foret metuendum mihi, interiora V. Sacramenti indagaturo; ni cordium Scrutator nosset abesse animo curiositatem meo, & irreuerentiam.

Quare Deo fretus nunc ista

I. *Quarum rerum monimentum sit hoc Sacramentum?*

II. *De Existentiæ modo, & Quantitatis loco.*

III. *De Contento quando, & diuiso.*

IV. *De existentia eiusdem pluribus in locis, sine loco tamen proprio.*

V. *De existentia Accidentium.*

VI. *Reiiciuntur sensus in hac causa iudices.*

PARS I.

Quarum rerum monimentum sit hoc Sacramentum?

Sacramentum est monimentum 1. Gloriæ.

I. HOste, belloque debellato; republ. constituta: stabilita pace, victores tropæa, arcus, pyramidesque statuunt, *gloriæ causa, & memoriæ.* Ita IESVS Lege stabilita gratiæ, deuicto peccato, orco, &c. *Mirabilium* Colossum statuit V. Sacramentum. Addiditque epigraphum: *Hoc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis.* Matt. 26.

2. Vitæ alit.

2. Et Ioseph quoque decessurus mandabat: Gen. 50. *Asportate ossa mea de loco isto:* quasi paternæ virtutis mnymosina, ac monimenta posteris futura. IESVS autem viuum Corpus ac Sanguinem tradidit, vitæ, doctrinę, mortisque monimenta. Ideo, 1. Cor. 11. *Mortem Domini annunciabitis, donec veniat.*

3. Victoriæ.

3. Eadem ex causa Dauid, 1. *Regum* 17. & 21. gladium, Goliathæ obtruncatorem, armaque eiusdem, in Tabernaculo suspendit, inuolutus pallio. Christus victricia Humanitatis suæ arma in Ecclesia deposuit, speciebus panis ac vini inuoluta.

4. Beneficij

II. 4. Ad memoriam rerum in deserto gestarum, iussu Dei, *manna* Iudæi asseruabant, *& Arcam*, Hebr. 9. *circumtectam ex omni parte auro: in qua Vrna aurea, habens manna*: & Virga Aaron, quæ fronduerat. Ita Iesus suum Corpus ac Sanguinem in aurea Eucharistia dat asseruandum, & mandat; *Hoc facite in meam commemorationem.*

5. Cultus Dei.

5. Iosias, vt verum Dei cultum stabiliret, 4. Reg. 13. *contriuit statuas, & succidit Lucos, repleuitque loca eorum ossibus mortuorum.* Ita Iesus eodem fine aras Synagogæ, figuras, ceremonias, sacrificia aboleuit; repleuitque eorum loca Corporis & Sanguinis sui Sacramento.

6. Amoris ac honoris.

6. Artemisia, Regina Cariæ, teste *Plinio libro* 36. *cap.* 5. *& Herodoto libr.* 7. cineres coniugis demortui vino mistas imbibit; simul ei Mausolæum condidit, quod è septem miraculis orbis vnum semper est habitum. Ita Iesus se in cibum dedit, amoris testem, Eucharistiam instituit, vt Mausolæum memoriæ sempiternæ, & miraculum miraculorum.

7. Adorationis.

III. 7. Nabuchodonosor, Daniel 3. se Deum admiratus ita mandabat: *In hora, qua audieritis sonitum tubæ, adorate statuam auream, quam statuit. Si quis autem non prostratus adorauerit, eadem hora mittetur in fornacem ignis ardentis.* Sic ille sacrilegus. At Iesus Rex iustus non sui duntaxat statuam, sed Ipsum sese in Eucharistia pro-

posuit adorandum. Iuxta Ps. 98. *Adorate scabellum pedum eius.*

8. *Salutis ac Sanitatu.* 8. Serpens æneus, *Num.* 21. erectus primum sanandis morsis, aspicientibus eũ; dein idem asseruatus fuit, & (licet male,) latreuticos cultus. Ipsi non solum Crux, & Crucifixus est similis; sed & Eucharistia: in sanatione, asseruatione, cultuque debito latriæ.

9 *Conditoris ac Reparatoris.* 9. Orbis conditor, vt sui extet memoria, se in Eucharistia, velut erecta statua proponit, æternaturus *Rex, Regum, & Dominus Dominantium.* Apoc. 19. *Ipse fundauit Eam Altissimus* Ecclesiam Psalm. 86. & regnum condidit, de quo Psalm. 144. *Regnũ tuũ, regnum omniũ sæculorũ:* Vtq; eũ se Autorem testaretur perenniter, ideo in Eucharistia quoque se proposuit: & dictum istud facto impleuit: *Ecce ego vobiscum sum vsq; ad cõsummationem sæculi.* Atque ita *Memoriam fecit Mirabilium suorum,* &c.

PARS II.

De existentiæ modo, & quantitatis loco.

Corporis Christi modus essendi est conuersio. I. TEr Sanctissimum Corpus Christi incipit esse sub speciebus, non generatione, non motu locali; sed vera conuersione. 1. Vt in augmentatione hominis per cibum, in partem ad corpus hominis accedente, anima incipit esse, & informare: 2. Item in abscisso membro desinit esse, & informare: Neq; tamen ipsa vel augetur, vel trũcatur. 3. Similiter, quod in mundo nascitur, aut interit; in eo Deus incipit (suo modo,) esse, aut desinit: Neque tamen mutationi est vlli obnoxius; nec motu locali accedit, vel recedit.

Ita in Eucharistia Corpus Christi, prolatis *Verbis Institutionis*, non creatur; non loco mouetur; non cœlum deserit, vt in altari sit; sed esse incipit: *S. Thom. p.* 3. ait. Corpora sunt in loco circumscriptiue: Angeli definitiue: Deus vbique indefinite: Christus in Eucharistia neutro modo; neque vel in loco est: at Species sunt circumscripte. Mirum!

Eius quantitas est sine loco. II. Mirius: In tantula Hostiola Tantum Totum adesse; quantus qualisq; pependit in Cruce; sepultusque resurrexit; & dextræ Patris assidet. Hic omnia. Quantitatis, situsque axiomata fallunt, iacentque irrita. Quia hic noua omnia. 1. Corpus est hic; sed non in loco. 2. Est magnum; sed non extensum. 3. Habet partes; sed non extra partes, & in circumscriptas, & indefinitas. 3. Simulque omnes; tanquam rei substantia: quæ manet etiam mutatis accidentibus quantitatis. Quia per se subsistit, & diuidi nequit; nec partem habet extra partem; nisi mediante quantitate: cuius est extendi, & diuidi. 4. Huic quantitati tamen substantia se attemperat coextendendo: (sicut anima) vt sit tota in toto, & tota in partibus singulis.

Demonstratur rationibus id fieri posse. Iam si aliquando quantitas substantiam regat, eam ad se attrahendo, vt locũ occupet: Cur non & vicissim aliquando substantia quantitatem cogat ad suam naturam, vt eam in loco statuat, nec locum tamen occupet.

Et hoc in Eucharistia vsu venit, vbi substantia est pars princeps; pars minima quantitas specierum. 1. Hinc cum nulla sit extensio Substantiæ; ideo Corpus Christi, quantumuis magnum, potest esse totum in qualibet minima particula hostiolæ; nec locum occupare. 2. *Fallum & alias.* Ita nimirum Sanctum Corpus idẽ clauso exiuit vtero Virginis: Clauso sepulchro: Clausis ianuis intrauit, & Corpore corpus penetrauit; nec locum occupauit. 3. Atque istud, vt sit mirabile; non tamen Deo est impossibile, & nobis non irrationabile.

3. An-

1. Possum simile. 3. Audi ratiocinantem Dominum, cũ de sui Corporis Sumtione doceret, Ioan. 6. *Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis Filium hominis ascendentem, vbi erat prius*, quasi dicat. Quo possum corpore super omnia elementa vi propria ascendere : eodem possum & me vescendum tradere. Par vtrobique Omnipotentia est.

2. Aliud simile. 4. Item Deo est possibile, vt camelus, tantus quantus per foramen acus transeat. *Matt.* 10. *Lucæ* 18. Ergo & Corpus suũ vt sit in qualibet particula hostiæ consecratæ totum. Qui enim potest, quod maius, potest & quod minus: Sed minor est proportio cameli ad foramẽ acus, quam corporis humani ad particulam : Ergo.

PARS III.

De Contento quanto & Diuiso.

1. Artefi-cium, minima ex maximis facta. 1. MIrata sit antiquitas, Phidiam in clypeo Mineruæ totum orbem, cum singulis partibus expressis, efformare potuisse. 2. Mirmecidem quoque currum, & nauim cum omni instrumento perficere, nec tamen maiorem, quam alula muscæ tegeretur.

2. Figura. Sint admirati Hebræi, *Exod.* 16. hunc minus illum plus mannæ colligere, neutrum vero plus habere: factum tamen videbant; fieri quod posse negassent, & cuius facti modum nesciebant. Nos in re haud paulo diuiniore simile geri & scimus, & credimus, & adoramus.

3. Simile. Primus homo morsu vno pomi vnius peccauit tantum, tantumq; mortis hausit; quantum si omnia poma deuorasset, teste *Ruperto in Exod.* 17. Sic qui visu minimam Sacræ Hostiæ particulam sumserit, tantum sumit, quantum, qui maximam, aut mille hostias.

4. Aliud simile. Manna fuit ad instar seminis Coriandri: at de hoc, etsi minimo, scribit *Plinius*, si plures diuidatur in partes, hæcq; serantur, singulas æque procrescere, fructuq; multiplicari, sicut quodquè totum. Ita, si hoc diuisum surgat integrum, & integrum plus non habeat, quam diuisum: cur simile in Sacramento inficiabimur posse Deum?

Contentũ est indiuisibile. II. Porro, frangatur, corrumpatur Sacra Hostia; non tamen Corpus Domini frangitur, vel corrumpitur; sed species. Adeo illud est incorruptibile eiusq; substantia indiuisibilis. Liquet ex anima in corpore. 1. Hinc Diuus Thomas in hymno:

Nulla rei fit scissura,
Signi tantum fit fractura
Qua nec status, nec statura
Signati minuitur: Et, *Integer accipitur.*

Simile. 2. Fregeris speculum, in quo integro vnam obiectæ rei faciem vidisti, iam in fracti partibus eandem videbis singulis totam, totiesq; multiplicatam numero; & tamen vnam specie. Sic in particulis Corpus Domini numeratur, vnum permanens.

Figura. 3. Nimirum, vetuit Deus, *Exod.* 12. totum comedi Agnum paschalem; *Os non comminuetis ex eo.* Quod ibi figurans non licuit frangi; id hic figuratum non potest frangi. Ita nec in cruce frangi se voluit, vel frangi potuit. Ioan. 16. *Ad Iesum autem cum venissent, cum viderent eum iam mortuũ; non fregerunt eius crura.*

4. Leuit. 1. *De turturibus, & pullis columbæ offeret Sacerdos ad altare, & retorto ad collum capite*: non præfecto, aut confracto. Ita 1. is, cuius *vox turturis audita est in terra nostra*, Cantic. 2. & offertur in Missa, & sumitur in Eucharistia integer. 2. Caput Ecclesiæ CHRISTVS ab Ecclesia nunquam separatur : quia est *Emanuel*, id est, *Nobiscum Deus* : Estque præsens, modo sacramentali: absens in cœlis specie propria.

PARS

PARS IV.

De existentia eiusdem pluribus in locis sine loco proprio.

CORpus Domini est simul eodem instanti pluribus in locis, locum non occupans. Isto humana ratio quidem percellitur: sed Christo possibile factu redditur.

1. *Simile.* 1. Liquet similibus. Vnius vox vna in auribus singulis audientium existit tota. Quod in accidente facit natura: id Deus in substantia, vt Corpus vnum adsit pluribus in locis.

2. *Ratio.* 2. Fauet ratio. Si enim credere tenemur, in Natiuitate, Resurrectione, Ascensione, ingressione ianuis clausis, duo corpora se penetrantia in eodem extitisse loco simul: cur non pariter & vicissim vnum corpus in pluribus locis sistere se diuinitus nequeat?

3. *Facta similia.* 3. Dictis fauent facta Scripturæ. 1. Christus sedet à dextris Patris. Psal. 109. *Sede à dextris meis*: Et tamen, 1. Cor. 13. *nouissime omnium, tanquam abortiuo, visus est mihi* Paulo in terris.

2. Paulus, in terra permanens viuus, raptus est in tertium cœlum, 2. *Cor.* 12.

Neque tamen anima fuit à corpore separata: quia hæc mors ipsa fuisset. Ergo vnus fuit simul duobus in locis, quo idcunque modo.

3. Adhæc, maior est repugnantia, Naturam vnam in pluribus esse personis; vt in Deo: quam corpus vnum in pluribus esse locis; vt in sacramento. Sed illud est, & credimus: ergo magis & hoc.

PARS V.

De existentia inuisibilitate.

I. CORpus Domini per se est in Sacramento inuisibile: visibile tamen per accidens in speciebus.

Obiectio. Contra; videri vult triumphare Caluinus hoc Achille: Ioan. 20. *Palpate, & videte, quoniam spiritus carnem & ossa non habet.* Ergo, si Corpus verum adesset, videri posset: sed non videtur: ergo nec adest.

Resolutio. Nego vtramque sequelam. Quia etsi vera sit enunciatio illa: Omne, quod corpus habet, potest palpari & videri: Falsa tamen est illa: Omne, quod corpus habet, potest, vel debet semper actu palpari, & videri. 1. Nam corpus quoque Christi. *Luc.* 24. euanuit ex oculis discipulorũ, id est, inuisibile factum fuit. 2. Item *Ioan.* 8. Dominus præcipitandus ab Iudæis, se reddens inuisibilem, *per medium illorum ibat.* 3. Magi possunt sua corpora sistere coram oculis inuisibilia: Item & dæmones aliud procul allatum alteri inuisibili possunt substituere. Quare Deum plus posse fatere.

Confirmatio. 4. Quid, quod in rerum natura sint corpora: & ea tamen nobis inuisibilia: Vt aer, & ignis elementaris. Et idem in Corpore Christi negabitur?

Oculi fallunt, non fides. II. Parcite hic oculis: fauete Fide, ac animis piis. 1. Deumque adorate speciebus inuolutum in Sacramento: sicut *Magi prodentes adorauerunt eum*, pannis inuolutũ in præsepio, *Matth.* 2. Illos stella: nos fides ducat, & Ecclesia. Facessite sensus: procul ite profani. 2. Et boni Isaac caligabant oculi: filium is palpatum non agnoscebat: sed auditum: Gen. 17. *Vox quidem Iacob; manus autem Esau.* Ita & hic de Sacramento *fides ex auditu est*; non visu.

Figura mysterij profundi. Qualis ergo, Genes. 24. *deambulabat Isaac per viam, quæ ducit ad puteum, cuius nomen est Videntis, & Viuentis*: Tales nos ad hoc, quouis puteo profundius, Sacramentum *Viuentis*: Ioan. 14. *Ego sum Via, Veritas, & Vita*: Itemque *Videntis* ex eo omnia, vti ex cœlo: sed velati & additi. Nam, Cantic. 2. *Stat post parietem nostrum, prospiciens per cancellos* specierum visibilium inuisibilis.

PARS

PARS V.

De existentia Accidentium.

I. ACcidentia specierum in hoc Sacramento sunt sine subiecto. Nam eorum proprium subiectum substantia panis, desiit; & substantia Christi eis non seruit. Mirum? Cum accidentium *esse* sit alteri *inesse*: hic autem nulli insunt: & tamen sunt.

Hæretici hic sunt. Istud Lutherus, & Caluinus ipsi etiam Deo negant possibile esse. Ea de causa, ne Omnipotentiam DEI infringant, scilicet: *Lutherus* quidem, cum permanente panis substantia iungit & Christi substantiam. *Caluinus* autem, hanc realem adesse pernegat. Prius tamen hanc concedere vult, quam assentiri, quod accidentia sint absque subiecto.

1. Imperiti Physici. At bis infœlices sunt. Nam & infideles Christiani; & imperiti Philosophi. 1. Imperiti: Quia Physica docet: *Quicquid potest causa secunda; id potest quoque prima; & eo amplius.* Sed Deus est Causa omnium prima, Ioann. 1. *Omnia per ipsum facta sunt.* Ergo quod potest per creaturas, id potest etiam sine iisdem solus. Atqui per Subiectum conseruat accidentia in eo: ergo potest hæc etiam sine illo conseruare separata.

2. Infideles Christiani. 2. Deinde infideles sũt. 1. Quia Substãtia potest subsistere, non in se, vel in sua subsistentia: Vt Humanitas Christi non in sua, sed Verbi subsistentia: Et hoc credunt illi. Ergo multo magis possunt accidentia subsistere sine suo subiecto. Et hoc tamen non credunt illi; quod creditu facilius est. Ergo infideles sunt.

II. Adhæc nego de essentia *Accidentiũ* esse τὸ *in esse subiecto*. Sic Patres ex Philosophis. 1. *Sanct. Basil. homil. 2. & 6. de hexamer.* asserit, lumen, primo die creatum triduo fuisse sine subiecto proprio solis; qui die quarto postmodum creatus est; tunc que illi lumen inditum fuisse. 2. *Thomas VValdens. tom. 2. c. 76.* plura adducit talia. 3. Et *Arist. 3. de Anim. c. 6.* ait, aliud esse magnitudinem, & aliud magnitudinis esse. Si ergo accidentis Existentia est distincta ab Essentia eiusdem, multo magis distincta est Inhærentia illius: quæ tantum est modus Existentiæ, non Essentiæ 4. Quid, quod *Aristoteles l. 9. Phys. c. 58.* quærat; *An, si daretur Vacuum* ab omni corpore, esse in eo sonus, aut color, id est, accidens posit? Quod frustra quæreret, si *Accidens* sine subiecto, hoc est, in Vacuo, subsistere posse naturæ duceret impossibile.

Doctrina Orthodoxa. II. Quapropter ita statuimus. In accidentibus duo sunt, *Esse* suum, & *Inhærere*. In Sacramento illud *esse* ipsis permanet, hoc *inhærere*, Deus eis aufert. Ideo sunt, & non inhærent. 1. Vt in igne duo sunt. Lucere, & Vrere: ignis tamen Babylonicus non vsit. Quia Deus id suspendit. Id tamen esse fateor supra naturæ cursum ac ordinem, non contra eum. 2. Et Dei vox, quæ substantiis & accidentibus *esse* dedit, potest circa eorundem *existere*, vti vult, disponere.

3. Audi Ambrosiũ libro de Initiand. ca. 10. *Dixit & facta sunt. Sermo ergo Christi ex nihilo faciens quod nouerat, non potest ea quæ sunt, mutare in id, quod significant?*

PARS VI.

Reijciuntur sensus in hac causa iudices.

Nitendum hic Dei omnipotentia. I. ABrahæ, ac Saræ sterilibus prolem Deus promittens, vt fidem eis faceret, de omnipotentia quasi protestatur, sic præfatus. *Ego sum Deus omnipotẽs*; Gen. 17. q. d. *Si rationem consulueris*, impossibile videbitur. Ita hic; sensus errat, & nil videt: Ratio aliquid: Fides totum. Et ea de Omnipotentia est basis Symboli: *Credo in Deum Patrem omnipotentem.*

Sensus falluntur & fallunt.

Omnino sensus toto cœlo errant. 1. Vt Iacob, vestib. indutus Esau, Esau esse putabatur; qui tamen ideo non erat, *Gen.* 27. Ita hic sensui putatur esse panis; sed non Fidei & Veritati. 2. Euenit sensibus, quod, 1. *Reg.* 19. satellitibus Saul. Hi quærebant Dauidem in lecto; & inueniebant solam eius statuam; quam Michol supposuerat, pellibus obtectam hædinis. Ita sola hic accidentia sensus inueniunt, ablata panis substantia.

Ioseph, ab hera appellatus, relicto pallio *fugit, & egressus est*, Ge. 39. Ita panis substantia, ab Mysta Consecratione pronunciata, fugit relictis accidentibus in manu illius: Ne illa scilicet in Dominum peccet; qui eam vult id esse, quod dicit, *Hoc est corpus.*

Iudices esse nequeunt.

II. In suo se foro sensus iudices inferiores contineant. Eorum est iudicare de naturali accidentium, & actuali inhærentia: non de eorum supernaturali separatione. In hac à iudice sensu appellatur ad Fidem iudicem proprium: Vt Paulus quondam à Festo appellauit ad Cæsarem, Act. 25. *Quis te*, Sensus, *constituit iudicem* talium articulorum fidei? *Exod.* 2. Rationi oportet obedias; hocque magis Fidei. Tuum scire hic nolo: volo τὸ credere Fidei.

Aduersatur Fidei.

In Rebeccæ vtero pax nulla erat *Gen.* 25. quod in eo essent aduersarij duo. Ita nec in anima; quam diu sensus cum fide pugnauerit. Idcirco Dauid in Spiritu prius, ait Ps. 115. *Credidi propter quod locutus sum.* Ac tum deinde sensum refutans ait. *Ego dixi in excessu meo* fidei: *omnis homo mẽdax.* Ita Christiani animam ac linguam, quoad Sacramentum hoc; regat Fides; non sensus. Quia Deus *memoriam fecit Mirabilium suorum, &c.*

Et vero quid mirabilius; quam ad Verbum hominis mox adesse Deum? Magna vis verborum Iosuæ, solem in axe sistentium. *Ios.* 10. At maior sacerdotis, verbo dicta mirabilia patrantis Psal. 103. *Quam magnificata sunt opera tua Domine: Omnia in Sapientia fecisti. &c.*

CONCIO SEXTA.

De admirandis SS. Eucharistiæ effectibus.

MIRABILE SEXTVM.

Memoriam fecit Mirabilium suorum misericors, &c.

Ps. 110.

DOmus, 2. *Reg.* 6. Obed Edom Leuitæ multis ac magnis felicitatibus gratiarum abs Deo mactabatur; quod paucos in ea menses Arca fuisset commorata. Si potuit id prototypon in domum: quid non viua, & Diua, & Veritas in animam conferre poterit?

Quare nos in præsens

I. *Quod Dei beneficia nutrientis nos obligent.*
II. *De effectibus Eucharistiæ in anima quo. ad peccata, & operamortificata.*
III. *Effectus aly spiritales.*
IV. *Quod communionis vis maxima sit ad charitatem.*
V. *Communio valet ad corroborandum cor.*
VI. *De effectibus Eucharistiæ corporalibus.*
VII. *Miscellaneum effectuum Eucharisticorum.*

PARS I.

Dei nutritoris benefacta alumnos obligant.

1. Exẽplo.

I. CVm cætera Dei beneficia; tum illa nos alentis alumnos sic obligant; vt animam Deo debeamus Altori. 1. Exemplum, & argumentum est Iacob; qui factus olim velut exul, & egens; & peiora

peiora metuens: sic orat. Gen. 28. *Si fuerit Dominus mecum, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestem ad induendum: erit mihi Dominus in Deum &c.* Promissum hoc; imo Votum est: seu potuit professio debiti, iam voto accedente plus debiti.

2. Deiorabi.

2. Illius monuit Israelitas Deus, Deut. 8. *Recorderis cuncti itineris, per quod adduxit te Dominus Deus tuus 40. annis per desertum: & dedit tibi cibum manna: quod ignorabas tu, & patres tui.* quasi dicat: Multum debes, quod sim Creator tuus: at plus, quod benefactor.

3. Tertius profectus.

3. Agnouit hoc, & æstimauit debitum turba, ab Domino satiata panibus quinque, & pisciculis duob. Quibus ita se deuinctos rebantur, *Io. 6.* vt etiam *venturi essent, vt raperent eum, & facerent Regem.*

Nostri sustinatores sint, vt Deo debita tradatur.

II. Nimiumne hoc? Ego amplius pronuncio: Deus vel hoc vno meretur adorari; quia nos enutrire dignatur, & corpora pascere: fileo animas.

1. Quid? Ioseph, *Gen. 41.* quod Aegypti frumentator esset prouidus primum; dein par dispensator prudens & æquus; meruit secundas à Rege, ac nomen *Salvatoris mundi:* idque Regis edicto, & omnium consensu. At quanto maiora Deus orbi vniuerso? totq; seculis? 2. Nã si sponsa in maximis id beneficiis numerat, quod prædicat, Cant. 1. *Introduxit me in cellaria sua:* recreando corpori: in quantis erit reponendum quotidie ad Sacramenta admitti; pascendæ animæ?

Iustitiæ integritas.

III. Quo detestabilior immemoris beneficiorum est animi vitium; dicam, flagitium. 1. Quo de ita Deus; Isa. 19. *Filios enutriui: ipsi vero spreuerunt me.* Atqui Christianis *dedit potestatem filios Dei fieri.* & eos enutrit in cœli, terræque deliciis. Et adhuc illi pro bonis mala retribuens? 2. Iuste queritur, & exprobrat, Deut. 32. *Incrassatus, dilatatus, impinguatus* postea *recalcitrauit.* Ipsius autem Corpore cibatos recalcitrare, hoc demum minime ferendum est. 3. *Si inimicus maledixisset mihi, sustinuissem vtique: tu vero homo vnanimis, dux meus, & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos.* Psalm. 54. At iam etiam diuinos capimus ad Arã: & maledicemus? Quæ hic erit ira metuenda Numinis? Istane pia est, quam *memoriam fecit mirabilium suorum Deus.*

PARS II.

De effectibus Eucharistiæ in Anima quoad peccata, & operamortificata.

Eucharistia est trinominis.

I. EVcharistia potissimum trinominis audit apud *D. Th. p. 3. q. 75.* Idq; ob trinam temporis differentiam. *Hostia*, ob præteritum Passionis: quod oblati Domini pro nobis memoriam refricet. *Cõmunio*, ob præsens: quo Synaxes agimus, vt vniti cum Christo maneamus. *Viaticum*, ob futurum: quo decessuri optamus prouideri.

Hæreses.

1. Lutherus Conc. de præparat. ad Eucharistiam docet, primum effectum huius Sacramenti esse Remissionem peccatorum: Eoque dignius accedi, quo pluribus & grauioribus quis onustatur peccatis: Nec præuia Confessione opus, fidem sufficere solam. Sic & Kemnitius, &c. 2. Caluinus contra: præuiam pœnitentiam necessariam esse ad hominem prius iustificandum: fidem & charitatem ad cœnandum.

V. Cõmunio est ad cibãdã animam: nõ ad peccatorum remissionem, instituta.

II. *Conc. Trid. sess. 13. cap. 2.* ait, Effectum Eucharistiæ præcipuum esse, nutricationem animæ ad præseruandum à peccato: Et præuia opus pœnitentia. 1. Docetur *Ioann. 6.* Nusquam dicitur institutum ad remissionem peccatorum: sed ad vitam. 2. Dominus ipse ait: *Caro mea vere est cibus: & sanguis meus vere est potus.* Ergo est alimentum. At hoc datur viuis, non mortuis in peccato. 3. Figuris patet idem. 1. Agnus paschalis non nisi ab pu-

rificatis comedi poterat: *Num.* 9. 2. *Par.* 30.

2. Ab impollutis Panes propositionis. 1. *Reg.* 21. 3. Vescens de Sacrificiis immundus, reus mortis iudicatur *Leuit.* 22.

4. Et Dominus prius abluit pedes Apostolis: quam eos communicaret *Ioan.* 13. 5. Et *Matth.* 22. male illi, qui sine veste nuptiali comparuit innuptiis. 5. Demum ita iubetur 1. Cor. 11. *Probet se ipsum homo, & sic de pane illo edat.*

2. Reuiuificat opera mortificata.

III. Istud tamen operatur Eucharistia. Peccata venialia directe remittit: & opera per peccatum mortificata reuiuificat. 1. Sicut Elisæus, 4. *Reg.* 4. viduæ Sunamitidis ingressus domum, reuocauit ad vitam filium; oleumque illi ac farinam multiplicauit: Ita hoc Sacramentum resuscitat mortificata opera; & gratiam exauget ac meritorum farinam.

3. Reaccendit charitatem.

2. Sicut item 2. *Mach.* 1. abductis in Babylonicam captiuitatem Iudæis, ignis sacer in puteo abditus annis LXX. delituit: Reducti eum requiesierunt, *& non inuenerunt ignem, sed aquam crassam. Et tempus erat, quo Sol refulsit, qui prius erat in nubilo, accensus est ignis magnus, ita vt omnes mirarẽtur.* Ita abductis in peccati captiuitatem ignis charitatis abditur, acquiescũt opera bona animæ. At hac è seruitute vindicata, sol gratiæ illa quoque reaccendit in Eucharistia: 3. Vti radix ἀπορίζις proditur tacta sole igniri: ita salutis nostræ radices merita mortificata vbi luce fuerint afflata gratiæ, redeunt ad vitam pristinam. Atque hi forte, Ps. 17. *Carbones succensi sunt ab eo.*

4. Retardat à peccatis; admissaque absorbet obliuione.

4. Arca ad Iordanem perlata Iordanis sese pandebat, stantibus aquis superioribus, inque mortem cumulatis: ac inferioribus in mare mortuum delapsis, Ios. 3. *vsquequo omnino deficerent.* Sic Eucharistia ad animam pertingente, peccata vẽtura retardantur; præterita deficiunt in abysso misericordiæ absorpta. Id miratus, ait Ps. 113. *Quid est tibi mare, quod fugisti? Et tu Iordanis, quia conuersus es retrosum?* At in Eucharistia, iusta idem admiratione dignius est. Ad eam habitus peccandi, & affectus retracti retrocedunt; flammæ desideriorum merguntur. &c.

PARS III.

Effectus alii spiritales.

5. Concupiscentias restinguit & restringit.

I. PLane sicut in camino babylonico tres pueri seruati sunt illæsi; quia Dan. 3. *species quarti similis filio Dei* apparebat. Ita in mundo, camino concupiscentiarũ, Eucharistia sic flãmas continet, vt cõmunicatis animabus minus noceant.

6. Passiones regit.

Vidit Ezechiel currum trahi triumphalem ab animalibus 4. diuersis, *c.* 10. Sed quia spiritus Domini erat in rotis: & superne similitudo vultus hominis; ideo pacata omnia ferebantur. Currum vitæ trahunt feræ quatuor passiones: ni immineat eis auriga Dei filius, in Eucharistia assumtus, Deique gratia; male nobiscum agetur.

7. Naturæ prauam corrigit.

Sed operantur in nobis Illa, quod in Socrate philosophia. Hunc Sopyro physiognomico salacẽ ac mulierosum censente: ac Alcibiade eum deridente; quod virum nosset castissimum; Socrates ait: Vere; & bene expulsu de morbo iudicasti: talis eram naturæ vitio; sed correxi philosophiæ beneficio. Hæc illam mutauit in aliam: Ita Eucharistia corrigit naturæ corruptionem Dei gratia. De hoc vaticinatus est Psalm. 137. *Multiplicabis in anima mea virtutem.* Id quod Ea non in mortuis Deo præstat; sed in viuentibus. Nam Ioan. 10. *Ego veni, vt vitam habeant, & abundantius habeant.*

8. Petita impetrat.

II. Priscis hoc conuiuiorum erat priuilegium: *Negare Nihil: quod petas honestũ.*

1. Ideo Esther, *ca.* 7. Iudæis, ab Aman iã neci deditis; petitura vitam ab Assuero tempus captat mensæ: inter hãc supplex orat,

orat,& salutem genti impetrat. 2. Herodias similiter inter conuiuandum Baptistæ caput petit,& aufert petitum *Matth.* 4. At in hoc Eucharistico conuiuio solenne est: *quidquid petieritis, credite quia accipietis. Petite, & accipietis.* Marc. 6. Munificentior est Dominus Herode: *Qui iurauit illi quicquid petieris, dabo tibi, licet dimidium regni mei.* At totum vult regnum peti; dareque Dominus, Nam Ioan. 1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Imo, Psalm. 81. *Ego dixi, Dii estis, & filii excelsi omnes.*

9. At pene deificat animas.

III. Deridiculum narrat de Augusto Suetonius: Aliquando eum solemniter ac deifice conuiuari voluisse. Ergo vocat viros sex, honore & amicitia sibi primos tres Deorum, Dearum tres alios cultu induit; seque medium, vt Deum maximum, collocat: & sic cœnat. Quanta hæc vecordia? At vera ista sapientia Diuorum accumbere mensæ in Eucharistia: hacq; velut deificari.

Deo similar.

Esto; luserit olim ad arboris vetitæ esum impostor, Gen. 3. *Eritis sicut dij*: Iam illa falsitas facta est Synactica veritas. 1. Atteſtatur eam summa Veritas, Ioa 9. *Sicut misit me viuens pater, & Ego viuo propter Patrem: & qui manducat me, & ipse viuet propter me.* Cibus attulit mortem: vitam cibus reddit. 2. Atque vt Christi caro est particeps Dei; sic & is. Eam qui participat. Inde, *Qui manducat meam Carnem, in me manet, & ego in eo.* Ioan. 6. 3. Inde, ad Galat. 2. *Viuo iam non ego; viuit vero in me Christus.* 4. Huc aspirabat Psal. 16. *Et à te quid volui super terram?* Manè in me, Domine; vt maneam in te; id est, conuertar in te, & requiescam.

Quo ingratior est Dei desertor.

IV. Iam æstima sceleris immanitatem, ab Deo tali suo seiungi. Sic tyrannus omnem, quem, anno toto cibum comedisses, à tuo repeteret corpore; necesse foret, partem de oculis, capite, corde, pedibus, singulisque membris detraheret abrasam. Quo quid immanius? Attamen id peccator agis? Quo te cœli cibo annum aluisti solidum, & hoc iam conuerso in teipsum; eum ab singulis animæ partibus auellis, dum peccas; simul Christo partem ab oculis, capite, &c. aufers. Crudelis, & impius tyrannus; *Tollens membra Christi facit membrum meretricis?* 1. Cor. 15. Quin Christum iterato crucifigis.

PARS IV.

Communionis vis maxima ad Charitatem.

Charitatē succendit Eucharistia.

I. Languet charitas? Sumta eam succendit Eucharistia. 1. Sicut, 4. Regum 4. *incubuit Elisæus super puerum, posuit que os super os eius, & oculos suos super oculos eius, &c. & calefacta est caro pueri.* Ita animæ sese Christus applicat resuscitator in Eucharistia. 2. Quod si, *Matth.* 9. *Luc.* 8. solius fimbriæ contactu reualuit Hæmorrhoissa: quanto virtutis erit diuinioris ipsa Caro Domini? Ipse Sanguis? & Amor Illius nostri?

Succensam emicare facit.

Ignis illa sunt iste, quem venit de cœlo mittere Dominus. Et *Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, vt vestimenta sua non ardeant?* Emicat flamma cœli, quantumuis pectore claudas.

Charitate inebriat.

Vinum optimum largius potatum non exhilaret mentem, aut inebriet? At Psalm. 22. *Calix meus inebrians quam præclarus est?* O bene animæ, sic ebriæ! 1. Hæc deuotionem eructat; mentem in Deo absorbet; à sensibus, ab affectibus, à mundo abstrahit, & c. 2. Vnde Ambrosius, distinct. 2. de Consecr. lib. de Sacram. *Calicem Domini bibis? Remissionem peccatorum* (venialium) *accipis, & inebriaris spiritu, non carne.* 3. Huc monet Apostolus Eph. 5. *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria: sed inebriamini, Spiritu sancto*, in Communione, in qua est satietas plena.

PARS V.

Communio valet ad corroborandum.

1. Corroborat fortitudinem spiritus.

I. FRactum animæ robur est? Succumbis ærumnæ? 1. Ecce, Psalm. 22. *Parasti in conspectu meo mensam aduersus omnes, qui tribulant me, impinguasti in oleo caput meum.* 2. Ad hanc ora mensam, Ps. 67. *Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius*: fietque petitum. Nec citius exurgit, nec efficacius dissipat; quam in hoc Sacramento. Idcirco Chrysostomus, *hom. 45. in Ioann.* ait, ab eo nos recedere vt leones igniuomos, dæmonibus terribiles.

2. Hostes fugat, & persequitur.

2. Dauide latrunculos persequente, sui, 1. Reg. 30. *inuenerunt virum Aegyptium in agro, & adduxerunt illum ad Dauid: dederunt-que illi panem, vt comederet; & refocillatus est.* Ita Concionatores inueniunt peccatorē; perducunt ad Christum: communicant; corroborant exhaustum, cumque ipso persequuntur hostes.

3. Præseruat ab defectione.

3. Vt myrrha naturam roborat, putiscentiamque prohibet: ita Eucharistia. Hinc Sponsa, Cant. 1. *Fasciculus myrrhæ Dilectus meus mihi inter vbera commorabitur.* O Sponse myrhee, in corde morare meo; & immoriar in te: dumque viuo, tuæ mihi sit memoria Myrrhæ: vt me præserues à peccatorum verminante putrefactione.

4. Radiatū efficit.

II. Resplenduisset vultus Mosis, quod 40. dies in Sinai coram Domino ieiunans perseuerarat; *Exod. 29. & 34.* Et non multo radiaret diuinius anima, domicilium facta Eucharistiæ? Ex hoc monte quicumque ad quæcunque descenderit, effulgebit is, ad instar Mosaici vultus, charitate, pietate, castitate, humilitate, ac nulla non virtute. Heu! quod ad tales vultus oculi mundanorum nictent, inspicereq; eum fugitent: vt sit persæpe obnubēdus.

5. Verum vt pasta Deo fulget anima; sic & impinguescit. Nam, Ps. 21. *Edent pauperes, & saturabuntur*, id est: *humiles*, ait Euseb. Cæs. lib. 10. cap. Quorum satiatur voluntas charitate; intellectus, Dei notitia; memoria, recordatione beneficiorum. Atque ista de effectibus Eucharistiæ, in animam redundantibus Feliciter.

5. Pinguefacit.

Da mihi Te Panem; & satis est. Ab eo, sicut ab leguminibus comestis triū puerorum *apparuerunt vultus meliores præ omnibus pueris, qui vescebantur cibo regio*: Dan. 1. Ita, inquit ibidem Glossa: *vultus eorum, quos Panis satiat, qui de cœlo descendit; & apparent meliores*, quam quos delicijs suffarcit mundus.

PARS VI.

Effectus corporales Eucharistiæ.

Cur & corpori saluta ris sit.

I. IAm nunc quam in corpora transfundit vim Eucharistia? Vt gloria meritorum non animæ soli; sed & corpori reddetur in cœlis: ita quoque Eucharistiæ gratia sese hic in via communicat vtrique.

1. Per Corpus transluceat.

1. In transfiguratione, animæ gloria in corpus, adeoque in vestes quoque sese diffudit. Matth. 17. *Et vestimenta eius facta sunt alba sicut nix.* Ita, in Communione vestis animæ corpus socium communicat de gratia.

2. Sanctificat idem

2. Vt rectissime *Cyril. Hieros. Myst. Catec. cap. 4.* dicat Sacramento hoc tum animam, tum corpus sanctificat. Et *S. Greg. Nyss. Orat. Catech. cap. 37.* id vocat salutare medicamentum, prauas corporis nostri affectiones corrigens.

3. Morbos consanat.

3. Addo, morbosque consanans. 1. Nam, quod Psalm. 104. *non erat in Tribubus eorum infirmus*, per annos 40. inter sex centa millia armatorum, excepta imbelli turba, neque etiam inter greges Israelitarum; permagnum id miraculum fuit. At interpretes omnes id esui paschalis Agni

Agni ferunt acceptum. Si potuit figurale; quid non veritas! Quid si & esus Mannæ id potuerit.

Nam indigna Communio infirmat. Certe quod indigne multi protochristiani communicabant, dicitur, 1. Cor. 11. *Ideo inter vos multi infirmi, & imbecilles: & dormiunt multi.* Proin rite communicans fidenter dicat; Psalm. 22. *Non timebo mala, quoniam Tu mecum es.*

4. An non id *Panis vitæ* dicitur? Ioan. 6. *Panis, quem ego dabo, Caro mea est pro mundi vita*, etiam temporali. 1. Quod si enim ad nudam Ezechielis, *cap.* 37. vocem hanc: *ossa arida, ossa arida*, ad vitam ossa redierunt: 2. Si Hæmorrhoissa, *Matth.* 8. sanitati reddita attactu fimbriæ: 3. Si Petri vmbra sanauit morbos. *Act.* 5. 4: Si cum pallio Eliæ spiritum prophetiæ accepit Elisæus 4. *Reg.* 2. Non hisce plus omnibus poterit Eucharistia mortalem ad vitam seu prorogandam seu reddendam?

Struat ab infortunio. II. Neque à morbis solum; sed à quocunq; etiam casu præseruat corpus immune. 1. Quiuisset in fimeto Iob dicere, cap. 17. *Pone me iuxta te: & cuiusuis manus pugnet contra me:* quid desperet, qui intra sese posuit Potētissimum? Quid illum euerterit? 2. Reguli fides, quamuis infirma, sciebat tamen, quid Christi posset præsentia. Ioan. 11. *Domine descende, priusquam moriatur filius meus.* 3. Ita & Martha. Ioan. 4. *Domine si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus.*

Eâ à morte.

I. Immortalitatem causat. III. Quid, quod immortalitatem Eucharistia causet animæ? Sed beatam. 1. Hinc S. Ignatius, *Epist.* 14. *ad Ephes.* eam nuncupat *pharmacum immortalitatis.* 2. Cyrillus Alexand. *Cibum nutrientem ad immortalitatem, & vitam æternam:* 3. Et Dominus Ioan. 6. *Qui mãducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitã æternã.*

Simile. Proditur; in Orientali India reperiri aues carne incorruptibiles; eo, quod cynnamoni, cariophyllorum, muscique flore, ac odoriferis arboribus victitent. Istorum vis quid ad Eucharistiam, Vitæ arborem? De ea, quacunque horacomederis, Non morieris.

Figura. Illa paradisiaca, *Gen.* 2. ad immortalitatem valebat. Atqui Eucharistiæ nostræ typus erat eadem. Quid ergo de hac sentire, ac sperare par est? Si quam de illa, minus; næ tu mihi sis in Eam insignite iniurius. Ergo *qui manducat hunc Panem, viuet in æternum.* Ioan. 6. Omnem escam, & ventrem destruet Deus, & vermis exedet: at non sic diam cœli Escam, piamque mentem eadem rite pastam.

Apophthegma. Videbat aliquando Stratonicus Dux, teste Plutarcho, ex præalto puteo incolas exantlare aquas: quærebat, essentne sapidæ: affirmantibusque ait: At insalubres inauguror, quod omnibus sit incolis (nã vnicus is ea in regione puteus erat:) luridi coloris facies. Atqui virentes sunt animis, corporibus valentes, florentes vultu; qui cœli Pane vescuntur.

6. Resurrectionis est tessera, & causa. IV. Sed & *Resurrectionis* quoque *symbolum* ab Nyc. Conc. appellatur Eucharistia. 2. Hinc *Iustinus Martyr*, *Cypr.* *Irenæus.* & c. asserunt resurrectionis causam fore præcipuam, perceptam Eucharistiam.

3. Quo illud accipi Isaiæ 26. poterit. *Viuent mortui tui: interfecti mei resurgent, &c. Quia ros lucis, ros tuus: & terram gigantum detrahes in ruinam.* Vbi de surrectione locutus est: nam Manna ros noctis erat: q; exoriente sole liquescebat. *At nox præcessit, dies appropinquauit:* Rom. 3. Quare *Ros luminis* ille Eucharistiam præsignat.

4 Innuit idem Ioannes, Apocalyp. 6. *Vidi sub altari Dei animas interfectorum, clamantium vsquequo Domine?* Aegre quasi patiebantur corporibus beatitatem differri; idque sub altari querebantur; quasi prouire S. Eucharistiæ id poscerent, essentque & virtute, & merito eiusdem resuscitandæ.

5. Cla-

5. Clare Ioannes *cap.* 6. *Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam, & ego Resuscitabo eum in nouissimo die.* Beatum factum! At ex Dia Eucharistia.

PARS VII.

Miscellaneum effectuum Eucharisticorum.

1. Confert dona innumera & innominata.

I. DE more prisci, in solennibus Consulum, Imperatorum, &c. conuiiis, apophoreta dispertiebant inuitatis, secum ferenda domum. Quin & serui mensæ ministri quandoque libertate donabantur: *teste Tertull.* O dona quanta communicantibus dantur auferenda? Quot serui peccatorum, manumittūtur? Atque eiusdem virtute corpora è mortis seruitio emancipantur? Imo Rom. 8. *Ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis filiorum Dei.* per vsum ipsum Eucharistiæ.

Quocirca qualem nobis resurrectionem optamus; talem in crebra ac digna Synaxi præparemus.

2. Defectus reparat vires.

Exhaustus es qua pugna viribus, ac pene defectus, vt Abraham? *Gen.* 14. Age, cum eodem lætus accipe *panem ac vinum* de manu Melchisedechi; & reparaberis in noua prælia vir nouus.

3. Vindicat à seruitute.

Sub peccati iugo captiuus agis? Obnuncia seruituti pharaonicæ; *Agnum* ede *paschalem*: iam te ita corroboratum senties; vt etiam despoliare valeas Aegyptum, sicque vel ouans exire. *Exod.* 10. Nec est quod te ante speres dimitti; quam in manu forti huius educaris Agni. *Nisi* enim *manducaueritis Carnem filij hominis, & biberitis eius Sanguinem; non habebitis vitam in vobis.*

4. Dat robur ad hostes debellandos.

II. Cyprianus sane *sermon. de pace lapsis danda.* in persecutione hortatur fideles ad Synaxin; hinc sibi robur acquirant. 1. Inuictus enim est, qui *Panem Angelorum*; alij vertunt, *Panem fortem manducauit homo.*

2. Huc apte interpretatur illud Iudicum 7. S. Ambrosius: *Videbatur mihi quasi subcinericeus panis ex hordeo volui, & in castra Madian descendere: cumque peruenisset ad tabernaculum, percussit illud, atque subuertit, & terræ funditus coæquauit.* Cui socius attonitus: *Non est hoc aliud nisi gladius Gedeonis.* Imo, inquam, est *Panis fortis, quem manducauit homo*: Hic terror est hostium, & euersio. 3. Hic est *Deus refugium nostrum, & virtus: adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos.* Psalm. 45.

Ab multis sine effectu salutari sumuntur.

III. Sed quid est, quod, cum 4. *Reg.* 13. *Heu!* quidam cadauer efferētes sepeliendum. infestati ab latrunculis, id forte in Elisæi coniicerent sepulcrum; quod tactis sancti ossibus redanimatum consisteret pedibus? Quid, inquam, est; quod nonnulli toties tangant plusquam Elisæi ossa, Iesum in Eucharistia; nec tamen redanimentur? An, quod adhuc Deo mortui sint, non vitiis? Horum mors vbi regnat; isthuc vita subire nequit.

Cœcos felle oculos inunxit Tobias semel: continuoque reluminatus. Quid est igitur, quod fellis ac Passionis Dominicæ memoria Eucharistica animæ tuæ non ad illuminationem proficiat?

Vt ludum siant dæmoni.

Daniel, *cap.* 14. Sacrificulis Bel insultabat, quod Deo mortuo fercula apponerent. Dæmon illi; qui mortuæ animæ suę

Cibum tam diuinum apponit; vt pro vita mortem sumens, ter & amplius sit mortuus idem. Infeliciter.

* * *

CON-

CONCIO SEPTIMA.

De Præparatione ad Sacramentum hoc necessaria.

MIRABILE SEPTIMVM.

Memoriam fecit Mirabilium suorum misericors & mis. Dominus, Escam dedit timentibus se.

Ps. 110.

IDololatræ Philistæi, 1. *Reg.* 6. quod Arcam captiuam in eadem idoli ara collocassent; infami, pudendaque castigatione pœnas expenderunt. Sic profane communicantes grauiora sibi metuant ab læso Numine.

Nos in præsens

I. *De honore mensæ Eucharisticæ.*
II. *Sub vna specie totum dari Sacramentum.*
III. *Præparatio communicaturo necessaria.*
IV. *Expianti se, & expiato quæ necessaria.*
V. *De indigne sumentibus Eucharistiam.*
VI. *Pars Epilogisat.*

PARS I.

De honore mensæ Eucharisticæ.

Ecclesiæ mensa est. 1. domini comforta. tua.

I. DAuid tum aliis Deo se obstrictum mille nominibus confitetur; tum isto inprimis, quod sui agat nutricium mensa singulari. Psalm. 22. *Parasti in conspectu meo mensam aduersus omnes, qui tribulant animam meam*, q. d. Eximis ad summa me prouexisti; ac demum etiam abesca brutorum ad mensam me Angelorum admouisti. Nam de Eucharistia prophetabat. Tantum ipse præuisu delectabatur: tu quantum vsu, ac fructu?

1. Honorificentissima. 2. Quanti æstimabat Aman, sibique placebat gloriabundus, *Esth.* 5. quod, ait, *Regina Esther nullum alium vocauit ad conuiuium cum Rege, præter me.* Et illud conuiuium, quæ & magnificentiæ, & honorificentiæ Eucharisticæ pars esse poterat? Nulla.

3. Gratissima. 3. Memoratur honor eximius ab Dauide habitus Miphibosetho, Saulis nepoti. Cui Dauid, 2. Reg. 9. *Faciens faciam tecum misericordiam propter Ionatham patrem tuum: & tu comedes panem in mensa mea semper.* Ad quod ille, tametsi Rege satus, *adorans ait, quis ego sum seruus tuus, quia respexisti super canem mortuum?* Ecquid honoris ergo hominê pastum Deo, Deo referre par est? Qui nec quantum canis ad Regem, tantum ad Deum ipse collatus esse potest.

Ergo debitas Deo dee laudes. II. Quid agat igitur? 1. Id, quod Solymæos iubet Dauid; Psal. 147. *Lauda Ierusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion.* Cur? 1. *Quoniam confortauit seras portarum tuarum*: 2. *& benedixit filiis tuis in te*: 3. *Qui posuit fines tuos pacem*, 4. *& adipe frumenti satiat te.* Hæc, & ampliora Deus in cuiusq; anima patrat communicantis. Confortat: Benedicit: Pacificat: Satiat. Et illius satiat *adipe frumenti*, quo de Ioan. 12. *Nisi granum Frumenti cadens in terram mortuum fuerit; ipsum solum manet.*

Et grates, qui communicat. 2. Dauid, vt mille se fœlicitatib. mactũ ac beatum prædicat; Deum tamen potius extollit: Ps. 22. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocauit.* Quam bene agitur cum eo; cuius se Pastorem agit Deus: & ipse ouiculam se gerit? Idq; in Eucharistiæ pascuis. Nam sic ibidem Bellarminus intelligit.

Ingrati, sunt bestiales. III. Quare quauis ingratior bestia sit, & fera sæuior: qui tantum beneficiũ nõ, *sunt bestiales.* vt par, vel æstimat; vel honorat, vel remetitur animi studio gratioris. 1. Verum. tamen nimium in multis accidit illud Ps. 48. *Homo cum in honore mensæ talis esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.*

2. Damnabiles. 2. Heu! quanta his inde tormenta parantur? Exemplo sit veste nuptiali destitutus

tutus, Matt. 22. *Amice*, scilicet, *quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?* Continuo *ligatis manibus ac pedibus eijcite eum in tenebras exteriores.*

Ergo accedens ad Deum, præparaanimam tuã sexus vterque.

Fœlix, quem faciunt aliena pericula cautum!

1. Nabuchodonosor Rex ad suum obsequium optabat *pueros, in quibus nulla esset macula; decoros forma, & eruditos omni sapiẽtia: & qui possent stare in palatio Regis.* Dan. 1.

1. Exemplũ masculum

1. Quo magis procul hinc, procul ite profani: apagite lacinioſi, scrutosi, rugosi, scabiosi, monstrosi: verbo; criminosi.

2. Fœminineum.

2. Puellæ Persicæ non prius in Assueri Regis conspectum admittebãtur, quam anno solido in formæ gratia concilianda studuissent. Sex eæ menses oleo myrrhino se perungebant: sex alios pigmentis, varijsq; aromatibus dabant, colori vultus comparando. Quid Deo iungendus homo faciat? Quid, quod possit, omittat? Etenim necesse est sicque vult Deus; vt homo digne communicans peragat, quã ipse *Memoriam fecit Mirabilium suorum.* Nam *Escam dedit timentibus se.*

PARS II.

Sub Vna Specie totum dari Sacramentum.

Hæresis.

I. VTherus *l. de Capt. Bab. c. 1.* contendit probare, Sacerdotes teneri, cogiq; posse; vt sub vtraque præbeant Eucharistiam. Laicis vero integrum esse, vnam malint, an vtramque. Ita & *Brentius. Melanc. Kemnitius.* Horum fundamentum est princeps istud, Ioan. 6. *Nisi manducaueritis Carnem Filij hominis, & biberitis eius Sanguinem, nõ habebitis vitam in vobis.* Itemque Mat. 26. *Omnes ex eo bibite.* Causantur, dimidiari Sacramentum, sine calice datum.

At vero si sub Vna contineri Rem Sacramenti totam crederent; iam querela caderet: & ipsi causa.

Veritas docetur.

II. Quare sub Vna totum esse doceamus. 1. Ioan. 6. *Qui manducat me, viuet propter me.* Atqui Christus, (qui diuidinequit:) mãducatur sub specie panis. Ergo sub ea totus adest; vitamque confert. 2. Ro. 6. *Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur.* Atqui, si sub panis specie daretur exangue corpus; daretur & exanime. Hoc falsum. Ergo verum, dari Totum Viuum.

1. Ratione ex verbo Dei.

2. Figuris.

Idem Figuræ euincunt. 1. Manna, *Exo.* 16. & Panes propositionis, *Exod.* 15. præfigurabant Eucharistiam totam. At nulla circum ista fit vsquã mentio potus. Ergo nec Calix in Sacramento necessarius. 2. In Sacrificiorum participatione tantum caro comedebatur; sanguis Deo offerebatur. *Exod.* 15. 3. similiter Dominus *Ioan.* 6. quinque hordeaceis pascens 5000 repræsentabat futuram Communionem. Nec gry tamen depotu ibid. 4. Nec item *Lu.* 24. in cœna in Emaus: vbi *in fractione Panis cognorunt Dominum.* 5. Nec Act. 2. Cum *erant perseuerantes in doctrina Apostolorum, & Communicatione fractionis Panis.* Vbi mentio Calicis?

6. Demũ, Nazaræi, caput intonsi, Deoque sacri, Christiani erant, & ex instituto vinum non gustabant, & tamen communicabant; Ergo sub vna specie, & totum sumebant, vt Sacramentum.

Sacrificiũ in Vtraque parrandã est necessario.

Nam, (quod nota;) cum vt Sacrificiũ sumitur tantum in Missa sumi ab solis potest, ac debet Sacerdotibus. Quia incruenta est oblatio illud, cruentam referens, in cruce factam semel: vbi Sãguis à Corpore discretus fuit: Fuit tamen Christus in vtroque totus: estque adhuc: Ideoque sub vtraque in Sacrificio sumendus.

PARS III.

Præparatio Communicaturo necessaria.

Declina mundum.

I. AD dignam Communionem digna debitaque opus præparatione est. 1. Nam

1. Tecma. cula.

Nam si, Leu. 21. *Omnis, qui habuerit maculam de semine Aaron Sacerdotis, non accedet offerre Hostias Domino, nec Panes Deo suo:* Quanto minus ab anima, maculosus aut offeret Sacrificium Eucharisticum; aut sumet Sacramentum? Sin': Psal. 68. *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum.*

1. Cor munda. 2. Ergo prius, vt Dauid, *Ps.* 50. ora sic, & allabora ad idem: *Omnes iniquitates meas dele.* Et *Cor mundum crea in me Deus.* Tum deinde insta: *Spiritum rectum innoua in visceribus meis.* At in Eucharistia datur nobis Spiritus Dei, & Deus ipse. Ergo prius cor emaculetur.

3. Porrice vetera. 3. Tum manna, non prius, est datum, cum exisset populus è captiuitate, & farinæ Aegyptiæ defecissent. *Exod.* 16. Exi de peccato, *ac vetus abijce fermentum, vt sis noua conspersio in Christo.* 1. Cor. 5. Et sic fidenter adi Manna Dei.

4. Abiice idola. 4. Iac. sacrificare Deo nolebat, quam familiam conuocatam omnem idola abijci iussisset. *Gen.* 31. Proiice auaritiam, *quorum Deus venter est*: Ambitionem, statuam Nabuchodonosoræam: Amorem canis, quo ipse tibi idolum es, &c. Lex erat, Exo. 30. *Lauabunt Aaron, & filij eius pedes, ac manus, quando accessur: sunt ad altare.* Vbi Beda: *Illud hic præcipitur, vt, qui Sacramenta Domini participant; actus suos, & cogitationes prius discutiant.*

II. Fac bonũ. 1. Refulge, vt luna. II. Notat S. Greg. Nyss. *Orat.* 1. *de Resurrection.* Agnum decima quarta Lunæ cõedi iussum ideo; quod tunc nullæ in orbe nostro sint tenebræ. Nam solem occidentem excipit continuo sublustris luna, quæ clarum relucet vsque, dum sol reuertat oriens. In pari statu lucis anima esto communicaturi. Sic luceat lux tua lunaris, dum sol accedat Eucharisticus. Cæteroquin, *quæ conuentio Lucis ad tenebras?* 2. Cor. 6.

2. Hostem macta. Prodit *Herodotus lib.* 4. Solenne Scythis epulum fuisse quotannis; cui intererant soli, qui hostem aliquem in conflictu belli occidissent: cæteri, quasi indecores, arcebantur. *Occide, & Comede.* Sed dæmonem, Mundum, Carnem, Peccatum occide: Et sic macte Deo fruere.

3. Indolem moribus declara. C. Tacitus *l. de moribus Germ.* fit autor: Germaniæ Principes non ante mensis admisisse suis prolem, in Principatu successuram, quam posita iuuenili ineptia viros induissent compositos, & parem nobilitati præferrent moribus indolem. Ite degeneres indecoresque Deo: dignis vos Sacramento moribus comparate: & sic *accedite ad Deum & illuminabit vos Christus: & facies vestræ non confundentur.*

4. Candideris candida. III. Refert Philo *l. de vita Theorica*; Iudæos ad nuptiale, aut solemne conuiuiũ intrare non consuesse, nisi toga candida conuestitos; (qua carebat nuptialis, *Matt.* 22.) Quo magis ad Eucharistiam venite candidi: *pura cum veste venite*: Ego, *mente*, dico.

Pullatum discumbere nefas. 2. Mos idem & Romanis cultus: Vt ijs pullatum, aut atratum inire epulas, nefas fuerit. Factum Vatinio dedit probro Cic. Epist. ad Att. *Atque illud etiam scire cupio, quo consilio, aut qua mente feceris: vt in epulo C. Arcij familiaris mei cum toga pulla accumberes? Quis vnquam cœnauit atratus?* Quare Eccl. 9. *Omni tempore sint vestimenta tua candida*: in primis Synaxin acturus.

Tricolores homines. 3. Tertull. prodit *in lib. de pallio*: Sacrificulos Bellonæ aut Marti facere victimas solitos in atris; Saturno in puniceis. Cereri in Albis. Ita Bellonæ Carni qui deuorati sunt, ferale mortis symbolum gerũt atrata in anima. Saturno dediti, mundi Domino, pomposas amant purpuras mollibus induti. Cereales, Autori cereris Eucharisticæ deuoti, iidem candidati operentur ad Aram.

Serui absint à mensa herili. 4. Tertullianus *lib. de resurr. carnis*, tradit, seruos incedere atratos, & herili non accumbere mensæ, nisi ad pileum voca-

ti, & libertate donati incederent iam cãdidati. Nam, ait, *Vestis albæ nitore, & aurei annuli honore, ac patrũ nomine, ac tribu, mensáque honorantur.* Atri, mancipia sunt peccati. Aut igitur expientur ex homologesi, aut abstemii fiant à mensa Domini.

PARS IV.

Expiantí se, & expiato, quæ necessaria?

Manna amat mũda.

I. ANte tellus roris subtilis aspergine velut purgabatur, quam cœlo mãna plueret. *Exod.* 16. *Num.* 11. O ros die lacrymæ piæ! O aspergo pœnitentiæ! 2. Quid, quod manna iuxta castra, & tentoria, (vbi hominum erant foricæ, & stabulabantur pecora;) non descendebat? Indicio, quos esset subitura animos Eucharistia: non foricosos, aut brutos.

Sanctificationi conueniunt.

3. Num. 11. *Dicit Dominus: Sanctificamini; cras comedetis carnes,* auium, quamuis male concupitarum. Quanto magis ad esum Agni? Et nostri Agni?

1. Lacryma

Vide, age: Ioseph, *Gen.* 43. ante fleuit vbertim; quam cum fratribus accumberet: Communicaturus quid agas, tecum dispice. An quod Dauid? Psal. 101. *Potum meum cum fletu miscebam?* Quod Iob? ca. 3. *Antequam comedo, suspiro.* Hoc age.

2. Lotio extern. peccatorum.

Senex Iebusæus, *Iud.* 19. Leuitam cum vxore peregrinantem hospitio excepit: *Ac, postquam lauerunt pedes suos, recepit eos in conuiuium.* Idẽ vult Dominus vtrumque. *Te Laua; & sic manduca.*

3. Et internarũ cogitationum.

Lex erat Leu. 1. Victimæ *inteſtina & pedes lauabunt aqua.* Nec enim prius eam placere sibi Deus voluit. Quare accubiturus cũ Iesu *laua à malitia cor tuum.* Ier. 4.

4. Cognatio cum Iesu spiritalis.

Ab Agni communione arcebantur, qui non erant de Abrahę posteritate: aut qui in vnam cum hac Religionem non concessissent. Sit hoc amplius in Christo regeneratus; vnitus illi charitate, qui extorris esse noluerit ab eiusdem Communione, Nam Matt. 15. *Non est bonum sumere panem filiorum, & dare canibus.* Et Matth. 7. *Nolite Sanctum dare canibus.* Nam hi isto *damnationem sibi acquirunt.*

1. Cauenda concupiscẽtia.

II. Nadab, & Abiu, filios Aaronis, (q. alieno igne in Sacris vsi.) Leu. 10. *egressus ignis à Domino deuorauit eos.* At quis à Domino alienior ignis, quam concupiscentia cordis? Et huius in flammas Christum inieceris communicator indignus? Væ!

2. Carnalia.

Iussit Mosen Deus cauere, neu quod animal tangeret montem Synai; Sin', moriturum. At Ps. 67. *Mons coagulatus, mons pinguis, mons Dei.* in V. Sacramento. Disperiit, hunc quisquis *animalis homo* tetigerit: Nam 1. Cor. 2. hic *non percipit ea, quæ sunt spiritus* Sed *Iudicium sibi manducat, & bibit:* 1. Corinth. 11.

3. Pollationes.

Nec Propositionis Panes Dauidi dare voluit Abimelech, nisi à mulierib. mundi comites fuissent, 1. *Reg.* 21. Si figuratales; quales reposcet Veritas?

PARS V.

De indigne sumentibus Eucharistiam.

Est iis pœna meritis.

I. DElicti grauitas indigne communicantium æstimetur è pœna. 1. Corinth. 11. *Reus erit corporis, & Sanguinis Domini.* 2. Ierem. 51. *Caro mea super Babylonem, dicit habitatio Syon; & Sanguis meus super habitatores Chaldæa, dicit Ierusalem.* Id est, Caro mea, & Sanguis clamat vindictam super habitatores istos.

3. Leuita Ephratæus, *Iud.* 19. Gabaonitarum libidine enectam vxorem suam dissecuit in partes XII. & ad singulas Tribus Israel transmisit, signum sceleris Gabaonitici. Ergo efferatæ Tribus XI. in arma ruunt; Tribum Beniamin, tutatricem Gabaæ, internecione delent. Talia si ob vnius mulierculæ corpus; qualia ob SS. Eucharistiæ abusum Deus?

Quod si sapienter Sapiens, Prou. 23.

Quando

Ergo ad cum nemo.

Quando sederis, vt comedas cum Principe, diligenter attende, quæ sunt apposita ante faciem tuã, & statue cultrum in gutture tuo. Id est, ait *Hieronymus*, sic loquere, vt si culter foret gutturi appositus. Quo ergo cum tremore mensa erit adeũda Iudicis? Hoc humilioribus vitã redime precibus: vt si malleum inter & incudem versarere.

Et humili pœnitentia

Imitare ganeonem prodigum: dic, Luc. 15. *Peccaui in cœlum, & coram te: & iam non sum dignus vocari filius tuus.* At deserta prius luxuriæ natione, paternam ad domum reuertere per pœnitentiam.

Nedisse-nat.

II. Zelotypus suspectam vxorem ducebat ad Sacerdotem; Num. 5. *vt potum det mulieri aquas amarissimas. Quas cum biberit, si pollutа est, & contemto viro adulterij rea pertransibunt eam aquæ maledictionis, & inflato ventre computrescet femur.* Ita indigno *Panis fractionis*, & *Calix benedictionis* vertunt in maledictionem; vt cum Iuda ipsius anima crepet, ferens in cauteriata conscientia damnationis sententiam.

Similia.

1. Manna *erat quasi semen coriandri album*: Exod. 16. Vbi *Berchorius* ait: Coriandrum corroborare cerebrum homini: at canem, ab eo comestum, efficere rabidum. Ita *Manna absconditum* iustis datum est saluti: iniustis exitio. Proin *Nolite Sanctum dare canibus.*

2. Eucharistiam canibus obiecerunt VVandali, in deuastatione Africæ: At ij in rabiem acti rabierunt in Dominos ipsos, discerptosque deuorarunt. Teste *Optato Mil. lib. 1. de VVandal persecution.* Ita summo Bono sumto euadunt mali seipsis deteriores, suasque in animas desæuiunt ter infelices.

3. Leæna, ab tigride imprægnata, ad leonem adire non audet; ni se abluerit ante. Sique leo senserit, eã frustatim discerpit comparem. Ita mens cum peccato consuescens perijt: ni se prius expiet, quã *Leonem de tribu Iuda* conuenerit.

III. Heu! ex vitã mortem acquiri? Si cui vita mors sit; mors ipsa qualis erit eidem? Cauit Deus, Exod. 23. *Non coques hœdum in lacte matris suæ.* Eccur istud? An quia, cum lac det vitã hœdo; idem mortis esse ministrum nolit Deus? Namque crudele nimis, idem esse vitæ, mortisque ministrum. At indigne communicantes, Mysterium vitæ sibi esse faciunt seminarium mortis æternæ. Atque in Istius lacte, cuius *meliora sunt vbera vino.* Cant. 1. coquunt hœdum IESVM isti infandi Christicidæ.

Nam tibi vitæ est, non mortis

Ergo cauete mortis fabas.

Aegyptij Cereris Sacerdotibus fabas edere submortis pœna vetuerant. Quod fabam Dijs Manibus sacram esse ducerent, vt mortis ac lacrymarum symbolum: Quodque ministri essent ipsi frugum Deæ, inuentricis earum, queis panis conficitur. Et Christiani bibent, vt aquã, peccata feralibusque scelerum fabis suffarcient ventres: & se adhuc Panis vitæ ministros profitebuntur?

IV. Inexpiabile credebatur nefas olim, hospitalem qua cæde cruentasse mensam. *Sic, 2. Regum* 13. epulas inter *Ammonem* frater percussit *Absalon*: Ptolomæus, 1. *Mach.* 13. *Simonem Sacerdotem* duobus cum filiis obtruncauit: Vespasianus Imp. coniurationis suspectos in conuiuio contrucidauit. Quæ, vt barbara: humana tamen; *At* plusquam *Satanicum* istud; diuinas inter epulas Dominum modiperatorem ab seruo prodi hospite: eademque proditione hunc ad suam ipsius abuti internecionem. Quæ par isti execratio? Pars eius cũ Iuda. *Atat*: ehem! Etiam pro crucifixoribus suis orauit, & exorauit Dominus. Istis ergo peccatoribus meliora Deus. Vel sero tandem aliquando & isti in *Syndone* munda è cruce depositum inuoluent Iesum. *Matth.* 27. Nam, vt *Seneca*, inquit:

Est sera nunquam ad pœnitentiam via.

PARS VI.

Epilogizat.

Tarde cõmunicãtes arguuntur

I. EST & aliud malum, quod vidi sub sole; & quidem frequens apud homines: *Vir, cui Deus dedit diuitias, & substantiam, & honorem; nec tribuit ei potestatem Deus, vt comedat ex eo.* Eccles. 6. Tales sunt fugitantes Sacramenti: in quo omnes diuitias, ac honores possident iure ad rem; nec vtuntur iure in re. Quia nolunt. Vere hi miserrimi sunt Tantali, medias vndas inter siti morientes.

Synagisare monentur.

Quare, vt mulier, 4. *Reg.* 6. obsidione cincta Samaria, stimulanteque fame, Regem adijt clamans: *Saua me, domine mi Rex.* Ita nos ad Regem nostrum: *Panem nostrum ὑπερούσιον da nobis.* Dare namque Regis est. Ideo is apud Isaiam electus, *cap.* 3. esse Rex noluit, causatus: *Non sum medicus: in domo mea non est panis, nec vestimentum,* quasi dicat; subditos curare nequeo. At ista Iesu adsunt omnia. Tantum postula: sed *animam præpara: ne sis velut tentans Dominum.*

Fidenter adi: non is est modo, qui Mosi fuit, *Deus Zelotes, & vltionum:* sed *Gustate; & videte, quoniam Suauis est Dominus. Beatus vir, qui sperat in eo.* Psal. 33. *Videte* magnitudinem: *videte* necessariam præparationem.

Seque præparare.

II. Sed quanta sit hæc oportet? 1. Si 3. *Regum* 6. ipsum septennium in Templo construendo posuit Salomon; cui Arca, legisque tabulæ erant inferenda, 2. Si, *Gen.* 6. Noachus centum annos in Arcæ structura molitus est, in qua cum paucis ipse, brutisque seruaretur. 3. Si *Exod.* 16. Manna erat in Tabernaculo aureæ inclusum arcæ asseruandum: quid communicaturis facto opus fore existimabimus? Quod Salomonæum Authori Legis par esse queat? Qualis igitur arca nostra animæ sit oportet, quæ ab æternæ damnationis diluuio nos ereptos efferat? Quod aurum charitatis sat dignum in arcam pro cœlestis Manna asseruatione? At omnia tibi confecerit vnum hoc, si parueris monenti: *Fili, præbe mihi cor tuum.*

CONCIO OCTAVA.

De Veritate Corporis Christi in Eucharistia.

MIRABILE IDEM CVM Secundo superius.

Caro mea vere est cibus, & Sanguis meus vere est potus.
Ioan. 6.

ISraelitis, *Exod.* 16. seruituti subtractis, & per deserta tendentibus Manna pluit cœlum, quod omne in se delectamentum continebat. Nobis CHRISTVS *est Panis viuus, qui de cœlo descendit:* proficitque ad salutem per deserta mundi peregrinantibus: si tamen prius in mari rubro pœnitentiæ actus Aegyptiacos obruerunt.

Nos perpaucis

I. *Fide in hoc vtendum Mysterio, non sensu, vel Ratione.*
II. *Quid Fides hic, quid Hæresis?*
III. *De Causa Fidei tutissima.*
IV. *De Hæreticorum obgannitionibus.*

PARS I.

Fide in hoc vtendum Mysterio; non sensu, vel Ratione.

Abrahæ ignis, & gladius.

I. ABraham, *Gen.* 21. pariturus Deo, solus cum Isaaco gnato, relictis sub monte seruis, ascendit, dextra gladium, ignem sinistra præferens. Ita conscensuri in altum Ecclesiæ; (quam *Dan.* 2. montem appellauit:) vt inde Sacramentum contueamur; asinas sensuum, ac ratiocinationum seruos omittamus oportet: Sed

Sed Fide comitante, hinc humilitatem, inde charitatem præferentes gradum ad altiora securi moliamur.

Lucerna Diogenis. Diogenes clara luce cum lucerna in forum prodibat, hominem quæritans. Tu cum Fide in Eucharistia Hominem Deum quæsieris.

Magorum stella. *Stella antecedebat eos* Magos ad præsepe Domini, panniculis inuolutuli. *Et procidentes adorauerunt eum.* Mat. 2. Nobis fides præeat viam ad Eucharistiam adorandã: quando Sensus, Ratioque refragantur.

Contra, Sensus, & Rationis calumniã. II. Quin & Fidei integritatem accusant eadem duo; quod Mysterij profunditatem nequeant attingere. 1. Sicut *Dan.* 13. veteratores duo læsæ castitatis Susannã peragebant ream; cuius potiri corpore nequibant. Causantur illa inextensam quantitatem & indiuisibilem; & inuisibile Quantum: Locatum sine loco; Accidentia sine subiecto: & alia talia admiranda iuxta ac veneranda. Verumenimuero

Quod non capis, quod non vides,
Animosa firmat Fides,
Præter rerum ordinem.

Oratio dissuasoria. 2. Plane agunt Sensus & Ratio, sicut *Num.* 13. exploratores è terra promissionis perlustrata reuersi. *Nequaquam*, aiunt, *ad hunc populum valemus ascendere: quia fortior nobis est. Terra, quam lustrauimus, deuorat habitatores suos. Ibi vidimus monstra quædam filiorum Enach, de gente gigantea, quibus comparati quasi locustæ videbamur.* At contra sic Caleb. *Ascendamus, & possideamus terram, quoniam poterimus obtinere eam.* Ita Fides non multa argumẽtatur aduersum istos exploratores errones. Freta Deo fidenter credit; adorat feruenter, audacter sumit; & sperat nihil hæsitans. Ipse dixit: *Hoc est Corpus meum.* Cedat sensus, Ratio succumbat, quia *Verbum Dei manet in æternum.*

PARS II.

Quid Fides hic; quid Hæreses?

Fidei hic regula. I. Est hic, si vsquam, dicendum: *Credo in Deum Patrem Omnipotentem.* Et cũ Apostolo, *O altitudo sapientiæ, & scientiæ Dei!* Cum angelo, Luc. 1. *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Hic sola sequenda Fides est. Absq; ea pessum ierunt Capharnaitæ, Berengariani; Lutherani blasphemant; Caluinistæ vmbras captant.

Et doctrina. At Fides orthodoxa confitetur, qui in vtero Virginis, in Cruce, ad dexteram Patris; Idem in hoc existit Sacramento. Viguit hæc Veritas indubitata annis circiter 800. ab institutione: Vigebitque.

Hæreticorũ conamina. II. Primus eam impetere ausus, sub annum 800. Ioannes Scotus, Caroli Magni quondam Magister. Sed paucos intra menses Conc. Vercellensis Decreto iugulatus is occidit error. 2. Sub annũ 900. Bertrandus quidam ipsum eundem refodit sepultum, acerrimeque propugnat. 3. Sub annum 1050. Berengarius existit oppressæ litis ac hæresis suscitator. Qui omnes omnem Sacramenti Veritatem abnegantes vnanimi consensu ab ecclesia sunt condemnati. 4. At sub annum 1370. Ioan. VViclef. in Anglia eundem Acheronta mouet. Cuius dein nidore Ioannes Hus regnum Bohemiæ obnubilat vniuersum, atque deprauat.

Ævi nostri vesania. III. 5. Demum sub annum 1527. Carolstadius, Zvvinglius, Oecolampadius, Caluinus plenis velis in idem profundum inuehuntur; cum pharaonico plurimarum euentu animarum. Inuitatus quidem sæpius ab ijs Lutherus fuit ad idem negandæ Veritatis naufragium sed infamem scopulorum abhorruit immanitatem. Quin suasit ipsis; vt vela verterent: sed nihil persuasit.

Adeoque Furia. Ergo illi Ecclesiam certatim proscindere,

dere, iactare, babylonicam esse metretricem; Papam, Antichristum; Religiones, pudicitiæ, prostibula: Episcopos, lenones: omnia meram esse Babylona, Aegyptiacâq; captiuitatem. Scilicet, digna hæc talia gymnastis talibus progymnasmata.

PARS III.

De causa Fidei tutissima.

Abeastat. 1. Testimentum.

FIde, age, casta Susanna Ecclesia: Confide Nohemi Arca: dura, per dura Salamandra; in mediis sita flammis non veris Ecclesia: in diluuio non submergeris; in iudicio non destitueris.

1. Habes notæ optimæ tabulas Testamenti: *Hoc est corpus meum*: à quatuor Notariis Matthæo 26. Marco 14. Luca 22. Paul. 1. *Cor.* 10. consignatas. Qui singuli temporibus, locisq; scripserunt quidem diuersis: at diuersum nihil.

2. Præfiguratio.

2. Adhæc præiudicia Figurarum producis. Quarum inanias expleat Veritas necesse est. Synagogæ delineata futurorum adumbratio, viuis absoluta coloribus fuit à Christo.

3. Christi promissio & asseueratio.

3. Accedit eiusdem promissio: Ioan. 6. *Panis, quem ego dabo, Caro mea est.* Accedit attestatio: *Caro mea vere est cibus, & Sanguis meus vere est potus.* Si *vere* EST: ergo nec *significat*; nec abest, quantum à terra cœlum. Si *vere*: quid ergo Nouatores comminiscimini tropologice, amphibologice, synecdochice? an vero diabolice? Nã orthodoxos de incantatione magica incusare audetis.

4. Præscriptio.

4. At Fide causa, Ecclesia: producis libellum quietæ possessionis: titulum ostendis secundum, *Depacificis possessoribus*: præscriptionem prætendis ab annis amplius supra mille sexcentis, quibus Vsum fructum rei possessæ habuisti. Vin' amplius?

5. Orbis confessio.

5. Ecce tibi, vocatus, citatus adest, se testem sistens gentium omnium, ac nationum Consensus fidelium; cum liquida continuæ in possidendo successionis demonstratione. Num quid aliud?

6. Cœlitorum desiderium.

6. Euge: triumphas! Diuina te, ô Mater Ecclesia, in terris vltro circumstant tribunalia conciliorum; ad vota tua, tuaque paratissimorum obsequia. Sed quid ego Hæc, aut Illos commemorem? Longa series, & multa nimis. Aliquam tamen strictim vidisse iuuabit. Dabo per sæcula: Non numero; sed intento velut digito monstro.

7. Sæculorum ac Patrum consensus.

7. Ecclesiæ, Veritatisque Eucharisticæ tabulis subscripserunt sæculo primo, (Apostolos prætereo;) *Sanctus Ignatius Epistol. ad Smyr. S. Dionys. libr. 1. de Cœl. Hier.* Secundo, *Cyprian. Tertull. Origen.* Tertio, *Iustin. Martyr: Pius Papa I. S. Irenæus.* Quarto, ecce sigilla duodecim Apocalyptica: *Niceni Conc. Patres Athanasius, Cyrillus Ierosolym. Hilarius.* Habetis quatuor. *Ambrosius, Basilius, Augustin. Optatus Mileu.* Habetis octo. *Gregorius Nyssen. & Gregor. Nazianzenus Ephræm, Epiphanius.* En duodecim. Quinto sæculo *Hieron. Chrysost. Cyrill. Alexand. Synodus Ephesina, Theodor. Gelasius.* Multa prætereo, *Gregorius, Theophylactus, Ioannes Damascenus.* Sæculo XII. *D. Thomas, Bonau. Anselm. Scotus.* aliiq; innumeri hucusq;. O attestationem, ac irrefragabilem depositionem. Obstupescitis Auditores, ad tantam ac talium nubem testiũ; sat scio. Oppedunt tamen contra tonitru Hæretici.

PARS IV.

De hæreticorum obgannitionibus.

Hæreticorum impudentia, & dementia.

I. QVo magis obstupescendum est, ad duorum apostatarum, Lutheri, & Caluini, inanem vocem tot mortalium emotæ mentis brutos animos sensum communem deseruisse, rationem eis euanuisse, vt tam iniquam ac sacrilegam fecerint defectionem.

Fac

Similli declarata.

Fac esse, qui actionem habeat, in qua de summa vitæ ipsius, ac fortunarum agatur: hunc tamen duos, tresve leguleios adire consultum: totam eis causam committere fide data, & accepta. Eundem de intrecentos conuenire viros, orbis & Iuris totius lectissimos: ab his audire, nullo causam ipsius niti fundamento Veri, aut Aequi: proinsuadere, sibi suisque consultum velit, actione desistat, præscriptis acquiescat iustis, ac necessariis: nec porro noua moliatur: Ipse tamen (velut Roboam,) iuniorum rabularum duorum secutus fascinationē, omnia alia aspernetur, ac derideat: quin sana consulentes calumnietur etiam, & execretur: adeoq; voce, stylo, ferro, flammis, omniq; vi ac facultate persequatur: hunc, inquam, quis furere nō dicat? Infelix anima hæreseos fascino dementata, tua, (heu!) causa partibus est prope infinitis inferior, ac deterior, &c.

Eorum mira mentia.

II. Sed quid ad hæc misera euersæ mētis cerebra, & deserta abs Deo hominum portenta? Quid? Non se deserunt; non causam: quantumuis afflictam, perditam, desperatam, condemnatam, ac ad inferos proturbatam. 1. Productant ingentia & blasphemiarum, & execrationū plaustra duo. Actionem diuinissimam Sacramenti, & Sacrificij, Deo plenissimam (horrent aures, ac animus:) magiam tamen appellant, incantationem, superstitionē, idololatriam meram. Cætera exhorrescens sileo: quæ pro vallo obiectāt.

2. Inde fasces confertos hæresibus, mendacijs, absurditatibusque suis, velut gigantæis humeris comportant, accumulant; vt si, innouato bello gigantum, montes montibus imponerent, ad Iouem è cœlo deturbandum.

3. Afferunt quoque ementitas, ac falsarias literas, de Institutione Sacramenti huius, clausas; cū inscriptione; *Hoc significat.* 4. Proferunt, velut ex indiculo, consultationē initam inter Triumuiros illos animarum perdendarum; VViclef Anglum, Zvvinglium Germanum, Caluinum Gallum. 5. Addunt Scripturæ testimonia, detorta sensu, ac deprauata.

Obiecta obtusa, ac refutata.

III. Sed omnia talia; quæ vel vno flatu difflaueris.

1. *Aiunt*, Matt. 26. *Pauperes semper habebitis vobiscum: me autem non semper habebitis.* Ergo Christus in cœlum subuectus isthic residet; non hic in Sacramento. *Respondemus.* De visibili sua conuersatione hic loquitur; non de inuisibili. Nam de hac ita, Matt. 28. *Ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi.*

2. *Aiunt*, Matt. vlt. *Assumtus est in cœlum, & sedet à dexteris Dei.* Ergo non est hic, nec enim descendet toties, *Respondemus*, descensu haud opus esse; posse locis simul pluribus existere. Sicut apparuit Paulo, & abeunti è carcere Petro; *Act.* 9. vt tradit Hegesippus.

3. Porro inuictus Achilles Caluino est iste. Luc. 24. *Palpate, & videte: quoniam Spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Atqui, ait, in Sacramento Corpus Christi tactu, visuve non cognoscitur: ergo nec adest. Sed iam ante superius respondimus: *Part.* 1. *&* 3. *hic.* Et *Concl.* 5. *part.* 6.

4. *Aiunt*: Fieri non potest, vt corpus idē locis existat pluribus. *Quid?* Nō ergo creditis *in Deum Patrem omnipotentem?* Qui ex nihilo creare potuit omnia, magis potest & creatum in plura sistere loca: Et in vnum locum plura sistere corpora. Sed de hoc quoque superius pluscula, *Conc.* 5. *parte* 5.

5. *Aiunt* vitilitigatores: Fieri nequit, vt corpus sine extensione, quantitate sit, & loco. *O stulti corde, & tardi ad credendum!* Luc. 24. An non, 4. *Reg.* 6. Elisæi iussu ferrum aquis supernatauit? Mari Chri-

stus inambulauit? *Matth.* 14. Tres pueros in camino ignis non aduſtulauit? *Dan.* 4. Quid igitur locus magis corpori neceſſarius; quam ſua ipſi, vel ſua ferro grauitas, aut igni calor? Ego vero ſic exiſtimo: hæc illis plus eſſe neceſſaria; vt inſita ipſis; quam corpori locum, circumſecus ſepientem. Vide *Conc.* 5.

6. *Aiunt.* Impoſſibilis eſt Tranſſubſtantiatio. At factu difficilior eſt è nihilo creatio: E terra hominis, è coſta Euæ formatio: aquarum in ſanguinem, in ſerpétem virgæ: rupis in fontem; fœminæ in petram; aquæ in vinum factum conuerſio par fuit, aut non longe diſpar. Quare peracta recapitulatione perora.

CONCIO NONA.

De Dignitate, & reuerentia SS. Euchariſtiæ.

MIRABILE NONVM.

Memoriam fecit Mirabilium ſuorum, miſericors & miſerator Dominus: Eſcam dedit timentibus ſe. Pſal. 110. *Et qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Ioan. 6.

PRouerb. 9. *Sapientia ædificauit ſibi domum: excidit columnas 7. immolauit victimas ſuas, miſcuit vinum, & propoſuit menſam ſuam, Miſit ancillas ſuas, vt vocarent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis. Si quis eſt paruulus, veniat ad me. Et inſipientibus locuta eſt. Venite, comedite panem meum, & bibite vinũ meũ, quod miſcui vobis: Relinquite infantiam, & ambulate per viam prudentiæ.* Patris Sapientia, Veritas diuina Ieſus *hoc fecit, & eſt Mirabile in oculis noſtris.* Fecit Eccleſiam, & ſeptem Sacramenta, Euchariſtiam quoque, quæ & immolaretur *Sacrificium*; & ſumeretur *Sacramentum*.

Nos in præſens

I. De inſtitutionis Euchariſtici amore in nos: & noſtro in eum debito.

II. De multiplici Euchariſtiæ dignitate.

III. Ad S. Synaxin præparatione opus ſolicita.

IV. Communicaturo ſtudendum puritati.

PARS I.

De Inſtitutoris Euchariſtici amore in nos; & noſtro in eum debito.

Amor ſe dandi in Eſcam.

I. FOrtis, & ingenioſus amor eſt. Artemiſia Regina Cariæ, vt refert *Val. Max. lib. 4. cap. 6.* Mauſoli coniugis mortem ſic conſolata eſt. Superbiſſimum illi Mauſolæum condidit, vt in ſeptem orbis miraculis habitum fuerit. Dein cineres cadaueris, è rogo collectos, aromatibus miſtos menſæ inferri ſibi voluit; quos cibis adſperſos quotidie deuoraret. Talis amor Chriſti in Eccleſiam, & ab hac ne diuelleretur vnquam, ſibi Euchariſtiam inſtituit: in qua ſumendus Eccleſiæ quotidie propinaretur, ac ſumeretur. Vnde inquit: *Caro mea vere eſt cibus.* Et Bernardus. *O amor amorum: Sacramentum Sacramentorum, dulcedo dulcedinum!*

Idque in Sacramento.

Suam Deus potentiam oſtendit orbem condendo: Iuſtitiam, diluuio: Amorem, hoc Sacramento.

Nec vel ſibi parcẽs.

Permagna vis amoris eſt Pelicano; cũ ſibi pectus effodit, ſanguine redanimandis pullis. At ſic ipſe. Pſ. 101. *Factus ſum ſimilis pelicano ſolitudinis.*

Figura.

1. Vere, *Exod.* 3. Euchariſtia rubus eſt ardens & incombuſtus charitate infinita: & ſenſibus difficultatum obſitus: & Viſio magna nimis. 2. Reliquerit Elias cum duplici ſpiritu pallium Eliſæo, teſtem amoris. 4. *Regum* 2. At nobis Deus Diuinitatis ſuæ pallium, Corpus ſcilicet ac Sanguinem, cum vtriuſq; Naturæ veritate reliquit.

3. Refecerit Eliam Angelus ſub iuni-

pero

pero prope defectum : vt in fortitudine cibi illius ambularet 40. diesvsq; ad mõtem Horeb. 3. Reg. 19. At *Angelus Testamẽti, Magni Consilij Angelus*, Angelorum Dominus, in hoc deserto nobis Panem suggerit, sub humanitatis nostræ cinerib. coctum, &c. Parum illius fuerat amori, se in Crucis ara tradidisse semel : sæpius ac semper libuit immolari, inque succum ac sanguinem nostrum conuerti, magisque virtute in nobis, quam ipsi nos.

Debetur ei gratitudo. III. Quæ propter sic ipsi sumus obligati, vt animas quoque debeamus. 1. Plus, quam Israelitæ, 40. annis manna pasti in deserto. *Exo.* 16. 2. Nesciebat Dauid, 1. *Reg.* 29. quare datum sibi famelico cibi beneficium Abigaili remetiretur; nisi ipsam in Reginã regni consortem acciuisset. *Quid ergo retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* Psal. 113. Cum me quoq; regni cohæredem adlegit sibi; quasi, qui dedit, accepisset beneficium.

Quam om. nis spernat benefactor. 3. Pie, iuste, merito vouisti Iacob : Gen. 28. *Si fuerit Dominus mecum, & custodierit me in via, per quam ego ambulo: & dederit mihi panem ad vescendum : erit mihi Dominus in Deum.* Qualis ergo mihi, quantusq; semper esse debebit.

IV. Quo sequar impensius monentem 1. Ps. 147. *Lauda Ierusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion: Quoniam confortauit seras portarum tuarum, benedixit filiis tuis in te: posuit fines tuos pacem : & adipe Frumenti satiat te.* Illius adipe frumenti, de quo, Ioan. 12. *Nisi granum Frumenti cadens in terram, mortuum fuerit: ipsum solum manet. Sed iam non moritur amplius mors illi vltra non dominabitur.* Rom. 6.

Debentur ei & laudes. 2. Hoc itaque nos pascit : Sed *& de torrente voluptatis tuæ potabis eos*, Psalm. 35: hic Sanguine ; isthic beatitudine. 3. Quid, quod & *de Petra melle saturabis eos* consolationibus delibutos? 4. Nimirum Iesu. Totus *es terra*, quæ tota *fluit lacte & melle; vt ex his fructibus cognosci possit.* Num. 13. & 14.

PARS II.

De multiplici Eucharistiæ Dignitate.

Mirabilia in Sacramento. I. EXcellentia SS. Eucharistiæ est quanta maxima Psalm. 110. *Memoriam fecit Mirabilium suorum, &c.* Quid enim est, aut fuit vnum aliquod, in quo *Mirabiliũ* Dei vel plura, vel maiora conuenerunt? Enumerat aliqua S. Thom. Hymno: *Lauda Sion, &c.* Nos in exemplum ista: Corpus est locatum, & in locis simul plurib⁹, sine loco: quantum, sine extensione: fractum, sine diuisione ; immolatum, sine passione : motum loco, sine emotione, tactum, visumque, sine sensione: integrum accidentibus, sine subiecto: Quantum sine materia. Quale, sine substantia. Capite hęc vobis Philosophi: Theologi, accipite Transsubstantiationem Qua, & quib. istis, quid vnquam vsquam mirabilius? Mathematici, videte hic quadraturam circuli: Physici, considerate fluxũ & refluxum oceani, & Euripi.

Effectus. cõtrarij cõmunionis. II. In hoc vno fluxus est gratiæ, vitæ, ac prædestinationis : estque refluxus peccati, mortis, & reprobationis. Quia

Sumunt boni, sumunt mali;
Sorte tamen inæquali,
Vitæ, vel interitus.

Causat immortalitatem. Psal. 109. De hoc *Torrente in via bibet* peccator : *propterea exaltabit caput* in rem gratiæ, & spem gloriæ: propterea immortalitatem acquiret. Nam Ioa. 4. *Aqua quam ego dabo, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Agite ergo, Isai. 55. *Omnes sitientes, venite ad aquas.*

Fœcũdat. Simile. Tradunt scriptores Nilum è montibus Lunæ dictis exoriri : Aegyptum statis temporibus inundatum rigare, stercorare : inque Oceanum septem ostiis deuolui. *Sic* Eucharistia descendit è mõ-

tib. Diuinitatis, ac Humanitatis, cum diluuio gratiarum ; ſtagnat ſuper animas rigatas, & fœcundatas ; egurgitans ſe ſeptem donis ſpiritus, ac in ſeptenis quoq; Sacramentis ſeſe regurgitans. *fluminis impetu lætificat Ciuitatem Dei*, Pſ. 45.

Satiat. Fœlix Torrentis impetus! Vitia abripis ; vitamque inuehis: in immortalitatis portu conſtituis. 1. Nam Ioann. 4. *Qui biberit ex hac aqua, quam ego dabo, non ſitiet in æternum.* 2. O Nectar, & Ambroſiam Cœlitum! 3. O aurifluum Gangem, & Pactolum! 4. Verum hic, & omnino veriſſimum Oraculum: Eccl. 24. *Ego Sapientia effudi flumina: Ego quaſi trames aquæ immenſæ: Ego quaſi fluuius Dorix: Ego quaſi Aquæ ductus exiui de Paradiſo. Dixi: Rigabo hortum plantationum mearum: & inebriabo partus mei fructum.*

Ditat, & omnia præſtat.

Figura dictorum. 1. Percuſſit virga petram Moſes; *Exod.* 14. & fluxerunt aquæ. *Petra autē erat Chriſtus.* 1. Cor. 10. Ex hac quales, quantæque emanationes? 2. Triſte malum, continua quadraginta dierum pluuia, reſolutis cœli cataractis ruens : ruiſſe cœlos dixiſſes. At immortale bonum, Sanguinis Dominici effuſio, cœpta in horto, *pridie quam pateretur*: continuataq; aduſq; *Conſummatum eſt*: quin & vltra, cum *lancea latus eius aperuit, & exiuit Sanguis & Aqua.* Neſcio, quid maius hiſce vel à Deo expectare queas.

Humanitas eſt in Sacramēto glorioſior, quam in Incarnatione. III. Haud quoque ſtatuerim: Huicne myſterio myſterium Incarnationis anteponam ; an componam? Hoc ſcire videor : Plus honoris in hoc Sacramento ad naturam humanam acceſſiſſe; quam ex Incarnatione. Enimuero in hac, natura Diuina, præbens ſuppoſitum, humanæ præcellebat, vt infirmiori, ac inferiori : At in Sacramento humana principatur natura, & comes ei adhæreſcit diuina. Ita Theologi, Verborum vi primo Corpus produci, perque concomitantiam ſequi Diuinitatem.

Figura de Excellētia Euchariſtia. Pene, ſicut *Gen.* 25. ex Rebeccæ vtero prior exiuit Eſau deformior ; dein læuis Iacob: Ita & in hac Tranſſubſtantiatione. Corpus ſeu humanitas Chriſti; dein con. comitanter Diuinitas exiſtit. O fœlix in ara gazophylacium: in quod duo Illa Minuta ter Optima Maxima inijcit Trinitas Beata?

1. Similia. O plane diuinam Euchariſtiæ Dignitatem! 1. Quod aurum inter metalla: 2. adamas inter gemmas : 3. Sol inter planetas: hoc Tu inter Sacramenta. Præpolles dignitate ; attrahis amore ; præluces ſplendore gratiæ.

2. Figura. 1. Tu, Prouer. vlt. *Nauis, de longe portans Panem.* nam Pſ. 18. *A ſummo cœlo egreſſio eius.*

2. Tu in fractione aperis tuorum oculos in Tui, in ſui agnitionem. *Luc.* 24. Vt in Emaus factum.

3. Teſtimonium. Simile. 3. Tu es *Panis præbens delicias Regib.* Gen. 49. Tu es farina, 3. *Reg.* 17. quam Elias, Ieſus in domo Sareptanæ, Eccleſiæ, quotidie facis creſcere in immenſum.

3. Et hoc, D. Thoma, cur non quartum ponebas opus ad tria illa ; *p.* 1. *q.* 13. quibus maiora Deum facere non poſſe, rebus ſic ſtantibus, affirmabas. Euchariſticum namq; Opus hoc eſt velut nummiſma paruum auri, pretium continens cœterorum : adeo Compendium eſt in paruo maximum maximorū myſteriorum Chriſti ; in quo vno præcipue *memoriam fecit mirabilium ſuorum Deus.*

PARS III.

Ad S. Synaxin præparatione opus ſolicita.

Quia eſt vita bonis mors malis Similia. I. IAm tale Myſterium qua cum reuerentia & colas, & ſumas, par erit? *Probet ſemetipſum homo: & ſic de Pane illo edat.* q. d. partem in vtramque merita, ac debita expende: *ne inueniaris minus habens.*

1. Memento, maris hic eſſe fluxum ad ſupera

supera his: aliis autem refluxum ad infera. 2. Idem mare rubrum, *Exod.* 14. transitum præbuit Israelitis: Aegyptios vndis inuoluit. Ita Eucharistia; *mors est malis: vita bonis. Vide sumtionis quam dispar exitus.*

3. Esther humilis, *ca.* 5. & fastuosus Aman ad idem Assueri vocantur conuiuium; sed exitu dispari. Illa fit liberatrix populi: hic ludibrium patibuli. Ita Deus; & communicantes. 4. Ad eiusdem regificas nuptias conueniunt vocati: sed veste non pariter culti. Quare innuptialis proiicitur. *Matt.* 22. Dicitur quidem: Mat. 11. *Venite ad me omnes, qui &c.* Sed præcipitur quoq; *Probet semetipsum homo.*

Exemplū. 5. Petrus, & Iudas pariter erant vocati: sed non pariter cibo saturati. *Matt.* 26. Ille paratus adire cum Domino in mortem: hic inferre mortem. Propterea post lapsus vterq; Petrus euasit mortem; mortem inuasit Iudas laqueatus.

Eiusdem rei figura alia. II. Eucharistia cœli est scala, *Genes.* 28. visa Iacobo hac *Diuinitatis* extremitate cœlum; illa *Humanitatis* terram attingere: sed Angelos, non cacodæmones, per eam sus deque commeare. Ita *Qui manducat hunc Panem: viuet in æ.* Et *qui sumit indigne, iudicium sibi mand. & bib. non diiudicans Corpus Domini.* 2. Suspecta adulterij. *Num.* 5. Si insons, aquas execrationis bibebat innoxia: Sin' erat sons, fœmore ei computrescente crepabat. Ita Consecrationis Esca Potusque inter sumentes diiudicant.

3. Arca fines transiens Gethæorum, Azotiorum, & Accaronitarum; millia hominum multa necabat: Israelitas vero ab interitu vindicabat. 1. *Reg.* 6. Ita Eucharistia, in qua ineſt Virga Humanitatis, & Manna Diuinitatis.

4. Fornax vna eiusdem flammis tres pueros irroratos recreabat: at babylonios circum concremabat *Daniel.* 13. Sic Eucharistia: Nam *Qui manducat indigne; reus erit Corporis, & Sanguinis Domini.*

5. Quam iusta Philistæorum pœna fuit, Arcam cum Dagon idolo in eadem ara statuentium? 1. *Reg.* 5. Et quisquam in corpore, ac anima subditis peccato, collocare audebit Eucharistiam?

6. Crucifigentium Domini scelus inde quoque fiebat deterius, quod eum in loco infami, & reorum ossibus pleno suspendissent. Tetrior, & magis infamis est conscientia improbi.

PARS IV.

Communicaturo studendum puritati.

Sectanda mundicies

I. QVare fic te compara, 1. vt Arcam Testamenti, *Exod.* 25. & 26. In qua Manna, Tabulæque, cum Virga erant deponenda: Accurata cum symmetria omnia in ea facta erāt, Dei iussu: demum tota inaurabatur. Tute tibi in te fac simile: & viues. 1. Quos Nabuchodonosor sibi ad mensam adstare pueros volebat, eos esse oportebat forma lectissimos, ac sapientia cluentes. *Dan.* 1. 3. Deus quoque præcepit; quæ sibi immolanda sisterentur animalia, omni eadem carerent macula. 4. Reges item Aegyptij non sibi ministrari sinebant, nisi ab nobilissimis quibusque nationis suæ: Arcebantur quiq; de plebe; quiq; naturæ vitio notabiles apparebant.

Hinc æstimare est, quales *Specioso præ filijs hominum* placeant: idq; in Eucharistia, re vna omnium diuinissima. Procul hinc scelerum serui, informes animis, ac degeneres.

Cauenda Sordities

II. Ita Mosi Deus, Exod. 3. *Ne appropies huc. Solue calceamenta de pedibus tuis: locus enim, in quo stas, terra sancta est.* Ne & tu appropies: Nam Deus est in rubo Sacramenti; ardet charitate; sed & zelo metuenda. Per illam amat: per hunc vindicat.

2. Iudæi scandalizabantur quod illotis manibus Apostoli manducarent: *Mat.* 15. Quid Angelis fiet; viso indigne communicante? 3. Noluit Abimelech à Dauide; comitibusq; gustari panes Propositionis, nisi ab mulieribus mundi forent. 1. *Reg.* 21. Quæ in te requiretur mundicies communicaturo?

PERORATIO.

QVare, 1. recordemini, quo cum pauore populus tonantem audierit, viderit fulgurantem Dominum, *Exod.* 16. 2. Quo cum honore Magi adorarint in præsepio! *Matth.* 2. 3. Qua alacritate Zachæus eum in domum acceperit: *Luc.* 19. iussus festine descendere de arbore superbiæ, anaritiæ &c.

CONCIO DECIMA.

De admirabili Missæ Sacrificio.

MIRABILE DECIMVM

Memoriam fecit Mirabilium suorum misericors &, &c.
Ps. 110.

DEus, *Exod.* 12. educturus Israelitas è seruitute, pridie eductionis instituit Agni paschalis Sacrificium; cum Synagoga perduraturum. Ita pridie Redemtionis nostræ sanciuit iuge Missæ Sacrificium, cum Ecclesia perennaturum; dicens: *Hoc facite in meam commemorationem.* O pignus fidei, vitæ, & omnium!

Super quo nos

I. *Quod in vna Eucharistia sit & Sacrificium, & Sacramentum.*
II. *Quod Sacrum Missæ Officium sit vere Sacrificium, docent Figuræ V.T.*
III. *Docent idem rationes.*
IV. *Ratio vna oratoria, ex more Dei, ex paruis initiis ad perfectionem ascendentis.*
V. *Docetur idem ex Nouo Testamento, Scripturis & rationibus.*
VI. *SS. Patrum consensus, & vsus idem euincunt.*

PARS I.

Quod in vna Eucharistia sit & Sacrificium, & Sacramentum.

I. DAniel cap. 8. ait. *Vidi arietem cornibus ventilantem contra occidentem, & contra Aquilonem, & contra Meridiem: & omnes bestiæ non poterant resistere ei, neque liberari de manu eius.* Ita, non aries, sed Agnus in Eucharistia est: Et is bicornis; quia iam vt Sacrificium, alias vt Sacramentum accipitur. Hisce ventilat hæreticos. Prædictum, Psal. 109. *Conquassabit capita in terra multorum.* Simillia. 1. Bicornis Agnus.

2. Illa est adinstar pythagoricæ literæ bifurcatæ; princeps in alphabeto Mysteriorum Christiano: hinc placans: illinc animam consanans. 2. Litera T.

3. Ezechiel, cap. 1. in babylonica vidit captiuitate Seraphinum, cui *facies hominis, & facies leonis.* Ita Seraphim hoc, est Sacramentum, in facie hominis: Sacrificium vero, in facie leonis. Illa delinit animas: hac terret hostes. 3. Bifrons Seraphim.

4. Oceanus in mare se Mediterraneū, & Arabicum seu Rubrum didit: Eucharistia in Sacramentum, & Sacrificium sanguine rubricatum. 5. Iordanis haud procul à Sodoma absorbetur terra; sed dues efficit lacus: Asphaltitem salsum ac sterilem: & lacum Tiberiados dulcem ac piscolentum. Sic Eucharistiæ Sacramentum est gratiis plenum ac dulce: Sacrificium à pœnis Iesu acerbum. 4 Oceanus geminus. 5. Iordanis bilaceus.

II. Hæretici ad hanc distinctionem efferascunt. Vt tigris viso sanguine, aut colore puniceo, furit. Missam namq; tragœdia Caluarica purpurissat: Vnde illius

lius isti nec ferunt nomen, nec memoriam. At nos demonstrabimus.

PARS II.

Quod Sacrum Missæ Officium sit vere Sacrificium, id docent Figuræ.

SAcrificium fit triplex in Scriptura, ait *Augustin. 10. ciu. 6. 5. & 6. 1.* Spiritale & internum: Vt oratio, pœnitentia, &c. Ps. 50. *Sacrificium Deo Spiritus contribulatus.* 2. Externum ab interno profectum: Vt Eleemosyna, ieiunium, &c. 3. Proprium, scilicet *actus latriæ, offerens visibile donum cũ mutatione illius, ad Diuinitatis agnitionem, & nostram subiectionem.*

I. Melchisedech, *Gen.* 14. obtulit panem, & vinum: at Christus *est Sacerdos in æternum secundum ordinẽ Melchisedech.* Heb. 7. Ergo est autor Sacrificii, in quo offertur panis & vinum. Alioquin figuram illam sacrificandi non impleſſet. Quod cogitatu est impium.

Ad hęc eam impleſſe in cruce, dici nequit: Quia Sacrificium illud cruentum fuit, sicut Aaronicum; non in pane & vino: Estque semel factum; & non fit in æternũ. At Melchisedechiani ordinis Sacrificium hodieq; fit, placando Numini.

Neq; vllum huc aptius est, vel efficacius. Quia Patri nil dilectius Filio. Nam Ps. 39. Cruentum *Sacrificium, & oblationẽ* legalem *noluisti* Ps. 49. *Nunquid enim manducabo carnes taurorum?*

II. Agnus paschalis, ex omnium Patrum consensu, sacrificium fuit; & figura vtriusque Sacrificii in cruce, & in Ara. Nam Dominus, simul ac cum Apostolis Agnum comedit, Eucharistiam instituit, & Sese incruente Patri oblatum sacrificauit. Huc *Nota:* Quatuor in Agni manducatione reperiri; quæ soli Eucharistiæ, non alteri queunt adaptari. *Primo.* Agnus immolabatur, vt manducaretur. *Secundo.* Id priuatim à patrefamilias fiebat inter recutitos, & purificatos. *Tertio.* Fiebat luna decima quarta sub vesperam. *Quarto.* Agni immolatio repetebatur quotannis: quia non erat ipsa liberatio ex Aegypto; sed huius commemoratio. Ita Dominus in Eucharistia fuit oblatus, vt manducaretur; & hoc non in cruce. 2. Ibique in Cœna priuatim; hic in cruce, publice. 3. Ibi luna 14. veſperi: in cruce luna 15. sub meridiem. 4. In cruce semel tantum: at hic repetitur Sacrificium, ad commemorationem liberationis nostræ.

III. Sacrificium Pacificum, *Leu.* 3. & 7. *Num.* 15. figura fuit Missæ. Quia quatuor illius proprietates possunt Missæ soli accommodari, non Cruci. 1. *Todad* dicebatur, id est, offerebatur vel ad gratiarum actionem: vel ad fœdus ineundum cum Deo. 2. Dividebatur in partes, quæ ad 4. orbis plagas eleuatæ offerebantur. 3. Manducabatur ab solis Sacerdotibus. 4. Panis & vinum offerebantur. *At* talia in Missa. Ergo hæc Veritas: illa figura.

IV. Sacrificium Missæ est repræsentatio cruenti in cruce; Nã *Hoc facite in meam commemorationem.* Sicut, *Iud.* 12. quotannis Hebrææ renouabant planctum filiæ Iephthes Ducis immolatæ.

V. Ad Heli Sacerdotio priuandum propheta missus ait de alio, 1. Reg. 2. *Suscitabo mihi Sacerdotem fidelem, qui iuxta cor meum, & animam meam faciet: & ædificabo in Domum fidelem: & ambulabit coram Christo meo cunctis diebus: & offeret tortam Panis.* Atqui hoc de Pacifico Iudæorum Sacrificio accipi non potest. Nam id diu ante fuerat institutum. Nec de Aaronico: nam hoc abrogatum iam est: nec durat *cunctis diebus:* Nec de Panibus propositionis; qui annis 400. præcesserant instituti. Ergo de Sacrificio Missæ accipiendum est. Nec enim datur aliud.

VI. Prouerbiorum 9. *Sapientia ædificauit*

uit sibi domum, miscuit vinum: posuit mẽsam: excidit columnas 7. & cætera, & inuitat: *Venite, comedite Panem meum, & bibite Vinum, quod miscui vobis.*

Vbi S. Cyprianus Sacrificium Missæ intelligit, institutum à Sapientia Patris, in ædificata ab se Ecclesia, Sacramentis septem instructa.

VII. Malachiæ. 1. *Magnum Nomen* IESV *erit in gentibus: & in omni loco offeretur Sacrificium, & Oblatio munda Nomini meo.* Atqui hoc soli Sacrificio Missæ conuenit. Ergo.

PARS III.

Docent idem Rationes.

I. RAtio. Christus *venit adimplere legem* omnesq; figuras *consummare.* Quia Psalm. 144. *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis.* Et 50. *Vt iustificeris in sermonibus tuis.* Et Ipse Matth. 25. *Iota vnum, aut apex non præteribit.* Atqui in Cruce tantum cruentorum adimpleuit figuras Sacrificiorum: Ergo debuit & incruentorum explere figuras. At hoc fit per Sacrificium Missæ. Ergo.

II. In omni Lege Sacrificia esse voluit Deus, quæ vnicum illud Crucis repræsentarent futurum: Ergo credi par est, & in lege gratiæ aliquod ipsum voluisse patrari, ad Filius Tãti commemorationem. At præter hoc Aræ nullum est aliud. Ergo Ipsum est; esseque debet.

III. Causæ, ob quas in Veteri lege Sacrificia erant; eædem & grauiores adhuc perstant in Ecclesia. Sacrificabant enim ad Deum supremo cultus genere honorandum: Ad religionem propalam profitendam: Ad Crucis Sacrificium repræsentandum. At hæ causæ in Ecclesia sunt prægnantiores. Ergo.

Epilogiolus Cum igitur omnia in orbe deseruiant Deo Cõditori suo: vnde & pretium quæque suum, veritatemq; sortita sunt: Cum omnia, quæ vsquã rite instituta vnquam & vsurpata fuerunt sacrificia; ad hoc vnum Nouæ Legis, vt complementum suum ac coronidem, respectarunt. Hoc quoque diuinius esse cunctis oportuit: propriumque populo, quia Deo singulariter electus esset, atque dilectus.

Quod si etiam Deus idem solennem ad cultum Sui istas sibi voluit placere figuras: Si has quoque populus, qui sedebat in tenebris, honoris sibi, & quantulęcunque, saluti esse ducebat: quantum placere sibi Deum ipsi in hoc iugi dilecti Filij sui Sacrificio, & ad idem acquiescere, credi par est? Quo & nobis Ipsum ampliori esse honori, certissimæque saluti confidamus, planeque credamus; ac etiam sciamus oportet.

PARS IV.

Ratio peculiaris oratoria, ex more Dei, à paruis initijs ad perfectionem ascendentis.

SOlemne est Deo, *(qui adhuc operatur)* à paruis ordiri, & per maiora vsque sensim progredientem in summis, ac maximis quibusque consistere. 1. Ita rerum in orbe condẽdo, auspicatus à lumine creationem, duxit eam ad elementa; hinc per plantas, ad animantia; demum in homine constitit, viua sui imagine, velut terrestri quodam Deo. *Consuetum Deo rerum ordo.* *1. Naturalium.*

2. Atque vt hunc cultus sui disciplina imbuendum rite formaret; naturam illi magistram indit, qua ad patrandum Ipsi Sacrificiis condoceferet. Tum deinde altius prouectum, lege data, ad Sacra perfectiora instituit. Demum ipse descendit, ad absolutissimum istud Sacrificium Corporis ac Sanguinis suiofferendum Patri: ad quod Dei filius, summus & ipse Sacerdos, exemplo præiuit: & Edicto, *Hoc Facite,* æternum sanciuit rite litandum. *2. Spiritalium seculegalium.*

Cuius

Sacrificii Eucharistici principio.

Cuius apparente simul in Ecclesia maiestate plane diuina; cætera Synagogæ Sacrificia vniuersa, velut sidera ad panomphæi solis exordium disparuerunt. Nimirum quicquid hic inerat luminis, id omne & ab illo acceperant, necdum in orbem illato: & in idem refundebant simul ac in Ecclesiam à Seruatore Iesu fuerat introductum.

Veterũ abrogatio.

Quare, velut ad æris campani grandioris fusionem æra minutiora conferuntur cætera simul & colliquefacta in vno absorbentur: Ita antegressa Sacrificia omnia, ad vnum hoc conuersa, esse desierunt absorpta.

Ac sui promulgatio.

Eorum faciem referebant ac conditionem varia illa ex ora tunicali, limboue Sacerdotis Summi dependentia tintinnabula *Exod.* 28. Venit Summorum Summus Pontifex Pontificum Christus, solaque præsentia hos abrogauit omnes & sustulit è medio. Vnum quoque vocis idem misit sonum hunc: *Hoc Facite*: quo simul tinnitus ac tintinnabula illa obruit vniuersa. Vt eorum vel vestigium superstet non aliud; quam quod Fuisse sciamus. Adeo *in omnem terram exiuit sonus* ille solus. Ps. 18.

Simile.

Quo in æternæ vitæ parando nobis Instrumento, viam modumque tenere voluit Deus: quem in mortalis vitæ nobis conferendæ eidem placuit obseruare naturam. Teste enim Aristotele, *primo viuimus vita plantæ: postea vita animalis: deinde vita hominis.* Atque vt anima: ita Eucharistia pretium est & decus cæterorum, quæ minora antegrediebantur.

Exemplũ.

Eundem tenuit modum ac ordinem in nuptiis Cananæensibus Dominus. *Ioann.* 2. Aderat: vini primum appositi pretiolum non ignorabat; nec & huius defectum mox consecuturum. Silet tamen, finitque vilius exhauriri prius. Dein ex aqua vinum melius, adeoq; optimum; iubetque propinari: Ita in omnib. ab imperfectioribus gradum molitur, ac viam præstat ad vsque perfectiora.

Ista tamen rerum maximarum initia parua, horumque progressus, semper huiusmodi fuisse comperiuntur; vt permagnam prætulerint futuræ perfectionis similitudinem. Id quod singulorũ deductione seipso liquet. Cũ itaq; ex Vet. Instrumenti figuris futuri Missæ Sacrificij & veritatem, & necessitatem, & diuinitatem ostenderim, iam Noui Testamenti nonnulla testimoniorum adducamus.

PARS V.

Docetur idem ex Nouo Testamento Scripturis, & Rationibus.

I. AC primo Lu. 22. *Hoc est corpus meũ, quod pro vobis datur, & frangitur.* Ita Græce 1. Corint. 11. κλώμενον. *Similiter accepto calice ait. Hic est Calix Noui Testamenti in Sang. meo, qui pro vobis fundetur in remi. pecc.* Hinc ita ratiocinor: Dans Eucharistiam ait, suum Corpus tradi, & Sanguinem fundi. At is cui dabatur, alius esse non poterat, quã Deus Pater: Ergo suum Illi consecrauit Corpus. Qui enim cũ ceremoniis gratiarũ Actionis, Fractionis, Benedictionis, &c. Deo aliquid pro aliis dat; is idem Deo consecrat & immolat: Sed Dominus suum Corpus & Sanguinem ita Patri pro nobis in Cœna dedit: Ergo in cœna consecrauit.

Esto: S. Patrum aliqui futurum pro præsenti vsurpent, legantque: *tradetur, fundetur*: Nil hoc officit causæ. Nam id spectat ad futuram in cruce per cruentum Sacrificium traditionem, semel faciendam, non iterandam.

Secundo: *Hoc facite in meam commemorationem.* Fieri præcipit, quod instituerat,

ac fecerat : Atqui ipse consecrarat, hoc est, Sacrificarat : simul cæteros communicarat, id est, & Sacrificium, & Sacramẽtum administrarat: ergo, &c.

Tertio Ioan. 4. *Mulier, crede mihi: venit hora, in qua nec in monte isto*, Garizim; *nec in Ierusalem adorabitis. &c. Venit hora, in qua veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, & veritate* per omnem orbem. Atqui *Adorare* hic significat *Sacrificare*. 1. Liquet ex famosa illa per id tempus controuersia Iudæos inter & Samaritanos: Vbinam esset adorandum ? id est, vbi Dei cultus summus sacrificijs exhibendus? De ea *Iosephus Antiquit. l. 11. c. 8.* Pertendebant Samaritani, in monte sacrificandum ; vbi *Gen. 22.* Iacob immolasset : vbi *Deut. 33.* benedictiones erant promissę legem obseruaturis. At Iudæi contra; Ierosolymas Deum ad Sacrificia delegisse. Nam priuata cuiusque adoratio non erat alligata loco; vt illa Sacrificialis.

2. Adhæc Gen. 12. *Manete hic in pede montis ; veniemus statim atque adorauerimus*, id est, Sacrificauerimus, Ioan. 21. *Venerunt Ierosolymam ad adorãdum.* Id est, ad Sacrificandum.

II *Ratio prima.* Ab exordio Ecclesiæ fuerant altaria. Heb. 13. *Habemus altare, de quo edere potestatem non habent, qui tabernaculo deseruiunt.* Græce est θυσιαστήριον. Et S. Patres, Dionys. Tert. &c. altarium meminerunt. Sed altaria sunt pro Sacrificijs, ac Sacerdotibus. Nam sunt ea relata, quæ se mutuo ponunt ac tollunt. *Caluinus l. 4. Instit.* audet impudenter sic scribere contra Apostolum : *Dedit nobis Mensas ad manducandum ; non altaria ad sacrificandum.*

Secũda ratio. Sacerdotium est Ordo virorum, Deo ad Sacrificandum consecratorum. Estq; perpetuum Sacerdotium in Ecclesia: ergo & Sacrificium, Antecedens liquet ex Isa. 66. *Assumam ex eis Sacerdotes & Leuitas.* Quales? sicut *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Ps. 109. At Iudæorum Sacerdotium non erat futurum æternum. Ergo aliud; nempe Christianum. Ergo in hoc, etsi Christus summus sit Sacerdos; esse tamen debet Ordo virorum ad hoc Deo consecratorum, vt sacrificent.

Tertia ratio. Nulla fuit vnquam gens, aut religio sine Sacrificio, id est, supremo adorationis cultu ac ritu ; vel inde vsque ab orbe condito , in lege naturæ, Abel, Noe , Abraham , &c. Ergo & in Religione Christiana esse Sacrificium debet. Cur non debeat, ratio sufficiens dari nequit.

PARS VI.

SS. Patrum consensus, & vsus idem euincunt.

QVid : quod huc vnanimis omnium *SS.* Patrum consensus incumbat; qui & ipsi Sacerdotes magni Missas celebrarunt? Mirificis ij titulis, Aræ sacrificium extollunt. Chrys. hom. 6. ad pop. Ant. vocat *terribile, & plenum horroris.* Euseb. l. 1. Epist. 3. *Sacrificium plenum.* Cypr. *Plenum, & Verum.* Augustinus: *Supremum & verissimum.* Dion. Areop. *Mysterium cœleste, Oblationem sanctissimi Sacrificij, augustum, & sacratissimum mysterium, &c.*

1. Atque id, qui instituit, Ipse & celebrauit primus Iesus. 2. Deinde Apostoli confestim ipso Pentecostes die, post acceptum Spiritum Sanctum, *teste Hesychio in cap. 9. Leu.* Et Act. 2. *Erant perseuerantes in doctrina, & communicatione, & fractione panis, & orationibus*; i. e. in celebratione Missæ. *Act. 13.* Omnes sacrificarunt Apostoli, quando Paulum & Barnabam elegerunt Apostolos, λειτουργούντων αὐτῶν sacrificantibus ipsis.

3. Dein Petri Successores Pontifices Romani omnes Sacrificarunt : & vox

Missa

Missa in eorum scriptis vsurpatur. Extant & conscriptæ nonnullorum Missæ. Thelesphorus Papa instituit sub annum 277. in Natiuitate Christi tres missas patrari à quoquo Sacerdote. Syluester, sub annũ 343. vetuit ne in loco non consecrato celebraretur.

Concilia quoque Missæ meminerunt. Vt Carthaginense c. 2. *Reconciliare quenquam in publica Missa Presbytero non licet.*

Quare Missa est verum Sacrificium; mortis Dominicæ repræsentatio & commemoratio; thesaurus meritorum Christi; Eius victoriarum tropæum: omnis diuini cultus apex & cõpendium; Christianæ religionis fulcrum. Ibi Iesus pro nobis orat: *Pater dimitte eis: quia nesciunt, quid faciunt.*

CONCIO VNDECIMA.

De eodem missæ Sacrificio.

MIRABILE MIRABILIVM.

Tu es Sacerdos in æternum secundum Ordinem Melchisedech.
Psal. 109.

ABrahæ, *Gen.* 14. deuictis Regib. quinque domum reuertenti, Melchisedech, Rex & Sacerdos Altissimi in lege naturæ, panem & vinum, in gratiarum actionem de obtenta victoria, offerens Deo; obuiam processit. Ita Dominus IESVS, postquam fecit, vt dixit: *Confidite ego vici mundum.* Ioann. 16. Panem & vinum consecrauit in Corpus ac Sanguinem suum, Deoque Patri obtulit Sacrificium. At postquam etiam in cruce Victor partes aduersas profligasset omnes: certatim *Sacerdotes Sacerdotis* ipsius *in æternum* obtulerunt, offerunt, offerentque *in æternum secundum Ordinem Melchisedech.*

Nos breuiter de eodem

I. *Fuisse semper, esseque oportere Sacrificium.*
II. *De Substantia Missæ.*
III. *De perennatione Missæ cum Ecclesia.*
IV. *De blasphemantibus Missam; & eam celebrantibus.*

PARS I.

Fuisse semper, esseque oportere Sacrificium.

I. NVlla gens extitit tam barbara vnquam; quæ, cum Deum aliquem colendum esse putarit; quin eidem continuo Sacrificium decerneret: Sacrificio autem Sacerdotium assignaret. Idque adeo naturæ inditum est ipsi, atque impressum. 1. Gen. 4. *Abel obtulit de primogenitis gregis sui.* Ecce in prima naturæ generatione. 2. In secunda, Gen. 8. *Aedificauit Noe altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus, & volucribus mundis, obtulit holocausta super altare.* 3. In tertia, Abraham adeo frequens Deum colebat Sacrificiis solennibus, vt demum, iubente Deo, nec filio parcendum crederet immolando. *Gen.* 22. 4. Quis Iobo in propitiatoriis Sacrificijs extitit religiosior? *Iob.* 2. 5. Legis Mosaicæ tempora fileo; quibus ex continuo plurimorum Sacrificiorum fumo vmbræ, quam diei, plus fuit. 6. Eliæ Sacrificio quid vel admirabilius, vel terribilius? 3. *Reg.* 18. Ignis cœlo ruit; exurit aquas, victimas, aræque saxa: Baalitas exanimat, dein occisos. 7. Samuel, Dauid Salomon: alijque sexcenti quantas hecatombas immolarunt? Nihil in vllo æuo aut frequentius, aut solennius, aut Sanctius fuit habitum; quam ipsum hoc *Sacrificare.*

1 *In Lege Naturæ.*

2. *In lege Mosaica.*

II. At vero postquam Rex Regum, & Sacerdos Sacerdotum Christus Iesus se Patri ipsum obtulit: continuo orbe toto nil eodem fuit Sacrificio vel diuinius,

3 *Ergo & in Christiana.*

vel celebrius. 1. Obtulerit filiam Iephte ex voto; *Iud.* 11. 2. Filium Abraham ex obedientia: *Gen.* 22. 3. Pythagoras, ob vnam in Matheſi repertam figuram, hecatombas: Nil iſta, vel quæuis alia, ad hodiernum, ac æternum Chriſti ſacrificium ac Sacerdotium ſecundum ordinem Melchiſedech.

PARS II.

De ſubſtantia Myſſæ.

Miſſa eſt vox non græca.

I. MIſſa vox græca non eſt. Ideo in N. T. repetiri non eſt; quod græce conſcriptum eſt. Eius loco tamen Græci vtuntur voce λειτουργία, quaſi dicatur: publicum miniſterium.

Nec hebraica.

2. Nec eſt Hebraica: Nam Syri & Maronitæ, hodieque miſſas celebrantes, eadem voce vterentur: & Eccleſia ipſam vſurparet, ſicut illas: *Amen, Alleluia; Sabaoth, Oſanna, Paſcha.* Nec Patres hebraice callentes optime, vt Orig. Tertull. Iuſt. Epiph. Hier. eam frequentarunt.

Sed latina.

II. Eſt ergo vox latina: ſic dicta, à populo dimiſſo; poſt Rem diuinam peractam. Significatq; totam Cœnę actionem cum omnibus cæremoniis.

Eſt ſacrificium, & Sacramentum.

Eſt ea vere Sacrificium; quoad Deum, cui offertur: ſimul eſt & Sacramentum; quoad homines, quos nutrit. 1. Ita & Agnus Paſchalis, *Exod.* 2. prius immolabatur: dein ſumebatur communiter. 2. Vt igitur orbis totus Arctico, & Antarctico polo ſuſtentatur: altero que remoto machina omnis diſſolueretur: ita Religio, iſtorum altero ſublato.

3. Eſt Euchariſtia, vt mirabilis Seraphin, *cuius facies leonis, & facies hominis.* Ezech. 1. Pluſquam Seraphica eſt duobus ſuis reſpectibus illa.

4. Produnt Scriptores, in Alpibus herbam progigni biramem: ſi quæ fera alterum abedat ſolum, eam emori: ſi vtrumque depaſcat ramuſculum, lædi nihil: Ita in montibus Eccleſiæ Euchariſtia bimembris eſt vna: Si cum feris hæreticis ſolum eſſe Sacramentum affirmes; peccas hæreticus. Qui & Sacrificium & Sacramentum eſſe credit, ac colit; vita viuet.

Eius ſubſtantia immutabilis eſt.

III. Miſſæ autem ſubſtantia conſiſtit in Conſecratione, Oblatione, & Sumtione: Cætera omnia meræ ſunt cæremoniæ, ad excitandam pietatem, ac commemorationem Dominicæ Paſſionis. Proinde hæ mutari poſſunt ab Eccleſia: illa tria nequaquam. Eſt autem Sacrificium incruentum, cruenti in Cruce repræſentatiuum. Rom. 6. *Iam enim amplius Chriſtus non moritur: mors illi vltra non dominabitur.*

Ieſus eſt Sacrificus.

Deinde Ipſe IESVS eſt, qui ſacrificat; miniſter vero ſolum inſtrumentum. Sicut *Ipſe eſt, qui baptizat*: ait Auguſtinus. Vnus enim tantum eſt Summus Pontifex IESVS Hebr. 9. At *Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti.* 1. Cor. 4.

Miſſæ valor.

Atque inde Miſſa, ab nequiſſimo Sacerdote peracta, tanti eſt; quanti ſi Sanctus Petrus eam celebraſſet: quoad opus operatum. Quid pretium dabat hircis pro peccato oblatis? Dei æſtimatio. *Leu.* 16. Duo hirci iubebantur educi: Alter ſacrificabatur cæſus: alter liber dimittebatur in deſertum. Ita Chriſtus Sacrificium primum fuit cruentum: At in ara liberum à cruentatione. Idq; tanti, quanti eſt pretij IESVS. Atqui hoc pretium eſt reale; non ſolius æſtimationis, aut imputationis diuinæ.

PARS III.

De perennatione Miſſæ cum Eccleſia.

Sacrificij Crucis infinita ſunt merita.

I. DIces: Sufficiebat Sacrificium Crucis; vt cuius infinita ſint merita. At, *inquam*, fruſtra eſt theſaurus, cuius non eſt vſus. Itaque parata in cruce merita; reſtant ea merentibus applicanda. Id quod

are requiritur ad merita applicanda.

quod fit per vsum Sacramentorum; quę hoc fine instituit Dominus: in quibus princeps Eucharistia. 2. Neque vita functis vllo queunt illa Sacramento applicari: possunt autem Sacrificio. 3. Adhæc oportuit esse in lege noua Sacrificium; sicut in Mosaica, & naturali fuerat. At ea pro viuis, proque defunctis offerebatur. Ergo.

Sacrificiũ & Sacerdotium nouũ debet æternare cum Ecclesia.

Esto frendant hæretici: quia nec blasphemare verentur. Vt tigres, & elephanti Sanguine viso: sic isti hoc audito Sacrificio efferascunt. Sed si Iesus *est Sacerdos in ætern. secundum ordinem Melchisedech*, necesse est & Sacerdotium æternum existere; itemque & Sacrificium. Si igitur æternus ille Sacerdos ante suam Incarnationem curauit, vt in omni lege, ac gente Sacrificium esset: quod homines illi administrarent; non magis idem in lege gratiæ deseruit, quam suammet æternitatem.

Sic figuræ decent.

II. Cui stabiliendo 1. à Figuris sic ratiocinor. Necesse est Scripturas & Figuras Vet. Testamenti in Nouo adimpleri; & sic, vt figuris figuratum respondeat. Sed illæ prænotant iuge Sacrificium. Quia & ipsæ ipso actu iugiter durauerunt ad vsq; tempus figurati. Ergo necesse est & hoc durare similiter re ipsa actuale.

Sic Prophetia.

2. Ex Prophetis ita: 1 *Regum* 1. Prædictum est Heli, desiturum Iudaicum Sacerdotium: aliudque successurum quod *cunctis diebus* perduraret cum suo Sacerdote. 2. Ita Malachias 1. *A solis ortu vsque ad occasum in omnibus gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur Nomini meo Oblatio Munda.* Quod de Sacrificio Crucis nequit accipi: nec de Iudaico: quia hoc non *in gentibus*. 3. Daniel quoque *cap.* 8. docet, iuge Sacrificium ab Antichristo fore tollendum: at nullum restat tollendum è medio, nisi hoc Missæ. Ergo Idem eo vsq; perennabit.

PARS IV.

De blasphemantibus Missam, & eam celebrantibus.

Hæreticæ blasphemiæ.

I. HAnc Melanchton appellat incantationem: Caluinus Magiam: Brentius diaboli commentum: Lutherus contra hoc scripsit anno 1520. Captiuitatem Babylonicam: anno 1521. librum de abroganda Missa priuata: anno 1522. contra Regem Angliæ: anno 1523. contra Canonem: anno 1528. scribit, nil perinde se pœnitere, quam quod vigintiquinq; annis Missas celebrarit: anno 1534. fatetur sibi videnti vigilantiq; cacodæmonem inuictis argumentis Missam dissuasisse; ac, vt abrogaret, persuasisse. Quid eius asseclæ?

Ecclesia nõ defecit in Missa ad idololatriã.

Blaterant, à mille iam, & amplius, annis institutam ab Gregorio esse Missam, errasseque Ecclesiam, ad idololatriam prolapsam.

At 1. Ergo Sponsam Christus amisisset. 2. Et falsum istud; Matth. 16. *Portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* 3. Mentitus Virgini Gabriel fuisset; Lucæ 2. *Et regni eius non erit finis.* 4. Pseudopropheta foret Paulus; Quod Dominus nec fallere, nec falli possit; Quodq; fundamentum, & columna veritatis sit Ecclesia. O impias blasphemias! 5. Itan' tot, tantosq; tot sæculorum viros, qui & audierunt, & patrarunt Missas; idololatriæ, vt sacrilegos, insimulari? Id abominationem appellare; quod totius est Religionis sanctimonia ac firmamentum?

Missæ institutio, & continuatio.

II. Quam Sacram actionem Mysterij instituit primus, ac perpetrauit CHRISTVS, *pridie, quam pateretur*, Luc. 22. Iussitque, *Hoc facite*. 2. Eam & frequentarunt Apostoli λειτουργουντων αὐτῶν: *Act.* 13. 3. Item Apostolici. *S.* Ignatius Epist. ad Trallien. affirmat *S.* Petri fuisse Diaconos Missæ ministros Clementem, &

Anacletum: Pauli Linum, & Timotheũ; Iacobi Sanct. Stephanum Protomartyrem. 4. Extat Liturgia S. Iacob. 5. S. Andreas, cum à Proconsule ad Sacrificia inuitaretur, respondit: *Ego quotidie Sacrifico Agnum immaculatum.* 6. Quid Patres memorem? Hieron. Augustinus, Ambrosius, &c. Missas opere, voce, ac stylo celebrarunt. In quos inde, quicquid vel Sanctitatis, aut facultatis vnquam habuerunt, promanauit.

Beati cultores Missæ pii.

III. Vt illi quoque mihi esse beati videantur appellandi, qui ea Missis interfunt cum religione; vt sibi Passionem Christi ob oculos obuersari credant. Id quod vel ipse Sacerdotis habitus sacer apprime repræsentat. Quo etiam orationis zelus haud mediocriter extimulatur; vt ea per omnes quasi declinationis ducta casus exerceatur ad comprecandum pro se ipso; pro Genitoribus; pro Datis, ac benefactoribus: pro Accusatoribus inimicis: pro Vocatis, Vocandis & ad Ecclesiam infidelibus; pro *A*fferentibus iniuriam, & Auferentibus vi, dolo ve malo quæcunque ad tuum dominium attinebant.

APPENDICVLA

DE VNA, ET VTRAQVE SPECIE EVCHARISTICA.

FAS MIHI TRIA FARI, AC præfari,

Studiose Lector.

I. *CAetera de Eucharistia ex Besseanis Conceptibus reddidi pleraque: sed parum is de Communione sub Vna specie, vel vtraque.*

II *Istaq; ille diligenter, vt in Gallia: vbi cauterium inusti Caluino lilii multorum flagrat in anima. Atq; vtinam non etiam, (heu nimium quantum) nostra in Germania.*

III. *Quia autem per celebre nomen Bessei hoc meum ex Ipso Opusculum per manus distrahet plurimas: & plerisq; in locis de Communione sub Vtraq; Specie docendi non parua occurrit necessitas: erit, ni fallar, subiectæ appendiculæ non minor vtilitas. Et tanto gratior, quo plura paucis mea lucide exhibet compendiosa breuitas. Ergo pedem nunc pedi.*

PRIMORDIVM INFOELICIS Controuersiæ.

I. SVb annum Domini M. CCCC. XII. *AEnea Syluio teste in historia Bohemorũ,* extitit Pragæ Petrus quidam Dresdensis; qui ex illo Ioan. 6. *Nisi manducaueritis Carnem filii hominis, & biberitis eius Sanguinem, non habebitis vitam in vobis*: miratur, contra præceptum hoc Vsum obtinere Ecclesiæ, populum sub vna duntaxat specie communicantis. Itaque Iacobellum, Pragæ Concionatorem inducit, vt idem cum ipso sentiret, ac pro concione populum informaret. Fit: populoq; perplacuit. Et ex hoc ouo prodiit in Boemiam innouata hæresis Hussitica.

Successit Lutherus, in quepeius indies profecit. 1. Negabat, se consuluisse vnquam, peruulgari vtramque, nisi ex Concilii decreto. 2. In Assert. art. 2. ait: *Consultum mihi videtur nunc, vt non modo Concilium: sed per quamque diœcesim quilibet Episcopus etiam inuito Papa, Christum secutus in Euangelio, rursus vtramque speciem laicis daret.* 3. In Formula Missæ. *Si quod Conc. statueret, & permitteret vtramque speciem; nos nequaquam vtraque vti vellemus: sed in despectum Concilii, eiusque statuti, aut vna, aut neutra, & minime vtraque vti vellemus: Maledicturi vniuersos, qui ex potestate, aut statuto Concilii vtraque vterentur.*

Quo ad Communicantes similiter *impietas impii ascendit semper.* Nam 1. docuit, necesse non esse, laicis vtramque porrigi. 2. *In Capt. Bab. c. 1.* Cogi posse Sacer-

Sacerdotes ad vtramque laicis præbendam poscentibus vtramque. His tamen liberum esse, vnam, vtramque, vel neutram sumere. 3. *In Assert. art.* 3. ait: Qui vtramque nequiuerint impetrare, si omittant desiderare; impios hoc ipso Christum abnegare. 4. Demum vnam speciem penitus condemnat.

Nos in rem præsentem breuiter

I. *Totum esse Christum sub vna specie separatim.*

II. *De Eucharistiæ Institutione & Præcepto.*

III. *De Vsu vnius Speciei in Emaus.*

IV. *De Vsu eiusdem Apostolico.*

V. *De Vsu & Praxi Ecclesiæ.*

VI. *De Fructu Eucharistico quid Lutherani, & Caluiniani.*

VII. *Obiectiones hæreticæ de Præcepto Institutionis.*

IIX *De digna ad Eucharistiam accessione: an, & quæ necessaria?*

PARS I.

Totum esse Christum sub vtraque specie separatim.

TOtus sub vtraq; Christus adest specie in Eucharistia. Neque id tam vi verbi significatiui istius: *Hoc est Corpus meum*: quam Effectiui Eiusdem: vt ad ꝙ effectiuum Corporis, sequitur Concomitantia Sanguinis, & Animæ; (ob Naturalem eorum vnionem:) & Diuinitatis: ob vnionem hypostaticam. Vis etiam Verbi significatiua, est item optime repræsentatiua mortis Dominicæ. Quippe sicut in hoc Corpus ab Sanguine & Anima separatum fuit; ita verborum quoque significatus idem intellectui repræsentat.

Fundamentum asserti primum est. 1. Ioa. 4. *Omnis spiritus, qui soluit Iesum, ex Deo non est: & hic est Antichristus.* Atqui soluunt Iesum, qui Concomitantiam Partium negant: vt irrisores eius Caluinistæ, qui & totius abnegant Præsentiam: Vtq; Lutherani, id est, *Sacramentarii*: qui tamen Præsentiam admittunt: sed diuisam, vt sit Corpus exanime, exangue: Calix solum sanguis, cæterum sit excorpor, & inanimis. 2. *Vbiquitarii* concedunt Concomitantiam: & tamē postulant vtramque speciem, veluti præceptam. 3. *Molles*: Vt Phil. Mel. in Aug. Conf. Apolog. art. 10. dissimulant hanc quæstionem: postulant vtramque speciem. Ergo *hi sunt Antichristi.*

Concomitantiam vero in simili percipe. Vt in pomo inest color, odor, sapor, quantitas, substantia: Sic cum Corpore Christi est Sanguis, Anima, Diuinitas. Nec tamen oculi pomum cernunt totum; sed colorem solum. Quia vero color cum cæteris realiter coniunctus est; totum videri pomum censetur: idq; per naturalem concomitantiam. Ita & in Corpore Dominico.

Alterum Fund. Io. 6. *Qui manducat me, viuet propter me.* At manducatur inspecie Panis: ergo in hac totus adest. *Nam* Ego ait, *sum Panis viuus, qui de cœlo descendi.* Et *Hic est Panis, qui de cœlo descendit.*

Tertium Fund. Matth. 26. *Hoc est Corpus meum*; Et viuum. Quia Rom. 6. *Christus resurgens ex mortuis, iam nō moritur: mors illi vltra non dominabitur.* Et indiuisum. Quia Ioan. 1. *Verbum Caro factum est*, id est. Humanitati est hypostatice vnita Diuinitas inseparabiliter: *Sic* vt, vbi est Corpus Christi, sit ibidem & subsistentia eius: at aliam non habet, nisi diuinam: hæc autē est idem re cum diuina Essentia: Atqui diuina Essentia & Subsistentia separari non possunt: ergo nec à Corpore Christi. Neq; Corpus potest amplius separari ab anima & Sanguine: quia hæc mors esset ipsa. Ergo vbi Corpus Christi; ibi totus est Christus.

Quar-

Quartum Fund. Huc vnanimis SS. Patrum omnium incumbit consensus: sensusq; Ecclesiæ omnium retro sæculorum.

Accedunt miracula, hostiarum sæpius sanguine manantium.

Et hæreticorum argumenta sunt ventosa, vana, meraq; crepitacula. *Bell. t. 3. l. 4. c. 21.*

Eucharistia bifariam attendi potest, 1. Vt Sacrificium. 2. Vt Sacramẽtum. 1. Sicut Sacrificium: Iam in vna specie non habetur perfecte Sacrificii ratio: sed vtraque necessaria est. 1. Quia id est imitatio Sacrificii in Cruce peracti: proin debet Corpus mortuum, & Sanguinem effusum repræsentare. 2. Debet esse in Sacrificio reipsa, quod fuit in typo Melchisedechano, panis scil. & vinum, *Gen.* 14. Cum Christus sit Sacerdos secundum Ord. Melch. *Ps.* 109. 3. Sacrificium ordinatur ad remissionem peccatorum: Sed sine hac non fit remissio. *Heb.* 9. 4. Ideo Ecclesia nunquam est passa sacrificari sub vna. Duarum itaque specierum necessitas pertinet ad Sacrificium, non ad Sacramentum.

2. Si Eucharistia consideretur vt Sacramentum; tam sub vna totus, quam sub vtraq; Christus adest specie: vi concomitantiæ dictæ. 1. Quia in vna specie est perfecta & tota ratio Sacramenti, significans Refectionem internam animæ: & vnionem fidelium inter se, & cum Christo. 2. Quælibet species propriam habet & formam, & materiam. Nec vna species dependet ab alia, vt sit Sacramentum. 3. Figuræ V. T. quæ Eucharistiam spectabant vt Sacramentum, in sola specie manducabili consistebant; Vt Lignum Vitæ in paradiso, Panis propositionis, Agnus, Manna. Cuius dum IESVS, *Ioan.* 6. meminit, de potu silet. Atqui figuratum respondere figuræ debet: Ioann. 19. *vt impleretur Scriptura*: Satis in præsens ista ad propositum quæ desiderabuntur reliqua, Partes dabunt secuturæ. Vnum pro symbolo addo Simile: sed rem quod declarat apte.

Si tibi legatum; quod idem duplici codicillo scripserit testator. Datur alter tibi codicillorum solus: quid desideras amplius? Rem tenes: Testamentum habes: altero quo indiges? Accipias tamen; at nihilo plus hæreditatis capies. Negetur alter: de re nec hilum perdes.

4. Sicut, Exod. 16. *nec, qui plus* (mannæ) *collegerat, habuit amplius: nec, qui minus parauerat, reperit minus: sed singuli iuxta id, quod edere poterant, congregauerunt.* Quo beatiores Catholici; infeliciores aduersarii. Nam quo illi cunque modo communicent, totum percipiunt; hi Lutherani diuisum seu mortuum; hoc est, nullum; vmbras captant Caluiniani.

---- *Vtrique polo debentur eidem.*

PARS II.

De Eucharistiæ Institutione, & Præcepto.

FOntes errorum, ac querelarum partis aduersæ, quas circa Vsum Eucharistiæ sub vna, seu vtraque Specie mouet, duos comperio. Alter est opinantium, quod idem sit Sacramenti *Institutio*, & *Præceptum*. Alter; quod Specierum alterius ab altera diuisione facta, ipsius Christi fiat diuiso dimidiati. *Fontes errorum.*

Quod primum attinet; Est in ipso limine impingere; sic ratiocinari. Quidquid Dominus *Instituit*, & quo modo; id ipsum quoque præcepit. Sed Eucharistiã *instituit* sub Vtraque: Ergo & *Præcepit*. Propositio bimembris est, de Re, & Modo rei: & vtrinque falsa. Vera assumtio. Conclusio falsa.

1. Quod ad Rem. Non id omne præceptum est, quod institutum à Domino. *Non quod à Deo instit.*

Aliud

Aliud, est Præceptum.

Aliud enim est Institutio per se sola : aliud Præceptum. Illa rei duntaxat, quæ non fuit initium introducit, formamque constituit : hoc eiusdem necessitatem imponit. Sunt autem complura, quæ instituit Dominus, vt iusta, & cuique salutaria; quæ tamen non præcepit, vt omnibus necessaria. Cuius sunt generis Consilia Euangelica ; Matrimonium, Ordo Ecclesiasticus: officium prædicandi, baptizandi, ægros inungendi, &c. Ad hæc talia, etsi instituta pro cunctis, non cuncti tamen ex præcepto attinentur. Quia, non, quæ omnibus salutaria creditu, sunt item omnibus necessaria factu, vel obseruatu.

Nec cuiusquam institutionis diuini modus est semper necessarius.

2. Quoad modum rei, dices. Nō teneātur quilibet ad quælibet Instituta Christi: attamen, qui quod cunq; apprehenderit sponte vsurpandum : is idem ad Institutionis modum vsurpare tenetur. Ergo, qui communicant, tenentur ad formam Institutionis obire Synaxin.

1. Quid? inquam. Si Antecedens vniuersè verum, iam cuique vxorem ducere instituēti necesse foret è sua sibi costa sponsam efformare. Nam eum ad modum Deus in Matrimonii institutione fecisse proditur.

2. Et vero vel in ipsa Eucharistiæ Institutione an non vsurpabātur & ista: Quod in domo priuata, non in templo : quod vesperi : quod lotis ante pedibus Discipulorum : quod non ieiunis, sed bene prius, religioseq; pastis omnibus administrata fuerit Eucharistia ? Et ea quis etiamnum obseruatu necessaria, atq; præcepta esse affirmarit ? Atqui sunt in Institutione: neq; tamen in præcepto.

In quoquo Instituto vim substantialem, &

II. Quare nemo non videt: ea inter sese discernenda esse, idque bifariam: quæ in Sacramenti institutione vsu venisse accepimus. Vt alia statuas pertinere ad Substantiam seu Essentiam rei institutæ: ad Circumstantiam, seu Accidens alia. 1. Vnde sic ratiocinandum est. Quæcunque ad cuiusque Dominicæ Institutionis substantiam pertinent : eadem vsurpanti institutum ipsum sunt obseruatu necessaria : non, quæ quamlibet attinent circumstantiam. 2. Sicut baptizaturus vtatur necesse est materia aquæ naturalis, & verborum forma: Nam in his substantia baptismi consistit. Quod ad circumstantiam, & materiæ quidem, necesse non est vt aqua sit Iordanis, eo quod in hoc sit baptizatus Dominus : nec interest, pluuialis, fluuialis, fontana sit, an stagnans: vna, an trina immersio : Formæ autem idioma latinum sit, an aliud.

Accidentalia. Id necessarium non hoc.

Vt in Baptismate.

Ergo similiter in Eucharistiæ Instituto quæ substantiæ sunt ; nō quæ circumstantiæ, necessaria sunt obseruatu. Iam vero in Eucharistia Ipse Christus totus, vere, realiter ac substantialiter præsens sub symbolo, est ipsa substantia: At, Vnum sit, aut geminatum symbolum ; id circumstantia est vtrumque : modo adsit alterum. Ac proinde ea neque necessaria est absolute ad substantialem integritatem Sacramenti. Ratio est duplex. Prior. Quia vtraque non est præcepta à Domino; licet instituta. Posterior. Quia vnam licite vsurpari euidenter conuincimus.

In Eucharistico similiter.

In hoc specie est vtraq; nō est in Præcepto.

Non est præcepta. 1. Quia ipsa institutio, non est Præceptum: vt liquet. 2. Nec in Institutione sunt addita verba, quæ vtramque præcipitant. 3. Nec alibi vsquam præceptum reperire queunt aduersarij. Ergo.

Aduersarij autem sunt Hussitæ, Lutherani, Caluinistæ.

Hæretici certant se cū, & sub iudice lis est adhuc.

Hussitæ quærunt præceptum, Ioan. 6. *Nisi manducaueritis Carnem Filij hominis, & biberitis eius Sanguinem : non habebitis vitam in vobis.* At pernegant Lutherani toto eo

capite vel apicem loqui de Eucharistia. Ergo quærunt præceptum in eo. Luc. 22. *Hoc facite.* At repugnat iis Caluinus cum Gallicanis Caluinistis, pertendens; solis id Laicis dictum. Ergo is quærit mandatum in istis, Matth. 26. *Bibite ex eo omnes.* At hoc ad solos pertinuisse Apostolos, declarat Marcus, dicens: *Et biberunt ex eo omnes.* Hæc pluribus infra Parte IX. Quare se ipsi mutuo destruunt: & nos confirmant.

Orthodoxi Veritatem docent: 1. Ex Dictis Domini.

Nam, Si *Ioan. 6.* agitur de Eucharistia: (Vt vere docent Orthodoxi, & assentiuntur Caluinistæ Gallicani, cum Hussitis) Ergo ex dictis Christi licet Vna species; prodestque tantum, quantum vtraque. Nam *Si quis manducauerit ex hoc Pane: viuet in æternum.* Si non agitur: ergo temerarij sunt omnes; Hussitæ quidem, astruendo hoc dogma inde, vbi nulla de eo mentio: Lutherani item & Caluiniani; idem dogma tamen amplexando.

PARS III.

De vsu vnius speciei in Emaus.

2. Ex facto Christi in Emaus.

I. DIctis ergo Christi, *Ioann. 6.* de vna specie consonum est Factum eiusdem, *Luc. 24.* Nam discipulos in Emaus communicauit sub vna. Vt Phil. Melanchton, in Confess. Augustan. pluresque alij confitentur. Et constat 1. Consensu

Id docetur 1. Patrum consensu.

SS. Patrum. *Augustin lib. 3. de Consensu Euang. cap. 25. & sermon. 146. de Temp. Et Epist. 59. q. 8. Autor operis imperf. hom. 17. in Matth. Theoph. in cap. 24. Lucæ. &c.* Hieron. in epitaphio Paulæ: vbi sic: *In fractione Panis cognitus Dominus Cleophæ domum in Ecclesiam dedicauit.*

2. Textu.

2. Constat ex textu Luc. 24. *Et factum est:* quid? Magnum & nouum. *Accepit Panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis.* Verbis ijsdem idem factum describitur Matth. 26. *Accepit panem, benedixit, fregit, deditque Discipulis suis.* Atqui hæc intelliguntur de Eucharistia: cur non & illa? Bis igitur eam instituit Dominus. *Semel pridie, quam pateretur,* sub vtraque, datam Apostolis Sacerdotibus: Iterum, die Resurrectionis, sub vna, datam laicis discipulis in Emaus.

3. Constat ex effectu. Nam aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt eum. Vnde: ex sumptione Panis Eucharistici. Sic Augustinus libr. 3. Cons. Euang. *Accipimus hoc impedimentum in oculis eorum à Satana factum fuisse. Sed tamen à Christo est facta permissio vsq; ad Sacramentum panis: Vt Vnitate Corporis eius participata, remoueri intelligatur impedimentum inimici, vt* CHRISTVS *possit agnosci.* Theoph. *Oculi eorum, qui Benedictum Panem assumunt, aperiuntur, vt agnoscant illum. Magnam enim, & indicibilem vim habet Caro Domini.*

3. Effectu.

II. Dicent. Factum in Emaus quidam *S.* Patres negant fuisse Eucharisticum. Ergo, inquam: negent. 1. Non tamen ijdem idcirco negant Communionem sub Vna. 2. Nec id interpretantes de vna istos arguunt hi de hoc, quod senserint Communionem sub vna licere.

1. Patrum defendisto, tur consensus.

3. Vere inde liquet, dictos *S.* Patres credidisse, Communionem sub Vna iure diuino prohibitam non esse: siue Christus dederit eam in Emaus sub vna; siue non. Probent igitur hæretici, Patres istos errasse. Interim omnis illis ætas, & Ecclesia consentit, consciscitque.

Dicunt porro: Marc. 6. Similia referuntur in multiplicatione quinq; panum. Nam *accepit, intuens in cœlum, benedixit, & fregit panes, & dedit discipulis suis, vt ponerent ante eos.* At hæc non intelligenda sunt de Actione Eucharistica: ergo nec illa in Emaus. Sequela negatur. Quia 1. nullus vnquam *S.* Patrum id factum, *Mar. 6.* interpretatus est, vt Eucharisticum: sed vt merum miraculum. At in Cœna edixit: *Hoc est Corpus meum.*

2. Textus.

In E-

3. Effectus. In Emaus, effectus ipse, & Patres declarant esse Sacramentum, non miraculum. Quod autem hæretici comminiscuntur, vsum Dominum singulari modo frangendi panem, ac si cultro sectus esset; fabulæ sunt & logi. Alij confitentur fuisse Sacramentum; sed synecdochicῶs sub vna specie intelligi & alteram. Sed quo probant? Dicunt: & hoc tantum.

4. Sacrificatio sub vna tantũ. Obijciunt: Si in Emaus dedit vnam Dominus: ergo & vnam solam consecrauit: sed hoc apud Romanos est factu nefas. Respondeo. Ex natura rei potest vna consecrari sine altera. Idque in Emaus factum. At ex Iure Ecclesiastico non licet.

PARS IV.

De vsu vnius speciei Apostolico.

Ex vsu Apostolorum liquet 1. Testimonio vno. I. APostoli quoque Dictum, Factumque Domini sunt imitati. 1. Act. 2. *Erant perseuerantes in doctrina Apostolorum, & Communicatione fractionis Panis, & Orationibus.* Hic agi de Eucharistia fatentur hæretici. Luth. ser. de Euch. Kemn. p. 2. Exam. Calu. 4. Inst. ca. 17. §. 35. & alij Liquet.

1. Quia Fractio Panis coniungitur cum doctrina & Oratione, tanquam res sacra cum rebus sacris. 2. Syriace legitur: *Et cõmunicabant in precibus, & fractione Eucharistiæ.* Vt fatetur Beza, & Plessæus. 3. Sermo est ibidem de primum conuersis ex Petri concione Neophytis. Vnde mos: istis statim à Baptismo dari S. Synaxim. 4. Parua laus primitiuo Christianorum zelo fuisset perseuerare in cibo corporali.

2. Ità alterum. 2. Actor. 20. *Vna Sabbati cum conuenissemus ad frangendum Panem, &c.* Et hic agi de Eucharistia fatetur Caluinus, Beza, Kemnitius p. 2. Exam. 2. & alij. Et liquet, 1. Quia illa prima Sabbati erat Dominica, ait Iust. Apol. 2. & Aug. epist. 86. qua Fideles communicabant. Atqui nulla ibi mentio calicis. Ergo sub vna est communicatum.

Synecdochici reiiciuntur vngiuẽdum. Istud: *Per Synecdochen* sũbaudiri calicem: Figmentum est. 1. Pari enim modo affirmes: Dominum in deserto vini etiam cados aliquot multiplicasse cum pane. 2. Deinde cum Lucas ter solius panis in vsu Eucharistiæ meminerit, incredibile fit in re tanta ipsi synechdochicῶs loqui libuisse.

3. Additũ fidelium. 3. Demum Iudæi, vt recens conuersi, in multis seruabant Legem Mosaicam: Patet Act. 21. *Videt frater, quot millia sunt in Iudæis, qui crediderunt: & omnes æmulatores sunt Legis.* At ex Lege abstinebant in sacrificijs à sanguine & vino.

4. Adde: quod ex ijs multi essent Nazaræi, qui ex voto nunquam bibebant vinum. Act. 18. & 21. Et tamen *erant perseuerantes in fractione Panis*: ergo solius.

Corinthij amantes calicis. 5. Quod autem in Corinthiorum cõmunicatione Paulus vtriusq; speciei meminit; causa est; Quia ipsi ante ethnici consuerant vti *calice dæmoniorum.* Quo libentius communicarunt sub vtraq; dein conuersi.

Problema. II. Anne igitur & Apostoli consecrarint vnam tantum sacrificantes? Non id quidem; inquam, necesse fuit: Illis tamẽ licebat, & exemplo Domini in Emaus, & Natura Rei, & Formula Institutionis libera, quoad vnam vel vtramq;. 2. Nec solis ijs sed Innocentius VIII. Noruegis permisit absq; vino sacrificare: teste *Volat. lib. 7. Geographiæ.* Nam in iure Canonico fieri potest dispensatio.

Deinde quid attinet dicere sub vna celebrasse Apostolos: quando asserere licet, quod calix semper benedicebatur cum Pane: sed is non semper distribuebatur, vt Panis. Vnde 1. Corinth. 10. *Calix benedictionis, cui benedicimus.* De pane

autem sic: *Panis, quem frangimus*: nimirum ad distribuendum. Ideo infra. *Vnus panis, & vnum Corpus sumus: qui de vno Pane participamus.*

PARS V.

De Vsu vnius speciei Ecclesiastico.

I. Vnam permittit & vsurpat Ecclesia.

I. NVnquam Ecclesia seu Orientalis, seu Occidentalis, reprehendit Communionem sub vna: ne quidem in hæreticis Manichæis: Quin horum etiam causam abstinendi à specie vini, vt hæreticam, damnauit. Nam ait Aug. l. de hæresib. c. 46. *Vinum non bibunt dicentes, fel esse principium tenebrarum.* Cumque eodem libro complures eorum hæreses enumerasset, ac damnasset: vt & Leo ser. 4. de Collectis, & ser. 5. de ieiunio: ne verbo tamen innuisset, eos sub vna communicando errare. Adeo communiter id, & indubitate licebat. 2. Quin Leo Papa ser. 4. de Quadragesima ait *Ore indigno Christi Corpus accipiunt* (Manichæi:) *Sanguinem aũt redemtionis nostræ haurire omnino declinant.* Qua causa pro concione monuit, eos pro Manichæis habendos, qui semper à Calice abstinerent. Secus de iis censendum, qui aliquandod ũtaxat abstinerent. Nam ex Africa profugi Romæ degebant Manichæi plures.

Vtramque præcipit solam.

At vero quod orthodoxi aliquando non sumerent Calicem; ideoq; non satis ab Manichæis latitantib. internosci possent, ecce tibi, Gelasius Papa edicto prohibet abstinentiam à Calice, mandatque communionem sub vtraq; singulis vsurpandam. Vt est de Consec. cap. Cõperimus. distinct. 2. *Diuisio vnius, eiusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non potest prouenire.* Nam Manichæi ideo diuidebant sacrilege abstemij Cum, quod docerent vinum fel esse draconum; Tum, quod negarent Christum vere mortuum, verumque sanguinem profudisse.

Constantinopoli, ex manib. S. Chrysostomi communicauit hæretica, vt lateret. Teste *Cæs. Baron. tom. 5. anno 400. ex Sozom. & Niceph.* Eucharistiam, vt moris, excepit manu; abit, paratum alium accipit à famula, vt comedere videretur. At hic in ore lapidescebat; vt lapis impressa dentium vestigia referret. Territa supplex ad Chrysostomum aduolat; rem fassa omnem, lapidem exhibebat. Ergo communio sub vna vulgariter fuit vsitata.

Ex Communione domestica.

II. Communio domestica frequens olim fuit; *accepto Corpore Domini*, ait Tert. lib. de Orat. *& reseruato: vtrumque saluũ est, & participatio Sacrificii, & executio officij.*

2. Idem. lib. 2. ad vxorem. *Non sciret maritus*, (infidelis) *quid secreto ante omnem cibum gustes? Et si scierit panem, non Illum credit esse, qui dicitur.* De eadem reseruatione domestica Eucharistiæ plures plura Patres *Basili⁹, Cyprianus, Hieronymus, Augustinus, &c.* Frequentata fuit igitur antiquitus communio sub vna.

2. Nam diserte *Athan. Apol. 2. contra Arianos* ait nullum calicem seu mysticum poculum vsquam reperiri, nisi in Ecclesia.

4. Quare si domi licitus fuit Vnius vsus, ergo magis in Ecclesia. Nam *An alius in publico, alius in domo* CHRISTVS *est? Quod in Ecclesia non licet: nec domi licet*: ait S. Hieronymus in Apol. ad Pammachium pro libris suis contra Iouinianum.

Cui occupant sectarij.

Kemnitius ait, in Ecclesia fideles Calicem prægustasse: dein panem sumsisse priuatim. At dicit: nõ docet. Fingit. Plessæus vult *mulierculárum & idiotarum abusus fuisse*: ideoq; demum ab Ecclesia abrogatos. Peruersa veritas est ipsa falsitas. Abrogatus est abusus prisci vsus boni: & hic propter illum. Sicut hodie vsus vtriusque speciei propter eiusdem abusum hæreticum: non propter ipsum-

met

met per sese licitum, iustum, sanctum.

Item ex Luca.

III. Peruetus fuit vsus Communionis laicæ; quæ Clericis in pœnam enormis delicti decernebatur; ablata clericali. Nam ante mortem laici vna, clerici vtraque communicabantur. Felix libr. 3. Epist. 1. Et Conc. Sardic. cap. 2. Nisi malis laicam dicere eam, quæ extra chorum dispensabatur in plebem Communio. Quo in pœnâ remittebantur rei Clerici. Nam in choro Clerus Synaxes agebat.

Item ex conglobatu aliis.

IV. Multa prætereo maiorum institura, nostri propositi luculentissima testimonia. 1. Cuiusmodi sunt Vsus Præsanctificatorum: quæ apud Græcos per hebdomadam: apud Latinos die Veneris Sancto porrigebantur.

2. Asseruatio Sacramenti tempore longissimo: quo tantillæ vini species acesserent.

3. Puberum communicatio: quibus reliquiæ, communicatis cæteris, diuidebantur. 4. Guttæ instillatio in ora infantum. 5. Aegrorum sub vna panis communicatio. 6. Eucharistiæ missio in occursum, Romæ Episcopis ad Vrbem aduentantibus fieri consueta.

7. Quid? Cum vna in Missa plures vno benedici calices haud liceret; nec repetere Actionem consecrationis: nec calices libræ vnius Pondus excederent: vix capi sat potest, quemadmodum vnus vrbi toti sufficere calix quiuerit. Vt ad vnam sæpe fuerit necessario acquiescendum specie. Neque hoc difficulter iis; qui credebant constanter, non modum, sed rem spectari oportere; quæ eadem sub altera, ac sub vtraque confertur.

8. Quot vero, & quanta incommoda secum importaret Vtriusque necessitas? In populo numerosiore quotus quisque participare integre Mysteria quiuisset,

9. Quot non casus, effusiones, aliamque irreuerentiam interuenire necesse fuisset.

10. Male abstemiis: Miseri Nortvvegi, Ruthenique: quibus & vinum deest: & si adsit, ex cœli terræque genio & ingenio mox acessit.

Quare qui Rem vnam omnium maxime, post Baptismum, necessariam instituit, eandem per adiunctum Modi præceptum restringere noluit; quo minus abiret in vsum, pro salubritate sua facillimum; pro sanctitate religiosissimum; pro necessitate communem: atque in rerum omnium mutabilitate constantem: in casuum varietate securum.

PARS VI.

De Fructu Eucharistico quid Lutherani, & Caluinistæ?

NEc minor ex Vna fructus, quam ex Vtraque manat. Quia Ioan. 6. *Si quis manducauerit ex hoc Pane, viuet in æternum.* Et infra *Non sicut patres vestri manducauerunt manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc Panem, viuet in æternum.* Hæc Dominus. Quæ aduersarii? Ista ex Viri optimi Becani ratiocinatione subiiciam meo compendiata stylo.

Fructus Eucharistiæ.

1. Christianus ex vnæ specie.

1. Lutherani vnum, ac totum fructum esse volunt istum: V. fides in nobis excitetur, aut confirmetur. 1. At quæ fiducia, aiunt, qua quis certo persuasus est, peccata sibi gratuito remissa, per merita Christi, iuxta diuinam promissionem. 2. Atq; huius causa instituta esse Sacramenta, vt sigilla promissi, quorum aspectu vel vsu dicta suscitetur fiducia.

2. Lutherani fructus ex vtraq.

Atqui, inquam, huc Vtraque species non est necessaria: Vnaque præstatidem. Ergo frustra vrgent vtramque. Nam ea fides excitatur vel Auditu verborum: vel Aspectu; vel Sūtione Sacramenti. 1. Si auditu: iam sufficit vna, quia

Disquiritur, & inuenitur minus habens.

eadem laici verba audiunt ad vnã sumtam, quæ ad vtramque.

Si aspectu solo: ergo vtriusque sumtio haud necessaria; sed sufficit ostensio ab Sacerdote facta. Neque vel vnam opus sumere: satest vtramque spectasse. *Dicent.* Vna excitat visa: fidem visaque altera confirmat eandem. At illa excitata fides per vnam aut est vera iustificans; aut non est. Si est: ergo iam vere remissa peccata sunt; nec opus alia remissione: quare nec visione altera alterius **speciei**. Si non est vera fides ex visu vnius: quid ergo est? aut quid prodest?

3. Sin vero nec auditu, nec visu; sed sumtione vtriusque fides excitanda erit: cum in hac sint quatuor: primo, actio sumendi: secundo, fides interna sumentis: tertio species panis ac vini: quarto corpus & Sanguis sub speciebus: quid horum excitationem illam conficiet.

1. An sumtio? At hæc Vnius vel fit cum fide præuia; ergo eam non excitat: Vel excitat subsequentẽ; ergo & pro remissione sufficientem; sicq; altera species est superuacanea. Si insufficientem: ergo mutilam ac mancam.

Itaq; sumatur & altera species, excitat & ipsa fidem: Num poterit maiorem, quam altera; cur, & vnde? Si parem, erit vtraq; manca; & similis ab vtraque remissio peccatorum. Nisi malint ambabus imperfectis vnam confectam. At hæc conflatio aliam ipsis incommodorum, absurdorumque nubem conflat & puluerulentissimam, & sordidam; in qua prorsum nihil videant. 2. Quid ergo fidem ei excitabit iustificantem.

2. An fides interna sumentis? At sic fides seipsam excitaret, & existeret ante?

3. An species vtraque simul? An Res vtraque Corporis & Sanguinis? At iam supra docui hanc ipsos habere rem mortuam, ideoque nullam: quia diuisam. Proinde & species vtraque est quoque vacua. Quam igitur res mortua excitet, confirmetque fidem? Nempe mortua mortuam. Et vero quid poterit species, cum nulla sit vsquam res? Nullus igitur Cœnæ est fructus Lutheranæ.

II. Caluinianæ quis? Dubia ipsismet hic omnia. 1. Dubia Realis Præsentia. Nam hanc Caluinus in 1. Corinth. 11. affirmat: *Concludo*, ait, *realiter, vt vulgo loquuntur, nobis in cœna dari Corpus Christi.* Negat idem in consensione de re Sacramenti. *Quia tamen*, ait, *Christi corpus finitum est, & cœlo, vt loco continetur: necesse est à nobis tanto locorum interuallo distare, quanto cœlum abest à terra.* Item Plessæus. lib. 4. de Eucharistia, cap. 3. negat: Ait autem cap. 2.

3. Caluinianæ fructus Cœnæ.

2. Dubius est modus manducationis & bibitionis. 1. Caluinus 4. Inst. cap. 17. §. 5. ait *Credendo manducari Christi carnem: quia fide noster efficitur: eamque manducationem esse fructum, effectumque fidei dico.* 2. Aliter Plessæus libro 4. capit. 3. *Cibus in sacra Cœna, fons in sacro lauacro. Et vtrobique Christus eodem modo. Vt Christus proinde in sacra Cœna non aliter, quam in baptismo suscipiatur, gustetur.* Et quomodo? *Nam aliter*, ait alibi, *quam in verbo Dei, id est, sola fide.*

3. Dubius & fructus est manducationis. 1. Nam Caluinus ait ibidem. *Hinc sequitur, vt nobis secure spondere audeamus, vitam æternam nostram esse, cuius Ipse* (Christus) *est hæres: 2. nec regnum cœlorum, quo iam ingressus est, posse magis nobis occidere, quam ipsi. 3. Rursum, peccatis nostris non posse nos damnari.* At aliter Plessæus lib. 4. cap. 1. *Sacramenta nostra Veteribus quid præstant? Responsio in promtu est. Sermonis Prophetici, & Apostolici eadem virtus.* CHRISTVS *vtrobique sibi ipsi par & similis. Idem de Sacramentis vtriusque populi dicendum.* Hem! Quam Iudæo par Christianus? Quem is ex Agno paschali; eundem hic è Sacramento fructum

ctum percipit. Vah!

Ita impij; ita diuersi in istis: at in vtraq; specie postulanda concordes, & importuni sunt. Cur? An, quod plus sub vtraque, quam vna?

1. At sub neutra iis Christus præsens est. Et Plessæo tantum in Eucharistia, quantum in Baptismo manducatur. At in hoc sufficit vna mersio ; trina nil est necesseria, ergo & in illa species vna satis: altera nil opus est.

2. Imo, cum, secundum Caluinistas, omnes fidelium proles contineantur sub fœdere promissæ vitæ æternæ, nil iis opus est baptismi vna, vel trina aspersione: ita nec vna, vel vtraq; specie cœnæ. 3. Adde. Cum prædestinati habeant in seipsis eam fidei certitudinẽ: (vt volunt:) quid fructum, fidem illam quærunt in Eucharistia, quem habent ante? Vt neutra sit opus specie. Frustra igitur vtramque postulant.

At tu Plessæe, audi iam Augustinum in Ps. 73. *Sacramenta*, inquit, *non sunt eadem. Quia alia sunt Sacramenta dantia Salutem: alia promittentia Saluatorem. Sacramenta Noui Test. dant salutem: Sacramenta Veteris Testamenti promiserunt Saluatorem.* Ista Hæretici. Quid nos.

III. Eucharistiæ institutæ finis & fructus est, animas viuentium Deo nutrire, & corroborare per gratiam : non mortuos Deo reuiuificare. Nam ideo dicitur *Cibus, potus, esca, viaticum*: quæ viuentium sunt, non mortuorum.

2. Inter corporalem: & spiritalem nutritionem hoc interest; quod illa fiat cibo & potu, vt rebus diuersis; hæc, re vna, quæ simul sit & cibus & potus. Itaque vt Christus totus sub vna continetur; sic & comeditur ac simul bibitur vna sumtione sub vna specie. Nam in spiritalibus, ac Scripturis esurire, sitire, edere, bibere, indifferenter sumuntur. Vt Matth. 5. *Beati, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam: quoniam ipsi saturabuntur.* Ioann. 6. *Ego sum Panis vitæ: qui venit ad me, non esuriet : & qui credit in me, non sitiet vnquam.*

3. Iam quid est; quod Brentius in Cõf. VVirt. abstemiis Communionem licere aiat sub vna: Phil. Melanchton l. de vsu Sacramen. Ruthenis, vino carentibus vti mulsa aut medone concedat; cum vterq; & alii sacrilegos esse clamitent, qui sine specie vini communicarint ? Si sub vna communicare sit lege diuina prohibitum: qui audet potestue Brentius vnam abstemiis indulgere? Nec enim homini fas, aut potestas in pure diuino iure dispensandi.

4. Porro, quod Ecclesia tempore Gelasii Vtramque mandarit, prohibuerit vnam in vsu vulgari, ob Manichæos : Et contra, tempore Concil. Constantiensis Vnam mandarit, vtramque prohibuerit, ob Hussitas: id licite fecit. 1. Quia species iure diuino sunt liberæ relictæ, 2. Quia vtraque non est de essentia Sacramenti; sed de accidente.

3. Quæ autem non sunt de essentia Sacramenti, nec Iure diuino sunt ordinata; in ea potestatem habet Ecclesia. Neque etiam vsus rei permanentis, acper se se substantis est de essentia eiusdem: quippe re ipsa posterior, & eam consecutus. Itaque tam sub vna est totus, quam in vtraque Christus. 4. Quia idem & fructus est. 5. Quia per vnam & Abstemiis; & vino carentibus populis ; & effusionum periculis est certius consultum. 6. Quia similiter olim de vna, deque trina mersione Baptismi fuit ab Ecclesia dispositum. Trina fuit à Canone 49. Apostolorum mandata, ob negantes Trinitatem hæreticos. Vna longe post in Conc. Toletano 4. Can. 5. fuit præcepta: ad designandam Vnitatem mortis Christi: ob rebaptizatores hæreticos.

PARS

PARS VII.

Obiectiones hæreticæ de Præcepto Institutionis.

ADuersus iam allata, quædam vrgent alia aduersarij. 1. Hussitæ obtendunt præceptum vtriusq; in istis: Ioan. 6. *Nisi manducaueritis Carnem filij hominis, & biberitis eius Sanguinem: non habebitis vitam in vobis.* At respondetur. 1. Præcipit hic Dominus Substantiam sumtionis; quæ consistit in manducando Corpore Christi, & bibendo Sanguine: Non modum; qui est in vna, vel vtraq;. Ratio est. Quia toto eo capite nulla fit mentio vini, vel calicis: at plurima panis.

Deinde *Caro & Sanguis voce sunt* diuersa: at re ipsa sunt in Christo indiuisa: vt, qui Carnem; is sumat & Sanguinem: viceque versa.

Adhæc *Manducare; & Bibere* in spiritalibus, promiscue sumuntur, & pro eodē: vt supra. Hinc 1. Cor. 3. *Lac potum vobis dedi.* Et cap. 9. *Quis pascit gregem, & de lacte eius non manducat.* Item Ps. 68. *Dederunt in Escam meam fel.* Matth. 27. *Dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum.* En *Edere & Bibere* de re dicuntur eadem.

2. Per vocem *Panis*, Ioann. 6. Dominus intelligit vel speciem panis solam: aut seipsum. Si prius: iam Hussitæ Caluinisant. Si posteri: ergo sub pane intelligitur Corpus & Sanguis. Vnde *Qui manducat hunc Panem*, id est, Corpus & Sanguinem; *viuet in æternum.*

3. Lutherani, & pleriq; Caluinistarum negant, (quanquam falso:) Ioan. 6. quicquam agi de Eucharistia. Nos vero dicimus agi de cibo. 1. Materiali manna, & panibus à Domino multiplicatis. 2. De Spirituali. *Vt operamini non cibum qui perit. Sed qui permanet in vitam æternam.* 2. Et de Sacramentali. Vt *Panis, quem ego dabo, Caro mea est, pro mundi vita.*

II. Lutherani obijciunt: Præceptum est: *Hoc facite in meam commemorationem*, Luc. 22. Sed distribuit ipse vtramque: Ergo tenemur ad idem. Respondeo. Lutherani pertendunt id pertinere ad omnes: Caluiniani; ad solos Ecclesiæ ministros; Digladianturque inter se atrociter. Prius litem dirimant: quam incertum obiectent. 2. Lucas & Paulus aiunt id Soli, & post datam speciem panis, non post Calicem. Paulus vero post Calicem conditionate id repetit: *Hoc facite, quotiescunque bibetis, in meam commemorationem.* Hic mandatur commemoratio mortis; non bibitio: quæ libera relinquitur. Sit amen fiat; fiet in commemorationem mortis Domini.

II Caluinistæ, velut præceptum, vrgēt istud. Matt. 26. *Bibite ex eo omnes.* Respondet Marc. 14. *Et biberunt ex eo omnes.* Lucas 22. explicat dicens: *Accipite, & diuidite inter vos.* Quæris: Vbi ergo Dominus præceptum dedit, si ibi non? Dico, de Vtraque specie nusquam. At de Re Sacramenti, Ioannis 6. *Nisi manducaueritis.* Et illud 1. Corinth. 11. *Accepi à Domino, quod & Tradidi vobis*; non est præceptum; sed Traditio. Sicut & istud ibidem. *Cum conuenitis ad manducandum, inuicem expectate. Si quis esurit; domi manducet.*

Quæ cætera Vitilitigatores afferunt nugamenta, sua ipsorum met vanitate soluuntur in nihilum Christiani pie sentientis & credentis animo indigna: indigna ingenio: inutilia vulgo: noxia populo.

Constat igitur, Vsum Eucharistiæ sub vna specie nequaquam esse contra, sed vel maxime secundum Sacram Scripturam. 1. Non contra Figuras. 2. Non contra Christi doctrinam Ioann. 6. 3. Non contra institutionem Domini. 4. Non contra Vsum Institutionis à Domino ipso vsurpatum.

5. Non

5. Non contra doctrinam & Vsum Apostolorum. 6. Non contra Vsum Ecclesiæ, & omnium sæculorum: Sed istis omnibus constanter esse conformem. Ergo iuste licitum: tametsi non præceptum. Superest, vt digne, & crebro sacras obire Synaxes studeamus. Quo de breuiter pro clausula.

PARS VIII.

De digna ad Eucharistiam accessione: an & quæ, necessaria?

LVtherus tria asserit infanda. 1. Principem Eucharistiæ effectum esse Remissionem peccatorum mortalium.

2. Hoc dignorem esse communicaturum; quo grauiorum peccatorum sibi conscium. 3. Non opus confessione; sed fide, esse peccata sibi remissa. Cæteri primum propugnant, & tertium. De quo supra Parte VI.

At istud isti contra Scripturam. 1 Ioannis 6. Talia reperiuntur: *Non esuriet; Non morietur: Viuet in æternum: In me manet & ego in illo.* At hæc sunt amicorum Dei viuentium: non in peccatis mortalibus mortuorum.

2. Ioan. 6. *Caro mea vere est cibus, & Sanguis meus vere est potus.* At absurdum est mortuis dare cibum & potum; cum nutriri non queant. Sanis datur, vt conseruentur, ægris, vt roborentur. Sic Eucharistia, &c.

3. Figuræ id præmonstrant. Esus Agni paschalis non licitus erat nisi purificatis, & Israelitis, aut circumcisis proselytis. *Num.* 9. 2. *Par.* 30. Panes propositionis dabantur liberis ab re vxoria. 1. *Reg.* 21. Et quialiqua pollutus immunditia edebat de carne Sacrificiorum, peribat anima eius de populo. *Leu.* 22.

4. In N. T. Dominus ante lauit pedes discipulorum, quam daret Sacramentũ. *Matth.* 22. Prodigus, (in exemplum:) *Luc* 15. prius reconciliatur patri: ornatur: tum ad esum vituli saginati admittitur. Vide *Ambr. l. 7. c. 66. in 15. Luc. 5. Vnus Panis, & vnum Corpus sumus: qui de vno pane participamus.* 1. Cor. 10. ergo Communicaturi esse debent vniti cum Deo, & Christo Capite, vt viua membra: Et cum Ecclesia: Et inter sese. Teste *Aug. Tract. 26. in Io.* Ratio, quia Communicatio est significatio & professio trmæ istius Vnionis: At quia in peccato sunt, ab vnionum earum vna absunt. Ergo indigni.

6. Ideo *Probet seipsum homo, & sic de Pane illo edat. Qui enim manducat, & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit.* Aduersarij hanc probationem referunt ad solam fidem specialem de sibi iam remissis peccatis. At fingunt. Nam Apostolus ibidem arguit, conuenientes ad manducandum diuites, post sumtam Eucharistiam, splendide epulari, (quæ intemperantia est,) paupereſque deserere exclusos: (quæ immisericordia & superbia est:) scandalizare Ecclesiam: & profanas epulas miscere sacratissimis: (quæ profanatio est.) Ideo ait: *Alius ebrus est, alius esurit.* Et: *Nunquid domos habetis ad manducandum, & bibendum? Aut Ecclesiam Dei contemnitis: & confunditis eos, qui non habent?* Demum: *Itaque fratres, cum conuenitis, inuicem expectate. Si quis esurit; domi manducet, vt non in iudicium incidatis.* Quare super talibus *probet seipsum homo, &, &c* id est, conscientiam peccatorum suorum inspiciat, & quæ expianda, expiet; ne *manducet indigne.*

7. Traditio, & Sanctorum Patrum consensus testatur idipsum. 1. Nam in Græcorum Liturgijs iam inde ex æuo Ecclesiæ primæuo proclamabat Diaconus: *Sancta Sanctis.* Quo non Soli arcebantur Catechumeni, vt Kemnitius cõfingit, sed quicunque peccatores: vt Sanctus Chrysostomus testatur hom. 16. ad

pop. Ant. 2. Iustinus in Apol. 2. *Alimentum hoc apud nos appellatur Eucharistia; quod nulli alij participare licitum est: quam veram esse nostram doctrinam credenti, &c. & ita, vt Christus tradidit, viuenti.* 3. S. Cyprianus l. 3. Epistol. 14. Arguit eos, qui admittebant ad Eucharistiam nondum absolutos. *Nondum*, ait, *pœnitentia acta, nondum exhomologesi, nondum manu eis ab Episcopo, & Clero imposita, Eucharistia illis datur. Cum scriptum sit: qui ederit Panem, aut biberit Calicem Domini indigne, reus erit*, &c. Idem toto libro delapsis exemplo ostendit, quam sit pernicioſum cum peccati conscientia communicare. 4. Ambr. l. 6. in 9. Luc. cap. 39. *Vbrq; mysterij ordo seruatur; vt prius per remissionem peccatorum vulneribus medicina tribuatur: postea alimonia mensæ cœlestis exuberet.* Idem nec vel Imperatorem Theodosium ad Cõmunionem admisit; nisi acta prius pœnitentia. S. Chrys. cum alibi; tum in Epist. ad Eph. 1. ita: *Cum tali puritate accede semper. Regem vtique non audeas osculari, si os tuum olet grauiter; & Regum cœlorum impudens oscularis anima tua, vitijs olente? &c.* 6. Aug. tract. 26. in Ioan. *Innocentiam ad altare portate.* Rationes affert efficaces *Bellarm. to. 3. l. b. 4. c.* 28. quas sciens prætereo: Simul cœptum de Eucharistiæ Sacrificio, Sacramento, ac Vsu hic.

IN FESTO S. BARNABÆ Apostoli.

Hoc est præceptum meum, vt dil. inu. Ioan. 15.

ZAcharias, *cap.* 4. vidit, *ecce candelabrum aureum totum; & lampas eius super caput ipsius & 7. lucernæ super illud.* Istud S. Barnabas erat, fide & 7. donis Sp. S. illustris.

Nos itaque

I. *De charitate Prælatorum in subditos.*
II. *De eadem prolixius, eiusque modo & gradu.*
III. *De Barnaba Apostolo, Viroque bono.*
IV. *De honoribus diuinis ab eo refutatis.*

PARS I.

De charitate Prælatorum.

I. MAtth. 21. *Diliges D. Deum tuum, &c. hoc est 1. & max. man. Secundum est simile.* &c. 1. Hæc duo sunt luminaria magna, *Gen.* 1. 2. Sunt, *Exod.* 25. Cherub aurei supra propitiatorium, sese contuentes. 3. Sunt, *Exod.* 28. *duæ Catenulæ auri purissimi, sibi inuicem cohærentes*, quibus Pontificis Rationale nectebatur. 4. Sunt Columnæ, queis Salomonæum innitebatur vniuersum. 3. *Reg.* 7. 5. Sunt, *Gen.* 24. Inaures aureæ Rebeccæ datæ *appendentes siclos duos.* Nam *ex hisce 2. præceptis tota lex* Fidei pendet *& Prophetæ.* 6. Sunt sponsæ, *Cant.* 4. duo Vbera, sicut duo hinnuli. 7. Sunt visi ab Isaia. *cap.* 7. duo Titiones ardentes prælongi. 8. Sunt, *Zach.* 4. duo Oliuæ in aureo candelabro fidei. 9. Sunt duo Talenta, *Matth.* 25. seruo data in lucrum ab patrefamilias Deo. *Typi duorũ charit. præceptorum.*

II. Istis præcipue Prælati possere debent ad subditorum difficultates sufferendas. Sicut Iacob, Gen. 31. *Die noctuque æstu vrebar & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis: oues tuæ & capræ steriles nõ fuerunt; arietes gregis tui non comedi, ego damnum omne reddebam.* Psalm. 99 *Nos autem populus tuus, & oues pascuæ tuæ*: Itaque cum Ioa. 10. *Oues meæ vocem meam audiunt*; par est, debitum præstent & Pastores vigilando, sterilitatem morum bonorum, fidei, &c. cauendo, flagella auertendo, &c. *Prælatorũ propria sit charitas in subditos: 1. pascendo.*

Exemplo SS. Patrum, se murum pro ouibus opponentium. 1. Psalm. 105. *Dixit, vt disperderet eos; si non Moyses electus eius stetisset in confractione, in conspectu eius, vt auerteret iram eius.* Hebræi legunt sic: *stetisset in muri ruina, vt reprimeret impetum eius:* tanquam hostis irati ruentis qua strati sunt muri. 2. Qualis M. Horatius *2. Tuendo.*

Cocles

Cocles Porsenæ exercitum ad pontem Tyberinum solus clypeo sustinuit & repressit.

3. Regŏdos. 2. Moyses, *Num.* 27. visa è monte Abarim terra promissionis, auditaque de mortis suæ instantia; nil de se solicitus; sed de grege, ait: *Prouideat Dominus Deus spirituum omnis carnis hominem, qui sit super multitudinem hanc, & possit exire & intrare ante eos; ne sit populus Domini sicut oues absque pastore.*

Vi serui pro eu infra oran ti. III. Idem ignis curæ in Elia æstuabat, 3. *Reg.* 17. quando pro afflictis extrinnali siccitate, fameque Deum precabatur *ascendens in verticem Carmeli, pronus in terram posuit faciem suam inter genua.* Quo miro inclinationis ritu cœlos inclinauit, aperuitque in pluuiam. Ita serui ad flagra & fustuaria recipienda aptabantur; manibus ad pedes adstrictis, & capite inter genua presso globabantur. Iob. 15. *Terrebit eum tribulatio, & angustia vallabit eum, sicut Regem qui præparatur ad prælium*: alia versio habet: *sicut vir, qui præparatur ad gyrum.* Ita coram Domino se præparauit Elias. Magnus is in populum amor.

Sic Apostoli. Maior Apostolorum. 1. Thes. 2. *Facti sumus paruuli in medio vestrum, tanquã si nutrix foueat filios suos: ita desiderantes vos cupide, volebamus tradere non solum Euangelium; sed etiam animas nostras, quoniam charissimi nobis facti estis.* Non sic ad excitandum puerum mortuum, 4. *Reg.* 4. paruulum se se contraxit, vt Apostoli *omnibus omnia facti.* 1. Ioan. 3. *In hoc cognouimus charitatem Dei; quoniam ille animam suam pro nobis posuit: Et nos debemus pro fratribus animas ponere.*

Sic Christus. Typus. Plane sicut, *Exo.* 12. Agni paschalis carnes absumi esu iubebantur; at ossa relinqui integra: id est, se mactari, torreri, comedi; at homines non confringi: his parci, non sibi. O charitas? Eius imitator strenuus S. Barnabas.

PARS II.

De eadem prolixius, eiusque modo & gradu.

Parentum mania in liberos. I. PArentibus qua hominum, qua pecorum Deus magnum in proles amorem indidit; ne iis fouendis fatigentur. Tantum eum amorem Plato inter manię species adnumerat. 1. Ecce quantus sit: 1. Gen. 49. *Ruben primogenitus meus tu fortitudo mea*, robur quidem domus meæ; sed *& principium doloris mei* es. q. d. simul ac pater, & miser factus sum. 2. Ps. 77. *Percussit omne primogenitum in terra Aegypti, primitias omnis laboris eorum.* Amor tamen quam labor ex liberis est maior.

3. Menandri apud Epictetum vox est: *Aut oportet viuere solum cœlibem; aut natus iam liberis mori parentem: adeo deinceps omnis vita acerba est.* 4. Idem Comicus, *Patrem*, ait, *esse, plurimum habet molestiæ, metusque & curas infinitas.*

5. Democritus, *Non probo*, inquit, *liberorum propagationem, nam in ipsorum possessione multa magnaque inesse video discrimina & molestias plurimas: pauca vero iucunda, eademque tenuia & exilia.* His in remedium Deus amorem indit progenitoribus tantum; vt sit quasi lenis tyrannus: Seneca in Hypp.

------- *O nimium potens*
Quanto parentes sanguinis vinculo lenes
Natura! Quam te colimus inuiti quoq;?

Maior sit in pastoribus. At, quam natura: acrior est gratia. Hinc Gal. 4. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Quantum pro iis angitur? *Supra modum grauati sumus, supra virtutem; ita vt tæderet etiam nos viuere.*

Qui filii spirit. fiat. II. Est autem spiritalis filiorum productio, peccatorum conuersio; horum patres sunt Sacramentorum ministri: Ioan. 1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui, &c. sed ex Deo nati sunt.*

Hi deamandi sunt.

Pro his audi difficultates Patrum : 1. Cor. 4. *Puto, quod Deus nos Apostolos nouissimos ostendit, tanquam morti destinatos ; quoniam spectaculum facti sumus mundo, angelis & hominibus.* Quæ non egere & pertulere ipsi pro Christianis? 1. Tim. 2. *Omnia sustineo propter electos ; vt & ipsi salutem consequantur in Christo Iesu.* 3. Phil. 1. *Quid eligam, ignoro : coarctor vero è duobus : desiderium habens dissolui & esse cum Christo : multo magis melius permanere autem necessarium propter vos.* Ecce Amorem? 4. Neque hic stetit. Rom. 9. *Cupiebam & ego aliquando anathema esse à Christo pro fratribus meis.* Chrysc. hic ait, hisce eum sensibiles tartari cruciatus in caput suum vocare.

Plane fortior, quam mors & infernus, dilectio : ima mutat summis, aspera planat, inuia penetrat, omnia vincit.

Typus.

1. Iacobo sub duro Labano in bis septenni seruitio, Gen. 29. *videbantur illi dies pauci præ amoris magnitudine* in Rachaelem. Aug. q. 88. in Gen. quærit : *Quomodo hoc tam etiam breue tempus longum esse soleat amantibus.* Respondet : *Laborem seruitutis leuem faciebat amor.* Par, quin maior animarum sit amor pastoribus. Hinc tertium Petro : *Petre, amas me?* q.d. amore ipso pasce, vt pater. 2. Talem sibi Moyses esse videbatur : Num. 11. *Cur Domine imposuisti pondus vniuersi populi huius super me? Nunquid ego concepi omnem hanc multit. vel genui eam, vt dicas mihi ; porta eos in sinu tuo, sicut portare solet nutrix infantulum.*

Vi mandati Noui.

III. Hinc toties suis Dominus : *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem.* Ioa. 13. *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem sicut dilexi vos.*

Cur Nouũ dicitur.

S. Patres dicunt, dilectionem proximi etiam in Lege veteri præceptum fuisse ; dici tamen iam *Nouum* ; 1. quod plus quã seipsum diligere oporteat pastores animarum. Exemplo Christi, nos plus, quam se diligentis : Phil. 2. *Qui cum in forma Dei esset, non rap. arb. est esse se æq. Deo ; sed semetipsum exinanit : formam serui accipiens.* 2. Vel vt Aug. & Bedæ placet, *Nouum* dici, ob nouos effectus in homine : nam vetere pulso fermento, & farina Aegypti omissa *nouam creaturam efficit.* 3. Vel *Nouum* dicitur, quod nouo cum spiritu nouiter & à Filio sit publicatum : nam Apoc. 21. *Ecce noua facio omnia.* Alij alia de causa Nouum dici opinantur : 4. Maldonatus *Nouum*, id est, *præstantissimum* interpretatur ; more hebræismi : Vt Ps. 95. *Cãtate Domino canticum nouum.* id est, præstantissimum. Isa. 65. *Ego creans cœlum nouum.*

Quanta dilectio.

IV. At quomodo & quantum diligendum? *Sicut dilexi vos* : Rup. li. 11. ait : *quasi dilectio apertius dixisset ; vsque ad mortem diligite inuicem ; quia vsque ad mortem dilexi vos.* Et dilexit nos gratis adhuc filios iræ, in quibus sexcentæ odij causæ inerant : ita & pastores *diligite inimicos vestros, & benefacite his, qui oderunt vos.*

Exemplũ.

1. Quin modum ostendit & gradum dilectionis ; Ioa. 12. *Pater oro, vt sint VNVM : sicut ego & tu Vnum sumus : vt credat mundus, quia tu me misisti.* Hanc vnionem fidelium Tertullianus *summum Reip. Christianæ miraculum* vocat & *symbolum.*

2. Maguam Dominus charitatem ostendit humanitatem assumendo ; maiorem eam, exinanitione moriens : Rom. 5. *Commendat charitatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus secundum tempus, Christus pro nobis mortuus est.* Re præstitit, quod verbis Dauid expressit, 2. Reg. 8. *Fili mi Absalon, quis mihi det, vt moriar pro te?* q.d. ita infixus cordi hæsisti, vt iam extinctus, extinguendus & ipse videar.

Typus.

V. In signum talis pastoralis amoris, *Exod.* 28. Pontifex in Rationali ad pectus inscripta XII. tribuum nomina gerebat in oculis.

Eodem

Amor cingulum est.

Eodem significatu visitur Apoca. 1. *Angelus præcinctus ad mamillas Zona aurea.* Aug. & Amb. aiunt, cingulo designari Sanctorum multitudinem. Rupertus, regiam Christi autoritatem, iuxta Psalm. 92. *Dominus regnauit, decorem, &c. & præcinxit se.* Alij rectius Charitatem Christi intelligunt; & mamillas Misericordiæ ac Iustitiæ. 1 Col. 5. *Super omnia charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.* En cingulum.

2. Huc aliusit Luc. 12. *Sint lumbi vestri præcincti* cingulo charit.

Typus.

3. Id referebant, *Exod.* 28. catenæ in rationali sibi cohærentes ex auro. Vbi Beda: *Catena ex auro est continentia casta, & non ficta dilectio, Rationali, id est, cordi firmiter affixa. Duæ autem sunt, quia duplex est amor, Dei & proximi.*

Diligatis, sicut dilexi. Bern. serm. 64. in Cant. *Ita ne summus omnium vnus factus est omnium? Quis hoc fecit? Amor dignitatis nescius, dignatione diues, effectu potens, suasu efficax. Quid violentius? Triumphat de Deo amor. Quid tamen tam non violentum? Amor est. Quæ est ista vis, quæso, tam violenta ad victoriam; tam victa ad violentiam?* Diuine! Ideo dicitur Eph. 3. *Charitatem Christi esse supereminentem omni scientia.* Contendite *vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo & long. & subli. & prof. &c.*

PARS III.

De Barnaba Apostolo, Viroque bono.

I. FEruntur ratiunculæ, S. Barnabam non fuisse Apostolum. 1. Quia fuit vnus de LXXII. non de XII. 2. In Euang. nusquam cum his connumeratur. 3. *Matthæi* 19. Sedes XII. memorantur. 4. Tredecim forent Apostoli; contra id Domini: Ioann. 6. *Nonne ego vos XII. elegi?* At legi.

Certum istud, Act. 13. *Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus, ad quod assumsi eos:* quibus & manus impositæ, beneque precatis missio decreta est. *Fuit Apostolus.*

Numerus autem sedium XII. certus pro incerto est positus. Nam suæ & aliis sunt sedes: Psalm. 120. *Illic sederunt sedes in iudicio, sedes super domum Dauid.* Apocal. 4. In circuitu eius sedilia XXIV. Cum igitur Apostolus sit idem quod missus: Barnabas missus fuit Apostolus.

II. Dicitur *Vir bonus*: in quo omnia. 1. Qualis *Saul à Deo*, 1. Re. 9. *electus & bonus; & non erat vir de filiis Israel melior illo.* At hic in quam reprobum euasit; 2. Qualis Dauid: cui Achis, 1. Reg. 29. *Viuit Dominus, quia rectus es tu, & bonus in conspectu meo; & non inueni in te quicquam mali.* Moxque idem: *Scio, quia bonus es tu in oculis meis, sicut Angelus Dei.* Rarus talis aulicus! Et tamen breui post: ô mundum! 1. Reg. 29. *Non inueni in te quicquam mali: Sed Satrapis non places. Reuertere ergo, & vade in pace; & non offundas oculos Satraparum Philisthym.* 3. Tob. 7. Raguel ad Tobiam: *Benedictio sit tibi, fili mi, quia boni & optimi viri filius es.* 4 Qualis Onias, 2. Machab. 5. *Oniam, qui fuerat summus Sacerdos, virum bonum & benignum, verecundum visu, modestum moribus, & eloquio decorum, & qui à puero in virtutibus exercitatus sit.*

Fuit Vir bonus à iuuentute.

In ætate virili.

3. A parentibus.

4 Sacerdotio officio.

5. Qualis, Lucæ 23. *Ecce, vir nomine Ioseph* ab Arimathia, *qui erat decurio; Vir bonus, & iustus.* Mirius, quo rarius, in Mauortio: Talis, Act. 11. *Vir bonus, & Sp. S. plenus* Barnabas.

5. Bonus etiam inter malos.

6. Similis illi Matth. 12. *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona.* Cui, vt Patrifamilias illi dicitur: Luc. 19 *Euge serue bone, & fidelis.*

6. Bonus beneficiendo.

7. Nam, Prouerb. 12. *Qui bonus est, hauriet sibi gratiam à Domino.* Quantum non

7. Bona promerēdo.

hauserit Barnabas, prius Sp. S. repletus quam in Apostolum segregaretur? 1. Eccles. 21. *Homini bono in conspectu suo dedit Deus sapientiam*, mysteriorum, *Scientiam* naturalium, *& Intelligentiam* sui. Quæ tria in S. Barn. eximia. 2. Eccl. 6. *Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos; & lingua gratiosa in bono homine abundat!* Ista in S. Barn. *Vir Bonus.* 3. Psal. 118. *Bonitatem & Disciplinam, & scientiam doce me.* Didicit S. Barn. *plenus Sp. S.*

Bonus Barnabas, in cuius domo Cœnam vltimam diuinam celebrasse Dominus traditur. 2. Cuius mater eleemosynaria, & Apostolorum hospes extitit: ad cuius domum recta contendit S. Petrus ab Angelo è carcere liberatus. Ita *Baronius. Ann. to.* 1. 3. *Bonus* absolute absque addito vllo *Nisi*; vt teste Hiero: nec Apostoli nævum in eo repererint.

PARS IV.

De honore diuino refutato.

Deus esse creditur.

I. QVæ in eo Bonitas ita eluxit, vt Lacaonij, Act. 14. *Turbæ leuauerint vocem suam, Dij similes facti hominibus descenderunt ad nos:* Barnabam vt Iouem adorare parati: ita *Optimum & Maximum* esse censuerunt. Bonum virum Ethnici vt Deum pingebant, ingenti vinctum catena, qua Deorum vulgus reliquum de cœlo in terram detrahere niterentur frustra: indicio; adeo Bonum virum bonitati inhærere immobilem.

Fulminabat prædicando.

Aut forte prædicando ea dictorum fulmina iecit de inferno, iudicio, morte, peccatis; vt Iouem esse fulminantem crederent: Sicut Hebræi clamitabant territi, Exod. 22. *Ne loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur.*

Honorifuga.

S. Paulus & Barnabas Lystram Lycaoniæ ingressi, claudo consanato, pro Diis mox habiti sunt; vt aduolantes cum tauris coronatis Sacrificulos vix continerent, quin sibi immolassent. Sic *Ioan.* 9. Baptista contendit ab missis ad se, ne pro Messia haberetur.

Scissis etiã vestibus.

II. Simul vterque Apostolus scissis vestibus ex iræ zelo instantes ad sacrificandum ipsis, durius increparunt. *Quid hoc facitis? Et nos mortales sumus, similes vobis homines.* Vestes sciderunt plures: vt Mat. 27. Cayphas audita Christi confessione: Caleb, *Num.* 14. audita exploratorum relatione falsa: Iacob, *Gen.* 36. ad necem Ioseph: Iephte, *Iud.* 11. ad occursum filiæ: Dauid, 2. *Reg.* 14. nunciata Saulis & Ionathæ cæde: Iob. *c.* 1. obtritis liberis. At nulla scissio iustior, quam hæc Apostolorum, ad honores iniustos refutandos.

Exemplum profanum.

Celebrant *Dion. l.* 54. *Zonaras. t.* 2. *Suet. in Aug. c.* 52. Cæsaris Aug. recusationem Dictaturæ, supplicantis populo genibus etiam nixis, ruptisque vestibus. At fictum id ad hoc factum Apostolicum. Discehonorum seu verorum, seu falsorum, vt mundani sunt, fugam.

Sacrum.

Ipse etiam Angelus Ioanni Deum esse rato & adoraturo, dicit: Apoc. 19. *Caue, ne feceris: conseruus tuus sum.* Omnes boni, sunt & humiles: *Quid hoc facitis? Et nos mort. sum.*

Esse mortalem in Lat.

III. Facile superbiam excutit, fouetque humilitatem memoria suæ mortalitatis: *mortales sumus.* 1. Alexander Macedo diuinos sibi honores sinebat haberi vt Iouis filio: at ictus aliquando telo & cruentatus, parasitis ostentans sanguinem, ait, *Ecce, Iouis filium*: ipsos, seque refutans ipsum detecta falsitate: At verius Apostoli: *mortales sumus.* Neque iste isto melior factus, sed deterior: non hic.

Notitia sui alta est scientia.

2. Magna Salomonis, alia, at ista maxima sui: Sap. 17. *Sum quidem & ego mortalis homo, similis omnibus*: Sed non, vt cognouit, Deum coluit: vt hi Apostoli. Antiochus rex Syriæ fastuosissimus humano casu ad sui ductus notitiã, ait: 3. 2. Mach. 9.

Iustum

Iustum est, subditum esse Deo, & Mortalem non parta Deo sentire. Vbi S. Chrys. *Nihil*, ait, *conferendum humilitatis virtuti. Ipsa enim mater & vinculum bonorum est: Sine illa abominabiles & scelesti sumus. Esto enim quis mortuos suscitet cum superbia; nihil eo contaminantius, nihil magis impium.*

Charitas Barnabæ insignis.

4. Charitate quoque eximius fuit. 1. Ipse cum Paulo induxerunt Antiochenos vt subuenirent Ierosolymitanis post necem S. Stephani opibus exutis, *Act.* 11. 2. Ista ei charitas cognomen peperit, Act. 4. *Ioseph, qui cognominatus est Barnabas ab Apostolis, quod est interpretatum Filius consolationis.* Vbi Glossa: *quod egenos eleemosynis consolaretur.* 3. Idem omnia sua in Cypro diuendita ad pedes Apostolorum deposuit.

Sanctia eiusdem.

Ante adeptum Apostolatum, ecce Barnabæ præconia: *Act.* 13. *Erant in Ecclesia Antiochiæ, Prophetæ & Doctores; in quibus Barn. & Simon, qui vocatur Niger.* &c. Accessit, quod erat *Vir bonus, plenus Sp. S. & fide.*

Martyriũ.

Demum Salamine Cypri vrbe viuus combustus pro fide coronam martyrij abstulit.

DE NATALI S. IOANNIS Baptistæ.

Quis putas puer iste erit? Luc. 1.

ELiæ, 4. *Regum* 1. & Baptistæ magna Instituti, rerumque gestarum similitudo est. Elias 1. obseruantissimus Dei: 2. austeræ vitæ: 3. accinctus Zona pellicea: 4. acer scelerum castigator. 5. Zelo Dei feruens. Talis & Baptista: qui etiam plusquam Propheta, & camelina indutus, à puero vixit Anachoreta. Rursus. Elias 1. quasi ignita verba loquebatur: 2. A coruo pascebatur: 3. Achab, & Iezabelem castigabat. Baptista vero, 1. erat lucerna lucés, & ardens. 2. Ab apibus melle pascebatur: 3. arguebat Herodem & Herodiadem.

Super quæ nos

I. *De Baptistæ incomparabili excellentia.*
II. *De admiratione ista:* Quis putas puer iste erit?
III. *De Dotibus Gratiosi Ioannis.*
IV. *De Vita eius eremitica, & factis.*
V. *Vnde, & quibus sit Magnus.*

PARS I.

De Baptistæ incomparabili excellentia.

Est Angelus Apocalypticus mirus.

I. VIsus, *Apoc.* 10. Angelus, cui pedum loco duæ erant columnæ: hac mari, illa terræ insistebat: Facies, vt Sol, radiabat. Corpus è nube compactum erat. Caput iride ambibatur, hinc & hinc terram contingente; & lacrymas oculis eliciente. Leoninum rugiens *iurauit per viuentem in sæcula: quia tempus non erit amplius.* Talis Baptista, Angelus *Malach.* 3. dictus. Quauis columna constantior; nec vt agitata arundo. Complexus vtramq; institit Legem Veterem instabilem, & abolendam, itemque nouam, vt terra, solidam ac immutabilem. Corpus ei nube tenuius, ita ieiuniis extenuatum. Nam *Erat neque manducans, neque bibens.* Caput arcuatum, vel ad tela increpationum eiaculanda; vel ad significandam sanctitatem. Oculi flentes peccata mortalium. Denique iudicium & pœnitentiam, vt imperterritus leo, prædicabat. Ergo vere Angelus: Malach. 3. *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam.*

Sed functione, non natura.

II. At Angelus functione erat; non natura; vt errat Origenes. 1. Vt autem filum laneum, aureo intertextum, sic exornari potest, vt arte fiat pretiosius, quam id natura sit: ita homo gratiis potest iis donari, operaque præstare talia, quibus Angelum quemuis superet. Talis Baptista.

Atque eo ipso supra Angelos.

2. Sicut Lysippus duas formauit statuas Alexandri Magni: ex argento vnam, aliam è marmore. Hæc tamen pluris fuit obar-

ob artem, quam illa. Ideoque Alex. quoque dedit ei pro hac viginti talenta, pro illa duo. Sic Plinius. 3. Ita, inquit Chrys. hom. de Bapt. *Gloriosius fuit Ioanni, quod, cum homo esset, Angelus vocaretur: quam si illud esset & nomine, & natura.* 4. Vt gloriosius est, nanciscì regnum virtute, quam hæreditate: Ita Ioanni ex merito, non dono, angelum dici. 5. Eximiam oliuam in solo nobili esse feracem, non mirum; at in deserto scrupoſo incultam fructificare; hoc mirum. Ita ab Angelis in cœlo Deum amari, coli, &c. & à Baptista in carne, mundo, &c.

Singularis hierarchia supra alias

III. Hinc nimirum est, quod S Bern. & Gerson aiunt: S. Ioan. Bapt. in cœlis vnam solam hierarchiam constituere, angelis cunctis sublimiorem, à Deo & Deipara proximam. Illis plerique Patrum consciscunt.

Post Christum & Mariam.

2. Augustin. *Vis scire, quid sit Ioannes? Non est Deus; non est Christus.* Idem alibi: *Præcellit cæteros; eminet vniuersis. Quisquis de muliere natus est, inferior est illo.* Excipe Deiparam. 3. S. Bern. *Vnus est, secundum non habet. Tria namque fecit Deus sine secundo, Christum, Mariam, & Ioannem.* Eadem S. Ioan. Damas.

Est turtur.

4. S. Greg. Nyss. sunt ista ex Cant. 2. *Imber abijt & recessit*, Mosaicæ hyemis: *Surge amica mea, & veni* noua Ecclesia, *vox turturis audita est in terra nostra.* Baptistæ vox, prænuncia veris.

Variis comparatur.

5. S. Hier. Epist. ad Eustoch. vocat eum *principem anachoretarum.* Zacharias pater ex Spiritu: *puer Propheta altissimi.* Cognatus eius Ioannes ait. *Fuit Homo Missus à Deo.* 6. Gabriel Archang. *Erit Magnus coram Domino. Spiritu S. replebitur adhuc in vtero matris suæ.* 7. Iesus Matth. 11. *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista.*

Sed est incomparabilis.

IV. Quare nullus ei comparandus est. 1. Non villicus is, de quo 1. Reg. 25. *erat in solitudine Maon, & possessio eius in Carmelo: & homo ille magnus nimis.* At maior Baptista. 2. Non, 1. Reg. 9. *Saul electus, & bonus: & non erat vir de filiis Israel melior illo, ab humero, & sursum eminebat super omnem populum.* Ista in Ioanne veriora: Electus, & prædestinatus ab æterno, &, in vtero sanctificatus, *nec inter natos mulierum surrexit maior.*

Inter summa mirabilia

Istud *Prou.* 30. sic quidam interpretantur: *Tria sunt mihi difficilia: & quartum penitus ignoro. Viam aquilæ in cœlo*; Ioannem Euangelistam ad diuina euolantem. *Viam nauis in medio mari*; Petrum inambulantem mari *Viam colubri super petrã*; Christi resurrectionem clauso sepulcro: *& viam viri in adolescentia sua*, Baptistam eremicolam, portentum naturæ, vel infantem rationis vsum habentem. Hoc obstupuit Iudæa dicens: *Quis putas, puer iste erit?*

PARS II.

De admiratione ista: Quis putas puer iste erit?

Natalis præsagijs illustria.

I. NVlla cuiusquam natiuitas mirabilior, Baptistæ. 1. Zoroaster, Rex Aegypti, inuentorque magiæ & idololatriæ, natus risit, *Gen.* 26. 2. Iacob & Esau in vtero se calcibus petierunt, *Genes.* 38. Atque in ipsa natiuitate infantium vnus protulit manum, in qua obstetrix ligauit coccinum. 4. S. Ambrosij os infantis examen apum obsedit; omen suadæ in labijs eius sessitaturæ. 5. S. Nicolaus feria quarta & sexta, vel infans à matris vberibus abstinuit ieiunans. 6. S. Dominicus in vtero, matri est repræsentatus in catulo tædigero, & fronte stellata: Omen scientiæ, doctrinæ, vigilantiæque aduersus lupos hæreticos; sanctitatis & exempli. Sed quid ista ad Baptistæ prænuncia?

Ominationes de S. Baptista.

Lucas maiora complexus est istis: *Mirati sunt vniuersi.* Varij varia fuerint ominati; 1. Hi, alterum fore Noen, (dictum ethnicis Ianum bifrontem; quod tempo-

poris ante, & post diluuium meminisset.) Ita Ioannem inter iræ tempus, & gratiæ medium. 2. Illi, Abrahæ similem futurum, patri credentium; quippe qui venerit, *vt omnes crederent per illum.* 3. Alij, fore quasi Isaacum, filium risus, ac gaudii, quod adeo in natiuitate eius multi gaudebant. 4. Alij *Ge.* 28. Isaacum ideo, quod, vt hic scalam cœli vidit, ita Ioannes visurus esset cœlos apertos, ipsumq; Saluatorem. 5. Alii, Mosen, ducem populi in deserto, *Exod.* 14. sic ipsum victurum, ac prædicaturũ in deserto. 6. Alii, 3. *Reg.* 7. Eliam: Quod Angelus prædixisset, *ipse præcedet in spiritu, & virtute Eliæ.* Atque ita alii aliter pueri horoscopum examinantes, *dicebãt omnes, quis putas puer iste erit?*

Parentum sterilitas.

II. Augebat stuporẽ quod parentibus & natura infœcũdis, & ætate iam effœtis præter rerum ordinẽ natus esset. Quod nasciturum sibi filium pater nõ credens *perdidit promptæ modulos loquelæ.*

Similc.

Sed ita oportuit. Vt, cum aula, vel Xystus construendus est, ligna quæruntur sicca, non viridia; ne opus olim rimis hiscat, & quæ luna minuente sint cæsa, ita Ioannes propylæum futurus, per quod intraret in orbem cognitio Christi; è parentibus aridis, & deficientibus prodire debuit.

Figura. Isaac.

3. Tale fuit lignum Isaac cæsum ex aridis, vt diceret mater, Gen. 17. & 21. *Risum fecit mihi Deus, & quicunque audierit, corridebit mihi.*

2. Petra.

2. Vetus illud renouatum est, *Exod.* 17. *Num.* 20. *Deut.* 28. de petra Sinai ad virgæ ictum aquas dante, Ps. 104. *Dirupit petram: & fluxerunt aquæ.* Psalm. 105. *Qui conuertit petram in stagna aquarum.* Atqui hic petram hanc senectutis, aliam sterilitatis omnipotentiæ virga percussit, & prouenit Ioannes, id est, gratiosus fluuius in deserto baptizans.

3. Manhu?

In eodem deserto reperto manna exclamatum est, Exod. 16. *Manhu, quid est hoc?* Ita hic, *Quis putas puer iste erit?* Quis? Sane quicunq; produntur è sterilib. nati, eximii extitere.

Nati ex sterilibus.

Vt Isaac è sexagenaria Sara: Ioseph è Rachaele. Samson naturæ miraculum, Samuel Prophetarum decus. His maior Ioannes: Superabat omnium stuporem. Hoc matri dictum, Luc. 1. *Spiritu S. replebitur adhuc ex vtero matris.*

Sanctificatus in vtero est.

III. Euenit ei, quod Arcæ. *Num.* 4. Hac accedente ad *Mare, vidit, & fugit; Iordanis conuersus est retrorsum.* At *Quid est tibi mare, quod fugisti: & tu Iordanis, quia conuersus es retrorsum?* Psalm. 113. Quid? Quia erat in arca Deus. Ita, puero hoc ad naturam humanam accedente, fugit peccatum originale: Quia Deus cum eo. Ideo *Montes exultauerunt, vt arietes.*

2. Iob, & quiuis queratur lacrymans non tam de corpore, quam de anima. *Nudus egressus sum de vtero matris meæ.* At Ioannes *gratia vestitus originali*, ait Guericus serm. 1. 3. Ac tanta, vt D. Thom. 3. q. 27. a. 6. ad 1. doceat: *Sanctificatis in vtero creditur præstitum esse, vt de cætero mortaliter non peccarent.* 4. Galatinus, & Abulensis, *lib.* 7. *c.* 9. docent, eum ne venialiter vnquam peccasse. 5. Ita Ecclesia.

Nunquam peccauit.

Ne leui saltem maculare vitam
Famine posses.

6. Esto, Psalm. 57. *Alienati sunt peccatores à vulua, errauerunt ab vtero omnes:* At non Ioannes. Quia *Domine, præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis.* Psal. 20.

PARS III.

De Dotibus Gratiosi Ioannis.

Irroratus rorat gratia.

I. FOrtunatas insulas Canarias nobilitat arbor *Amaquam*; quæ rore pasta ab ortu suo quotidie, aquam fundit insulanis affatim. Talis in Iudæa Gratiosus Ioannes arbor est.

Exultat pacifice.

In vtero exultat, Non vt Iacob & Esau

collisi inuicem. Vnde nec Elisabetam partus pertæduit, vt Saram, *Gen.* 20.

Deuote. *Dauid*, 1. Reg. 6. *percutiebat in organis armigatis, & saltabat totis viribus ante Dominum.* At Ioannes coram arca diuina, in qua Virga, Lexq; Dei erant.

Deum agnoscens. Acus nautica, vbi magnetem attigit, ad Boreale se aduertit sidus. Ita Ioannes acus Christiana ad tactum Spiritus, ad solem mundi se vertit.

Illuminatus primus à Iesu. Montes præcelsi, vt Athos, Atlas, Caucasus, Olympus, citius à sole Oriente afflantur, quam valles, humilesq; myricæ. Ita Ioannes.

Primus videns Iesum. Lynci similis, non iam parietes visu penetrans, sed vterum, & Virginis clausum. Quid dicitis hæretici? Qui clausus clausum vidit: non is iam liber in cœlo nos hic sub aperto cœlo videbit, ac nostra sciet?

Vtens ratione. II. Mira exultatio! 1. At mirabilior rationis vsus, quo præuentum fuisse aiunt S. Augustus. & Anselmus. 2. Herba dicta, *Filius ante Patrem*, fert fructum ante, quã floreat. Talis Ioann. adorat ante, quã natus sit. 3. *Genes.* 2. Arbores fructibus onustæ erant ante, quam floruissent. Ita in Ioanne fructus gratiæ præuertunt illos naturæ. 4. Aaronis virga floruit simul & fructum extulit. *Num.* 17. 5. Ita sol vt primum erat cõditus, irradiabat orbem. Ita &c. 6. Sunt auiculæ, quæ exclusæ simul cantillant, cursitantq; quoquo versus. Ioannes laudes cantat, gressus adorationis mouet in vtero.

Fructificãs ante florẽ.

Similia scitissima.

Eximia minutitiones. 7. Aurora cum primum sese aperit, minurire aues incipiunt: Ita hic Maria: *Magnificat*: Zacharias, *Benedictus*: Elisabeth: *Benedicta tu*, &c. Angeli: *Magnus erit coram Domino.* Omnes, *Quis putas puer iste erit?*

Quis puer? vnus omnia. III. Quis? Cant. 5. *Qualis est dilectus tuus ex dilecto, ô pulcherrima mulierum?* Respondet: *Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus.* Quia Virgo, Martyr, & *non surrexit maior* ex millies milienis myriadibus. Agite, sim eius Genethliacus & Astrologus vobis.

Horoscopus pueri sine planetis. Ioanne nato Sol iustitiæ fuit in Virgine. Optima constellatio! *Signum magnum apparuit in cœlo.* Apoc. 12. 1. Suum Cæsar horoscopum in numismatis procudit, erat capricornus, anterioribus pedibus in sphæram incumbens: retro in piscem desinens. Futuri signum imperij, ait *Suetonius.* Nihil ad illud Ioannis. 2. Nero natus ad punctum orientis solis: quasi festinaret sol eum nasciturum præuertere. *Suetonius.* Ita Iesus radijs suis præuertit Ioannem.

Nullus eò par. 3. Anna post Samuelem plures suscepit filios: nullum Elisabeth post Ioannẽ: ne parem haberet, etsi vel ex solis suis parentibus. Quasi potuissent inuidere sibi sancti. 4. Vti Alex. Magnus patri, audiens hunc multas nanciscì in Græcia victorias, fleuit; quod nihil sibi pater relinqueret. Ita Sancti quasi, videntem vnum Ioannem esse Angelum, Patriarcham, Ducem, Prophetam, Apostolum, Mart. Virg. Doct. Conf. Eremitam, &c. Nam *inter natos mulierum non surrexit maior.*

Vnus est omnia.

Est solus singularis. In musicis instrumentis fides sunt geminæ, basso vna est chorda: Ita in Ecclesia Psaltria laudum Dei, Sancto cuique similis est alius. Ideo Dominus, Lucæ 10. *Misit eos binos ante faciem suam.* At Ioannes solus est *clamans in deserto.* Vnde Ber. *Maior homine, par Angelis, tuba cœli, præco Christi, arcanum Patris est.*

PARS IV.

De vita Eremitica, & factis Ioannis.

Eremum intrat. I. PVer quinquennis in eremum se abdidit, vti animæ niueæ palumbes. Hinc in hymno:

Antra deserti teneris sub annis,
Ciuium turmas fugiens, petisti, &c.

OA-

O Amice Dei, inimice tibi saluberrime, quid in vtero sanctificate quæris porro in hac schola? Neque tamen mundo placebis. Nam, Matt. 11. *Venit Ioannes neq; manducans, neque bibens; & dicunt: dæmonium habet. Venit Filius hominis manducans, & bibens; & dicunt: Ecce homo vorax & potator vini.* Idem hodie fugillatores Religiosorum.

Vt peccatū fugiat etiam venialia.

At causa vtriq; fuit: Ioanni, quia peccatum metuebat. Non autem Christus. 1. Leo solus animalium sub Ioue dormit frigido, nec antrum subit, nisi defendēdi solis causa, & vmbræ captandæ: at cætera noctu antra subeunt; metus, & securitatis ergo. Ita Iesus inter homines securus, non item Ioannes, omnis homo potest excidere, solus Iesus non. Semper asylum iustis solitudo; vt rarius cadant; surgant citius. Quare etsi in sanctificatione firmatus gratia fuit, vt Angeli, Ioannes; attamen venialiter peccare quiuit, vt homo; ideo secessit.

2. Æstate itinerantes mane summo viam ineunt; ardente sole meridionantur, extra æstum & puluerem; ita Baptistā mortalia, & venialia vitant. Hæc instar muscarum sunt æstiuarum, quæ Eccl. 10. *Morientes* etiam *perdunt suauitatem vnguenti* gratiæ.

Vestitus Camelina.

II. *Ioannes erat vestitus pilis Cameli.* Pœnitentiæ habitus hic est. 1. Nam Mat. 11. *Ecce, qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt.* Effœminatorum hoc, aut molliculorum Iunoniorum; istud fortium. 2. Dij leonina, aut ferina vestiti pelle proponebantur; indicio roboris, ac virtutis exercitæ. 3. Romani Imperatores tali habitu gloriabantur loco paludamenti, quasi Herculei. Vane hi: Sane Ioannes, horror dæmonibus, stupor orbis; honor Angelis.

Antro se abdit.

Antrum subit, vti lux lucernam; quo esset *lucerna ardens & lucens.* Cur id? 1 Quia Christus sic: *Vere tu es Deus absconditus.* Ideo sic & prodromus eius quasi lucernarius. 2. Absconditus sol Christus erat exoriturus; dum oriretur, lucerna vtendum fuit Ioanne: *Qui venit in virtute & spiritu Eliæ.* *1. Vt lux in lucerna.*

S. Epiphan. & Dorotheus Mart. referunt in vita Prophetarum, Eliam in cunis ab Angelis inuolutum fuisse igneis fasceolis: Patrem ex Pontifice Ierosol. interrogasse ostenti interpretationem; hūc respondisse, virum fore cœlestem, Dei inimicis inuictum. Nostra ardens lucerna vsus it Herodem. Nam Ps. 96. *Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius.* *2. Est ignis vrens improbos.*

Reges Persarum, itemq; aliqui Imperatores Rom. sibi præferri sacrum Ignē curabant; honore Diis proximo, aut proprio. Is Ioannes est Christo. *3. Præferēs Deum.*

In Candelabro, *Exo.* 28. iuges lucernæ ardebant coram *Arca* testamenti. Ioannes is est. Ita *Tert. li. 1. contra Iudæos cap. 7. & Cyrill.* de Baptista explicant illud Psal. 131. *Parauī lucernam Christo meo.* *4. Lucens in candelabro.*

III. Pharao Iosephum, *Gen.* 41. fecit ascendere super currum suum, clamante præcone; vt omnes coram eo genu flecterent. Talem præconem Christi Deus misit Ioannem, qui esset *Vox clamantis in deserto, parate viam Domini.* *5. Præco Christi.*

Vt, *Gen.* 24. Abraham misit Eleezerū seruum, qui sponsam filio quæreret: sic Deus Ioannem, qui Ecclesiam Christo desponsaret; iuxtaq; puteum, seu Iordanem baptismalem, *cum biberunt cameli, protulit vir inaures aureas*, fidem *quæ ex auditu est appendentes siclos tuos* Trinitatis & Incarnationis; *& armillas totidem pondo siclorum decem* Decalogi: *Vasaq; aurea, & argentea* Sacramentorum à Iesu instituendorum, quæ prædocuit Baptist. vt Baptismum, Pœnitentiam, Eucharistiam *Agni*; Matrimonium in Hetode, &c. *6. Paranymphus Christi & Ecclesiæ.*

7. Plusquã Prophetes.

Moyses ait, Deut. 19. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus.* Ioannes *negauit: Non sum.* Dominus autem dixit, quod esset *plusquam propheta.* Quia alij futura prædixerũt, aut præterita descripserunt, vt Moses; aut præsentia absentes cognouerũt, vt Elisæus de Giezi, 4. *Reg.* 5. At Ioannes præsentia edixit, & annunciauit: *Ecce Agnus Dei.* Præterita sciuit & aperuit scelera, Luc. 3. *Genimina viperarum, quis vos docuit fugere à venturam iram?* Futura prædixit. Ioan. 3. *Hunc oportet crescere; me autem minui* capite. Plinius ait esse milui genus vultureum, quod triduo, quatriduoue odoratur ante, quam corpora moriantur. Ioannes præsensit istis, moriturum post se Iesum, exaltandum in cruce. Quo respexerit Iesus, dicens Matt. 24. *Vbi ceciderit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ.*

8. Prænuncius Passionis Dominicæ.

PARS V.

Vnde, & quibus sit Magnus.

Magnus Auctoritate ad fidẽ.

I. VEre *Magnus Ioannes.* 1. Ac tantus; vt non egeret miraculis, ad fidem sibi parandam: Quasi quod supra ista viri esset autoritas. 1. Nempe, Ioan. 1. *Hic venit, vt testimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum.* 2. Quo supra Apostolos erat. Nam hi, Marc. 16. *Prædicauerunt vbique Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis*: quanticunque & ipsi testes essent. Ioannes dixit; *Ecce Agnus*: Et populus credidit, secutus Iesum. Quantus; ad tantulam vocem populum sequi tantum.

2. Vitæ.

2. *Magnus*, vt pro Messia haberetur à populo ante: post etiam à Pharisæis, sciscitantibus; *Messias es tu?*

3 Facilis & humilitatis.

3. *Magnus*: Nam, Mat. 5. *Qui fecerit, & docuerit, hic Magnus vocabitur in regno cœlorum*, at fecit Ioannes pœnitentiam; & impleuit omnem iustitiam. Et tamen, 1. Reg. 5. *cum esset paruulus in oculis suis, ecce Caput in tribubus Israel factus est.*

4. Manus Dei.

4. *Magnus*: Quia *Manus Domini erat cum illo*, quæ eum fecit singulariter, introducendum in orbem. 1. Mirantur orbem alij, opus duntaxat digitorum Dei, Ps. 8. *Videbo cœlos tuos, opera dig. tuorum.* 2. Isa. 40: *Mensus est pugillo aquas, & appendit tribus digitis molem terræ.* 3. Magi, *Exod.* 8. visis muscis exclamarunt: *Digitus Dei hic est.* At vero tota *Manus Domini erat cum Ioanne.* Ipsum vna superat Incarnatio: de qua sic Scriptura: Luc. 1. *Fecit potentiam in Brachio suo.* Isa. 53. *Brachium Domini, cui reuelatum est?*

5. Maximus omnium Beatitudinis Iesu.

II. *Magnus* adeo, vt *nullus maior.* Quia Dominus omnes, Rom. 8. *quos præsciuit, & prædestinauit, conformes fieri imagini Filij sui.* Ideo offensus *Apoc.* 21. Angelus virga aurea demetiri ciuitatem Dei, muros, pila, portas & propylæa. Vt omnia Christo conformia forent. Hunc ad calamum mensorium se extendit Magdalena; sed vsq; ad pedes tantum: *stans retro secus pedes eius:* Luc. 7. Hæmorrhoissa, ad fimbriam pertingebat: Matth. 9. *Si tetigero fimbriam vestimenti eius.* Thomas attingẽs ad latus exclamat: Luc 24. *Dominus meus, & Deus meus.* Ioannes Euangelista ad pectus recubuit, *Matth.* 27. At Baptista vltra verticem Christi manum extulit apud Iordanem: quo nec Angelus quiuit vnquam pertingere.

6. Anonymia.

Tantus fuit, 1. Vt nec ipse Ioannes, *c.* 1. de se affirmare auderet: negat: *Non erat ille lux.* 2. Et ipse *Non sum Elias, non Christus, non Propheta.* 3. D. Thom. p. 1. q. 11. a. 5. ad 2. docet Deum per negatiua percipi potius, quid non sit: quã per affirmata, quod sit. Ita *S.* Aug. *Vis scire quid sit Ioannes? Non est Deus, non est Christus.*

7. Honore visitationis à Christo.

III. *Magnus.* Ita enim dilectus Iesu, vt præillo neminem citius visitarit. Rex ciuem certum inuisat; hæc quanta gratia? Quare

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Quare audiens Dominus, Ioannem ab Herode occisum, Marc. 6. *abiit in desertũ*: quasi luctum indutus.

8. Officio præconii sui.

Hieron. in vita S. Hilarionis ait, Alex. Magnum ad sepulcrum Achillis substitisse, huncq; beatũ prædicasse, quod Homerum præconem habuisset. Nugæ, Beatus Christi præco Ioannes est, cuius præco Christus.

9. Fuga honorum.

Messiæ honorem translatum ad se Ioannes refutauit: *Ioan.* 1. dignus qui vicissim ab eo honoraretur: vt factum.

10. Honore dato, cui debebatur.

Rege Lacedæmonũ Polydecte mortuo, vidua grauida nunciat eius fratri Lycurgo: vt securius regnum absq; competitore haberet, se prolem in vtero enecturam veneno. Is sibi placere simulat; ne tamen sibi ipsa noceret, iubet parci: sibi non defore modũ occidendi natum. At natum affert ad Senatum, suamque ponit purpuram dicens: *Ecce hic Rex vester legitimus; non ego*: Simul infanti regia defert insignia exrex. Ita Ioannes: *Medius vestrum stetit: quem vos nescitis: cuius non sum dignus soluere corrigiam calceamenti.* Ioan. 1.

Talis nati felici genitori acclamemus istud Iuuenalis *Sat.* 9. nobisque inuicem: quo magis sit festa dies,

Floribus suspende coronas;
Iam pater es.

IN F. APOSTOLORVM PETRI & PAULI.

Tu es Petrus: & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.

Matt. 10.

MOyses *Exod.* 25. Domini iussu supra Arcam statuit duos Cherubinos pute aureos, qui sese respectarent, alisq; pãsis Propitiatorium obtegerent. Aureum charitate par Apostolorum, hic gentium, ille Iudæorum Doctores, sese respiciunt spiritu & doctrina vna: summumque locum tenent in Ecclesia.

Nos pro festo

I. Figuras afferemus de mystico numero duodenario.
II. De titulis, & petra Petri.
III. De incomparabili præcellentia Petri, ex potestate clauium.
IV. De S. Pauli in prædicando auctoritate, & scientia.
V. De gemina Doctoris gentium charitate.

PARS I.

Figura de mystico numero duodenario.

I. QVarumcumque rerum numerus duodenarius in Scripturis occurrit, Apostolos eum repræsentare Patres volunt. 1. Vt enim XII. Patriarchæ in Synagoga Tribus XII. constituerunt: ita cœtum electorum in Ecclesia XII. Apostoli: De quibus Ps. 44. *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram*, id est, Patriarchis successerunt Apostoli. *XII. Patriarchæ auctoritate.*

2. Hi sunt, Apoc. 4. *super thronos* XXIV. *Seniores sedentes, circumamicti vestimentis albis, & in capitibus eorum coronæ aureæ.* *2. Seniores sapientia.*

3. In exitu de Aegypto, Exod. 15. *venerunt in Elim filij Israel, vbi erant* XII. *fontes aquarum, &* lxx. *palmæ*: quibus refecti oẽs. *3. Fontes doctrinæ.*

4. Leu. 24. *Accipies similam, & coques ex ea* XII. *panes* Propositionis: *qui singuli habebunt duas facies.* XII. articulos proposuerunt orbi Apostoli, quibus omnes satiantur. *4. Panes propositionis. Exemplo.*

5. *Habebat Salomon*, 3. Reg. 4. XII. *Præfectos super omnem Israel, qui præbebant annonã Regi, & domui eius.* Oeconomi sunt Apost. Matt. 4. *Non enim in solo pane viuit homo: sed de omni verbo, quod procedit de ore Dei.* *5. Oeconomi solicitudine.*

6. Ad thronum Salomonis. 3. *Reg.* 10. erant XII. *leunculi stantes super gradus hinc, & inde* *6. Leunculi prædicationis.*

& inde. Magnus leo de tribu Iuda data scensum ad se per XII. rugientes leoninum prædicando. 7. Vas, seu *Mare æneum & boues XII. subter mare.* 3. Reg. 7. Ita sub Christo Apostoli, iugum eius succollantes fortiter.

7. Boues constantia.

8. Lapides.

8. Apoc. 21. Vidi *S. ciuitatem : & murus ciuitatis habebat fundamenta* XII. Petræ Apostoli. Matt. 10. *Tu es Petrus, & super hanc, &c.*

De numero XIII. Apostolorum.

II. Dices. Figurarum numerus non par est Apostolorum, qui XIII. fuere. Nam & Paulus, & Barnabas Apostoli fuere. *Respondeo*, 1. Subinde in Scripturis numerum poni certum pro incerto, Vt, Apoc. 7. *duodecim millia signati.* Daniel. 7. *Millia millium ministrabant ei.* 2. A Domino XII. fuerunt electi numero perfecto: Vt *Gen.* 48. Filii Iacob. XII. fuerũt: at dante Iacob benedictionem, Tribũ Ioseph subdiuisit in duas, Ephraim, & Manasses: vt XIII. Tribus essent : & tamen semper XII. tribuum fit mentio. 2. Ita LXXII. fuerunt Interpretes Bibliorum; & tamen tantum LXX. fit mentio : quod hic numerus sit rotundus.

De duobus eximiis Apostolis.

1. Ita ad thronum Salomonis præter XII. Leunculos erant, 3. Reg. 20. *duæ manus hinc atque inde tenentes sedile, & duo leones stabant iuxta manus singulas :* hi maiores significabant Petrum & Paulum. Vnde XIV. erant leones; cum tamen XII. solum nominari soleant. 2. Ita inter XII. Exploratores à Moyse misso, *Numer.* 13. eminebant cæteris duo, Iosue & Caleb.

3. Isaias 25. *Vidi currum duorum equitum. &c.* qui Babylonem vastabant, *& dixit: Cecidit, cecidit Babylon, & omnia sculptilia deorum eius contrita sunt.* Hi duo generosiores fuerunt Petrus & Paulus Vastatores Idololatriæ. Simul vixerunt, & obierunt.

PARS II.

De titulis, & petra Petri.

1. CONc. Ephesinum titulat Petrum Ecclesiæ verticem, Christi Vicariũ, cœli ianitorem, Petram fidei, Mosis successorem : Fontem cæterorum riuulorum Apostolorum : Arborem ramorum : solem radiorum. *1. Petri tituli eximij.*

2. Vere Domine, *Minuisti eum populo minus ab Angelis*, Psalm. 8. qua homo ! At qua præies Ecclesiæ, Angelis superior est. Ratio. Quia singuli homines singulis commissi sunt Angelis: Vnde *Angelis suis mandauit de te.* Archangelis ciuitates, Respon. regna. At Petro Ecclesia tota. *Tu es Petrus, &, &c.* *2. Est supra angelos.*

3. Et vero meritus Primatum est. 1. Nam primus discessionem à Christo refutauit. Ioan. 6. *Nunquid & vos vultis abire?* (de veritate Eucharistica agebatur) Cui Petrus: *Domine, quo ibimus ? Verba vitæ æternæ habes.* 2, Primus Dei Filium confessus est: Matth. 16. *Tu es Christus Filius Dei viui.* 3. Primus se vel in mare deiecit amore sequendi Dominum, Matth. 4. *3. Primatum est ministerium.*

4. Primus se morti obtulit pro Christo. *Paratus sum tecum in carcerem & in mortem ire.* 5. primus in Passione Domini defensionem manu parauit, vnus contra tot. 6. Primus sepulcrum Domini iniit. Merito igitur *Tu es Petrus. & &c.*

II. Vt Gen. 2. *ædificauit Dominus costam, quam tulerat ex Adam*: Ita Christus est Adam: Eua Ecclesia: Petrus costa est, Christus Iacob vnum è mille delegit, *& tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo, & erexit in titulum.* Gen. 28. qui esset Oratorium Dei: Christus Petrum in titulum Ecclesiæ erexit. *4. Costa Christi est.*

5. Dan. 2. *Lapis autem qui percusserat statuam, factus est mons magnus, & impleuit vniuersam terram.* Petrus fuit lapis à mõte Iesu deuolutus, idololatriæ prostrator, ac vitio- *5. Est titulus Ecclesiæ.*

vitiorum: orbem denique occupauit. Vt Ps. 2. *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.*

7. Asylum in tribulationibus exultans.

6. Dauid Psalm. 60 *Dum anxiaretur cor meum* tribulationibus, *in petra exaltasti me,* atque ita non corruebam. Ita Ecclesia persecutionibus Ethnicorum, hæreticorum, filiorum quoque diuexata; stetit fortior & creuit supra Petram Petrum. Namque Psal. 39. *statuit supra petram pedes meos:* Petra est infallibilitatis, & soliditatis cum fidei, tum morum.

8. Improbabile.

8. Quale fanum illud apud Delum in sulam in rupe stabat integrum solum; cum omnes domus insula tota corruissent ex terræ motu teste Epaphol 17. Sic, etsi fractus illabatur orbis; stat tamen, stabitque Ecclesia.

9 Infallibilia.

9. Romani iuramento quid firmissimum facturi *Iouem lapidem* iurabant hoc ritu: vt lapidem sustollerent alte, dein humi demitterent. Ita Petrum Dominus euexit alte, & in fundum Ecclesiæ demisit, ipsi firmandæ sic, quod *nec portæ inferi præualebunt aduersus eam.*

10. Turū.

10. Nam, vt Ieremias, *cap.* 3. præuidens euastationem Ierosolymæ; *Arcam* è Templo sustulit: in rupe collocat: orat Deum, eam tueatur. Ita Iesus præuidens Ecclesiæ tribulationes, eam in Petra fundat; Hinc est *ciuitas supra montem posita,* & orat pro ea. *Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua.*

11 Refecillans defectos.

11. Rupes Sinai prorupit aquam, *Exod.* 17. *Num.* 20. quæ cunctos refecit homines & bruta. Eaque, *Deut* 8. secuta est eos vsque in terram promissionis. Nam, 1. Cor. 10. *Bibebant de consequente eos petra,* primum Christo, dein eius Vicario Petro.

12. Sternit inimicos.

12. Dauidis lapis, 1. *Reg.* 17. Goliathum strauit. Philistæos consternauit, Israelitas exhilarauit. Petrus à Iesu manu vibratus est in hostium ruinam, & fidelium gloriam. *Tu es Petrus, &c.*

13. Et viuus fide hic lapis est; supra viuo autem lapide voluit Deus omnia veteris Legis offerri sacrificia. Nos quoque super fidem Petri diuinum cultum omnem præstamus Deo. 13. *Cultum Deigratū.*

14. Vidit Zacharias, c. 3. *super vnum lapidem 7. oculos.* id est: super Christum 7. dona Spiritus: at cur non cōmunione quadam & super Vicarium Christi? 14. *Spiritu abundat.*

15. Deus ostendens, quanti & ipse faceret Filium, fieretque ab Angelis, ait, Isa. 28. *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatū, angularem, pretiosum.* Hunc suum honorem Christus cum Petro communicauit, dicens: *Tu es Petrus &, &c.* 15. *De honore Christi participi. pat.*

Hinc Petri & clauium maiestas colligitur. Nam Isaias, de Messia magnum quid memoraturus, ait cap. 22. *Dabo Clauem domus Dauid super humerum eius: aperiet, & non erit, qui claudat, claudet, & nō erit qui aperiat.* Atqui suā Christus Petro Clauim cōtulit: simul in societatem honoris istius accepit.

16. Idem ignis lutum indurat; vt lateres; qui dein templis tegendis imponūtur: Idemque Petras emollit, vt in calcem resoluantur. Ita idem S. Spiritus ignis duriorem petra Paulum mollit, vt dicat, *Act.* 9. *Domine, quid me vis facere?* At Petrum ad ancillæ vocem fragilem indurat in petram inuictam. 16 *Confortat debiles, mollitque duros.*

PARS III.

De incomparabili præcellentia Petri ex potestate clauium.

I. QVibus prouincia olim demandabatur; iis in manus dabatur clauis, potentiæ; gleba, regni lapis, constantiæ; nummi septem, officii symbolum. Christus Petro Claues. *Clauibus donatur.*

Iani statua Romæ bifrons, claues in manu gerens, petræ insistebat. Figura hæc Petri venturi fuerit Romanis, licet igna- *Cum vtraque Iurisdictione.*

ignaris. Qui & bifrons intendens primario Spiritalibus, secundario temporalibus: Cum clauibus binis *ligandi, soluendique super terram & in cœlis.*

Supra cunctos Apostolos.

Fuit igitur cæteris Apostolis non par solum, sed & superior autoritate. Par in vsu Clauium, qui omnibus ex æquo datus fuit: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* At superior proprietate clauiū. 1. Nam dictum: *Tibi dabo claues*: non, *Vobis.* 2. Sicut plurium seruorum Dominus peregre tendens, vni nominatim credit claues domus: non quod cæteris vti non liceat; sed vt intrando, exeundoq; perinde communiter vtantur: ille autem vnus curā præcipuam gerat clauis, ac domus. Ita *Dominus, in longinquam regionem profectus,* soli Petro supremam Iurisdictionem mandauit, vt suo absentis Vicario; quem cæteri respectarent.

3. Quare, vt Paulus argumentatur pro Christi præcellentia, Heb. 11. *Cui vnquam Angelorum dixit Deus. Filius meus es tu, Ego hodie genui te?* Ita pro Petro Bernardus: *Cui vnquam Apostolorum dixit Christus: Pasce oues meas: Tibi dabo claues regni cœlorum: super hanc Petram ædificabo?* Ergo vt Christus est Caput Angelorum: ita Petrus Apostolorum.

Quo inter vis nil gloriosius est.

II Quod si igitur, 1. Mach. 15. *Athenobius amicus Regis Antiochi cum Ieroſolymam venit, & vid t gloriam Simonis, & claritatem in auro & argento, & apparatum copiosum,* obstupuit. Quanto magis spiritalem maiestatem talem nostri Simonis Petri, cœlorum potentis? Quo; quousque piscator ascendisti? Sed humiles exaltat Deus.

Aman, *Esth.* 7. ab Assuero primus, at quia insolescebat contra Mardochæum Reginæ nutricium, deiicitur, ac perit; eique Mardochæus sufficitur. Ita Summus Pontifex Iudæorum, quia in Iesum impius, inque Ecclesiam; exauctoratur, & Petrus subrogatur.

Deo par est.

Quod Iobo Deus, suam ei potentiam declarans ait: c. 40. *Si habes brachium sicut Deus: & simili voce tonas: circunda tibi decorem, esto gloriosus, & in sublime erigere.* Idem de Petro dixerim: Cuius brachium attingit à fine vsque ad finem terrarum ac cœlorum, vt Deus: & vox similis Dei, contra peccata tonans: *Remittuntur tibi peccata tua.* Luc. 5. Neque tamen inde se erigit in sublime ipse: sed erigitur à Deo.

Certe Dei Vicarius.

III. Recte ita de se Ioseph: Gen. 39. *Ecce Dominus meus, omnibus mihi traditis, ignorat, quid habeat in domo sua: nec quicquam est, quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi.* Rectius istam vsurpabit Petrus: adeo ipsi omnia sunt tradita.

Angelis venerandus.

Hinc ipsis fuit Angelis venerationi; vt qui disruptis catenis eum ex Herodis carcere eduxerint. *Actor.* 12. Quippe qui alios plures exoluerat vinculis peccatorum.

Deo magni habitus.

Quid quod Trinitas Ipsa magni Petrū æstimauit, facta ei præ cæteris reuelatione rei omnium maximæ? Vnde Dominus, Matth. 16. *Beatus es Simon bar Iona.*

Fidelis vicarius eius.

Simon fidelitatis vocabulū est. Quam ei reducens in mentem alibi ait, Matth. 26. *Simon dormis?* Nabuchodonosor subacta Iudæa, Mathathiam Proregem constituit; at mutato nomine Sedechiam appellauit. Vt, ait Lyra, fidelitatis eum sibi iuratæ, commonefaceret 4. *Regum* 24. præstaretque tributum fidelibus, 1. *Paral.* 26. Ita Monarcha Ecclesiæ factus, orbe subacto, Iesus Petrum, istis Fidelitatis Sacramentum facientem Domino, constituit Proregem suum seu Vicarium dicendo: *Beatus es Simon Bar Iona.* Finem imponat S. Bernard. libr. 3. de Consid. cap. 8. *Tu princeps Apostolorum: tu in primatu Abel, in regimine Noe, in patriarchatu Abraham, in Ordine Melchisedech, in dignitate Aarō, in Auctoritate Moyses, in iudicando Samuel, in Vnctione & potestate Iesus.*

PARS

PARS IV.

De S. Pauli in prædicando Auctoritate, & scientia.

Roma fuit cum Petro.

I. PAulum & Petrum Romæ fuisse simul, ex consensu historicorum fatetur Caluinus. Nugantur, qui istius probationem ex Scriptura reposcunt: Nam Acta Apostolorum ad id tempus finiuntur: Apocalypsis vero futurorum tantum meminit, non præteritorũ. Hoc parergõ.

Prædicator perfectus.

Vt magnus auctoritate, & potestate Petrus: ita scientia & doctrina Paul⁹. Vnde antonomastice Apostolus dicitur, & Prædicator; Vt in quo perfecta fuerunt quæ tria in Prædicatione necessaria. v. g. Auctoritas missionis; Scientia, Charitas.

1. Auctoritas missionis.

1. Auctoritas ei fuit. 1. Quia Galat. 1. *Paulus Apostolus, non ab hominibus neque per hominem: sed per Iesum Christum, & Deum Patrem, qui suscitauit eum à mortuis.* 2. Ac licet extraordinaria esset illius Missio, in via strati, Solymamque missi; ea tamen ab ordinario, Petro, fuit approbata. Neque ordinariæ missioni in vllo aduersabatur. 3. Sicut ipse Dominꝰ sic docuit extra ordinem missus; vt ordinarios tamen non temneret Quin ad eos populum aduertit; Matth. 13. *Supra cathedram Mosis sederunt Scribæ & Pharisæi; omnia, quæcunque dixerint vobis, seruate, & facite.* At nouatorum ementita missio ordinarijs aduersatur.

2. Scientia supra Apostolos cæteros.

II. Scientia Prædicatori necessaria est. Alioquin, Matth. 15. *Si cæcus cæcum ducat, ambo in foueam cadunt.* At Paulus & acquisitam, & infusam habuit scientiam supra cæteros Apostolos, 2. Pet. 3. *Charissimus Frater noster Paulus, secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis: sicut & in omnibus Epistolis suis loquens in eis de his. In quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ instabiles, & indocti deprauant.* 2. Et ipse, 2. Corinth. 12. *Scio hominem ad tertium vsque cœlum raptum: quoniam raptus est in paradisum, & audiuit arcana verba, &c. Et ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ.*

Eloquẽtia mirus.

Dicuntur Augustini vota fuisse tria. *Videre Christum conuersantem: Paulum concionantem: Ciceronem in rostris detonantem.*

Est luna, & oculus Ecclesiæ.

Fecit Deus. Gen. 1. *duo luminaria magna:* ita & Incarnatus *luminare maius* Petrum, *minus* Paulum, vt hic *præesset nocti* Gentium; is *diei* Iudæorum. Ambo tam Ecclesiæ necessarii, quam illa orbi. Vtque luminaria ea orbis oculi Philosophis sunt dicta: & quod in capite humano oculi, sic & idem illi in Capite sunt Ecclesiæ: teste Chrysostom. hom. 55. in Ioann. & Ambr. in Hexamero. Nil in fide videret Ecclesia; nusquam rite procederet, sine istorum conductu. Hinc Bernardus, vocat eos *Duo mundi lumina.* Dominus, *Vos estis lux mundi.*

Est Candelabrum.

III. Patres quidam istud Apoc. 11. *Duo candelabra in conspectu Domini terræ stantia;* de duobus hisce intelligunt. Lucent & alij, at hi prælucent. Quale Petrus candelabrum? quale Paulus? *Nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo sunt.* Petrus supra omnes est positus; Paulus proximus.

Est oliua.

Zach. 4. *Duo oliuæ super illud,* candelabrum Christum: *vna à dextris lampadis,* Ecclesiæ: *alia à sinistris:* è quibus oleum in lampadem fluebat. Oliuæ Apostoli, plantati super Christum, fundunt oleum doctrinæ virtutum, &c.

Est vber lactens.

Can. 7. Sponsa sponso: *statura tua assimilata est palmæ, & vbera tua botrus.* Ita & sponsæ Ecclesiæ vbera, duo Apostoli, sunt plena lactis optimi. Inuitat Petrus ad sua, 1. Pet. 2. *Quasi modo geniti infantes lac concupiscite.* Dedit & Paulus lac, 1. Corinth. 3.

Lac vobis potum dedi: non escam. Nimirum quod doctrina vtriusque, vt lac dulcis, candida. Huc inuitat Isaias, cap. 55. *Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, emite gratis vinum, & lac.* En scientia triplex: naturalis, aquæ: humana, vini: diuina, lactis. Et lac isti dedere merum.

PARS V.

De gemina Doctoris gentium Charitate.

I. CHaritas, & Zelus, dos tertia prædicatoris est. Hæc quanta in Paulo? 1. Corinth. 13. *Si linguis hominum, vel Angelorum loquar: charitatem autem non habeam; nihil sum.* Vin' amplius? Rom. 9. *Optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis.* Ecce imitatorem Christi; qui etiam Galat. 3. *Factus pro nobis maledictum,*

1. Dei. Duplex in eo charitas æstuabat. Vnde Rom. 8. *Quis nos separabit à charitate Christi?* Qualis lapis Aretis

Qui semel accensus susceptos detinet ignes.

nec vento, vel aqua restingui potest. Non arsisset inextinguibilis, qui vere aiebat. Galat. 2. *Viuo iam non ego; viuit vero in me Christus?* Nimirum, anima est magis vbi amat, quam vbi animat.

2. Et proximi. II. Proximi charitate vrebatur acriter, qui tot tantaque pertulit tam fortiter. 2. Corinth. 11. *In itineribus sæpe, periculis fluminum, pe. latronum, pe. ex gentibus, & genere, &c. in labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame & ieiuniis multis, in frigore & nuditate, &c.* Sed in hisce, vt in mari echineis, seu remora piscis, circumferebatur, attrahens animas, vt illa naues retentans, aurumque ad sese trahens

Et ita traxit, vt eas emacularet à peccatis: vt nemini male merenti parceret; nec Petro: nam Gal. 2. *In faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat*, venialiter forte: quod nollet Iudæos cum gentibus conuersari, scandalo deuitando. Vere aureum is emunctorium fuit reprehendendo merentes.

Quare qui sic vigilarunt super grege suo mortales: non iam cœlites eius degent immemores? Sciunt nostra, audiuntque vota, & amant. 2. Quid? *Actor.* 5. Scire quiuit occulta cogitationum Ananiæ Petrus: & nesciret vota nostra publica? 3. Quid? *Nos*, 1. Corinth. 13. *ex parte hic cognoscimus, ex parte prophetamus: Cum autem venerit, quod perfectum est.* Non illi &c. qui perfectum nunc habent; nostra cognoscerent? 4. Quid? Qui sedenti ad portam templi claudo dixit: Actor. 3. *Aurum & argentum non habeo, sed respice in nos. Quod autem habeo, hoc tibi do; surge, & ambula:* Idem à nobis rogatus suppliciter, loquetur pro nobis bona. *Apostoli sciunt nostra.*

DE F. VISITATIONIS B. V. MARIÆ.

Exurgens Maria abijt in mont. cum festi. Luc. 1.

ARca, 2. *Re.* 6. in domum Obed-Edom diuertens multis mactam felicitatibus beauit. Pluribus domum Zachariæ B. V. MARIA: teste Euang.

De quo nos

I. *Miranda B. V. Humilitas.*
II. *Quando, & cur obierit Visitationem.*
III. *De Montanis, & festinatione.*
IV. *Benedicti visitationis effectus.*

PARS I.

De admiranda B. V. Demissione.

I. IN Salomonæo maximum aurea fœderis Arca fuit. 3. *Reg.* 6. Et ipsa tamen humi, non in alto, posita stetit. 1. Par. 18. *Cogitaui, vt ædificarem domum, in qua requiesceret Arca fœderis, & Scabellum pedum Domini Dei nostri.* Id à patre, pater ex Deo didicit, *Area humi adoranda.*

didicit,& adornare Domum Deo, & Arcam. Psal. 98. *Adorate scabellum pedum eius.* id est,mystice, Humanitatem Christi,aut V. Sacramentum: Literaliter vero, Arcam.Ier. Futura plangens probra templi, ait: Thre. 2. *Non est recordatus Scabelli pedum suorum.*

B.V. humilis & imitanda.

Eccur ergo tanta stetit humi humilis? 1. Quia B.V. humilit. designabat. Bernardinus ser. 103. *Sicut nulla, post Filium Dei, creatura tantum ascendit in gratiæ dignitatem; sic nec tantum descendit in abyssum humilitatis profundæ.*2.Diony. Carth. de laud. Virg. l. 3. a. 17. Duos istos libros Eam semper apertos inspexisse,ait.q.d. *O Deus, quid Tu; & quid Ego?* 3.Rich.de S.Vict. in Cant. ca. 26 *Tantum gratiæ capax est aliquis, quantum fuerit humilis. Sicut B.Virgo.*

4.Cant.3. *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum* humilitatis, *sicut virgula fumi ex arom.myrrhæ,thuris,*&c.gratiarum?

Hinc Cant. 4. *Odor vnguentorum tuorum super omnia aromata* in cœlo & terra.

5.Angelus eam salutat *gratia plenam*? At ipsa humilis *cogitabat, qualis esset ista salutatio.* Angelus eam vt Dei Matrem prædicabat? At ipsa: *Ecce ancilla Domini.* Bene Bern.ser.4. super Missus est. *Non magnum est humilem esse in abiectione: magna prorsus & rara humilitas honorata. Quæ est hæc tam sublimis humilitas, quæ cedere non nouit honoribus, insolescere gloria nescit? Mater Dei eligitur; & ancillam se nominat.* Cassianus. *In profunda Virgo se abiecit, quæ inuitabatur ad alta: & à dominatu ad ancillatum animam conuertit & corpus.*

Causa humilitatis fuit altitudinis.

II. Nimirum, Aug.ser.10. de verb.Domini: *Quanto erit maius ædificium; tanto altius ponetur fundamentum:* At Christus erat templum: ego B.V. fundamentum altum esse oportuit.

Et pandoria.

Et tamen,vt Eccl. 1. *Omnia flumina intrant mare; & mare non redundat:* Ita ne B. V.intumuit.Leui & breui imbre flumina exundant: ita cæteri homines ex re nihili intumescunt. Et quantula nostra scientia, donaque naturæ,fortunæ,gratiæ ad B.V.M?

Simile.

Miraculum si mare totum paruo se fluuiolo infunderet: neque hic tamen inundaret: Ita se Christus B. V. infudit humili. Intumuisset? Quin *Exurgens abyt cum fest.*ad ancillandum.

PARS II.

Quando, & cur obierit Visitationem.

Series historica visitationis.

I. ORig. *Amb.Beda, Aug.l.2. Conc. Euang.* cêsent, B.V. isse statim à Salutatione ad Elisabetham; reuersam à Iosepho ductam domum, & cognitam grauidam.

Gerson sentit prius à Iosepho ductam; dein salutatam isse per montana; retulisseque vterum. 1. Non videri probabile, solam iuisse iter XX.leucarum,sed comitatum Iosephum,celante Virgine conceptionem: Vt *Tob.* 12. Angelus comes iit Tobiæ: seque demum aperuit. Quia aliquandiu celare bonum: at *Opera Dei reuelare & confiteri honorificum*: vt & Iosepho factum ab Angelo.

Ioſephi ad B.V. reuerentia.

Tunc ille ex humilitate, *Exi à me Domina, quia peccator sum.* Et *indignus, vt intres sub tectum meum.*1. Vt Moyses, *Exod.* 3. Visum addere rubum non ausus adire. 2. Osa tactæ temere Arcæ culpam luit: 2. *Reg.*6. 3.Bestia, *Exod.* 19. nefas tangere montem: Ita & Ioseph metuerit tangere Christianam Domini. Talia *S. Chrys.* 2.ratio. Quia si Ioseph eam grauidam duxisset; scandalum dedisset Iudæis & Gentibus: & se cum Virgine suspectos propinasset orbi. Quare ante Salutationem eam duxerit.

Humilitas.

II. Causa vero cur, cognatam viserit, 1.fuit humilitas. Lu.1. *Respexit hum. ancillæ suæ. Ecce ancilla.*sicut & filius.Psalm.115. *Ego seruus tuus, & filius Ancillæ tuæ.* 1.Non sic

Agar; quæ Gen.16. *concepisse se videns, despexit Dominam suam* 2.Sed qualis Esther, cap.2. *Quicquid Mardochæus præcipiebat, obseruabat Esther, & ita cuncta faciebat; vt eo tempore solita erat, quo eã paruulã nutriebat.*

3. Vox Chrys. est: *Difficilis castitas inter delicias; humilitas inter honores:* At B.V. Eccles. 3. *Quanto maior es, humiliate in omnibus; & inuenies gratiam coram Altissimo.*

Quam ea dissimilis Euæ? Eua ob superbiam humiliata; B.V. ob humilit. exaltata. Iuxta Luc. 1. *Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.* Ezech. 7. *Ego, ait Dominus, humiliaui lignum sublime; & exaltaui lignum humile.* O quam sublimis Eua fuit? *Fides.* At cecidit. 2. Causa: Vt fidem suam de re audita testaretur: Non; ceu Theophy. in Luc.1.ait, *quo non vt incredula, sed vt diligens rem exploraret.* Sed, vt Beda ait, *Intrat Virgo domum Zach non quasi dubia de oraculo: non, vt verbum Angeli mulieris attestatione probaret.* &c. Quippe *Beata, quæ credidisti, quæ dicta sunt tibi à Domino.* S. Ambr. in 1. Luc. *Non quasi incredula de oraculo; nec quasi incerta de nuncio; nec quasi dubitans de exemplo: sed quasi læta pro voto, religiosa pro officio, festina præ gaudio ad montana perrexit.*

Sanctificatio Ioannis. 3. Causa. Orig.ho.7.in Luc. *Iesus, qui in vtero Virginis erat, Ioannem adhuc in ventre matris positum sanctificare festinabat:* & gratis implere domum Zachariæ.

Gratulatio. 4. Causa. Beda hom. de Visit. *Vt congratularetur de dono, quod Elisabetham accepisse didicerat.* Ita & Metaphr. or. de Bapt.

Obsequiũ. 5. Causa, S. Antonin. p.4.tit.15.cap.17. *Virgo*, ait, *cum Elisabeth tribus mensibus stetit, vt in partu ei seruiret.* Bed. ho. de Vis. *Vt mulieri prouectæ ætatis virgo iuuencula ministerium sedula impenderet.*

Exemplũ. 6. Causa: Vt iuuenculas doceret honorem impẽdere senioribus. Vt ethnicis etiã in more.1.Hinc *Appiano teste*, in Gaditana insula tẽplo colebatur Senecta Dea.

2. Quin capite plectendi ad Senum genua vel ad azyla fugiebant.

3. Leu. 19. *Honora personã senis.* Ieremias de Babyloniorũ in Ierosolymitanos barbarie, ait, Thr. 4. *Faciem senum non erubuerunt, neque miserti sunt.* 4. Baruch. 4. *Eduxit super illos gentem de longinquo, gentem improbam; qui non sunt reueriti senem.* 5. Voces impiorum sunt, Sap. 2. *Opprimamus pauperem iustum; non parcamus viduæ, nec veterano, nec reuereamur canos multi temporis.*

PARS III.

De Montanis, & festinatione.

Studium perfectionis per ardua. 1. *Abiit in montana*: Nazaretho nam̃q; alti' sita Ierosolyma est: Hinc Mat. 20. *Ecce ascendimus Ierosol.* 1. Beda in Luc. *Typicum exemplum Virgo tribuit: quod omnis anima, quæ verbum Dei mente concepit, Virtutum statim celsa cacumina gressu conscendat amoris.* Ita de se Psal. 17. *Perfecit pedes meos, tanquam ceruorum; & super excelsa statuens me.* Scilicet ex quo verbum Dei audij, id est, ait ibi Aug. *Perfecit amorem meum ad transcendenda spinosa sæculi, & super cœlestem habitationem fixit intentionem meam.*

In valle periculum animæ. Pia hominum indoles petit alta; vt auium. In his tamen aliquæ humi repæ, vermibus infectisque inhiant: ita terrigenæ tantum terrena sapientes.

Salus in monte. Cœliuaga fuit auis Loth; cui dictum Gen.19. *Ne stes in omni circum regione, sed in monte saluum te fac.* In montibus salus; periculum in vallibus. *In montana conscendite, ne forte occurrant vobis reuertentes:* Suadet Raab exploratoribus. *Iud.2.*

In B.V. maxima. Quid multa, Perfectionis Psalm. 86. *Fundamenta in montibus Sanctis*: & B.V. à prophetis *Mons in vertice montium* appellatur: vtpote, quæ omnes supra Diuos Angelosque est. Lucæ 1. *Quia fecit mihi magna, qui potens est.* Quanta? *Quem cœli capere non poterant; tuo gremio contulisti.* Magnum, quod, *Iosue 7.* Iordanem

retro

retro egerit Deus, vt ad fontem refluere-ret: Psalm. 113. *Quid est mare, quod fugisti; & tu Iordanis, quia conuersus es retrorsum?* Infinities maius, quod *Antiquus dierum* factus est infans.

Festinat intrepida.

II. *Cum festinatione abiit*, sine metu. 1. Iacob fratri se excusans ait, Gen. 32. *Nosti Domine, quia oues, & fœtas habeo mecum: quas si minimum coegero festinare, morientur cuncti greges vna die mecum.* B. V. ouicula fœta est, & tamen sic festinat.

Sed implendum erat illud, Cant. 2. *Surge, propera amica mea.* 2. Cui illa Ps. 118. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Ergo, Ps. 18. *Exultauit vt gigas ad currendam viam.*

Certis ex causis.

Sed quæ festinationis causa? 1. Fuga publici. Caiet. Lyra, S. Ambr. de Virg. *Discite Virgines nō demorari in plateis: non aliquos in publico miscere sermones. Maria in domo sola, festinat in publico.* 2. Ambr. ibid. *Festina prægaudio.* Vt cor, sic corpus volabat præ lætitia 3. Idem: *Quo iam plena Deo Virgo, nisi cum festinatione ad superiora contenderet? Nescit tarda molimina Sp. S. gratia.*

Festinemus & nos.

III. Quare *festinemus ingredi in illam requiem*, Heb. 4. dicentes facto, Ps. 118. *Viam mandatorum tuorum cucurri.* 1. Huc inuitat Isa. 55. *Omnes sitientes venite ad aquas; & qui non habetis argentum properate:* gratis datur, aut charitate emitur. 2. Eia ergo, Cant. 1. *Trahe me post te, curremus in odorem vng. tuorum*; idque cum festinatione.

Exemplo Abrahæ.

Qualis Abraham Angelis, Gen. 18. *Quos cum vidisset, cucurrit in occursum eorum.* Vbi Orig. hom. 40. in Gen. *Abraham, ait, curuit, vxor festinat, puer accelerat, nullus est piger in domo sapientis.*

Et Christi.

Vt mater, ita & Filius festinabat: Cant. 2. *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles. Similis est dilectus meus capreæ, hinnuloque ceruorum.* Ideo, Luc. 1. *Benedictus Dominus Deus Israel; quia VISITAVIT, & fecit redemptionem Israel.*

PARS IV.

Benedicta Visitationis effecta.

I. LAbano Iacob ait: Gen. 30. *Modicum habuisti ante, quam venirem; & nunc dilues effectus es; benedixitque tibi Deus ad introitum meum.* Ita Zachariæ ab B. V. introitu benedictio; & potissimum triplex. 1. Prophetica Elisabethæ admiratio. *Vnde hoc mihi, vt Ma. Do. v. ad me?* Similiter & filius eius post Christo: Matth. 3. *Ego à te debeo baptizari; & Tu venis ad me:* Cui Dominus: *Sine modo, sic enim decet nos implere omnem iustitiam.*

Elisabethæ admirat.

Prophetica fides.

Prophetica fuit admiratio: quia cognouit Incarnationis mysterium: *Mater Domini.* Et, *Ex quo facta est vox sal. t. in aur. meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo.*

Præuentio gratiæ.

Non Ioannes, non Elisabeth properarunt ad Christum; sed Christus ad eos: eo quod Iustificatio incipit à Christo, 1. *Ipse enim prior dilexit nos.* 2. Rom. 8. *Quos vocauit, hos & iustificauit.* 3. Aug. in Psalm. 5. *Vt iustificentur iusti, præcedit vocatio; quæ non est meritorum, sed gratiæ Dei.* 4. Ideo orabat Psaltes: 118. *Erraui, sicut ouis quæ periit; quære seruum tuum.* Psalm. 57. *Omnes enim erauimus ab vtero.*

Auxilium gratiæ.

Deinde inuentas oues nisi ipse in humeris reportarit; & *nisi custodierit ciuitatem* & caulam, frustra vigilat *qui custodit.* &c. Ea de causa Dominus, quam honorificis aliis, maluit se istis afficere titulis, Ioann. 11. *Ego sum pastor bonus: Sum Via.* &c.

Ioannis vsus rationis.

2. *Visitationis effectus* fuit, Ioannis in vtero sanctificatio exultabundi. In quatria notantur à S. Patribus. 1. Vsum rationis in Ioanne tempus præueniisse. Herbarij tradunt esse florem dictum: *Filius ante Patrem*: quod semen ante florem, & hunc ante folia progignat. Ita Ioann. in vtero semen floremque iudicij ante

ætatem tulit. An exinde semper habuerit, nescitur. Sicut, 2. Cor. 12. B. Paulus suam visionem beatificam non continuam retinuit.

Adoratio Christi. 2. Ioannem plene intelligentem sese ad adorationem Christi in vtero mouisse. Psalm. 113. *A facie Domini mota est terra.*

Sanctificatio. 3. Sanctificatum fuisse ab p. orig. Vt Angelus Zacharię ait Luc. 1. *Replebitur Spiritu S. adhuc ex vtero matris suæ.*

Laudes. Miraculum est pueri, 1. Laudatur à Prophetis: Isaias 40. *Vocem clamantis in deserto appellat*: Angelum Malachias, cap. 3. *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam.* 2. Laudatur ab Angelo Gabr. Luc. 1. *Hic erit magnus coram Domino, & Sp. S. replebitur.* 3. Laudatur ab Zacharia. *Et tu puer propheta Altissimi*, &c. 4. Laudatur ab Euangelistis: Ioan. 1. *Fuit homo missus à Deo cui.* &c. Matth. 11. Luc. 7. *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioan. Bapt.*

Exultatio Ioannis. III. Exultauit infans. Miraculum? Psal. 113. *Quid est tibi mare* peccati orig. quod fugisti? *Et tu Iordanis* Sathan *conuersus es retrorsum? Montes* Christus, Maria, Baptista *exultastis vt arietes, & colles*, Zach. & Elisab. *sicut Agni ouium?* Respondet: *A facie Domini mota est terra.* Ideo *exultauit præ gaudio infans.*

Elisabethæ consolatio. In Vet. Test. Rebeccæ dolor erat à collisione gemellorum, vt diceret, Gen. 25. *si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere.* Non sic in Nouo gratiæ.

Lynces visu muros penetrant: S. Ioannes duplicem matris vtriusque: q. d. Cant. 2. *En ipse stat post parietem.* Hinc *exultauit*: sicut Ezechias, 4. Reg. 20. *conuersus ad parietem fleuit amare.*

Eccl. 50. Meminit stellæ matutinæ in nebula. Ea Ioan. erat *Lucerna ardens & lucens in caliginoso loco*: prodroma solis Christi.

An vero exultatio cum vsu rationis fuerit: *Aug. Ep.* 57. ad Dard. dubitat: *Ianse-nius* negat: *D. Th. p. 3. q. 23. a. 6. Ambr.* Theophy. Euthy. Chry. Beda. &c. affirmant.

Extinctio p. orig. IV. 3. Effectus Visitationis est extinctio p. or. Nam Gen. 6. *In Adam omnes peccauerunt & mortui sunt.* sicut omnes montes in diluuio submersi. At, Ioan. emersit in vtero, 1. *Reg.* 16. Dauide lyram pulsante pellebatur è Saul dæmonium: Ita ex Ioanne p. o. per Christi præsentiam. 2. Philisthiim, 1. Reg. 5. *tulerunt arcam in templum Dagon, & statuerunt eam iuxta Dagon: & ecce Dagon iacebat pronus ante arcam Dei.* Ita p. o. ante Christum adportatum. 3. Christo ad Zachæum ingresso, Luc. 19. *Hodie salus huic domui facta est; quod & ipse filius sit Abrahæ.* *Typi.*

4. Psalm. 73. iuxta Hier. interpretationem: *Posuerunt signa* hostes in tropæum, *in exitu super summum*, manifesta desuper in limine. Ita Christus in limine exitus Ioann. ex vtero posuit suum signum sanctificationis. Hinc infans exultauit.

5. Qualis arcæ præsultabat Dauid: 2. *Reg.* 6. Talis Ioan. ante *Arcam sanctificationis* suæ, frustra ringente Satana. Inde anima eius, & B. V. ipsa, Cant. 6. *progreditur quasi aurora consurgens, pulcra vt luna, electa vt sol, terr. vt cast. acies.*

IN FESTO S. BENEDICTI Abbatis.

Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Matth. 19.

ABraham vocans Deus, ait, Gen. 12. Egredere de terra tua, & de cogn. tua, & de domo pat. tui: & Veni in terram, quam monstrabo tibi; faciamque te ingentem magnam; & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, erisque BENEDICTVS.

De hoc pauca.

I. *De contemptu mundi, & sequela Christi generatim.*

II. *De*

II. *De fuga mundi singulatim.*
III. *De sequela Christi & abnegatione sui.*
IV. *Benedictio sequentium Vocationem; & maledictio non sequentium.*
V. *De S. Benedicto contemplatiuo.*

PARS I.

De contemtu mundi, & sequela Christi communiter.

Maximũ animus tantor mundi est.

I. COram Philippo Macedonum rege philosophi disceptarunt, vt Theophrastus refert; *Ecquid in orbe maximum foret?* Vnus Olympum montem, cuius apex mediam aeris regionem excederet. Alius solem: Aliud alius: Denique vnus vicit, qui asserebat: *Nihil maius animo magna contemnente:* Atque in hoc solo mundi magnitudinem consistere. 1. Vere maius est mundum temnere, quam acquirere victoriis, 2. Cor. 1. *Altissima paupertas eorum abundauit in diuitias simplicitatis eorum.* Vbi Glossa, & S. Tho. *Altissima, quia qui contemnit diuitias, altissimus est, & eleuatus super temporalia.*

Exempla.

2. Hinc, Matth. 11. *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Bapt.* Maior ab animo: quo quis in omni vita pauperior. 3. Rex Balthasar totaque Babylonia obstupuit Danielem, *cap. 6.* quod regifica omnia oblata refutaret: *Munera*, ait, *tua sint tibi, & dona domus tuæ da alteri.* 4. Similem professionem Petrus coram Domino edidit: Matth. 19. *Ecce nos reliquimus omnia; & secuti sumus te.* 5. & Dauid, Psal. 72. *Quid mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram?* q. d. *Deus meus & omnia.* Hebræi legunt: *Ecce tecum nihil volui in terra:* Chaldæi, *Tecum socium non habui in terra.*

Multi autem, vt Samaritani Deum cœli, & gentium Deos adorabant, Vt Philistæi Arcam & Dagon in vna iunguntara: sic Deo & mammonæ seruiunt.

Maius, sequi Christum.

Reliquimus omnia; magnum; maximum, *Et secuti sumus te.* In hoc enim perfectio summa est. 1. Ad hanc Dominus inuitat: Matth. 16. Luc. 9. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tol. cr. s. & sequatur me.* 2. Præit ipse: atque hinc Phil. 2. *Datum est illi nomen, quod est super omne nomen.* 3. Psalm. 34. *Domine, quis similis tibi? Non est, qui similis sit tibi.* Nam Ioan. 8. *Quo* perfectionis *ego vado, vos non potestis venire:* potestis vero *post me venire.* 4. Eccl. 23. *Quoniam magna gloria sequi Dominum.*

Et abnegare se.

5. Quid ergo est, *Abnegare seipsum?* Est perfecta paupertas, quæ crux est Christi. Hac nudus in Caluaria ornatus à cœlo terraque agnoscitur.

Vt hic peregrinum.

Quare qualem Moyses cum Israelitis transitum petebant per terram barbari regis Sehon, Num. 21. *Obsecro, vt transire mihi liceat per terram tuam; non declinabimus in agros & vineas, non bibemus aquas ex puteis: via regia gradiemur, donec transierimus fines tuos.* Talem teneamus per mundum in via regia contemtus illius, vsque ad terram promissionis: Exemplo S. Benedicti omnia relinquentis, &c.

PARS II.

De fuga mundi singulatim.

S Bened. fugit mundum.

I. S. Benedictus vernans iuuenis spelæo deserti se abdens, nõ otium agebat; sed intellectu cœlestia contemplans animam pascebat; Voluntate ad deuota & sancta omnia se exercebat: memoria repetebat Dei benefacta; affectu rebus impiis indignatus piis delectabatur; sensus & artus omnes ad sancta vsurpabat.

1. Ob amorem, altiorem.

Tales ad se inuitat Deus, Eccl. 24. *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me* amore vtroque insatiabiliter exsatiando. 1. Huc, ait Psaltes 112. *inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas, propter retributionem.* En amor concupiscentiæ mercedis.

Concupiscẽtia.

Benenolentia.

2. At hic profecit in amorem benenolentiæ: Psal. 72. *Quid mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram?* q. d. amo te propter te.

te, Amorem primum sapit istud: *Ecce nos reliquimus omnia &c. quid ergo. &c.*

Vtriusque exemplum Iacob.

Et istud Gen. 28. *Si Dominus fuerit mecū, & custodierit me in via per quam ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum*, en mera temporalis merces: *erit mihi Dominus in Deum.* Hic pes erat eius, qui subneruandus erat, ne temporalibus innixus meris, ad spiritalia minus properaret. De hoc S. Greg. in 4. Iob. *Hinc Iacob, qui Angelum tenuit, vno mox pede claudicauit. Quia qui vero amore sublimia respicit, iam in mundo duplicibus desiderijs incedere nescit, vno n. pedi innititur, qui solo Dei amore roboratur; & necesse est, vt alius marcescat.*

Maxime S. Benedictus.

S. Benedictus, vt Deum solum posset, debat, ita ab eiusdem solius amore possidebatur. Huius impulsu mundum exuit, & carnem, induitque Christum ac spiritum, spiritu ebrius tantus, quantus. Proinde per omnes iuit gradus Incipientium, Proficientium, & totius perfectionis. Ergo ipsi amor Dei fuit odium mundi, & huius fugiendi causa.

Sequi mūdum est homine indignum.

II. Quare Ps. 4. *Filij hominum vsquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium* hic, cum in cœlo habere sceptra possitis. 1. Philippus Macedo videns Alexandrum puellum ludere taxillis in castris, eum arguit vt de ludo nō regio, sed gregario. 2. Ita suos Dominus arguit. Mat 17 *Hæc gentes inquirunt, vos autem non sic* quæretis vana, quis maior fiet. &c. 3. Idem Zebediadis, ad dextram adspirantibus regni, ait Matt. 20. *Nescitis, quid petatis*, q. d. plebeium hoc desiderium est, non apostolicum, huic cœlestia in votis sunt: Illud ignorantia est. Ideo similiter mundani, Ps. 61. *mendaces filij hominum in stateris* rerum cælestium æstimandarum.

Non ita S. Benedictus: sed, vt Paulus, *omnia arbitrabatur vt stercora*; quandocunq; alij ea æstimarent: ipsi Deus omnia, & amor Dei ante omnia.

Deinde mundum deseruit, quia fraudum est officina. 1. Ps. 33. *Non est timor Dei ante oculos eius, verba oris eius iniquitas & dolus, noluit intelligere, vt bene ageret.* Vah Mūde, Eccl. 1. *Cor tuum plenum est dolo & fallacia.* 2. Iacob apud vxores ita de Laban expostulabat, Gen. 38. *Pater circūuenit me, & mutauit mercedem meam decem vicibus.* Talis mundus est idololatra Laban.

Fallax est mundus.

Typus.

Fuge. Prou. 32 *Ne desideres de cibis eius in quo est panis mēdacij.* Vere, Ps. 39. *Beatus vir, cuius est Nomen Domini spes eius; & non abijt in vanitates & insanias falsas*, id est, ait Euthymius, ad *idola* & eorum *oracula*. Vel, vt Hiero. ad *superbias & pompas* mendaciū cosmophilorum.

Fuge.

PARS III.

De sequela Christi, & abnegatione sui.

I. VOs, *qui secuti estis me, centuplum accipietis, & vitam æternam poss.* Et hæc spes futuri est causa fugiendi mundi. Hic stimulus S. Benedicto fuit. 1. Item q; Paulo: Ro. 8. *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad fut. glo. quæ revelabitur in nobis.* 2. Alex. Magnus regnum patrium inter cliētes diuidens, re nulla sibi reseruata, ab amicis arguebatur, quibus ille: *Patrio cedo regno vt Indico ad istud adijciendo incumbā; quod nostro maius est centuplo.* Ita Bened. cœlesti inhiabat duce spe, spretis terrenis 3. Ita Ps. 26. *Vnam petij à Domino, hanc requiram; vt inhabitem in domo Domini.* Ps. 83. *Elegi abiectus esse in domo Dei mei magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum.* Heroica hæc generositas est.

1. *Ad sequelam Christi spes trahit cælestium.*

II. Spreuit mundum S. Ben. vt expeditior crucem Christi tolleret: à qua mundus, & abhorret, & abstinet.

2. *Vocat amor Crucis quam mundus fugit.*

1. Ita Iacob tardabatur, Gen. 33. *Nosti, Domine mi, quod paruulos habeam teneros, & boues & oues &c. præcedat Dominus meus ante seruum suum, & ego sequar paulatim vestigia eius.* Non talis, qui aiebat: Psalm. 118.

Viam

Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum. 2. Tales testudinei erant ij, Lu. 18. *Habeme excus. iuga boum emi quinq;, &c. Vxorem duxi, &c. Villam emi. &c.* Primus auarorum, alter lasciuorum, tertius ambitiosorum imago est. Retentantur à cœna omnes.

Affligat ro ipsum.

1. Bern. in Ps. 18. *Quia exultauit Christus ad currendam viam; nec currentem sequi poterat oneratus,* ideo *bona temporalia dimittere: & quia certandum est in agone, (quia regnũ cœlorum vim patitur) ab omnibus abstinere debemus, & nudi pugnare, & currere vt religiosi, qui duces sunt Ecclesiæ candidi.* 2. Tales erant Rubenitæ, & Gaditæ, qui relictis suis omnibus aiebãt: Nu. 32. *Nos ipsi armati & accincti pergemus ad prælium ante filios Israel, donec introducamus eos in loca sua. Paruuli nostri, & quicquid habere possumus, erunt in orbibus muratis.* Athletice omnino.

Vsque finem contra.

Sic expediti, quam fortes iidem! quã terribiles, vt castrorum acies? De his talibus S. Patres istud *Psal. 76.* interpretãtur: *vox tonitrui tui in rota:* id est, nox prædicatoris religiosi tonat. &c. volat, & vt orbis in orbe fertur.

Compellit austeritas disciplinæ.

III. Talis S. Benedictus: cuius insuper vitæ austeritas in perdomando corpore, inter spinas etiam volutato, locum exemplidedit singularis: ne locum darent libidini. 1. Ita & Paulus: 1. Cor. 9. *Castigo corpus meum, & inseruit. redigo.* 2. Secutus Domini Consilium Mat. 16. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam,* infamiæ, mortificationis, persecu-

In crucifixione sui.

tionis, mortis.

Matth. 17. *Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones Mundus & Caro, vnus à dexteris, alter à sinistris.* 1. A dextris erat ille, Gal. 6. *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* 2. *Caro* sane audet, & *concupiscit adu. Sp. & Sp. adu. Carnem:* nullo habito respectu dignitatis Spiritus.

Gal. 5.

Typus.

1. Sicut nullo Angelicæ, Iacob luctatus cum Angelo est pertinaciter, demum hic inuicto illo, Gen. 32. *tetigit neruum femoris eius, & statim emarcuit: ipse vero claudicabat pede:* At victoriam auferebat. 2. Abraham vt primum circumcisionis præceptum admiserat; Isaac ei promittitur. Gen. 17. *Sara vxor tua pariet tibi filium, vocabisque nomen eius Isaac:* Adeo proficit abnegatio suæ carnis.

4. Adstringit Abnegatio sui.

IV. Plus abnegatio sui totius etiam voluntatis. 1. Christ⁹ Ioh. 6. *Nõ veni facere voluntatem meam, sed eius, qui misit me:* Quanto magis Christianus? Religiosus? Peccator? 2. Eam assecutus perfectionem q. gloriabatur Psaltes. 72. *Vt iumentum factus sum apud te: & ego semper tecum.* Voluntas nulla iumento. Huius perfectio est, esse domitum & tractabile, non refractarium: Par hominis. 3. Ita Paulus cœpit conuersionem suã. Act. 7. *Domine, quid me vis facere?* 4. Inde, vt dicere dein posset: Gal. 2. *Viuo ego iam non ego: viuit vero in me Christus:* q.d. vt Velle meum, ita & anima tota Christi est. Ita S. Bened.

PARS IV.

Benedictio sequentium vocationem: maledictio non sequentium.

Mundi fuga, & solitarius.

I. TAlis expeditior erat in mundo excedere mundo. 1. Idcirco, vt *Matthias exclamauit voce magna in ciuitate dicẽs: Omnis, qui zelum habet legis, statuens testamentum exeat post me.* Dictum factum. *Et fugit ipse, & filii eius in montes, & reliquerũt, quæcunque habebant in ciuitate* 2. Ita S. Ben. cum suis fugit mundum in solitudines. q.d. Ps. 118. *Tabescere me fecit zelus meus; quia obliti sunt verba tua inimici mei.* 3. Illi veri sunt Lothi: *Gen.* 19. qui egressi Sodomis, in Segor confugentes, in montibus se saluant.

Benedicitur.

Ita vero omni benedictione repleti sunt. 1. Eccl. 45. *Benedictionem omnium gentium dedit illi: & testamentum suum confirmauit super caput eius.* Ita *sicut oleum effusum*

nomen eius, late per orbem manauit. 2. suppar in hoc Deiparæ, cuius in cæteris & illa est prærogatiua, Luc. 2. *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes: Quia fecit mihi Magna qui Potens est, & S. N. eius.* Quam *multa Magna* Benedicto fecit DEVS? Mirus mundi eius contemtus, Zelus Dei & animarum, austeritas vitæ, deuotio, constantia aduersus tentationes. &c.

Beatur.

3. Par benedictionibus Iacobi: cui Isaac, Gen. 37. *Det tibi Deus de rore cœli* Cœlestia, *& de pinguedine terræ abundantiam fru. ac vini, & olei* omniumque Terrestrium, *& seruiant tibi populi.* Talia sua Benedicto certatim contulit sanctitas & veneratio, quam totus suspexit orbis.

Dilatatur.

II. Neque ipsi soli; sed Eccl. 3. *Benedictio Patris firmat domus filiorum.* Deut. 35. *Benedictus in filiis Aser*: ita flos orbis, & nobilitatis se suaque in seruitium huius Ordinis deditos manciparunt. Idque tanto cum numero; vt de ipso dictum credas Gen. 28. *Dilataberis ad Occidentem, & Orientem, & Septentrionem, & Meridiem.* Ecquis enim locus, quem non incolat ordo Benedictus?

Multiplicatur.

Quis ordo orbi plures dedit Sanctos, Doctos, Prælatos Eccl. Pontifices: & hos facile decem. Fuit is Ecclesiæ armamentarium. 1. Fuit, vt Turris Dauid, Cant. 3. *Mille clypei pendent ex ea, & omnis armatura fortium.* 2. Fuit, vt, Gen. 2. *Fluuius*, qui *egrediebatur de loco Voluptatis ad irrigandum paradisum: qui inde diuiditur in 4. capita* orbis vniuersi diffundens scientiam, pietatem, pœnit. mortificationem. &c.

Viris sanctis.

Mirabile! Abneganti orbem orbem quasi totum dari! Ita meruit viri virtus & sanctitas: Par Apostolorum, quorum pauperum pro relictis retibus orbis erat. Et hunc tamen spretum cunctis posthabebant. Hinc eos Dominos sequebatur vt famulus. Quare, Ps. 44. *Audi filia, & vide: inclina aurem tuam, & obliuiscere domum Patris tui.* Audi promissa, vide data, sequere.

Orbis Dominus fit.

III. Caue feceris, vt religiosi non pauci: qui in religione mundum quærunt, quem in mundo fugerunt, quia habere nequiuerunt. Sicque per fugam capiunt, & capiuntur. 1. Sic illi Nu. 11. *In mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porrique, cæpe, & allia.* 2. Vah vxorem Loth, incendiis subductam, *Gen.* 19. suopte respectu perire vel curioso, vel cupido. 3. Vah vxorem Iacobi Rachaelem, domo egressam patris Labani, at clam idola eius sublecta efferentem, prætextu fœdo tegentem sanctum Iacob virum & omnia in extremum sic vocare discrimen ab irato Laban & armato paratum. Tales, heu, nimium quam multi? 4. Vah Saulem! Mandatur ei à Deo: 1. Reg. 15. *Demolire vniuersa Amalec* mundani: *& non concupiscas ex rebus ipsius aliquid.* Statuit; non præstitit. Ideo ei Samuel: *Et quæ est hæc vox gregum, quæ resonat in auribus meis?* sequiturque iusta ira & reprobatio. Et tamen ad sacrificandum ista reseruarat. Prætextus sat pius: sed in speciem: Domino non sic: inde ruina Samuelis Domui.

Degeneres religiosi multi.

Mandones cupidi.

Idololatræ.

Inobedientes.

5. Acham miles in Ierichuntina euastatione clam pauca auri sublegerat sibi, irato Deo pugnat populus, proditurque autor, Ios. 7. *Lapidauitque eum omnis Israel, & cuncta, quæ illius erant, igne consumta sunt.* O quot Achanes religiosi? Non sic S. Bened. non.

Fures.

PARS V.

De S. Benedicto contemplatiuo.

I. QVin, quales. *Matth.* 17. fixi oculis in transfiguratum, nil nisi Christum videbant in monte Thabor: ita S. Ben. & quisque vere religiosus in religione & contemplatione. *Bonum est hic nos esse.* &c. Elias Iezabelem fugiens, àque Deo consolandus, ecce, 3. Reg. 19. *post ignem* Zeli *sibilus auræ tenuis* Deus consolator. *Quod cum*

S. Benedicti contemplatio.

cum vidisset Elias, operuit vultum suum pallio: q.d. iam aliud videre nolo: sat, vidisse Deum. Ita S. Bened. Hinc contemtus mundi, appetitus cœli.

Scientia prophetica.

Hinc diuinior scientia infusa illi magis, quam acquisita. Quid enim latuit S. Bened? Sap. 8. *Scit præterita & de futuris æstimat. Scit versutias sermonum, & dissolutiones argumentorum: Signa & monstra scitante, quam fiat, & euentus temporum, & sæculorum.* 1. Ecce: Offerendum ipsi vinum datum puer reseruat: monet vir S. ne bibat latere serpentem: bibit, perit. 2. Alias panem venenatum oblatum agnouit, coruoque dedit in deserta ferendum. 3. Fratribus petram ostendit: fodite, ait: & fluent vndæ. Factum.

Sapientia ob mundiciam.

Nec sapientia minor ei mysteriorum: Nimirum, quia mundissimus erat. Matt. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Lippi oculis solum mundum vident. Munditiæ conscientia dabat sponsæ confidentiam, vt auderet: Cant. 1. *Osculetur me osculo oris sui.* q. d. amore langueo & emoriar, nisi sic recreer ipsemet, qui osculum est & mera consolatio. O amor, ô honor perfectæ animæ.

Dei contemplatricem.

Ioabo intercedenti pro exule Absolone ait Dauid: 2. Reg. 14. *Reuertatur in Ierusalem, sed faciem meam non videat.* Ita peccator conuersus: Sed pœna illa, ei permagna videri debet, ceu Absoloni pulcro: cui sit viuere, faciem patris contemplando videre.

Ac inde amantem.

Hæc visio accendit torpidos. Vti 3. Reg. 6. *Senuerat Dauid, & quæsierunt ei adolescentulã speciosam quæ dormiret cum eo, & calefaceret.* Puella cœli est contemplatio, & Ecce, Psal. 38. In meditatione mea exardescet ignis. Sed, *Gen.* 41. Ioseph prius genuit *Manassen* i. terrenorum obliuionem; dein *Ephraim*, i. sanctificationẽ per contemplationem. Ita cœpit, ita profecit, ita se perfecit S. Benedictus.

Et Sanctã.

IN F. S. MARIÆ MAGDALENÆ.

Ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix. Luc. 7.

MVlier, *Apo.* 17. ostro, auro, gemmisq; superba cum poculo aureo, dementatore populorum, adorata ab Principibus, tropæum posuit impudentiæ, dicta *Mater fornicationum & abominationum.* Talis Magdalena *peccatrix* dicta.

Qua de nos

I. *Quanta vis lacrymarum fiet.*
II. *Cuius Magdalenæ, & quæ fuerint peccata?*
III. *Eius peccatorum grauitas ex genere ipso, & loco.*
IV. *Magd. initium, & porro calcar pœnitentiæ.*
V. *De Magdalenæ statione retro, & pedum lauacro.*
VI. *De causis, & pretio lacrymarum.*

PARS I.

Quanta sit vis lacrymarum.

Sunt nota Prædestinationis.

I. ANgelis exterminatoribus, Eze. 9. mandatum: *Ite per ciuit. Ierus. & signate omnes, qui lugẽt super iniquitates, quæ fiunt in medio Ierus.* 1. Vnde Doctores notant, pœnitentiam lacrymas veras esse prædestinationis notas. 2. Mat. 5. *Beati, qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.*

Et Iustorũ.

Alia mundi iudicia sunt, exosæ ei lacrymæ, chari ioci, ludi, honores. &c. Ps. 143. *Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt.* sed dispares vtriusque euentus sunt. 1. Nabuchodonosor, *Da.* 3. Babylonios oblectat varia musica, qua audita proni adorent statuam: eam execrantes iniicit fornaci. Ita mundus amat illos, hos odit, infestat. 2. Israelitæ in Babylonia ab incolis ad ludicra incitari nequierũt, dicẽtes. Ps. 136. *Quomodo cãtabimus cãticũ Domini in*

terra aliena? Quin *superflu. Bab. illic sedimus & fleuimus; de salicibus suspendimus organa nostra.* Ita Dei filij hic exules *flent, dum recordantur tui Sion.*

2. Deum cogunt.

II. Felices lacrymæ! Nam, Hiero. in Isa. *Oratio Deum lenit; sed lacryma cogit: hæc vngit, illa pungit.* Fatetur id sponsæ, Cant. 4. *Vulnerasti me in vno oculorum tuorum* illicio lacrymulæ vnius. Vulnerasti; quia ait Ambr. in Luc. *Lacrymæ veniam non postulant; sed merentur:* preces postulant.

Impinguant orationem.

Greg. hom. 7. in Ezech. & in Psalm. 19. *Holocaustum tuum pinguefiat*, ait: *Holocaustum siccum est bonum opus, quod orationis lacrymæ non infundunt: Holocaustum pingue est; quando hoc, quod bene agitur, corde humili et iam per lacrymas irrigatur.* Hinc Deo fidenter Psaltes, 55. *Posuisti lacrymas meas in conspectu tuo.*

Angelos pascunt.

Enimuero, Ber. ser. 30. in Cant. *Lacrymæ pœnitentium vinum sunt Angelorum: quia in illis odor vitæ, sapor gratiæ, gustus indulgentiæ, sanitas redeuntis innocentiæ, reconciliationis iucunditas, & serena conscientiæ suauitas.*

Cibant animas & lauant vt purgatorium.

III. Cassiodorus in hoc Psal. 41. *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte*, ait: *Fletus est cibus animarum, corroboratio sensuum, absolutio peccatorum, refectio mentium, lauacrum culparum.* 1. Ideo Isa. 1. *Lauamini, & mundi estote.* 2. Chrys. ho. 5. de pœn. *Lauabo per sin. no. le. m. ait Dauid: vt ostendat esse lauacrum & purgatorium peccati lacrymas.*

Diluuiũ.

3. Quodque amplius Greg. Naz. *Iustorum lacrymæ*, ait, *diluuium sunt, & mundi pigmentum.* 4. Ideo Psaltes 73. *Contribulasti capita draconum in aquis:* id est, peccatum orig. in Baptismo. Patrum quidam exponunt: Alij, peccata in lacrymis submersisti.

Vt mare rubrum.

Ita Pharao cum Aegyptiis in mari rubro submersi, *Exo.* 14. periere: sed emerse re Israelitæ. Lacrymis merguntur peccata, peccatores emergunt; quibus, Moyses, imo Messias præit. Vnde *S. Chry. ho. 15. in Matth.* confert lacrymarum vim in pec. actualia; & Baptismi, in pec. orig.

Superant omnes aquas.

Aquæ medicæ, mirificæque è floribus, plantis, mineralibus elicita vim habent variam, & magnam: at nil ad lacrymas. Nam nec maria omnia vel scintillam purgatorij extinguerent: extinguit gutta lacrymæ; atrumque dealbat carbonem. Liquet in Magdalena; quæ qualis? at per lacrymas quales? *Ecce mulier.*

PARS II.

Cuius Magdalenæ, & quæ fuerint peccata.

Ea nõ fuit soror Lazari.

I. *Ecce mulier peccatrix*: Tribus omnia dicta Aug. trac. 49. in Ioan. vocat *publicam famosamque peccatricem*: S. Chrys. ho. 61. in Ioan. Hiero. in Matth. 26. Isid. l. 1. Epist. 142. *meretricem.*

At non videtur triuialis fuisse lupa: sed multis tamen obnoxia mula. Idque, vt Iansenio placet; post defunctum maritum in Galilęa. Nec quo indulgere posset genio; se ab Marthæ & Lazari increpantium eam subduxit contubernio in castellum Bethaniæ. Quid quod nec Marthæ, Lazarique soror fuerit? Ita non pauci sentiunt.

Probabilitatis.

Adsuntque rationes. 1. Lazarus, Bethaniæ toparcha, Vir illustris, frater Mariæ, Iudææ, haud permisisset tanti stemmatis fœminam eo proruere probri publici.

2. M. Magdalena è Galilæa cum aliis secuta Dominum fœminis eum alentibus: *Matt.* 17. Erat ergo è Galilæa, non ex Iudæa, vt soror Lazari Maria.

3. *Luc.* 8. Dicitur Ma. Magd. habuisse 7. dæmonia: at cum tali vulgariter consuesse viros, non fit probabile.

4. Magd. Dominum secuta alebat: at si ea tam fuisset propudiosa, Domino indecens & suspectum accidisset, talem circum-

cumducere. An non etiam Apostoli, Ioa. 4. *mirabantur, quia cum muliere loquebatur?* An non & Simon scandalizabatur ad Magdalenæ attactum ? Luc. 7. *Hic si esset Propheta sciret vtique quæ & qualis est mulier, quæ tangit eum; quia peccatrix est.*

5. Illa peccatrix erat externa ethnica: non ergo soror Lazari Iudæi. Iudæis enim lege non licebat meretricari. Deut. 23. *Non erit meretrix de filiabus Israel.*

6. Ita sentiunt, Orig. tract. 25. in Matth. Chrysost. hom. 81. in Matth. Hiero. in Matth. 26.

Aug. vero tract. 49. in Ioan. dubitat, vti & S. Bern.

Euangelium vero inter hasce duas Magd. dua. Magd. reuera non distinguit.

Quare honestæ Magdalenæ typus fuit illa *Apoc.* 12. mulier XII. stellis coronata virtutum omnium, & sole famæ amicta. At peccatricis typus illa, *Apoc.* 17. vitiis XII. coronata.

Peccatricis Vitia. II. 1. Est superbia. Eccles. 25. *Mulier si primatum habeat in domo, contraria est viro suo.* Ideo, Deut. 22. vetatur, ne fœmina veste, virili induatur. 2. Est odium. Prou. 30. *Per tria mouetur terra; & quartum, quod non potest sustinere, scilicet per odiosam mulierem.* 3. Ambitio & Concupiscentia. Zach. 5. *Ecce duæ mulieres egredientes: & habebant alas milui* natura rapacis.

4. Luxuria. Ier. 2. *In omni colle sublimi, & sub omni ligno frondoso prosternebaris tu meretrix.* 5. Ebrietas. Eccl. 25. *Mulier ebriosa, ira magna, & contumelia, & turpitudo illius non contegetur.* 6. Vociferatio. Prou. 9. *Mulier stulta & clamosa, plenaque illecebris, nihil omnino sciens, sedet in foribus domus suæ super sellam, in excelso vrbis loco, vt vocet transeuntes per viam.*

7. Crudelitas. Eccl. 25. *Nequitia mulieris immutat faciem eius, & obcæcat vultum suum tamquã vrsus. &c. Commorari leoni & draconi placebit, quam habitare cum muliere nequam.* 8. Impudentia Iere. 3. *Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.*

9. Fraudulentia Prou. 5. *Ne intenderis fallaciæ mulieris: fauus enim distillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius: nouissima autem illius quasi absynthium, & acuta lingua eius, quasi gladius biceps.*

10. Inquietudo. Prou. 7. *Garrula, & vaga, & quietis impatiens.*

11. Stultitia, 1. Quam vel in capite præferunt per tot pegmata, & tænias tot gyris, nodis & modis paratas. Vt reuera is vertex sit stultitiæ apex. 2. Plane, Prou. 11. *Circulus aureus in naribus suis, mulier pulcra & stulta.* Et tales in fœminis sunt plures, quam sapientes. 3. Testes virgines fatuæ illæ decies mille.

12. Diadematis scortarij ornamentum est, infestio à dæmone. Luc. 13. *Erat mulier habens Spiritum immundum:* Tunc quidem vna illa : nunc sexcentas producere est: coronatas similiter peccatrici.

PARS III.

Peccatorum Magdalenæ grauitas ex genere, & loco.

I. *IN ciuitate peccatrix.* Peccata eius, quatuor aggrauant. 1. Quia Carnalia. Quæ cæteris habent, vt ait *Greg.* maiorem fæditatem, & Infamiam: quod alia solam mentem; hæc etiam corpus inquinent. Adeo, ea etiam mente priuant, ac hominẽ bestiis assimilant. Dauid fatetur se quasi cor amisisse. *Psalm.* 50. *Cor mundum crea in me Deus.* Isti, Luc. 14. modeste se excusant & honeste à nuptiis : at tertius inuerecunde : *Vxorem duxi : non possum venire.* *Grauiora peccata.* *Quia Carnalia.*

2. Quia Publica & notoria, vt *in ciuitate,* 2. *Notoria.*

cunctis scandalo, ideo grauiora. Nathan Dauidi: 2. Reg. 12. *Blasphemare fecisti nomen Domini.* i. scandalizasti publice omnes, vt Dei & Regis maiestatem vilius penderent, quod Sauli, te meliori, regnum ablatum tibi dederit.

3. Multa. 3. Quia plurima. Luc. 7. *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.*

Multiplicatio peccata aggrauat. Quia 1. Gen. 12. *Clamor Sod. & Gom. multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis.* Id inde patet: quia læsum Numen ait: Gen. 18. *Descendam, & videbo, vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint.*

2. Plus lacrymis, quam verbis deplorat suam peccatorum multi. Dauid. Psal. 39. *Circumdederunt me mala, quorum non est numerus; comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui vt viderem, multiplicatæ sunt super capillos capitis mei, & cor meum dereliquit me;* bruto similatus. Moxque exclamat. *Complaceat tibi domine, vt eruas me: Domine ad adiuuandum me festina.*

4. Varia. 4. Quia omnia peccatorum genera in se suscepérat: designatur 7. dæmonijs ab ea expulsis. Mar. 16. Vbi S. Greg. *Quia 7. diebus omne tempus comprehenditur, recte septenario numero vitiorum vniuersitas designatur: & sic omnibus vitiis plena fuit & infecta.* Ideo generali nomine dicitur *Peccatrix.*

II. Et quidem *In ciuitate:* Rom. 5. *Vbi abundauit peccatum, superabundauit & gratia.* Et ita quidem, vt Matth. 26. *Vbicunque prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto mundo, dicetur: quia* HAEC *fecit in memoriam eius.* Ciuitatem eius infamia vix exijt, at fama pœnitentis orbem peragrauit, & æua tenet.

Vrbes sunt peccatorũ sedes. In ciuitate: Hæc forte causa tot tantorumque lapsuum: quorum ansæ in vrbibus quam pagis, plures. Ier 51. *Fugite de medio Babylonis; vt saluet vnusquisque animam suam. &c. Murus eius corruit. &c. ne forte molleſcat cor vestrum, & timeatis auditum, qui auditur in terra.*

Ea vrbica pericula 4. 1. Muri labascunt ipsaque munimina. 2. Ira Dei in vrbem prius, quam villas. 3. Vrbica mollities. 4. Anxia solicitudo: lites, turbæ, ambitiones. &c. Quies in agro, in vrbe tumultus. Hinc 2. Cor. 11. *Periculis ex gentibus, periculis in ciuitate.*

III. Sunt peccata alia conclauium, alia domuum, alia vrbis: sed enormiora, quæ euidentiora, idque ob scandala. Turpe, tristeq; malũ Infamia: Ecce, Luc. 16. Infamato dicitur: *Quid hoc audio de te?* Es fabula vulgi. Proin, Psalm. 31. *Beati, quorum tecta sunt peccata:* tantoque infeliciores, qui famosiores; ni pœnitentia obruatur infamia. *Vrbana p. sunt grauiora ob scãdalum.*

In ciuitate; vbi plura honesti exempla, plures, qui consulantur, docti; plura religionis exercitia: inter paganos, incultos vita licentior miranda foret minus. Isa. 1. *Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis, plena iudicijs? Iustitia habitauit in ea; nunc autem homicidæ.* *1. Ob occasiones pun. &c.*

Nec in ciuitate plura solum; sed & grauiora designantur delicta. Deut. 22. *Si puellam virginem desponderit vir, & inuenerit eam aliquis in ciuitate, & concubuerit cum ea; educes vtrumque ad portam ciuitatis illius, & lapidibus obruentur. Puella; quia non clamauit, cum esset in ciuitate: Vir, quia humiliauit vxorem proximi sui. Sin autem in agro reperit vir puellam, quæ desponsata est, & apprehendens cum ea concubuerit, ipse morietur solus; puella nil patietur, nec est causa mortis.* *Ob facilitatem delinquendi.*

Heu! vrbes, quæ virtutum esse palæstræ deberent, esse vitiorum prostibula? Hoc deplorat Sophonias. c. 3. *Desolata sunt ciuitates, à bonis, cum plenæ essent improborum.*

PARS

PARS IV.

Magdalenæ initium & porro calcar pœnitentiæ.

Mulier fortis.

I. ECce *mulier*, speculum pœnitentiæ, & dilectionis Domini: Virago: Prou. 31. *Mulierem fortem quis inueniet? Procul & de vlt. fin. pret eius.* Qualis Iuditha. c. 14. *Quæ fecit confusionem in domo Nabuchodonosor.* De qua similiter admirabunde: *Ecce, Holophernes iacet in terra, & caput eius non est in illo.* Talis hæc.

Cognitio mali est initiũ boni.

Vt cognouit, Deum à se offensum, animam perditam, peccatorum fœditatem, inferni supplicium. &c. *Vt cognouit*, se abuti donis Dei, honorem Dei, & suum se prodigere: *Ecce*, resipuit ad pœnitentiam. Ergo cognitio mali fuit ipsi initium boni, 1. Ita Dei prima creaturarum fuit lux: *Fiat lux.* Inde cætera. 2. similiter in microcosmi reparatione *Lux venit in mũdum.* 3. Ita Ps. 50. *Amplius laua me Domine ab iniquit. mea, & à p. meo munda me, quoniam p. meum ego* COGNOSCO. tuamque patientiam. q. d. cæcus fui hactenus à peccandi furore. Ita hæc lymphata prius, nunc illuminata orat Ps. 142. *Eripe me de inimicis meis Domine, ad te confugi.*

Tãtũ absit procrastinatio.

Ergo Mat. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis.* &c. Venit, & refecta fuit, 1. Non procrastinauit: vt Pharao, *Exo.* 8. infestatus à muscis, ranis. &c. rogauit à Moyse oraret Dominum pro se *CRAS.* 2. Quin *Hodie si vocem eius audieritis.* &c. 3. Samuel, 1. *Reg.* 2. illico surgit vt à Deo vocabatur. *Loquere Domine, quia audit seruus tuus.*

Absint respectus antiqui.

Vt cognouit morbum, fugit ad medicum, non retardant eam mundi, carnisque Sirenes, aut canum latratus: non amasii, non pharisæorum metus: Solam audit conscientiam, Deum timet, Ps. 50. *Tibi soli peccaui & malum coram Te feci.* Ah, non sic hodie multi peccatores, solos homines, non Deum verentur: vt Senes illi Susannæ insidiatores, viso, ianuas horti clausas, exarsere in scelus.

Suis extimulari peccatis ad pœnit.

II. Vt primum *cognouit*, nil distulit in seram noctem: Vt Nicodemus ex metu. 1. Dedit locum stimulo. Ier. 1. *Arguet te malitia tua, & auersio tua increpabit te.* Ergo se fugiens ad Dominũ confugit. 2. sua ipsam peccata, vt Exo. 12. *Vrgebant Aegyptii populum Israel de terra exire velociter.* Sic ipsa in peccatorem insurgunt peccata. 3. Ideo & redimendi in Redemtorem tam barbare insurgebant: Matt. 27. *Clamabãt: Si filius Dei est, descendat de cruce* cui affixus tenetur: ita & animam tenet intortura peccatum. 4. Sentit, qui ait. Psal. 50. *Peccatum meum contra me est semper.* Impellit nos ad sese eiiciendum.

Inuitat Deus ad pœnit. immisso igne.

Vt cognouit Dei Dignitatem, & misericordiam, fugit ad pedes eius indigna, misera. 1. Duo sunt hominibus eximia amoris indicia: 1. Amici causa omnia aspernari: 2. Ardua audere. Vtrumq; in Magdal. reliquit fastum, fucos, amasios, omnia. 2. Sicut ex flagrãte domo omnia per fenestras eijciuntur: ita Magd. spreuit omnia, cum primum, Thre. 1. Deus *de cœlo misit ignem in ossibus meis, & erudiuit me.* Domus ardet, facessite torques, annuli, inaures, tortalia, specula, armillæ, pallæ, muscum, stibium: alia nunc *cognouit.*

Inuitant miracula Christi.

Cognouit, Simonem leprosum mundatum, Chananæam à dæm. liberatam, Samaritanæ remissa adulteria, Hæmorrhoissam persanatam: Inde sese desperare desiit; adque veram adspirare pœnitentiam.

Præuia pœnitentiæ 4.

III. *Vt cognouit*: quatuor requisita præambula pœnitentiæ. 1. Actæ vitæ discessio, & inuestigatio Christi. Cantic. 2. *Surgam, & circumibo ciuitatem; quæram,*

quem

quem diligit anima mea. Vt Semei, 2.*Reg.*19. postquam insigni Dauidē iniuria affecisset, captauit dein omnem modū eius Sibi reconciliandi: Ita & Magd. *vt cognouit.*

3. Præparatio sui sufficiens post indagatam misericordiam; quæ dicat: Ps.118. *Iurauī, & statui custodire legem tuam.* Ita Magd. obstinauerat animum ad omnia, quæ sibi cunque à Domino forent imperanda: Statuit effundere alabastritem in Dominum, quicquid obmurmuraretur.

3. Pudor sui præeat: Psalm.6. *Conuertantur, & erubescant valde veleciter* de sua turpit. & Dei Maiest. Magd. ideo *retrorsum pedes stabat*: quia, *vt cognouit.*

4. Humilitas perfecta sit pœnitentiæ prodroma. Nam *initium omnis peccati superbia*: Sic pœnitentiæ, humilitas. Hæc seruat, saluat, sicut è contra, Nu. 11. *Anima, quæ peccauerit per superbiam, peribit de populo suo, quoniam aduersus Deum rebellis fuit.*

PARS V.

De Magd. Statione retro, & pedum lauacro.

Pœnitentium sordidatio.

I. *Stans retro* passis crinibus, suffusa lacrymis, vultu squalida, 1. vt *Esther. c.*14. Deum precatura cultum regium posuit, induta saccum, cinere consperso caput. 2. vt *Iudith c.*5. amicta cilicio, incinerata, strata humi in cœlum clamans Holofernem obtruncauit. 3. Sic, irato Deo ob adoratum vitulum, ac comminante; Exo. 33. *Populus duræ ceruicis es; semel ascendam in medio tui, & delebo te: iam depone ornatum tuum, vt sciam quid faciam.* Et ilico *Deposuerunt vestimenta, & tetendit Moyses tabernaculum, & vocauit illud tabernaculum fœderis.* Peccatores festiue vestiti fastum ponunt. & ponit iram Deus. Fecit id Magd. *stans retro.*

Stat retro peccator.

Huc eam peccata stiterant 1. Alioquin iustos fert in oculis Deus. Matth. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* 2. At Moysi, commisso crimine, ait angelus, Exod. 33. *Posteriora mea videbis.* 3. Et Agnus qui sustulit in se peccata mundi, hoc se locat situ: ideo Psalm. 128. *supra dorsum meum fabricauerunt peccatores* fātes retro. Ipse namque, Isa. 53. *Vere languores nostros ipse tulit, & iniquitates nostras ipse portauit* vsque in Caluariam.

Iustificandum.

Stans retro, quod nosset, Ps. 142. *Non iustificabitur in Conspectu tuo omnis viuens.* Et Ps. 33. *Vultus Domini super facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum.* Ideo perhorrescens exclamat, Ps. 30. *Auerte faciem tuam à peccatis meis.*

Ope Mediatoris.

Stans retro, vt Ipsum habeat mediatorē inter se ac Deum patrem. Ita Psaltes. 83. *Protector noster aspice Deus, & respice in faciem Christi tui.* Nam *si iniquitates obseruaueris Domine, quis sustinebit?*

Malabonis corrigere.

II. *Attulit alabastrum vnguenti.* 1. Norat scelerum suorum tetram memphisin, atque vel sic eam confitebatur: restans vel se sese grātun esse, dareque odorem vitæ in vitam. 1. Ideo Deus iussit, *Exo.*30. Struī aram thimiamatis adolendi *in odorem suauitatis.* 2. Iussit ibidem: *Deprecabitur Aaron super cornua eius* aræ *semel per annum in sanguine, quod oblatum est pro peccato.* Ita Magd. suam putiscentiam correxit per fragrantiam.

Typus.

Donis placare Deū.

2. Quin & iratum vt conciliaret dono hoc: Ceu Iacob è Mesopotamia redux fratrem Esau: Gen. 32. *Placabo eum muneribus.* 3. Aut, quod esset, Exo. 34. iussum: *Non apparebis in conspectu meo vacuus.*

Balneum vitæ.

III. *Lacrymis cœpit rigare pedes eius*, quæ oculis tot fascinarat, elata ceruice, fronteque impudica: nunc contraria omnia. Psalm. 41. *Vt ceruus desiderat ad fontes aquarum*, telo saucius venenato, se fonti iniicit, euomit stomachum, & moritur: Ita

Ita desiderat anima mea ad te Deus, fontem viuum; hic se abiicit mortua pompis, peccatis, desideriis: tantum in lacrymas viuida & valens.

Lambo. labe. Sicut Psalm. 134. *Educens nubes ab extremo* mari salso euaporante, vnde dulces deinaquæ concrescunt, vtiles terræ; Ita ex salso Magd. mari euaporat dolor in dulces concrescens fletus.

Lapis sum. Sic Dauid, Psalm. 50. *Lauabo per singulas noctes lectum meum, lacr. meis stratum meum rigabo.* &c. Vbi ex Hebræo Hieron. *Natare faciam lectum præ abundantia.*

Angelicis. Loth, *Genes.* 19. Angelis, sui ex incendio euocatoribus, pedes lauit. Christo Magd. &c.

Petra manans. Impletum in ea istud, Isa. 41. *Ponam deserta in stagna aquarum, & terram inuiam in riuos aquarum.* Dominus hoc fecit, Psalm. 115. *Qui conuertit petram in stagna aquarum, & rupem in fontes aquarum.* Magd. fuit petra scandali.

Fiunculi. Ideo paruit consilio Ieremiæ Thren. 1. *Deduc q. torrentem lacrymas per diem & noctem; non des tibi requiem, neque taceat pupilla oculi tui*, cuius vox est q. tonitrui effringens cœlos.

Clamor sine voce. Tria sine voce clamant: 1. Sanguis: Gen. 4. *Ecce vox sanguinis fr. tui clamat ad me.* 2. Cor. Vt 1. Reg. 1. Anna silentio orans. Dauid: *De profundis cl. ad te Do. Do. exa. vocem meam.* 3. Lacrymæ Ouid. 3. de Ponto

Interdum lacrymæ pondera vocis habent.

Psalm. 125. *Auribus percipe lacrymas meas.* Ita Magd.

PARS VI.

De causis & pretio lacrymarum.

Quatuor causæ fletus. I. CAusa lacrimarū princeps fuit scelerum memoria; bona omissa, & amissa; mala commerita; ideo Psalm. 118. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei; quia non custodierunt legem tuam.* Itaque Magd. erat, vt, Ioa. 16. *Mulier cū parit, tristitiā habet.*

2. Memoria bonorū perditorum tempore tanto: quibus par nec quæstus, nec vlla iactura. 3. Memoria lęsi Dei tam boni, angelorum, cœlitumque læsorum. Hinc Luc. 15. prodigus ait: *Peccaui in cœlum, & in te.* 4. Agnitio miseriarum suarum ex peccato manantium. Sic Esau ob omissa primogenita discruciabatur, *Gen.* 27.

Elias, 3. *Reg.* 18. aquæ vrnas 4. in victimam effudit, & ignis emicuit vorator victimæ. Istud quadrifaria fuit ista consideratio Magdalenæ. Capaces sunt vrnæ 4. Metus iudicij: pudor culpæ: dolor amissi boni: horror pœnæ. *4. Vrnæ aquarum.*

Michas Sacerdos Ephratæus eiulatibus suis discurrens exciuit latrones, causam sciscitantes: quibus iratus ait: Iud. 17. *Deos meos, quos ego feci mihi, tuliſtis; & quæritis quid ploras?* Magd. plorat amissum Numen verum; non vanum vt ille. Ideo Psalm. 41. *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: Vbi est Deus tuus?* *Fleuit amissum Deum:*

Dauid, virique secum, spoliata per absentiam Siceleg, 1. Reg. 30. *planxerunt, donec deficerent in eis lacrymæ.* Hebræi legunt: *donec non esset in eis robur adflendum.* sic & LXX. At huic ciuitatem Dei incenderant latrunculi, animam, & spoliarant: Non fleret? *Animam euastatam.*

II. Matth. 27. *Petrus egressus fleuit amare:* at hæc ingressa in epulas, & gaudia, inque publicum, etiam lauit pedes lacrymis. *In gaudio fletus.*

Obseruauit iussum *Num.* 26. vt in omni, quantacumque solennitate, hircus offerretur pro peccato. Sic vel inter musicam, lætitias, epulas, &c. tacite geme pœnitens. *Sed de peccatis.*

Beata pœnitentia; quam dolorosa, tā & gaudiosa es! Sunt eæ gaudij lacrymæ: 1. Sic Esau Iacobo obuius Gen. 33. *Amplexatus est eum, stringensque collum eius, &* *Exemplū.*

osculans fleuit præ gaudio. 2. Ita Ioseph visis in terra aliena fratribus secessit, fleuit ex gaudio. *Gen.* 42. 3. Eius item pater, Genes. 46. *Irruit super collum eius, & inter amplexus fleuit* ex gaudio. 4. Ita Tobias c. 11. filium *suscipiens osculatus est eum cum vxore sua; & cœperunt ambo flere præ gaudio.*

Amoris fletus. Amoris quoque sunt *testes lacrymæ fideles amicitiæ*, ait Cic. de Amic. Ioan. 11. *Ecce, quomodo diligebat eum.* Idem Domino loquebantur lacrymæ Magd. Ideo ipse; *Remittuntur ei p. multa: quoniam dilexit multum.*

Vita fletus. His immersa lacrymis Magd. semimortua q. reuixit: Sicut in fontem Epiri faces ardentes mersæ extinguuntur: accenduntur extinctæ si mergantur.

Fletus triennalis. III. *Deu.* 21. Puella capta bello externa prius mense toto parentes amissos plorabat, quam daretur nuptui. Magd. amissum Deum patrem peccatis suis luxit annis 30. 2. Iephtes filia, *Iud.* 11. bimestri planxit virginitatem suam cũ coæuis: Magd. suam fœditatem 30. annis in deserto. 3. Mortis reus nullus ita se deplorat; vt Magd.

Lacrymæ debentur Deo. Tanti sunt lacrymæ piæ, vt soli Deo debeantur: Ideo Dauid, 1. *Par.* 14. hostium fugatorum idola cremauit: quia, ait *Aug. lib. quæst.* iis suspiria & lacrymæ fuissent oblatæ. O quot mundi sunt idola, quibus lacrymæ fiunt! & vanissimæ!

Arma peccati fiunt pœnitẽtia. IV. *Et capillis tergebat.* Bello victi victoribus proni arma offerunt deditij. Sic Pugnatrix diu peccatrix victa Deo cedit, offertque capillos, oculos, collum erectum, vestes, vnguenta, &c. 1. Raab, teste *Lyrano in 2. Ios.* fuerat coccineo funiculo in domum hospites pertrahere. Dein qui fuerat peccandi funis, fuit liberationi Iosuanis, & sibi saluti. Ita Magd. 2. Rom. 6. *Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ ad sanctificationem.* Ita, quod fuit morti, est & saluti. 3. *Num.* 21. Serpentes igniti in deserto mortiferæ erant: æneus erectus salutifer. 4. Philisthæi, 1. *Reg.* 6. ob retentam male Arcam ad anos puniebantur, & muribus agrorum vastatoribus: Ergo anos aureos, mures que factos offerunt, cessantque plagæ. 5. Israelitæ, *Exod.* 32. inaures, armillas contulerant ad vitulum conflatilem: post eadem ad tabernaculi fabricam offerunt. sic Magd. quibus peccarat, iisdem & pœnitebat. Imitanda nobis.

IN FESTO S. MARIÆ Magdalenæ.

Ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix. Luc. 7.

REgina Saba, 2. *Paral.* 9. Salomonicæ sapientiæ fama excita, eam auditura venit cum donis auri aromatumque plurimis. Cui Rex multo maiora redonauit. Ita peccatrix præcipua venit ad pedes Domini cum vnguentis officiosa; abit remunerata maioribus donis gratiarum.

Nos super hisce

I. Maturandam esse Pœnitentiam.
II. Qualis hæc peccatrix fuerit, & pœnitens.
III. Qualis eiusdem pœnitentia.
IV. De lacrymis Magdalenæ.
V. De capillis eiusdem.

PARS I.

Maturandam esse pœnitentiam.

I. ALiis in negotiis omnibus *festina lente!* ad pœnitentiam vero depropera. Ex Figuris id condiscito. 1. Israelitæ tanta celeritate Aegypto excesserunt, vt 1. Fuga ex Ægypto.

vt nec semipisti panis percoquendi spatium vacuum esset; Exod. 12. Itaque *tulit populus conspersam farinam antequam fermentaretur, & ligans in palliis posuit super humeros.* Ita festinandum statuēti exire peccato; inireque desertum pœnitentiæ, per mare rubrum Dominicæ passionis.

1. Fulgurantia animalia. 2. Festinandum ad modum 4. animalium, Ezechielis, cap. 1. *quæ ibant*, ad pœnitentiam, *& reuertebantur* ad gratiam, *ad modum fulguris coruscantis.* Quo quid celerius?

3. Esus agni rapidus. 3. Ita & agnum paschalem festinanter comedi iubebat, & integrum, parte nulla in crastinum relicta. Festina absumere peccata per Confessionem, nullo tacito.

4. Echini partus. 4. Nam vt echinus hoc difficilius parit, quo differt diutius, crescentibus in dies aculeis in maius. Ita quo diutius geris vterum peccatorum, &c.

5. Dauid persequens latrãculos. 5. Dauid, 1. *Reg.* 30. audito vrbem Sicelegab Amalecitis euastatam esse, illacrymatus malo mox statuit eos persequi. Accelerantiq; respōdit fortuna. Venit: vidit: vicit. Sic peccata tua persequitor, quæ animam tuam euastarant, ac deprædati sunt. Aderit festinanti Deus.

Ratio quia Deus amat iuuare pœnitentem. II. Quia cum anima, vti tunc, in extremo versatur discrimine? tum non differt Deus: & tu cunctabere? 1. Ideo in cruce clamanti: *Deus meus, vt quid me dereliquisti?* Filium pro te luentem dereliquit, vt tibi adproperaret, ita merente filio. 2. Prodigus, *Luc.* 15. vix vocem miserat; cum ecce pater in amplexus ruit, & ait: *Cito afferte primam stolam Cito*: quia odit peccatum: Et quia amat dolentem peccato.

Oditque peccatum. Quale Samsonis fuit odium in Philisthæos; v nec vitæ suæ parceret; tantum, quo in eos se vindicaret. Iud. 16. *Moriatur*, ait; *anima mea cũ Philisthinis.* Maius Christi in peccatum. Cui delendo *se crucifigi passus est; vt vetus homo noster simul cũ eo crucifigeretur.* Rom. 6.

Vitæ mortali cito succurritur citius ergo spiritali. III. Vt mortali vitæ pij Ezechiæ Regis succurreret Deus, etiam turbato naturæ fœdere iussit solem retroire: adeo, vt nō tanti esset ei totius vniuersi vel interitus, vel turbatio; quanti conseruatio viri pij. Quanto ei pluris est anima; pro qua mori dignatus est, turbareq; solem, terras, saxa, petras? Et nos peccatis immorari, ac immori floccipendemus?

Quicquid mundus causetur. Sunamitis filium iam morti vicinum videns, vt rapide festinat ad Elisæum? 4. Reg. 4. *Præcepit puero: propera, nec moram mihi facias in eundo, & hoc age, quod præcepi tibi. Strauitque asinam.* Pluris est anima Deo, quam filius matri: & conuerti tardas? Sed mundus ait tibi, quod maritus illi: *Non sunt hodie Kalendæ, neque Sabbatum.* quasi dicat, expecta festum diem. At ea: *Vadam.* Talis Magdalena hodie. *Ecce mulier, &c.*

PARS II.

Qualis Peccatrix, ac pœnitens hæc fuerit.

Peccatrix. I. *Erat mulier in ciuitate peccatrix*, id est, meretrix. Sic 3. *Reg.* 1. Bethsabæa moriturum Dauidem rogans, vt Salomon acclamaretur Rex: Sin': *cum dormierit Rex, erimus ego, & filius tuus peccatores*, id est, ego adultera, spurius ipse.

Pictor erat Lucas; ideo scite depicturus Magdalenam, prius eam delineat adumbratam carbone vitiorum ipsius. *Erat*, ait, *Mulier*, quæ vulgato corpore nobilitatem dedecorabat, in famis à voluptatibus, scandalum iuxta probis ac improbis.

Apostrophe. Quid agis? Cogita maiorum decora tuorum; probra vitæ tuæ; tantoq; apparere hæc amplius, quo genus tibi nobilius. 1. Fragmen rupis ex alto ruens multos secum lapillos deuoluit: Quan-

to maior tu, hoc plures te in peccatum sequuntur. 2. Vt primum Mobile omnes secum sphæras rapit; ita peccantis magnitudo sequentium habet multitudinem. 3. Vide, age, vbi agis? Ierosolymis; vbi religionis est domicilium, legum sedes. 4. Attende sororis pietatem, integritatem fratris. Quid cogitas?

Occasiones tres ad libidinem.

Sed tria exitiosa tibi. Diuitiæ: Forma: Luxus vestium. Hæc viam libidini sternunt. 1. Vnde Spartanus sciscitanti, quo supplicio Spartæ adulteri plecterentur? ait: Vbi non luxus, opes, voluptas, ibi nec libido. Ista à Sparta absunt. 2. Cæsaris vox erat: *Luxus vestium est vexillũ superbiæ, & nidus luxuriæ.* Huc refer turrita crinium fastigia, telas collares, doleares circulos corpus ambientes tumidũ, aliaq; sexcenta.

Ethopœia pœnitentis.

II. Iam attende pœnitentem. 1. Vt sese respexit, & agnouit, exhorruit ab se ipsa. Ingemuit: dispiciens, qua emergeret. 2. Ergo prima salus illi Iesus. Ad hunc anhelabat medicum: quærit vnum, properat lymphatæ instar, passis comis, squalida cultu ac vultu, singultu, fletuque stridens: oculos & ora in se versa vnam moratur nihil. 3. Discincta volat, in domum Pharisæi iniicit: ad pedes abiicit Domini, &c. *Videte, si est dolor, sicut dolor* Magdalenæ. 4. Quod illi odium, quis horror peccati; quæ audebat talia? Quæ lætam mensam lacrymis quasi funestabat; triclinium planctu complebat: sermones omnium interrumpebat: tenebat omnes exempli audacis nouitate. 5. Fari nihil ore; solum plorare sciebat, & istud agere. At corde quos sensus ac planctus: quas voces, & accusationes sui, &c. ad Dominum tacite profundebat?

PARS III.

Qualis eiusdem pœnitentia?

Mimesis ad pœnitentiã hortatoria

I. QVin ergo & tu, anima mea peccatrix; quin exclamas, Luc. 18. *Peccaui in cœlum, & coram te: & iam non sum digna vocari filia tua.* 2. Sequere age vestigia Magdalenæ. Fac secundum exemplar, quod ostendit tibi. 3. Pater iratus tibi est, clausum cœlum, auersi Diui & surdi, homo peccata dimittere impotens. 4. Et sæuit conscientia; patet orcus; instat, &c. Quid agas? 5. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Hic vocat. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.*

Trames pœnitentiæ Christus.

Adhuc quæris? *Quo fugiam à facie tua? Si enim ascendero in cœlum, tu illic es. Si descendero in infernum, ades.* 1. Tu Iesu *esto mihi in Deum protectorem, & in domum refugij, vt saluum me facias. Quoniam fortitudo mea, & refugium meum es Tu. Propter Nomen tuum, Domine, deduces me.* 2. Tu es *petra refugij erinacei.* 3. Cœlum Angelos peccatores excussit: Paradisus homines expulit, terra rebelles Core, Datam & Abyron non tulit. *Numer.* 16. Orbis diluuio elui debuit & expiari. Ignis è cœlo Pentapolim exussit: *Gen.* 19. Creaturæ iusurgunt, & armantur in peccatorem. Nusquam securitas, nisi ad pedes Iesu.

Mundus licet obstringillet.

4. Esto; sugillet mundus te, ac Pharisæus; Christus stat pro te. Ecce Samaritanam. *Ioan.* 4. Similem & Magdalenæ, & mei. Credidit; doluit, gratiam obtinuit.

Rigorem legis ac iustitiæ postponit.

Peccarat Israel adorato vitulo, *Exo.* 32. E monte descendens Moses infremiscit; tabulas, etsi Dei Scriptas digito, abiicit, comminuit: quasi dicat: Iam procul hinc legum seueritas. Nulla huic par scelerisest. Periimus, actum est; si illa attendatur. Procul hinc, procul ista. Quid agis Moses? Scriptas à Deo diffringis tabulas? Nil metuis, ne offendas Numen, peccatumque peccato cumules? At suberat mysterium. *Mons in vertice montium* Iesus descensurus, ad nos liberandos, erat legis rigorem abrogatum abiecturus, nec à lege, sed ex Seipso malorum

erat

erat petiturus medicinam, gratiamque facturus. Venisti, Iesu: fecisti. Fac & mihi.

Iesus Rex Misericordiæ. Testis adultera.

Lex erat: Adulteri Lapidentur. At Iesus ait: *Qui sine peccato est, iaciat in eam primus.* Simul inclinatus scribebat humi, abeunt cæteri, adulteram absoluit: *Vade, noli peccare amplius.* O magnam misericordiã! *Miserere mei Deus.* Quantum conclusum fuit cœlum; apertusque tartarus peccantibus; tantum nunc id patet, hicque fit clausus pœnitentibus confessis. Quia sic placuit Legislatori gratiæ.

PARS IV.

De Lacrymis Magdalenæ.

Humiliatio sui.

I. *Accessit ad pedes.* 1. Sic Esther. *cap.* 5. ad Assueri aduoluta pedes iacebat; *cumque vidisset Reginam* Rex, *placuit oculis eius, & extendit contra eam virgam auream, quam tenebat manu. Quæ accedens osculata est summitatem virgæ eius.* Id in Magdalena renouatum est, *& dimissa sunt ei multa, quoniam dilexit multum.* 2. Sunamitis, 4. *Reg.* 4. ad pedes Elisæi abiecta vitam filio impetrauit: Hæc animæ suæ mortuæ eandem.

Est pœnitẽtia consanatio.

3. *Plinio teste lib.* 8. *cap.* 27. ceruus sauciatus, cum telo fugit, dictamnum quærit. Quam herbam vt gustat, aut vulneri applicat; vulnus exiliente telo coalescit cõsanatum. Cerua hæc mille confixa peccatis, quærit Iesum, tangit, sanatur.

Lacrymæ lauant.

Lachrymis cœpit rigare. Fœlices lacrymæ! 1. Vos estis mare rubrum, in quo Aegyptij, id est, peccata submerguntur. *Exod.* 14. 2. Fœlix, quæ Psalm. *Conquassasti capita draconum in aquis.* 3. Hæ sunt Iordanis aquæ, quibus Naaman lepram eluit. 4. *Reg.* 5.

4. Lacrymare Maria, vt felicior sies. Clama Ierem. 9. *Quis dabit capiti meo aquã, & oculis meis fontem lachrymarum; & plorabo die, ac nocte?* Deducant oculi tui torrentes lacrymarum. 2. His Dauid peccata diluit. Ezechias, 4. *Reg.* 20. annos XV. vitæ impetrauit; mortis domitor factus. 3. Petrus, *Matth.* 27. sese expiauit ijsdem.

Exempla testantur.

Eas causat antiperistasis.

Glacies, & nix ad solis æstum diffluunt sic, vt torrentes efficiant. Erat illa glacies peccatorum mera: venit ad Solem iustitiæ: afflabatque Sanctus Spiritus, hinc suspiria; inde flumina, vtrinque sonitus aquarum ac rugituum. Illa Augustinus.

Figuræ earum dant puritatem. Charitatẽ.

1. Erant ea mare æneum, 3. *Re.* 7. in quo victimæ abluebantur ante, quam offerrentur Deo. O Maria fœlix victima!

2. Elias, 3. *Reg.* 18. vix aquis ligna, victimamque perfuderat; cum ecce ruit æthere flamma vorax omnium. Maius ac diuinius quid experta Maria est. Ardebat IESVM, & ardebatur à Iesu. Hinc lacrymis colliquescebat, victima grata Deo.

Beatitatẽ.

3. Cataractæ cœli vix reseratæ erant gratiarum, iam diluuium inundabat lacrymarum, quo submergebantur monstra peccatorum. Sed illud ipsam deniq; Arcam pœnitentiæ constituebat in montibus Armeniæ Beatorum. Feliciter rupti fontes abyssi magnæ!

PARS V.

De Capillis Magdalenæ.

Nouus vsus criniũ.

I. *Et capillis suis tergebat.* O Paradoxa! Quis legit, vel audiuit talia? Balneum è lacrymis parari, lotum crinibus detergi? At Iesu tibi singularissimo singularissimum debebatur, & reseruabatur. Sed & istas istud tibi voces expressit: Cant. 4. *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.*

Ligantiũ Deum & peccata.

1. Esto, *Floro teste,* matronæ Carthag- crines tradiderint viris in neruos arcuũ, patriæ defendendæ: Hæc suos dedit Iesu, qui-

su, quibus vincta traherentur peccata, ac strangularentur, quibus ipse Rinoceros Iesus vinctus caperetur.

2. Magna vis crinium Samsonis; sed in Philistæos: *Iud.* 15. Maior Mariæ in cacodæmonas, & animæ noxas: & furias. 3. Absaloni coma auricoma fuit in laqueum, & suspendium: Huic sua in salutem 2. *Reg.* 18.

Rete nouũ nounque piscatio.

1. Fœlix, quæ mare fudisti lachrymarum: rete contexuisti de crinibus vanitatum: hoc ad pedes Iesu expandisti: piscare nunc: certus es capiendi Saluatoris. 2. Viuet exemplum, nec rumpetur rete tuum; sed capiet tui similes innumeros peccatores. 3. Quo par Apostolis Apostola es facta piscatrix hominum.

4. Sed ex primi piscis captura sat esto tibi, quantum Tobiæ satis erat: cætera trade nobis: vt cæci reluminemur, vt Asmodæos dispellamus, vt connubio diuino tuti fruamur.

Noua funerea.

Mortuo Duce, milites arma trahunt humi, & rauca boant tympana. Mortuus huic est Mundus, Caro, Dæmon; nunc arma eorum verrunt humum, capilliq; trahuntur, ipsaque raucum immugit: lasciui merguntur oculi; vultus squalet, sordent manus, iacet corpus viuum cadauer: luctum omnia clamant. O Bene! Rom. 6. *Sicut exhibuistis membra vestra seruire iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete ea seruire iustitiæ in sanctificationem.*

Incendium nouum.

Flagrante domo, supellex per fenestras eiicitur. Ardebat ista, ecce oculis aquæ, corde suspiria, ore quæstus, capite capilli, nartheciis vnguẽta, corpore toto vanitas eiicitur.

O te si cui in rupe videre liceret, diceret; hæccine illa nympha, quæ ad instar Basiliski Ierosolymæ florem virorum afflatu necabat? Hæc illa Babylonica, quæ tot poculo aureo inebriabat? *O mutationem dextera Excelsi?*

Merito nunc tuo *remittuntur tibi peccata tua.* O reginam pœnitentiam, & speculum! spes nostra es, & exemplum, &c.

IN F. S. IACOBI Apostoli.

Potestis bibere calicem?
Matth. 20.

MIrum, Rebeccã, *Gen.* 27. iuniori natu Iacobo deposcere à patre benedictionem, excluso primogenito Esau: idq; q. præter naturæ ordinem. Mirabilius, causam à Christo matrem Zebedæi dum pro hisce poscere primatum, cum alij seniores adessent Apostoli. S. Iacobus ambitiosæ matris alter erat.

Quare nos in præsens

I. De honorum vanitate, & periculo.
II. De petente matre.
III. De re petita periculosa.
IV. De S. Iacobo Boanerge in Verbis & Factis.
V. Qualis, quantusque sit Hispaniæ Apostolus Idem.

PARS I.

De honorum vanitate, & periculo.

Honores periculosi sunt.

I. SApienter & vere is, apud *Val. Max. l.* 7. *c.* 2. qui oblatum sibi diadema inter manus versans ac perlustrans, cum gemitu aiebat: *O nebilem magis, quam felicem coronam? quam si quis penitus cognoscat* plenam curarum, peric. &c. *ne humi quidem iacentem tollat. Hæc enim dulcedo exitio vicina est.* Tales mundi honores, illustriores, quam feliciores sunt, pleni malorum, dolorum, inconstantiæ, vilitatis. &c.

Et vix vmbra.

Vmbræ sunt incorpores, & phantasmata mera. Cætera mundi transitoria, res quædam sunt fluxæ, at honores ne figura quidem sunt: ita fugaces hominib. irrident. An non *Irus est subito, qui modo Codrus erat?* Et sic in cunctis *fortuna volubilis errat.*

Quid

Sunt seruitus. Quid summus quoque magistratus est? 1. Paulinus Epist. ad Romanum ait: *Blandum nomen Honos, mala Seruitus.* Venenum est melle illitū, Vinculum gemmeum, laqueus aureus, 2. Aug. l. de catechiz. rudib. c. 16. *Quid sunt honores sæculi,* *Vanitas.* *nisi vanitas quædam, & ruina populorum?* 3. S. *Turbatio.* Greg. p. 1. Pastor. c. 9. *Quid est potestas culminis, nisi tempestas mentis?* Honor est *Crux.* maris furor. 4. S. Bern. l. 3. de Consid. *Ambitio est ambientium crux; nihil acerbius cruciat, nihil molestius inquietat.* 5. Idem Epist. *Terrori.* 42. *Meditantibus honores blandiuntur: sed onera pensantibus terrori sunt,* ob pericula, & damna.

Cane prudentior. II. Quare seruandum, quod Deut. 22. iussum: *Cum ædificaueris domum nouam, honorum: facies murum tecti per circuitum,* murum sapientiæ & circumspectionis; *ne effundatur sanguis in domo tua,* aut ipse pericliteris.

Typus periculi. Eccunde Heli casus? 1. Reg. 4. *Quia cecidit de sella retrorsum, & fractis ceruicibus mortuus est.* Notat hic Abulensis, sellam reclinatorio caruisse, & sic casui patuisse vndique. Talis honorum est sella. Itaque insessor eius virtutum fulcro muniatur oportet.

Quare, Eccl. 7. *Noli quærere ab homine* *Et exemplum.* *ducatum, nec à rege cathedram honoris.*

Esto, polleas virtute, honores tamen mutant mores: inde periculum. 1. Reg. 13. Saul *filius vnius anni erat, cum regnare cœpisset:* Chaldæus paraphrastes legit: *in quo nulla erant peccata* priuato: at euectus in quanta prorupit? Et tamen à Deo electus in thronum ascenderat. At malum ex te, ô Saul.

Honores sunt venti Quin & ex ipsa honorum natura. Nam, Dan. 4. *Videbam in visione mea nocte, & ecce,* 4. *VENTI, Pugnabant, in mari magno,* 4. Monarchiæ mundi: *Et* 4. *BESTIAE grandes,* reges *ascendebant de mari diuersæ inter se.* Quid ventis leuius? sæuius bestijs? S. Chrys. *Vt sæui quidam venti mare totum subruunt, sic, vt arenæ vndis misceantur: Sic ambitio, & turpis quæstus animam subeuntes omnia subuertunt.* *Hom. 12. ad popul. Ant.*

Idem Hom. 10. in Matt. c. 22. *Christianus* *Causa peccati.* *fortiter cadit in peccatum aut propter magnitudinem peccati, aut ob altitudinem dignitatis.*

Plut. in vita Demosthenis, ait, hunc dicere solitum, si duæ viæ ostenderentur; *Vt Mors fugiendi.* vna mortis, honoris altera: quam hanc, prius illam inuadendam esse. Non ea mens matris Zebedæidum.

PARS II.

De petitione Matris.

Intempestiua petitio. I. DE pass. & morte sua habuerat sermonem Dominus, & illa vane solicita: *Dic,* ait, *vt sedeant hi duo filii mei.* &c. O quam aliæ viæ sunt & cogitationes hominum & Dei? Ecquid passioni cum honorum ambitu? Deus ad mortem se humiliat: homo se sustolli affectat? *Psal. 71. Coram illo procident AEthiopes, & inimici eius terram lingent,* & amici coram humiliato alta petent, exaltato æquari appetent?

Et ambitiosa. Nota mores ambitiosę 11. *Adorans eū:* ita aulici & honoripetæ idola Nabuchodonosoræa tantum non adorant, spe honoris. Vah adulantes canes prostratos! 2. *Petens aliquid* cum hypocrisi specie pietatis rem meræ vanitatis quærit. 3. Ita Bersabea, maximum quid petitura, ait: 3. Reg. 2. *Petitionem vnam paruulam ego deprecor.* Quam? Abisaig coniugem Adoniæ. Cui rex: *Quare postulas* hoc? *postula et & regnum.* Ita hæc.

Fœmina. Stultitiam petiti rebantur filii facilius matri condonandam, quam sibi: itemq; inuidiam apud Apostolos.

Eius occasio. II. Et quæ petitionis occasio? 1. S. Hiero: putat illa verba: *Tertia die resurget.* q. tunc ordietur regnum hoc. 2. S. Cyr. lib. 10. c. 15. putat illa Matth. 19. *Vos qui secuti estis me in regeneratione, cum*

sed.

sed. Ei. ho. in S. Mai suæ ; sedebitis & vos super se. XII. iudicantes. &c. Ita Beda, Chry.

Inuerecundia. 3. Marcus 10. ait: *Accedunt Iac. & Ioa. fi. Zeb. dicentes: Magister, volumus, vt quodcunque petierimus, facias nobis.* Audax hoc, *Volumus*, & arrogans. Ingenium sic est honoripetarum. Pari vsi impudentia Nazaræni: Matth. 12 *Magister, Volumus à te signum videre.* Si Messiam creditis; vbi reuerentia vestra?

Modus. *Dic.* Quid? Ergon' solum verbo opus, ad honorem & beatitudinem tantam? Luc. 24. *Nonne oportebat CHRISTVM PATI, & sic intrare in gloriam suam?* Verbo creauit; at non verbo redimit mundum Deus.

Sapienter tamen, bene, & theologice dicis: *Dic.* Nam Verbum Domini par Potentiæ est: 1. Psalm. 32. *Dixit, & facta sunt; ipse mandauit & creata sunt.* Verbum eius omnia creata distinxit. 2. Meminerat Centurionis, Matth. 8. *Tantum dic verbum, & sanabitur puer meus.*

Petita parentum tria. Tria esse parentum vota assolent pro liberis. 1. Quietem eis petunt: *Vt sedeant.* At Eccl. 33. *Multa mala docuit otiositas.* 2. Affluentiam rerum: *in regno.* Ita Rebecca *Genes.* 27. de benedictione Iacob anxia fuit. 3. Honores, *à dextris.* Ita Bersabea, 3. Reg. 1. Salomoni petiit regnum.

Petitionis excusatio. III. Excusemus tamen eam, quin laudemus: 1. Quia Mater est. Matrum amor autem blandus quidam tyrannus est, ait S. Ambr. 2. Quia filios amabat Dominus, vt in arcanis intimos. 3. Quia intentio petentis fuerit Sancta, non vana; quo consanguinei fidelius Domino præstarent obsequium. 4. Aequali ambos amore fouebat. 1. An non bella inde, quod Iacob pro Esau in amoribus esset? 2. Genes. 37. *Parentum amor inæqualis.* *Israel diligebat Ioseph super omnes filios, fecitque illi tunicam polymitam. Videntes autem fratres eius, quod à patre plus cunctis filijs amaretur; oderant eum, nec poterant ei quicquam pacifice loqui.* Hoc odium, heu, quo non erupit?

Cautior inde Iacob, extremum vale & benedicturus filiis conuocatis, obscurauit Iudæ prerogatiuam verbis, ne crearet inuidiam: Gen. 49. *Non auferetur sceptrum de Iuda*, ait, *& dux de femore eius; donec veniat, qui mittendus est.*

PARS III.

De re petita periculosa.

Ignorantia petiti. I. NEscitis; *quid petatis.* Petrus in Thabor extra se raptus, ait, Matth. 17. Bonum est nos *hic esse; faciamus hic tria tabernacula.* At Nesciebat, *quid diceret:* Nam ad mortem Romæ destinatus erat; non ad commorandum in Iudæa. Ita hi nesciebant: Quia petebant sedes in regno; cum sedere ibi solius sit Christi. Dan. 9. & Apocal. 4. *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, stantes ante thronum Dei.* Stare cæterorum est; vel procidere ad pedes. *Apocal.* 4. & 7. coronas deponere. &c.

Honores cognatu non. *Ideo non est meum dare vobis regnum;* quod cognati mei estis; vel quod *nescitis quid petatis.* Diuina electio non intuetur talia. Hinc Primatus in Petrum, non Ioannem. &c. peruenit.

Ob eum tus malos. 1. Quin imo, Abac. 2. *Væ illis, qui ædificant Sion in sanguinibus, &c.* 1. qui Ecclesiæ munia partiuntur intuitu cognationis. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui non ex sang. &c. sed ex Deo nati sunt.* 2. Abimelech nothus regnum ambiens Sichemitis ait: Iud. 3. *Considerate, quia os vestrum, & caro vestra sum.* Sceptro potitur; LXX. legitimos fratres regni heredes, præter vnum, omnes vno die obtruncat. *Væ, qui ædif. Sion, &c.* Vere *nescitis.*

Honorari est onerari. II. Iumenta gemunt adonerum iniectionem; prudentes, ad honorum. 1. Ac Prou. 33. *Stultorum exultatio in ignominia* ambi-

ambitionis suæ, & periculi, aut vanitatis.

Periclitari. 2. Inde gloriari est Pilatum stultum imitari. Ioa. 19 *Nescis, quia potestatem habeo crucifigere te, & dimittere?* In felix potestas, ad iniqua quæ patet.

Desperare. 3. An non stultitia Nabuchodonosoris illa, struere statuam ex auro, argento, ære, ferro; & pedes è fragili vilique luto? Ita homini superstruere honores, ac montes montibus. 4. Sapientius arbores, repudiato imperio, aiunt: Iud. 9. *Non possum deserere dulcedinem meam*: & acerbos adire casus.

Electio hominū sæpe nō est Dei. Plurimum fit, à Deo reijci, quos eligunt homines suo stylo & studio. 1. Testis Dauid: 1. *Reg.* 16. Pater filios sistit Samueli: qui ait: *Non elegit Dominus ex istis.* Tum Isai: *Adhuc reliquus est paruulus, & pascuit oues.* Et hunc elegerat Dominus: Ideo Psal. 26. *Pater meus & mater mea dereliquerunt me*, in præsentatione: *Dominus autē assumsit me* per Samuelem.

Honores sunt periculosi honoratis. III. Petunt alta natis parentes; sed sæpe in ruinam 1. Oseæ 9. *Ephraim vt vidi, Tyrus erat fundata in pulcritudine: & Ephraim educet ad interfectorem filios.* Sortem hanc cæcorum miseratus subdit: *Da eis vuluam sine liberis, & vbera arentia.*

Et honorā tibus. 2. Israelitis vile videbatur à propheta regi Samuele; 1. *Reg.* 8. Poscunt dari Regem, Datur, sed irato Deo: *Hoc erit ius Regis: Filios vestros tollet, & ponet in curribus suis, facietque sibi equites, & cursores quadrigarum suarum.* En ex honore seruitus.

Ergo bene negantia. aliquando. Et vero ipsa mors: nisi Deus seruet. *Pierius, in Hieroglyphicis c. de Aquila* refert: Messorem viso in pugna serpenti aquilam circumplexo caput falce præsecat, aquilamq; liberat. Bibunt messores; ipsū deniq; bibiturūm deuolans aquila impedit, excusso è manibus vrceo. Interim expirant messores. Sciebat aquila beneficij memor, fontem, vnde hauserant ij, à serpente corruptum fuisse. Ita Dominus, viso, mori bibentes è poculo ambitionis, hosce duos bibituros impedit gratus in eos, ob sequelam sui, fremente etiam synagoga. *Nescitis.* Itaque melius propinat: *Potestis calicem quem ego?* Venenatus honos est. Hinc Aug. in hoc Psal. 1. *In cathedra pestilentiæ non sedit*: i. ait, in ambitione non hæsit.

PARS IV.

De S. Iacobo Boanerge in verbis & Factis.

Magni Apostoli. I. DOminus XII. magnos ad magna elegit, vt essent castrorum suorum duces, Euangelij præcones, fidei bases, mysteriorum interpretes Patriarchæ. In his vero tres amore ipsi potiores secretarij, ad arcana adsciti transfigurationis, Agoniæ, & suscitatæ filiæ Archisyn. Vt inter Dauidis duces eximios, tres tamen primipili, 2. Reg. 15. *Verumtamen ad tres primos non peruenit.* Ita Apostoli omnes, Heb. 11. *fortes facti in bello* Domini: at Maiores Pet. Ioan. Iac.

At maior Iacobus. Qui dictus *Maior*, ad distinctionem Iacobi Mariæ Cleophæ: Et quod vocationis iure sit primus: Et quod Domino familiarior: Et quod Martyr Apostolorum primus Petro Ecclesiam, Ioanni Matrem, Iacobo Crucem Dominus cōmendauit.

Et Boanerges à martyrio suo primo. *Mar.* 3. dicitur cum fratre *Boanerges* i. filij tonitrui. Iacobus tonuit cum prædicationis constantia; tum martyrio primo; quod late insonuit. 1. Sicut ignis nubibus incluſus erumpere gestit ac tonat: ita fidei lumen, & ignis charit. in nube mundi inuolutus per martyria erupit, cum orbis concussi terrore. 2. Vt *Iud.* 7. Gedeone cum 300. contra Madianitas pugnaturo, *omnes fregerunt lagenas, apparuerunt lampades, & tubis personuerunt: & castra Madian turbata sunt, & superata.* At prius Gedeon dixerat: *Quod me videritis facere, hoc facite.* Ita Domino martyrisato orbis intremuit: Similiter & apostolis prædicantibus & occisis: Et sic

Typus martyrū.

fractis lagenulis emicuit ignis fidei. 3. Pſ. 53. *Et conturbati ſunt omnes, qui videbant eos, & timuit omnis homo; & annunciauerunt opera Dei.* Pſ. 96. *Tunc alluxerunt fulgura eius orbi terræ; vidit, & commota eſt terra.*

Apoſtoli ſunt tonitrua ab prædicatione.

II. An non Boanerges, Pſ. 8. *Quorum in omnem terram exiuit ſonus;* 1. Et quidem ſic, vt impleretur Pſal. 103. *A voce tonitrui tui formidabūt.* 2. Sicut, cum in Sina lex dabatur inter fulgura, tonitrua, ventos, ad terrorem omnium dicentium: Exod. 19. *Ne loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur.* Talis Apoſtolorum vox Iudæis & Ethnicis.

Ob miracula.

3. Hæc erat Ioannis viſio throni, de quo fulgura, voces, & tonitrua procedebant. *Apoc.* 4. Talis Eccleſiæ prædicatio eſt. Vel Miracula ſunt tonitrua, ait Aug. Rupertus, Richard. Nam Matth. 24. *Sicut fulgur exit ab oriente, & paret vſq; in occidentem:* ita miracula. Hinc dicūtur ſplendor armorum Dei. Abac. 3. *In luce ſagittarum tuarum ibunt; in ſplendore fulgurantis haſtæ tuæ.* LXX. vertunt: *in coruſcatione fulguris armorum tuorum.* Greg. 3. Mor. c. 3. *Fulgur armorū eſt claritas miraculorū.* Aug. in Pſ. 96. *Alluxerunt fulgura.* i. miracula ait.

A throno autem Eccleſiæ quæ procedunt tonitrua; ea ſunt anathemata: quæ voces, ſunt leniores admonitiones, & doctrinæ.

Vt prædicandum.

III. Quare prædicator ſæpius humilia ad captum vulgi; quam alta prædicet. 1. Vtraq; tamen ſic, vti, 2. Cor. 5. *ſiue mente excedimus, Deo: ſiue ſobrij ſumus; vobis.* Illud tonat ad ſtuporem: hoc ſonat ad ædificationem.

2. At ſicut, Iob. 34. *Audito tonitru, præ timore pariunt* ceruæ. Nam Pſalm. 28. *Vox tonitrui præparantis ceruos*: Hebræi legunt *ceruas.* Hieronym. *Obſtetricatis ceruis.* Ita ſpiritus vehemens concionantis conterit petras, naues, peccatores. &c. Hinc, Iſa. 26. *A facie tua Domine concepimus, & quaſi parturiuimus; & peperimus ſpiritum ſalutis.*

Vt peccatores conuertēdi incuſſo metu.

Difficilis hic partus: at Deo poſſibilis. 1. Nam Exo. 14. *Reſpiciens Dominus ſuper caſtra Aegyptiorum, ſubuertit rotas curruum:* peccatorū. 2. Pſ. 76. *Viderunt te aquæ Deus, & timuerunt, & turbatæ ſunt abyſſi: multitudo ſonitus aquarum; vocem dederunt nubes: etenim ſagittæ tuæ tranſeunt, vox tonitrui tui in rota.* id eſt, in rotis, cordibus peccatorum.

Typus.

Talium prædicatorum typum gerunt ij, qui Apoc. 15. *exierunt* VII. *Angeli, habentes* VII. *phialas* irarum Dei, *de templo veſtitilino mundo & candido; & præcincti circa pectora Zonis aureis.* His terrendi peccatores ſunt; ſed zonæ aureæ, & phialæ: ſignant zelum charitatis in concionatore.

At miſce aſpera dul-ci.

Item, Mat. 5. *Vos eſtis ſal terræ,* mordax; at ſaporoſum. Sit ergo ſal in lingua: at Cant. 4. *Mel & lac ſub lingua*, conſolatorium; non adulatorium.

1. Nam de ſe Magiſter ait, Matth. 10. *Non veni pacem* peccatorum *mittere, ſed gladium.*

2. Itaque, Ier. 48. *Maledictus* prædicator, *qui prohibet gladium ſuum* linguæ *à ſanguine* occidendorum peccatorum vt æternum viuant.

PARS V.

Qualis quantuſq; Hiſpaniæ Apoſtolus S. Iacobus.

S. Iacobus ſuauis & acris erat.

I. IVI. Cæſari olim erecta ſtatua, præferens hac gladium, illa librum, cum epigraphe: *ex vtroq; Cæſar:* armis & literis: Ita *ex vtroq; Iacobus* doctrina ſuaui, & zelo vehementi.

1. Prædicator ſit populare;

Talis ſit, qui iubetur: Iſa 18. *Clama, ne ceſſes; quaſi tuba exalta vocem, & annuncia populo meo ſcelera eorum:* non nouitates aulicas, quæſtiones curioſas. &c. ſed vt is, 1. Corint. 1. *non miſit me Dominus baptizare: ſed Euangelizare: non in ſapientia Verbi;*

Verbi ; vt non euacuetur Crux Christi.

2. Nō affectet vaniloquentiā. Achan, *Ios.* 10. lapidatur proditus à Deo, quod *auream lingulam*, vt Orig. & Hier. legunt, pro *regula*, sublegisset in Iericho. Ita punientur diuinitus, qui ex anathemate Iericho mundi humanæ sapientiæ linguam furantur, adulterantes tonitrua cœli.

3. Sit conuersus. Psal. 57. *Lingua Canum tuorum* prædicatorum *ex inimicis* peccatoris, sed conuersis, *ab ipso* Deo. Tales canes Paulus ex Saulo, Matthæus ex telonario.

4. Sit acris. Canum est mordere lupos, cogere pecus, vigilare. At quot Isa. 56. *Canes muti, non valentes latrare.*

S. Iac. vt in Hispaniam venerit. II. Talis in Hispania S. Iac. Maior, eius ad fidem Dux: ac demum eodem, ossibus illatis, redux. Qui etsi in Iudæa occubuerit: tamen velut Ioseph, Gen. 50. *Asportate ossa mea de loco isto*: in Hisp. transferri voluit, hodieque miraclis illustrat: & vero quot & quantis ab tot retro annis? Translatus autem est sic: Discipuli eius S. Ossa naui exarmatæ, quæ absque nauarcho appulit in Hispaniam, & apparens in campo stella designauit locum depositionis faciundæ. Hinc hodieque dicitur locus *Compostella*. Ita præsepe Dominici index stella fuit. *Luc.* 2.

Nunquam sat prædicandus. Benedixit Plato: pares nunquam gratias reddi posse Deo, quod creasset, parentibus, quod generassent: Præceptoribus, quod edocuissent. Ideo Alexander plus se Aristoteli præceptori, quam genitori Philippo, debere profitebatur. Quantum ergo debebit Hispania S. Iacobo suo ad fidem Duci ac luci; suo à Mauris liberatori?

Quare Heb. 13. *Mementote Præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt Verbum Dei: quorum intuentes exitum, conuersationis imitamini fidem.*

IN FESTO S. IACOBI Apostoli.

Accessit ad eum mater filiorum Zebedæi, cum filiis suis, adorans, & petens aliquid ab eo.

Matt. 20.

BEthsabee, 3. *Regum* 11. Dauidem annis, & morbo fatiscentem supplex orat, Salomonem sibi successorem in regno ipse declaret. Ita mater hæc filios Christo proximos in regno fieri orat.

Super quo nos

I. De ambitione pernitiosa.
II. De tempore, & genere petitionis.
III. De animo tale petentis.
IV. De responso Christi negatiuo.

PARS I.

De ambitione pernitiosa.

I. AMbitio fons est malorum ominiū, aiebat Timon Philosophus. 1. Et Bernardus in Psalmum nonagesimum. *Radix iniquitatis ambitio, subtile malum, pestis occulta, vitiorum origo, virtutum ærugo, tinea sanctitatis, excæcatrix cordium.* 2. Seneca Ep. 95. *Ambitiosus instar turbinis est, qui capta conuoluit: sed ipse antea voluitur.* *Ambitio malorum fons est.*

1. Qualis, *Matt.* 4. Satan subuexit Dominum in præcelsa montis, & templi. Ita ambitio ad dignitates Politicas, & Ecclesiasticas: demum iubet *Mittete deorsum*: simul præcipitat. 2. Famosi gigantes sunt, & fabulosi, qui montes montibus imposuerunt, vt Iouem cœlo proturbarent. Similes sunt ambitiosi Briareo centimano ad rapiendum: Argi sunt, qui centum oculis concupiscunt omnia, vt opes opibus, honoribus accumulent honores. *Summos quosq; tentare audet, vt perdat.* 1. *Atheos.* 2. *Raptores*

3. Nefandi posteri Cain gigantæi sunt ambitiosi, debiti diluuio: qui regnis & *3. Perturbatores.*

ecclesiis inferunt diluuia. Nemrothani sunt, qui turrim Babel instaurantes, omnia confusionibus complent.

Exempla cladium.

II. Exemplo est primus gigantum, qui cœlum ambitione concussit. 2. Qui Paradisum vastauit, Orbem, genusq; humanum corrupit. 3. Qui duos discipulorum Domini ambitione occupauit, similes illi esse gestientes.

4. Ex ea Abimelech, Gedeonis filius occidit 70. fratres, quo solus regno potiretur. *Iud.* 7. 5. Eadem spe Athalia omnem Dauidis posteritatem extinxit, vt ipsa regnaret sola. 4. *Reg.* 15. 6. Ex ambitione infrenduit Aman, *Esth.* 4. à Mardochæo sibi nõ assurgi. Conspirabat itaq; in Iudæorum omnium internecionem. Demum ipse *suspensus est in patibulo, quod parauerat Mardochæo.*

7. Qualis igitur Achitophel Consiliarius, 2. *Reg.* 16. instigauit Absalonem, vt regnum inuaderet pulso genitore: Sed euenit; vt Absolon in suspendio lanceis transfadigeretur. Talis ambitio. 8. Hæc Pharaonem, totamq; Aegyptum in arma vocauit, ad persequendos Israelitas, ac demum in mari rubro submersit, Exod. 14. *vt nec vnus quidem superfuerit ex eis.*

9. Sui habent exemplum interitus ambitiosi in porcis, quos inuaserunt dæmones, Matth. 7. *Et ecce magno impetu abiit totus grex præceps in mare, & mortui sunt in aquis.*

Ambitionis emblema viuũ.

III. Est ergo ambitio *mulier* illa, de qua Apoc. 17. *circundata purpura, & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioso, & margaritis, habens poculum aureum in manu sua, plenum abominatione; & immunditia fornicationis eius.* Istis sub honoribus, ac voluptatibus mucrones occultat & venena.

Aliud.

Repræsentat eam statua Nabuchodonosoræa. Dan. 3. *Cuius caput ex auro optimo erat, pectus autem & brachia de argento.* Speciosa hæc, & pretiosa. At cætera eius æruginosa ferrea, & lutea ne cernantur, noctu per somnium se præbet spectandam magnatibus. O fraudem lethalem! Illicit auro & argento, vt aut ære ac ferro enecet, aut leuis impulsu lapilli prosternat, ac omnia diffringat. Eius specie decepta mater filiorum Zebedæi, petit indigna Deo; sibi suisque inconuenientia.

PARS II.

De tempore & genere petitionis.

I. *Accessit mater,* Maria Salome, quæ *Matt.* 28. Christum in Passione secuta est: *& venit eum vngere. Filiorum Zebedæi,* fratrum Iacobi Maioris, & Ioannis: quos Dominus & in Thabor gloriæ, & in Oliueto Agoniæ testes habere voluit.

Tunc accessit, Cum Iesus loqueretur de Passione sua: *Ecce ascendimus Ierosolymam, & Filius hominis tradetur.* Quam dispares curæ Dei ac hominum? Cum ille de ignominia crucis, mortisque moneret; hæc mouet honores, vanitates & spes longas inchoat.

Cum sanæ Deus cõsulit & asperа: homo vana appetit & noxia.

1. Ita Vriam ad mollia inuitabat, sed dolo, Dauid: cui ille animose talia, 2. Reg. 11. *Arca Dei, & Israel habitat in papilionibus, & Dominus meus Iacob, & serui Domini mei super faciem terræ manent; & ego ingrediar domum meam, vt comedam, & bibam, & dormiam cum vxore mea?* Et tu mulier Arcam Dei ad mortem designari audis, & audes aspirare ad vana?

Idq; instinctore non bono.

2. Talis & Bethsabeæ fuit audacia. 3. *Reg.* 2. quæ affixum lecto Dauidem ægrum importuna solicitat pro regni successore filio Salomone, & impetrat. Ita ab Occidente sole versi ad Orientem, hunc plures adorant. Hac tamen importunior Zebedæa fuit, quæ anxiato ex instanti morte non solatium affert vllum, sed afflictum afficit molestia suis inaniis.

Et impudẽti exaudacia.

II. Vera ea Carnis nostræ imago est.

Hæc

Ita & Caro concupiscit aduersus spiritum.

Hæc animo cogitante de ieiuniis, pœnitentia, &c. Tunc delicias appetit, & suggerit tripudia. Similis filiabus Loth. Hoc viro, ex incendio subtracto, soliciteque in campis salutem quærente, Gen 19. *Dixit maior ad minorem: Veni, inebriemus eum vino dormiamusque cum eo.* Ita caruncula in spiritum, ex peccatis eductum, conspirat in pœnitentem, vt vino concupiscentiæ inebrietur, &c.

Ita ea mandanda seu mulctanda est.

At tunc spiritum sic respondere addecet. Cupediæ meæ, *nescitis quid petatis.* Age carunculæ tunc tuæ; quod Iephte filiæ, vicerat is Ammonitas; *Iud.* 11. Vouerat, Deo gratus pro victoria, quod reuerso domum occurreret primum, se Deo sacrificaturum. Ecce filia, ei victoriam gratulatura, cum choris plaudentium occurrit. At is eam visam, constans certusque propositi, destinat aræ: mactatque. Ita Spiritus tuus vicit peccata Confessione: Certus propositi emendationis; si viderit abblandientem sibi Carnem suam cum choris sui similium; destinet eam aræ: mactetque promerito. Dignum *sacrificium Deo spiritus contribulatus.* Psalm. 50.

PARS III.

De animo tale petentis matris.

Et in fœmina ambitio.

I. DIc vt sedeant hi duo, &c. Ergo & in fœmineo regnat pectore ambitio? Et nec raro. Idq; hereditario veluti inde ab Eua, quæ eam illi sexui possessionem tradidit prima. Hui qualia affectabat Eua? Diis paria.

Animos amat viles & emasculos.

Sed quales inuadit animos ambitio? Falsa generositate animosos, à vera virtute degeneres. 1. Vt hedera ad muros vetustate semidissolutos crescendo serpit, exeditq; magis; dum diruat: ita ambitio animos putiscentes, & affectib. emasculatos sensim erodit, ac deterit. 2. Est vile genas arbusti, Viscus dictum, non crescit id in generoso solo; sed aliis in arboribus eo fœlicius, quo eæ vetustiores fuerint, ac semicariosæ. Et in harum fastigiis crescit. Ita ambitio in pectoribus cariosis.

Similia.

3. Arboribus: *Iud.* 9. regem inter ligna optantibus, nulla eam acceptabat dignitatem. Deniq; Rhamnus acceptans ait *Si vere me regem vobis constituitis, venite, & sub vmbra mea requiescite. Et egressus ignis à rhãno* arbores corripuit oẽs. Hic euentus. Ita damnosa est ambitio. 4. Scriptores Indici de herba memorant in Brasilia, quæ arenosis plantata locis crescit; at in fœcundo solo exarescit. Ambitio animis virtutis expertibus increscit. Ecce hanc mulierem. Idcirco velut iratus illi Dominus ait: *Quid vis mulier?*

Mollis alias, hic asper respõso est Dominus.

II. Mitissime Iesu, quid iam es asper adeo, qui alias affatu semper tam mollis es? Ecce supplicem. Et dixisse te memineris, Matth. 16. *Quicquid orantes petitis, credite quia accipietis.* Tun' durior huic eris, quam Herodes filiæ? Marc. 6. *Qui iurauit ei: quicquid petieris, dabo tibi, licet dimidium regni mei.* Tun' durior Salomone: Qui. 3. Reg. 2. *dixit ei: Pete mater mea. Neque enim fas est, vt auertam faciem tuam.* Et huic Tu rigide dices: *Quid petis?* Simul præfracte abnuis? Nimirum ignorata petebat, & seu noxia, seu periculosa.

Quia superbis resistit.

Succinum, lapidis pretiosioris genus, trahit ad se festucas, præter basilicum herbam, propter antipathiam: nam herba ea fumositate sua caput obturbat. Ita Christus vera petra, 1. *Cor.* 10. humiles, etsi peccatores, ad se trahit, at superbos ambitiosos fastidit, ac respuit: vt cerebro fumoso turbidiores.

PARS IV.

De responso Christi negatiuo.

Occasio petitionis.

I. SEd quid induxit mulierẽ ad petitionem istam? An quod audisset Do-

minum dicentem, post resurrectionem se regnaturum? Quod nosset geminam esse potestatem summam, Pontificiam & regiam; & vtramque tunc corruptam expirasse?

Causa negationis coglobata.

Stolida mulier; 1. Non meministi dicentis. Ioan. 8. *Regnum meum non est de hoc mundo.* 2. Iterum *Quo ego vado, vos non potestis venire.* Nec Seraphinis isthuc pertingere fas est. Vnus est, *qui sedet à dextris Patris.* 3. Sat esto piscatoribus, ipsum *constituisse eos Principes super omnem terram.* Psal. 44. 4. Recordentur suæ quondam professionis: *Ecce reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Sequi sat erat tunc: nunc pares esse ambibunt? *Nescitis quid petatis.* 5. Non meministis idem votum Angelis attulisse exitium? perdidisse Absalonem, Abimelech, Amanum? &c.

Plures ex Historia simili.

1. Eodem æstro percita Agrippina Neronis mater, prænunciantibus ei Astrologis: ipsam perimendam fore si filius imperarit. Quibus illa: *Occidat: modo imperet.* Suet. in Nerone.

2 A Similitudine.

2. Draco sic æstu torreri dicitur, vt nullis eum vndis temperare queat; ideo semper hiante ore aerem captat. Sique volare mari naues cernat, aduolat, vt ventum ex eorum velis ac motu captet. Tantoq; subinde fertur cum impetu, vt secum nauib. collisum funditus perdat. Talis æstuat ambitiosus, sibi aliisque exitiosus, dum honorum est inexatiatus.

3. A minori.

3. Porro *Quid petis? Dic.* Quid? Vt filii mei sint vt Ioseph sub Pharaone; Daniel sub Dario; Mardochæus sub Assuero.

Nescitis, quid petatis. Respondeo, vt Salomon Bethsabææ postulanti pro Adonia coniugem Abisag: *Quare postulas Abisag vxorem? Postula ei regnum.* Cur non postulas eis regnum cœlorum? Hoc dabo.

4. A fastu petentis.

11. Sed forte, vt Iul. Cæsar in Alpium transitu, *teste Plut. in Apoph. Rom.* cum ventum esset ad obscurum oppidulum, sciscitantibus Tribunis, vt fit in itinere, nũ & isthic forent contentiones ambitiosæ? respondit superbe: *Mallem ibi esse primus, quam Romæ secundus.* Ita hæc maluerit suos in hoc mundo esse primos, quam in cœlo secundos. Cœci! *Nescitis, quid petatis.*

5. A petita rei peritura.

5. Prudenter Rex quidam, *Val. Max. teste*, offerentibus sibi cum diademate regnum, ait: *O nobilem magis, quam fœlicem pannum! Si te homines cognoscerent, ne humi quidem iacentem tollere vellent.* Ad eundem modum Antigonus Rex matri regnum ipsi gratulatæ: *Si nosses*, inquit, *mater, quantis malis hic panniculus est plenus*, (diadema ostendens:) *ne in sterquilinio quidem iacentem tolleres.* Stob. serm. 47.

6. Ab indebito, & indigno.

6. *Nescitis quid petatis*: quietem ante laborem, pacem ante bellum, mercedem ante opera. *Nonne oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam?* Age, *Non est discipulus supra magistrum. Non est meum*, non debeo, non par est *dare vobis* hoc petitum. *Nemo coronabitur, nisi legitime certauerit.*

7. Ab indecoro & immerito.

Poscenti filio sibi dari ab Antigono Rege remunerationem pro eximia parentis defuncti opera præstita, respondit Rex ignauo & patris dissimili: *Ego mercedem & munera dare propriæ, non paternæ virtuti soleo.* Ita Christus hisce: Meritis dabo regnum: nondum meritis, *dare non est meum.*

Quare vt mereamur, huc connitamur: dicamusque *Absit mihi gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi*: Gal. 6. Psal. 72. *Et à te quid volui super terram?* Quoniam

Eccles. 11. *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.*

IN

IN F. S. ANNÆ MATRIS B.V. Mariæ.

Simile est R. C. hom. negotiatori. Mat. 13.

HAud aliud dignius aut diuinius habitum fuit Israelitis, *Exod.* 25. quam Sãcta Sanctorũ; in quæ arca erat inferenda. At tanto istis dignior S. Anna, quanto præ Arca est Deipara, præ vmbra lux, veritas præ figura.

Itaque nos

I. *Magna sunt facta filiæ ipsius.*
II. *S. Annam monogamam fuisse, & vniparam.*
III. *Matris S. Annæ laus à prole Maria.*
IV. *De prærogatiua S. Annæ.*

PARS I.

Quæ magna sint filiæ facta S. Annæ.

Magna circa B.V.M. fuit.

I. DAuid parando Salomonæo præparans materiem, ait, 1. Par. 29. *Grande opus est. Neq; enim homini præparatur habitatio, sed Deo.* 1. Grandius, præparari habitationem B.V.M. Quod in hanc grandia concursura erant: Conceptio sanctificata, natiuitas gloriosa, vita diuina, mors mira. &c. pleraq; supra naturam. 2. Et vero. Ps. 86. *Gloriosa dicta sunt de te Ciuitas Dei.* 3. Damasc. orat. 1. de obdor. B.V. *Et quam aliam ciuitatem intelligemus, quam eam, quæ Deum suscepit.* 4. S. Germ. Constantinop. orat. de B.V. *Omnia tua sunt admirabilia, ô Deipara; omnia supra naturã.* 5. Lu. 1. *Quia fecit mihi magna, qui potens est.* Ideo magnificat, anima mea Dominum.

Et tripliciter. 1.

II. Magna per gratiam. 1. Quia angelus ait, *Aue* gratia plena. 2. Prou. 31. *Filiæ multæ congregauerunt sibi diuitias: tu supergressa es vniuersas.* 3. Eccl. 24. *In plenitudine Sanctorũ detentio mea.* 4. Cant. 7. *In horto meo omnia poma noua & vetera virtutum ac gratiarum.*

2. Magna per gloriam. Quia corpore & anima Angelos transcendit. Cant. 6. *Quæ est ista, quæ progreditur q. aurora cons.* ante vitam: *pulcra vt luna* in vita, *electa vt sol* post vitam: *terrib. vt cast. acies ord.* iam in Ecclesia ad tutamen fidelium.

3. Magna per naturam. Nam oriunda è stirpe regum, patriarcharum. *Mat.* 1. Anna & Ioachim de tribu Iuda regia nati sunt. Gen. 49. *Non auferetur sceptrum de Iuda, & Dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus est.*

Ps. 86. *Fundamenta eius in mõtibus sanctis,* B.V. Mariæ in parentibus: Ecclesiæ in Apostolos. Ciuitatis Dei, Apoc. 22. fundamenta è lapid. pretiosis, *& Deus ipse fundauit eam altissimus.*

PARS II.

S. Annam monogamam fuisse, ac vniparam.

I. IOachim Nazarethi, Bethlehemi Anna, ciuitatulis Iuda, nati coniugiũ inierant. At *Plures ne maritos ea habuerit, plureſque filias*; disceptant Patres. Tres ei tribuunt viros, Ioachim, Cleopham, Salomam, & è singulis filias singulas. Sic S. Anton. 1. p. hist. Magister hist. Euang. Petrus à Natalibus in Catal. Ludolphus, Eckius, Gerson sup. de Nat. B.V.

Vbi ista:

Anna tribus nupsit, Ioachim, Cleophæ, Salomæque.
Ex quibus ipsa viris peperit tres Anna Marias:
Quas duxere, Ioseph, Alphæus, Zebedeusq;.
Prima IESVM: Iacobum, Ioseph, cum Simone, Iudam
Altera dat: Iacobum dat tertia, datq; Ioannem.

Mantuanus in Fastis:

Anna Puerperio fortunatissima sancto
Tres habuisse viros, & tres habuisse puellas Dicitur.

Sic

Sic Gloſſa ord. ad Gal. 1. S. Hiero. in prologo ad S. Iac. *Ratio* 1. Quia Chriſto fuere fratres: & ij non ex B. V. M. Ergo ex ſororibus eius. Mar. 6. *Nonne hic eſt filius Mariæ, frater Iacobi, & Ioſeph, & Iudæ, & Simonis? Nonne & ſorores eius hic nobiſcum ſunt?* Mat. 12. *Ecce mater eius & fratres ſtabant foris, quærentes ei loqui.* Gal. 1. Ioa. 2.

2. Deinde S. Io. Euang. fuit B. V. cognatus: alioquin ſic habitaſſe cum ea indecens fuiſſet. 3. Demum, Ioa. 19. *ſtabat iuxta crucem Ieſu mater eius, & ſoror matris eius Maria Cleophæ*: ergo vtraq; Annæ filia fuit.

S. Anna monogama fuit & vnipara.

II. *Altera opinio* verior, & communior: S. Annam monogamam fuiſſe, matremque vnicæ B. V. Mariæ. Ita S. Patres. Euth. in Ioan. 19. *Sororem matris eius*, i. *cognatam*, ait Theoph. ibid. Epiph. hær. 78. Cæ. Baron. t. 1. in Apparatu. Caniſ. in Mar. ſ. 1. c. 4. Suaretz in 3. p. to. 2. q. 28.

Ratio 1. Inueterata Ioachimi & Annæ ſterilitas, & B. V. miraculoſa conceptio vnicum partum credi concedunt. 1. Vt de Iſaaco Abrahæ, de Baptiſta Zachariæ. 2. Leænæ catulum dat non niſi vnicum natura: ſic gratia vnicam S. Annæ.

Ratio 2. Sterilem perdiu, ſanctam, miraculoque futuram Deiparę matrem bis, terue nupſiſſe, vt ſapit incontinentiam; ita menſpia non credit. 1. Portia Romana vidua audiens laudes iuuenculæ; & in his, quod ad ſecundas nuptias tranſiſſet, ait, *Viduas parui eas facio, parumq; honeſtas duco; quæ primo coniuge amiſſo, in alium quăuis inclytum, tranſferrent amorem.* 2. Turtur amiſſo compare, alteri ſe nunquam iungit, nec in viridi nidificat ramo, vidua gemebunda. Non iſtis, ſola doctis natura, potior ex gratia foret in virtute S. Anna?

Ratio 3. Diſtincta filiabus nomina parentes indere ſolent: & tribus Anna vnũ Mariæ? 4. Breuiarium Rom. ait Annam 20. annos ſterilem cum Ioachimo exegiſſe; & hoc defuncto tam decrepita ad tertias iuiſſet nuptias? 5. Dominus Ieſus sũmus fuit zelator virginitatis maternæ; ergo & viduitatis auitæ. 6. Quid? Hæc Anna iſti Phanuelis fuiſſet inferior; quæ *Luc.* 2. laudatur ab 84. annorum viduitate? Et huic S. Annæ ſuperiorem laude viduitatis Iuditham, quis credat?

Hæc ſententia; cum Eccleſiæ conſonet, ac S. Patribus, & rationi; nec S. Scripturæ pugnet: PLACET.

III. Iſtud autem Ioann. 19. *Stabat iuxta Crucem Ieſu, mater eius; & ſoror*, id eſt, cognata, *matris eius, Maria Cleophæ.* Et hoc, Mar. 6. *Nonne & ſorores eius hic nobiſcum ſũt.* id eſt, aiunt Euthy. & Theophil. cognatæ eius. Vt Tob. 8. *Tu ſcis, quia non luxuriæ cauſa accipio ſororem meam.* 1. cognatam. Fuit autem Cleophas frater Ioſephi; ideo Maria Cleophæ filia, fuit ſoror Deiparæ. Sic ait S. Aug. *Tract.* 10 *in Ioan.* Omnes conſanguinei Virginis, fratres erant Chriſti: vt Iacobus minor, filius Cleophæ, dictus frater Domini.

Quid ſint & Fratres in Scripturis.

Bene igitur Damaſc. orat. 1. *ô caſtiſſimum par turturum Ioachim & Anna! ô par beatum! omnium vobis omnis creatura obſtricta eſt.* Per vos *u. donum omnium donorum præſtantiſſimũ obtulit creatori, caſtam Matrem; quæ ſola Creatore digna erat. O beatum Annæ vterum, qui viuum cœlum, cœlis ipſis lætius peperit!* 2. Niceph. l. 1. c. 7. *Ambo erant accuratiore vita præſtantes; nec non primis quibuſque, & nobiliſſimis genere coniuncti.* 3. S. Greg. Nyſ. orat. de Natiu. Chriſti ait, inter Moſaicæ perfectionis ſtudioſos principem extitiſſe. 4. S. Hier. l. de ortu Virg. to. 4. *Vita*, ait, Ioachimi & Annæ ſimplex & recta a. pud Deum, apud homines ir. reprehenſibilis erat & pia.

Præmia amborum.

* * *

PARS

PARS III.

Matris S. Annæ laus à prole Maria.

Ex Dauid ortu.

I. VTerque è stirpe Dauid prognatus est: teste *Hyppolyto Mart. Nicep. l. 2. hist. Eccl. c. 3. Epipha. in hær. Collyrid. Damasc. l. 4 de fide. c.* 15. Addit Aug. l. 23. cont. Faustum. c. 9. Epiph. hær. 70. Hieron. &c. annis XX. steriles conuixisse in ieiunio, oratione, eleemosyna Demum augelum promisisse prolem, facultates eos tripartitas fecisse, primam templo, alteram pauperibus, tertiam vitæ suæ necessitati tribuisse. Nos, omisso Ioachimo, de Anna modo.

Anna tripartiti sũt.

Annæ quatuor.

ANNAE in Scri. celebrantur 4. 1. Mater Samuelis, 1. *Reg.* 1. & ipsa sterilis post orationem à Deo fœcundata, prolem Deo reddit. 2. Vxor Tobiæ senioris. 3. Filia Phanuelis, *Luc.* 2. multum dilaudata. 4. Mater Deiparæ. Apud veteres famosa *Anna Perenna*, aliis Didonis soror; Poetis Luna, vnde annorum ac temporum perennitas denumeratur per menses. Alijs est ea, quæ Romanis fame pressis annona subuenit; vt ob id eam perenni statua donarint. Istis cunctis celebrior vna S. Anna nostra est.

Nostra supra omnes est.

Ideoq; laudanda.

Esto, fuerit disceptatio priscis: Num laudandæ mulieres? *Plut. l. de Virt. mul.* docet; mulierum dignissimam, cuius nulla foris sit ad laudem seu vituperium fama, proin nec vitia, nec virtutes mul. manifestanda esse. Contra Gorgias Leont. ait. Vt venustas mul. occultanda sit, publicanda tamen virtus est. Ab hoc sto. Prou 11. *Date ei de fructu manuum suarum, & laudent eam in portis opera eius.* Indifferenter dicit. Psaltes: *Laudate Dominum in Sanctis eius*, seu viris, seu fœmellis. Quam Anna sancta, tam Sanctæ genitrix.

Laudanda à prole.

II. Magna Deus per Nathan promiserat Dauidi temporalia, moxque subdit: 2. Reg. 12. *si hæc tibi parua videntur, adijciam tibi maiora.* Quæ? *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Magnum hoc. Ideo nimirum illacrymabatur Ezechias Rex subitam mortem sibi denunciatam, quod, ait *S. Hiero.* illiberis moreretur, si: que promissio ista cassaretur. 1. Srergo Abrahæ, Dauidi, &c. promissio venturi ex iis Messiæ fuit gloriosa, quanto magis Annæ viciniori? 2. Si, Prou. 15. *Filius sapiens gloria est Patris*: quanta Annæ hæc filia talis, ac tanta? 3. Si Baptistæ sanctitas in vtero redundauit in matrem *Luc.* 1. & Beda ibid. quanto plus Mariæ in S. Annam? Ab isto magna Elisabeth; at hac maior Anna quam Elisabetha, quantum Maria supra Baptistam est. 4. Si, 2. Reg. 6. *Benedixit Dominus Obededum, & domum eius propter Arcam Dei*, quanto magis S. Annam ob Deiparam?

Et à gratia ob prolem data.

III. Quare, Iud. 15. *Benedicta inter mulieres Iahel* Debora ob Si saram occisum hostem, *& benedicatur in tabernaculo suo*: Anna item, in quo tulit Deiparam conterentem Zabulon, serpentisque caput. *Alex. ab Alexan. l. 4. c. 9.* ait, esse genus vineæ, cuius folia sint aurea, racemi instar gemmarum rutilantes: Talis Anna: de qua, *quæ quasi Vitis fructificauit*, Eccl. 24. & *Ps.* 44. *in fimbriis aureis circumamicta varietatibus est.*

Fuit igitur S. Anna, vt statua, de qua *Fulgosus l. 1. c. 5.* Lucullo in Asia agenti in somnis spectrum ait: *Lucullæ amicus tuus venit, vt tecum sit, & commoretur.* Mox nuncius affertur vigilanti ab Romanis Siculas naues fugatas. In relictam ab his statuam amici in litore incidit: præterit spretam. Amoueri iubet, moueri nequit præ pondere. Aperitur: thesaurus maximus inuenitur. Talis S. Anna, ab B. V.

grauida. De hac enim Prou. 31. *Multæ filiæ congregauerunt sibi diuitias, Tu supergressa es vniuersas.*

PARS IV.

De Prærogatiua S. Annæ.

I. ET vero S. Anna quoque omnes præcellit mulieres, præter vnam filiam. 1. Quia, qui ad opus aliq; à Deo eligitur; is simul adparem gratiæ euehitur gradum; Hocq; altiorem, quo altius opus est: at S. Anna ad parentelâ B. V. M. est electa: quæ quãta? ergo quanta S. Annę gratia? 2. Vere Moyses ad seditiosos, Num. 17. *Quemcũq; elegerit Dominus, ipse erit Sanctus.* Aug. in 1. Eph. *Elegit nos ante mundi constitutionem,* ait, *Deus, quos eligit, bonos facit:* Quam ergo bonam fecit S. Annam? Nam Arist. in Topicis axioma est: *Sicut se habet simpliciter ad simpliciter; ita magis ad magis, & maxime ad maxime.*

3. An non Matt. 7. *Arbor* bona facit fructus bonos? Annæ fructus quis melior, post Christum? Quæ igitur mulier præ S. Anna? Nam Luc. 6, *A fructibus eorum cognoscetis eos.* vti sic infert S. Damasc. orat. 1. *Optimæ ergo arborum Ioachim & Anna, ex quibus eximius fructus productus est.*

II. Duo in ea Mirabilia, docent esse gratiosissimam mulierum, *primum,* Ex sterili factam esse fœcundam; quod Deo soli possibile: Qui permisit sterilitatem; vt inde eliceret bonum maximum & mysterium. 1. Ratio Damasc. orat. 1. de Nat. *Vt ad incarnationis summum miraculum per miraculum hoc fieret gradus.* 2. Ibid. Quia *Natura voluit gratiæ in conceptu virginis cedere.* 3. Lib. de ortu virg. *Cũ alicuius vterum claudit Deus, ad hoc facit, vt mirabilius denuo aperiat, & nõ libidinis esse quod nascitur: sed diuini muneris cognoscatur.* 4. V. Beda Hom. de Dign. Bapt. *Diuinitus procuratum est, vt ex sterili nasceretur: quatenus etiam ortus eius miraculo patefieret, virum magnæ virtutis futurum:* Sic & Mariam: quæ est laus Annæ.

Secundum, Prodit S. Ber. to. 2. ser. 51. c. 2. *B. V. dum erat in vtero matris habuit vsum liberi arbitrij, atque lumen perfectum in intellectu & ratione.* Refragatur tamen ei fortius S. Tho. p. 3. q. 27. a. 3. *Virgo non statim habuit vsum liberi arbitrij adhuc existens in vtero. Hoc etiam est speciale priuilegium Christi.*

IN F. S. PERI AD VINCVLA.

Misit Herodes rex, vt affligeret quosdam de Ecclesia. Act. 12.

DRaco rufus, *Apoc.* 12. horribilis imminebat Mulieri, 12. stellis coronatæ, solecq; amictæ; vt prolem eius deuoraret. Ita Ecclesiæ sanguinolentus Herodes, occiso Iacobo, etiam Petrum producturus.

Qua causa nos

I. *Gloria & gloriatio Ecclesiæ quæ & quãta?*
II. *Quæ Festi causa: & quæ Herodiana infestatio.*
III. *De Catenis gentium & Christianorum.*
IV. *De custodibus Herodis.*
V. *De Petri liberatione, indiga Ecclesiæ, Angeli, Dei,*
VI. *De causæ efficiente Conuersionem, eiusq; modo.*

PARS I.

Gloria & gloriatio Ecclesiæ quæ & in quibus? *Synagoga fuit gloriosa.*

I. ADmirator factæ in Ecclesia dispositionis ait, Eph. 3. *Vt innotescat Principibus & Potestatibus Angelorũ per Ecclesiam, multiformis sapiẽtia Dei, secũdũ præfinitionẽ sæculorum, quam fecit in Christo IESV:* Vbi D. Th. Non; quod Angeli comprehensores discãt à viatrice Ecclesia; sed quod Dei sapientiam ea occasione clarius cognoscant, mirentur, venerenturin rerũ successibus ac euentis. 2. Quos admiratus item Psal. 86. exclamat: *Gloriosa dicta sunt de te*

de te, Ciuitas Dei: quod in ea staret Templum, resideret arca, in eam Messias venturus, eam prædicatione, miraculisque illustraturus, ibi passurus. &c.

At Ecclesia gloriosior est 1. ab fundamentis.

Quæ insigniora sunt in noua Ierusalē, lapsa de cœlo: Cuius *Fundamenta in montibus sanctis* 1. Nam ea *Ciuitas*, Apoc. 21. *habebat fundamenta* XII. *& in eis nomina* XII. *Apostolorum & Agni*: 2. Et nos sumus, Eph. 2. *Superædificati supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum.*

2. Ab superædificatis.

3. Ab typis.

3. Est eadem ista *Vinea* locata agricolis, septa, cum turri & torculari: *Est ager* seminis boni & zizanij: est *Sagena* ac *Rete* bonos malosque iuxta concludens: *Est nauis* Petri fluctuans, at non mergens: Est ea, quam Prou. 9. *Sapientia ædificauit sibi Domum, excidit columnas septem.* 4. Vere de ea *Gloriosa sunt dicta*: quæ est potentiæ Dei armamentarium, regnorum arx, gratiarū Tribunal, reorū refugiū, Sacramētorū & S. Corporis Christi Sacrarium. Omnino, Ps. 110. *Memoriam fecit mirabilium suorum.*

4. Ab contentis.

5. Ab Apostolorum adiuncto.

5. In quibus & istud, quod, 1. Cor. 1. *Infirma mundi elegit Deus, vt fortia quæq; confundat*: Sicut Exod. 7. 8. &c. per ranas, ciniphes, locustas, infectorum vilissima & suam declarauit potentiam, & superbam AEgypti contumaciam refutauit. 6. Maius; quod per opprobrium crucis, odia, persecutiones, martyria etiam puellarum admirabilem ac venerabilem reddidit Ecclesiam: cui mortes sunt in vitam versæ, probra in honores, &c. In hisce amplior *innotescit Principibus & potestatibus per Ecclesiam multiformis sapiētia Dei.*

6. Ab accidentibus meris.

7. Ab contrariis Axiomata Christi.

II. Sane alia Dei, alia hominum sunt iudicia: sua cœlum, alia terra habet axiomata: Ita Deus alia, quam mundus. 1. Hinc Matth. 27. inclamat: *Hic est Fil. meus dil. in quo mihi complacui, Ipsum audite.* 2. Et ipse Matth. 11. *Qui habet aures audiendi, audiat*, & Ioa. 8. *Qui ex Deo est, verba Dei audit.* Quo præmio? Lu. 11. *Beati, qui audiunt verbum Dei.* Hæc Christi: 2. At mundi axiomata sunt: Vile: ferre iniurias; honores fugere; esse pauperem; subditum: Illustre; affluere opibus, honoribus, voluptatibus: *Beatus populus cui hæc sunt.* 3. Contram Apostoli: Ro. 5: *Gloriamur in tribulationibus.* Gal. 4. *Mihi absit gloriari, nisi in cruce D. N. IESV Christi*, 2. Paulus in vinculis: Eph. 4. *Obsecro vos ego Vinctus in Domino*: q.d. quod plus est, quam Legatus, Apostolus Domini. Chr. in c. 4. Eph. *Magna sane dignitas, & regno quouis, & Consulatu longe maior, Vinctum esse pro Christo. Id forsan illustrius est, quam sedere ad dexteram eius; honestius, quam sedere super* XII. *thronos.* 3. Ita senserunt, qui, Act. 5. *ibant Apostoli gaudentes à conspectu Concilii quoniam digni habiti sunt pro nomine IESV contumeliam pati.* Certe S. Chry. in 4. Eph. ait: *Si optio daretur mihi, mallem cū Paulo catenis onerari: quam cœlo donari. Neq; ita beatum dico Paulum quod in paradisum raptus; quam quodn i carcerem coniectus.*

Mundi.

Apostolorū: in aduersis gloriari.

3. Atq; ideo Dominus diem Passionis vocauit diem gloriæ: Ioan. 17. *Clarifica me Pater.* Matth. 5. *Beati eritis, cum maledixerint vobis, homines, & persecuti vos fuerint*: non, cum mortuos suscitaretis, dęmones expuleritis. &c. Cui mirum igitur hodie de vinculis Petri festum agitari diem? Vt. pote de gloriosissimis. Chrys. in 4. Eph. *Non tanti æstimo vniuersa sanctorum miracula quanti vincula.*

PARS II.

Quæ Festi causæ, Et Herodiana infestatio?

Festi causa 1 Miraculum liberati Petri.

I. PRima festi instituti ratio est, miraculosa Petri liberatio. Nam istud, quod Act. 12. *misit Herodes Rex, vt affligeret quosdam de Ecclesia* huic tristitiam attulit: Lætitiam, quod *Deus misit Angelum suum, qui* Petrum *liberaret de manu Herodis.*

Papæ liberati.

Secunda. Vt refricetur istius memoria facti: Quirinus præses Romanus Alexandro Papæ, ob fidē à se capto, illustrissimi

Hermetis filiam resuscitanti mortuam, spondebat si Balbinam filiã suam à morbo incurabilem sanaret, se suosq; in Christum credituros. Sanatur filia: pater baptizatur, Papa liberatus vinculis, S. Petro Basilicam statuit, inquam vincula, catenasq; S. Patri deponit.

3. Ethnicis mi abolitio. *Tertia causa:* Ad festum Kalendarum Augusti Cæs. abolendum. Ideo Eudoxia, Theodosij Imp. filia, Ierosolymis Romã afferens Vincula Petri Herodiana, impetrauit à Pelagio Pont. vt abrogatis gentium sacris, dies eadem S. Petri vinclis sacra institueretur.

4. Peccatorũ solutio. *Quarta:* Vt data potestas soluendi vincula peccatorum pie recoleretur.

Vinculum. At Nota, varium in S. Scrip. vinculorũ esse significatum. *1. Carcere.* 1. Capitur pro carcere ipso. Gen. 42. *Vos autem eritis in vinculis donec probentur, quæ dixistis.* Matt. 11. *Cum audisset Ioannes in vinculis opera Christi.* *2. Captiuitate.* 2. Pro captiuitate. Psal. 2. *Dirumpamus vincula eorum, & proijciamus.* &c. Isa. 52. *Solue vincula colli tui, captiua filia Sion.* Ier. 17. *Fac tibi vincula & catenas:* indicantia Iudæis captiuitatem ostensa regi. Leu. 26. *Ego Dominus &c. confregi catenas inimicorum vestrorum, vt incederetis erecti.* *3. Matrimonio* 3. Pro matrimonio. Ruth. 1. *Nec apta vinculo coniugali:* *4. Peccato.* 4. Pro peccato, idque vt plurimum. Psalm. 115. *Dirupisti vincula mea: tibi sacrif. hostiam laudis.* Psalm. 118. *Funes peccatorum circumplexi sunt me.* Prou. 5. *Iniquitates suæ capiunt impium; & funibus peccatorum suorum constringitur.*

Dæmon infestat sæculares & religiosos. II. Iam vero Petri vincula Herodiana significant peccatorum vincula Sathanica. Nam vt illa, *Luc.* 13. Vulpes Herodes hypocrita, sublato S. Iacobo, id est, *Luctatore* seu *Laboratore*; & Petrum, id est, *cognoscentem* prendit, vt enecet: Ita Sathan, hypocrita angelus lucis, iustis bellum indicit tam vitam colentibus operosam in sæculo, quã cõtemplatiuam in cœnobio.

Talem Daniel, cap. 8. *vidit Arietem cornibus ventilantem contra Occidentem, Aqu. & contra Merid. & omnes bestiæ non poterant resistere ei, neque liberari de manu eius.* Ita in homines Sathan desæuit qua sæculares, qua religiosos. *Typus.*

Sed ordine quodam id facit. Nam vt Herodes captos carcere cæco claudit & caliginoso: Ita sathan peccatis occiderat animas. Sap. 2. *Excæcauit eos malitia eorum.* Rom. 1. *Obscuratum est cor insipiens eorum.* 1. Sicut, *Iudic.* 16. Samson in manus Philistæorum lapsus taureis vinctus carceratur & exoculatur. 2. Ita Sedecias rex 4. *Regum* 25. captus orbatur regno, prolibus, opibus, oculis. At peccator excidit cœli gloria, gratia Dei, meritisq; suis; & in cõtraria omnia incidit. *5. Occæcando eos in peccatis.* *Typi.*

3. Dauid vir qualis & quantus, etiam ipsi Deo? Attamen suscepto peccato queritur. *Ps.* 37. *Dereliquit me virtus mea, & lumẽ oculorum meorum; & ipsum non est mecum.* *Quæ est maxima:* *1. Miseria.* *2. Et pœna.*

4. Plagarum Aegypti horribilissima, triduanæ erãt tenebræ. Animarum à peccato tenebræ sunt plagæ è cœlo; ac tanto magis horrificæ, quod sint spiritales: 5. Hasce, *Apo.* 16. è phiala, irę Dei plena, malignus effundebat angelus contra solem animæ ac iustitiæ.

PARS III.

De Catenis gentium & Christianorum.

I. HErodes Petri manus catenis strinxit duabus. Pro more gentium, ait *Amianus. l. 2. c. 1.* Sicut Paulum tribunus. Act. 21. Vnde præter morem Neronem coniuratos tribus vinxisse prodit *Suet. in Nerone.* Petrus tamen solum manus fuit nexus: non pedes, vt verosimile. *Nam ceciderunt catenæ de manibus eius:* Et addidit angelus, *caliga te caligis tuis:* quod nõ quiuisset fieri, si pedicas habuisset. *2. Catenãdo infestat.*

Nec tamen ideo clemẽter actum cum Petro: Quia Aethiopes, ait *Herodot. l. 3.* vincie- *Catenis aureis nexi.*

vinciebant reos aureis catenis. Et Crœsum Lydorum regem Cyrus Persarum rex aureis indidit, *Plutarcho teste:* Arsacem Sapor Persa argenteis nexum fecit : Petrum Herodes ferreis : Peccatorem dirioribus dæmon.

1. Catenæ morales hæc Boni & Mali.

Et vero duabus vincit, vt nec Declinare à malo, nec Facere bonum queat. 1. Quæ duo necessaria cunctis in vsu. Ps. 33. *Venite filij, audite me: tim. Do. docebo vos. Quis est homo. &c. Diuerte à malo, & fac bonum.* Hæc summa. 2. Ideo Ieremiam, *cap.* 19. Deus iussit Eradicare, & Plantare: Destruere & Adificare.

Typus.

3. Ita Hebræi ex Babylone educti hac trullam, illa gladium tenebant ædificantes vrbem. Sic è captiuitate Sathanæ erepti dicta duo teneant necesse est; ni perire malint.

2. Alia hæc.

Pariter cum in omni delicto sint duo, Culpa & Pœna; ecce catenæ hostis duæ, queis peccans obruitur anima sic: Vt, etsi vna culpæ soluatur; non tamen altera penitus censeatur exutus.

1. Duæ alia.

II. Duæ item catenæ Herodianæ denotant luxuriam, & malam cõsuetudinem. Heu! vt tenent istæ? 1. luxuria, *Prou.* 7. specie garrulæ vagæq; lænæ vincula iuuentuti proditur inijcere. His tenebatur, qui dixit, Luc. 14. *Vxorem duxi, non possum venire.* 2. Consuetudo: (quę altera natura, quã *expellas furca; tamen vsq; redibit:*) Prou. 22. proponitur sic. *Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedat ab ea.*

De hac vtraq; Aug. conf. 7. *Ligatus eram non ferro; sed ferrea mea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & constrinxerat me. Quippe ex voluntate perniciosa facta est libido. Et, dum seruitur libidini, facta est Consuetudo: Et, dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. Quibus quasi anulis quibusdam sibimetipsis innexis (vnde catenam appellat): tenebat me vi obstrictum dura seruitus. &c.*

Dictorum omnium typus Manasses fuit, 2. *Par.* 23. captus, & in Babylonem abductus: sic peccatori euenit, suorum funibus peccatorum constricto. *Typus:*

PARS IV.

De custodibus S. Petri.

I. HErodes vinctum duobus custodit militibus : Dæmon peccatorem Mundo & Carne. *Mũdus & caro violenti.*

1. Et seruator custoditus est Matth. 27. *signantes lapidem cum custodibus.* Non minus Sathan lapsos custodit, ne resurgant.

2. Vt Philistæi, Sàmsonem, Dalilæ accubantem, clausis portis, additisq; custodibus, noctem totã prestolantur: ita Dæmon cauet omnia, ne peccator suus conuertatur. 3. Sunt Caro & Mundus custodes ij murorum, de quib. spõsa queritur: Cant. 5. *Inuenerunt me custodes, qui circumeunt ciuitatem, percusserunt me, & vulnerarunt me; tulerunt pallium meum.* &c. sic cum anima agitur. 4. Plane *cum fortis armatus* dæmon per Mundum & carnem *custodit atrium suum, in pace sunt ea, quæ possidet:* nisi fortior ex alto superuenerit.

Neq; custodes hi solum vi retinent captiuam animam; sed blanditijs caro, illicijs mille; Mundus artibus miris ac laqueis byssinis. 1. Vti Vagao pararius ad castam Iuditham, cap. 12. *Non vereatur bona puella intrare ad Dominum meum; vt honorificetur ante faciem eius, & manducet cum eo, & bibat vinum in iucunditate.* Vah, libidinis proxenetam! Talis mundus. 2. Caro item similis principi Sichimorum: qui oppressæ Dinæ, mæstę de violata pudicitia adblanditur, vt sibi sentiat similia. *Gen.* 34. *Blãdi ijdẽ.*

II. Herodes denique quatuor quaternionibus, id est, xx. militibus custodit. Cura anxia hæc: sed ad miraculum illustrandum est: Neque erat pro necessitate *Impedimẽta conuersionis quatuor.*

rei, sed pro sæuitia regis, cui nil sat cautum. Ita Sathan nimio plus accurat, ne peccator sibi elabatur. Ecce tibi, *Mar.* 5. Legio dæmonum 1666. virum obsidebat vnum.

1. Metus relapsus. Isti tamen 4. quaterniones designant impedimenta 4. resipiscendi. *Primum* est metus relabendi: qui ait: Ad quid confitebere? relabere tamen: Abstine. Quid? Ergone ad mortẽ æger medicina abstinebit, quod alias sit ad vsque mortem ægrotaturus? *secundum*, spes emendæ finalis, aut pœnitentiæ in agone. 1. Ah, Eccl. 37. *Præsumtio nequissima multos perdidit.* 2. Hæc fatuas decepit differentes olei emtionẽ: ac ideo nuptiis exclusas. 3. Samueli, 1. *Reg.* 3. vocante eum Deo, Heli, id est *fortis*, ait: *Vade, & dormi.* Ita mundus, caro. &c. ad meditantem conuerti aiunt, iuuenis es, *dormi*, genio indulge: deliciæ & gaudia te, non ieiunia & flagra decent modo: erit olim, cum ista iuuabunt.

2. Præsumtio.

3. Delectatio impectus. Tertiũ, Delectatio in peccato, cũ horrore vitæ seuerioris. Cuius huiusmodi sunt logi. Itan' delicias deseres suetas, naturæ debitas, orbi cupitas? &c. Itan' contraria sectabere? Itan' te oderis, tute ipsi tibi nequam? *Quartum.* Pœnitentiæ in Confessione imponendæ metus: qui sana fugit consilia, pia elidit proposita, terrores sacrorum ingerit.

4. Pœnitẽtiæ confessionalis timor.

Hisce quatuor Sathan peccatores custodit. Hi sunt Venti quatuor, *Dan.* 4. in mari præliantes. Atqui est, Isa. 57. cor impij sicut mare feruens.

PARS V.

De Petri liberatione, indigna ope Ecclesiæ, Angeli, Dei ope.

Conuersio peccatoris est 1. Dei solius. I. IN Petri liberatione figuratur peccatoris è delictis extractio. Hæc tam ardua est, vt solius sit Dei. Vnde ad solum Deum Dauid, Ps. 21. *Libera me de sanguinibus Deus. Deus meus.* i. peccatis. Ps. 129. *Erue à framea Deus animam meam, & de manu canis vnicam meam, Quia apud Dominũ misericordia.* &c. Nec solius Dei solum est conuersio peccatoris, sed etiam, teste S. Thoma, operum Dei maximum.

1. Et opus maximũ.

Primo enim Ecclesia tota, vti *pro Petro sine intermissione ab Ecclesia fiebat oratio*, suis vt spõsæ, lacrymis cõtinuis ac precibus cor sponsi vulnerat, peccatorum causa, nihil vt ei negetur. Cant. 4. *Vulnerasti cor meum soror mea, Sponsa in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.* Tantæ molis, conuertere vnum, vt laborandum sit pro vno omnibus. Talis pro filia instabat Chananæa. Matth. 15. *Miserere mei Domine, Fili Dauid: filia mea male à dæmonio vexatur.*

Ideo Ecclesia oratio pro eo.

Secundo, Phylacangelus omni nisu adiutat, vt è peccato cliens sese eiiciat. Qualis Petri angelus eductor. 1. Vere *nunc scio*, quod Ps. 90. *Angelis suis mandauit de te vt custodiant te in omnibus vis tuis* locorum, tẽporum, actionumque viis, & cogitatuum. 2. Bene S. Aug. in Solil. c. 27. *Diligunt nos S. Angeli Dei, ideoque magna cura adsunt nobis, omnibus horis & locis succurrentes necessitatibus nostris, & soliciti discurrentes inter nos & Deum, gemitus nostros atque suspiria referentes ad eum, vt impetrent nobis propitiationem & misericordiam, ambulant nobiscum.* &c. 2. Idem ea fusius Ser. 46. ad frat. in eremo.

2. Angeli coadiutãt.

3. Nimirum Iacob ista omnia vno vidit intuitu, Gen. 28. *Vidit scalam, Angelos q3 ascendẽtes & descendentes.* Vbi Bern. *Nunquid sedentem quempiam, aut stantem vidit? Certe non: Quia non habemus hic manentem ciuitatem; nec futuram adhuc possidemus, sed inquirimus. Et vt eam consequamur, ac illis similes simus, Angeli summo studio ascendunt & descendant.* 4. Hieronymus istud Ps. 33. *Immittet Angelos Domini in circuitu timentium eum;* sic legit: *circumdat Angelus Domini in gyro timẽtes eum:* Alij sic: *Castra metatur Angelus.* &c. 5. Dictũ factũ Eliseo, 4. *Re.* 6. ab Syris obsesso in vrbecula.

Eis cooperandum à nobis.

Custodiãt.

Causa

Ob Christi lectulum animam.

Cauſa eorum curæ docetur Cant. 3. *En, lectulum Salomonis 60. fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſrael, omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi, vnius cuiuſque enſis ſuper femur ſuum propter timores nocturnos.* Lectulus anima iuſti eſt, in qua Ieſus quieſcit: excubiæ ſunt, Pſ. 102. *omnes Angeli eius, potentes virtute, facientes verbum illius.*

Exemplũ.

Angelicam experta curam dilaudat Iuditha cap. 13. *Viuit Dominus, quoniam cuſtodiuit me Angelus eius & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc reuertentem: & nõ permiſit me Dominus ancillam ſuam coinquinari.*

Attamen ſolus iuſtificat Deus.

Quare tametſi Eccleſia & Angeli ad peccatoris iuſtificationem collaborent; Deus tamen eſt qui ſolus iuſtificat impiũ. Pſ. 61. *In Deo ſalutare meum, & gloria mea: Deus auxilij mei & ſpes mea in Deo eſt.* Pſ. 120. *Leuaui oculos meos in mo. &c. auxiliũ meum à Domino.* Sic & Eſther orabat, cap. 14. *Nos autem libera in manu tua, & adiuua ancillam tuam, nullum auxilium aliud habentem, niſi Te, Domine.* Oſee 1. *In Me tantum auxilium tuum.*

PARS VI.

De cauſa efficiente conuerſionem eiuſque modo.

1. Luce Gratiæ præueniente fit iuſtificatio.

I. ET *lumen refulſit in habitaculo* carceris: Ita in peccatoris conuerſione lumẽ conſcientiæ præit, quo viſis peccatis, horreſcit anima, poſcitque veniam. 1. Sic. ut Gen. 1. *Dixit, fiat Lux, & facta eſt lux.* Hęc prima eſt in creatione: ſic & in Conuerſione. 2. Ideo Pſ. 12. *Illumina oculos meos, ne vnquã obdormiã in morte.* Primũ enim peccati malum eſt, rationem obfuſcare, Pſa. 17. *Domine Deus meus illumina tenebras meas.* &c. Pſ. 126. *Vanum eſt vobis ante lucem ſurgare* è peccatis, prius ſol iuſtitiæ peccatoribus oriatur neceſſe eſt.

Nam peccatum tenebrat.

Fruſtra tamen ij ſe excuſant iſto Sap. 5. *Sol intelligentiæ non eſt ortus nobis.* Bene vero ipſis gratulantur. Iſaias, cap. 9. *Habitantibus in regione vmbræ mortis,* peccatoribus, *lux orta eſt eis.* Adeo ad omne peccatum conſequuntur tenebræ mentis.

Typus.

Sicut ad ſtercus hirundineum cæcitas. *Tob.* 10. Stercora ſunt hæc temporanea, quibus delectati peccamus. Phil. 3. *Omnia arbitror vt ſtercora.* At fel piſcis applica, id eſt, memoriam Chriſti paſſi, aut pœnarum culpæ debitarum, ecce, reluminabere.

2 Senſu inſpirationis

II. Adhæc Angelus *Petri latus tetigit*, vt excitaret: Ita Apo. 3. *Ecce, ſto ad oſtium* peccatoris, *& pulſo*, per inſpirationes & præuenientem gratiam, & excitãtem internis motibus ad ſcelerum diſplicentiam. &c. Ita 3. *Reg.* 19. Elias *proiecit ſe, & dormiuit in vmbra iuniperi*, in peccato ſpinoſæ carnis ac mundi: *Et ecce, Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi. Surge, & comede.*

Qui in aliis durior eſt.

Nota, Vt dormiunt alij leuiter, excitatu faciles: alij altius, ſuſcitatu difficilius: alij ſtertunt ſic, vt non niſi vi excuti ſomno queant: ſta peccatores alij prædicatoris voce ſola, alij obiurgatione: alij lethargici minis ac tribulationibus vix dũ excitantur ad pœnitentiam. 1. S. Greg. Mor. 2. c. 29. *Impiorum oculos culpa claudit, ſed ad extremum pœna aperit.* 2. Iſa. 28. *Vexatio intellectum dabit auditui.* 3. Chryſ. hom. 3. *Nihil ſic peccata in memoriam reuocare conſueuit, vt pœna & caſtigatio.* 4. Exemplo ſunt Gen. 42. fratres Ioſephi ab hoc exagitati, carcerati, demum aiunt: *Merito hæc patimur; quia peccauimus in fratrem noſtrum.*

Ideo tribulatione opus immiſſa.

Ergo feſtina cõuerti.

III. *Surge velociter.* Ita peccator, Eccl. 5. *Non tardes cõuerti ad Dominũ, & non differas de die in diem, ſubito enim veniet ira eius, & in tempore vindictæ diſperdet te.* Aug. Ser. 30. *Promiſit Deus veniam pœnitenti, ſed non promiſit vſque incraſtinum differenti.*

Et erubeſcete ipſũ.

Quare, Pſal. 6. *Conuertantur, & erubeſcant valde velociter:* Comites hi indiuidui: Nam Conuerſio pudoris expers magis præ-

præsumtio est & impudentia, quam pœnitentia. Exemplo sit Petrus; qui vt pertransiit custodes : ianuas, ferreamque portã, demum obstupefactus exclamat: *Nunc scio vere, quia misit Dominus Ang.* &c. Vti Psaltes 40. *In hoc cognoui, quoniam voluisti me; quoniam non gaudebit super me inimicus meus.* Et Ps. 19. *Saluum fecit me, quoniam voluit me.* Vt Deus Petrum voluit liberatum.

Ne hosti ludus fias.

Hocque amplius, quod quasi insultent inimici, Ps. 21. *Sperauit in Domino : eripiat eum : saluum faciat eum, quoniam vult eum.* Et vero vel idcirco Pro. 11. *Iustus de angustia liberatus est.*

Quare videte quæ vera sit gloriatio nostra, quæ Herodis infestatio, quæ vincla, qui custodes peccantium: quæ etiam horum liberatio : quot hodie Herodes inter nos crassantur, quot tuentur Angeli, quod passim non æstimata miracula designentur.

IN F. S. LAVRENTII Martyris.

Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit. &c.

Ioan. 12.

CAutum, *Leu.* 1. Vt offerenda Deo auis igne subiecto cremaretur : eratque hoc Deo gratissimum Holocaustum. Tale cœliuaga Laurentius, factus in odorem suauitatis Domino.

De quo nos

I. *Martyrij effectus & gradus.*
II. *Martyrij præstantia & perfectio.*
III. *Eiusdem Heroismus, Triumphus, & Beatitudo,*
IV. *Typicus S. Laurentius.*
V. *Sanctificatus igne, & Inuictus Laurẽtius.*

PARS I.

Martyrii effectus & gradus.

Gradus ad cœlum est Martyriũ.

I. SAlomon, *Cant.* 5. fecit sibi cœnaculum seu relicantorium, cuius gradus purpureus erat, id est, ait Hier. in Ezech. l. 1 hom. 15. *Ascensum habet purpureum; quia maxima multitudo fidelium in exordio nascẽtis Ecclesiæ per martyrii sanguinem peruenit ad regnum.* 2. Hinc, Prou. 31. *Indumentum eius byssus* innocentiæ, *& purpura* tribulationis. Ita. V. Beda in Cant. 3. *Vnde*, ait, *pulcre dictum est à Patribus, quod Ecclesia electorum floribus vernans, in pace habet lilia, & in Bello Rosas.* 3. S. Aug. Ser. 37. de Sanctis alludit. *Ouere beata mater Ecclesia, quam vincentium gloriosus Martyrum sanguis exornat, & candida induit Virginitas. Floribus eius nec Rosæ, nec Liliа desunt. Notent igitur singuli amplissimas dignitatum accipere coronas, vel de Virginitate candidas, vel de passione purpureas.*

Est Ecclesiæ indumẽtũ.

Et corona rosea.

Purpureus est colorum princeps, non tam quod rubeus, quam quod regius est, ideo martyrij est typus. Hinc Cant. 7. *Coma capitis tui sicut purpura Regis.* Talis Ecclesia. Cant. 4. *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum.* Vbi Beda ait: *Punica, quæ sanguineo rubent colore, eorum in Ecclesia triumphos insinuant, qui post fontis signati ablutionem, suo sunt etiam sanguine baptizati.*

Regium, & tyrannis.

II. Isa. 54. *Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in sapphyris, & ponam Iaspidem propugnacula tua, & portas tuas in lapides sculptos, & omnes terminos tuos in lapides desiderabiles.* Lapides ministrorum Ecclesiæ : Et 1. Cor. 12. *Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia Apostolos, secundo prophetas, tertio Doctores. Sternam*, ait, per humilitatem, *in ordinem* per charitatem ordinatam, vt Deo subiecti omnes ad Deum referãt omnia Viri sapphyrini, &c. eximij eximie fũdati: quales Apostoli, Eph. 2. *superædificati super fundamentum Apostolorum.*

Varij in Ecclesia Ordines.

At valla ciuitatis illius ex Iaspide sunt Martyres fortissimi. Iaspis animum animata aduersus terrores panicos, ita Martyrum constantia obiectas mundi phantasticas

At inuictissimus Martyrũ.

tasticas minas & illusiones elusit. Inde, Cypr. lib. de exhort. ad Mart. *Martyrium inæstimabilis gloria, immaculata victoria, triũphus immensus est. Granum est frumenti cadens in terram mortuum.*

PARS II.

Martyrij præstantia & perfectio.

1. Martyrũ est prælium patientiæ.

I. S. Aug. ser. de Mart. sæpe Martyrium vocat prælium. &c. aliiq; S. Patres. 1. Ideo Eph. 6. *non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus Principes & Potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum contra spiritalia nequitiæ in cœlestibus. Propterea accipite armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo.* 2. Heb. 12. *Deponentes omne pondus & circumstans nos peccatum per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, adspicientes in autorem fidei, & conseruatorem Iesum: qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contemta.* Stimuli ecce duo ad Martyrium: Patientia, & Exemplum Christi.

Et exempli Christi.

2. Est Seminarium Ecclesiæ.

Est plane Martyrium Ecclesiæ seminarium. 1. Expertus Pharao: qui Exod. 1. ait, *Venite, sapienter opprimamus filios Israel, ne forte multiplicentur.* &c. Et mox: *Quantoq; opprimebant eos, tanto magis multiplicabantur, & crescebant.* 2. Vnde Priscorum est dictum: *Sanguis Martyrum est semen Christianorum*: ex quo de mortuo surgit centuplum. 3. Vt vinea eo & crescit lætius, & vuas perfert copiosius, quo falce putatur solicitius: ita Ecclesia sub persecutionis falce. Nam *nisi granum.* &c. *Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Vnius mors vita est plurium. Ecce granũ trituratum, sole torrefactum, in terram abiectum & à tyrannis allisum ac mortuum, &c. in quantam surgit segetem?

Vt vinetũ. Vt granũ.

3. Est gloria Ecclesiæ perennãs.

II. Obstupuere *S. Patres*, qui *nihil maius voluerunt esse martyrio*; ait August. Docet Theodoretus lib. de Mart. *Hinc est, quod multi viri fuerint in mundo celebres tum victorijs clari, tũ regia potestate; nulli eorũ nunc honos tribuitur, nullius gloriosum est sepulcrũ, nisi martyrum. Vbi nunc sepulcrum Alex. Iulij, Augusti. &c. Memoria durat martyrum, & eorum nomina imponuntur fidelibus, ossa venerationi habentur, impletumq; illud Ps.* 138. *Nimis honorati sunt amici tui Deus*: nimium quantũ supra sæculi Principes?

4. Est perfectio charitatis.

D. Tho. 2. 2. *q.* 124. *a.* 3. sic docet, quod Martyrium magnam præferat charitatis perfectionem: 1. Quia eo plus ad rem quis afficitur, quo plus, eius causa, temnit quod charissimum, vt vitam: & amplectitur, quod exosum; vt mortem: sed: ergo. 2. Nam Ioann. 15. *Maiorem charitatem nemo habet, quam vt animam suam ponat pro amicis* Deo & Diuis.

3. Pontifex, *Exo.* 28. in pectore tribuum gerebat nomina: at Dei in fronte: ita exẽplo proximorum, & gloriæ Dei suam martyres vitam in auro charitatis consecrabant Deo: quia Matth. 12. *Vnus est Deus*, præ omnibus diligendus: at Martyrium excessus est dilectionis.

PARS III.

Martyrij heroismus, triumphus, & beatitudo.

Est heroica Fortitudinis actus:

I. IDem Fortitudinis primus est, & maximus actus, vertens circa ardua. In his mors maxime ardua; quæ Martyrij est obiectum. 1. *Arist.* 3. *Eth. c.* 6. & 9. ait: Fortitudo, velut actionum suarum pulæstram, mortis habet pericula. Inde proprium ipsi; addere animos, viresque masculare. Hinc Heroica surgunt facinora & decora.

Maior Abrahamico.

2. Quale Abrahæ. Genes. 21. *Quia fecisti hanc rem; multiplicabo semen tuum.* At fortior, qui se victimam Deo facit, quam qui ferrum infligit victimator: quo martyr Abrahamo maior est. 3. An non, Ioan. 12. *Qui amat animam suam, perdet eã: & qui odit eam in hoc mundo, in vitam æt. custodit eã.*

Perdit animæ vitã mortificãdo, & mactando.

id est, Vitam, ait *Aug. hic.* Qua quid vel charius, aut maius homini? Hanc odio pio macerare ieiuniis, vigiliis, mortificationibus: omniaque spernere deliciora etiam licita; quin & voluntatẽ propriam damnare: hoc magnum est: maius, odisse vitam pro Christo, ac perdere, sic Mat. 10. exponit. *Qui perdiderit animam propter Me inueniet eam.* Quia Sap. 3. *Visi sunt oculis insipientium mori* in tormentis: *illi autem* acquisita immortalitate *sunt in pace* gloriæ æt. Nam *Et si coram hominibus tormenta passi sunt; Spes illorum immortalitate plena est.*

Facit Christo dignos.

In hac triũphus, essecq; Christo dignũ. *Qui* enim Mat. 10. *non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.* Acceperũt imperterriti Martyres, secuti sũt indefessi: ideo Sap. 3. *Deus tentauit eos* suppliciis; *& inuenit eos dignos se &c.*

Dedecora vertit in decora: mortem in vitam.

O vis martyrii, quæ dedecora vertit in decora, Spinas in rosas, mortem in vitam! Omnes rei nos infamem mortis sententiam in paradiso accepimus: At in martyrio, ait Aug. 3. Ciu. c. 6. *Mors pœna nascentis, si pro iustitia pietateq; pendatur; fit gloria.* Rom. 6. *Peccati stipendium mors:* Attamen Ps. 115. *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius* Martyrum; mors iis non pœnæ est, sed præmii. Cypr. Epist. 11. *Pretiosa mors; quæ emit immortalitatem pretio sui sanguinis, quæ accepit coronam de consummatione virtutis.*

6. Est triũphus sui, summaque perfectio.

II. Quid quod Martyrium summæ sit potentiæ triumphus, & pãtientiæ, vltimæque perfectionis. Nam vitæ prodigum de vetere homine, de amore sui, &c. triumphat. 1. Martyrij amor est inter hominis passiones, vt Dauid inter Philisthæos: de quo cũ apud Achim regẽ deliberarent satrapæ, ea demum stetit sententia: 1. Reg. 29. *Quomodo hic poterit placare Dominum suum nisi in capitibus nostris; cum ei simus inimici?* Ita inimicum veteri homini Martyrium placat sibi Dominũ in passionum humanarum capitibus.

Hæc grata Deo non imperfecti homo.

2. Non enim, 1. Reg. 18. *indiget Rex sponsalibus;* nostris personis *sed tantum cẽtum præputiis Philistinorum*: mortificationibus nostri: *Vt fiat vltio de inimicis regis*: qui sunt deprauatæ passiones & appetitiones nostræ. At à Martyrio harum fit vltio heroica. Nam, Matt. 16. *Si quis vult venire post me, abneget se.* &c. Matt. 10. *Regnum cæl. vim patitur, & violenti.* &c. Rom. 8. *Si spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.*

Est certa beatitudinis.

Et beati viuetis: adeo certa Martyrij merces est cœlũ, 1. Hinc Stephanus, Act. 7. *Video cœlos apertos, & Iesum stantem à dexteris Virtutis Dei.* 2. Dominus Matt. 5. *Beati, qui persecutionem propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* 3. Quales Hebræi, *Sap.* 19. mare rubrum (iam Erythræum dictum:) recta, securiq; transierunt: tales hinc martyres cœlum adeunt certi. Tert. in Apologia: *Omnia martyrio donantur: cũ damnamur à iudicibus; à Deo absoluimur.*

Sicut Baptismus. Ergo Martyres sunt colendi.

Est ergo martyrij communis cum Baptismo prærogatiua illa: Certam conferre salutem. Quo honorandi magis: nam eorum, quasi Gedeonitarum, *Iud. 7.* lagenæ vt primum confractæ fuere, lumen emicuit. Ita id S. Greg. adaptat. Quantum hoc S. Stephani lumen, fracta inter lapidum ictus testa eius, quod in voce hac resplenduit: Act. 7. *Domine, ne statuas illis hoc peccatum.* Quale S. Andreæ in cruce, Laurentij in crate?

PARS IV.

Typicus S. Laurentius.

Est gloriũ Romæ.

I. NVllus S. Patrum non deprædicauit martyrium S. Laurentij. Tanti cũctis erat, S. Leo ait: *Quã clarificata est Ierosolyma Stephano; tã illustris fuit Roma Laurẽtio.* Inuicta eius fortitudo cunctis fuit admiratio. 2. *S. Amb. & Aug.* eum trib. pueris in fornace conferunt: quin cœlites omnes pugnæ spectatores adstitisse & obstupuisse

se aiunt, iuxta 1. Cor. 4. spectaculum facti sumus mūdo, Angelis, & hominibus.

Est piscis magnus. 3. Rupert⁹ l. 8. de diuin. offic. ex S. Aug. *Laurentius vnus, & bene notus, de magnis illis piscibus; & piscis magnus, & assus: cuius assatura suauiter in tota fragrat Ecclesia.* 4. Idem ibid. c. 6. lib. 4. *Sicut in primæ ætatis Ecclesia protomartyris Abel sanguis iustus clamat de terra; Sic in Romana Ecclesia pretiosa mors B. Laurentij nouo & inaudito genere passionis clamauit in cœlum, & auditus est per mundum totum.*

Abel iustus.

Est holocaustum. Passionis hoc genus suos habet typos: In lege, Leu. 6. *Hæc est lex holocausti; Cremabitur in altari tota nocte, vsq; ad mare.* Ita Laurentius. 2. In Prophetis. Ps. 16. *Igne me examinasti; & non est inuenta in me iniquitas.*

Igne probatū. 3. In alijs: 1. Eccl. vlt. *Liberasti me à pressura flammæ, quæ circumdedit me; & in medio ignis non sum æstuatus.* 2. Sicut salamandra ignibus in mediis fouetur, nec vritur. 3. Iob. 23. *Probabit me quasi aurum, quod per ignem transit.* Idem & S. Laurentio dicere licebat. 4. Vti & istud Iob. 30. *Cutis mea denigrata est, & ossa mea aruerunt.* 5. Ezech. 15. *Ecce, igni datum est in escā, vtramq; partem eius cōsumsit ignis:* Hinc Laurētius dicebat: *Assasti vnam partem; versa aliam, & manduca.* Omnino Prou. 17. *Sicut igne probatur argentum, & aurum camino: ita corda probat Dominus* laurentianā.

Fuit 1. Thus. II. In figuris claruit S. Laurentius olim venturus. 1. Ecce Eccl. 50. *Quasi Thus redolens in diebus æstatis; quasi ignis effulgens, & Thus ardens in igne* Pontifex Simon erat: Talis & S. Laurentius *in diebus æstatis* & primæ charitatis flagrantia.

2. Sacrificium in crate. 2. Leu. 2. *Si de Craticula fuerit sacrificium, æq; simila conspergetur oleo; quam offerens Domino trades manibus sacerdotis: qui, cum obtulerit eam, tollet Memoriale de sacrificio, & adolebit super altare in odorem suauitatis Domino.* 1. S. Laur. se obtulit de craticula: 2. Conspersus tranquillitatis oleo & charitatis. Verū, Isa. 43. *Cū ambulaueris per ignem, non combureris, & flamma non ardebit in te.*

3. Primitiæ frugum. 3. Leu. 3. *Si obtuleris munus primitiarum frugum tuarum Domino: de spicis adhuc virentibus torrebis igne, & confringes in morem farris, fundens oleum super ea, & thus imponens.* S. Laurentius inter primitias martyrum, spica virens iuuentute & zelo pari tosta & confracta fuit: ideo Deus eum perfudit oleo misericordiæ: orationis thure eū veneratur Ecclesia.

PARS VI.

Sanctificatus & inuictus S. Laurentius.

Spolium è mūdo trāsiens ignē. I. LEu. 6. *Omne sacrificium Sacerdotis in igne consumetur; nec quisquam comedet ex eo.* Tale Laurentius Deo debitus.

Madianitis profligatis, adq; Moysem spoliis allatis, sic ad victorem populum Eleazar: Num. 25. *Hoc est præceptum Legis, quod mandauit Dominus Moysi: Aurum, arg. æs, ferrum, plumbum & stannum, & omne quod potest transire per flammas, igne purgabitur, aqua expiationis sanctificabitur.* Ita postquam vicit mundum Iesus, mundi spolia ad pedes eius collata erant alia Martyrum igne materiali, aut tribulationis metamphorico probata sunt: alia cōfessorum aquis lacrymarum. &c. sanctificata.

Non more gentium. Samaritani, 4. Reg. 17. *consecrauerunt filios suos per ignem.* Et cap. 21. Manasse rex pari impietate *traduxit filium suum per ignem*: 2. Par. 33. *transireque fecit filios suos per ignem.* Item Achab. 2. Par. 28. *Ipse est, qui adoleuit incensum in valle Benennon, & lustrauit filios suos in igne, iuxta ritum gentium.*

Impia hæc sacra: ideo laudatur Iosias de eorum abolitione. 4. Reg. 25. *Contaminauit quoq; Tophet, quod est in valle filij Ennō; vt nemo consecraret filium suum per ignem Moloch.*

Hæc pietas Iosiæ fuit Iesu ac S. martyrū

Sed nouo Christi passi.

sese in igne martyrij Deo consecrantiũ. 1. In V. T. istud Esdræ 4. c. 4. prorsus insolubile fuit & Sphyngicum. *Vade, pondera mihi pondus ignis ; aut mensura mihi flatum venti ; aut revoca mihi diem, quæ præteryt.* Cui Esdras : *Quis natorum poterit facere, vt me interroges de his?* S. Laurentius potest.

Vstus sed invsbustus.

II. Prou. 6. *Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, vt vestimenta illius non ardeant? aut ambulare super prunas, vt non cõburãtur plãtæ ei?* Id factũ in fornace Babylonica: Dan. 3. Factũ & in S. Laurentio est.

Quod permagnum.

Variæ torturæ Heb 11. recensentur. Vt *Alij ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres, lapidati sunt, secti sunt, tẽtati sunt, in occisione gladij mortui sunt, egentes angustiati, afflicti* : Quanto maiora dixisset, si addidisset: *Tosti sunt, super craticulã assati sunt, combusti sunt*, &c. At hæc S. Laurentio euenere.

Maius pœnis excidij Ierosolymitani.

2. Ierosolymitarum in excidio dira perpessa deplorat sic Psaltes. 78. *Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam: polluerunt Templum sanctum tuum: posuerunt morticina seruorum tuorum in escas volatilibus cœli, carnes sanctorum tuorum bestijs terræ.* Funestius est S. Laurentij viuicomburium.

Maius Iobi patientia.

3. Iobi patientia magna : at obruta tamen miseriis, quæritur, Iob. 6. *Quæ est fortitudo mea, vt sustineam? aut quis finis meus, vt patienter agam. Nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea ænea est.* At S. Laurentij caro quasi ænea: nec enim plus dolores æstimabat, quam si æneus fuisset. Quanto is Iobo fortior?

Maius Scæuolæ constantia.

4. Prædicent Romani suum Mut. Scæuolam, manũq; eius signe torre factam sic. cis oculis: Dicat de eo Seneca l. 9. Epist. 6. *Non dubito, quin magis laudauerim torridam illam manum Mutij, quam cuiuslibet saluam.* Non dexteram solam ignibus iniecit ignis, sed corpus totum, cum irrisu tyranni Laurentius. Tantoq; maior noua Roma est veteri.

Maius natura.

5. Igne Salamandra viuat. 2. Pyraustæ nascantur in igne: 3. Achatis gemmæ dos ea sit & vis, vt igne nec consumatur, nec quidem calefiat. 4. Linum Carpathium ignibus gaudeat, vt iis candidior reddatur, tantum non denigretur. Talia iis natura : maiora S. Laurentio gratia contulit, vt zeli igne ignem superaret. Nouam gloriam!

Maius gẽtium ludibrijs.

6. Fuerint, q in Apollinis sacrificio prunis illæsi inambularint illæsi : Vix fides est: at certissima de S. Laurentio. Viciti-gnem, Tyrannum: Romam.

Peroratio.

Bene precemur illi: Ps. 40. *Dominus opem ferat illi super lectum doloris eius: vniuersum stratum eius versasti in infirmitate eius.* O lectum! O theatrum mirabiliũ. Capere iam flores est in ignibus; ecce vt gẽmant guttæ sangui. vt vernant rosę cruoris, vt lilia candent martyris læti? Quanta in martyrio philosophia virtutum est & gratiarum? &c.

IN FESTO ASSVMTÆ B. V. Mariæ.

Quæ est ista, quæ progreditur, quasi aurora consurgens? Cantic. 6.

ARca Noe. *Gen.* 8. agitata diu per vndas diluuij, substitit demum in montib. Armeniæ. Arca veri Noei Saluatoris, per varios ducta casus, vitæq; miserias, in montibus æternis consistit, die hoc triumphis ac prodigiis admirando.

Super quo nos

I. *De supereminente Almæ Virginis Mariæ præcellentia.*
II. *De obdormitione Deiparæ.*
III. *De conuenientia suscitandæ Mariæ, & seruandæ ab corruptione.*
IV. *Probabilitates aliæ super eodem Priuilegio.*
V. *De triumpho, & gloria assumtæ.*
VI. *De cultu debito Assumtæ.*

PARS

PARS I.

De supereminente Almæ Virginis Mariæ præcellentia.

Maria est super omnia. 1. Perfectissima.

I. QVid secundum Deum, Natumque Deo pulcrius & absolutius Deipara? Appelles Athen. X. ipsos annos in vna posuit Venere pingenda. Pinxit: proposuit miraculum omnibus: sed corruptio iuuentutis, amoribus depereuntis. Vt tabula S. C. fuerit è publico remouenda. At quantum super omnes vna est castimoniæ Diua, pictorque eius Sanctus Spiritus; & anni quater milleni, immo æternitas prædestinatæ ideæ Marianæ: Tantum ipsa incomparabilis est. Nam *Nec primam similem visa est, nec habere sequentem.*

2. Castitate præcipua. Salomon Rex, 3. *Reg.* 10. thronum eburneum, auro iucrustatum struxit: *Non est factum taleopus in vniuersis regnis.* Virgo thronus Iesu paratus à Deo est ex ebore castitatis, & charitatis auro talis, vt par nihil, nec vel in cœlis.

3. Fastore. II. Templum Salomonis, nisi sacra Scriptura esset, quæ describit, fidem excederet. 3. Regum 5. & 6. *Aedificarunt eam annis septem* quotidie septuaginta millia portantium onera, & octoginta millia latomorum. *Grande opus!* 1. Paralip. 29. *Nec enim homini præparatur habitatio; sed Deo.* At grandius opus Deiparæum, Templum viuum Dei viui; ab S. Trinitate factum, & perfectum.

4. Opere omnipotentia diuina. 1. Bene de ea scripsisti Thoma: *part.* 1. *quæstione* 25. *artic.* 4. Esse Eam Omnipotentiæ opus absolutum sic, vt nihil supra. 2. Est illa quidem omnipotentia Dei infinita, potestque plura, quam fecit; tria si demseris: Beatitatem: Iesum, Mariam. Quibus Deus quid, quod præter Se addat, inuenerit? Si præter sese melius norit aliud, & maius. 3. Nec loc⁹ est quidē, quo euehatur sublimius. 4. Vere Ipsa, Luc. 1. *Fecit mihi Magna, qui Potens est.* Magna *per gloriam* & throni, & honoris, & potentiæ regalis. *Per gratiam*; vt ex qua Deus, in qua omnia præter essentiam Dei. *Per naturam* in donis corporis Pandora est. Psalm. 44. *Vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis.*

5. Forma. III. 1. Dionysium Areopagitam indè vsque Athenis exciuit diuinæ fama formæ. Qua visa diuinum spirare, ac emicare, ingenue edixit: Ni Deum crederem in cœlis adorandum: Te in terris tamen crederem adorandam.

2. Iudithæ gratiam formæ Deus aspirauit tantam; quæ *Iudith.* 10. omnes, etiam iuratum Iudæis hostem caperet Holofernē. At Maria naturæ fuit, totiusque Vniuersi stupor, ac sidus cælestis venustatis: quæ non humanum solum cogitatum; sed & captum angelicum superaret.

3. Cicero in officiis de Virtute ait: *Quæ, si oculis cerni posset, admirabilem sui amorem excitaret*, traheretque vniuersos. Et non Maria nos, virtutum decus & apex, quam nec Cœlites satis admirari queunt? *Quæ est Ista, quæ progreditur, quasi aurora consurgens, pulcra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies?*

PARS II.

De obdormitione Deiparæ.

Credi posset non obiisse. I. DIem suum obiit Deipara: sed non vna cum Filio, vt quidam errant. Credi posset per S. Scripturam, non esse mortuam: 1. Sicut Enoch, Eliam, Ioannem Euang. Qui tamen in mundi fine morientur, vt est *Apoc.* 12. 2. Neque in Scriptura habetur esse mortuam.

3. Etsi generatim constet, Heb. 9. *Statutum est omnibus hominibus semel mori*: at hunc, illum ve mortuum esse non scribitur. Supersles.

Ergo Traditio est eam obiisse mor-

Filio fuit Curæ

tem: non cùm filio: Quia Act. 1. *Omnes erant perseuerantes in oratione cum mulieribus, & Maria Matre Iesu.* Superuixit: 1. Vt meritum altius sibi cumularet. 2. Vtque hæreticis ansa demeretur: Velut Manichæis, negantibus verum Christi Corpus. 3. Vt (ait *S. Ansel. l. de excel. Virg.*) Apostolos, aliosque doceret, ac solaretur.

Sicut natura prouidit, ne vnquam sol & luna simul abessent ab orbe: ita Dei gratia neu Mater Dei, cum Filio pariter assumerentur.

Non martyrizata

Errant vero, qui violenter extinctam opinantur ex ist o, Luc. 2. *Tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Nam hic doloris eam pertransiit: non cruoris.

Ita Figuræ volunt. 1. Deut. 27. *Aedificabis altare Domino Deo tuo, de lapidibus, quos ferrum non tetigit.* Intacta ferro Maria est, 2. Miraculum refertur. 3. Reg. 6. *Malleus; & securis, & omne ferramentum non sunt audita in domo Domini, dum ædificaretur.* Ita vis nulla in decessu B. V. M.

Sed mortua partim vt Filius amore.

II. Mortua est autem morte eadem, qua Filius. Ratio. Quia qua vita vixerũt, ea & obierunt: sed ambo vixerunt mutuamoris vita: ergo. Non quod vna vtrique anima; sed amor. 1. Sicut Act. 4. *Credentiũ erat cor vnum, & anima vna.* 2. Sicut Gal. 2. *Viuo ego, iam non ego: viuit vero in me Christus:* Magis vero in Matre Filius, & in tali talis.

3. Si, 1. Reg. 18. *anima Ionathæ conglutinata erat animæ Dauidis, & dilexit eum Ionathas, quasi animam suam*: Quanto magis Isti? Quare vt vnus amborum amor, & vita: ita dolor, & mors vna. Vnum vulnus vtrique: at corporale Filio, Matri spiritale. 4. Qualis ictus telo ceruus, vulnere accepto fugit, ac discurrit: Ita hæsit sauciæ matri mors Filii cerui maximi.

Mortis memoria Christi.

Non illa; sed nos similes Cretensibus ceruis sumus; qui, vt prodit Aristot. cum fixo fugiunt telo, dictamnum herbam quæritant: qua gustata, telum excidit, vulnusq; sanatum coit. Quis, viso Crucifixo, non figitur? At per mundum mox fugimus plerique, eiusque dictamnum gustamus: & perit memoria confixuræ.

An sine dolore.

III. Atque tametsi Mater vti, *Ioan.* 10. Filius ex amore animam posuit, quia & quando voluit: hoc tamen discrimen fuit: *Quod Virgo præ amore, & sine dolore mortua est*: vt ait B. Alb. Magnus in Mariali.

Ægrotamen amore.

1. Ignis conclusus diu, demum se euibrat. At amor est ignis: & Mariæ maximus. Amor vero, & mors eiusdem sunt potentiæ: Cant. 8. *Fortis, vt mors, dilectio.* Fortior etiam in Maria: vnde mortem arcessens amor somnum accersiit Mariæ; sed ægræ prius amore. 2. Ab venereis ignibus ægrescebat Amnon. 2. *Reg.* 13. Diuinæ sunt potentiores flammæ. 3. His, vt Phœnix annis grauior, odora cõgerens ligna, iisque se imponit ab sole concipientib. ignem, quem alarum adiuuat agitatione; seque exuri finit. Ita B. Virgo aromaticum super crucis lignum, spinasque meditata, fecit *in meditatione sua exardescere ignem*, Psalm. 38. seque animam reddere.

PARS III.

De conuenientia suscitandæ Mariæ, & seruandæ ab corruptione.

Suscitata fuit sicq; decubat.

I. MOrtua tamen quam primum suscitabatur: Vt Psaltes prædixit 56. *Exurge psalterium, & cithara: exurgam diluculo.* Scio Augustinum & Hieron. id de Christo intelligere: Sed quid ni & de Deipara accipi queat? Ipsa enim Psalterium altissimorum fuit mysteriorum: & Cithara tribulationum. 2. Ipsa fuit Arca fœderis, *Exod.* 25. ex incorruptibili ligno Sethim compacta: in qua manna, legisque lator asseruabantur. 3. Ideo præ-

prædixit Psalm. 15. *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem.* 4. Nolim vel de Seruatore tam sentire sinistre ; vt carnem, ex qua incorruptibilem sumsit ipse carnem, corruptionem sensisse vllam opinarer. 5. Si enim Prophetas sustulit Deus, ne corrumperentur; id Matri non largius fuisset? 6. Amauit Ipsam vt sese; ideo perinde & seruauit.

A decreto corruptionis exēta. Esto: sit generale decretum hoc: *Puluis es: & in puluerem reuerteris.* At exceptiones admisit. Nam 4. *Reg.* 2. Elias curru est igneo raptus, in puluerem non redactus. 2. Enoch, *Gen.* 4. non apparuit. 3. B. Maria perinde fuerit ab eodem exemta: Sicut ab originali peccato : tametsi *omnes peccauerunt in Adam.* Si animum seruauit ab eo, quod maius: ergo & corpus ab eo, quod minus est, præseruauit Deus.

1. Vt hospitia Christi. II. Fauent huc Figurę. 1. Omnis Iericho euersa fuit: at non domus Raab. Iosu. 6. *Sit ciuitas hæc anathema, & omnia, quæ in ea sunt, Domino: sola Raab meretrix viuat, cum vniuersis, quæ cum ea in domo sunt. Abscondit enim nuncios, quos direximus.* At B. V. M. Abscondit verum Iosuam.

2. Vt arca Domini. 2. Diluuium omnia diruit, *Gen.* 6. præter vnam Arcam Noe: Quæ fuit Deipara. Vnde Psal. 13. *Surge in requiem tuam, Tu, & Arca sanctificationis tuæ.*

3. Vt Arca Dominica, & communis à pec. orig. 3. Abiathari Sacerdoti, cum Adonia coniurato, contra Salomonem, Rex ait: 1. Reg. 2. *Vir quidem mortis es: sed hodie te non interficiam: quia portasti Arcam Domini coram Dauid patre meo: & sustinuisti laborem in omnibus, in quibus laborauit pater meus.* At B. Virgo non fuit in vniuersali conspiratione cum Adamo: sed exemta, quod esset Arca futura ipsamet. Quanto minus subesse pœnæ corruptionis debuit; quæ iam portarat Arcam seruationis?

4. Vt nuncia salutis. 4. Omnes filii Iob in morte primogeniti, occubuerunt obtriti: attamen *ego solus euasi*, ait nuncius, Iob Deus est: Adam primogenitus: posteri cum hoc oppetiere omnes: *Omnes peccauerunt in Adam, & mortui sunt.* At sola B. V. M. euasit peccatū originale: ergo & corruptionem.

PARS VI.

Probabilitates aliæ de eodem priuilegio.

Simile. I. PRoditores Regum puniuntur euersione domorum suarum; non fideles Regi. At B. Virgo vna semper fidelis extitit Deo.

Augustus Cæsar obsidens Alexandriam, noluit eam æquare solo; quod Alex. Magnus condidisset eam & habitasset: *teste Plutarcho*: Et non Deiparæ pepercisset is, quia *Ipse fundauit eam Altissimus?*

Duo gressus B. Mariæ. Cant. 7. *Quam pulcri gressus tui, Filia Principis, in calceamentis tuis?* Hi duo sunt gressus Mariæ; primus in vitam absque p. or. Alter è vita absque corruptione: vterque in calceamento carnis pulcer, non miser.

Fuit cum Filio mortis: ergo & suscitationis particeps. II. Quo Filius cum corpore & anima in cœlos ascendit priuilegio; eodem & Mater gauisa fuit. Quia vt Dauid, 1. *Reg.* 30. persequens Amalecitas, fessos & saucios reliquit ad sarcinas : ipse cum paucis vrgebat hostem, strauit, spoliauit. In spoliorum partitione ita sanciuit: *Aequa portio erit descendentis ad prælium : & remanentis ad sarcinas, & similiter diuident.* At in Caluariæ conflictu, Isa. 65. *Torcular calcaui solus, & de gentibus non fuit vir mecum:* ait Dominus. Vbi *Fortis impegit in fortem, & ambo pariter ceciderunt*: Iere. 46. Et vero tum omnes amici dereliquerunt Dominum : sola Mater sub Cruce stabat, velut ad sarcinas : sola in fide perstitit. Quare æqua fuerit ipsi cum Filio incorruptionis portio.

Vt magnes ferrum: ita lapis Christus suam Matrem attraxerit ad se.

Simile. III. Dedit hunc instinctum natura Deus-

De quarto Decalogi.

Deusque ciconiis ; vt, dum cœlum mutant, iuniores transportent impositos dorsis parentes, senio, viribusque defectas. Et matri simile non præstitisset Dominus? Quorsum Psaltes: *Exurge Domine, in præcepto, quod mandasti*, de honorandis parentib. *Exurge*, quæ te anno ætatis xv. enixa est : quæ 33. annis tecum versata: quæ xv. annis tibi superuixit. Secius tamen Baron. t. 1. annal. anno 48. hæc iam obdormiuit: *Exurge Domine.*

Mors sine dolore vel morbo fuit.

IV. Sed mors eius miraculis, & priuilegiis plena fuit. 1. Ioan. Damasc. ait abfuisse morbum, atque dolorem. Ita obiit Aaron in monte Hor, *Num.* 33. Et Moyses, Deut. 34. in monte Nebo: *iubente Domino non caligauit oculus, nec dentes illius moti sunt.* 2. Omnes Apostoli ex orbe toto diuinitus congregati sunt; vti aquilæ, vbi fuerat corpus Mariæ, *Luc.* 17. ceu quidam tradiderunt. 3. Certe adstiterint Angeli Reginæ suæ excipiendæ.

PARS V.

De triumpho & gloria Assumtæ.

Figura triumphantis
1. *Arca.*
2. *Tabernaculum.*
3. *Bersabea.*

I. TRiumphum quis memoret, quo cum ad cœlos euecta Deipara fuit? 1. Repete animo Arcam, 1. *Reg.* 6. ex terra Philistiim ad Bethsamitas, id est, domum solis ductam. 2. Tabernaculum, 3. *Reg.* 28. sub tentoriis ærumnosæ vitæ commoratum; hodie in Salomonicum cœli templum illatum. 3. Salomonæam, 3. *Reg* 2. matris in throno collocationem pone sese; vt suarum rea precum, ac potens, damnet & ipsa votis.

4. *Esthera.*

4. Recole Estheram, *ca.* 2. Assuero acceptissimam ex humili in Reginam euectam, gentis suæ seruatricem.

5. *Sara.*

5. Ecce Saram præpulcaram à principibus Pharaonis commendatam *Genes.* 12. & in regiam accitam. 6. Ecce tot passam eclipses Lunam iam plenam.

6. *Luna.*

Contempletur animo, qui potest, ait S. Anselm. libr. de excellent. Virg. *qua festivitate iubilabant omnes beatorum spirituum ordines: quando Domini matrem aduentare: & Dominum omni cum gloria videbant occurrere?* Bernard. serm. de Assum. *Quis cogitare sufficiat quam gloriosa Reginæ mundi processerit, quanto affectu tota cœlestium multitudo prodierit in occursum: quam diuinis amplexibus suscepta à filio, & super omnem exaltata creaturam?*

Idea & anthozoum triumphi.

7. Iacobum, *Genes.* 26. intrantem Aegyptum, omnes proceres, in gratiam Iosephi, regifice exceperunt. Quomodo Angeli Deiparam; *cui data fuit omnis potestas in cœlo, & in terra*; proximam post Filiũ exceperint? Vt attoniti Cœlites: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens: Terribilis vt castrorum acies.*

7. Velarch.

II. Omnino qualis Regina Saba. 3. *Reg.* 10. inuecta Ierosolymã est ad Salomonẽ, *multo cum comitatu, & diuitiis, camelis portantibus aromata, & aurum infinitum nimis, & gemmas pretiosas. Non sunt allata vltra aromata tam multa, quam ea, quæ dedit Regina Sabæ Regi Salomoni.* Idem intellige de virtutibus, gratiis, meritis Deiparæ assumtæ. Cor datam describens mulierem Salomon, Prouerb. 31. ait: *Multæ filiæ congregauerunt sibi diuitias, tu supergressa es vniuersas.* Hæc verissime Deipara est: quæ tantum cumulauit opes gratiarum; perdidit nullas vllo peccatillo, vt nos.

8 Regina Saba. Vt Virtutissima Virgo.

1. Quare, vt de Christo, Heb. 1. *Sedit ad dexteram maiestatis in excelsis: tanto maior Angelis effectus, quanto præ illis differentius nomen hæreditauit. Cui enim aliquando Angelorum dixit: Filius meus es tu, ego hodie genuite.* Vnde efficere voluit; gloriam Angelorum esse non nisi seruorum: Christi vero vnigeniti: Ioan. 1. *Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi Vnigeniti.* Ita de Matris gloria supra Angelos in comparabili cõcludas licet.

Ita & gloriosissima.

2. Si enim, Ioan. 12. *Vbi Ego sum: illic & mini-*

minister meus erit: Quanto ei propinquior Mater; tum ex suo Deologi quarto: tum ob humilitatem eiusdem? Luc.1. *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.*

3. Si, 1. Corinth. 2. *Nec oculus vidit, nec auris audiuit quæ Deus præparauit diligentibus se*: qualia parata fuerint tantæ Matri?

PARS VI.

De culto debito Assumtæ.

Dotes Mariæ glorificæ.

I. VIsum, *Apoc.* 12. *signum magnum in cœlo, mulier amicta sole*, redimitaque stellis XII. Hodie id apparuit signum, & in cœlo amictum maiestate gloriæ: coronatum XII. dotibus beatificis. 1. Visione Dei: 2. Amore Dei: 3. Gaudio.

4. Cognitione rerum naturalium: 5. Splendore corporis: 6. Impassibilitate: 7. Agilitate: 8. Subtilitate. 9. Exaltatione supra Angelos: 10. Matris dignitate: 11. Virginitatis aureola: 12. Reginæ præcellentia.

Supra eun. stio.

Videte Aquilam, quæ *in arduis ponit nidum suum*: penetrans cœlos, transcendens & Angelos, proxima consistit Deo.

Non tamē si Dea.

Neque tamen eam, vt Deam, colimus; ceu Collyridiani; nec vt Creatricem: 1. Sed vt Aduocatam; 2. Inque ea honoramus & Filium; vt quam propter hunc columus. 3. Nam, Pro. 17. *Gloria filiorum patres eorum.*

Colēda est.

II. Impia igitur eorum est vesania; qui Deiparæ cultum negant debitum: 1. quē omnis ei detulit Antiquitas, & Sanctitas. 2. Nil derogamus Filio in honore Matris, quin potius illius honorem sic cumulamus. 3. Sicque necesse est: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Quianam? *Quia fecit mihi Magna qui potens est.* Luc. 1.

Figura de colenda.

Non veneraremur eam; quæ est Diua; vt 1. Bersabæa, 3. *Reg.* 1. à dextris assidens Filii. Est Assueri compar Regina Deique polique, *Esth.* 2. 3. Est prudens Abigail, 1. *Reg.* 25. Dauidis irati in nos Nabales placatrix. 4. Est Thecuitis, 2. *Reg.* 14. patri reconcilians rebelles Absolomos.

Obiectum & finis colenda.

Debet igitur, vultque honorari: vt hoc maior in Filium honor redundet.

1. Bersabee, 3. *Reg.* 1. hoc à Dauide petebat prostrata vnicum; vt Filius patri succederet Rex: Ita Deipara hoc nos postulat: vt Filius suus Rex sit in nobis: vt ipsi conregnemus. 2. Bis tantum legitur fuisse locuta hominibus: Elisabethæ salutatrix: Et nuptialib. ministris, Ioan. 2. *Omnia quæcunq; dixerit vobis, facite.* Idem & nobis ab ea dici cogitemus. Quantum quidem ipsam audierimus; tantum & nos ipsa exaudiet: proq; nobis laborabit tantum, quantum hic nos pro Filio.

3. Itaq; quib. Adonias Bersabeam appellauit, iisdem nos Te, 3. Reg. 1. *Precor, vt dicas Salomoni Regi*, IESV, *vt det mihi Abisaig vxorem*, gratiam cum regno gloriæ. Tibi pro nobis supplicāti, Rex dicet, quod Assuerus Estheræ, cap. 5. *Quid vis Regina Esther? Quæ est petitio tua! Etiamsi dimidiam partem regni petieris, dabitur tibi.* Ita fiat Amen.

IN F. ROCHI CONfessoris:

Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. Luc. 12.

TObias *cap.* 1. à puero virtutis amans timensq; Dei, constanter adusq; canos, & meritorum diues; ab Salmanasar Assyr. rege captus, ductusq; in Niniuen; licet tyrannide oppressus barbarorum, ab amore tamen, timoreq; Dei nil deflexit patiens exul: insuper misericordiæ operibus sese impendebat, & orationi.

Haud scio maior ne, (certe non minor,) Tobia S. Rochus, patria Gallus;

illustris stirpe, virtute illustrior, peneque diuinus: Suus sibi captiuus mortificatissimus, Dominusq; sui; Temtor opum; parētifuga, & exul voluntarius: Quin & saluator in peste complurium, quibuscum hospitabatur correptis, noso- & ptochodochiis surrepens pauperum pauperrimus, & ditissimus diuitum.

De eo nos

I. *Quanta vis exemplorum in aduersis.*
II. *Quantum malum pestis sit qua corporum qua animarum.*
III. *De S. Rochi infantia, & adolescentia.*
IV. *De eiusdem robustioris charitate, & miraculis.*

PARS I.

Quanta vis exemplorum in aduersis.

Exēplis docent ac mouent, 1. Apostolus.

I. ECclesia nobis sanctorum intuenda proponit exempla: exēplo Apostoli: Heb. 11. *Mementote Præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei: quorum intuentes exitum cōuersationis, imitamini fidem.* Exemplorum vis omnino maxima est.

2. Spartani. Spartiatæ ab idololatria infames; illustres tamen à politia, vt iuuentutem acuerent, domestici excitabāt eam exemplis quæ docebantur domi, inq; publico; eorum qui & olim præcesserant, & nunc in senatu præerant: vtrorumq; statuas ostēdendo, & illud aureis inscriptum: *Si fueritis sicut hi; eritis sicut illi,* senatores.

3. Ecclesia. Ita & Ecclesia sanctorū proponit statuas, festa, templa; prædicat miracula & virtutes; vt ad eorum nos inducat imitationem.

4. Synagoga, ad arma. 1. Ita Eliacim Pontifex Iudæos, aduentu Holofernis fractos animis excitabat exēplis Iudith. 4. *Memores estote Moysi serui Domini, qui Amalec confidentē in virtute sua, & potentia, exercitu, clypeis & in curribus suis, non ferro pugnando; sed precibus sanctis orando deiecit. Sic erūt vniuersi filij Israel.* 2. Ita & Iudas ad Gorgiæ copias maximas semianimi populo aiebat: 1. Mach. 4. *Ne timueritis multitudinē eorū, & impetū eorū ne formidetis. Memētote, qualiter saluati facti sūt patres nostri in mari rubro, cū sequeretur eos Pharao.* 3. Ita Mathathias, Zelator. 1. Mach. 2. *Nunc ergo filii, æmulatores estote Legis, & date animas vestras pro testamento Patrū vestrorū; & memento operum Patrum, quæ fecerunt in generationibus suis; & accipiatis gloriā magnam, & nomen æternum.* Iamq; inde ab Abraham seriem deducit heroicorum factorum: demum ita perorat: *Et ità cogitate per generationem & generationem. Quia omnes, qui sperant in Deum, non infirmantur.*

II. Similiter Paulus Heb. 11. sanctorum texit catalogum: *Alii,* ait, *ludibria & verba* 4. N. Te. *stamentū experti, &c. ca.* 12. demum *Ideoq; & nos tantā* ad patien- *habentes nubem testium, deponentes omne pon-* tiam. *dus, & circumstans nos peccatum, per patientiā curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in Autorem Fidei & consummatore Iesum.* 2. Iac. 5. *Exemplū accipite fratres, exitus mali & longanimitatis, & laboris, & patientiæ, Prophetas: qui locuti sunt in nomine Domini. Ecce beatificauimus eos, qui sustinuerunt. Sufferentiam Iob audistis, & finem Dei vidistis.*

3 Baldad quoq; Suhites ad S. Iob talia c. 8. *Interroga generationem pristinam, & diligenter inuestiga Patrum memoriam. Hesterni quippe sumus, & ignoramus; quia sicut vmbra dies nostri sunt super terram: Et ipsi docebūt te, loquentur tibi, & de corde suo proferent eloquia.*

Ad Ma- Ita & sponsus sponsæ: Cant. 1. *si ignoras* tyrium. *te, ó pulcerrima inter mulieres, egredere & abi post vestigia gregum tuorum.* i. exemplo disce præeuntium, qui gregum instar mactati sunt. Qui si tāta amore mei sunt passi; tu non tantula? Eph. 6. *State ergo succincti lumbos vestros in veritate, & induti loricam iustitiæ, & calceati pedes in præparationem Euāgelii.* Vt enim calceis è pecoris cæsi tergore factis, secure spineta, saxaq; inuadimus: ita martyrum, sanctorumq; exemplo animosiores similia audebimus. Quorum vi exemplorum quid efficacius ad vel se-

ctandas

ctandas virtutes, aut mala fugienda, vincendaque aduersa omnia.

Sic cōstructa cœlestis ipsi Sylvina. Effectus exemplis sūt: reuiuiscere. 2. Consolari. 3. Ad virtutes assurgere. 4. Vincere vitationes.

III. Nimirum istis è viuis lapidibus constructa est in cœlis Ecclesia, sanguine coagmētatis. 1. Hos si intueamur, eueniet quod erectum serpentem æneum adspicientibus: *Num.* 21. vt ex veneno vitiorum afflato ex ipsa morte, reuiuiscamus: viuētes in noua luce consolationis. 2. Plane, vt *Exo.* 33. Moyses ligno aquas Mara amaras dulcorauit immisso: ita Deus sanctorum exemplis vitæ nostræ miserias dulcorat: Vt eorum martyria sint nostra solatia: Mortificationes & virtutes, sint nostrę instructiones. 3. Ecquis. n. tam fūgus & ferreus; qui melle sanctorum exemplorū nō capiatur? Hisce vitia elidūtur, roborātur virtutes, pusillanimes masculantur. &c.

In aduersis Iob, Tobias, Dauid, afflictosq; similes cogita: stabis vt palma fortior aduersum pondus insurgens. 2. Carola te vrit? cogita Iosephum, D. Thomā Aquin. S. Bern. ac similes, refrigescent faces. 3. Illaqueatus es mundi pedicis, cupiditatum; amorisq; tui? Horres aut fastidis visere ægros, inopum misereri. &c. attende Benedictos, Antonios, Hilariones, Dominicos, Rochos. &c. ni saxum fies, stimulos senties exēpli, & viros inuocans auxilij *conuerteris ad aliquem Sanctorū.*

PARS II.

Quantum malum pestis vtraque, corporis & animæ.

Quando cœpit.

I. PEstis à perdendo dicta, ante diluuiū, per annos 1656. itemq; post hoc per annos circiter 900. nota fuit nemini. Ita annis 2400. ab O. C. pestis nulla fuit. Eius mentio fit prima Exod. 5. *Deus Hebræorum vocauit nos, vt eamus iter trium dierum in solitudinem, & sacrificemus Domino Deo nostro, ne forte accidat nobis pestis & gladius.*

Eius causa.

Causa pestis est infectio aeris: à Galeno dicta morbus publicus; quod promiscue omnes inuadat, cuiuscunque ætatis, status &c. serpit initio: demum grassatur ad necem. Causa tamen eius 1. Naturalis est duplex: aeris infectio ab putidis exhalationibus, caloribus nimijs, aut pluuijs, influentijs, cōstellationibus &c. 2. humorum corporis nostri corruptio.

Pestis pœna peccati est.

2. Supernaturalis causa sunt hominum peccata 1. Exod. 7. *Ecce manus mea erit super agros, equos. &c. oues & boues, pestis valde grauis. Mortuaque sunt omnia animalia Aegyptiorum.* 2. Leu. 26. *Inducam super vos gladiū vltorem fœderis mei, cumq; cōfugeritis in vrbes, mittam pestilentiam in medio vestri; & trademini in manus hostium.* 3. Nu. 14. *Vsquequo detrahet mihi populus iste? Quousq; non credent mihi in omnibus signis, quæ feci coram eis? Feriā igitur eos pestilentia, & consumam.* Hoc signum diuinæ iustitiæ est. 4. Deut. 28. *Quod si audire volueris vocem Domini Dei tui, vt custodias, & facias omnia mādata eius & ceremonias, quas ego præcipio tibi hodie, venient super te omnes maledictiones istæ:* singulatim, *Maledictus eris in ciuitate, maledictus in agro.* pessima, *omniū, Adiungat tibi Dominus pestilentiam, donec consumat te de terra: sit cœlū quod supra te est æneum; & terra, quā calcas ferrea.* 5 Ier. 33. *Sic dicit Dominus &c. qui in præsidiis & speluncis sunt peste morientur.* Atrox plaga pestis est.

Flagella Dei tria. Prophetia.

II. Tria sunt mala Deo pro flagello, Pestis, bellū, fames, Hinc prisci Poetæ Iouē fingebāt cū fulmine trisulco. 2. Et S. Scriptura tria illa plurimū cōungit. 4. *Esd.* 15. Vbi iratus Ariæ Deus, ꝙ Babylonis delicta imitetur: *Odibilem imitata es in omnibus operib., & in adinuētionib. suis: propterea dicit Dominus: immittā tibi mala, viduitatem, Paupertatem, & famem, & pestē, & bellum.* 3. Ier. 14. *Noli orare pro populo isto in bonū,* (defecerat ad idola) *cū ieiunauerit, non exaudiā preces eorū & si obtulerit holocausta & victimas, nō suscipiā eas: quoniā gladio, peste, & fame consumā eos* 4. Ier. 29 diriora minatur. *Persequar eos* &c. 5. *Ezech.* 6. paria funesta.

Exempla. 1. Similia Dauidi Deus per Gad denunciat, 2. *Reg.* 24. vt trium eligat vnum. 2. Ezechieli, *cap.* 5. Deus subemblemate capillorum rasorum eadem tria declarat. 3. Ieremiæ, *cap.* 24. eadem sub typo ficuum grossorum ostendit: quos *cap.* 29. exponit de iisdem.

Pestes sunt peccatores. III. In tribus istis pestis pessimum est: vt S. Scriptura peccatum & peccatorem describens, vt deterrima, pestis voce vtatur. 1. Eccl. 11. *Attende tibi à pestifero: fabricat enim mala; ne forte inducat super te subsannationem in perpetuum.* 2. Act. 24. *Inuenimus hunc hominem pestiferum,* (Paulum ait Tertullus ad Felicem:) *& concitãtem seditionem omnibus Iudæis in vniuerso orbe; & auctorem sectæ Nazarænorum: qui etiam templum violare conatus est* 3. 1. Mach. 10 *Et conuenerunt aduersus Ionatham viri pestilentes. &c.*

4. Prou. 29 *Homines pestilentes dissipant ciuitatem; sapientes vero auertũt furorem* 5. Quin ipse Deus sic ad Babylonios: Ierem. 51. *Ecce ego ad te, mons pestifer, ait Deus, qui corrumpis vniuersam terram.* Quare pestis & peccatum ceu causa & effectus iunguntur in Script.

Quid quod plagarum orbis postrema fit pestis futura? Luc. 24. *Erunt pestilentiæ in terris.* Quo religiosius colendi sunt Sancti, pesti auertendæ Patroni.

PARS III.

De S. Rochi infantia & adolescentia.

I. PSalm. 67. *Mirabilis Deus in Sanctis suis:* in S. Rocho cumprimis; cuius vitam admirati plures eam descripserunt: vt *Driedo, Pinus, Claudius, Crantius. &c. apud Baron. in martyrol. Francisc. Driedo* tradit sub annũ 1327. obiisse diem: Anno 1414. in Conc. Constantiensi cœpisse nomen eius celebrari miraculis clari, in quibus, quod pestem à Cõstantia totoq; Episcopatu per eius intercessionẽ Patres ij auertissent, eum Sanctũ declararunt, circumlatæ eius statua in processione.

Totoq; Episcopatu.

Natus ad montem Pessulanum Narbonensis prouinc. ex illustri Equite nobilitatem natiuam vel infans virtutibus nobilitauit. Nam bis quot hebdomadis, (vt S. Nicolaus,) à maternis vberibus abstinebat.

Infans bis ab vberib. abstinet in hebdo.

Ecc. 6. *Fili, à iuuentute tua excipe doctrinam, & vsque ad canos inuenies sapientiam.* Ita vel infans magister extitit iuuentutis. 2. Eccl. 11. *Lætare ergo iuuenis in adolescentia tua, & in Bono sit cor tuum in diebus iuuentutis tuæ.* 3. Eccl. 12 *Memento Creatoris tui in dieb. iuu. tuæ, antequam veniat tempus afflictionis tuæ, & appropinquent anni, de quibus dicas: Non mihi placent: antequam tenebrescãt Sol, & lumen, & stellæ, & luna.* 4. In Hyeme solum iacet, æstate ad fructus excolitur: ad virtutes homo in adolescentia, vnde se sustentet senecta. 5. Ideo Tobias filium, c. 1. *Ab infantia timere Deum docuit, & abstinere ab omni peccato.*

Magister iuuentuti ad similia. Quo S. Ser. monet.

II. Ita est: Serui Dei, viris frugi citra vanitatem gloriari assolent, ab infantia se, quod Bonum, adamasse. 1. Abdias regis Achab oeconomus, 100. prophetas à Iezabele vno die in spelæo abdiderat, sic ad Eliam: 3. Reg. 18. *seruus tuus timet Dominũ ab infantia.* 2. Iob. 31. Ab infantia mea creuit mecum miseratio, *& de vtero matris egressa mecum est.* Cum S. Rocho item, insuper ieiunium, pœnitentia. &c.

Vera gloria est, in iuuenta rapessisse virtutem. Exempla, queis par aut superior S. Rochus.

3. Sapiens cap. 9. *Sapientiam amaui, & exquisiui eam à iuuentute mea.* S. Rocho cõstantior fuit sapientia, quam Salomoni: fuit & glorioſior, quo mundo obscurior. 4. Ezechiel, cap. 4. *A, a, a, Domine Deus, ecce anima mea non est polluta; & morticinũ, & laceratum à bestiis non comedi ab infantia mea vsq; nunc, & non est ingressa in os meum omnis caro immunda.* Legalis illa fuit munditia: at S. Rochi cœlestis abstinentia à Deo inspirata.

5. Eccles. 51. de sua Innocentia vitæ ait, *Lætatum est cor meũ in ea; ambulauit pes meus iter*

iter rectum; à iuuentute iustificabam eam. Ecquid horum S. Rocho defuit? 6. Lu. 18. *Domine quid faciendo.* &c. *Hæc omnia custodiui à iuuentute mea.* Et Dominus ideo ad maiora eum euocabat; sed ille recedere. At S. Rochus *velut lux splendens* processit. Nimirũ, qui dicere quibat vere, Ps. 70. *Deus docuisti me à iuuentute mea.*

S. Rochi ad sanctitatem initia.

III. Hęc, virtutum initia ad quanta euasere perfectionis fastigia? Iuxta in eo creuit ætas, creuit sanctitas; annos obruit operib. bonis. 1. Ecce duodennem moribundus parens de quatuor commonuit. 1. Vt Iesu irremisse deseruiat. 2. Pauperib⁹ sit benignus: 3. Patrimonio iuste pieq; vtatur: 4. Hospitalia non desereret.

Pauper peregrinus pestẽ fugat pestil.

Itaq; patre defuncto, in egenos facultatibus distributis, Romam peregrinaturus Italiæ oppida ardere peste comperit: ab is hospitalia ingressus continuo pestẽ procul omnem fugat, simul regione circum omni eam profugat: adeo vt, quo ibat longius, longius etiam latiusque cœlum peste liberaretur.

PARS IV.

De S. Rochi charitate & miraculis.

Infideles manifestam sibi sunt martyrii: hæreseos ũ charitatis.

I. IOan. 15. *Maiorem charit. nemo habet, quã vt ponat animã suam pro amicis suis.* Hoc S. Rochus præstitit heroicõs tam lætus, quam volũtarius ac deuotus in nosodochijs. Ecclesia istud, *peste corruptis adesse obsequio*, vt specimen martyrij agnoscit. Vnde pro veris coli voluit martyrib. sacerdotes & diaconos, qui in sæua peste generali, tempore Valeriani Imp. adiss. pestilentes, & obsseñt. *Baron. in Not. ad Martyrol. Quia Maiorem char. nemo habet.*

1. Eccl. 7. *Non desis plorantibus in consolatione, & cum lugentibus ambula; nec te pigeat visitare infirmum.* 2 Talibus deditus S. Paulus: 2. Cor. 11. *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Sympathia quadã Christiana.* Ista hodie charitas quantum refrixit? Ps. 100. *Infirmati sunt; nec fuit, qui adiuuaret.*

S. Rocho fert gratia apostolica sanationũ.

Non sic S. Rochus; Crucis signo consanabat multos: cui priuilegium idẽ quasi dedit Deus, q. Apostolis, Mat. 10. *Dedit illis potestatem spirituum immundorum, vt ejicerent eos, & curarent omnem languorem & omnẽ infirmitatẽ.* Mar. 3. breuius. *Dedit eis potestatem curãdi infirmitates.* Marc. 16. plixius, *signa autem eos, qui crediderint, hæc sequẽtur. In* &c. Hisce ita claruit S. Roch⁹, vt vrbes, prouincias, regna sibi ęternum obligarit.

Peste correptus ejicitur.

II Sed pestem ipse prius expertus multa tulit. Nam in Italiæ oppidi nosodochio peste correptus tantum ex ea indoluit, vt quiritationes cõprimere nequiret. Itaq; à Magistro Xenodochij, vt turbator reliquorum nocte media ejicitur: à Consule, dũ vrbẽ nocturnus obit prehensus vrbe excluditur. Ipse solitudinem init ac habitat: orãti Deus fontem aperit ad tugurio- *Fit eremita.* lum; simul facit, vt canis è vicino pago panem quotidie afferret.

Fontem ei dat Deus.

1. Plus ei, quam Agaræ præstitit Deus: Gen. 21. *Aperuitq; oculos eius Deus, quæ videns puteum aquæ abijt, & impleuit vtrem, deditq; puero bibere.* 2. Simile Num. 20. præstitit Moysi pro seditiosis oranti: *Aperi eis thesaurum tuum fontem aquæ viuæ, vt satiati cesset murmuratio eorum.* Mox Ps. 113. *Conuertit petram in stagna* &c.

3. Ita & S. Clemens Pont. iuxta *Breuiar. Rom. in festo.* à Traiano trans Pontum relegatus, vbi Christiani secabant marmora fonte carentes, eis oratione è rupe, indice Agno, protulit: *eoq; miraculo multi infideles ad Christi fidem conuersi, Clementis etiam sanctitatem venerari cœperunt.* Quid minus istis præstitit S. Rochus?

Canis fert ei panes.

Per in de mirabile, canem ei obson. orẽ esse. 1. Eliæ 3. *Reg.* in desertum profugæ, ex Achabi regia *corui deferebant panem, & carnes mane.* &c. Paulo Archimãdritæ, Decianæ persecutionis fugi tanti, coruus 60. annis dimidium panem ad speluncam in dies afferebat. *Breuiar. Rom in festo.*

Angeli cibant. Etiam, 3. *Reg.* 19. Angeli ope reficit Deus afflictum, *surge, & comede: grandis enim tibi restat via.* Danielem, *cap.* 14. in lacu leonum prandio Angelus per Abacuc aduectum recreauit. *Daniel, serue Dei, tolle prandium, quod misit tibi Deus.*

Cibat Deus. Quin, ipse Deus suos mire subinde pascit: Vt totum Israelem per manna in deserto. Vt, Exod. 16. *Vesperi comedetis carnes, & mane saturabimini panibus, scietisque, quod ego sum Dominus Deus vester.*

Canis, Animal est fidum homini. Expertus id Lazarus *Luc.* 16. Tobias quoque cap. 11. *Cuius præcucurrit canis, qui simul fuit in via, & quasi nuncius aduenies, blandimento caudæ gaudebat.*

IN F. S. BARTHOLOMÆI Apostoli.

Exiit Iesus in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei.

Luc. 6.

A Moris, ac animi, fideique in herum facinus heroicum fuit in Iosepho ab adultera solicitato, relicto pallio fugisse. *Gen.* 39. At maioris in S. Bartholomæo, ad idololatriam inuitato, relicta pelle, in cœlos effugisse.

De quo nos

I. *Numerus duodenarius est mysticus.*
II. *De S. Bartholomæi persona, ac vitæ gestis.*
III. *De eiusdem Martyrio.*
IV. *De pelle detracta, pluscula.*

PARS I.

Quod numerus XII. sit typicus.

Numerus XII. est typicus. I. CVm dies esset gratiæ, *vocauit discipulos* LXXII. *& elegit duodecim ex illis, quos & Apostolos nominauit.* Luc. 6. Gratus Deo numerus XII. quem & Patriarcharum, & Tribuum Israel esse voluit, è quibus Hebræi prognati orbem impleuere. 2. S. Aug. conc. 3. in Ps. 103. rationem assignat:

Deo prædestinatus. *Ideo quaterni electi sunt, vt S. Trinitas per 4. partes orbis prædicaretur.* 3. Tam igitur sanctus hic numerus est habitus, vt, per Iudæ apostasiam minutus, fuerit continuo redintegrandus. Vnde Aug. Tract. 27. in Ioan. *Non frustra XII. Apost. habere voluit Dominus: Ita numerus ille sacratus est, vt in locum vnius, qui ciderat, non posset nisi alter, ordinari.*

Sunt 12. diaci signa. II. Denotantur Apost. XII. per zodiaci signa XII. perquæ Sol vim suam variam orbi communicat: ita per Apost. Deus. 2. *XII Boues.* Boues XII. 3. R. 7. gestantes Mare æneum, terni singulas orbis plagas spectabant: Apostoli Euangelij prædicandi, & Baptismi mare circumferebant. Ideo mandatum, 1. Cor. 9. *Non alligabis os Boui trituranti.* 3. S. Irenæus lib. 4. c. 38. ait Apost, esse dodecastylum. i. XII. columnarum firmamen- *XII. Columna.* tum, cui Domus Dei innitatur. Psal. 74. *Ego confirmaui Columnas eius.*

XII. Tintinnabula. 4. Iustinus Mart. ait: *Quod traditum est, vt XII. tintinnabula è Pontif. veste dependerent, simulacrum erat XII. Apost. qui vt æterni Pontif. incensi sunt, quorum voce & oratione terra omnis, Dei Christique gloria & gratia plena est.* 5. At grandes, inquam, campanæ *XII. Campana.* potius fuerunt, quæ tonarent Euangelium grande, & Ps. 75. *in Israel Magnum Nomen eius.* Et sic *Notus in Iudæa Deus.* Tert. lib. 4. *XII. Gemma.* cont. Marc. ait Apost. esse XII. Gemmas in Rationali Pontificis illustrantes Ecclesiam. Idem: Esse XII. saxa è Iordane transl. *XII. Saxa.* ito extracta, iussu Iosue, quibus inædificata Ecclesia est. Sunt fontes XII. in Elim. *XII. Fons.* De quibus Isa. 12. *Haurietis aquas de Fontibus Saluatoris*, aquas Doctrinæ & Sacramentorum. Ex hisce vnus fuit S. Bartholomæus.

PARS II.

Quæ S. Bartholomæi persona, vitæque gesta.

Barth. & Nathan. I. S. Bartholomæus quis fuit? Disceptatur. Rup. Ianf. Montanus, Ferus, putant fuisse Nathanaelem, de quo Ioan. 1. *el.*

Ecce,

Ecce, vere Israelita, in quo dolus non est. Et Ioa. 21. *Tu es Filius Dei, Tu es Rex Israel.* Quanto illustrior hæc confessio, quam illa Petri, Matt. 18. *Tu es* Christus Filius Dei viui; Quo & laudandus illustrius est.

Ratio sententiæ *Prima.* Quia *Ioa.* 1. Nathanaelis vocatio describitur; Bartholomæi nusquam, nec credibile, præteritum esse. ergo. *Secunda.* In catalogo Apostol. *Mat.* 10. *Mar.* 3. *Luc.* 6. semper Phil. & Bart. cõbinantur: at cum Philippo vocatus est Nathanael: ergo hic Barth. est. *Tertia.* Euãgelistæ, qui Bartholomæi meminerant, silent Nathanaelem, & Ioan. qui huius meminit, silet Bartholomæum. Ergo idem est.

Quarta. Ioan. 21. Nathanaelem refert inter Apostolos. *Quinta.* Bar Tholomæus non est nomen, sed appellatiuum, significãs *filium Tholomæi*: ergo Nathaneel fuerit idem. *Sexta.* Bartholomæus est vox Syriaca, significans *Filius suspendentis aquas.* Forte è Cana Gal. fuit. *Ioa.* 2. Inque eius nuptiis Dominus aquam fecerit vinum: qua Apostolos in stupore suspendit.

Non est. *II.* Hæc opinio quia caret Autore antiquo, Nam Rupertus autor est; Et non ex instituto docet eam, sed disputationis causa proponit: Itaque alteram sequor S. Augustini; qui *Tract.* 17 *in* 1. *Ioan.* & *in Ps.* 65 ait, Nathanaelem ideo non inter XII. adlectum fuisse, quod legis peritus esset. Nam, 1. Cor. 15. *infirma mundi elegit, vt fortia quæque confundat.* Ita & *Baron. in Martyrol. S. Greg.* 33. *Mor. c.* 21.

Nec filius regis fuit. *Petrus de Natalibus Episc.* prodit, S. Barth. fuisse Syrum, nepotem regis, solum inter Apost. illustrem: atque inde, Luc. 22. *facta est contentio inter eos, quis eorum videretur esse maior.*

Verum apocryphum hoc. Huic falsæ opinioni locum fecit nomen *Bar Tholmai.*

Sed piscator idiota. 1. Nam Iosephus in vita S. Barth. ait: *Prius idiota, & pauperem vitam agebat, & ex piscium piscatore hominum piscator factus est.* Mat. 4. Mar. 1. 2. Omnes Apost. fuere Galilæi. Act. 1. *Viri Galilæi, quid admiramini adspicientes in cœlum?* Act. 2. *Ecce, omnes, qui loquuntur, Galilæi sunt*: Non obstante, quod Galilæa esset pars Syriæ.

Sicut omnes Apostoli. Theodoretus in præfa. de verit. Euãg. docet Apost. omnes egisse piscatoriam. Certe 1. Cor. 1. *Ignobilia mundi, & contemtibilia elegit Deus.* Hinc Exo. 20. *Altare de terra facietis mihi, & offeretis super eo holocausta.* *Typus.* *Quod si altare lapideum feceris mihi; non ædificabis illud de sectis lapidibus.* Talis terra, & saxa rudia fuerant Apostoli.

Indis prædicauit. *III.* Eusebi⁹ *Hist. l.* 5. *c.* 10. refert, S. Barth. ad Indos ijsse, assumto S. Matthæi Euangelio, idque prædicasse. Ita & *Orig. in Gen. Hiero. de Script. Eccl. Socrates l.* 1. *c.* 15. *Niceph. l.* 4. *ca.* 32. Addit *Chrysost.* Lycaonios antropophagiæ suetos per eum barbariem istam desiisse. Ergo Prou. 9 *Sapientia æd. sibi do. excidit col. VII.* Sacramentorum, *misit ancillas suas*, i. ait S. Greg. 7. Mor. c. 17. *Apostolorum Animas in ipso sui initio infirmas*: In quibus S. Barth. Indiæ Apostolus.

Apostoli infirmiva dent. Miraculum. Chrys. Serm. de Pentec. *Peragrarunt Apostoli orbem, non scuta mouentes, non arcus tendentes, non sagittas mittentes, non pecunias largientes, nec eloquentiæ confidentes: Erant nudi sæculo, sed induti Christo.* Et tamen *Constituti Principes super omnem terram.* Vnde Paulus: *Legatione pro Christo fungimur, tanquam Deo exhortante per nos.* *Principes terræ.*

Pandori. Chry. hom. 1. in Ep. ad Rom. *Apostoli munus res bonis infinitis exundans, gratiis omnibus maius, ac dona omnia complectens*, 1. Vt, quæ in Ecclesia sunt, ea in hãc ab ipsis descenderint, Fides, spes, pœnitẽtia, religio, castitas. & c. 2. Ro. 8, *Nos ipsi primitias spiritus habentes.* 3. S. Tho Aq. *S. Spiritũ & tẽpore prius, & cæteris abũdãtius habuerũt Apostoli*: In hisce fundamẽtis Eccl. S. Bartholomęus: cui nos Eph. 1. *superædificati sup fũdamẽtũ Apostolorũ.* Quibus XII. fundamẽtis vidit Io.

in A-

in Apoc. inscripta XII. nomina Apostolorum.

PARS III.

De S. Bartholomæi Martyrio.

Historia. I. HIstoria est huiusmodi. S. Barth. vt in sorte datam sibi Indiã venit, summum Indiæ idolum Astaroth euertit. Inter miracula tamen cætera, quia Regis Palemij filiam dæmone liberauit, Rex populusq; plurimus in Christum credidit. Astyages regis filius instinctus à sacrificulis, ægre ferens factum, S. Barth. carcerat, diflagellat, crucifigit, inq; cruce cutem detrahit viuo, demum caput detruncat. Ita *Greg. Tur. de gloria Mart. l. c.* 34.

Sophronius apud S. Hiero. voluit in Armenia oppetiisse. *Cõmentariolus Hyppolyti de* Apost. Eum pedibus cursum, deorsum capite crucifixum esse prodit: vti & *Niceph. l. 2. c.* 39. Viuum excoriatum. Ita ante hos *S. Isid. in vita sanctorum c.* 177. Et *Traditio.*

Omnia reliquit. Ergo impleuit illud: Ecce nos reliquimus omnia, etiam pellem. 1. Iob. 2. *Pellem pro pelle, & cuncta, quæ habet dabit homo pro anima sua.* 2. Eadem sors illi, & sponsæ.

Vt sponsa. Cant. 1. *Inuenerunt me custodes ciuitatis percusserunt me, & vulnerauerunt me, tulerunt PALLIVM meum custodes murorum*, i. pellem.

Nudus despoliatus. 3. Eliphas inter alia etiam hoc exprobrat Iobo. cap. 22. *Nudos spoliasti vestibus.* Hoc implicat: Itaq; mysterij subest idq; verũ in S. Barth. qui nudus etiã decoriatus est: sicq; decorat° purpura. Ideo glorietur de eo ꝙ Michæas de infortunio Israelitico deplorabat: cap. 1. *super hoc plangam, & vlulabo: Vadam spoliatus & nudus.* Hoc plangat autem India barbara.

Reliquit pellem 1. passionũ. II. Trinam vero pellem reliquit. *Prima pellis*, fuit vetus homo, sæculiq; mores versi in virum Apostolicum. 1. Col. 3. *Expoliantes vos veterem hominem.* 2. Vt serpens inter petrarum angustias detrahit pellem, sicq; innouat. 3. Figurã respondet: Exo. 11. *Postulabit mulier à vicina sua vasa aurea & arg. ac vestes: ponetisq; eas super filias ac filios vestros: & spoliabitis Ægyptum.* Exo. 12. *Dominus dedit gratiam, & spoliauerunt Ægyptum*, id est: Vetere hominem exuerunt animi passionibus, & consuetudine. 4. Ita, Leu. 6. iubebatur. Sacerdos *ponens iuxta altare spoliabitur prioribus vestimẽtis*: veteris hominis: *indutusq; aliis* noui *offeret eos extra castra.* Ita S. Barth.

2. Mundi. *Secunda pellis* fuit diuitiarum ac voluptatum sæculi. Contra multi, alios depilant, vt se vestiant istis. 1. Mich. 3. *Audite Principes Iacob. &c. Vestrum est scire iudicium, qui odio habetis bonum, & diligitis malum: qui violenter tollitis pelles eorum desuper eis, & carnem eorum desuper ossibus eorum! Qui comederunt carnem populi mei, & pellem eorum desuper excoriauerunt, & ossa eorum confregerunt.*

Rari tales. 2. Hi tales sunt similes corniculæ Æsopicæ, quæ mutuas pennas accepit ab variis auibus: his suas repetentibus, ipsa nuda remansit, nimium gloriata prius. Ita depeculatores, qui alios deprædantur, & ipsi deprædabũtur: Et, Iere. 2. *In alis eorum inuentus est sanguis animarũ pauperum & innocentum.* O quot tales plumatuli aulici: cristatuli vrbici? &c.

3. Corpus. *Tertia pellis* erat corporis sui. 1. Iacob cum domesticis in Bethel sacrificaturus, ita iubebat, Gen. 35. *Abiicite Deos alienos, qui in medio vestri sunt; & mundamini: ac mutate vestimenta vestra.* Fecit id S. Barth: ascensurus in crucem victimandus; idola mundi diu ante reliquerat, ieiu: orationibus, mortificationibus se mundarat: demum vestimenta pellis mutat mortalis cum immortali.

PARS

PARS IV.

Pluscula de pelle detracta.

Titulis S. Bart. I. MAgnos nominis titulos inueniunt sibi, qui periculosa audent: si pro Deo, & tunc, Psalm. 71. *Honorabile nomen eorum coram illo*: vel vt S. Hiero. & Hebræi legunt: *Sanguis eorum pretiosus coram eo.* Qui ergo tituli S. Bartholomæo debebuntur, tanta perpesso? 1. Hac de causa S. Dionys. eum vocat *Apost. diuinissimum.* 2. Orig. ignorat, an S. Petro eum anteponat. 3. Iobum superat patientia: Nam Iob. 13. *Pelli meæ, consumtis carnibus, adhæsit os meum.* At S. Bart. nec pellis adhæsit detracta.

Pellæ exēplaris. 1. Barbari olim, teste *Alex. ab Alex. l. 3. c.* 24. deuictorum bello hostium pelles detractas, posteris relinquebant ad insigne fortitudinis: *S.* Bart. nobis suam ipse pellē similiter in exemplum ac memoriam reliquit Martyr. 2. Zisca Boemorum rex, iā

2. Terroris. senio cæcus, detractam sibi pellem iussit tympano circundari, fugandis eo audito hostibus. *Alciat. in Embl.* Ad S. Barth. pellē & reliquias ipsi cacodæmones profugiunt. &c. 3. Pugiles ante conflictum vestes ponunt; quiq; in æstate æstuant: Ita *S.* Barth. cum morte congressurus, æstuans summa charitate. &c.

3. Agilitatis. II. De victima ita sancitum. Leui. 1. *Detracta pelle hostiæ, artus in frusta concident.* Ita victima tus S. Bart. est, & lætus: vt eius fuerit illud cum Iobo: 19. *Credo quod redēptor. &c. & rursum circumdabor pelle mea.* 2.

4. Victima. Inter promtissime oblata ad Tabernaculum Domini, etiam pili erant caprarum, & pelles ouium rubricatæ & hyacinthinæ: Exod. 35. *Obtulerunt mente promtissima atq; deuota primitias Domino. &c.* In constructione Ecclesiæ milit. & triumphantis alij alia obtulere, aurum charit. argentum spei &c. S. Bart. pellem rubricatam, vt ouis, in cruce.

5. Oblationis.

Prouatio. *Recogitate eum*, Hebr. 12. *qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum cōtradictionem: vt ne defatigemini animis deficientes: nondum enim vsq; ad sang. restitistis aduersus peccatum.* Imitemini Iacobum, qui nunc concolores, nunc discolores virgas ouibus bibituris obiecit: ita variorū sanctorum virtutes varias intueamur: in his S. Bartholomæum. Rex Cambyses malefici pellem detractam tribunali instrauit, vt iustitiæ recordaretur in pelle iniqui. Huc & S. Barth. pellis fit vsui nobis memoribus.

IN F. DECOLLATIONIS S. IO. Baptistæ.

Misit Herodes Rex, & tenuit Ioannem. &c. Matt. 14.

AZariæ Pont. Max. 2. *Par.* 20. laus ex eo eximia; quod Oziæ regi sacerdotalia sibi arroganti, restiterit. Maior Baptistæ, Herodi, alienam sibi seruanti, reclamantis. De quo nos

I. Quanta mulieris sit malitia.
II. Herodianorum inuectiua conuiuiorum.
III. Herodiadanæ luxuriæ nequitia.
IV. Baptista super omnes est martyres: adeoque Angelus.
V. Qualis lucerna fuerit, quamq; Magnus.

PARS I.

De muliebri malitia.

I. SApiens & breue dictum, Eccl. 25. *Breuis omnis malitia super malitiam mulieris.* Bene comicus.

Θηρῶν ἀπάντων ἀγριότερα κακὴ γυνή. *Confertur bestiali.*
Fera omnibus agrestior mala mulier.

Et alubi.

Ἰσον λεαίνης καὶ γυναικὸς ὠμότης.
Par est Leænæ & mulieris crudelitas.

Euripedes in Phœnis.

Mulier efferacissimum malum est:
Vbi mulieres; ibi omnia mala sunt. *Exempla.*

CHryS. *Quid leone sæuius? Quid serpentibus aut draconib. atrocius? sed hæc animalia in malo, mulieri inferiora sūt.* subdit exē-

pla. *Iustũ Danielem in lacu reueriti sunt: iustũ Naboth Iezabel interfecit, cetus Ionam in vẽtre custodiuit: Dalila Sãsonẽ tradidit Philistæis: Eliã cortũ pauerũt: Et Iezabel eũ persequebatur.* Eccl.25. *Commorari leoni & draconi placebit, quam habitare cum muliere nequã.* Ibidem: *Non enim est caput nequius super caput colubri; & non est ira super iram mulieris.*

Chrys. in hoc Mat. 8. Non expedit, &c. *Quid est mulier, nisi amicitiæ inimica, necessarium malum, ineffugabilis pœna, naturalis tentatio, desiderabilis calamitas, domesticum periculum, delectabile detrimentum?* Secundus Philosophus. Quid mulier? *Hominis confusio, insatiabilis bestia, continua solicitudo, indeficiens pugna, quotidianum damnum, solitudinis impedimentum, viri incontinentis naufragium, adulterij vas, aspis insanabilis.*

Mulieris lacryma.

II. Pythagoræ vox est apud Laertium *in vit. philo.* Duplices in fœm. lacrymę: Doloris, & insidiarũ. Medęa apud Eurip. *Mulieres sumus ad bona cõsilia pauperrimæ; malorũ aũt omniũ artifices sapiẽtissimæ.* Menãder.

Dictum impie.

Θάλασσα, πῦρ, γυνὴ κακὰ τρία.

Mare, ignis, mulier; tria mala.

At plus nimio malẽ alius dixit: *Si Deus aliquis mulierem formauit; is se opificem malorum esse sciat maximũ, & hominibus inimicissimum.* Blasphemia hæc mendax est.

Elias, qui verbo ignem cœlo deuocarat, cœlum triennio clauserat, mortuum oratione excitarat. &c. à muliere tamen ad vitæ tædium adactus est, 3. Reg. 19. *Sufficit mihi Domine, tolle animam meam: neque enim melior sum, quam patres mei.* Optimo cuique metuenda mul. malitia est: teste vel hoc Euangelio.

PARS II.

Herodianorum inuectiua conuiuiorum.

I. HErodes in Euang. tres celebrantur. 1. Ascalonites, infanticida: 2. Antipa, qui Baptistam plexit, Iesum despexit: 3. Agrippa, qui Iacobum occidit, Petrum nexum fecit.

Regum licentia.

Antipam Ioannes, vulgato scandalo, adit, ait: *Non licet tibi*, &c. Scio, multa regi, quæ non alteri, licẽt; seu Iura spectes, seu consuetudinem, seu mores, siue voluptates: at *Non licet tibi. &c.* Ideo Ioanni contigit, quod illi apud Ezech. 19. *Miserunt eum in carcerem, ne audiretur vltra vox eius super montes Israel.*

Pharisæi tradiderũt Ioannem.

An & Pharisæi ad Ioan. incarcerationem contulerint, qui eũ pro Messia olim habuere? 1. Lyranus in Mat. 17. ait, *probabiliter creditur, de consilio Pharis. & Inrisperitorum eum in carc. coniecit Herodes.* 2. Dion. Carth. ibi ait: *Forsitan.* 3. Caiet. in 4. Ioa. ait: *Id insinuant Euangelistæ.* 4. Iansen. c. 2. Concord. ait: *Verosim: le est Herodem nec potuisse, nec ausum fuisse capere Ioa. nisi cõsentiẽtib. &c.*

Idque certum est.

5. Toletus in 4. Ioan. Eos ait effecisse suis machinationibus, vt caperetur. Id elicit inde: Matth. 17. *Elias iam venit, & non cognouerunt eum; sed fecerunt in eum, quæcunque voluerunt.* 6. Conspirationem eorum etiam S. Hiero. testatur inde: Matt. 4. *Cum audisset Iesus, quod Ioann. TRADITVS esset.* Vah mundi inconstantiam! Iam traditur, qui prius Messias creditur.

Palam arguitur Herodes.

Priuatim, an publice Herodem coarguerit? Publice; quia peccatum erat publicum. Sic Abul. in Matth. 14. Victor Antioch. Chry. ho. 1. ad populum, ait, *in medio foro.* Sicut Dauid Psal. 118. *Loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum, & non confundebar.* Non longas nectebat ambages Ioannes; sicut ad Dauidem Nathan vsus parabola ouiculæ: 2. *Reg.* 12. sed recta procedit: *Non licet tibi. &c.*

Conuiuia quæ pessint.

II. *Notanda hic* 1. Sors misera Concionatorum: 2. Ingratitudo mundi: 3. Principum cæcitas: 4. Rabies mulierum. Pellex contra sana monentem conspirat, ne cœlum & terra eius incestui deum aduersentur. Impij epulantur: insons plectitur. O Thyestææ epulæ: Vti Herodias & Herodes: Venerea & regia potentia: Cupiditas

ditas & Maiestas: Maligniras & Potestas. An non, Eccl. 7. *Melius est ire ad domum luctus, quam conuiuij: in illa enim finis cunctorū admonemur, & viuens cogitat, quid futurū sit.* Vbi S. Hiero. ait: *Vtilius est ire ad Exequias funeris &c. quia ibi ex præsenti cadauere commonemur cōditionis naturæ.* At cōuiuia mutant Tetrarchas in Herodes.

Furiant homines. Conuiuiale *vinum* moderate sumtum *lætificat cor hominis*: Eccl. 40. at immodice; furiat. 1. Hinc prisci, ait *Cathar. de mag. Deor.* Bacchum bicornem pingebant: altero hic Herodem furiarat. 2. Adeo Osee 4. *Vinum & fornicatio auferunt cor hominis*; inque beluam vertunt; vt ratione sopita, sola passio præferuida per omne nefas grassetur. Quare Ierem. 61. *Non ingrediaris domum conuiuij.*

Exempla. Ecce, filij *Ioh. c* 1. inter epulas ruina obruuntur. 2. Simon Sacerdos magnus, 1. *Mach.* 16. cū filiis Iuda & Ioanne ad mensā à Ptolomæo contrucidantur. 3. Amon, 2. *Reg.* 13. inter pocula obtruncatur à fratre. 4. Godolias, *Ier.* 4. Babylonici Princeps exercitus inter vina opprimitur ab Ismaele. 5. Diues Epulo, *Lu.* 16. ferculis sibi damnationem inuenit. 6. Herodes superauit omnes.

Profusi in vana, in sacra parci. *Licet dimidium regni petieris.* Infelix! perdidisse totum præstabat, quam tantum cędis nefas suscipere. Videte ingeniū mūdi: quam effusus in illicita; quamque parcus & iniquus in Sancta? Qui nō sumptus fiunt in mensas, aulædos, vestitus, lusus, spectacula? &c. at in Sacra quanculi fugiuntur? 1. Plane Iudæi se liberales in vestiendo Seruatore ostendebant; sed in derisum & afflictionem eius: alba ab Herode, purpura à Caipha induitur; dum ludendus propinatur: at dum miracla patraret, sanaret ægros, nec hilum ei quisquam. Ita cosmophili. 2. Hebræi, ad aureum vitulum conflandum, quā promti inaures & cimelia aurea conferebant? *Exod.* 32. Tales mundani, ad vana prodigi: parci ad Sacra.

Quin hæc nudari expoliarique malent. Herodianum hoc: qui Sanctum Domini decollare, quam pellicem contristare malebat. Quin abstulit Ioanni caput, & dedit scorto. *Aut sacrilegi.*

PARS III.

Herodianæ luxuriæ nequitia.

I. HAec vero luxuria est in & re aliena rapienda, & corpore proprio prostituendo cum pretio. Hæc bestia est illa, cui dictum: *Surge, comede carnes plurimas*, iustorum spoliandorum, & luxuriosorum. Bestiæ ex dentibus extrahere lupam conabatur Ioannes: at in fauces eius incidit ipse, & lupa exiit illæsa corpore; hoc sæuior in Ioannem. *Luxuriæ est 1. vrsa vorax.*

Apoc. 17. *Vidi mulierem ebriam sanguine Sanctorum, & de sanguine Martyrum.* Fuit ea sanguinaria Synagoga, quæ hausit Vriæ innoxij sanguinem: Iosephi vitam appetiuit, Baptistam extinxit par Herodias. *2. Apocalyptica mulier.*

Thomyris Scytharum regina Cyri, bello capti, caput abscidit, inque vas sanguine plenum demersit dicens: *Satiā te sanguine, Cyre, quem sitisti.* Sæuior Herodes quasi Herodiadi aiebat: *Satia te sanguine* Baptistæ: Quem in carcerem trudi fecisti; vti Iosephum Putipharæa, *Gen.* 39. quæ molita solum adulterium; tu id complesti; & Herodem venereo fascino dementasti. *3. Sæuaque Thomyris. 4. Et Putipharæa.*

II. Infelix, sic fascinatus! 1. Amb. l. 1. de Dauid. *Samson validus leonem suffocauit; sed amorem suum suffocare non potuit: Vincula soluit hostium; sed suarum non soluit nexus cupiditatum: Messes incendit alienas; sed vnius mulieris succensus igne suarum ipse Virtutum messem amisit.* Ita Herodes. 2. Verissime, Prouerb. 23. *Fouea profunda* *Perdit Samsones.*

est meretrix, & puteus angustus aliena. Insidiabitur in via quasi lœna; & quos incautos inuenier, interficiet. Talis Herodias in Herodē incautum & Baptistā. 3. Eā proinde belle depingit S. Amb. l. de offic. *Ianua diaboli, via iniquitatis, scorpionis percussio, noxium q; genus fœmina. Cum proximat, ignem accendit.*

Perdit Baptistas inter feras tutos.

S. Chrys. in hoc festo. *Baptistam in deserto viuentem dracones & aspides cornutæ tremuerunt: Herodias vero eidem caput abscidit, & tanti viri mortem in pretium saltationis accepit.* Ibid.

Mulier malum.

O acutissimum diaboli telum mulier! Mulier Adamum exterminauit. Per te bella fiunt: sapientes seperdunt, sancti occisi sunt; ciuitates combustæ: Vita perdita, mors inuenta est: Per te diuites pauperes; fortes debiles, pulcri turpes, veraces mendaces; casti luxuriosi, humiles superbi, pœnitentes inobedientes, & Deo odibiles fiunt.

PARS IV.

Quod Baptista super omnes sit martyres, adeo q; Angelus fuerit.

I. SAeua animis aggredior heu! exhorresco cogitās ferale supplicium. Scelus extinguit virtutes, easq; triumphat: libido cogit florem castitatis emarcescere.

Elogia Baptistæ.

Ioannes vitæ magisterium, pœnitentiæ norma, forma iustitiæ, gloria solitudinis: homine maior, dignior Angelis; Legis compendium, Euangelij pretium, Apostolorum vox, Prophetarum silentium; Domini tuba, miraculum mundi, Deideliciū, Meretrici donatur. O facin°!

Et capitis eius.

Caput ei detruncatur, in quo oculi vi- fæ columbæ super Dominū, testes; aures vocis cœlo lapsæ testes, caput sapientiæ diuinæ, linguæ prædicatricis caput, *Ecce*, ait, *Agnus Dei.*

Natalitia crudelia.

1. Pharao, *Gen.* 40. natalitiorum suorum lætitias cæde pistoris funestabat: Herodes Ecclesiastæ suæ, dantis ei panem vitæ, tabo natalia sua polluebat. Quo vi. tam acceperat die, vitam adimit insontissimo; quam dare nequibat.

Exitū habent interitum.

2. Naturæ portētum Nero, hominum carnificina, Diuinitatis explosor, Deorū & Cæsarum statuis capita deiecit, suo imposito: senatus, turbatus facto, consulit augures: qui detruncādum ei imperium pronunciant. Idem hodie Herodi portētum accidit ex obtruncato Baptista.

Martyr supra martyres sine solatio.

II. Isto illi decreuit; accreuit huic gloria; eoq; maior, 1. Quod martyrio præierit Ducem Iesum sine exemplo; cæteri eum secuti sint: 2. Quod absq; solatij externi auxilio, vti successores Martyres: Nam Protomartyr, Actor. 7. *Video cœlos apertos.* &c. Hoc quantum solatium? Et alijs aliud datū, nullum Ioanni, qui patitur cœlo clauso, Christo nondum passo, nec vllo pro Christo.

Et exemplo Christi.

Bene Greg. Naz. orat 20. *Qui ante Christi passionem passi, quid post Christum in persecutione, eiusq; imitatione pro nobis obitæ mortis, facturi fuissent?* Ita se Apostoli incendebant: Heb. 12. *Curramus ad propositum nobis certamen, adspicientes in Autorem fidei, & cōsummatorem Iesum; qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem.*

Cuius vis magna.

Saulis armiger, 1. *Reg. vlt.* mortis timēs, viso Saule in gladium incubuisse, sequitur animosus.

Exemplo caruit Baptista; at non gratia constantiæ: 1. Ideo Ecclesia solum præ cunctis Martyribus titulat *Martyrem præpotentem.* 2. Ioannes dein visum descripsit, Apoc. 20. *Vidi sedes, & sederunt super eas, & iudicium datum est illis. & animas Decollatorum propter testimonium Iesu, & verbum Dei:* At Baptista, Ioann. 1. *Venit in testimonium,* ideo decollatus est. Quanto igitur hic melior & sanctior; tanto deterior Herodes.

III. Angelum namq; sustulit homo, & talis tantum: quem vere angelum natura fuisse

Baptista Angelus qualitate non natura fuit.

fuisse Origenes insinuare videtur: *Hom. 5. in Ioan.* Eusebius *l. 9. demonst. Euang. c. 5.* prodit quosdam plures id cordate docuisse. At contra Ioan. 1. *Fuit Homo missus à Deo, cui. &c.*

1. Intellectu.

Officio tamen Angelus erat verus, & similitudine: 1. Nam Angeli pueritiam & insciam ætatem ignorant, creati cum liberi arbitrij vsu & intellectu: Ita & Baptista *exultauit infans in vtero* intelligens.

2. Pastu.

2. Angeli non vescuntur cibo corporeo: Tob. 12. *Videbar quidem vobiscum manducare & bibere; sed ego cibo inuisibili & potu utor.* Ita Matth. 11. *Venit Ioannes neque manducans, neque bibens,* &c. Scilicet vt cæteri hominum. Chrys. hom. de ieiun. ait Baptistę vitam perpetuum fuisse ieiunium. 3. Mat. 22. *Neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei.* Talis Baptista in eremo in carne angelus. Quo immanior Herodes, tanti viri trucidator.

3. Castimonia.

PARS V.

Qualis lucerna fuerit, quamque Magnus.

Fuit lucerna

I. QVid, quod & Lucernam Dei extinxerit tenebrio? 1. Etenim Ioan. 5. *Erat lucerna ardens, & lucens* diem inter Christi, & noctem Iudaismi Rom. 13. *Nox præcessit, dies autem appropinquauit*, Diem, Ioan. 3. *Oportebat crescere* in Crucem vsq; *me autem minui* capite. Vates ipse sibi. 2. Lucerna paucis lucet; sol omnibus. Ioannes lucebat solum ad Iordanem: at Ioa. 1. *Christus erat lux vera; quæ illuminat omnẽ.* &c. Io. 3. *Ego sum lux mundi.* Accensi ab hoc Apostoli: Matt. 5. *Vos estis lux mundi.* 3. Lucerna illuminat prope, sed non fœcundat: Sol procul lucet & fœcundat terras, & omne viuens. Solius hoc Dei est. 1. Cor. 3. *Ego plantaui, Apollo rigauit. Deus autem incrementum dedit. Sed neq; qui plantat, neque qui rigat est aliquid; sed qui incrementum dat Deus.*

1. Crepusculi matutini.

2. Paucis.

3. Non fœcundans.

Fuit Magnus.

II. Magnum quoque prostrauit Herodes. Matth. 11. *Inter natos mulierum &c.* Sic Dominus: At angelus Domini, Luc. 1. *Multi in natiuitate eius gaudebunt: Erit enim Magnus coram Domino:* Non coram mundo mundana vanitate, ait *Ambr.* Neque hypocritica magnitudine coram mundo, non Deo, ait Theoph. Nec vt, Gen. 10. *Nemrothro bustissimus venator corã Domino.*

Non coram

Sciendum namq; tripliciter quid *Magnum* dici. 1. Coram se, sui admirator. De quo Basilius hoc Isa. 1c. exponit: *Inducit super mentem suam.* Non sic Psaltes. 130. *Nõ ambulaui in magnis, nec in mirabilibus super me: si non humiliter sentiebam, sed exaltaui animam meam.*

Sed coram hominibus.

Pro Messia requisitus, cum (vt *Aug.* ait *Tract. 4. in Ioan.*) imponere hominibus potuisset, dixit *Non sum* Imo *Non sum dignus soluere corrigiam calceamentis eius.*

2. Magnus coram hominibus dicitur; qui ab his magni fit. At maximi fuit S. Ioannes, & tamen Ioanne quis humilior? 1. *Luc.* 3. Messias acclamandus, refutauit, 2. Tanti fuit cunctis, vt Euangelistæ eius vsi fuerint testimonio, p Christo Messia. Nec tamẽ, quod magni factus, se magni fecit ipse. 3. Et nominis sui æstimationẽ acquisiuit nõ miraculorũ operatione, sed vitæ Sanctimonia. 3. Magnum esse corã Deo: Et hęc vera magnitudo. At Ioannes Christi sententia, Luc. 7. *Maior fuit inter natos.*

Et coram Deo.

Fuit sapientissimus.

III. Rich. Brixien. ait: Hominẽ à pictore ingenioso pictum quadricipitem, cum capite vno prouidentiæ, alio sapientiæ, tertio virtutis, quarto fortunæ. Hæc perfectio hominis vere in S. Ioanne fuit absolutissima. 1. Ideo, Io. 1. *Hic venit in testim. vt testimo. perhi. de lum. vt omnes crederent per illum.* 2. Imo, Luc. 2. venit *ad dandam scientiam Salutis plebi eius.* 3. Non de nihilo fuit admiratio de eo: *Quis putas puer iste erit?* 4. Plane, Prou. 10. *Benedictio omnium gentium super caput eius.*

Fuit fortissimus.

Fuit Turris Dauid, *Cant.* 3. èqua omnis arma-

armatura fortium dependet concionatorum, peccatorum, eremitarum, confessorum, Martyrum, Virginum. &c.

IN NATALI B. VIRGInis Mariæ.

De qua natus est IESVS, *qui dicitur Christus.* Mat. 1.

ÆGyptii, *Gen.* 40. Principum natalia celebrabant festa: Nos reginæ Deiparæ Natalem iustiore titulo peragimus.

Circa quem

I. *De infelicitate Natalium mortalium.*
II. *De nata Seruatrice: sed cur tam sero?*
III. *De gaudio ex Nata.*
IV. *De festiuitate gaudii ex Nata.*
V. *De meritis Natæ.*

PARS I.

De infelicitate Natalium mortalium.

Vita humana exilium & mors est.

I. FAtuitas, aut vanitas est hominum, natalem suum feste celebrãtium: cum magis sit lugenda dies: qua extrusi in miserias intrauimus. Vt, qui ob crimen in carcerem cruciatusque datus, diem suæ infamiæ ac miseriæ festum ageret; delirare censeretur: Ita natalis sui admiratores, quo cum Ada exules in mundi carcerem expulsi, in corporis ergastulo compinguntur.

Natura ei nouerca.

Ideo Plinius natalem suum auersabatur, iratus naturæ, vt in se nouercæ, quæ in bruta tamen mater existeret, tam hæc ab necessariis instruens: quam nos destituens. Quin gemino indimur carceri: corpus mundo: anima corpori. Et sicut Moses, *Exod.* 2. in scirpea fiscella ad profluentem exponitur: ita nati nos miseriis dedimur, heu quot, & quantis?

Captiuitas est. Deflenda, vel ridẽda.

III. Hasce Heraclitus Philosophus irremisse deplorabat: deridebat vero Democritus: vt in quibus tantum homines deliciarentur, ac fiderent. 2. In captiuitate miseriisque Iudæi plangentes aiunt, Ps. 136. *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Et nos miseriores in mundo, & corpore iubilamus? Insolescimus sub tam multiplici tyrannide? 3. Recte Thraces in prolium natali luctum & induebant, & edebant, in funere vero plaudebant.

Sẽper memoranda.

Aegyptij natalis obliti, fatalis innouabant memoriam indies, cęnis caput mortui inferentes. Sic *Plut. in conuiuio.* 7. Sap. Antipater Sidonius, teste *Val. Max.* natalem suum semper est detestatus: quod eo semper ægrotaret: eodem deniq; & mortuus est.

Sanctis ingrata defletaq.

1. Quin & ipse Iob, cap. 3. *Maledixit diei suo, & locutus est; pereat dies, qua natus sum, & nox, in qua dictum est, conceptus est homo, dies ille vertatur in tenebras.* Et quod amplius: *Quare,* inquit, *de vulua egressus sum: qui vtinam consumtus essem: essem, quasi non essem.* 2. Vti sibi Iacob in vitæ suæ annis placuit? Genes. 47. *Dies peregrinationis meæ,* respondit Pharaoni. 130. *anni sunt, parui, & mali.* Magis ne illi vita hæc vitalis quam mortalis visa fuerit? 3. Ideo docta Deo Ecclesia sanctorum natales nõ celebrat; sed mortis eorum dies natales appellat. Trium tamen Natiuitates recolit: Iesu, Mariæ, Baptistæ: Filij, Matris, Clientis.

PARS II.

De nata Seruatrice: sed cur tam sero.

Nata quãdo.

I. NAta est B. Virgo anno Mundi 1974. à captiuitate anno 576. ab Vrbe cõdita anno 738. Danielis hebdomade 64. Augusti imperij 22. die 8. Sept. pene quo Eua formata fuit. Nam Hebræi tradunt in Septembris hebdomada, prima lunæ, orbem esse conditum; quod tunc arbores sint fructibus onustæ.

Cur tam sero?

Sed cur tam dilata diu Virginis natiuitas? *Primo* Quia Rex initurus regnum, procul

procul acquisitum, præmittit, qui parent omnia: Ita sibi Dominus præmisit, quos hic Matthæus recenset: 12. Patriarchas, 12. Prophetas, 12. Pontifices summos intra annos pene 3000. demum Matrem sequutus est Ipse suâ cũ 12. Apostolis, &c.

Secundo. Vt dilatio foret indicium irati Numinis. At tanto tempore.

Tantæne animis cœlestibus iræ?

Hinc peccati malitiam æstimato. Itéque ex prodigi exemplo, *Luc.* 15. qui longinqua in regione omnia dilapidauit infelix. Vere longinqua: longissimum est iter à peccato ad gratiam: ecce anni cesserunt 4000. At breuissimum à gratia ad peccatum: Nam Angeli, Adamq; in momento ruerunt.

Sicut Hebræi fame pressi in Aegyptũ concesserunt, animo commorandi inibi trib⁹, quatuorue annis; at effluxere 400. nequedum exire quibant, nisi in manu potenti Dei, Psal. 124 *Emisit Deus signa & prodigia in medio tui Aegypte, in Pharaonem, & in omnes seruos eius* Ps. 105. *Fecit magnalia in Aegypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari rubro.* Heu peccator, fame voluptatum, honorumq; ac opum impulsus, mutas regionem cœli cum Aegypto peccati; animo quidem non sordescendi in eo, vel immorandi: at immoraris, & immoreris. Prædixit talibus Dominus, Ioa. 8. *Et in peccato vestro moriemini.* Vnde, heu, quam ægre extraheris? Sane S. Thomas *tract. de gratia*, ait, Remissionem peccati maximum opus esse Dei.

Tertia causa dilatæ Natiuitatis; vt Dei cura de peccantium salute notetur. Hinc Sponsa, Can. 5. *Qualis est dilectus tuus ô pulcherrima mulierum?* Respondet. *Caput eius aurum optimum: coma eius*, cogitationes ac curæ, *sicut elatæ palmarum, nigræ quasi corvus*: id est: de iustis, & iniquis saluandis solicitæ. Et vero de cœlitibus cura eius minima est: potissima de nobis in suggerendis mediis consumitur, quibus ad frugem reducemur. Hinc tantum *gaudium super vno peccatore, pœnitentiam agente, quam super 99. iustis: qui non indigent pœnitentia*: Luc. 15.

Sicut in aulis nullus est animorum motus cum boues, oues, &c. mactantur: at si vrsus, leo, &c. sit occidendus, hic concursus fiunt, sermones, gaudia, metusque: Ita & in cœlis super conuersione peccatorum. *Hinc gaudium de nato.*

PARS III.

De gaudio ex Nata.

I. FVerint istæ rationes Deo differendæ Natiuitatis Marianæ: At dia Virgo, quid tam morari diu potuisti? Nunquid vox tua est, Prouerb. 8. *Dominus possedit me initio viarum: antequam quicquam faceret, cum eo eram cuncta componens.* Scio: id de Filio dici: at Galatinus *lib. 7. arcanorum, cap. 2.* istud, similiaque Deiparam notare censet: Epiphanius quoque de Messia intelligi posse negat: cui id assentitur Gregor. Naz. & S. Basilius. Cum ergo tam antiqua sis: quid morata es, Virgo? Audi afflictos mora. Psalm. 68. *Defecerunt oculi mei suspicientes in cœlum* Psal. 10. *Defecit in salutare tuum anima mea, dicentes quando consolaberis me.* Par fuit desiderium Matris Dei? *Defecerunt oculi mei præ lacrymis, & raucæ factæ sunt fauces meæ*, dum columba aduenires. *Deipara diu desideratur.*

Veni ergo tandem. Et venis *quasi Aurora consurgens.* Cant. 6. Venis, ô extremũ noctis; lucis initium. Rom. 13. *Nox præcessit.* Synagogæ. Legis, iræ: *dies autem appropinquauit* gratiæ & Mariæ. *Tandem nata.*

Exultate Patres in limbo delitescentes: ecce prænunciam salutis. Dixisti Isaia, 11. *Egredietur Virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* Iam dicitur *Egressa est, & ascendit.* Num Apoc. 12. *Signum magnum apparuit* *Gaudium attulit ortu.*

apparuit in cœlo Mulier, &c. Signum magnæ misericordiæ.

Et refocillationem. Beatum Signum, Mirum quoque. Ex parentibus annos XX. sterilibus oritur. Tale signum erat aquarum fluentia è petra, *Num.* 10. Virginis eo maius, quo magis Virgo puteus est aquarum viuentium; non solum fluuius.

Sara nonagenaria ex viro centenario se concepturam audiens, risit, & ait: Gen. 21. *Risum fecit mihi Dominus: & omnes qui audierint corridebunt mihi*: quod valido corpore non conceperit: At Anna ex Ioachimo concipit non ad irrisum, sed ad gaudium omnium, & gratulationem. Vnde exultat hodie Ecclesia.

Odium hæresi. Solus Lutherus, vt exors fidei, sic est, & gaudij huius expers, & ait ad hod. Euang. *Peruelim hoc festum omitti: cum nullo scripturæ nitatur testimonio.* At vbi scriptura de festis aliis Pasch. Pentecost. Natiu. Domini, &c. Impudentius idem libr. de piis Cerem. obseru. *Assumtionis, & Natiuitatis festa plane reijcimus.* At furor est iste sacrilegus: non ratio. Nec dignus pluribus.

PARS IV.

De Festiuitate gaudij ex Nata.

1. Festiuum est gaudiũ. I. SIcum Salomone totus Israel, 3. *Reg.* 7. tam festiue peregerunt dedicationem Templi, in quod Lex deponenda erat: quãto sanctior esse nata debet Deipara Christianis, templum Dei? Ita Pet. Damia. sermon. de Natiuit. Mar. vbi & ista. *Hæc est Thronus Dei, solium diuinitatis, palatium Regis æterni, gazophylacium thesauri: quo de cruenti prædonis seruitio sumus comparati.*

1. Quia nata est in tẽplum dedicata.

2. Innocentiam perditam restituit. Hæc nata est mulier, quæ vel in ipsa natiuitate dragmam innocentiæ, perditam à nobis repererat: ideoque omnes pias animas *conuocat amicas & vicinas dicens: Congratulamini mihi: quia inueni dragmam, quam perdideram.* Natura, mulier magna perdiderat gratiam & gloriam: sola Deipara gratiam inuenit apud Deum, & immunis à perditione communi, dragmam sibi adinuenit ac nobis, quam dolebat nos perdidisse, ac si perdidisset ipsa. Verum ita inuenit: *vt diuitias supergressa sit vniuersas.* Quo gaudendum est amplius.

3. Nata mulier est fortis. II. Hanc requirebat Salomon, Prou. 31. *Mulierem Fortem quis inueniet?* Quo ille gaudio subsiliisset, si hanc illi Natiuitatem agitare festam nobiscum licuisset? Dixisset. *Inuenta est dragma; & mulier fortis.* Hæc est fortis Amazon, quæ conterit caput serpentis, & super draconem ac basiliscum ambulat. O fortem vel ab ipsa Natiuitate.

4. Et fortissima omnium. Tres Darii Satrapæ sapientes disceptant super quæsito hoc. Ecquid fortissimum? 3. *Esd.* 3. Zorobabel ait: *Mulier.* Deus hic locutus fuerit: & de Deipara fortissima omnium. Quæ enim, præter ipsam, est alia? Hæc fortis contra Deum iratum Iram ipsi, telaque extorsit: naturam obstupefecit; quod supra ipsam hæc esset vna ac prima, sic munde nata; vt nec Eua mundius fuerit creata. Ipsa dæmones confudit: quibus ius nullum in eam licebat: Ipsa circumscripsit infinitum; peperit Creatorem. Quibus quid fortius? Quid ad gaudia efficacius?

5. Et obsecratrix famentium. III. Vrbs obsessa diu, pressaque fame dira, si ex insperato nanciscatur commeatum; quanto id illi est gaudio? Orbis à portis quatuor Occidentis, Ori. Merid. Sept. obsessus vndique fuit ab annis quatermillenis, fameque vltima exhaustus: ecce aduenit ei Nauis hæc Mariana, *portans panem de longe*, Pro. 31. filium Dei. Nam Ioan. 6. *Hic est panis, qui de cœlo descendit.* Panis bis coctus, *bis genitus.* Quid ni gaudeamus de eius aduentu?

Hocque amplius, quod peregrinis & vel-

Scalaque terrenis ad supera.

& velut transfugis, ceu Iacobo, *Gen.* 28. hoc in fuga solatii offeratur; vt visione scalæ recreemur, in qua via sus deque feruet.

Hæc mœstis exulibus nobis est nata Maria, scala cœli: qua Iesus descendit, & salus omnis cætera. Bene Damiane: *Hodie nata est Regina cœli, fenestra mundi, ianua paradisi, tabernaculum Dei, stella maris, scala cœlestis: per quam supernus Rex humiliatus ad ima descendit: & homo, qui prostratus iacebat, ad superna exaltatus ascendit.*

Et Arca salutis.

Noemo, *Genes.* 6. indolebat omnium ex diluuio interitus: at visa ad paucorum salutem arca parata, temperauit, detersitque dolorem. Quantum, quamque diu omnis creatura ingemuit? inque luctu ac squalore iacuit? Tot adeo vidit damnari æterno diluuio. Quo maius est gaudium, ex apparente primum hodie Arca salutis.

Sed & ipsa pulcra tota.

IV. Est illa quidem gaudij causa vna: plures sunt, ac maiores cæteræ. Qualis ꝙ supra naturæ cursum sic nascitur non pura solũ, sicut Elias, sed & gratiis illustrata tot; quot nec in protoplastis fuerat ea experta natura. Inde Cantic. 4. *Tota pulcra es amica mea, tota pulcra es, & macula non est in te.* Bis pulcra tota, in Conceptione, & Natiuitate.

Merito igitur miraris sponse: Cant. 7. *Quam pulchri sunt gressus tui filia Principis:* id est, Maria, vt omnes intelligunt: Gressus primus Conceptionis, in naturam: alter in lucem Natiuitatis. In vtraque offendimus omnes, sola tu graderis pulcre, in offenso pede.

PARS V.

De meritis Natæ.

Meritissima est Natæ.

I. MErita Natæ notantur istis: *De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus,* quasi dicat, ex vno hoc capite, cætera æstimatote. 1. Nec enim amplior, ait D. Tho. *p.* 1. *q.* 25. *a.* 4. haberi dignitas potest, aut perfectior, quam Matris Dei.

1. Quia est Mater Iesu.

2. Si verum, prou. 20. *Filius sapiens gloria parentum:* iam nemo gloriosior Deipara, quod nemo ipsius Filio sapientior. Accedit gloria Patris, qui ait, Psal. 2. *Filius meus es tu; ego hodie genui te.* Idem quid ni & mater dicat?

2. Sapientissimi Mater est.

3. Quia Pãdora est.

3. Suam sibi finxerint Poetæ, apud Hesiodum, Pandoram, Deum Deorum omnium donis ornatam, quod Deum quendam genuisset. Nostram nos Deiparam prædicamus, & adoramus, *de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.* Quo, quid supra?

4. Res aliis promissa, est illi præstita.

Cum Deus Abrahamum ac Dauidem eximie honoratos vellet, promisit illi Gen. 17. *In semine tuo benedicentur omnes gẽtes.* Huic Ps. 131. *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Quo audito, ille se humi prostrauit, non inueniens grates sat dignas. Si illis tanti promissio: quanto erit honori Mariæ exhibitio? Illa enim est, *de qua natus est Iesus qui* &c.

Benedictus fructus de terra testatur.

II. Exploratores duo: *Num.* 13. vt terræ benedictæ laudem re exhiberent, nõ verbis solis; botrum in vecte secum attulerunt, spectaculum benedictionis. Ita hic Euangelista, benedictæ matris facturus fidem, & specimen daturus, botrum proponit, dicens: *De qua natus est Iesus.* Eia ergo, iubilate Deo, magnificate diem hunc, cuius cum ortu orta nobis bona sunt omnia. In Baptistæ *Natiuitate multi gaudebunt:* omnes in Mariæ.

Figuræ cõglobatæ.

Enimuero, 1. Hodie arbor vitæ nobis in Paradiso plantatur: *Gen.* 1. 2. Arca salutis absoluta, *Gen.* 6. in mare mundi exponitur. 3. Thronus, 3. *Reg.* 10. eburneus auro obrizo conuestitus perficitur Salomoni. 4. Arca fœderis è lignis Setim incorruptibilibus structa, inaurataque legi recipiendæ, consecratur. *Exod.* 25. 5. Hodie denique Turris Dauidi-

ca, *Ex quæ omnis armatura fortium dependet*, agnoscitur terror hostium, præsidium fidelium, Ecclesiæ propugnaculum.

PERORATIO.

QVare, *Exod.* 25. præceptum omnibus, vt aurum, pilosque caprarum ad Tabernaculum Deo parandum cõferrent: ita nos ad laudes Deiparæ natæ omnia, quæ possumus, conferamus, vel aurum charitatis: aut pilos humilitatis.

IN F. EXALTATIONIS S. Crucis.

Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum. Ioan. 12.

GLadium Goliad cæsi, 1. *Reg.* 21. Sacerdotes in Sanctuario iuxta Arcam Testamenti suspenderunt, tropæum Dauidicæ fortitudinis, & victoriæ admirandę. Quanto dignius lignum S. Crucis, in quo mors, Sathanaque deuictus fuit, &c. tanto cum honore exaltatur?

Quare de eo nos

I. *Sacræ Crucis Elogia.*
II. *Vlteriora eiusdem encomia.*
III. *Crucis exaltatæ causa.*

PARS I.

Crucis encomia.

Crux gentibus honorata.

I. SIgnum crucis tanto fuit in honore apud cunctas Gentes, etiam ante, quã pateretur Dominus, quodam, reor, instinctu altiore; vt sat nequeat enarrari. 1. *Marsil. Ficinus l. de tripl. vita*, ait, Arabes Astrologi inter omnia hieroglyphica nullum habuere sanctius ac religiosius Cruce effigiata. 2. Rufinus in Eccles. hist. l. 2. c. 29. *Signum Dominicæ Crucis, in illas, quas dicunt ἱερατικὰς, i. sacerdotales, literas habere Aegyptij dicuntur, velut vnum ex cæteris literarum elementis: Cuius hanc dicunt esse interpretationem: VITA VENTVRA.* 3. Addit hisce *Socrates hist. Eccl. l. 5. c. 17.* Serapidis, Deorum summi apud Aegyptios, templo diruto, saxa reperta cum cruce incisa: quæ significabat idem quod VITA. Eadem Pet. Crinitus l. 8. de honesta discip.

Ecclesia iuxta est & gloria.

Erant hæc præsagia venturi honoris cruci veræ vitæ. Nam Eph. 1. *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui gratificauit nos in dilecto Filio suo; in quo habemus redemtionem per sanguinem eius, & remissionem peccatorum.*

Est vexillum.

Est omnino Crux in Ecclesia militante regium vexillum, sanguine initiatum Christi: ideoque est & terror gentium, ac dæmonum, idolorum ruina, hæreticorum confusio, gloria fidelium & Angelorum. S. Hieronymus in c. 9. Ezech. signa Thau *super frontes virorum gementium atque dolentium*: ait insigne crucis id esse: Cassanæus hist. addit Thau Israelitis quasi vexillum extitisse: Vti Romanis aquila. *Signum Thau.* Isaias. c. 13. loco Christi ad discipulos ait: *Super montem caliginosum leuate signum, exaltate vocem, leuate manum.* Id Apostoli explerunt prædicationibus & erectionibus, exaltando Crucem.

Merita Christi tribuuntur Cruci.

II. Et merito: Quicquid enim in cruce fecit Dominus, ac meruit, id omne tribuitur eidem. 1. Hinc Aug. *Crux de erroribus nos liberauit; sedentes in tenebris illuminauit, ac nos Deo coniunxit.* Magnum hoc: 2. Maius illud: Sicut humanitas iuncta Filii Diuinitati omnia Attributa Dei participauit; ita & S. Crux ob coniunctionem & peracta inibi mysteria. 3. Ideo salutatur *O Crux aue Spes vnica.* At spes ita, vt eam colam; quem designat, adorem latria, ipsam hyperdulia.

Et in ea sit nostra omnia.

Innuit id Isa. 22. *Figam illum paxillum in loco fideli, & suspendent super eum omnem gloriam, vasorumque diuersa genera.* Vasa exponit Apostolus 2. Tim. 2. *In magna domo non solum sunt vasa aurea & arg. Sed & lignea & fictilia.* id est, in Ecclesia sunt eximie, sunt vulgariter boni.

Hæc

Hæc vasa qualiacumque à Cruce dependent, hinc omnium salus. 1. Ideo Gal. 6. *Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini N. I. Ch.* 2. Hinc salus & gloria. Teste typo, Exod. 24. Heb. 9. *Etiam tabernaculum, & omnia vasa ministerij sanguine similiter aspersit: Et omnia pene in sanguine, secundum legem, mundantur: & sine sanguinis effusione non fit remissio*: non sine Cruce fonte sanguinis salutaris. Cuius ideo celebratur Exaltatio.

PARS II.

Vlteriora S. Crucis encomia.

Typi S. Crucis.

I. TYpis V. T. est illustr. Crux S. 1. Arbor est vitæ, *Gen.* 2. ex paradiso in Caluariam translata & in monte exaltata. 2. Noe sua Arca. *Gen.* 6. Christus cruce reliquias orbis è diluuio perditionis seruauit. 3. Columba oliuæ Ramum, pacis signum; *Gen.* 8. Christus crucem, placati Patris signum, prætulit. 4. Eadem, *Gen.* 9. est Iridis loco, firmataque fœdere pacis. 5. Crux est, *Ge.* 22. lignum sacrificij Abrahæ, quod baiulabat Isaac. 6. Est, *Gen.* 28. scala Iacob. 7. Est, Gen. 31. Baculus quo Iacob Iordanem transuadauit. 8. Est, *Exo.* 4. Virga Moysis. 9. Est, *Num.* 21. stipes serpentē æneum præferens. 10. Est, *Exod.* 16. Lignum aquas dulcorans amaras. 11. Est, *Ios.* 5. clypeus Iosue: 12. Est, *Ios.* 21. Funiculus coccineus Roabæ domus: 13. Est, *Iudic.* 6. Torcular Gedeonis: 14. Est, 1. *Reg.* 12. Baculus Dauidis. 15. Est, *Esth.* 15. aurea Assueri virga, 16. Est, *Apoc.* 1. Signum Dei viui, est omnia. O scalam è malis ad optima quæque emergendi! S. Leo serm. 4. de Pass. *De instrumento, quod iniquitas Iudæorū parauit ad pœnam, potentia Redemtoris Gradum nobis fecit ad gloriam.*

Crux est arbor Vitæ.

II. Hæc vere est, Gen. 2. arbor scientiæ boni & mali; in ea discimus peccati fœditatem & gratiæ dignitatem. Vnde optime Hymnus: *Salue Crux S. salue mundi gloria; vera spes nostra, vera ferens gaudia: Signum salutis, salus in periculis, vitale lignum vitam ferens omnium.*

Plantata supra Adamū mors.

Prodit *Cyp. serm. de resurr. Epiph. de hæres. c. vlt. Aug. ser. 71. Chrys. ho. 38. in 19. Ioan.* alique, diuinitus accidisse collocari crucem super Adæ sepulcrū: à cuius caluaria mōti est nomen. *Vt, vnde mors oriebatur; inde vita resurgeret.*

Cur vita sit arbor.

Arbor autem est vitæ 1. ob fructum suum Iesum. Quia, Ioa 14. *Ego sum via, ver. & vita.* 2. Ob effectus: Viuificat. Nā Prou. 3. *Lignum vitæ est his, qui apprehenderunt eum.* 3. Ob vitæ conseruationem. Eam vidit Ioan. Apoc. 22. plantatā inter aquas mediā fluuiales V. & N. Testamenti: quod vtrumque vna complectitur.

Crux est adinuentio contrariorum.

Miræ Dei adinuentiones! *Cantate Domino Canticum nouum; quia mirabilia fecit: notas facite in populis Adinuentiones* Crucis. 1. Non istud nouum foret, si adinueniretur, quemadmodum eadē arbos efferret nunc hos, nunc istos fructus; planeque contrarios? At in hac crucis Mors & Vita fuit: Maledictio & benedictio. 2. Deut. 21. *Maledictus omnis, qui pendet in ligno.* Contra: Benedictus Dominus in cruce, *Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius.* Ecce pyrannidem honoris & infamiæ; gratiæ & pœnæ, Victoris & victi.

Crux est refugium peccatorū.

III. Huc ergo securi confugiant peccatores. 1. En Adam, vocantis Domini voce attonitus, Gen. 3. *Sub arbore vitæ, quæ in medio paradisi, se abscondit:* 2. Agar cum Ismaele heram fugiens, vsta siti, ne & puerum siti morientem videret, *Gen.* 21. eum sub arbore deposuit, abiitq; longiuscule, Deū cum fletu deprecata. Et ecce Angelus ei: *Noli timere: exaudiuit n. Dominus vocem pueri de loco, in quo est.* Noli timere peccator; *Exauditus est* Dñs, in cruce clamās, *pro reuerētia sua*: hic sitim restingue; hic angelica consolatio est. 3. Elias Iezabelē fugitando fessus, vitæque pertæsus sub iuniperi

se vmbram abiiciens, petiit animæ suæ vt moreretur: at vitam ibi reperit: 3. Reg. 19. *Ecce, ad caput subcineritius panis, & vas aquæ.* Iustis iniustis nil hac sub arbore deesse potest.

Est theatrum pugnæ Domini.

Hæc regis regum solium, ara, palæstra. &c. fuit. Eam voluit esse theatrū maximorum operum suorum, inq; ea pugnando mori, & moriendo pugnare. *Causa.* 1. Vt iustitiæ via non vi omnipotentiæ diabolum vinceret superbissimū infima tua humilitate se permittens hostibus coniuratis in hoc, Sap. 2. *Morte turpissima condemnemus eum.* Atis, Phil. 2. *Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis*: quod probrosissimum.

2. Vt modo aptissimo satis pro nobis faceret; sic mori placuit. Nam in ligno peccatum: ideo 1. Pet. 2. *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum. Vt*, canit Ecclesia, *qui in ligno vincebat, in ligno quoq; vinceretur.*

Causa 3. Vt crucis figuras impleret, in cruce obiit: Itemq; prophetias: Verbo, Ps. 50. *Vt iustificeris in sermonibus tuis; & vincas, cum iudicaris.*

4. *Causa.* Vt exemplum patientiæ statueret: adque imitandum animaret. Isa. Thren. 1. *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite & videte crucem. si est dolor sicut dolor meus!*

PARS III.

Crucis exaltatæ causa.

1. HOdie crux exaltatur, vt humanitas humistrata exaltetur: Sathan deprimatur: Iesus adoretur; Apostoli glorientur: V. T. verificetur impletum ac triumphet: vt memoria prodigiorum crucis refricetur: vt ritus iudaici antiquati triumphentur: Ethnicismus frangatur: Sacramenta N. T. roborata & consignata esse doceantur: Ecclesia exaltetur. &c.

Quatuor & orbis & crucis plagæ mysteria.

Bene, optime exaltatio est 4. orbis plagis adapta, iuxta 4. dimensiones suas. Nā, 1. *Longitudo* Crucis designat patientiam & longanimitatē Dei. qua, Isa. 30. *Expectat Dominus, vt misereatur vestri, parcēs vobis.* Ps. 102. *Longanimis* ad expectationem pœnitentiæ, *& multum misericors* ad condonationem peccatorum.

2. *Latitudo* admonet amoris Dominici sinum peramplum ad inimicos etiā amplexandos. Ioan. 15. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro inimicis suis.* Imitemur eum, qui *solem suum oriri facit super iustos & iniustos*: at in bono vincamus malum, benefaciendo malefacientibus, & adientes nos diligendo.

3. *Altitudo* crucis mōstratiter cœli, scala est, quæ sus deq; scanditur: per quam, Ioa. 12. *Ego si exaltatus fuero, omnia traham ad me ipsum*, hominum genera, Iud. Gentes, Christianos. &c.

4. *Profunditas* innuit iudiciorum Dei ab. yssum, & mysteriorum sacrorum.

Itaq; crucis fit particeps orbis totus. Pars summa beatos coronat, ima purgatorios recreat: dextera iustos iustificat, sinistra peccatores expectat & acceptat. Ecce obedientiam, humilitatem, misericordiam, patientiam.

Exaltata est vtilis scientia Christi.

II. Fecit ergo Deus exaltando crucem, quod victores Duces suspendēdo in templis aut curiis arma sua, vexillum, & insignia. 1. Solium suæ exaltationis non exaltaret Dominus? 1. Suum Assuero quanti erat? Esth. 15. *Ille autem sedebat super solium regni sui, indutus vestimentis regiis.* 2. Salomoni suū quanti? esse miraculum mūdi voluit. 3. Reg. 10. *vt non sit factū tale opus in vniuersis regnis.* 3. Bene igitur gloriari iubemur, Ps. 95. *Dicite in nationibus, quia Dominus regnauit à ligno.*

2. Exalta-

1. Vt probrũ ei vltimum demeretur glorificando.

2. Exaltauit, vt dedecus eius verteret in decus summum; quod supra Regum vertices ascenderet. 1. Ezech. 17. *Scient omnia ligna regionum, quia ego humiliaui lignum sublime, & exaltaui lignum humile: Siccaui lignum viride; & frondere feci lignum aridum.* Quod S. Hieron. ibi cruci adaptat. Aug. ad hoc Psal. *Brachia peccatorum conterentur*, ait: *A locis suppliciorum crux fecit transitum in frontes imperatorum* & sceptra. Chrys. similia addit, altius in extremo iudicio exaltandam: Quia Matth. 24. *Tunc apparebit signum filii hominis in cœlo*, ab Angelis, non Iudæis contrectanda.

Probrosa fuit Ethnicis.

III. Tãto crux probro fuit Ethnicis, 1. Vt Romani, teste *Plin. l. 17. c. 26.* canes ex ea suspenderẽt. Quod natum inde; quia siluerunt canes clangentibus anseribus, cum Galli Capitolium occuparent. 2. Suidas est autor; Athenienses in improbi defuncti sepulcrum figere aut formare crucem solitos, insigne sceleris ac infamiæ.

3. Vt adoraretur.

3. Exaltata est, vt hominibus & Angelis foret adorabilis. 1. Hinc S. Andreas tam religiose eam salutauit. 2. Paulus, Galat. 6. *Mihi absit gloriari, nisi in Cruce D. N. I. C.*

4. Vt traheret omnia.

4. Exaltata fuit; cum per eam Dominus omnia ad se traxit: *Ioann.* 12. Cum per eam Princeps factus est omnium: Phil. 2. *Propter quod & Deus exaltauit eum.* &c. Imo ipse: *Data est*, ait, *mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Traxit, vicit, fregit, reparauit omnia per vnam. *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei!*

Nouũ bellum crucis.

Canamus cum Debora & Barach vindicatis è Sisaræ regis tyrãnide Hebræis: Iud. 5. *Audite reges, auribus percipite Principes: NOVA BELLA elegit Dominus, & portas hostium ipse subuertit*: non armis suetis, non fulmine. &c. sed fœminæ Iahelis dextera: Non tubis muros euertit, vti Iericho. *Ios.* 6. Non Mosaicis portentis exanimauit Pharaonem nouum. *Exod.* 3. 5. 6. Non mandibula asini, vt Samson. *Iudic.* 16. confecit Philistæos: Non per puerum pastorem strauit Goliathum: 1 *Regum* 17. Sed eo, quod in orbe vilissimum, Cruce vicit orbem, orcum; effregit cœlum.

Psalm. 6. *Dominus regnauit; exultet terra, lætentur insulæ multæ.* &c. ibidem eradant nunc Iudæi τὸ *à ligno*: teste *Tert. l. 3. cont. Marci. Amb. in 1. Corint. Aug. in Ps. 96. Iustinus Dial. cont. Tryphonem.* Nihil efficiunt: non crucem tollent ex memoria & gloria; nisi prius è mundo solem.

5. Vt redimeret orbem.

5. Crux exaltata fuit; quod orbem redemerit per eã Dominus, Eph. 2. *Per crucem interficiens inimicitias in semetipso.* Col. 1. *Pacificans per sang. crucis siue quæ in terris, siue quæ in cœlis sunt.* Sap. 14. Vere *Benedictũ est lignum per quod fit iustitia* Vindicia nostri à tyrannide, Ioann. 12. *Nunc iudicium est mundi: nunc princeps mundi eiicietur foras.* Actum est.

6. Vt paradisum redaperiret.

6. Exaltata est iuste, quia Paradisi clauis est facta. Isa. 22. *Dabo clauem domus Dauid super humerum eius.* Apoc. 3. *Hæc dicit sanctus & verus, qui habet clauim Dauid; qui aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit.* Rabanus l. de laud. S. Crucis. *Crux Christi clauis facta est Paradisi: In cuius figuram Velum Templi scissum est*, Matth. 27. & aperti sunt cœli. Hieron. 2. parte Episto. Epist. 10. *sanguis Christi clauis est paradisi. In cuius signum dixit ad latronem: Hodie mecum eris in Paradiso.*

7. Quod sit potentia Dei.

7. Exaltata est, quod facta sit robur & potentia Dei. 1. Cor. 1. *Verbum crucis pereuntibus stultitia est; his autem, qui salui fiunt, Virtus Dei* 1. Qua Dæ. mundum: omnia vicit. Ita 1. Cor. 1. *Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.*

1. Cõfundẽs fortia.

2. Martyres faciens.

2. Qua infirmi facti sunt Martyres tormentorum cõtemtores. Vere ait Seneca:

Magni animi est, iniurias in summa patientia pati. 3. Virtus, qua tot mira & magna patrantur; vt dicere nō sit. Quid enim crucis signo in Ecclesia non fit? 4. Virtus, cuius sola memoria sit potens contra diaboli tentamenta. Orig. *Tanta est vis crucis, vt si mente fideliter habeatur, nulla peccati præualere possit inuidia: sed continuo ad memoriā eius totius peccati & mortis fugiat exercitus.*

3. *Mira patrans.*

Crux assumenda est:

III. Quare si Dominus sit seruator per crucē, sui sunt perditores, qui eum sequi detrectant in via crucis; Aut crucem cultu debito nec colunt, nec amant. Dictum manet: Matt. 10. *Qui non accipit crucem suā, & sequitur me, non est me dignus.*

Ne exterminemur. Nam trahit.

Eze. 9. Angelus exterminator erat tātū non accipientium Thau in frontes. Ita Christus: at seruat sequaces sui. *Nā omnia traham*: vel, vt Græci legunt: *omnes*, scilicet electos ad crucem perducam mihi concrucifigendos. Gal. 6. *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis. Non sic carnales.* Ideo ib. *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Non sic cosmophili.

Obligat nos.

2. *Omnia traham*: i. sic omnes beneficio Crucis obstringam; vt citra scelus auerti à me non queant. Quid ni ergo, vt armiger Ionathæ, 1. *Reg.* 14. dicam Liberatori Domino, *Fac omnia, quæ placent animo tuo, perge quo cupis, & ego ero tecum, vbicumq; volueris.* Secutusq; eū est per rupes, cuneos, enses, mortes. 3. *Omnes traham*, excluso nemine paupere, diuite, illustri, vulgari. &c. Eiusdem ei sunt pretij omnes, Exod. 13. *Primogenitum hominis pretio redimes.* eodem: non hunc maiore, minore alium minorem.

Excludit neminem.

Vnde *omnes* pariter vnum sequi connitamur; vti tenemur. 1. Hucinuitat Apost. Hebr. 11. *Recogitate eum, qui talem aduersus semetipsum sustinuit à peccatoribus contradictionem; vt non defatigemini animis vestris deficientes.* 2. Gregor. *Si passio Domini ad memoriam reuocetur; nihil est quod non æquo animo toleretur. &c.* 3. Sicut, 4. *Reg.* 4. Eliseus amaras Iericho aquas immisso dulcorauit sale: ita aduersa omnia cruce fiunt prospera & salutaria.

Peroratio.

Quare Psal. 118. *In æternum non obliuiscar iustificationes tuas; quia in ipsis viuificasti me*: At per crucem iustificatio est omnis. 1. Cor. 1. *Verbum enim crucis pereuntibus stultitia est; his autem qui salui fiunt, Dei Virtus.* 2. Aeger, aut mortuus dormis? Ecce Cant. 8. *sub arbore malo* Crucis *suscitauite*: alia lectio. *cognouite*: q. d. crux lapis est Lydius probationis, quomodo in me crucifixū afficiaris. 3. Multa fecit, docuitq; Deus, vt agnosceretur Messias: at nūquam clarius & certius fuit cognitus pro eo, quam in Passione: Ita Christianus.

IN F. S. MATTHÆI APOSTOLI & Euangelistæ.

Vidit IESVS hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine: & ait illi; sequere me.
Mat. 19.

PHaraonis filia, viso in fiscella scirpea infante, vndis exposito inter harenta, eum miserata suscepit, nutririq; curauit, ac adoptauit in filium, vt in satrapis numeraretur. Fortunatus hic euentus: Felicior Matthæi, ad mare Tiberiadis sedentis in telonio; assumtiq; à Domino, inter Apostolos connumerandi.

De eo nos modo

I. *Quod magna sit gloria Deo ex conuersione peccatorum.*
II. *Quod videbat Dominus: sedebat Matthæus.*
III. *Quod vocabat Dominus*: sequebatur *Matthæus.*

IV. Qua

IV. Qua S. Matthæi Vita, Mors, Merita, præconia.

PARS I.

Gloria magna Deo ex conuersione peccatorum est.

Conuertere peccatores est Magnum:

I. Psal.28. *Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia*, ad trahendos peccatores pro gloria Dei, & vertendos in viros alios. Quod pulcre Isaias. 55. *Pro saliunca ascendet abies, & pro vrtica crescet myrtus: & erit Dominus nominatus in signum æternum.* Mutatio hæc dexteræ Excelsi Iesu optimi prædicatoris. Cyrillus ibi: *Pro peccatoribus surgent Apostoli, pro publicano Matthæus, pro Ecclesiæ persecutore Paulus, pro idololatris Doctores Ecclesiæ.*

Et Deo glorias.

In quo maior Dei relucet gloria; quã in creatione mundi. 1. Patet, ex eo Ps. 107. *Exaltare super Cœlos Deus, & super omnem Terram gloria tua:* Eccur obsecro? *Vt liberẽtur dilecti tui à* peccatis ac diabolo. Ergo Operum Dei maximum est peccatoris iustificatio, ait D. *Tho. Aqui.* Quia cætera omnia huc referũtur. 2. Ps. 144 *Miserationes eius super omnia opera eius.* 3. Isa. 46. *Dabo in Sion salutem* conuersionis; *&* ex hoc *in Ierus. gloriam meam.* Salus peccatoris est gloria Saluatoris.

Typus.

4. Ioab, 1. *Para.* 20. coronam capti Melchom regis Ammonitarum, & vrbis Rabba, auro gemmisque grauem Dauidi dedit, qui eam conflauit, formaque aliã parauit & gestauit. Ita Dominus peccata & vanitates captiuatas, commutat sibi in coronam gloriæ. Exemplo sit Matthæus.

PARS II.

Videbat Dominus, sedebat Matthæus.

Videre Christi est iustificari.

I. INambulans ad mare Dominus, vt piscaretur, piscãtibus discipulis, homines; *Vidit sedentem in telonio* extra muros Capharnaũ. Felix *Videre* hoc! Ps. 29. *Vidit Dominus, & misertus est mei.* Ideo orarat Ps. 24. *Aspice in me, & miserere mei.* Osolares oculos! Iob. 10. *Nunquid oculi carnei tibi sunt, aut sicut videt homo, & tu videbis?* Nõ sic; nõ. Misericordiæ tibi sunt oculi, hominibus feri. Ergo, Psal. 34. *Domine quando respicies? Restitue animam meam à malignitate eorum.*

Visionis Dei effectus magni.

Iacob de Messiæ oculis vaticinatus ait, Gen. 49. *Pulcriores sunt oculi eius vino.* id est. instar vini inebriant, lætificant, confortant, contristant, variosque producunt effectus. Liquet hic in Matthæo viso. Verũ hoc Eccl. 11. *Est homo marcidus, egens recuperatione, plus deficiens virtute, & abundans paupertate: & Oculus Dei respexit illum in bono, & erexit eum ab humilitate ipsius, & exaltauit caput eius: & mirati sunt in illo multi, & honorauerunt Deum.* in S. Matt. expletum hoc.

Maiores.

Cui non mirum; tam abiectos *constitui Principes super omnem terram?* Telonarium tam cito sequi vocantem? Vitam sectari tam Sanctam? Doctrinam auditam sic inscripsisse animo, vt mox inde exscriberet Euangelista? Tam constanter prædicare, mortemque subire? Effectus hi sunt oculi Domini Videntis. 1. Ps. 112. *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & Humilia respicit in cœlo & in terra? Suscitans à terra inopem,* nam semper auarus eget: *Et de stercore* telonij *erigens pauperem* in bene meritis. 2. Adeo Oculi Dei viuificant, plusquam oculus mundi sol panomphæus. 3. *Arist.* ait, esse serpentis genus, quod solo intuitu enecet: contra Deus. 4. Philosophi nunquam dicere causas sciuerunt, cur vis succini trahat festucas, magnetis, ferrum? Et Domini oculis vis trahendi inest, maxime exaltati: Ioa. 11. *Cum exal. fu à terra, omnia traham ad meipsum.* Causa quæ? Eius sola misericordia.

II. Sedentem in telonio. Sic omnis diues. 1. Psal. 9. *Quasi leo in spelunca sua insidiatur,*

vtra-

Dives insidiatur pauperi. *Mercator vt latro vtque corvus est.*

vt rapiat pauperem; rapere pauperem dum attrahit eum. 2. Ier. 3. *Expectans eos*, pauperes auarus, *quasi latro in solitudine*: Vel vt alia lectio, *quasi mercator.* Bella explicatio latronis. 3. Similis 3. Reg. 17. Vbi Eliæ alimoniam attulisse dicuntur *corui*; alia lectio habet *Mercatores.* 4. Vti & Psalm. 70. *Non cognoui literaturam*: alij legunt *mercaturam*; *introibo in potentias Domini.* q. d. Vix potest sperare beatit: qui mercaturæ inhiat, ob mille occasiones peccandi. 5. Ideo Zach. 14. *Non erit mercator vltra in domo Domini*: prisci legunt, *non erit fraudulentus.* Bona explicatio.

Miraculum circa sedentem.

1. *Sedentem*: & q. incubantem pecuniis auide. Et talem omnium pauperrimus vocat ad se? Et talis talem protinus sequitur vocantem? Quæ hæc miracula? Quæ vis, aut causa? Et vocari è telonij ignominia ad gloriam apostolicam? Quæ hæc dignatio pariter & clementia? Auri cupidū ex charybdi cupiditatis extrahi, vt sit cœli cupidior?

Auaritia malum.

At quam difficile, diuitem intrare ad nuptias? Testis emptor boum. Luc. 14. *Iuga boum emi quinque, & NECESSE habeo probare illa.* Ea cupiditas auri vocatur alubi Idolorum seruitus; alubi dicuntur ideo à fide aberrasse. 1. Timoth. 6. *Auaritiam multi sectantes à fide aberrauerunt.*

Sperādum semper peccatori.

Demum vocatur publicanus, ad Apostolatum etiam, ne quisquam peccator diffidat Deo: 1. Cuius *ibi abundat gratia, vbi superabundauit delictum.* 2. Expertus ait, Psalm. 129. *A custodia matutina vsque ad noctem.* id est, semper *speret Israel* peccator *in Domino.* Cur? *Quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemtio.*

Gradus tres peccati.

2. *Sedentem.* Nota gradum peccati, qui triplex: Psal. 1. *Beatus vir*, 1. *Qui non ABIIT in consilio peccatorum.* id est, se non addixit peccato: 2. *Et in via peccatorum non STETIT.* id est, in pecc. non perseverat: 3. Et in cathedra pestilentiæ non SEDIT. id est, non pec. delectatur. S. Matthæus sedebat in auaritia.

PARS III.

Vocabat Dominus, sequebatur Matthæus.

Secutus est vt 1. Apostolus. *2. Martyr.*

I. *Sequere me*, 1. In Vita ab quæstu rerum pereuntium, ad perpetuarum, à mūdi prosperitate ad tribulationem crucis, ab auaritia ad vol. paupertatem. 2. In morte ad vitam, per crucem variam, mundumque calcatū. Ipse autem Mich. 2. *Ascendit, pandens iter ante eos.* Ioan. 16. *Vado parare vobis locum; vt, vbi Ego sum, illic & minister meus sit.* 3. Post mortem ad iudicium iudex. Nam Isa. 3. *Dominus ad iudicandum veniet cum Senibus populi sui, & Principibus eius.* At Psal. 44. *Constitues eos* Apostolos *Principes super omnem terram.* His promissum, Matth. 19. *Sedebitis super sedes XII. iudicātes XII. Tribus Isr.* Ergo *Sequere Me.*

3. Iudex.

Vocat & mundus.

II. *Sequere me* etiam oggerit Mundus, caro, diab. 1. Aug. ser. 31. ad fra. in Ere. *O MVNDE proditor, cuncta bona promittis: sed cuncta mala profers. Promittis vitam, sed profers mortem: promittis gaudium, largiris mœrorem.* &c. 2. Caro occinit, *Sequere me.* Aug. ser. 49. *Caro, cum satiatur affluentissimis cibis & potibus, hortatur ad omnia mala. prouocat homicidia, adulteria; inserit ebrietatem, potat omnem sæculi concupiscentiam.* 3. Diabolus acclamat, *seq. me:* & in pedicas inducit, inque necem.

Et Caro.

Et diabolus.

Desistunt sequaces eorum vanitatis.

De istis 1. Iudic. 2. *Dimiserunt Dominum Deum patrum suorum, qui eduxerat eos de terra AEgypti* peccati; *& secuti sunt Deos alienos,* & terrena. 2. Iere. 2. *Sacerdotes mei dixerunt: Vbi est Dominus? Et tenentes Legem nescierunt me; & Pastores prævaricati sunt in me; & Prophetæ prophetauerunt in Baal, & idola secuti sunt,* &c. Quam ista hodieque sunt vera? Heu!

Quare, Iere. 35. *Conuertimini vnusquisque à via sua pessima; & bona facite studia vestra;*

vestra: & nolite sequi Deos alienos luxuriæ, odij, auaritiæ, &c. Elias clamat, 3. Reg. 18. *Si Dominus est Deus; sequimini eum.* At Deum agnoscitis: *Sequere.*

Vocatio efficax. III. *Et surgens secutus est eum.* 1. Vox Domini vox virtutis est: Psalm. 67. *Dabit voci suæ vocē virtutis*: quia peregre exit homo à mundanis, propriis, à seipso. Attamen *Vox* vicit: Iob 25. *Vestigia eius secutus est pes meus.* 2. Dein vis vocis eo patet: quod *secutus est eum* nullo adhuc viso miraculo. Plane, Psalm. 17. *In auditu auris obedijt mihi.* 3. Et sic, vt non redierit ad teloniũm, vt Petrus ad piscaturam. Philosophi, ait *S. Ambr. l. de Abraham*, hanc gnomen inculcabant olim hominibus prouerbialiter: *Sequere Deum.* si tunc, maxime nunc.

Sequela in Paupertate. *Secutus est eum*, 1. in Paupertate, Matt. 8. *Vulpes terræ foueas habent, & volucres cœli nidos: Filius autem hominis non habet, vbi caput suum reclinet.* Lucas, 5. ait, *relictis omnibus surgens, secutus est eam*: Vbi Glossa ex Beda: Matthæus reliquit propria, qui *rapere solebat aliena.* 2. Secutus in Humilitate. 1. Matth. 11. *Discite à me, quia, &c.* 2. Matthæus ipse, c. 9. telonariam suam describit; quod per humile. 3. Quin ibidem dat probro Pharisæis scandalizatis ac dicentibus: *Quare cum publicis & peccatoribus manducat Magister vester?* Quo & se peccatorem confitetur; cum Lucas eius nomen ideo honesto silentio inuoluat. 3. Secutus in Obedientia. Nam Phil. 2. *Factus est obediens vsque ad mortem.* Euthy. in c. 9. Luc. *Admirare perfectam eius, qui vocatus est, obedientiam; neque consultauit apud se, vel amicum; seu confestim surgens reliquit mundum totum.* Efficax vocatio hæc.

Humilitas. In Obedientia.

Vocatio duplex 1. Sufficiens. 2. Efficax. *IV.* Duplex autem est Vocatio ad salutem. 1. Communis, seu sufficiens, quæ fit leniter cum inductione Voluntatis. Vt illa Matth. 16 Luc. 9. *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum.* 2. Singularis & Efficax; quæ fit potenter. 1. Vt Matth. 4. *Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum.* Ecce vocationem absolutam, non mere voluntariam. 2. Vis subest. Vt Ioann. 6. *Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eam.* 3. Id orat sponsa, Cant. 6. *Trahe me post te in odorem vnguentorum tuorum.* 4 Osee 11. *In funiculis Adam trahat eos.* Ioan. 12. *Ego, si exa. fu. omnia trahã ad me.*

Exempla. 5. Vocationis libertatem & Vim docet typus Gen. 19. Angeli suadent duobus generis Lothi, venturo exirent incendio: nolebant, & peribant. En voluntariam: Lothum vero manu prensum eduxerunt: En violentam vocationem. 6. Iterum, Ad nuptias vocati multi; non venerunt: dein denuo emissi ad vicos. &c. compulerunt intrare claudos, &c. cos. &c.

Deus omnium est Dominus. Hinc etiam patet Dominum esse vniuersorum Deum Iesum, animæ scilicet, corporis, ac fortunarum. Nam Matthæum adeo auulsit ab omnibus, vt sibi seruiret: Sic asinam & pullum adduci iussit, & possidebat. Corpora quot sanauit? Animorum cogitationes quoties vidit?

PARS IV.

De S. Matthæi Vita, Morte, meritis & præconiis.

Fit Apostolus. I. EX imo Dominus eum ad summa euexit. Nam 1 Cor. 12. *Posuit in Ecclesia Deus primum Apostolos* Principes. Dicat Matth. Psalm. 39. *Eduxit me de lacu miseriæ, & de luto fœcis; & statuit supra petram pedes meos:* factum septimum Apostolorum: Cui *Apocal.* 21. competit in fundamento *Chrysolitus.*

Chrysolito similis. Hæc Matthæi petra. Eum ait *Plin. l.* 37. *c.* 9. aurei esse coloris, ardereque scintillantem: addit *Isidorus l.* 56. marinum colo-

rem præferre. Sic Matthæus auaritiæ mari similis primum, cui & assidebat: dein ardenti charitate Christo inhæsit, prædicauit Christum, scripsit Euangelium, miraculis coruscauit. In quibus hoc: quod protinus rem telonariam auri, argen. & rationum reliquerit: alij Apostoli solam piscatoriam; Quæ quanto vilior præ illa; tanto sequela difficilior Matthæi fuit. Et tamen *secutus est eum.*

Prædicatio. Prædicandi munus in sortitione ei obtigit per Aethiopiam obeundũ. teste *Orig. in Gen. Euseb. l. 3. Socrate l. 1. c. 15. Dorothæo in synopsi.* Alij tamen Macedoniam, aut Syriam, aut Iudæam adsignant.

Prærogatiua. Dominus Petri ædes adiit sanans socrum ęius febrientem: Et Matthæi, discumbens cum public. & peccatoribus. Matt. 9. Aliorum discip. domum adisse non legitur. Gratiæ hæc specialis, ad solatium peccatorum.

Nomen. Ante vocationem, teste Abulensi, erat ei nomen *Leui*: post voc. Dominus eum nominauit *Matthæum*: sic & Metaph. & Ianse: Contra S. Hier. *Matthæus* inquit, *cognomento Leui.* Abulensis ait: *Leui non erat nomen principale; sed Matthæus.* Assentior.

Officium telon. In Officio peccasse eum, aiunt S. Patres. (Non tamen id peccandi affert cuiquam necessitatem; sed occasionem volenti.) S. Chrysologus ser. 28. *Matthæum diuitiæ fornace auaritiæ sic coquebant, sic alligabant vinculis cautionum, sacculorum ponderibus sic premebant, vt se ad innocentiam leuare non valeret.* Attamen, Hier. in 9. Matth. *Videbant Publicanum, à peccatis ad meliora conuersum, locum inuenisse pœnitentiæ.*

Publicani an omnes soli gẽtiles. Et quales nam erant Publicani? Tert. l. de pudic. c. 9. *Si quis dubitat, ethnicos fuisse publicanos apud Iudæos; legat Deut. in quo leget:* Non erit vectigal pendens ex filiis Isr. *Nec tam execrabile est nomen publicanorum apud Dominum, nisi extraneum, vendentium ipsius cœli & terræ, & maris transitus.*

Iudæi erãt. Contradicit S. Hier. Epi. 146. ad Damasum: Docet Matthæum fuisse origine Iudæum: vti & ille, *Luc.* 10. iustificatus. 2. Luc. 7. *Omnis populus, & publicani iustificauerunt Deum, baptizati baptismo Ioannis.* 3. Neque ethnicis in templum patebat ingressus, nec ad conuiuia; quo publicani secuti sunt Christum: qui Matth. 5. *non venit soluere Legem, sed adimplere.* 4. Nec alienigenam Dominus in Apostolum assumsit. Act. 5. *Ecce omnes, qui loquuntur, Galilæi sunt.*

Romanis honorati. Publicani erant honori Romanis: Teste M. Tullio pro Planco. *Flos equitum Romanorum, ornamentum ciuitatis, firmamentum Reip. publicanorum ordine continetur.*

Iudæis exosi. At Iudæis telonarij erant perosi & abstenti. Causam dat Abulen. in Comm. ad prol. D. Hier. 1. *Quia habebantur vt peccatores: quod talia officia vix sine peccato fieri possint.* 2. Idem Ians. cap. 13. Concordiæ, Additque; *Quia Romanorum tyrannidi inseruiebant, qua contra Legem Dei se premi putabant.* Ita & Baron. to. 1. Annal. Et Caiet. in 9. Matth. *Quia ministri erant gentilium, in damnum populi fidelis.*

Et peccatores. Infames igitur erant, vt peccatores publici. Vnde Dominus Matth. 5. *Nonne & publicani hoc faciunt?* Matth. 15. *Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.*

Est primus Euangelistarum. Adhæc Matthæus inter 4. Euangelistas fuit primus: Scriptum Euang secum circumtulit, impositum ægris sanauit ipsos, sepeliri secum iussit, & hoc fecit S. Barnabas: qui dein ad illum fuit tumulatus. sic *Theodorus Lector l. 1. Collect. Niceph. l. 16. hist. Alexander in vita S. Barnabæ.*

Animal præferens hominem, *Ezech.* 1. *Apoc.* 4. Matthęum denotat. Causa: quia in Hu-

Humanitate Christi describenda totus est.

Scripter Christi humanita. & exemplator.

Alatus pingitur, ob cœlestium cõtemplationem ac desiderium. Ps. 54. *Quis dabit mih. pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam,* in cœlis? Ps. 117. *A Domino factum est istud*, in spem & exemplum peccatorum.

Enuntio.

Qui igitur dicant, Psal. 30. *in te Domine speraui, & non confundar in æternum.* Dominus de tali: Ps. 90. ait, *Cum ipso sum in tribulatione; eripiam eum, & glorificabo eum.* Vere ipse est, Tob. 3. *Qui post tempestatem tranquillum facit.* Qui Tob. 13. *Ad inferos deducit, & reducit.* Quoniam Ps. 129. *Apud Dominum misericordia, & copiosa redemtio.*

IN FESTO S. MICHAELIS Archangeli.

Archangele Michael, constitui te Principem super omnes animas suscipiendas.

I. SEnnacherib, 4. *Reg.* 19. 2. *Par.* 32. *Isa.* 36. Assyriorum Princeps, Ierosolymam obsidens, vltima ei comminabatur. Et ecce Angelus vna nocte occidit octuagintaquinque millia hominum in castris superbi. Talis S. Michael Angelorum Princeps, & animarum.

Super quo nos

I. De *Angelorum nostri custodia.*
II. *Quod* Phylachangeli *hominum sunt deuote colendi.*
III. De *effectibus nonnullis custodiæ Angelorum.*
IV. De *portis quatuor humanis per vtrosq; Angelos obsessis.*
V. De *Sancti Michaelis inter Angelos præcellentia generatim.*
VI. *In qua Hierarchia speciatim sit Princeps, in primane, an tertia.*

PARS I.

De Angelorum custodia nostri.

Inferiora reguntur per superiora.

I. COnstans Theologorum, consentiensque Philosophorum doctrina est; Deum inferiora hæc regere per media. Tria etiam Vniuersi sunt loca præcipua. Supremus, Dei, *qui in altis habitat, & humilia respicit in cœlo, & in terra* Luc. 2. infimus hominum & animalium. Medius, Beatorum Spirituum. Inferiora superiorum influxu tuetur Deus: idq; per temporũ, tempestatumq; vicissitudines aptas generationi rerum, & corruptioni.

At homo ab Angelo.

Homo autem, ex corpore & anima compactus, corpore quidem ab superioribus istis dependet: hac autem cœlis, & quæ infra, est altior. Ideo huic tutelarem Deus dedit Eugenium. Inde Psaltes 8. *Qui fecit Angelos suos spiritus, & ministros suos ignem vrentem.*

Magni amoris Dei id signum est.

Permagnum id Dei in nos beneuolentiæ, ac curæ argumentum: Magnũ, quod homini cœlos, orbemq; & creaturas omnes condiderit. Miratur Ps. 103. *Quid est homo, quod memor es eius? Minuisti eum paulo minus ab Angelis. Omnia subiecisti sub pedibus eius.* Parum tamen hoc amanti: Angelos addidit prædagogos nobis.

At maius, quod omnes Angeli homini deseruiunt.

II. Atq; hosce omnes deseruire nobis voluit: exceptis Cherubinis, Seraphinis, Thronis quorum est tantum Numini assistere. Vnde Hebr. 1. *Omnes sunt administratorii Spiritus, an ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.*

Hoc plus homo tenetur seruire Deo.

Quo amplius sibi nos Deus obstrinxit, quod saluti nostræ promouendæ in hæreditatem filiorum, suos Dei Filios ad nos destinarit. 1. Ita apud Iob eos nominat ipse. *Quis dimisit lapidem angularem eius, cum me laudarent simul astra matutina, & iubilarent omnes filii Dei?* 38. 2. Ezechiel iam *lapides*, ob fortitudinem; *ignitos*, ob amorem, appellat, capit. 28. *& tu Cherub*

1. *Quia, ij nobiliores.*
2. *Angelorũ Tituli.*

extentus, posui te in monte sancto Dei; in medio lapidum ignitorum ambulasti.

3. Sunt præsidiarij nostri, & necessarij.

III. 3. Isaias, ca. 62. eos vt præsidiarios, ac bellatores describit. *Super muros tuos, Ierusalem constitui Custodes: tota die, ac nocte non tacebunt.* Per Ierusalem genus humanum intellige. Ideo Psalm. 33. *Immittet Angelos Domini in circuitu timentium Eum,* &c.

Quia hic omnia turbata sunt.

1. Sicut Rex plurium prouinciarum; si vna turbet, ex alia pacifica immittit in illam, & submittit præsidiarios: ita è cœlo Deus in terram Angelos. Cœlum est pacatum. Psalm. 147. *Qui posuit fines tuos pacem.* At mundus turbat, dicens: *Quis noster Dominus est?* Et *Nolumus hunc regnare super nos.* Et, *Non habemus Regem, nisi Cæsarem.* Ideo huc missos suis alit stipendiis Angelos nobis iam ab annis pene sexies millenis.

Certi sunt vigiles.

2. Quid tibi vis Sponsa, quæritans Sponsum ac dicens, Cant. 5. *Inuenerunt me vigiles qui custodiunt ciuitatem?* An, (vt Ambros. & Rupertus exponunt,) Angelos designabas? Nam qui certiores ciuitatis Dei sunt custodes?

4. Sunt fortes atnobiles.

3. Deinde Cant. 6. *Quid videbis in Sunamitide, nisi choros castrorum?* Id est Angelorum; ac talium, qualis Danieli visus, cap. 10. *habens brachia ferrea* roboris, & *Chrysolito* nobilitatis *vestitus.*

Certe *Orig. hom. 1. in Iosue*, missos ab Iosue in Iericho exploratores, ait figuram gessisse Angelorum in nos curæ.

5. Sunt præsides.

Sanct. Greg. lib. 4. Moral. exponens istud: *Cum Regibus, & Consulibus terræ; qui ædificant sibi solitudines:* ait hos Angelos esse, qui terræ præsunt, & consulunt. Hieron. in 25. Iob. *Columnæ cœli contremiscunt, & pauent ad nutum eius:* Angelos hic intelligit confirmatos in gratia, orbis sustentatores, Deique veneratores.

PARS II.

Phylacangeli huminum deuote sunt colendi.

Hierarchia tres.

I. TRes Hierarchiæ sunt, & cuique tres chori. Sic ex S. Dionysio Theologi. Prima Hierarchia similis Regum, Ducum, Comitum. Secunda, Nobilium, Consiliariorum, Tribunorum. Tertia, Consulum, Prætorum, Commissariorum, Iudicum inferiorum.

Innumeri sunt.

Sunt innumeri. 1. Dan. 10. *Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei.* Iob 28. *Nunquid est numerus militum eius?* 2. Thom. part. 1. quæst. 50. art. 3. ait, Plures esse Angelos, quam sub cœlo rerum sint corpora: quantumque dignitate, tantum & numero superare.

3. *Artic.* 4. ait, singulos specie differre; vt aquila ab columba. 4. Vbi Arist. axioma verum: *Rerum species numerorum rationem imitari.* Vt igitur numerus numerum superat: Sic angelus angelum.

Pulcerrimi sunt.

Quare. 1. Si ex infimo choro apparens Danieli tanto micabat fulgore vultus, vt ab eo pene exanimis corruisset; quanto coruscabit eius superior, & ab hoc alter; sicque ascendendo: cum vnus in se alterius contineat pulcritudinem, simul & suam? Quanto omnes? Quanto Deus?

2. Certe S. Dionys. lib. de diu. nom. ca. 4. *Angelus*, inquit, *est imago Dei; manifestatio inuisibilis lucis, speculum purum, lucidissimum, immaculatum.* 3. Anselmus ait: Si Angelus stelliferum subiret cœlum, & omnes stellæ in soles verterentur, fore tamen superandas angeli fulgore ac pulchritudine.

4. Vnde quem speciosissimum dicere volumus, dicimus, vt Lucas, *Act.* 6. de S. Stephano: *Intuentes eum omnes, qui sedebant in Concilio, viderunt faciem eius, tãquam faciem*

faciem Angeli. Et Esthera ca. 15. *Vidite Domine, quasi angelum Dei, & conturbatum est cor meum præ timore gloriæ tuæ. Valde enim Mirabilis es Domine, & facies tua plena est gratiarum.*

Cur hi sint custodes nostri.

II. Atque ij tales in miſellorum noſtri cuſtodia excubant; tamque ſedulo, 1. ſicut Iacob eos per ſcalam vidit aſcendentes ſedulo, ac deſcendentes, *Geneſ.* 28. Vbi Bernard. *Nunquid ſedentem vidit quemquam? Certe non. Quia non habemus hic manentem ciuitatem; nec futuram adhuc poſſidemus, ſed inquirimus. Et vt eam conſequamur, & in ea eis ſimiles ſimus, angeli ſummo ſtudio aſcendunt & deſcendunt*, ſoliciti pro nobis. 2. Idcirco iſtud: *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum.* Hieron. vertit, *Circundat Angelus Domini in agro timentes eum.* LXX. vero legunt ſic: *Caſtra metatur Angelus Domini in circuitu timentium eum.* Quæ omnia curam innuunt. Nimirum Deus eſt, qui Pſalm. 90. *Angelis ſuis mandauit de te.*

Exemplum cuſtodiæ.

1. Oſtendit id Eliſæus ſuo Giezi, 4. *Reg.* 6. trepidanti ob copias Syrorum obſidentium vrbem: *Aperuit Dominus oculos pueri, & vidit; & ecce mons plenus equorum, & curruum igneorum in circuitu Eliſæi.* 2. Iacob, *Geneſ.* 32. metuebat Eſau ſibi inimicum ab infantia, & ecce *Fuerunt ei obuiam Angeli. Quos cum vidiſſet, ait, caſtra Dei ſunt hæc.* Hi venerant ipſi ſolatio, auxilioque, vt ferus miti nocere non poſſet.

3. Ecce, Cant. 6. *Lectulum Salomonis LX. fortes ambiunt, ex fortiſſimis Iſrael, omnes tenentes gladios & ad bella doctiſſimi; vniuſcuiuſque enſis ſuper fœmur eius, propter timores nocturnos.* Pluris autem eſt anima cuiuſque, & ea vere lectulus Dei. Hanc circumquot, quales? Pſ. 102. *Benedicite Domino omnes Angeli eius, Potentes virtute, qui facitis verbum eius.*

Alia.

Sique in V. T. homines ſic ab iis cuſtodiebantur; quanto magis in Nouo; cum ſint Templa Dei? Quare Eccl. 33. *In conſpectu Angelorum nolite timere.* 1. Expertus id Daniel, cap. 6. *Deus miſit Angelum ſuum, & obturauit ora leonum, & non nocuerunt mihi.* 2. Idem & Iuditha, cap. 18. *Viuit Dominus, quoniam cuſtodiuit me Angelus eius, & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc reuertentem.* 3. Quia *Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis*: in viis gratiæ, peccati, vitæ, mortis, &c.

Quo deuotius ſunt colendi.

III. Obſtupeſce, tanti abs Deo te fieri: tantamque Angelorum obedientiam. Quid plura? Quinimo, Ioann. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret*: Quanto magis Angelum? Bern. in iſtud: *Angelis ſuis mandauit*, &c. Sic ait. O *quantam debet tibi hoc verbum inferre reuerentiam, afferre deuotionem, inferre fiduciam? Pro præſentia reuerẽtiam; pro benevolentia deuotionem; pro cuſtodia fiduciam*; quaſi dicat: Obligatus ad ea teneris.

Promti ſunt in cuſtodiano ſtri.

Vt eorum in ſeruitio noſtri promtitudinem deſignet Scriptura, alatos deſcribit. Iſa. 6. *Erant ſex alæ vni, duabus velabant faciem eius, duabus pedes; & duabus volabant.* Ita & quemque ſub alis protegunt. Dionyſius *l. de cæl. hier. c.* 15. fieri alatos ait; ob promta eorum auxilia: Nudipedes; ob ſecretionem eorum puram à terrena contagione.

Ethnicis nõ ignorati.

Vel ethnici philoſophi ſenſerunt, eſſe cuſtodes hominum euangelos. Seneca Epiſt. 3. *Quibuſdam placet, vnicuique noſtrum pædagogum dari Deum, non quidem ordinarium, ſed hunt inferioris notæ, ex horum numero, quos Ouidius ait de plebe Deos.*

PARS III.

De effectibus cuſtodiæ Angelorum nonnullis.

1. Subtrahunt ma'a.

TVtelà vero Angelorum quatuor in effectibus eorum conſiſtit. *Primo* in ſubtractione occaſionis peccandi. Iſtud fit tripliciter. 1. Arguendo peccata præ-

terita; vt homo caueat. Sic, *Iud.* 2. Angelus Israelitis commissa obiectat; eos obiurgat, vt veniam rite precati lacrymis ea quoq; eluerent. 2. Auocando à præsenti peccato. Sic, *Gen.* 19. Lothum subduxerunt Angeli incendio Sodomæ. 3. Impediendo futura peccata, Sic, *Num.* 22. Balaam maledicturus Israelitis retardatur ab Angelo.

2 Defendunt à malis.

Secundo. Custodia angelica consistit in Defensione. Idque fit trifariam. 1. Vim dæmonum cohibendo, quo minus valide impellant ad peccandum. Sic, *Tobiæ* 8. *& Apoc.* 20. Angelus dæmonem vinciuit. 2. Vim concupiscentiæ infringendo. In signum huius, Gen. 32. Angelus *tetigit neruum fœmoris Iacob, & statim emarcuit.* Fœmur animæ est concupiscentia: nerui huius sunt passiones. 3. Memoriam Dominicæ Passionis refricando. Signauit id Angelus, qui impressit *Signa Tau super frontes virorum gementium.* Ezechielis 9.

3. Saluti hominum deseruiunt omnes.

Tertio. Conuitit in eo, quod *omnes administratorii spiritus sunt.* Heb. 1. Et quidē 1. *Seraphini*, ad corda amore incendenda. Sic Isaias *c.* 6. expertus, ait: *Volauit ad me vnus de Seraphin, & calculo, quem forcipe tulerat de altari*, &c. 2. *Seraphini* ministrant scientiam. Sic *Apoc.* 10. *&* 18. tenens volumen, orbem illustrauit. 3. *Throni* ministrant iudicia, leges, regimina. Vnde Act. 8. *Accepistis legem in dispositione Angelorum.*

4. *Dominationes* mittuntur, vt sensum rationi subiiciant. Talis suasit Agari, vt redeat ad heram, seque ei submittat: *Gen.* 21. 5. *Virtutum* est, miracula edere. Sic Raphael Tobiæ *c.* 11. visum restituit, dæmonem compescuit, &c. 6. *Potestatum* est dæmones coercere, vimque eorum retundere. Ita, *Exod.* 18. Angelus se inter Israelitas, & Aegyptios medium constituit, hos ab iis arcendo.

7. *Principatuum* est, tueri Præsides maximos, & medioximos. Sic *Dan.* 10. Monarcha Persarum, Græcorum, Iudæorū ab Angelis suis edocentur. 8. *Archangelorum* est, assistere Præsulibus ac Præfectis. Vt Gabriel Zachariæ Pontifici, *Luc.* 1. 9. Angelorum est, singulos homines custodire. Vt qui, 3. *Regum* 9. Eliæ aquam, & subcineritium attulit.

4. Consolantur nos.

Quarto: Munus Eudæmonum est Consolari. Vt Zacharias c. 1. *Angelus Domini loquebatur in me verba consolatoria, & bona.*

PARS IV.

De Portis quatuor humanis, per vtrosque Angelos obsessis.

APoc. 7. *Vidi quatuor Angelos stantes super quatuor angelos terræ, tenentes quatuor ventos*, vel tribulationum, vel 4. Passionū. Est enim homo, vt ciuitas in quadro posita, cum quatuor portis passionum. Ad quamque excubat bonus, & malus genius.

1. Porta Gaudii vani.

Porta prima Orientis est, Gaudij vani. Vbi Asmodæus, cum turmis quatuor assidet. Prima turma est Lusus tripudiorum, Chorearum, Cantuum. Secunda turma, vanitas iuuentutis: Luxus vestium: fucus mulierum: historiæ venereę. Tertia, Epulæ, Impudicitiæ, inimicitiæ, scurrilitas. Quarta est Venerea turba omnis generis.

Et mœroris pij.

Econtra Phylacangelus Raphael ad Primam portam Orientalem, quæ & pij mœroris, assidet quatuor ei radios immittens. Primū, Cognitionis suiipsius; quis fuerit creatus; qui factus. Secūdum. Cognitionis peccati sui: & aliorum. Tertium. Cognitionis mundi fallacis, pellacisque. Quartum. Cognitionis Dei Creatoris, iustificatoris, glorificatoris. Hinc Bern. *Clamat mundus. Ego deficio. Clamat caro: Ego inficio. Clamat dæmon: ego decipio. Clamat Christus: Ego reficio. Vide ergo, quem sequaris.*

Secunda

1. Doloris mundani.

Secunda porta Occid. est doloris mundani. Hanc oblidet Angelus exterminator malus. Sensit Ps. 17. *Inuenerunt me labores mortis, & dolores inferni circundederunt me.* Ad hanc Abadon, Spiritus diuisionis & exterminij constituit quatuor agmina. *Vidi*, ait Apoc. 9. *Angelos in visione* Primus est odiorum, suspicionum, perfidiæ, vindictæ. Secundus murmurationis, detractionis, discordiæ, blasphemiæ. Tertius. Belli, cædum, incendiorum, despoliationum vi, & fraude, regnorũ ruinæ. Quartus proditionum, falsorum iudiciorum, testium, &c.

Et Gaudii pij.

E contra Eugenius Michael cum gaudio pio. Phil. 4. *Gaudete in Domino semper iterum dico gaudete.* Istis quatuor turmis obiectat 4. radios immissos animo. Primus est gratiæ confortantis in aduersis. Phil. 4. *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Secundus gratiæ humiliantis sub manu Dei cum patientia parata. Tertius gratiæ exultantis. Sic Actor. 8. *Ibant Apostoli gaudentes à conspectu Concilii; quoniam digni sunt habiti pro Nomine Iesu contumeliam pati.* Quartus gratiæ inflammantis voluntatem & desideria pia.

3. Præsumtionis.

Tertia porta meridionalis, est Præsumtionis. Hic Bohemor quatuor struit acies, dicentium: *Posuimus mendacium spem nostram & protecti mendacio sumus.* Isa. 28. Prima est Obliuionis Dei, Votorum, Fidei, Sacramentorũ, peccatorum, consiliorũ piorum. Secunda est Scandali, Consuetudinis in peccãdo, iactantiæ de peccato. Tertia est Irreuerentiæ, hypocrisis, curiositatis, vanæ gloriæ. Quarta est Glorię mundi, Ambitionis, Luxus, Auaritiæ.

Et Timoris Dei.

E contra Angelus Azarias cum Timore Dei, vt in *Apoc.* 4, istis triplex lumẽ obiicit. Primum Timoris Dei; qui occinit: Eccl. 15. *Qui timet Deum, faciet bona.* Secundum, Honoris Dei. Vnde *Apoc.* 4. sic Angelus iubet: *Date honorem illi.* Et Prou. 7. *Honora Dominum, & valebis* Tertium, Iudicii diuini motus. Hinc *Apoc.* 14. *Angelus ait: Timete Deum; quia venit hora iudicii eius.*

4. Metus infandi.

Quarta porta septentrionalis, est Metus: *Ibi trepidauerunt timore, vbi non erat timor.* Psal. 52. Hic quatuor cohortes Satanicæ excubant. Prima, Dubitationis de Fide, Vitæ prolongatio sperata, mendacia. Secunda, Complacentia in peccato, horror satisfactionis, mala conscientia. Tertia. Mala consuetudo, excæcatio, hæresis, ignorantia. Quarta, Dilatio pœnitentiæ, præsumtio de misericordia Dei.

Et bonæ spei.

E contra Gabriel cum Spe bona consistit acclamans, Eccl. 2. *Aspicite filii nationes hominum, & scitote; quia nullus speravit in Domino, & confusus est; permansit in mandatis eius, & derelictus est.* Simul spem triplicem suggerit. Primam Fide plenam spem de meritis Crucis ac Passũ Iesu. Secundam spem prouidam, quærens ac sibi demerens auxilia in futurum. Ierc. 17. *Spes mea Tu, in die afflictionis.* Tertiam spem fidelem in promissa facta, iis innixam.

Thalmudica Dei quadrigæ ficta.

Cabalistæ Rabini Thalmudici fingũt Dei currum quatuor angelis trahi: Et gemmas esse quatuor: Michaelis à dextris, vnde felicissima quæque fluant: Gabrielis à sinistris; vnde afflictiones: Raphaelis mixta ex prioribus: Vrielis, quæ omniũ esset gubernatrix ac dispensatrix. At nugæ. Nam Psalm. 67. *Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium, &c.*

PARS V.

De S. Michaelis inter Angelos præcellentia generatim.

Angeli cogniti.

I. ANgeli tres soli de nomine, ex *S.* Scriptura sunt indubitati. Michael *Dan.* 10. 12 *Iudæ Canonica. Et Apoc.* 4. Gabriel, *Dan.* 8. 9. *& Luc.* 1. Raphael. *Tob.* 3. Cætera non agnoscit Traditio: irrepserunt ex Cabala Hebræorum Vriel, cum lib. 4.

lib. 4. Esdræ, qui non est Canonicus: aliaque plura.

S Michaelis heroica seu diuina facta.

Michaelis opera multa. 1. Abrahę ictum suspendit, *Gen.* 22. immolaturi filium. 2. Cum Iacob *Gen.* 32. luctatus est. 3. Moysi, *Exod.* 3. apparuit in rubo ardenti, eiusque defuncti corpus abscondit. 4. Per Gedeonem & trecentos viros fudit exercitum Madianitarum: *Iudic.* 6. 7. 5. Vna nocte 4. *Regum* 19. occidit Assyriorum octoginta quinq; millia. 6. Aegyptum *Exo.* 8. tot plagis percussit. 7. Israelitas ex Aegypto eduxit, & per mare perduxit: *Exod.* 14. 15. 8. Transtulit Abacuc cum prandiolo ex Palæstina in Babylonem ad Danielem in lacum, *Dan.* 4. 9. Adolescentes tres, *Dan.* 3. in camino perorauit.

Hæc in V. Test. Quanto mirabiliora in Nouo? 1. Probaticam, *Ioann.* 5. mouit; & morbi genus omne amouit. 2. Nato Seruatore Ipse concinentium Angelorum est Choragus. 3. In futuro iudicio Tubicinum princeps est ipse futurus.

4. Armorum Passionis Dominicæ in iudicio. 1. *Thess.* 4. gestator & ostentator magnificus erit S. Michael. *Michael Archangele, constitui te super animas suscipiendas,* &c.

Est vnus è 7. assistentibus Domino.

II. Equidem existimo Ipsum esse vnũ è septem Spiritibus, qui Domino Dominantium assistunt; qui aliis delegant angelis, quæ in terrarũ Dominiis sunt peragenda. 1. Apoc. 8. *Vidi 7. angelos stantes in cõspectu Dei.* 2. De iisdem Generalibus mundi Oeconomis & Raphael est, Tob. 12. *Ego sum Angelus Raphael, vnus ex septem, qui astamus ante Dominum,* 3. Clemens Alex. l. 6. Strom ait: *Septem sunt, quorum est maxima potentia, primogeniti Angelorum Principes.* Atq; *Ecce & Michael, vnus de principibus, mihi venit in adiutorium.* Dan. ait: c. 10. 4. Vidit Ioannes, *Apoc.* 14. lampades septem diu noctuque collucentes ante Deum, quas angelos esse, aut horum Principem dixero Michaelem.

Hic est Argistrategus *Angelus*, qui *immittet.* LXX. vertunt, *castra metabitur,* Hieronymus, *circumdabit in gyro*, vel *circuitu timentium eum*, Psalm. 33. Hic acies Phylacangelorum struit. Testatur, Apocal. 12. quod *factum est prælium magnum in cœlo: Michael & Angeli eius prœliabantur cum Dracone.* Magnum: nam de re vna omnium maxima depugnabatur: Num Deo summa gloria danda? Vel (vt *Bern. serm. 17. in Cant. Alex. Halen. p. 3. q. 70. in 4. Lact. l. 2. c. 7.*) num Christi Humanitas adoranda sit?

Est Archidux Exercituum Domini.

PARS VI.

In qua Hierarchia Michael sit Princeps in prima an tertia?

I. IAm, quo in ordine hierarchico sit Michael constituendus, non id equidem communi assentior Theologorum sententiæ, qui ad primum tertiæ hierarchiæ ipsum referunt, ex S. *Dion. l. de Cœl. Hier. c. 9 assertione.*

1. Non in tertia.

Reor potius ad summum esse Seraphicum adscribendum. Nam 1. Dan. 10. *Vnus de Principibus magnis* dicitur, Et c. 12. *Michael princeps magnus.* 2. Deinde Tob. 12. *Ego sum vnus ex septem, qui astamus ante Dominum.* At hi, omnium iudicio sunt Seraphini. Ergo. 3. Accedit S. Gregor. Magn. hom. 34. in Euang. de Annunciat. *Ad hoc,* ait, *ministerium summum Angelorum venire dignum fuerat, quia Summum omnium nunciabat.* Sic & Bern. hom. 1. super *Missus.*

2 Sedin prima est.

1. Quod autem subinde Angeli, vel Archangeli nomine dicatur; est, quod id nomen sit officii, non naturæ. 2. Quod mittatur, non id inferioris est hierarchiæ, sed *omnes sunt administratorii spiritus.* Hebr. 1.

Solutio obiectiuncularum.

II. Iam etiam hoc amplius pronuncio,

cio, Esse eum angelorum non præuaricatorum Principem, adeoque omnium primum. 1. Ita Basil. homil. de Angel. *Tibi, ô Michael, Duci superiorum spirituum, cæteris prælato omnibus; tibi supplico.* B. Laur. Iustin. serm. de S. Mich. *S. Spiritibus prælatus est Michael, sicut Lucifer malis.* 3. Fauet his ratio.

Prima. Quia in magno cœli prælio Michael Dei vicarius Dux fuit; vti Lucifer rebellium: sed hic horum primus: ergo & ille suorum. *Secunda.* Michael Deum in rubo repræsentauit: Exod. 3. *Ego Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob.* Sed ad hoc Deus Primum omnium sumsisse probabile est. *Tertia.* Idem Apoc. 12. Lucifero, & Antichristo rursus opponetur. *Quarta.* In Litaniis primus post Sanctissimam Trinitatem, & Beatam Virginem Mariam inuocatur. Ideo Ecclesia eum titulat *Præpositum Paradisi, primatem cœlestis exercitus*, &c. *Quinta.* In extremo iudicio Signum Crucis Christo præfert S. Michael: Vt *Eckius hom. 8. de S. Mich.* docet: Et Ecclesia canit: *Signifer S. Michael repræsentet eas*, &c.

Demum Hebræi in suis Arcanis vocant eum *Mitaton*, id est, principem faciem, hæ sunt animæ Deo oblatæ. Bene ergo *Constitui te Principem super omnes animas suscipiendas.*

IN F. S. FRANCISCI CONFESSORIS.

Confiteor tibi Pa. Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sap. & reu. ea paru. Matt. 11.

VIrtutum Abrahæ fons & princeps obedientia fuit, è natali solo & sanguine euocati. *Gen.* 12. Ac donati promisso gentis suæ multiplicandæ, vt stellæ cœli. Simile in S. Francisco innouatum fuit.

De quo nos

I. *Quod per infirma Deus cõfundat fortia.*
II. *Quod sapientia Diuinorum non sit sapientum superborum: sed humilium.*
III. *De S. Francisci Humilitate & Paupertate.*
IV. *De eiusdem stigmatibus.*
V. *De salute orbi collata per S. Franc. & eius ordinem.*

PARS I.

Quod per infirma Deus confundat fortia.

I. ARtifices, vt artem ostentent, optimas deligunt materias: pictor colores, marmora sculptor. &c. At natura, arti eludendæ, vilissimas: quo opera eius eminentiora, & admirabilior ipsa. Vnde producit flores? fructus? gemmas? crystallum? &c. Quibus quid in cuiusq; genere præstantius, at in materia ac ortu quid vilius? Ita Deus *faciens mirabilia solus*, quos suo in horto plantat, euocat è stercore pauperes. Posset ex illustri sanguine natos eligere; at rarius assolet: infirma mundi placent. 1. Cor. 1. *Videte vocationem vestram, fratres; quia non multi sapi. secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: sed quæ stultæ sunt mundi, elegit Deus, vt confundat sapientes & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia: Vt non glorietur omnis caro in conspectu eius.* *Vilia eligit Deus & natura.*

II. Quærit *Chrys. hom. in Ps.* 50. Cur Dauid armis Saulis pugnare noluerit? Respondet. Non quod nequibat, aut nesciebat: sed quod inspirante Deo sentiebat, si istis vicisset, tantum fore Sauli tribuendum victoriæ, & detrahendum Deo. 2. Vt confunderet amplius Pharaonem Deus in eum ranas, muscas. &c. immisit, non Angelorum aut fortium aciem. Eo clariora erant, Ps. 105. *Quæ fecit Magnalia in Aegypto.* 3. Ideo Moses, Deut. 10. *Ipse est laus tua, & Deus tuus, qui fecit tibi hæc Magnalia, & terribilia.* 4. Eadẽ admiratur Dauid, *Typus.* *Exempla.*

2. Reg. 7. *Fecit eis magnalia & horr. super terram à facie populi, quem redemisti tibi ex Aegypto.*

5. Quid fuit in armis confidentius, quam Iericho ? At eam strauit Deus per Iosuen, *cap.* 6. solo tubarum sacerdotalium clangore.

6. Perterruit, fregit, vicit orbem & orcum Christus Cruce ; qua nil infamius, ac vilius. Et ea nunc quanta & quanti est? 7. Idem vsurpauit in S. Francisco, eiusque S. Ordine Minorum.

PARS II.

Quod sapientia Diuinorum non sit sapientum superborum.

Explicationes. I. *Confiteor tibi.* & c. 1. Expositio S. Hier. *Gratias agit, & exultat in Patre Christus, quod Apostolis aduentus sui aperuerit sacramenta ; quæ ignorarint Scribæ & Phar.* 2. Alij volunt intelligi Philosophos priscos, vt 7. sapientes. 3. Alij Patriarchas & Prophetas : qui, Matth. 13. Luc. 10. *voluerunt videre, quæ vos videtis ; & non viderunt* corporaliter. 4. *S. Aug. serm. 8. de Verb. Dom.* superbos intelligit per sap. at per paruulos, humiles, Ita & *S. Greg. 27. Mor. c. 7.*

Sapientia mundi à Deo nescitur Explo-ditur. Odio habe tur. 5. Alij Politicos mundi, sciolos, criticos. 1. De quibus Prouerb. 30. *Sapientia hominum non est mecum ; & noui scientiam Sanctorum.* 2. Illam explodit S. Iacob. c. 3. *Non est enim ista sapientia descendens de sursum à Patre luminum ; sed terrena, animalis & diabolica.* 3. Eam abhorret Deus, 1. Cor. 1. *Perdam sapientiam sapientum, & prudentiam prudentum reprobabo.*

Suum humilibus reuelat. 1. Hinc Pont. max. scribas, Phar. & c. Natiuitas Christi in Beth. latuit. at Lu. 2. *Annuncio vobis*, Pastoribus ait Angelus, *gaudium magnum, quia natus est vobis hodie Saluator.* 2. S. Cypr. ibi *A sapientibus & prudentibus non quærit testimonium, qui paruulis serenelat.* 3. Hinc sapientia, extructo epulo, Prou. 9. *Misit Ancillas, vt vocarent ad arcem* : dicique iussit. *Si quis est Paruulus, veniat ad me : Et insipientibus locuta est, Venite comedite panem meum.*

Quæ mundo est stultitia. II. Contra Mundus. Apostolus insanire dicitur à præside : Dauid ab Achi & purpuratis habitus stultus, Christus ab Herode item : At hi Deo electissimi erant 1. Vere Ps. 110. *Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectū dat paruulis.* 2. Vbi S. Hieron. *Ostium serm. tuorum lucidum docet paruulos.* 3. S. Greg. 25. Mor. c. 11. *Lunam intelligentiæ humilitas aperit, superbia abscondit.*

Eius idæ incapax est. Bene Samaritana, etsi alio nos sensu mystice, Ioan. 4. *Puteus* sichimiticus : Fidei *altus est. neq; in quo haurias, habes* superbe, philosophaster, peccatis obscurate.

Damnabiliter est & mendax. 1. His dicitur Isa. 5. *Væ, qui sapientes estis in oculis vestris & coram vobismetipsis prudentes !* 2. Iere. 8. *Quomodo dicitis : sapientes nos sumus, & lex Domini nobiscum est ? Vere mendacium operatus est stylus mendax scribarum.*

Non sit Apostoli. Voluit Dominus Apostolos esse Euangelij tubas, at non vocari *Rabbi* : & *plures magistros fieri* tumidos. Sicut Samuel è domo Isai vncturus vnum fratrum Regem, orans Deus pro reuelatione audit : 1. Reg. 16. *Ne respicias vultum eius, in signioris humanitus, neque altitudinem staturæ eius ; quoniam abiecit eum* Ita fecit Dominus in electione Apostolorum, & S. Francisci. Hinc 2. Cor. 4. *Deus qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei in facie Iesu Christi. Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus* abiectis personis. *Vt sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis.*

III. *Reuelasti eam paruulis.* Id est, Humilibus. ita S. Patres. Nam Prouerb. 11. *Vbi humilitas, ibi sapientia.* Ps. 118. *Testimonium fidele, sapientiam præstans paruulis.* Humilitas est alarum vna, ad fugiendas mundi persecutiones, & contemplationis so-

litudi-

litudinem inquirendam, Apocal. 12. *Duæ mulieri animæ datæ alæ, vt volaret in desertum*: eæ erant B. V. M. Humilitas & Paupertas: Erant & S. Francisci. Isa. 28. *Quem docebit scientiam, & quem intelligere faciet auditum?* Respondet: *Ablactatos à lacte, auulsos ab vberibus.* &c. Bella humilium imago infantes sunt; quorum vita est pura innocentia; In hanc intrat sapientia, non in animam maleuolam. Romani, ait *Aug. de Ciuit.* in Fidei templo Fidem sic pinxerant: Erat senex cum cythara in manu, adque pedes puero, ludere cythara docili. Ita Deus Pater docet paruulos.

Humilium typus est infans.

Eccl. Triumph. & militans assimiliter viuant.

S. Dionys. de cœl. Hierar. ait in Triumphante Eccl. superiores Angeli purificant, illuminantque inferiores: At contra in Militante: Ab inferioribus mundi illuminantur ac docentur superiores. *Ita Pater: quoniam sic placitum fuit ante te.* 1. Cor. 1. *Vt non glorietur omnis Caro.*

Exam. 1.

Reuelasti. Vanum ergo quod Sophi incomprehensibilia (at credibilia:) suo nituntur ingenio comprehendere. Meminerint quod Esdræ cum Angelo euenerit: 4. *Esd.* 4. Auebat is scire, Eccur Deus Optimus dilectum populum affligeret; idololatras prosperaret? Cui Angelus: *Excedens excedit cor tuum in sæculo hoc; & comprehendere cogitas viam Altissimi. Vade, pondera mihi pondus ignis; aut mensura mihi flatum venti; aut reuoca mihi diem, qui præterit.* Cui Propheta: *Quis natorum poterit facere, vt me interroges de his.* Tum Angelus: *Si essem.* &c. *Igitur si hæc non potes intelligere; quare scrutaris, & intelligere præsumis altissima Dei Mysteria?*

Simili sponsæ curiosæ Sponsus: Cant. 6. *Auerte oculos tuos*, à curiositate sciendi altiora te: *quia ipsi me auolare fecerunt*: Ea fugat Dominũ. Itẽ Psaltes. 63. *Accedet homo ad cor altum* scrutando alta: *& exaltabitur Deus* ab eo altius, vt videat minus. Verum *humiliare respicit* & illuminat.

PARS III.

De S. Franc. Humilitate & paupertate.

S. Franc. fuit altæ contemplationis.

IS Franciscus homo quidam cœlestis fuit, & in carne Angelus; certe spectaculum hominibus & Angelis Ps. 138. *Confiteor tibi Pater, quoniam terribiliter Magnificatus es* tot patrum Patriarcha Christo concrucifixus, & stigmati satus. Aquilæ, & grypaeti ad vsque solem pene euolant ex oculis hominum: Ita quidam Sanctorum à Mundo auolant tam sublime, vt ne videat eos, vitamque sat intelligant. Talis S. Fran. in vita cum actiua paupere & humili, tum contemplatiua.

Reuelatũ ei, vt vinceret Satanam.

Ideo multa magna ei reuelata: duo maxime. 1. Vt diaboli fraudes elideret & eluderet: 2. Impressa vt mereretur stigmata Christi. De I. Diaboli vincendi vię duæ; Humilitas, & Contemtus mundi. *Ad quem, Isa. 66. respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & timentem sermones meos?* Respexit Franciscum, cum fugere mundum docuit.

In funda & lapide.

Et vero vincere sic: vt Dauid, natu minimus, à fratribus contemtus, duello solus Goliatham ausus aggredi, prostrauit, tectus armis suis pastoritijs, non regiis. 1. *Reg.* 17. Ita S. Fran. sibi paruus, fratribus carnalibus despectus, dæm. mundũ, car. strauit in funda & lapide, in Zelo & Dei verbo, vti Pastor verus; spretis mundi respectibus splendidis. Siue Funda Regulæ suæ deiecit & subiecit multos humilitati & paupertati.

Reliquit omnia.

II. Prior ipse, exẽplo Apostolorũ, reliquit omnia, quod generositatis est eximiæ. Hanc non capiebat adolescens, cui sciscitanti Dominus: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da paup. & sequere me* Nam tristis abijt: Quia dives erat. At S. Franciscus exuit vitro se omnibus. 1. Quia ardor amoris in Deum vrgebat, vti ęstus nos cogit abijcere vestes. Ita,

1. Ex amore Dei.

1. Reg. 18. *Exspoliauit se Ionathas tunica, qua erat indutus, & dedit eam Dauid*, præ amore eius nimio. Talis fuit Christum inter & S. Franc. amor mutuus.

2. In exemplum posteris. 2. Reliquit omnia, in exemplum aliis, quos ad ordinem eius destinarat Deus. 1. Vt enim Ionadab filiis hanc vitæ normã præscripsit, Iere. 35. *Domum non ædificabitis, sementem non seretis, & vineas non plantabitis, neque habebitis, sed in tabernaculis habitabitis cunctis diebus vestris.* Ita suis S. Franciscus, omnem interdixit proprietatem. 2.

Nil in terra possessuris. Israelitæ sic ad Sehon regẽ Amorrhæorum, Num. 21. *Obsecro, vt transire mihi liceat per terram tuam : non declinabimus in agros & vineas, non bibemus aquas ex puteis: via regia gradiemur, donec transierimus fines tuos.* Talis suis Moses erat S. Franc. prę scripsitque talia transeuntibus mundum hunc.

3. Vt pugnet securius. Tertio reliquit omnia, quia mundum oppugnaturus, esse nudus debet 1. Nam ait S. Greg. *Si quis vestitus luctatur cum mundo, citius ad terram trahitur; quia habet vnde teneatur.* 2. Cumque & dæmones nudi nil hic possideant, nudos cum nudis pugnare oportet. S. Franc. omnino triumphauit de paupertate, pęne ipsa pauperior.

Orbi conuertendo. III. Laudi Eliæ datur Malac. 4. missũ, *vt conuerteret corda Patrum ad filios, & incredulos ad prudentiam iustorũ.* Isaias, *c.* 20. nudus ijt per vrbem: Ieremias, *c.* 27. insuper catena grauatus: Baptista venit, *vt omnes crederent per illum.* Ioa. 1.

Turbatissimo. 1. S. Franc. quidam Elias venit turbatissimo tempore, quo Pontificium schismate, Imperium dissidio creandi Imperatorem laborabat; Græcia ab Eccles. Rom. defecerat; Ieros. cum terra sancta ab Saracenis occupata erat, Hispaniam Mauri & Iudæi insidebant: Tunc venit, *vt cõuerteret.* &c. 2. Venit nudus, vt Isaias; sacco adopertus vt Iere. 3. Vt Baptista prædicans pœnitentiam dicto & facto. Hæc Deus reuelauit paruulis.

PARS IV.

De S. Franc. Stigmatibus.

Stigmatũ causa amor excessimus. I. DE II. Passio vero Domini sic eis reuelata fuit vt & insculpta cernerentur in stigmatisato. Zach. 13. *Quæ sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?* Respondet: *His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me*, in domo Dei Diuorumque cœlitum Seraphicorum. Quare Gal. 6. *De cætero nemo mihi molestus sit: ego enim stig. D. N. I. Christi in corpore meo porto.*

Iesu eum sua veste induit. 1. Ionathas suum in Dauid amorem, deuicto Goliath, declaraturus, 1. Reg. 18. *Spoliauit se tunica sua, & dedit eam Dauid, & reliqua vestimenta sua vsque ad gladium. & arcum, & baltheum.* Ita Iesus S. Franciscum condecorauit vulnerum suorum armis. *Mirabilis Deus in Sanctis suis!*

Honoris ergo. 2. Si quæras, Esth. 6. *Quid debet fieri viro, quem Rex honorare desiderat?* Ecce : *Debet indui vestibus regiis*: Christi fuit indutus S. Franc.

Eo Fundatoribus Ordinum præfertur. 3. Scyphum aureum Ioseph iussit in sacco Beniamin recondi, *Gen.* 44. Eumque in conuiuio 5. partibus datis prætulit fratribus reliquis, Dominus S. Franc. reliquis prætulit Ordinum fundatorib. isto, quod 5. Stigmata ei impresserit; & in sacco animæ eius aut corporis condiderit colicem passionis suæ.

Estque Signum memoriale Possimi Dominici. II. Iudæi, *Leu.* 6. iubebantur in atrio Templi sacrificare; sed cineres extra vrbem spargere: quibus visis alii monerentur esse sacrificatum, ita sacco suo monet S. Francisus quocumque circumfertur.

Et seruitutis suæ Deo sacratæ. Qui hero seruus esse perpetuus volebat, etiam per iubilæum liber abire poterat, ei *Exo.* 21. subula auris perforari iubebatur in signum. At S. Franciscus quinquies

quies perforatus fuit in signum perpetuę seruitutis consecratæ.

Multis in exemplum. Ardet intus domus, fenestræ mox, valuęque panduntur, quo erumpat flamma sonitu tunc facilior. Ita ardente intus S. Franc. apertum est corpus vulneribus factis, quo fumus flammaque deuotionis in publicum erumperet.

At monimentum. Pro leproso mundato Sacrificium sic fiebat, *Leu.* 14. Vt passeris vnius occisi sanguine alter aspersus dimitteretur auolare, vt, quoquo ferretur, secum sacrificij signa ferret. Ita S. Franc. Christi stigmata ferebat; signa facti pro lepra Adæ sacrificij.

Bene clausa sunt hominum pectora: Bene apertum S. Francisci. Lucianus, Christianorum sannio, carpebat Naturam, quod homini in pectore fenestellam non parasset, quo cerni mentis interiora possent. At bene ea condit Deus sibi seruata: adeo cor hominis prauum, cogitationibus malis plenum: Sicut, *Ezech.* 8. destructo templi pariete apparebant intus serpentes, dracones, aspides, monstraque animalium: ita in corde hominis si pateret oculis. At S. Francisci pectus aperuit Deus; quod in eo non nisi optima, supra nunc commemorata, quæ publico debebantur Bono.

Subsignum suum vocauit multos. III. De eo recte Isaias, *c.* 11. videtur: *Leuabit Signum in nationes, & congregabit profugos Israel, & dispersos Iuda congregabit à 4. ventis.* Crucis & Passionis signum leuauit S. Franc. inq; corpore circumtulit, conuersioni peccatorum promouendæ. 1. Orauit, & impetrauit illud Cant. 8. *Pone me vt signaculum super cor tuum; vt sign. super brachium tuum.* Cui q. respondit Dominus: Isa. 49. *In manibus meis descripsi te.* Imo, in manibus tuis descripsi me, Francisce sic te amo, redamorque vicissim: Huius ecce *Signa* tibi. 2 Angelus iussit Ezech. 9. *Signa Thau super frontes virorum gementium & dolentium super cunctas abominationes, quæ fiunt in medio Ierus.* Hoc signatus S. Franc. dolens oransque multum pro populo, verus Heraclitus Christianus.

Ipse signaculum Christi.

S. Vulnera Christi & Franc. cōparata inuicem. A Christo S. Vulnera summo gaudio sunt recepta; at inflicta sunt dira immanitate. Contra S. Francisco ex amore summo data sunt: & recepta, miro cum gaudio. Mirum esse tantā hominibus immanitatem potuisse, vt Dominū sic conuulnerarent. At mirandum, ex amore tam suauiter à Christo imprimi vulnera homini. Psal. 45. *Venite, & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram.* Orauit Rex, Psalm. 118. *Confige timore tuo carnes meas*, carnis concupiscentias omnes. Multum hoc: plus S. Franc. datum in Vulneribus; queis cū Christo triumphat.

PARS V.

De salute orbi collata per S. Franc. & Ordinem.

S. Franc. multis fuit causa Salutis. I. SAlutaris extitit Ecclesiæ S. Franciscus. Nam sicut Ieremias *cap.* 58. à Sedechia rege in lacū fœtidum missus diu iacuit; demum misertus eius Abdemelech eunuchus regius obtinuit à Rege, eum extrahi lacu. Immittit ei pannos veteres, queis è lacu exscenderet: fit, & Zelo maiore Dei cultum promouit exin, quā prius. 1. Peccator est in lacu damnationis. Ps. 68. *Non me demergat Tempestas aquæ, neque absorbeat me Profundum, neque vrgeat super me Puteus* peccati *os suum.* Puteus fœtidus: nam Psal. 5. *sepulcrum patens est guttur eorum.* 2. Eunuchus est S. Franc. offerens peccatori suum pannosæ vestis funem, quo eum è lacu & cœno educat. Qui educti exemplo & Zelo maiore conuersantur.

Ordo S. Frāc. quatenus sit præ aliis Ord. Iosephi de manipulis suum adorantibus in agro, *Gen.* 37. illustre est somnium, Nō minus Ordo S. Frāc. qui cæteris maior Ordinibus est: Nam fundatores horum sunt messores in agro Ecclesiæ. At ex S. Franc. Ordine ordines exiere multi: multi Sancti & Sanctæ, Papæ, Card.

Epi. &c. Ecce viuente videnteque Sanct. Franc. in vno Capitulo generali conuenere amplius 5000. religiosorũ Romæ.

Sustentat laõantem Ecclesiam.

II. Fingatur de Atlante humeris eum duos orbis cardines sustinere. S. Franc. is est sustentator Ecclesiæ; vt de Lateranensi vidit Innocentius Papa. 1. Impletũ istud, Eccl. 9. *Inuentus est in ea, ciuitate obsessa & perdenda, vir pauper & sapiens, qui per sapientiam suam liberauit eam.* Turbatum orbem S. Franc eiusque ordo sedauit, à perditione liberauit. 2. Fuit is ille, Eccl. 50. *Simon Oniæ filius, sacerdos magnus; qui in vita sua suffulsit Domum; & in diebus suis corroborauit Templum.*

Congregat adiutores.

Fuit is Mathathias: 1. Mach. 2. *Videns Templi euersionem, Legis Dei transgressionem, & populi vastitatem; sedit in monte Modim, in clausträli conditus religione, & scidit vestimenta sua pannosus, & operuit se cilicio, & exclamauit voce magna in ciuitate. Omnis, qui Zelum habet Legis, statuens testamentum, exeat post me. Et fugit ipse, & filij eius in montem religionis, & reliquerunt, quæ habuerunt in ciuitate.* Ita S. Franc. & Ordo eius.

Philacangelus est orbi.

III. Apoc. 7. *Ecce ego Ioan. vidi alterum Angelum, ascendentem ab ortu solis, habentem Signum Dei viui.* Vbi S. Bonau. *Fide credendum est, quod loquitur de B. Francisco.* Zelosè magis quam vere. Verum tamen, S. Frãc. fuisse quasi angelum, qui clamaret precibus: *Nolite nocere terræ & mari.* Nam adeo ipse fuit, Eccl. 44. *Sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo, & inuentus est iustus; & in tempore Iracundiæ factus est Reconciliatio.*

Peroratio.

Factus est sapientibus sæculi stultitia contemtoribus, admiratoribus vitæ, sapientia: Nobilibus factus est speculum pœnitentiæ & contemtus mundi: Religiosis ornamentum, adiumentum, firmamentum, & documentum. *Dedecus est natis claros habuisse parentes; Ni studeant illis moribus esse pares.*

IN F. S. DIONYSII Martyris.

Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt stolas suas in Sanguine Agni:
Apoc. 7.

ELeazar. 2. *Mach.* 6. nonagenarius, in Antiochi regis persecutione ad necem postulatus, dira, ac demum mortem pertulit. Lugubre spectaculum. Lugubrius S. Dionysii, sub Fescennio Præside post dira perpessi, demum capite plexi.

De eo nos

I. *An gubernet nostra Deus; quod iusti sic affligantur?*
II. *De Areopagitæ S. Dionysii conuersione.*
III. *Laudabiliter capessci Ethnicorum scientias, quibus S. Diony. pollebat.*
IV. *Cur tam cito ad Pauli prædicationem conuersus sit Dionysius, demum Martyrio coronatus.*

PARS I.

An gubernet nostra Deus, quod iusti sic affligantur.

Dubitatur de Dei prouidentia & regimine.

I. SVnt, qui ex dementia, aut malitia cum Deo expostulant: eccur improbos fortunet: affligat iustos: quasi amantes sui odisset, & odientes se amaret? Vbi Ioab, cæso Absolone cum Dauide lugente expostulabat 2. Reg. 19. *Diligis odientes te, & odio habes diligentes te: & ostendisti hodie, quia non curas de Ducibus tuis, & de seruis tuis.*

Negatur.

Et vsque eo progressi quidam impietatis ac blasphemiæ sunt, quasi omnia negligeret Deus, temereque ferrentur. 1. De quibus Psalm. 91. *Vsquequo peccatores, Domine, vsquequo pecc. gloriabuntur, & loquentur*

quentur iniquitatem? Ecquam? *Populum tuum humiliauerunt, & hæreditatem tuam vexauerunt, &c. & dixerunt, Non videbit Dominus, nec intelliget Deus.* 2. Hæc fouea Gentilibus plerisque fuit. 3. Metuit ab ea Aegyptijs Moses, Exod. 31. *Ne, quæso dicant AEgyptij: callide eduxit eos, vt interficeret in montibus, & deleret de terra.* Dei namque prouidentiam ethnici negabant.

Insurrexit Manich. Hinc forte Manichæi hauserint commentum de duobus in mundo Diis, rectoribus sibi contrarijs, *Bono*, & *Malo*.

Insurrexit ipsius est: ignaua suscitat. II. Sancti arcanam eam Dei in regendo sapientiam mirati semper & venerati sunt: in vsu tamen difficultate non caret. 1. Ecce Psa. 75. *Mei autem pene moti sunt pedes; pene effusi sunt gressus mei* ad mundum te relicto. *Quia Zelaui super iniquos, pacem peccatorum videns. In labore hominum non sunt, & cum hominibus* Sanctis *non flagellabuntur: ideo tenuit eos superbia.* 2. Idem obstupuit Iere. 18. *Iustus es Domine, Si disputem tecum: verum tamen iusta loquar ad te. Quare via impiorum prosperatur? Bene est omnibus, qui prævaricantur & inique agunt.* 3. Idem miratur Abacuc. cap. 1. *Quare taces, impio conculcante iustiorem se?*

Cur suos affligi sinat Deus. 1. Aduersi gratiam. III. Fateor; hæc ita habent: Attamen mira sapientia Deus suos affligi sinit. 1. Quia sagittæ, è pharetra Dei in iustos missæ, sunt probationes ad Dei gloriam lac. 1. *Beatus vir, qui sustinet tentationem, quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam.* Sap. 3. *Deus tentauit eos, & inuenit illos dignos se.*

2. Ad gloriam aeternã. 2. Quia Afflictiones sunt malleationes, quibus Sancti aptantur in cœleste templum: Vti Hymnus Eccle. canit. *Tunsionibus, pressuris expoliti lapides suis coaptantur locis per manus artificis.* Saxa templi Salomonici in rupibus polichantur foris at in Ieruſ. tantum construebantur: Ita Tribulationes sunt huius mundi, consolationes alterius.

3. Quia Cœlum non nisi per aduersa paratur. Hoc cœli pretium dilaudatur Romanis, cap. 8. *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Huc respexit S. Dionysius cum sociis, & cruciatus omnes despexit. *3. Aduictoriam & meritum.*

PARS II.

De Areopagitæ S. Dion. conuersione.

S. Dion fuit Areopagita Græcus. I ANte Dcc. annos agitata quæstio est: An Parisiensis Episc. S. Dionysius fuerit ille Areopagita. Affirmat Hincmarus Rhem. Archiep. ad Carolum Caluum Imp. Idque 1. Ex attestatione græca: Quando Michael Imp. missa Legatione ad Ludouicum Pium id docet, simul reperta S. Dionysii Commentaria ei mittit: repente miraculis coruscantia: teste *Hilduino Epist. ad Ludou.* 2. Ex attestatione Rom. Anastasij: quod S. Methodius Episc. vitam S. Dionysij conscripserit: quam latinam fecit Anastasius, & ad Ludou. misit.

Confert sanitatem. Stephanus Papa Pipinum inauguraturus dum init Galliam morbo corripitur, à S. Dionysio restituitur: qui de reliquiis eius secum Romam deferens; basilicam ei collocat, cui græcos monachos præficit: Quia S. Dion. è Græcia fuerat oriundus.

Conuersio magnatum est difficilior, quam vulgarium. Eum S. Paulus baptizauit, deditque Athenis primum Episc. Mirum: tam cito se dedisse fidei talem virum: Philosophũ tantum! 1. *Arist. 4. Meteorum* & alij tradunt, ferrum è terra natum posse cudi; at in nubibus ortum, contusum obdurescere. Ita peccatores, quamuis obdurati, modo sint obscuri generis è vulgo, facile emol-

emollescũt, at illustres & docti, quasi cœlo lapsi, ægerrime cõuertũtur. 2. Planetæ altiores mouentur lentius: Vt luna infimus intra 31. dies cursum peragit citatissime, at Saturnus nec intra 5000. annorum circumit. Ita homines inferiores citius, tardius superiores fidei dant manus. 3. An nõ Pastores natum Domini primi, Magi postremi adorauerunt? Quo admirabilior Areopagitæ conuersio est.

Areopagi Iudicium quale.

Budæus in Pandectis l. vlt. de sen. est autor: Areopagum 1. esse locum in monte Martis, prope Athenas situm, 2. Vbi gentis nobiliss. & doctiss. quiq; assessores summi iudicij ius respondebant, 3. tertio quot mẽsibus. Perorantibus causam suã rhetoricãs præco silentium indicebat, ne quis affectu duceretur impresso: 4. ne & personæ respectu; nocte ius dicebant. 5. Tanti id per orbem fuit, vt etiam Rom. Procõsules Asiæ causas eo deferrẽt *Agell. l. 12. c. 7.* Et cæteræ nationes hoc iudicio stabant.

Paulus ibi causã suã egit.

Hinc & S. Paulus Athenis prædicans, *Act. 11.* se Areopagitis sistere iussus est. Ad quos ille intrepide *stans in medio Areopagi*, ait: *Viri Ath. per oĩa quasi superstitiosos vos video.* Audax hoc ibi, Vnde Romani legatione missa, leges petierant; vbi orbis Iudices, oculusque orbis erat; Vbi mors decreta ei, qui Diis aduersaretur, aut Deum nouum induceret, inconsultis Areop.

Vbi Philosophi athei damnati sunt.

Ideo hic, teste *Iosephol. 2. cont. Appion.* & Anaxago. Claxo: morti addictus, quod solem esse saxum æstuans doceret, quem ij Deum colerent. 2. Hic Diagoras Melius item morti deditus, quod Deos Sacraq; omnia rideret: promisso argenti talento, qui eum trucidasset.

3. Protagoras, quod dixisset: *De Diis neque vt sint, neque vt non sint, habeo dicere.* Fuga lapsus damnatur absens.

4. Socrates Reipublicæ oraculum, damnatur tamen. *Iura violat Soc. Deos esse negat, alia noua dæmonia inducit.*

Dionysij conuersi causa.

III. Itaque miranda est & Pauli de Christo prædicatio, & S. Dionysij, viri tanti, conuersio. Cuius 1. *Causa*, Dei gratia, qui, *cuius vult miseretur, &, quem vult, indurat.* Exod. 33. *Miserebor, cuius voluero, & clemens ero, in quem mihi placuerit.* Si vere Pilato: Matth. 27. *Nescis, quia potestatem habeo dimittere te, & potestatem crucifigere te?* verius Deo est eadem potestas.

2. Causa. Ipsius conuersi dispositio, natura sapientis studio à pueris exculti. Ita Prouerb. 8. *Qui mane* ab aurora ætatis *vigilauerint ad me, inuenient me.* Sic Dionysius, ceu Psaltes 84. *In laboribus à iuuentute mea exaltatus sum* in scientiis, *& humiliatus* ad obedientiam Fidei, *& conturbatus* metu iudicii diuini, ni parerem Verbo Dei.

PARS III.

Laudabiliter capesci ethnicorum scientias: quibus S. Dionys. pollebat.

Scientiarũ laus multa.

I. LAudabile igitur est literis à puero insuescere. Scientiæ enim sunt pedissequæ sapientiæ.

1. Sic plerique istud Prouerb. 9. intelligunt: *Sapientia ædifi. sibi domum, vocauit ancillas in arcem*, id est, scientias.

2. Hisce sponsam ornat sponsus, Cant. 3. *Muræ nulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.*

3. Artes liberales sunt Filiæ eæ alienigenæ *Deuter. 21.* quæ bello captæ studiorum, Fidei Theologiæ possunt maritari: modo vestes eis mutentur, coma præscindatur, & vngues.

4. Sunt item diuitiæ istæ Israelitarum ab Aegyptiis acceptæ, vt in cultum tabernaculi vertantur,

5. O-

5. Osee duxit meretricem ; iussu Dei, *Gomer*, filiam Debelaim. i. *radicem dulcedinis* : quæ peperit ei filium *Iezrael*. i. *semen Dei*. Artes sunt filiæ fornicariæ idololatriæ. 6. Isaias, c. 37. iussu Dei, nouacula seseradit, pilosque per compita spargit. Ita ethnicis mos est scientiæ suæ abradendæ ac in Ecclesia spargendæ. Autipsæ sunt à vanitatibus ethnicis mundandæ. 7. Ita Ezechiel. c. 5. iussus abrasit sibi Cæsariem, scelerибus Ierosolymitarum ostendendis ; fore, vt impij omnes tollantur : Sic ethnici tollendi ; scientiæ sunt asseruandæ. Ista omnia *Hier. in responso ad Oratorem Rom.*

Scientia in malis malum. 1. Scientiæ sic haustæ fiunt Enses Goliathæi nouis Dauidibus.

Atat bene Arist. in problem. *Scientia in homine malo est nequitia habens arma.* 1. Scientiæ vitiis maritatæ, sunt *Gen.* 19. puellæ Sodomæ ad ebrietatem & scelera suadentes, & patrum suorum exitium causantes. 2. Sunt zizania Ecclesiæ, ab inimico, ad semen castum suffocandum, noctu sparsa. 3. Sunt coma Absolonis, quæ Dominum suspendunt in mundi deserto. 2. *Reg.* 18. 4. Sunt thesauri vani Ezechiæ, 4. *Reg.* 20. quæ Dominum regno & vita exuunt. 5. Sunt literæ Vriæ in sinu, 3. *Reg.* 12. ad necem Domini. 6. Sap. 13. *Vani sunt homines, in quibus non subest scientia Dei.*

S. Dion. hat. Astrologus Stoicus. II. At S. Dionysius scientiam suam & viuendi modo iuxta naturam, & officij professione declarabat. Astrologus degens Heliopoli cum Apollophane Phil. solis defectum, ex Christo passo factum, notans aiebat: *Aut Deus naturæ patitur : aut mundus dissoluitur.* Ita Baro. to. 1. anno 52. S. Ambrosius *Epist. ad Vercell.* vultè Stoicorum Phil. numero fuisse : teste vitæ rigore. Metaph. ait, Areopagitarum principem facit: ita & Sycellus.

Dicti ante Conuersionem. Conuerso præcepta sua doctrina ei mirifice profuit ad aliorum conuersionem. Similes pene illi fuere in Ecclesia *Iustinus* Martyr, ante Philosophus ; *Lucas* prius medicus, *Paulus* ante legisperitus, *Apollo* Athen. orator. &c. Hi deserta verterunt in hortos, spineta in roseta, ficomoros & oleastros scientiarum in arbores feraces, zizania in triticum, lupos in oues, serpentes in columbas, philosophos in Theologos.

S. Dionysio quis profundior Theologus ? 1. S. Chrys. vocat eum *Auem cœlestem.* Alij *Theologum diuinissimum, Saluatissimum. &c. Galliæ Apostolum.* 2. Testis liber eius de cæl. Hierarch. quem nemo sat intellexit ante S. Th. Aquinatem. *Fuit Theologus.*

Extat eius ad S. Ioannem in Pathmo consolatoria & vatidica: *Post paululum vero, dicam enim etsi audax videatur, tibi charissime, societate iungemur. Tu autem prorsus dignior, cui fides habeatur si quæ tibi prænota sunt : quæ à Deo dicti, hæc loquar ; quod scilicet ex Pathmi custodia dimittendus es liber, & in Asiaticam terram reuersurus.* Factum anno insecuto, cæso Domitiano. *Vatidicus S. Ioanni.*

PARS IV.

Ad Prædicationem Pauli cur tam cito conuersus sit Dionysius, denique martyrisatus.

I. TErtia S. Dionysij conuertendi ratio est S. Pauli prædicatio. Ea vis est Verbo Dei. 1. Psalm. 18. *Lex Domini immaculata, conuertens animas.* 2. Ps. 28. *Vox Domini in virtute, Vox Domini in magnificentia, vox Domini confringentis Cedros,* Areopagitas, Philosophos, Imperatores. &c. *Vis prædicationis.*

3. Ier. 23. *Nunquid verba mea sunt ignis comburens ; & sicut malleus conterens petras?* 4. Quare Num. 20. *Loquere ad petram, & dabit tibi aquas.* *Conterens petras.*

Petra duriores peccatores, Psalm. 103. *A voce tonitrui tui formidabunt.* 2. Talem *Est vox tonitrui.*

lem Ioannes Apoc.14. *Audiuit vocem de cœlo, tanquam vocem aquarum multarum; & tanquam vocem tonitrui magni.* 3. Ecce ibidem quod Angeli prædicatores repræsentent: *Vidi*, ait, *alterum Angelum volantem per medium cœli, habentem Euangelium æternum, vt euangelizaret sedentibus super terram, & super omnes gentes. Timete, &c. Et alius Ang. dicit: Cecidit cecidit Babylō, quæ à vino fornicationis suæ potauit omnes gentes. Et tertius Ang. ait: Si quis adorauerit bestiam.* &c. Ecce, primus prædicat Dei timorem & cultum: Secundus Iudicium Dei exemplo: Tertius pœnas & vindictas peccati. Angeli ergo prædicatores sunt, habentque & exemplum, & materiam prædicandi à prædictis. Eisdem 7. Angelis dictum: Apocal.16. *Ite, & effundite phialas iræ Dei in terram.* &c. Vera bonorum prædicatorum imago, nil metuere, rogare, monere, minari, tonare. &c. Talis Paulus Athenis, & alubi.

Angeli prædicant.

Ibi visa aræ Epigrapha; *Ignoto Deo*: ait Act.7. *Quem vos Deum ignoratis, hunc ego annuncio vobis.* Tametsi, vt Cic. ait l. de nat. Deorum: *Nulla gens adeo sit barbara, quæ, si cœlos adspiciat, Deos esse non sentiat:* Philosophi tamen Deum, & si naturæ, at gratiæ autorem non agnouere. Nec potuere: quia lux naturalis rationis vsque eo non pertingit.

Deus ignotus esse autor gratiæ.

II. S. Dionysius tantæ scientiæ, sapientiæ, autoritatis conuersus inconstantiam redolere videtur: Nam 1. Sapiens ait: *Qui cito credit, leuis est corde.* 2. Et Dominus discipulis moram longam dedit, vsumque conuersationis suæ.

Verum cita eius conuersio non erat leuitatis, sed dexteræ Altissimi. 1. Voluit id ita Deus; quo patefieret Philosophiam inter & Theologiam sympathia, & concordia: at philosophis rationi consona sunt visa, quæ de Christo ex prophetis & miraclis prædicabantur. Psalm. 92. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* 2. Vt sapientes sęculi confunderet Deus. 1. Corinth. 1. *Perdam sapientiam sapientum, & prudentiam prudentium humiliabo.* Factum per idiotas cum sapientum stupore ac pudore. Victi academias damnarunt, crucem Victricem adorarunt. Dionysij exemplum valuit. Nam & *quidam alij viri, adhærentes ei*, Paulo, *crediderunt: in quibus Damaris, & alij cum eis*: Chrys. Amb. Aug. aiunt Damarim Dionysii vxorem fuisse.

Causa cito conuersi S. Dionysii 1. Philosophia & Theol. concordia.

2. Sapientum confusio.

Felix matrimonium! Vere vniformitas religionis inter coniuges matrimonij est beatitudo: Secus, si difformitas fuerit.

Coniugii vnius religionis ęstus.

1. Hinc Iacob, *Gen.* 32. Dinam regi Sichimorum negauit, nisi omnes circunciderentur in signum eiusdem religionis. 2. Ideo sui Samsonem parentes arguebant, quod Philisthæam deperiret: at exitu infelice.

Dionysianæ conuersio similis fuit 1. Archisynagogi, Ioan. 4. *Nam credidit ipse, & domus eius tota.* 2. Similis Regis Niniuæ: Ion. 2. cuius exemplum & mandatum valuit ad vrbis totius pœnitentiam. 3. Plane vt primum Mobile secum orbes rapit inferiores: ita Magnatum conuersio causat inferiorum conuers.

Similes conuersiones plurium ex vno.

III Erasmus, nugo effrons, negat fuisse S. Dion. Areopagitam: Sed is & fidem negauit vir apostata. Lib. de diui. Nom. ita S. Diony. scribit l. 1. c. 3. *Apud ipsos diuino spiritu plenos Pontifices nostros cum & nos, (vt nosti) & plerique alij ex S. Fratribus nostris, ad contuendum corpus illud B. V. M. quod autorem vitæ receperat, conueniissemus: aderat autem frater Domini Iacobus, & Petrus supremum decus, & antiquissimum Theologorum culmen.* Bar. to. 1. Nec solum ij, sed & apostoli cæteri.

S. Dion. adfuit sepulturæ B. V. M.

Postquam vero S. Dion. 25. annis Athenis Episcopus præfuisset, à Clemente Pont.

Fit Apostolus Gallię.

Pont. in Galliam missus vineam Domini Sabaoth plantat excaudicatis dumetis, dæmones effugat, idola prosternit.

Sed & odia, insidias, persecutiones subit, taureis cœditur, cruciatur, torretur igne. &c. omnia perpetitur. Quare Ps. 148. *Et aquæ tribulationum, quæ super cœlos sunt, super cœlestes viros, laudent Nomen Domini.*

Bestiis obiectus non læsus magis est, quam *Dan.* 13. tres pueri in Babylonica flamma. Quin vt agni ad pedes eius sese apposuere. Nec plus læsus in ardente fornace: quia Psalm. 16. *Igne me examinasti. Et non est inuenta in me iniquitas.* Demum capite plexus, id baiulat, quo volebat tumulari.

Visum à S. Regulo Arelat. Episc. nomen eius aureis scriptum per columbam sub missa circũferri. Vixit annis 90. Plerique Apostolorum discipuli fuere longæui: Vt S. Ignatius vixit ad vsque Traianum: item Quadratus, alter *S.* Dionysii Athenis successor. *S.* Herma vixit vsque ad Antoninum Pium: *S.* Simeon Epis. Ierosoly: annis vixit 120. vix minus S. Polycarpus: Forte, vt testes Christi & Apostolorum certiores essent.

IN FESTO S. LVCÆ EVANgelistæ.

Designauit Dominus & alios septuaginta duos. Luc. 10.

In idem Euangelium vide Conceptus in festo Sancti Marci Euangelistæ.

EZechiel *cap.* 1. & Apocalypsis *cap.* 4. animalia describunt quatuor, plena mysteriis: harum vnum Vitulus est, quo omnes Lucam designari consentiunt.

Cuius ad laudem nos

I. *De missis animarum Curionibus in ætategratiæ.*

II. *De modo Apostolicæ Missionis: cur sine baculo.*

III. *Cur sine pera, & Calceis?*

IV. *De S. Lucæ variis scientiis.*

V. *De eiusdem Boue symbolico.*

PARS I.

De missis animarum Curionibus in ÆEtategratiæ.

I. TRes mundi status, & ætates celebrat Scriptura. Primum, Rom. 5. *Regnauit mors ab Adam vsque ad Moysen.* Secundum, à Moyse ad Christum. Tertium, à Christo ad vsque finem mundi. *Tres mundi status præcipui.*

In vnoquoque misit Deus animarum procuratores. In primo Patriarchas: in secundo Prophetas, in tertio Apostolos, & LXX. discipulos. De quibus Eph. 4. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos: quosdam autem Prophetas: alios vero Euangelistas: alios autem Pastores & Doctores, ad consummationem Sanctorum.* *In singulis operarii assecuti animarum certi.*

Mystice ij repræsentati, Matt. 20. *Simile est regnum cœlorum homini Patrifamilias, qui exijt primo mane conducere operarios in vineam suam, &c.* Itemque hora tertia, sexta, nona, vndecima. Ac licet in omni ætate mirosmiserit viros; in tertia tamen se maxime prouidum declarauit in Ecclesiæ regimine instituendo singulari: vt essent Apostoli, Martyres, Confessores, Doctores, Virgines, &c. *Esset que Mirabilis Deus in Sanctis suis*: Nec cum his conferendi essent Sancti in primo, secundo ve statu. *At in tertio eximii.*

II. Amalecitæ bello Israelitas lacessebant: *Exod.* 17. Tunc Moyses omnem potestatem dabat Iosuæ: *Elige*, ait, *tibi viros potentes ex omnibus filiis Israël: & egredere, & confligecum Amelec crastino.* Notat Orig. hom. 1. in Iosuen, eum tunc primo Iesum dictum fuisse. Ideoq; vere designat Iesum: *cui data est omnis potestas*: quique cum eadem & elegit, & misit viros, in- *Figuræ 1. Selecti,*

comparabiles in omni retro sæculo. Vt bene Psal. 48. *Dij fortes terræ vehementer eleuati sunt.* Item Hebr. 11. *Fortes facti sunt in bello, &c.* De his, Cant. 3. *Lectulum Salomonis LX. fortes ambiunt, ex fortissimis Israel.* Et *Ecce plus quam Salomon hic.* Is de quo Psal. 67. *Ipse dabit virtutem & fortitudinem plebi suæ.* At quanta virtus Apostolorum? & LXX. discipulorum? &c.

2. *Eiusdem spiritus cũ Iesu.*

Hi quanto fortiores iis Mosaicis, de quib. Num. 11. *Congrega mihi LXX. viros de Senibus Israel, & auferam de Spiritu tuo, tradamque eis, vt sustentent tecum onus populi: & non tu solus graueris.* Id Deus Pater egit: Tulit de Spiritu Filii, deditque Discipulis eius: vt dicantur vere, 1. *Cor.* 1. Vocati in societatem Filii eius &c.

3. *Protectores & sustentatores Ecclesiæ.*

Sexta Israelitarũ in deserto fuit mansio *in Elim.* Exo. 15. Num. 33. *Vbi erant XII. fontes aquarum: & LXX. palmæ.* Ita natus est IESVS ætate mundi sexta. Nam prima fuit ab Ada ad Noe: secunda ad Abraham: tertia ad Mosen: quarta ad Dauidẽ: quinta ad Christum: sexta à Christo deinceps. Fõtes XII. sunt Apostoli docẽtes: LXX. Discipuli miraculis, & exẽplis opacant Ecclesiam, vt palmæ *fortes in bello.*

4. *A Iesu vocati & electi.*

Moses, *Exod* 11. pertexit genealogiam Iacob, è quo prognati XII. Patriarchæ: & alij: *Erant igitur omnes animæ eorum, quæ egressi sunt de fœmore Iacob, septuaginta.* Ita & Domino erant XII. Apostoli: Queis ait Luc. 20. *Sicut misit me viuens Pater, & ego mitto vos.* Post hos *Designauit & alios* lxxii. E quibus & Lucas.

PARS II.

De modo Apostolicæ Missionis: Cur sine baculo.

Missionis Apostolicæ modus diuersus à more mundi.

I. DEsignatos LXXII. sic instituit Dominus: *Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta.* Quod per inermes voluerit subiugare mundum; per pauperes eum ditare. Noua ratio rem gerendi. Nil enim mundus sine auro, & armis potest. 1. Vt Aristoteles in Politicis dicat: *Necesse est eos, qui ad Rempubl. accedunt, & propter eos, qui imperium detrectant, & propter eos, qui inferre iniuriam conantur, arma domi habere.* 2. Tullius Rex, apud Liuium: *In armorum vi sita est vrbium potentia; quæ nulla est absque numerosis copiis.* 3. Tacitus. *Neque quies gentium sine armis: neque arma sine stipendiis: neque stipendia sine tributis haberi queunt.*

At contraria via Deus res vrget: Suos ab istis nudat. Isaiam sic misit, cap. 10. *Vade, & solue saccum de lumbis tuis: & calceamenta tolle de pedibus tuis. Et fecit sic, vadens nudus, & discalceatus.* Ipse Isaias hanc inuentionem miratus ait, cap. 12. *Notas facite in populis adinuentiones suas.* Quas? Reges à piscatoribus debellari; ab indoctis Philosophos: à pauperibus diuites, &cæt. in ordinem cogi 1. Corinth. 1. *Infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia, &c.*

Et vere mirandus, ac nouus.

1. *Prædicatores esse inermes oportet.*

II. Inermes oportuit esse institiæ prædicatores. 1. *Nihil enim,* ait Cicer. pro Cecinna, *est æquitati tam contrarium & infestum, quam conuocati, armatique milites: nihil iuri tam inimicum, quam vis.* 2. Ad hæc, vis & arma diffidentiam mundi ac metum arguunt: ea ab Christi seruis abesse debent: ideo vel inermes sunt prædicando fortes. 3. Cleomenes, dux Laconum, visis mœnibus præaltis ait: *O asylum mulierum!* Hinc Lycurgus noluit Spartam muro cingi: ne his fili ciues exuerent fortitudinem. Ita Dominus noluit suos fidere peræ.

Et sine baculo curi

1. *In ruinã idolorum.*

Neque Virgæ, vt Matth. 10. Marc. 9. additur. Ratio est. 1. Quia, cum idola confuturi baculum ferrent *Ose.* 4. suos Dominus noluit *ferre baculum*: innuens ruinam idololatriæ. 2. Pontifex idolorum Romæ baculo vtebatur in Sacris, qui Lituus dicebatur, *clarissimum insigne auguratus,* ait Cic. l. 1. de Diuin. Lituo mul-

2. *Ad diuinationis simulandas.*

tas

tas superstitiones exercebant prisci: Vt, iactabant in altum, & è sono cadentis augurabantur. Baculum diuinatorium, confringendum fore, innuit Dominus prohibendo baculum ferre.

3. Ad libertatem mũdanam tollendam.

3. Prisci Romani seruos manumissuri in libertatem, virga vindicia, ex ritu, percutiebant. At Dominus volens mundum facere seruum suum, suos sine virga missos ire iubebat, & prædicare: Non enim in mundanam libertatem vocare mittebat eos; sed in seruitutem suam; quæ vera libertas est, & sancta captiuitas. De qua Rom. 6. *Captiuantes intellectum in obsequium fidei, exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem.* ac paulo post. *Nunc vero liberati à peccato, serui autem facti Deo.*

4. Ad libertatem mũdi mutandam in seruitutem Christi.

4. Quia virga mundanę libertatis symbolum erat: hanc euersurus Dominus, noluit suos portare virgam. Psalm. 124. *Non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum, vt non extendant iusti ad iniquitatem manus suas.*

5. Ad abrogandam legem Mosaicam.

5. *Orig. in Exodum. Chrysost. in Psal. 22.* aiunt: Virgam esse veteris Legis indicium. Id significabat baculus agnum paschalem comedentium. Item Mosis, Iacobi, Elisæique baculus, quo, 4. *Reg.* 4. Sunamitidis filius suscitari nequibat: Et virga illa ferrea, *Psal.* 2. rigorem legis innuebat. At hanc Dominus volebat antiquatam: proinde & absque virga suos emittebat prædicatum; Ne vel Legis Veteris, vel humanæ confidentiæ baculo arundineo niterentur; sed in Deum iactarent cogitatum suum.

PARS III.

Cur sine pera & Calceis mittebantur.

Ideo olim & milites.

1. NEque *sacculum, neque peram*; Vt arceret Prædicatorem ab ingluuie, & auaritia: Quod hæc duo vim omnem prædicationis elidant. 1. Si enim; vt Imp. Alex. Seuerus apud Lampridium ait: *Miles non timet; nisi vestitus, armatus calceis, satur & habens aliquid:* quanto magis Prædicator?

Ideo, Matth. 10. addit: *Neque pecuniam in Zonis vestris:* Nimirum more mundi. 2. De quo Suetonius in Vitellio: *Zona se aureorum plena circumdedit.* 3. Et Spartianus de Pescennio Nigro, ait: *Iussit, ne in zonis milites ad bellum aureos vel argenteos portarent.* 4. Apud P. Rom. suam integritatem Gracchus, ex Proconsulatu reuersus, ita testatur, Agellio teste: *Zonas, quas plenas argenti extuli, eas ex prouinciis inanes retuli.*

Ad cauendum auaritiam.

Ab idolorum igitur *seruitute auaritia* procul suos esse Dominus volebat Prædicatores: Ceu prædictum Isa. 67. *In illa die proiiciet homo idola auri, & argenti sui.* Psal. 67. *Qui probati sunt argento.*

Cur sine calceis?

1. Ob affectus exuendos.

II. *Neque calceamenta.* 1. Huius significandi gratia dictum Moysi, Exod. 3. *Solue calceamenta de pedibus tuis.* Ita accessuri ad *Rubum ardentem, Visionem magnam* diuinorum mysteriorum, exuant affectus carnis, opum, mundi. Nudipedes igitur ire suos per Rubi spinas iubet. Hoc Spõsus in sponsa miratur, inter cæteras laudes eius: Cant. 7. *Quam pulcri gressus tui filia Principis in calceamentis?* quasi dicat: Humanis affectibus vteris ad virtutem, & gloriam; non abuteris ad imperfectionem. Ergo Prædicatores *neq; calceamenta* habeant, nisi similia sponsæ ecclesiæ.

2. Ob Mundana negotia derelinquenda.

2. Adhæc Synagogæ doctores calceati ibant; tanquam mundo & carni immersi: Secus oportebat Ecclesiæ ministros. Ideo Petrus, Matt. 19. *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.*

3. Ob mortem contemnenda.

3. Hilarius super Matt. monet. calceos è corio brutorum mortuorũ, esse mortis symbola: At Prædicatores esse vitæ filios Dominus volebat; sed vitæ mortalis contemtores: vt, quam pro Deo prodige

proiecissent, quo similes sui filios in vitã generarent verbo virtutis. Hinc monuit Matth. 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.*

PARS IV.

De S. Lucæ variis scientiis.

Fuit Theologus.

I. SAnctus Lucas, 1. Notarius Dei vnus è quatuor: 2. Corinth. 8. *Misimus vobis fratrem nostrum, cuius laus est in Euangelio per omnes Ecclesias.* 2. Vnus euntium in Emaus, ait S. Greg. Mag. dixit Luc. 24. *Mane nobiscum Domine: quoniam aduesperascit.* 3. Comes peregrinationis Pauli, 2. Tim. 4. *Lucas est mecum solus.*

Medicus spiritalis.

4. Erat medicus: Colos. 4. *Salutat vos Lucas medicus charissimus.* Ideo præcipuas Domini persanationes conscripsit: solus Magdalenæ, Zachæi, Filij prodigi morbos & curationem exequitur: itemque Domini precationem in cruce pro crucifixoribus suis.

Morbi generales, & remedia.

Morbis quatuor generalibus totidem curationes generales tradidit; similes corporali euacuationi: Quæ fit aut Phlebotomia: vel Diæta: vel sudoribus: Vel purgatione amarisque catapotiis. Ita contra humorum externorum copiam, id est, diuitiarum cupiditatem scarificationis aphorismum præscripsit istum, Luc. 6. *Beati pauperes Spiritu, &c.* Contra guiam istum diætæ: *Beati, qui esuritis, &c.* Contra gaudia mundi istum sudoriferum: *Beati, qui nunc fletis.* Contra metum, vel impatientiam, istum purgatorium: *Beati, qui persecutionem patiuntur.*

Pictor & historicus.

II. Pictor idem fuit eximius. Prodit Cic. *de Oratore, & Plinius l. 31. c. 11.* Paulum Aemilium deuicto Perseo, Macedonum Rege, postulasse Athenis sibi mitti Philosophum, qui ciues erudiret: & pictorem qui domos depingeret. Athenienses vnum miserunt Metrodorum, qui vtrumque calleret. Id quod magnæ laudi erat Athenis, tales ibi viros reperiri. At S. Lucas in Ecclesia erat & Theologus, & Philosophus, seu Medicus, & Pictor, & Historicus Actuum Apost. autor.

Ergo fons quadrifidus.

Qualis vitreæ fons vndæ in Paradiso, *Gen. 2.* in quatuor se fluuios fundens. Ita *apud te:* Luca, *est fons vitæ.* Psalm. 35. Cantic. 5. *Fons hortorum, puteus aquarum viuentium.* Hic Isa. 12. *Haurietis aquas de fontibus Saluatoris.* Absit, de nobis dici; Ierem. 2. *Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ.* Quin mage da, quod promisisti Domine, Apocal. 21. *Dabo de fonte aquæ viuæ:* & Ioann. 4. *fiet in eo fons aquæ salientis.* CHRISTVS est Fons; vnus fluuiorum quatuor est Lucas.

Est lux.

III. Et vero is lucidus, adeoque pellucidus est fluuius. Vt bene Lucas à luce nomen ferat. Estque exiis, de quibus Dominus; Matth. 5. *Vos estis lux mundi:* Id est; Sol mundi. In hoc aut quatuor miranda. 1. Sublimitas. Eccles. 26. *Sol oriens in mundo in altissimis Dei.* 2. Iucunditas Eccles. 2. *Delectabile est oculis videre solem.* 3. Celeritas motus. 2. Esdr. 4. *Magna est terra, & excelsum est cœlum, & velox cursus solis.* 4. Effectus miri, & vtilitas. Arist. l. de cœlo; *Homo hominem generat, & Sol.*

1. Sublimis. 2. Iucunda. 3. Velox. 4. Fructus.

Singula hæc in luce Lucæ. 1. Sublimitas contemplationis; Luc. 2. *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis.* 2. Iucunditas conuersationis. Nam eorum fuit vnus, de quibus Phil. 2. *Nostra autem conuersatio in cœlis est.* 3. Promta celeritas in prædicando tota Syria, inque Antiochia, & Alexandria. 4. Fructus scribendo, prædicando, peregrinando, & pingendo ex Luca permagnus.

Permansit Virgo.

Accedit, quod, Eucherio, & alijs testibus, Virgo vixerit. Ideoque plura is de Deipara; cuius proinde Secretarius appellatur. Nam solus Mariæ & Gabrielis colloquium descripsit: *Magnificat* annotauit; Circumstantias Natiuitatis accuratius obseruauit: Virgo vixit vitam annis

nis quatuor & octoginta. Sicque Bouem habere symbolum castitatis meruit. Ezech. 1. Apoc. 4. *Secundum animal simile vitulo.*

PARS V.

De S. Lucæ boue symbolico.

S. Lucæ Euangelium. I. BOs à quatuor prædicatur: 1. Quod Sacrificari sit solitus. Lucas à sacrificio Zachariæ & Purificatione Virginis orditur. Ita Eucherius, & Iren.

Accuratè. 2. Est tardigradus bos: & (pro diuerbio:) *lassus fortius figit pedem.* Matthæus, & Ioannes nil de Ascensione: Marcus nil de Iudiciaria potestate; Lucas pedetentim carpit omnia, præcursorem; Messiam; Natiuitatem, infantiam, pubertatem, adolescentiam, virilem ætatem, periodũ prædicationis, mortem, ascensionem.

Et patiens aduersitatum. 3. Bos etsi iugetur, fodicetur stimulo, &c. non obmugit; sed presso pede carpit iter placidus. Ita Lucas sub iugo Christi, stimuloque persecutionum &c. durat & perdurat; vtque canit Ecclesia, *Crucis mortificationẽ iugiter in suo corpore portauit.*

Et laborũ. 4. Romanis caput bouinum, floribus redimitum, laboris erat symbolum. B. Lucas laboris impertæsus in agro Domini impigre arauit: inque arca Ecclesiæ triturauit.

Et castus. II. Priscis trium rerum erat bos hieroglyphicum. 1. Per bouem significabant, teste *Pierio lib. 3.* virum castimonia, temperantia, modestia, passionum moderatione conspicuum. Is Lucas fuit annis octoginta quatuor.

Iustus. 2. Bos iustitiæ erat imago. Ideo *Aaron*, in suæ iustitiæ testimonium, iussus à Deo & immolat bouem pro se, & hircum pro peccato populi. *Athenienses* in sua moneta caput bouinum procudebant; argumentum iustitiæ suæ. Eorsum capite plectebant eum, qui extra necessitatem occidisset bouem. Romæ capitale erat boui iniuriam irrogasse. Omnia S. Lucæ apta. Mysta iustitiæ fuit; si quisquam.

Sufferentia præstans. 3. Bos tolerantiæ symbolum est. Hinc mos Germanorum, vt in nuptiis darent pro dote par iugatorum boum, cum equo frenato, & clypeum cum armis reliquis. C. *Tacitus* ea fic interpretatur, significari iugum coniugale in pace, inque bello tuendum esse. Quid Luca tolerantius?

Laboriosus. III. *Astrologi* genethliaci tradunt, in Tauro natos, fore laboriosos, & mancipia. Felix CHRISTI mancipium Lucas! Tyrii Carthaginis fundamenta iacturi, reperto capite bouino, mutarunt locum: quod portentum molestiæ, laborisque iugalis displiceret. Alibi fodientes caput equinum reperiunt: Placuitque omen bellicositatis. Nam *Bello aptantur equi.* Canit Virgilius. Lucas *ad vtrum paratus*; & belligerare, & adlaborare Deo:

Seu sulcare solum; seu Verbo accendere Martem.

Vt arcana intentionis ac operis Deo, ornaret soli. Vas æneum sustinentes boues Salomonii capita præferebant: posteriora condebant. *Num. 7. & 3. Reg. 7. S.* Gregorius id Pastorum Ecclesiæ esse vult symbolum; quorum exteriores labores cõstent in populum; at interiora sua à Deo conspici sat habeant. Quo pauciora de se, imo nil scripsit Lucas. Nimirum, CHRISTVM, non sese ipsum prædicabant.

Obediens Deo & Paulo. Aegypti, quod bos, & ceruus auditu præstent inter quadrupedia; ideo autem bouinam in symbolum obedientiæ pingebant. Neque hanc vel Deus in Luca desiderabat: ita ab ea promptus late, lætequè prædicabat.

Martyr fuit. IV. Iam Mors eius quanti? Quod S. Hieronymus in vita eius Martyrij non meminit: quidam errarunt, & negarunt esse Martyrem. At reclamant magni, multi,

multi. S. Gregorius Nazianzenus Orat. 1. in Iulianum : S. Paulinus Nolanus: qui ita canit.

Hic Pater Andreas, & magno nomine Lucas:
Martyr, & illustris nomine NaZarius.

Gaudentius Brixi: tract. de dedic. Et Nicephorus l. 2. cap. 48. produnt eum cum Andrea in Achaia prædicasse ; ibique in cruce oleagina expirasse.

IN F. SS. APOSTOLORVM Simonis & Iudæ.

Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem. Ioan. 15.

ISaias, *cap.* 21. visus sibi videre equites duos, agnum Babyloniæ ferro & igne depopulantes, idolaq; euertentes. Tales Simon & Iudas in Persida & Babylone.

De iis nos pauca.

I. *Quantum charitas sit bonum.*
II. *Quam simplex & rectus fuerit S. Simeon.*
III. *Quantus Zelotes idem.*
IV. *De S. Iudæ vera nobilitate.*

PARS I.

De charitatis vtilitate.

Amicitia triplex. I. PHilosophis Amicitia est triplex. 1. *Cõsuetudinis*, seu conuersationis mutuæ; quæ & beluas in spelæis homini conciliat. 2. *Rationis*, orta à virtute, diuitiis, honore. &c. 3. *Pietatis* seu religionis, orta ex charit. Prima honesta; secunda vtilis; tertia Diuina & necessaria est. Ista *Aug. hom.* 38.

Charitas necessaria est. De tertia Col. 3. *Super omnia hæc charitatem habete, quæ est vinculũ perfectionis.* Quippe à qua *Vniuersa lex pendet*. Hinc illa, Ro. 13. *Qui diligit proximum, legem impleuit.* Gal. 5. *Omnis lex in vno sermone impletur : Diliges proximum sicut teipsum.* c. 6. *Alter alterius onera portate* fraterne, *& sic adimplebitis legem.*

Operit peccata. Charitas tam diuina est, vt peccata aboleat. 1. Pet. 1. *Ante omnia mutuam in vobismetipsis continuam charit. habentes. Quia charit. operit multit peccatorum.* Dominus : *Remittuntur ei peccata multa ; quoniam dilexit multum.* Hinc Aug. hom. 8. Et de pœnit. Dist. 2. *Radix omnium malorum est cupiditas ; & radix omnium bonorum est charitas.*

Donat cœlo. Huic virtutum soli beatitas promittitur. 1. Cor. 2. *Nec oc. vi. nec aur. aud: nec in cor hom. asc. quæ præparauit Deus diligentibus se.*

Est vestis nuptialis. II. Vestis ea nuptialis est, Matt. 22. *Amice; quom. huc intr. non hab. vestem nuptialem?* 2. Ideo Christus dedit corpus suum concidendum ; at vestem seruari integram voluit. *Ioan.* 19. 3. S. Gregor. hom. 38. in Euang. *vos estis, fratres, Cortinæ tabernaculi; qui per fidem in cordibus vestris secreta cœlestia velatis : Sed cortinis tabernaculi bis tinctus est coccus ; hic quippe ignis speciem habet. Quid vero est charitas, nisi ignis? sed ea esse bis tincta debet, & per amorem Dei, & per amorem proximi.*

Oculi spõsi duo & tamen vnus: sic charit. Sunt hi duo sponsæ oculi, Cant. 4. *Oculi tui columbarum.* 1. Sponsus ibid. vnum prædicat: *Vulnerasti me in vno oculorum tuorum* sc. Deum diligendo propter se, & proximum propter Deum.

2. Vt enim oculi ambo in vnũ scopum collimant: ita vtraq; est vna dilectio Dei. 3. Et ea ignea. Luc. 12. *Ignem veni mittere in terram; & quid volo, nisi vt ardeat.* 4. Leu. 6. iussum, *Ignis in altari semper ardebit*: non ignes. 5. Dominus vno mandato comprehendit vtrumque, Ioan. 13. *mandatum nouum do vobis : vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.* Ioa. 15. *Hæc mando vobis.*

PARS II.

Quam simplex & Rectus fuerit S. Simeon.

Natalitium. I. SImon & Iudas fuere patrueles Christi. Nam S. Anna, mortuo Ioachim, nupsit

nupsit Cleophæ, fratri Ioſephi B.V. ſponſi. Peperit ea Mariam, dein Alphæo datam nuptui. Peperit & Iacobum Minorem Chriſto ſimillimum, Ioſephum, ſeu Iuſtum, Simonem, & Iudam.

Simones illuſtres.

Simones plerique illuſtres: Vt, *Eccl.* 50. Simon Pont. Max. qui Domum Dei ſuffulſit, ne ſubuerteretur. 2. Simon Machabæus, 1. Mach. 3 Pont. Max. Duxque Iudææ. 3. Matth. 16. *Beatus es Simon Bariona.* 4. Mar. 14. *In domo Simonis leproſi*, Principis Synagogæ. 5. *Matth.* 26. Simon Cyrenæus crucis Chriſti baiulus. Silebo Simonem Magum, *Act.* 8. Quia Pſalm. 68. *Deleatur de libro viuentium, & cum iuſtis non ſcribatur.*

Erat Cananæus.

Simon à Matth. & Mar. dicitur *Cananæus.* 1. Lucas ait, *zelotes.* Nicephorus tamen *l.* 1. *c.* 40. vult à zelo ſuo in Dominum & Euang. ſic dictum: ſed errat. *S. Hier. in* 10. *Matth.* natum in Cana putat: Negat *Beda in* 1. *Act.* & *Niceph. l.* 1. *c.* 40. Iſidorus lib. de Patr. N. T. putat eum S. Iacobo in Epiſcopatu Ieroſ. ſucceſsiſſe: Obiiſſe ætatis anno 120. in perſecutione Traiani crucifixum. Ita & Beda in Act. Negat hæc Ado in Martyrol. Errat Niceph. l. 8. c. 30. eum fuiſſe ſponſum nuptiarum in Cana.

Epiſc. Ieroſol. poſt Iac.

Erat obediens.

Simon ſignificat quoque *obedientem*, ſcilicet Deo; ideo & ipſi paruere dæmones effugati, homines catechiſati; Pontum enim & Aegyptum & Meſopotamiam conuertit. Paruit ei mare, reddens eius iuſſu LXX ſubmerſos, queis vitam reddidit. Eius iuſſu ignis ſacrificulos & idola hauſit.

Vnitus Deo.

Inter 12. Gemmas, *Apoc.* 21. in fundamento Ieroſ. competit ei *Hyacinthus*, qui, ait Iſid. l. 16. c. 7. *non rutilat æqualiter, ſed cum facie cœli mutatur: Sereno enim perſpicuus eſt & gratus; nubilo, coram oculis euaneſcit, atque marceſcit.* id eſt, coloris eſt ſubflaui, & aerij: Ita Simon ad cœleſtem inſtinctu afficiebatur, agebatque omnia.

Apoſtolatu dignus.

Dignus plane Apoſtolatus apice: Etſi de ſe Apoſtolus, 1. Cor. 3. fateatur; *Non ſum dignus vocari Apoſtolus.* Quare, quia ibid. *Quod ſi Miniſtratio mortis, literis deformata in lapidibus, fuit in gloria; ita, vt non poſſent filij Iſr. intendere in faciem Moyſi, propter gloriam vultus eius; quomodo non magis Miniſtratio Spiritus erit in gloria?* Quæ miniſtros facit Fratres Domini. Ioan. 20. *Vade ad Fratres meos, & dic &c.*

Simplex erat vt Iob.

II. Fuit in eo quoque amabilis Simplicitas. Adeo, Iob. 1. *Erat vir ille ſimplex, & rectus & timens Deum; ac recedens à malo.* In Hebræo pro *ſimplex* legitur *Tham.* i. integer, perfectus. Matt. 10. *Eſtote ſimplices ſicut columbæ, & prudentes ſicut ſerpentes.* 2. Cor. 8. *Altiſſima eorum paupertas abundauit in diuitias ſimplicitatis eorum.* q. d. hæc altior erat.

Typus.

Similis ſimplicitas iuſta typum habet Exod. 20. *Altare de terra facies mihi*; quid ſimplicius? *Vel de lapidibus, quos ferrum non tetigit. Si leuaueris ſuper eos cultrum, polluetur.* 2. Vere Dauid, 1. Par. 20. *Scio, Deus meus, quod corda probas, & ſimplicitatem diligis.* 3. Nunquid ipſo de ſeruatore dictum vere, Pſ. 78. *Et pauit eos in ſimplicitate cordis ſui, & in intellectibus manuum ſuarum.* Quia act. 1. *Cœpit Ieſus facere & Docere.*

Vt Dominus.

Fuit Rectus.

Fuit, vt Iob, quoq; *Rectus* in docendo & agendo. 1. Pſal. 72. *Quam bonus Iſrael Deus, qui recto ſunt corde.* Pſalm. 7. *Qui ſaluos facit rectos corde.* 2. Achis Rex Philiſt: idem in Dauide prædicabat, 1. Reg. 29. *Viuit Dominus, quia rectus es tu, & bonus in conſpectu meo; & non inueni in te quicquam mali: ſed ſatrapis meis non places.* 3. Econtra, Petrus Sim. Magum arguit, *Act.* 8. *Cor tuum non eſt rectum coram Domino.* 4. Itaque Pſalm. 32. *Rectos decet collaudatio Domini.* Et viciſsim Pſalm. 68. *Laudabuntur omnes recti corde.* Nimirum ipſe, Deut. 32.

Deus fidelis, & absque vlla iniquitate, iustus & Rectus. Ps. 91. *Rectus Dominus Deus noster.* Ps. 24. *Dulcis quoq; & rectus Dominus.*

Rectitudo triplex. Trina vero rectitudo in homine requiritur. 1 Cordis. Psal. 124. *Benedic Domine bonis & rectis corde.* 2. Spiritus & mentis. Ps. 50. *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum Rectum innoua in visc. meis.* 3. Pedum. Ez. 1. *Pedes eorum pedes recti.*

Timuit Deum. Fuit, vt Iob, *Timens Deum* 1. At Eccl. 1. *Radix sapientiæ est, timere Deum.* 2. Ideo orabat Ps. 118. *Confige timore tuo carnes meas; à iudiciis enim tuis timui.* 3. Greg. 6. Mor. c. 24. *Anchora cordis est pondus Timoris. Et sicut maioribus nauibus maiori ancora opus est: ita, quo iustior homo, maiori timore indiget.*

4. Eccl. 12. *Deum time, & mandata eius obserua: Hoc est enim omnis homo.* q. d. In hoc esse & posse est hominis: Alia lectio: *Nã in hoc consistit omnium hominum perfectio.* 5. Huc ideo zelabat Psaltes 34. *Venite filii, audite me; Timorem Domini docebo vos:* non siderum cursus, non influentias. &c. Etenim Psal. 111. *Beatus vir, qui timet Dominum; in mandatis eius volet nimis.*

PARS III.

Quantus zelotes fuit S. Simon.

Zelus eius mirificus. I. *Zelotes* dictus est, ab excessu charitatis. 1. Vt *Dominus, Zelotes nomen eius.* Exod. 32. Alibi: *Dominus Deus tuus fortis & Zelotes.* 2. Vt Phinees filius Eleazari, nepos Aaronis, Num. 24. *Erit tam ipsi, quam semini eius pactum sacerdotij sempiternũ: Quia zelatus est p Deo suo, & expiauit scelus filiorũ Isr.* 3. Vt Elias. 3. Re. 19. *Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum; quia dereliquerunt pactum Domini filii Isr. altaria tua destruxerunt, & Prophetas tuos occiderunt gladio.* Talis in gentibus Simon: 4. Vt Dauid. Ps. 68. *Zelus domus tuæ comedit me: & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.* Psalm. 118. *Tabescere me fecit Zelus meus; Quia obliti sũt verba tua inimici tui.*

Imitare zelum contra blasphemos. &c. 1. Vt Abisai contra Semei pro Dauid. 2. Reg. 19. *Quare maledicit canis hic morituro Domino meo Regi? Vadam, & amputabo caput eius.* 2. Ecce producti in aciem, 1. Mach. 15. *Statuerunt dimicare fortiter; eo quod ciuitas S. & Templum periclitarentur.* Hic zelus erat Dei: non curabant vxores, proles. &c.

Maxime in prædicãdo. II. Apoc. 10. Angelus describitur, Fortis; cœlo lapsus, amictus nube; Iris circum caput; facies clari; pedes vt columnæ ignææ, cum libro in manu; pede dextro mari, terræ sinistro insistens. Omnes de Christo interpretantur: Atqui non male de Simone, & quouis prædicatore zeloso acceperis. Ille terra marique Euangelium propagauit. 1. Quasi iussus à Domino: Exod. 28. *Facies in Rationali* Charitatis duas *catenas, sibi inuicem cohærentes, ex auro purissimo.* Nam vna charitas est item gemina, Dei, & proximi.

Et charit. proximi. 2. Fuit is, vt Baptista, *lucerna ardens* Deo *& lucens* proximo: Imo Mat. 5. *Lux mũdi.* 3. Fuit *cor* Persiæ, Iudææ, Mesop. ex quo calor omnis in corpus conuersorum promanauit. 4. Plane sicut, Exo. 28. Gemmis duabus humeralis pontificii incisa erant nomina xii. tribuum, & xii. gemmis Rationalis similiter: ita in corde Simeon, inque humeris gestabat fideles: verus reipsa *zelotes*: qui vna in Persia & circa Babylonem plus quam 4000. animas conuertit per *Vrim, & Thumim.* i. *Doctrinam & veritat. vel illuminationem, & perfectionem, inscripta Rationali.*

Prædicans fortius, quam loquens. III. Adeo, Cant. 4. *mel* doctrinæ, *& lac,* veritatis *sub lingua tua*, Simon, condita prodibant; non *in lingua* oratoria ostentabantur. Vt i Paulus: 1. Corint. 1. *Non misit me Deus baptizare, sed euangelizare*: quomodo? *Non in sapientia verbi; Vt non euacuetur*

tur Crux Christi: Atque huc, ait S. Tho. 2. 2. q. 179. a. 1. acceperunt donum linguarum, vt simplicem non fucatam, veritatem annunciarent.

Iacus cōtra scioli cauiem. Certe Acham Ios. 7. ideo lapidatus est, quod contra iussum Dei *linguam auream*, (sic legunt Hebræi, Orig. Hier.) ex anathematis Iericho sublegisset. Tales verbicrei ostentatores magis, quam Christi prædicatores. *Ex fructibus eorum cognoscite eos.*

2. Moses *Virga* percussit petram; & fluxerũt aquę Ex. 17. Lingua tu virgea, acri; non adulatoria meretricie fucata; ferias corda auditorum. 3. Is iaculantium est peritissimus, qui scopum ferit propius: Ita prædicator, qui cordium est tactor.

Varia aquæ ium. 4. Tria in loquendo vitia notauit sapiens quidam: 1. *Pauca scire, ac doceri nolle:* 2. *Multa scire, & docere nolle.* 3. *Docere optime, & viuere pessime.* Simon optimam partem elegit: Nostri istorum vnum plerique sectantur.

PARS IV.

De S. Iudæ vera nobilitate.

Argumentum. I. LVcas vocat eum *Iudam Iacobi* sc. frater: Matt. & Mar. *Thadæum*: Doroth. Chrysost. Niceph. *Lebbæum* ex Syriaco textu. i. Hier. *cor.* & *Leonem. Leba* est *cor*: *Labi, leo.* Erat is Leonini cordis vir. Iudæ nomine rarius vocatus est: ob reuerentiam vocis *Iehoua*, quod quædam ex hac literæ essent in illo: Hinc mos Iudęorum: sed incertum est. Hinc dictus *Lebbæus*, forte quod, *Gen.* 49. Iacobi filius erat Iudas. i. *Catulus leonis.* Item *Thaddæus* à *Thoda.* i. laude.

Vide pra. tibil. Fuit cognatus Domini. Matt. 13. *Nonne mater eius dicitur Miria, & fratres eius* Christi, *Iacobus & Ioseph, & Simon & Iudas apud vos sunt?* Itaque & duorum Apostolorum frater erat.

At humilis. Nec tamen hoc nixus fulcro appetiuit altiora se, vt Zebediades Ioan. & Iac. Tametsi Oseæ 9. esset *Gloria eorum à partu, & ab vtero, & à conceptu*: Vnde multi insolescunt.

Virtus nobilitat sola. Est quidem, Prou. 17. *Gloria filiorum patres eorum*: Sed si hac non sola glorientur. Nam serui Dei nobilitatem ex virtute petunt. 1. Hier. ad Celantiam, *Sola apud Deum libertas est, non seruire peccatis: summa apud Deum nobilitas est, clarum esse virtutibus.* 2. S. Ber. ad Eugen. Pont. *Genus Apostolorum est non aliunde nobile, quam morum ingenuitate, & fidei fortitudine.*

Non patria. 3. Anacharsis appellanti eum *Scytham* probrose, ait: *Mihi probro patria est*: *Tu patriæ.* Laertio teste. 4. Ita apud *Plut. in Apopht.* Iphicrates Dux obiicienti patrem sutorem, ait: *Meum genus à meipso initium sumit: tuum in te finit.*

Non opes. 5. Bene Ouidi.

Nec census, nec clarum nomen auorum:
Sed probitas magnos, ingeniumq; facit.

Non sapientiæ. 6. Democritus apud Stobæum sciscitanti; in qua re nobilitas vera ponatur, ait: *In pecudibus nobilitas consistit in corpore, in Hominibus vero in moribus animi candidis & laudabilibus.* 7. Maximus Imp. ad Sē. Roman. ita scripsit, teste Herodiano: *Parum prodest generis & corporis nobilitas, vbi vera deest animi nobilitas, Virtus sc. & probitas.*

Ratio bella. Sæpe vt eodem è trunco spinæ & rosæ nascuntur. Sic proles vna è matre probæ & improbæ. Rebecca *Gen.* 25. extulit vno partu læuem & pilosum, Deo charum, & exosum. S. Iudas nobilitat. in Dei cultu ponebat, ac tuebatur leonina generositate.

S. Iudæ docuit & fecit. II. Quin & Doctor est Ecclesiæ, teste Epist. canonica, quam prædicationi adiecit; vt opere ac verbo doceret. Sicut Paulus, Phil. 4. *Quæ audistis & vidistis in me, hæc agite; & Deus pacis erit vobiscum.*

1. Tim. 4. *Exemplo esto fidelium in verbo, in cõuersatione.*

Hypocritæ sucus. Succus Hypocritæ: 1. Plut. l. de perfect. mor. *Græci verborum magni Philosophi; sed vita & moribus leuissimi.* 2. In quos Solonis est scomma notũ, apud Plut. *Vos semper pueri estis; senex autem Græcorum nemo.*

Peroratio. Tales hodie concionatorum quidam garruli, sed ignari, aut vita leuiculi: in vmbone Apostoli, in vita apostatæ. Quales apud Ez. 8. senes, tergum altari obuertentes, soles orientem respectãtes. Hunc adorant qui mundi florem palpant ad gratiam loquentes potentibus sæculi: aut luxuriam sectantes vsque ad canos annos, plus quam iuuentus perdita.

At S. Iudas hoc Domini attendit Mat. 5. *Qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.*

IN F. OMNIVM SANCTORVM.

Gaudete, & exultate, quia merces vestra copiosa est in cœlis.
Matt. 5.

ARcem, 2. Reg. 5. Sion munitissimam tenentibus Iebuzæis, Dauid obsidens, præmium proponit cuiq; se fortissime gesturo. Ita Deus in expugnatione regni cœlorum, amantis vim pati; ad quod aditum dæmones vndique obsederunt; id ipsum tantum quantum præmium proponit vincentibus: & iam victores dantur in exemplum.

Nos

I. *De bonorum operum merito ac pretio.*
II. *Quanta beatorum sit beatitudo.*
III. *Qualis sit eadem.*
IV. *De octo beatitudinibus generatim.*
V. *De Paupertate spiritus.*
VI. *De mitibus, & patientibus.*

PARS I.

De bonorum operum merito, ac pretio.

I. BOnorum operum mercedem certam S. Scriptura spondet. 1. Rom. 2. *Reddet vnicuiq; secundum opera sua.* 2. Sap. 5. *Apud Dominum est merces eorum.* 3. Sap. 10. *Reddes iustis mercedem laborum suorum.* Ier. 31. *Erit merces operi tuo.* 4. Istud illustre, Prou. 11. *Impius faciet opus instabile: seruanti autem iustitiam merces fidelis.* *Opera bona sunt meritoria Salutis æt.*

Iustus enim Deus nostros pro seselabores exantlatos fallere nescit. 1. Non, vti de Laban Iacob queritur, Genes. 31. *Totis viribus seruiui patri vestro: sed circumuenit me & mutauit mercedem meam decem vicibus.* Non sic: Sed Psalm. 141. *Fidelis in omnibus verbis suis: & sanctus in omnibus operibus suis.* 2. Non, vt Pharao diurnis fessos laboribus sub vesperum iussit flagellari; *Exod.* 3. Sed *Matth.* 20. mercedem dari. 3. Non, vt queritur Dauidiis, 1. Reg. 30. *Puer Aegyptius ego sum, seruus viri Amalecitæ. Dereliquit autem me Dominus meus quia ægrotare cœpi.* Non sic Deus: Nã Ps 36. *Iunior fui; etenim senui: & non vidi iustum derelictum; neque semen eius quærens panem.* *Quia fraus in Deo nulla.*

Quin Eccl. 36. in fidem & iustitiam eius confidens ait: *Da mercedem sustinentibus te: vt Prophetæ tui fideles inueniantur.* Imo, iniustus audiret: si mercedem negaret iustis. Nam *promissum cadit in debitum.* At Heb. 6. *Non est iniustus Deus: vt obliuiscatur operis vestri.* *Sed mera iustitia.*

Hinc spe certa plenus, 2. Timoth. 4. *Bonum certamen certaui, cursum consummaui: in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ; quam reddet mihi Dominus iustus iudex.*

Hem! Iustitiæ? Vnde? An non Luc. 17. *Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: serui inutiles sumus. Quæ debuimus facere, fecimus?* Ita quidem, *quoad meri-* *Remunerãs cũ misericordia.*

meritum de condigno. Nam sic, Romanorum octauo. *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.*

De Congruo. Veruntamen, *quoad meritum de congruo*, suis se promissis obligauit DEVS: Ierem. 31. *Erit merces operi tuo*: Vt dicere ei possis, Matth. 20. *Nunquid ex denario conuenisti mecum?* Luc. 10. 1. Timoth. 5. *Dignus est enim operarius mercede sua.*

Et ex Merito Christi. Qui opera nostra. 1 Emendat. Taceo, quod merita nostra Christi meritis innitantur: vt, qui suis, fecit pretium & nostris. 1. Vt enim Elisæus, 4. *Regum* 2. immisso in aquas Ierichuntinas sale, ex amaris, sterilibus, noxiis, reddidit suaues, fertiles, salubres: Ita Christus opera fidelium sale passionis suæ condiuit, vt Patri sint accepta, Deoq; digna.

2. Custodit. 2. Exterminator primogenitorum in Aegypto Angelus, quarum postes domuum sanguine vidit Agni signatos; eas innoxius pertransiit. *Exod.* 12. Sic opera nostra Christi meritis imbuta gratiam vitæ merentur.

3 Remuneratur. 4 Sibi assignat. 3. Rom. 2. *Reddet vnicuique secundum opera eius: iis quidem, qui secundum patientiam boni operis, gloriam & honorem & incorruptionem quærunt; vitam æternam.* 4. Ita *Ezechiel.* 9. Signati in frontibus signo Tau, erant immunes à nece: non signati, necabantur. Sic opera vitæ sunt, quæ ad Crucis se merita referunt: mortis, quæ vanitatis.

5 Vestit. 5. Manus Moysis nuda, *Exod.* 4. erat leprosa: at in sinum iussu Dei reducta; erat & speciosa, & pretiosa miraculorum operatrix. Ergo, Eccles. 9. *Quicquid manus tua potest, instanter operare* in Christo Iesu. 6. Aeneus serpens, *Num.* 21. humi iacens nulli erat saluti: at in crucem sublatus, vitæ erat, vel respectus duntaxat. *Natura filii iræ sumus*, & opera nostra mortua ac velut pannus menstruatæ. At in Christo, Vita nostra, omnia possumus.

6. Eleuat.

Ab Naaman, Principe Syro, 4. *Reg.* 5. quam copioso, tam & leproso: nullum acceptare dignatus est munus Elisæus: At simul ac mundatus aquis Iordanis erat; iam vltro benedictionem ei impertiit: Ita ex natura Isa. 64. *facti sumus, vt immundus, omnes nos &, quasi pannus menstruatæ, vniuersæ iustitiæ nostræ.* Tinge autem eas passione IESV; iam quid Deo gratius mundatis Sanguine Iesu? 7. Mũdat

8. Sunt opera nostra, vt vasti globi tormentarij, qui per se sunt pondera terræ: at inclusa, & excussa tormentis, feruntur fulminis instar. Ex intentione operantis, assumente puluerem meritorum CHRISTI, opera nostra bona regno cœlorum vim faciunt: ita volente Deo. 8. Promouet.

6. Aurum, argentum, & gazæ Aegyptiorum destinata erant idololatriæ: vt deuenerunt in man⁹ Israelitarum; mox digna sunt, quæ Tabernaculo conficiendo deseruiant. *Exod.* 36. 37. Charitas est Christianorum, quæ excoquit, imo vertit etiam operum scoriam in aurum. Et hinc *gaudete, & exultate: quoniam merces vestra magna est in cœlis.* 9. In honorem vertit.

PARS II.

Quanta Beatorum sit beatitudo.

I. INeffabilis? Incomprehensibilis, inquam, Beatitudo est. 1. Cor. 2. *Nec oculus vidit: nec auris audiuit; nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se.* 2. S. Cyprianus Epist. 58. *Quæ erit gratia, quãta lætitia; admitti, vt Deum videas? honorari, vt cum Christo salutis ac lucis æternæ gaudium capias? Patriarchas omnes, Prophetas, Apostolos, & Martyres salutare? Cum iustis ac Dei amicis in regno cœlorum, data immortalitatis voluptate gaudere? Sumere illic, quod nec oculus vidit, &c.* Est beatissima. 1. Ex consortio.

2. S. Thom. par. 1. q. 25. 6. ad 2. An condita

2. Ex obiecto Deo.

dita posset Deus condere meliora? Respondet. Quædam forte in accidente: at Beatitatem in re nulla. Quia hæc est Ipse. 3. Bene ergo Boetius. *Beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus.*

5. Ex bono infinito.

5. Et Moysi Deus, Exod. 33. *Ostendam tibi omne bonum*: quasi dicat. In orbe hoc meram intueris vmbram. Ibi videbis gloriosa corpora, non tantum solis instar fulgentia; qualia Danieli, *cap.* 10, & Ioan. *Apoc.* 1. sunt visa: sed quæ ipsum sint lumen. Videbis Cherubinos; non ænigmaticos supra propitiatorium; *Exod.* 25, nec pannatos, elatos, vt Isaias, *c.* 6. sed puros Spiritus; videbis Angelos non vt Abraham, Loth, Iacob, &c. specie humana. Me Iesum videbis; non in Rubo, *Exo.* 3. non in turbine, vt Eliæ sum visus 3. Reg. 18. *sed facie ad faciem.*

4. Ex disparatis Inferni.

4. Infernus omne malum ostendit: Mundus bonum malo intermistum: Ego *ostendam tibi omne Bonum.*

1. Exploratores terræ promissæ vuas &c. ostenderunt, *Num.* 13. 2. Ezechias Rex Legatis Babylonijs thesauros suos, 4. *Reg.* 20. 3. Assuerus, *Esth.* 11. Satrapis regiam magnificentiam: 4. Satan *Mat.* 4. Christo mundi regna omnia: Ast *Ego ostendam tibi omne bonum*: id est Philosophis, *Omne Ens, & Verum.*

5. Et mundi.

5. Mundus ostendit *Ens*; sed transitorium: *Bonum*, sed fucatum: *Verum*; sed falsum. Veteramentarius est ac Scrutarius mango, cuius omnes Categoriæ decem, ac merces vitium habent. Vnde monet Rex, Ps. 4. *Filii hominum vt quid diligitis vanitatem; & quæritis mendacium? Scitote, quoniam Dominus ipse est Deus.*

1. De consortio.

II. At Vos, ô Diui, *gaudete, & exultate*: Et vero quam *merces copiosa est*? 1. Ibi, scribit S. Basilius Magnus: *Ibi Angelorum millia primorum parentum conuentus, Apostolorum sedes, tribunalia Prophetarum, Patriarcharum sceptra, Martyrum coronæ, iustorum laudes cumulatissime spectabuntur.*

2. De obiecto.

2. Aug. 22. ciu. c. 30. *Quanta erit illa felicitas vbi nullum erit malum: nullum latebit bonum: vacabitur Dei laudibus: qui erit omnia in omnibus.*

3. De bono infinito.

3. S. Prosper lib. 1. de vita Contem. cap. 2. *Futura vita creditur beate sempiterna, & sempiterne beata. Vbi est certa securitas: secura tranquillitas: tranquilla iucunditas.*

4. De disparatis.

4 S. Fulgentius Epist. 6. cap. 4. *Quis non illius vitæ desiderio præsentem vitam despiciat? Illius abundantia has diuitias exhorreat? &c.*

5. S. Gregor. homil. 37. *Si consideremus, quæ & quanta sint quæ nobis promittuntur in cœlis: vilescunt omnia quæ habentur in terris.*

Ergo labore acquirit digna.

III. Quare 1. Vt mater Machab. lib. 2. cap. 7. *Peto nate, vt aspicias ad cœlum, terram, & omnia quæ in eis sunt, & intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus; ita fiet, vt non timeas carnificem istum.* 2. Quin Ipse Iesus Hebr. 12. *proposito sibi Gaudio sustinuit Crucem.*

Talis ac tanta.

Quam illa erit *merces copiosa*? Quærunt filiæ Sion à Sponsa, Cant. 5. *Qualis est dilectus tuus, ô pulcerrima mulierum?* Respondet ea. *Dilectus meus candidus, & rubicũdus: electus ex millibus. Caput eius aurum optimum: comæ eius, &c. Totus desiderabilis.* 2. IESVS verbo totum dicit, Matth. 25. *Intra in gaudium Domini.* 3. Iterum Ioann. 12. *Vbi Ego sum; illic & minister meus erit.* Quid ni igitur *gaudete & exultate.*

PARS III.

Qualis Beatorum sit beatitudo?

Similitudines.

1. De bono infinito.

I. MErces copiosa erit: ob ęternitatem: ob perfectionem, quæ est Essentia Dei. In hac vna sunt omnia. 1. Si transiens è domo sordes eiici videres; hasq; propius inspiciens, esse pyropos, gemmas, aurum cognosceres: attonitus cogitares: quæ ergo & quantæ opes intus erunt? Quam felices domestici: Ita è cœlo, ex Deo hæc creata sunt eiecta. Intus qualia? Audi Psaltẽ, 83. *Beati, qui habitant in do-*

mo tua Domine! In sæcula sæculorum laudabunt te. Ergo *gaudete & exultate.*

2. De obiecto. 2. *Copiosa.* Quia eius obiectum Deus. Quid hoc? Mirum non foret si Regem prodeuntem admirabundi intuerentur viri vulgares; quibus tanta maiestas insolita, nec visa vnquam: At si eam aulici, qui semper cum Rege conuersantur, similiter admirarentur, &c. quid de tanta illius maiestate diceres, quam nunquã satis admirari possent? At ipsi Angeli desiderant indesinenter intueri Deum, &c. nec admirari, vel laudare desistunt.

3. De consortio. 3. Dic obsecro Christiane; scribit S. *Chrysost. Epist. 5. ad Theod. lapsum.* Si in theatrum introductus videres consessum Regum, procerum splendidissime ornatorum, apparatumq; inexplicabilem: In horum medio autem Monarcham cũctis augustiorem, qui te ad se euocare sessum, vt omnia cum ipso eadem communia haberes: an tardares? Quid non ageres, ad ipsum vt te penetrares? Quem te feliciorem duceres? Ita Deus in cœlo agit; Ipse iustorum est beatitudo. Ergo *gaudete, & exultate.*

Hæreses negantes beatitudinem. II. Quid igitur tibi, *Tertulliane*, voluisti *lib. 4 contra Marcionem ca. 34.* vt in abstruso mundi angulo, ad vsque extremum iudicium iustorum animas delitescere diceres? In cœlo requiescunt beatæ. 2. Quid vos hæretici Armenij? Qui in cœlis animas degentes quidem; sed visione Dei priuatas esse ad vsque iudicium extremum fingebatis? Teste *D. Th. de erroribus Græcorum*, 3. quid Vigilantius, *teste Hier.* somniat; quid Petrobrusiani &c. quod exclusas cœlo fabulemini, vsque dum Christus veniat ad iudicium? 4. Quid *Luthere:* quod dormire, & nostra nescire diceres? ad *cap. 25. Genes. 5.* Non dum cœlo receptas comminiscitur Corn. Agrippa, *lib. 3. de occulta Phil. 6.* Quid tibi vis *Caluine:* vt *li. 3. Inst. cap. 25. §. 6.* gloriã Diuis cœlo abneges, ceu nugas metas?

Refutata. 1. Vel Christum audite: Ioan. 17. *Pater, quos dedisti mihi, volo, vt vbi ego sum, & illi sint mecum: Vt videant claritatem meam, quã dedisti mihi.* 2. Apostolũ *Phil. 1. Cupio dissolui, & esse cum Christo.*

Beati curãt nostra. 3. In cœlo nostra sciunt Diui, ac curãt. 1. Baruch. 3. *Domine omnipotens Deus Israel, audi nunc orationem mortuorum Israel, & filiorum ipsorum, qui peccauerunt ante te.* 2. Onias, 2. *Mach. 15.* Pontifex, dudum mortuus, ab Iuda tamen visus est multum orare pro populo. 3. Epulo. *Luc. 16.* vel in inferno pro fratribus orabat Abraham.

Negans impii. 1. Et tu Vigilanti, Sanctorum intercessionem negabis? 2. Copronyme Imp. tu edicto eandem prohibebis? 3. Et vos VValdenses, VViclefitæ, &c. Lutherani, Caluiniani, &c. damnabitis eandem? 4. Damnant eam & Mahometani: *Azoara 49.* At non S. Ioannes; Apoc. 7. *Vidi*, inquit, *turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gẽtibus, tribubus, & linguis, stantes ante thronum Dei.* At hãc impia turba videre nequit.

Patet vndique cœlũ. Hem! Vbique patens ducit ad astra via: attamen *Apoc. 21.* visa est Ierusalem cœlestis portas etiam habere XII. Ne vsquam non foret aditus.

Differunt Beati accidentaliter. III. Ergo beati ibi omnes: sed non æqualiter omnes. 1. *Vt enim stella differt à stella, in claritate: Sic & resurrectio mortuorum.* 1. Cor. 15. 2. Vt in deserto, Exod. 16. *Mensi sunt ad mensuram Gomor: Nec, qui plus collegerat, habuit amplius; nec, qui minus; reperit minus: Sed singuli iuxta id, quod comedere poterant, congregauerunt.* Manna significat beatitudinem. Vt *Apoc. 2. Vincenti dabo manna absconditum.* Et de fruitione huius est, vt de illius: æqualiter; attamen cuique pro suo appetitu sapiebat.

3. Ioseph, *Genes. 43.* ad mensam collocarat

carat fratres ordine ætatis: in hoc discrimen erat; nõ in tractatione ad mensam, quæ æqualis, *Biberunt & inebriati sunt cum eo.* Iesus est Ioseph iustus, nos fratres; meritis diuersi. Ps. 35. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ.*

4. Veruntamen, Dan. 5. *Vnusquisque secundum suam bibebat ætatem* honorum, ac meritorum: Vt in regio Assueri epulo factum: Sic & Isai. 5. *Pascentur agni iuxta ordinem suum.* Et Psalm. 35. *Torrente voluptatis tuæ potabis eos.* 5. *Homo quidam nobilis,* Luc. 19. *abijt in regionem longinquam accipere sibi regnum, & reuerti. Vocatis autem X. seruis suis dedit eis X. mnas: & ait: Negotiamini, dum venio.* Reuersus alium super plures, super pauciores alium ciuitates constituit, pro mensura lucri. Ita in retributione cœlesti *dabitur vnicuique secundum opera sua.*

PARS IV.

De octo Beatitudinibus generatim.

I. OCto ad beatitudinem vias signat Dominus: Paupertatem; Mansuetudinem; Luctum; Sitim iustitiæ: Misericordiam; Mundaciem cordis; Pacem; Patientiam. De hisce passim in Sacris Literis. 1. Ezechiel. c. 40 templum vidit augustum, quadrangulare, plenum prodigiis: ad quod per octo gradus ascendebatur. Ita. &c.

Figura. *1. Gradus octo templi.*

2. Iacob, *Gen.* 28. saxo indormiens vidit scalam, quæ hac cœlum, terram illa tangebat: & Angeli in ea sus, deque scandebant. Hæc scala est octo beatitudinum. eius vna extremitas est: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram:* Altera; *Beati, qui persecutionem, &c. ipsorum est regnum cœlorum.*

2. Scala Iacob.

II. Athenienses solebant certis diebus liberos per vrbem circumducere; ac notare quo genere artis quisque delectaretur; vt illi demum applicaretur. Si quis staret ad officinam polionis arma admirans: si alius ad bibliopolium: si ad pictoriam alius, alius ad sutoriam subsisteret; eius istuc indolem propendere ac genium augurabantur. Ita hodie circumducimur spectatores Paupertatis, Mansuetudinis, Luctus, &c. Si quo horum forte maxime simus oblectandi; vt supplicemus, ac saluemur. Enumera beatitudines singulas, ac per Octopoeiam propone.

Delige, quã ex octo ditigas maxime.

Iosue *cap.* 6. cingens Iericho sexcentis millib. hominum, eos monet, rem fortiter gerant: mandat, ne, stratis clangore buccinarum mutis, porta principe intrent, (compressioni cauendæ:) sed recta, quo loco stetissent, irruant. *Regnum cœlorum* est ciuitas, & *vim patitur*; clangente prædicatione, eius valla ruunt, murique, ab Satana, mundo, carne circumdati. Verum plures in id ingressus ostendit hic Dominus; non vult eadem intrare omnes; neu quid cuiquam incommodi accidat.

Via ad ciuitatem plurez.

Vetus Hebræorum traditio est; Israelitis mare rubrum transeuntibus, id XII. locis diuisum fuisse: vtquæq; tribus recto passu transiret: Sic Orig. Tostatus in Exo. 14. Genebr. in Psal. 135. *Qui diuisit mare rubrum in diuisiones.* Ita eductos ex Aegypto peccatorum nos ducit per varias Euangelij vias: & has præcipue octo.

Via per mundum plures.

PARS V.

De paupertate Spiritus.

I. BEati *Pauperes* voluntarij, amore Dei, non coacti. idiotæ, fatui. Sic Glossa. 1. Qualis erat, qui orat, Psalm. 85 *Inclina Domine aurem tuam, quia inops & pauper sum ego.* Vbi Augustin. ita. *Pauper non erat, cum Rex esset: sed interius pauper erat: Multi exterius pauperes sunt, qui intus diuites sunt desiderio.* 2. *Tanquam nihil habentes; & omnia possidentes.* 2. Cor. 6.

Pauper spiritu. *1. Diues omnia est.*

3. Hem,

1. Securus à periculis est.

3. Hem, quam securus est portus Paupertas? Non metuit pyratas, non Syrtes, non breuia, ridet tempestates, toti insultat oceano. Educit suos, vel inuito hoc. Testis Ionas. Nautæ, *Ionæ* 1. merces eiecerant, vt vitam seruarent: Exonerate in vitæ nauigatione inutilia pondera terræ; vt cœli teneatur vita.

2. Immunis à vitiis.

3. Quæ Elisæus vasa repleuit oleo, in domo Sunamitidis; vacua prius erant. *Sint* & nostra vacua prius ab carne; terra, mundo; quam oleo gratiæ queant opleri. Mirum! Paupertate temporaria emi diuitias æternas?

3. Vacuus à passionibus.

4. *Non datur motus in vacuo*: vt Philosophi docent. In vacuo à vitiis, concupiscentiis, &c. animo non datur motus inconstantiæ, perturbationum, &c. Hisce diuites in mundo expositi agitantur arundinei.

4. Certus quando gratia.

5. Luna deliquium nunquam patitur, nisi dum plena est. Atque tum etiam ab sole abest longissime. Ita neque in animo contingunt ecclipses vacuo, &c.

5. Beatus & pauper.

II. Quare 1. Eccl. 31. *Beatus vir, qui inuentus est sine macula; & qui post aurum non abijt, nec sperauit in pecuniæ thesauris. Quis est hic, & laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in vita sua.*

6. Miraculum est.

2. Certe *S. Chrys. hom. 27. in 2. Cor.* fatetur, contemtum mundi ac diuitiarum miraculorum esse pene maximum: Vt, qui præter naturæ cursum ac vsum, ex Dei gratia sola fiat, homo autem Dei fit instrumentum, dum sponte paupertatis amplectitur consilium.

7. Iobs similis.

3. Idem Iobum fecit admirandum; qui, cum ignis, fulmina, elementa, & homines coniurassent in vnum; dicebat: cap. 1. *Nudus egressus sum de vtero matris meæ; & nudus reuertar illuc. Dominus dedit, Dominus abstulit; sit nomen Domini benedictum*, quasi dicat: Quid me affligam? Nil etiam seruare, vel auferre potui. At vero Religiosi isto superant Iobum; quod non expectent, donec sua ipsis Satan, casus, hostisue rapiat, sed ipsi sibi sunt tortores sui ac raptores, præueniunt ministros illos Dei.

4. Vere suus ac liber.

4. *Beatus*, ait Sanctus Augustinus: *Quem delectat vera libertas; is ab amore mutabilium liber esse appetit.* Qualis Seneca. *Vaco*, ait, *mi Lucili; vaco. Et vbicunque sum; meus sum. Rebus enim non me trado; sed commodo*, quasi dicat: Non vendo libertatem meam; nec subiugo me rebus: non iis cedo iure meo.

5. Subque protectione Dei est.

5. Ionæ 4. *Parauit Deus hederam, & ascendit super caput Ionæ; vt esset vmbra super caput eius, & protegeret eum, laborauerat enim: & lætatus est Ionas. Et parauit Deus vermem; & percussit hederam, & exaruit.* Hedera sunt bona temporalia; quæ ad murum, vel arborem piorum assurgunt sensim, at sine hoc adminiculo humi reptant sordida: *Sub* hisce terreni dormiunt, lætantur, æque ac ipsa sordidati: At iusti sub educta alte hedera; vt Ionas. Vtrique breue. Nam Christus, qui de se ait: Psal. 21. *Ego sum vermis vitæ breuiculæ; & non homo* superbus & iniquus. Isque radicem mundani viroris depascit ore, dum dixit: *Beati pauperes.* Hinc omnes pij hederam, mundique opes, aridas & exsiccas semper æstimarunt.

PARS VI.

De mitibus, & Patientibus.

I. Beati mites, iniuriam placide perpetientes. 1. Matthæi 11. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Discite, nō mundos condere, miracula patrare, manna pluere, rupes in aquas soluere: sed rancorem exuere, &c. 2. *Et Moyses vir mitissimus.* Num. 12. 3. Et Deus, Psalm. 85. *Tu Domine suauis, & mitis.*

Maledicti ergo sæui: &c. Ad vos non

Iracundus est. *1. Rabiosus.* spectat cœlum; sed rabiosus orcus Cerberi. Qualis iracundus? 1. Iob 41. *De naribus eius ascendit fumus ollæ succensæ.* Hæc ebulliens sordes è fundo sursum agit: ita cholera sordes cordis. Vt cum Ieremia *cap.* 1. dicere queas: *Ollam succensam ego video:* cum percitum ira vides.

2. Damnosus. 2. Vt grando, meteorologica impressio est, tantoque decidit impetu, vt *sternat agros, sternat satalæta, boumque labores:* canit Virg. Ita cholera, percitiæ phantasiæ impressio, sternit propriam conscientiam, & fratris animam contristat. De Cholericis dixeris, Psalmo 148. *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum pars calicis eorum.*

3 Inquietus. 3. Mons Olympus altitudinis est tantæ; vt fulmine, turbine, &c. non tangatur: horum enim regionem excedit. Ita heroici sunt animi mites, vt illis passionibus non sint obnoxii.

4. Vastator. 4 Grando, *Exod.* 9. segetes; fructus, pecora, perdidit tota Aegypto; Gessen terram Israelitarum non attigit. Ita sua iracundis ira stragem edit potentiarum animæ, ac virtutum: Gessæ mites ab ista immunes sunt. Quare *Beati mites.*

5. Turbator animæ. 5. Ira, vt turbo est. Ezech. 1. *Ecce ventus turbinis venit ab Aquilone.* Vt igitur ventus è deserto irruit in domum Iob, *cap.* 1. angulisq; concussis quatuor, sua vnius ruina oppressit omnes liberos Iobi. Ita animæ virtutes naturales quatuor Prudentia, Iustit. Temp. Fort. quatiuntur ab ira; vt sæpe simul omnia bona opera ac merita pereant euersa & obruta. Vere igitur heroica virtus Benignitas est.

1. Afflictiones beant. *II. Beati qui persecutionem patiuntur.* Regia virtus est tolerantia afflictionum. Sine hac nulla vnquam vlli animæ salus facta est. 1. Act. 14. *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum.* 2. Cor. 4. *Hoc leue tribulationis nostræ immensum gloriæ pondus operatur in nobis.*

Ostendit eos Ioanni Angelus Apoc. 7. *Hi sunt, qui venerunt ex magna tribulatione.* Ergo. *Beati qui persec.* *1. Optandi sunt.*

O Exoptandæ afflictiones! Vt de exoptatissimis dixit Paulus: Gal. 6. *Absit mihi gloriari, nisi in Cruce Domini nostri;* quasi dicat: Glorientur in sceptris Reges, in scientia Philosophi, &c. Ego *in Cruce.*

3. Iacob, quandiu caput in lapidem declinatum habebat, visionem videbat. *Genes.* 28. Ita quamdiu tribulationum lapides capitibus subiectos habemus, cœlestia videmus, viamque ad superos; sentimus & consolationes cœlestes, &c. Beatæ igitur & tribulationes, & earum patientes! *3. Illuminant.*

4. Promittatur mitibus possessio terræ; lugentibus solatium; misericordibus reciproca misericordia; esurientibus saties: At Patientibus, & Pauperibus, regnũ cœlorum datur. *4. Regnare faciunt.*

III. Sed cur id hisce duobus tantum præ cæteris? 1. Vt plurium pater filiarum, sed non æque formosarum; inforimioribus dotem assignat ampliorem; quo elocentur felicius: ita hic Dominus Paupertati ac Patientiæ voluit consultum. Sicut Laban, *Genes.* 29. lippienti Liæ lautiorem contulit dotem: vt, quæ impares forma, essent & dote: Ita Deus octo pater filiarum Beatitudinum, literas sponsalitias composuit tali, vt scitur, cum discrimine. *Prærogatiuam habet datu à Deo.*

2. Massageris, genti Barbaræ, in more fuit, quotannis puellas, iuuenesque congregare: si quam sibi quis delegisset formosam, certa eam pecunia sibi redimere iubebatur: quæ dein dabatur inuenustioribus in dotem; maritis ea sibi comparandis. Ita hic Christus. Hisce viis animæ Sedes tenuere beatas.

PER-

PERORATIO.

QVare vt Moyses *Num.* 13. per exploratores terræ promissæ fructus varios plebi sub oculos afferri præcepit; accendendis desiderio Israelitis, suspirantibus alias ad Aegypti ollas: ita Dominus, & Ecclesia omnes Sanctorum fructus hodie producit, orexi nostræ prouocandæ, & acuendæ.

Sic Lacedæmonii maiorum suorum celeberrimorum quorumq; imagines, & acta proponebant sæpius; quibus iuuentutem ad similium æmulationem accéderent: Addebantq; titulum: *Si fueritis sicut isti; eritis sicut isti*: Ita hodie Ecclesia in cultu Omnium Sanctorum: addito quasi hoc elogio: 2. Tim. 2. *Si compatimur: & conregnabimus.*

IN DIE COMMEMORAtionis omnium animarum.

Requiem æternam d n eis Domine: & lux perpetua luceat eis.

DAuid, 2. *Reg.* 1. audito, Saulem cum robore Israelitarum in montibus Gelboe occubuisse, omnes secum ad luctum tali inuitauit lesso. *Considera Israel pro his, qui mortui sunt super excelsa tua vulnerati. Inclyti Israel super montes tuos interfecti sunt. Quomodo ceciderunt fortes? Quomodo ceciderunt robusti, & perierunt arma bellica?* Et vos inuito. Quomodo ceciderunt tot Pontifices, Imp. Reges, &c. Considerate pro his, qui & quanti mortui, à vermibus exesi sunt? Tot potentes, diuites, honorati, formosi, docti, &c.

Nos

I. *Quod mors sit memoranda.*
II. *Quod mortis memoria sit vtilis.*
III. *De cura pro mortuis.*
IV. *Varia gentium variarum cura in mortuos.*

PARS I.

Quod mors sit memoranda.

ECcles. 14. *Memor esto, quoniam mors non tardat; & testamentum inferorum, quoniam monstratum est tibi*; quasi dicat: Viue, quasi cras moriturus: disponeq; testamẽtum de sepulcro. 1. Visa est Mors *Apoc.* 6. insidere equo pallido; cui potestas data in quatuor orbis oras sæuire gladio: etiã in bestias. Initio orbis cõditi mors pedes inibat tardigrada, vt nongentis annis viuerent mortales. At iam Pegaso fertur, armata, & cum potestate accepta. Hinc vita breuior. *Non tardat.* *Mors cita breuis vita.* *1. Vt Pegasus.*

2. Babyloniis mos erat, inaugurati ac triumphantis Regis ob oculos obiicere quatuor auiculas, quæ in assiduo volatu expirarent: Quo celeris eum mortis monebant circumuolantis. 3. In Papæ inauguratione stuppa coram eo accenditur, ac dicitur: *Pater sancte, sic transit gloria mundi.* 4. Simon Machabæus 1. *Macch.* 13. ad cœtera in fratris sui Ionathæ occisi insignia in mausoleo, naues quoque sculptas adiecit. Indicio auolantis æui, vitęque fugacis. Huc *Iob.* 9. allusit: *Pertransierunt quasi naues.* *2. Vt auis.* *3. Vt stuppa.* *4. Vt nauis.*

5. Psalm. 101. *Defecerunt, sicut fumus, dies mei.* Sap. 1. *Spes impii tanquam fumus, qui a vento diffusus est: & tanquam memoria hospitis vnius dies prætereuntis.* *5. Vt fumus.*

6. Hospitium est mundus. Ministrat; ac etiam sub discessum computat. Discedentium immemor nouos aduenas expectat. Si multum meminit, hoc est: *Fuit hic hospes ille.* Hoc omnia loquuntur epitaphia. *6. Vt Hospitium.*

II. Plato aiebat: Scholam memoriæ de morte sibi constituunt sapientes: At obliuionis, stulti. 2. Et vero ita est; Boni viuendo sensim moriuntur; improbi *Memoranda vtraq; est.*

moriendo viuunt. Psalm. 54. *Veniat mors super illos, & descendant in infernum viuentes.* Hæc ira est zelosi : Dei ad animam ista, Cant. 1. *Si ignoras te,* ex obliuione mortalitatis tuæ, *ô pulcerrima mulierum ; egredere* ex domo mea corporis tui, *& abi* à consortio restrictius viuentium ex memoria mortis. Vbi Bern. *Dura increpatio. Hoc verbum serui audire solent à valde iratis Dominis.*

3. Inter alia, quæ Deus per Ieremiam, cap. 22. minatur improbo Regi Ioachim, etiam dicitur: *Sepultura asini sepelietur, proiectus extra portas.* Vbi Glossa : *Hæc sunt stomachi bestiarum ;* quasi dicat: Indignus terra est ; qui immemor viuit terræ, è qua sumtus ; & in quam reuertet. 4. Ideo Abraham, Gen. 23. mature de agro sepulturæ sibi, vxoriq; prouidit.

5. Sanciuit Deus de auium victimis, Leu. 1. *Plumas proiiciet prope altare ad Orientalem plagam, in quo cineres effundi solent.* Admonet ; quia morti victimamur omnes, & incineramur ; & sub oculis cineres nostros habeamus, vitæq; plumeam leuitatem, ambo in eodem loco *ad Orientem,* vbi omnia conspicua, *prope altare,* cum affectu pio ac spei bonæ. 6. Hinc hodie iuxta omnia templa sunt ossuaria, visunturq; solenni processione Dominicali. Quin omni in Missa defunctorum memoria fit.

PARS II.

Quod vtilis sit memoria mortis.

Mortis memoria humiliat.

I. MEmoria mortis mortalibus est perutilis. Hæc est viuētibus ; quod Cynosura nauigantibus. Ita enim Plutarchus ad suum olim discipulum Traianum Imp. post multa salutaria monita: *Ego scio, quod hæc omnia feceris ; si tui nunquā oblitus fueris,* quasi morituri.

Exempla quatuor.

1. Mortis memoria superbiam retundit. Antiochus, 2. *Mach.* 9. ictus à Deo, sero sapere cœpit, dicens optime pessimus. Iamque mortem sentiens : *Iustum est, subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire.*

2. Sic & Salomon elatiores suos Spiritus subinde retraxit: Sap. 7. *Sum quidem & ego mortalis, homo similis omnibus.*

3. Paulo & Barnabæ, *Act.* 14. Lystrenses, ob restitutum claudum, diuinos honores decernebant: at hos illi refutare, ac dicere: *Viri, quid hæc facitis? Et nos mortales sumus, similes vobis hominibus.* Sic tu ; cum mundus te mactat honoribus : Munde quid facis? &c.

4. Carolus Magnus, vti refertur, interrogantibus, *quæ vellet suo addi monumento insignia?* ait: *Solius mortis:* quasi dicat: Hæc est, quæ tanti Victoris tot victorias sola redegit in puluerem.

II. Posuit Deus, *Gen.* 4. in Cain fratricidam signum, ne à quoquam occideretur. *Hieron. ad Damasum, Amb. l. 1. de Cain,* *Toſtatus* aiunt Signum illud fuisse memoriam mortis, qua semper contremiscebat. Et nos hoc signo vtamur, ne occidamur a Carne, mundo, dæm. Sumus enim omnes Caini peccatores. Istud Deus inuenit; deditq; signum. *Beatus homo, qui est semper pauidus.* Prou. 20. *1. Inuenta datque à Deo est.*

2. S. Greg. Nyssenus aliquando ista *Luc.* 9. exponens: *Qui vult venire post me, abneget seipsum,* interrogatur à iuuene : Quid est abnegatio sui? Gregorius tantum iubet ire ad ossuarium, inque ossa, quanta posset, ingerere conuitia. Fit. Reuertenti ait: Quid ossa dixerunt? Ille. Nihil. Iubet redire eodem, eademque dilaudare vt quam maxime. Paret: ac redit iuuenis: Scisciteantique Gregorio: Numquid iam dixissent iuuenis, Nihil inquit. Et ille: Vade, & fac similiter. Efficax monitio mortis, & mortificationis. *2. Mortificatum reddit.*

3. Antæus gigas, colluctans cum Hercule, quoties viribus defectus in terram pro- *3. Roborat.*

procumbebat, vires toties reciperabat. Fabula est apud Eustathium. Veritas illa. Ortus & occasus sui memoria nos peregrinos viatores roborat: elatos humiliat; gigantes morituros monet.

1. Mundanarum. III. Quin & contemtum rerum fluxarum affert. 1. S. Hier. *Facile contemnit omnia; qui se semper cogitat esse moriturum.* 2. Contemsit etiam primogenita Esau, acri fame prope enectus: vt mortis metu edulium lenticulæ anteferret istis, Gen. 25. *En morior: quid mihi proderunt primogenita?* Ni deterior Esau velis esse, dic in medio honorum, opum, volupt. *En morior: quid mihi proderunt,* &c. 3. Nam Psal. 48. *Diues, cum interierit, non sumet omnia: neq; descendet cum eo gloria eius.*

Hactenus è Sacris Literis: nunc alios aperiamus fontes.

2. Contemni paucis. IV. Philippus Rex Macedonum in arena, græco more luctatus, forte concidit. Surgens, stratique corporis vestigia aspiciens ait: *O quam minimam terræ partē natura sortiti, orbem appetimus vniuersum?* Onos, quin sepulcrorum angustias contuemur? Iere. 2. *Vide vias tuas in conualle:* LXX. vertunt, *in sepulcro.*

4. Vanitatis admonet. 2. Iulius Cæsar, viso capite C. Pompei ad se allato, summi viri; illacrymatus est sorti humanæ: huc recidisse, quem Vrbs, & Orbis sequebatur vnum. Ista *Plut. in Apoph.*

3. Et pœna peccato. 3. Visa Iezabele ab canibus discerpta, iacentēq; inhumata, transeuntes dicebant, 4. Reg. 9. *Hæccine est illa Iezabel?* Superba, terrifica? &c. Et nos; hæccine illa sunt capita tantorum Principum, Sophorum; auro olim redimita? &c.

5. Sortitis. 4. Quin ipsis mortuis si loquiliceret, dicerent: Iob. 16. *Ego ille quondam opulentus, repente contritus sum. Tenuit ceruicem meam; confregit me: & posuit me sibi quasi in signum.* Ego sum Hannibal, Hector, Cicero, Homerus, Plato: Samson, Salomon, Absalon: Iuno, Iudith, &c. Si vermi-nantes iam è bustuariis suis ad nos sic clamarent; quis horror omnium? quæ consilia? quæ vita dein multorum foret? At ipsa loquuntur id epitaphia vel sculpta, vel scripta: Clamat Ecclesia. O nos surdos & cæcos? Quam nostris insuescimus, ac indormimus? quin & immorimur iis. Heu!

PARS III.

De cura pro mortuis.

I. PRo Beatis non orandum est. Augustinus. *Iniuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre.* Nam finis orationis est acquisitio boni salutaris? at Beatis omne adest Bonum; & supereſt.

Nec pro damnatis. Quia *ex inferno nulla est redemtio.* *Pro defunctis.*

At pro solis Purgatoriis orandum est. 1. *Orandū.* Conc. Carthag. Canon. 95. *Qui oblationes defunctorum aut negant Ecclesiis, aut cum difficultate reddunt: tanquam gentium necatores excommunicantur.* Ergo magis, qui ipsum Purgatorium negant.

2. *Sancta ergo, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.* 2. Offerendum. Mach. 12. Velle dicere, Mach. libros non esse Canonicos, id spirat mendacium, ait *S. August. libr. de cura pro mort.*

3. Audi Tobiam cap. 4. *Panem tuum & vinum super sepulturam iusti constitue:* vt iis pauperes pascātur, ac tecum pro defunctis orent. Chrys. hom. 23. in Mat. *Cur post mortem tuorum pauperes vocas? Cur Presbyteros, vt pro eis velint orare obsecras?* Vt adiutentur. 3. Danda eleemosyna

4. Cur Saule, & fortissimis Israelitis cæsis Galaaditæ sibi septem dierum ieiunium indixere? 1. *Reg. vlt.* Sicut Iudas pro cæsis oblationem misit Ierosol. 1. *Mach.* 12. 5. *Quid facient, qui baptizantur, pro mortuis, si mortui non resurgunt?* 1. Cor. 19. id est, qui orant, ieiunant, offerunt pro iis. 4. Ieiunandum. 5. Bona agenda.

Sunt carcerati.

II. Omnino sunt in carcere animæ, dum reddant nouissimum quadrantem, *Matth.* 5. Ibi quoque Iesum colunt piæ. Nam Phil. 2. *In nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum.* Non damnatorum, hi enim blasphemant; ergo Purgatoriorum.

In pœnis sunt.

Ad temporaneam hi attinentur pœnam culpa remissa. Sicut 2. *Reg.* 14. Absalon biennio ab aula patris exulare iussus est, ob concitatam rebellionem: tametsi Dauid ei peccatum omne dimisisset. Ita animæ detentæ in purgatorio.

Hic opem viuentium implorant. Iob. 19. *Miseremini mei, vos saltem amici mei: quia manus Domini tetigit me.* Non ambæ manus, pœna scilicet æterna & sensus, & damni; sed vnica, nimirum pœna temporalis. Nam, Heb. 10. *Horrendum est incidere in manus Domini* vtrasque.

Maximis.

Tanta vero pœna est Purgatoria; vt *S. Gregor.* dicat: *Eodem igne purgatur electus; & crematur damnatus.* Interest discrimini Aeternitas; & quod Purgatoriæ ab Angelis inuisantur ad solatium.

Sunt adiuuandi.

1. Quia captiui.

2. Quia bestias iuuamus.

III. *Miseremini amici*: quibus opes reliquimus, & sanguinem communem. Ita parentes ad filios, amici ad notos clamant, &c. 1. Captiuos redimere magnæ virtutis est: at maioris, animas è Purgatorio eripere.

2. Si bos, vel asinus in foueam incidisset, iussit Deus, *Exod.* 23. protinus à proximo quoque extrahi. At, 1. Cor. 5. *Nunquid de bobus cura est Deo?* Animabus potius, quam animalibus opitulandum est. Aug. ser. 44. ad Frat. in eremo. *Clamat porcus; & cum eo clamare cæteri non cessant. Cadit asinus; & omnes eum subleuare festinant Sed clamat in tormentis fidelis; & non est, qui respondeat. Ecce, vestra inhumanitas.*

3. Sin' Deus olim retaliat.

3. Dira extitit diuitas fratrum Iosephi, clamantis è cisterna; ipsum tamen nihil vel laudantium, aut miserantium. Cuius dein fratres angustiatos monebat Rubē, Gen. 42: *Merito hæc patimur: Quia peccauimus in fratrem nostrum, videntes angustias animæ illius; dum deprecaretur nos, & non audiuimus.* Tales hodie, Amos 6. *bibentes vinū in phialis, & optimo vnguento delibuti, nihil patiebantur super contritionem Ioseph.* Hi tales orthodoxi ecqua re sunt meliores in isto genere hæreticis? Vt melius sciant ac credant; attamen nil præstant.

PARS IV.

Varia Gentium variarum cura in mortuos.

Barbari in defunctos.

I. SEd hæretici crudeles etiam ac impij sunt: non opem solum, sed & fidem opitulationis pernegant. 1. Similes Parthis; qui mortuos canibus obiiciebant: teste *Iulio l.* 41. 2. Similes Pœonibus: qui minutim concisa cadauera in præterfluentem spargebant, teste *Laertio. l. 9. in vita Pyrrhi.* 3. Similes Colchiis: qui insuta culeo suspendebant arbori, in escam auium teste *Aeliano lib. 4. Var. 4.* Similes Arabibus; qui in fimo tumulabant etiam Principes. *Lib. 16. Arabo. 5.* Similes Massagetis; qui defunctos etiam in epulis deuorabant. *Alex. ab Alex. l. 3. c. 2.*

Hæretici crudeliores.

Quin immaniores istis hæretici sunt. Nam in corpora isti, hi in animas sæuiunt. Quare Sap. 4. Et ipsi *erunt posthæc deitidentes sine honore: & in contumelia inter mortuos in perpetuum: & memoria illorum peribit.* Nullas enim relinquunt fundationes Missarum, eleemosynarum, &c. Compulsatur, cantatur, prædicatur ad sepulturas eorum: & hoc tantum. *Perit cum sonitu memoria eorum.*

Iudæi.

II. Tres in orbe Religiones principes sunt: & hæ curam pro mortuis habent singularem. 1. Iudaica; cum sacrificare non queat, nisi Ierosolymis: suum Mahosor, libellum precarium passim refertum habet precibus pro defunctis. Quin

& Iu-

& Iudæi ad lectum moribundi circumstant orantes eum, velit & ipsorum meminisse, cum ad Messiam venerit; huncque rogare, vt properet aduentum.

Turca. 2. Turcica: Hæc pro mortuis orat: loquiturque de ijs reuerenter: & lampades alit continuas sex millenas ante sepulcrum Mahometi, in vrbe Mecha.

Christiani. Ethnici, mortuos urant. 3. Christiana: de qua constat.

Ethnica, & ipsa mortuos coluit, etsi superstitiosa. 1. Hinc *Cicero* scribit: primum ad pietatem gradum esse, eorum, qui ante nos vixerunt, meminisse: Vt nefarius sit, & naturæ aduersarius: qui non corpori solum, sed & animæ iusta negauerit. 2. *Arist. in probl.* ait, æquius esse, mortuis, quam viuentibus opitulari. 3. Lycurgus Spartiatarum Legislator sanxit, mortuos cum oleæ ramis ad sepulcrum offerri; honori ipsis misericorditer habendo. *Plutarchus.*

4. Albani, ait *Alex. ab Alex. l.* 3. *c.* 2. cum mortuis sepeliebant quæ ipsis charissima, & pretiosissima fuerant.

5. Apud Aethiopes Macrobij defunctis statuas collocabant ex auro, argento, alia ve materia. Hisque sæpe corporum bustorum cineres includebant: easque honorabant, vel oblatis frugum primitijs, aut re qua alia.

Epilogus. Quo iniquiores ipsi naturæ communisunt hæretici. Quod si corporum honorate sepeliendorum cura sit laudata; quanto magis animarum cura laudanda est?

Dixerint suis ethnici preces: *sit tibi terra leuis:* Nos dicamus: *Requiem æternam dona eis, &c.* Hodie à nobis fidum expectant auxilium; & quasi dicunt, Psal. 50. *Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam, & exultabunt ossa humiliata.* Id quod non de resurrectione solum; sed & de refocillatione Purgatoriarum potest intelligi.

Quare sic statuamus; quod, vt Cic. in Offic. ait: *Non solum nobis nati sumus: sed ortus nostri partem patria, partem parentes, partem sibi amici vendicant:* Ego tres voculas immutem, ac dicam, *partem Ecclesia; Sancti, Mortui vendicant:* simul cum Illa ad Istos, & pro hisce, Deum adoremus.

Ipso temporis articulo, quo isthæc conscribo, ecce affertur ad me: quod dein exploratum certius, penitusque perspectum censui ad isthoc festum Animarum, velut locum proprium subijciendum. Est vero huiusmodi.

HIc Moguntiæ, hoc anno 1615. degit in Scholis Societatis, infimæ classis adolescentulus, fere quindecennis, Petrus Fleck Kulshemensis, conditione pauperculus, indole ingenuus, cætera bonus. Huius Parentes vitam manu tolerant, in oppido Kulshemensi, sexto ab Aschaffenburgo lapide. Vbi & eiusdem auia item fatis concessit annis abhinc octenis. Huic obuenit adolescẽtulo quiddam ad memoriam insigne, memorabile ad exemplum, ad fidem ignis purgantis illustre. Idq; eiusmodi, vt ex ipsomet accepi puero diligenter examinato, & hospite ipsius vtroq; ac omnibus dictis, factis, signisque recte sibi constare compertis.

Per Aduentum exeuntis anni superioris M. D C. XIV. noctibus alternis præfatus puer insolitam patiebatur infestationem à mole ipsum adinstar incubi pressante, sic, vt, quamuis vigil, nec vocem mittere, nec mouere sese valeret. Vidit tamen, audijtque nihil; nisi quod post aliquot oppressiones perpessas sibi vultum sentiret radi vnguibus ductæ velut manus per maxillas ad vsque mentum, cum dolore simili, vt si cum vnguibus lacerata foret.

Vt

Vt diluxit, vultus pueri totus pene scabie incrustatus visitur; haud secus, quam si in flammam incubuisset. Nec dolor absimilis flagrabat. Horridum spectaculum; malagma tamen adhibebatur nullum, dies ipsa medicina mali erat; vt intra quidenam vultus illi ad notam rediret faciem; sed non sine nota adustionis.

Alternis interim solenne suum tenet Spiritus: cum ecce, illi vixdum reparatâ faciem iterato perfrictu, ceu prius, deformat. Nocte alia insequente medium duos inter studiosos dextero in latere cubantem prehendit idem spiritus infestator, vertitque resupinum, & ingrauat. Socius, per motum excitus somno, audit hærentem lateri ægre animam trahere, & velut oppressis faucibus stridulus ad vociferationem frustra eniti. Porrigit ergo manum supra vestem stragulam: persentiscit molle quiddam incubare puero, adque tactum abscedere; videt nihil. At videbat puer secundum sese supra lecti spondam allidere fœminam habitu candidam, & continuo euanidam. Infestum sibi mutatis hospitium: nec vltra triduum: reuertitque ad prius. At noctibus iam singulis continuat spiritus aduentum: nec agit, aut ait aliud; quam vt in pueri incubet pectus spatio, quo Salutationem Angelicam dixeris. Tam autem violenta fuit oppressio, vt quandoque puer velut eneruis, nec surgere cubitu; nec sese induere; subinde etiam nec gressum, neque corpusculum sat regere valeret. Sinistrum quoque latus illi sanguine intercute subatro liuebat totum: nam in hoc moles potissima incumbebat. Qua causa totas noctes octiduo pene toto succensa lampas in cubiculo dilucebat; in quo simul octo studiosi hospitabantur. Sed nihil dum quisquam eorum vidit, audiuit, sensitve quicquam præter vnum, vt memini, nocte vnica.

Sueuerat ante Spiritus silentio, & ex improuiso cubantem obruere: denique tamen aperto ostio, & cardine stridente ingreditur soli puero aspectabilis: Qui mox, velut ira percitus, exclamat: (nam sic hospita monuerat:) Si à cacodæmone adsis: ad ipsum reuertere: subiecitque diram deuotionis, execrationem; (pro errore vulgi:) Ad quam ingemiscens cruciabilis Anima, auersataque iurantem, cum excussim misso gementis eiulatu disparebat. Exinde suus suadet hospes, vir bonus, puero; vt ausit appellare laruam, Dei nomine adiuratam, ac scisciari: Quid adsit: poscere q; signum postulati, si quid optaret.

Ergo nocte Kalendarum Ianuariarũ anni M. DC. XV. ingredientis, exeunte secunda noctis vigilia, pauxillum ante horam tertiam, ecce tibi ingressa fit conspicua fœmina: lecto adstat, candida cultu, vultu subfusco, vt ad solem vstulato. Assurgit puer intrepidus, inque Lecto assidens sic fatur. Adiuro te per Deũ viuum, dic, quid ades. Cui spiritus. Sum mater Patris tui: abs te iuuari postulo, si velis. Volo, inquit ille, quantum cum Deo valeo. Valebis, si velis: ait ipsa. Et puer rursus, Volo, quàntum cum Deo valeo. Instat ea iterum: At negliges forte petita mea. Reddit ille responsum prius. Tunc auia; Ante meum decessum paupercula inter pauperes florenum vnicum me dispensaturam promisi; & omisi morte præuenta. Promissum debeo; tu tantillum corrogato; inter egentes egens diribito; & me debito exolueris. Cum Deo, inquit puer, dictum factum puta. Simul obtendens spectro sudarium, (quod hunc in vsum, monitus, ad manum habebat promptum;) Dabo signum, inquit illa, quo stipem corroganti

ganti tibi sit fides. Dixit: Simul manu prehendit linteolum; atq; tactum flammula emicat; qua simul extincta, ipsa quoque adustio panni scintillans sensim extinguitur; qualis in ignili fomes accensus discintillare assolet. Neque tamen tangentis manus ignita visebatur.

Retraxit manum puer cum strophio iam extincto. Ipsa digitis manuum cancellatim implicitis, altum ac mœstum ingemiscens Ach Gott dixit, & abiit. Post ridie, hoc est, ipsis Kalendis Ianuarijs, puer exhibito signo collegit pecuniolam, ac vt iussus, dispertiit, animaque purgatoria desiit apparere. Strophiolum biduo post ipse vidi, pluribusque exhibui. Visebantur in eo quinque caumata, siue adustionis foramina, quasi deductis palmæ digitis pertusa, tamque perfecte distinctis formis, vt aspectu primo suum cuiusque digiti vestigium ab altero posset dignosci. Pollicis cauma ab reliquis paulo aberat deorsũ versus disiunctus, quasi prensantis manus istum inter ac indicem in plicam contraxisset panniculum.

Nunc historicæ fidei collige signa, Lector. 1. In puero quidem ætas, candor, relationis & circumstantiarum constantia: quæ extra suspicionem sunt de fuco. 2. Deinde, integro vultu, latere, pede, corpusculo concessisse cubitum: at cubitu surrexisse oblæso vultu, corpusculo quasi semiobtrito, ac debilitato, liuidoque latere. 3. In sudario caumata tam ad quinos apta digitos. 4. In hospite: fides boni viri. 5. In spiritu, inque facto nihil abhorrens ab doctrina fidei sana: ab solito sæpius alias, ab vero, iusto, ac pio.

6. Denique nihil in contrarium afferri posse videri, quod non simul sapiat defectum vel modicæ fidei; vel rationis iustæ, vel pietatis.

Quos equidem opinionistas nihil moror. Velim duntaxat; suæ diffidentiæ ac obstringillatiunculæ ponduſculum quodcumque addictorum signorum pondus in iustarationis trutina expendant.

IN FESTO S. MARTINI Episcopi.

O virum ineffabilem: nec labore victum: nec morte vincendum. Qui nec mori timuit: nec viuere recusauit?

Ecclesia in Antiph. festi.

ABraham, *Genes.* 12. vocatur à Deo, simul exit de cognatione sua, solumq; vertit, omnibus præter vxorem relictis, *S. Martinus*, secutus vocantem Deum, castra, parentes, patriam omittit, & in desertum sese abdit: vbi per varios casus, per mille pericula rerum exerceretur.

Super quibus nos

I. Quales esse oportet Episcopos?
II. De S. Martini statu militari, & admiranda charitate.
III. De eius Monachatu eremitico.
IV. De mundi statu, & contemtu.
V. De fuga mundi. Bonoque statu monastici.
VI. De Episcopatu S. Martini pauperis.
VII. De inuicto S. Martini zelo ac fortitudine.

PARS I.

Quales esse oportet Episcopos?

I. PLato aiebat: *tum demum beatas fore respp. si aut Philosophi eas regerent; aut, sint, qui regunt, philosophentur.* Id vero in regimine Ecclesiæ est in primis necessarium: vt haud sciam, an item aliud. *Præsules sint.* 1. *Sapientes.*

2. Si Philippus Macedo natum sibi filium, Dei beneficium esse aiebat: magis tamen lætabatur de nacto filij magistro Aristotele, viro tanto. Quanti erit submissus à Deo Pastor bonus? 2. *Boni pastores.*

3. *In officio vigiles.* 3. Sub tali floret Ecclesia felicius; quã Laconum resp. De qua, *apud Plut. in Lucullo*, quidam Regi Theopompo ait: Mirum non esse: quod ea tam diu floreat, reliquis pessum ruentibus; cum, qui eam gubernant, suo quisq; munere solo fungatur sedulo.

4. *Concordes.* 4. Epularis, & theatrica domus Philistinorum corruit; vt primum Samson columnas collisisset. *Iud.* 6. Sic si fulcra Ecclesiæ sibi pugnent, ab Satana instigati.

5. *Seruatores suis.* 5. Stetit pentapolæa Sodoma, quam diu in ea Loth cum familia morabatur. Vt vero subtractus cum suis fuit, iam ecce in cinere m corruebat. *Gen.* 19.

6. *Non lutei.* 6. Statuæ. *Dan.* 2. Nabuchodonosoræ pedes quia lutei erant; ad leuem tactum lapilli obtrita ea procumbit humi. Ita si Præsules sint viri figulini, pomposi magis, quam solide religiosi; Aut si sint lutei; auari, vel luxuriosi.

7. *Sint fortes.* 7. At in scriptura esse iubentur ænei, aut ferrei. 1. Vt Iere. 1. *Ecce dedi te hodie in ciuitatem munitam: & in columnam ferream: & in murum æneum super omnem terrã.* Sint igitur constantes, & cordati. 2. Tales, *Cant.* 3. circumstabant lectulum Salomonis, Ecclesiam, fortes LX. lectissimi ex Israel. 3. Tales parit Cæsares, Hercules, Hectores &c. gratia & Electionis, & Vnctionis.

8. *Non confidentes in se.* 8. Sed fidant sibi ne quid nimis. Alioquin, vt Eleazarus, 1. *Mach.* 6. etsi zelo bono aciem hostium perfregit, adq; maximum elephantorum cõtendit; eum suffodit, virib. præfidens, se molem aut sustenturum, aut euasurum, obruitur. Ita animosi plus iusto, nec meritis sat fulti Prælati, dum volunt facere fortiter; ruinam faciunt. Habeant igitur zelum, sed secundum scientiam.

9. *Zelosi secundum scientiam* Qualis Cherub ante Paradisum custos cum gladio flammãte; talis super Ecclesiam suam Episcopus vir zeli, & scientiæ esto. Nam. Ps. 149. *Gladij ancipites in manibus eorum*: gladius Verbi, & Spiritus.

10. *Tutores Ecclesiæ.* 10. Ad thronum Salomonis, 3. Reg. 10. erant XII. *leunculi stantes super sex gradus, hinc atq; hinc. Non est factum tale opus in vniuersis regnis.* Non vero oues, ceruæ, aut damæ fugaces, sed heroicæ constantiæ viri thronum Ecclesiæ circumsistant. Esto; habeant subditos similes ceruorum; sint ipsi Duces leones, res felicius peragetur, quam si ceruus præsit leonum copiis. Vt Dux Athen. Chabrias aiebat.

11. *Simul reparatores.* 11. Sint, quales, 2. *Esd.* 4. reparatores Solymæ, ab captiuitate reuersi; qui hac mal. leum. ista tenebant gladium. Ita S. Præsules, hac ædificent docendo; ista defendant vigilando.

12. *Et omnib. omnia facti.* 12. Ezechiel, *cap.* 1. vidit quatuor animalia, modis quatuor ignem euomentia; iam vt scintillas: tum vt carbones viuos: post instar lampadũ collucentium: tum denique adinstar fulguris. Ita Præsules gerant se iam cum scintillante viua eius spiritu: iam cum zelo fortiore: mox cum exemplo operis vt lampadis: Alias semper cum fulgure vigilantiæ Episcopalis. Quę cum in quolibet esse oporteat: æstimet onus Episcopale, quilibet affectant ambitiose.

13. *Charitate & exemplo conspicui.* 13. Quod sol in mundo; Episcopus est in Ecclesia: semper is calet, & splendet; vtroq; fructificat; Ita Episcopus charitate; & virtutum exercitio.

14. *Idque semper constanter.* 14. Vt firmamentum, refertum stellis, nunquam defectum patitur: at orbes sub eo singuli singula tantum sidera habent: & ex iis præcipua duo ecclypsantur. Hi sunt subditi: istud Præsul est.

15. *Virtutum omnium.* 15. In summi Pontificis veste orbis terrarum cum creaturis erat delineatus: qua sine incedere nefas illi. In signum: esse eum oportere instructum omnigena virtute. Qualis Martinus erat.

PARS

PARS II.

De S. Martini statu militari, & admiranda charitate.

Trium viri in viro vno. I. IN *noua fert animus mutatas dicere formas.* Adeo Martinus castris Juliani miles; in deserto Monachus; in Ecclesia fuit Episcopus: profusus in vnum Deus, quasi in Trismegistum. Quæ in singulis mireris, in vno repereris.

Conuersus vt Paulus. Qualis spirans minarum Saulus in armis, mox Paulus effectus mira vi Numinis: ita Martinus deliciis, erroribus innutritus gentilitiis, adq; arma exercitus; arma ponit, subito vocanti obsecutus Deo: Nec diu; dignus censetur Episcopatu.

In vno quatuor. Admiranda Ezechieli visa animalia quatuor, quæ singula faciem hominis, bouis, aquilæ, Leonis habebant. Similis Martinus: in castris leo: in aulis, moratus homo; in eremis, bos pœnitentiæ mœstum immugit; in Ecclesia aquila episcopalis; hoc altior cæteris, quo dignior. Vt chameleon omnes sibi colores adsciscit: ita is virtutes militis, monachi, Episcopi.

Miles egregius. II. Miles, Martis pullus, in aie; Hercules in conflictu; Lucullus in expeditionibus: nec hostem, nec mortem fugit vnquam, charus omnibus: & quod omnia super, ad bonum natura propensus, ac virtutis, quam honoris, studiosior.

Charitas militis. Charitatis vero apprime. Hanc mendicus nudus persensit expertus: cui ille, cum nihil ad manum aliud, chlamydem distribuit dimidiatam. O viscera! Vbi iam veritas illius.

Nulla salus, pietasque viris, qui castra sequuntur; Verte vocem, & dic; *Multa salus.* &c.

1. Liberalis. Facto Martinus refutauit Iphicratis, Ducis Athen. dictum: quo bonum militem esse auarum, & genio indulgentem oportere aiebat. At Martinus liberalis in egentes; in se durus ieiuniis, vigiliis, orationibus.

Mirabatur, quem vidit Moyses, ardẽtem rubum, Exod. 3. *Vadam, & videbo visionem hanc magnam.* At, Martinus in mediis ethnicorum castris, in armis, charitate ardebat: quo quid admirabilius? Et eo: quod se nudat paludamento, vt nudum conuestiat? *Inierunt*, 1. Reg. 18. *Dauid & Ionathas fœdus: diligebat enim eum quasi animam suam. Nam expoliauit se Ionathas tunica, qua erat indutus & dedit eam Dauid, & reliqua vestimenta sua, vsque ad gladium, & arcum suum.* Mirabilius factum Martini, non Principis cum principe: sed militis cum nudo: Ignotus ignoto largitur, quo egebat ipse. *2. Admirabilis.* *3. Incomparabilis.*

Produntur *à Plin. lib.* 1. *cap.* 106. rupes diu noctuque flammescere: sicut Chimæra mons Lyciæ: & montes Hephæstij: vt nullis aquis infusis, aut pluuiis extingui valeant: Quin promontorium Nymphæum exiccare ipsas nubes dicitur. Plus ardet charitate Martinus: *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* *4. Inextinguibilis.*

III. Elias igneo abreptus curru, miseratus clamantem Elisæum, ei pallium demisit, amoris testem 4. *Reg.* 2. Fuit hoc Prophetæ; at iam & militis est factum: quod Martinus innouauit, ac forte superauit. *5. Prophetica.*

Sicut & illud Iosephi, *Genes.* 39. qui charus Putiphari, ab hera ad flagitium inuitatus se negat ipsi: profugiens pallium relinquit, tutor castitatis. Ita Martinus, cuius vel hosti chara virtus, Iuliano fidus, etsi à carne pellaci, à militari licentia solicitaretur varium in nefas; restitit tamen, se fortior, sui victor. Demum, ne traheret exemplum, quo nollet, fugit, relictis armis, ac castris, balteoque militari. Nimirum amor Dei vrebat, & vrgebat pectus. *Casta sibi fidelis Deo.*

Simile. Erumpent in opera.

Vt ſtante in flammis domo mediis, per feneſtras quæ poſſunt, eiiciuntur ſupellectilia; demum per fores erumpitur. Ita Martinus æſtuans intus eiicit per oculos lacrymas, per os ſuſpiria, veſtem ex humeris; demum ipſe per pœnitentiæ ianuam ſeſe eiicit in tutum.

Simile aliud.

Preſſus aer diu ſub terra, vel inter nubes ignis; quanta ſe demum prorumpit vi? Sic compreſſus amor animo Martini in Deum, emicat opere miſericordiæ; ore confeſſionis ad Iulianum intrepidæ; abdicatione ſui, & vanitatis ſæculi: contentione ad anteriora, &c. Nempe Dei præſentiam in Sinai monte prodebat fumus erumpens. Ita facta Deo plena Martini teſtabantur ignem in ipſo charitatis: quæ eſt Deus. Continuoque vanitates euaporant; abeunt ambitiones; ſe nubes euolutat cupiditatum, opum, voluptatum: cuncta Deo inimica abcedunt. Deus inerat animo. Deus ô *tange montes, & fumigabunt.*

2. Imitatrix Chriſti.

IV. Chriſtum imitatur, qui in crucem ſuffigendus, ad pedem ante veſtes deponit. At crucem prouolaturus Chriſti miles, ſe nudat prius, nudoque ſe applicat Crucifixo: vt, *Galat. 6.* ſit ipſi mundus, & ipſe mundo crucifixus.

Et Abraha.

Ita Abraham, *Gen. 22.* filium immolaturus; ſeruos, aſinos cæteraque impedimenta ad pedem montis deſtituit: ſcandit cum ſolo ſolus, hac ignem, illa præferens gladium. Martinus ad montem pœnitentiæ affectabat gradum; vt ſuus ibi *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus* eſſet. Pſalm. 50. Non neſcius quod, Galat. 5. *qui ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, & concupiſcentiis ſuis.* Simul hac ignem charitatis, illa gladium abrenunciationis gerebat. *O virum ineffabilem, nec, &c.*

PARS III.

De S. Martini monachatu eremitico.

Monachũ induit.

I. VIdimus militem; nũc Monachum, ecce, Martinum. Loco loricæ, gladii, galeæ, faſciæ humeralis gerentem cilicium, flagra, cucullum, ſcapulare. Aciẽ eremo commutauit; commilitones cum beſtiis: iam ſeruit leproſis, egeniſque aliis, qui ante par fortiſſimis.

Vt deuinteret carnẽ, Satanam, Mundum.

Dauid, 1. *Reg.* 17. Goliatham proſternere nequibat, niſi exutus regiis: Ita nec Satanam Martinus, niſi in habitu humilitatis, niſi in funda flagrorum, in lapidibus auſteritatis. Exemplo nos inuitat.

Aggregauit ſibi com. fratres.

Dauidem, 2. *Reg.* 15. perſequente filio Abſolone, fugientem nudum pedes ac caput, ſecuta nobilitas eſt lacrymans lacrymantem. Maior Dauide Martinus: & cauſa melior ac ſanctior: ſi non ipſum, at in ipſo quædam imitemur vindicantes noſtra peccata, quæ nos perſequuntur. Quincum Martino Chriſtum ſequamur, ſic nos præeuntem.

Vicit mundum, ſeſe vicit in eo Chriſtum.

II. Hic eſt, qui mundum ex Martino exuit, induitque ei monachum. Quæ cultus mutatio indicium eſt; deuictum in eo mundum eſſe, viuereque in eo Chriſtum. Cum Duci funus agitur; miles omnis luget atratus, haſtæ trahuntur, tympana obducta mœſtum ſonant, reſtes nitrati ſunt extincti, &c. Ita Martini pulli habitus, corporis tympanum aliter ſonans, extincti ſuperbiæ funiculi, &c. indicant, mortuum ipſi mundanæ vanitatis eſſe ducem mundum ipſum.

Seque vicit in ipſo, ac Deo mancipauit Nudauit omnibus ſe pauperem.

Proceres Benadad, Regis Syriæ, debellati ab Achab, hunc ſupplices adeunt ſaccis induti, cum laqueis è collo. Talis iam Martinus venit ad Deum, rege ſuo mundo deuicto.

1. Eſt quaſi Bias alter; qui ex incenſa patria nudus excurrens aiebat: *Omnia mea*

mea mecum porto. Ita Martinns ex mundo profugit. 2. Similis Lotho, *Gen.* 19. incensam Pentapolim effugiens ad montem, Angelo conductore. 3. Par. Noacho diluuium damnationis fugiente, *Gen.* 7. seq; in claustri Arca seruante.

Itaque peccata mundi plangit: & se ipso condicat.

III. Sed aliud erit, quod saltus pererres; lustra incolas ferarum; in te sæuias ieiuniis, flagris, frigore, vigiliis. Nimirũ, vt 1. *Mach.* 2. Mathathias, neu mala populi sui videret, in montibus plangebat peccata eiusdem, ingemiscens neglectum Legis, ac sacrorum profanationes. Cui se plures indies aggregabant zelantes, ꝑ Deo. Ita & Martinus.

Dignus angelis solatio.

Qualis etiam Elias, Iezabelem fugiẽs, loca sola petit, 3: *Reg.* 18. durum cubans: subcinericio vescens. Inter quæ tamen & Angeli solatio, & Prophetarum alloquio reficiebatur. Sic Deo, sibique viuens Martinus.

Dux factus & pater monachorum.

Factus demum Dux est confugarum paterque monachorum: Qualis Moyses Israelitarum ex Aegypto: Qualis & idem ad Regem Amorrhæorum. Numer. 21. *Obsecro*, ait; *vt transire nobis liceat per terram tuam. Non declinabimus in agros, & vineas, non bibemus aquas ex puteis. Via regia gradiemur: donec transeamus terminos tuos.* Ita cõfratres Martinus traduxit per mundum.

PARS IV.

De mundi statu, & contemtu.

1. Infamis est.

I. SEd quid est, quod mundo excedis profuge? Quid? 1. Quia infamis est ab facinorib. latrociniis, &c. Adam inibi se & nos occidit: Cain fratrem, Pharao iustos persequitur: Vix Angeli tuti in Sodoma: Messias ipse extinctus est. *Nec hospes ab hospite tutus:* & pater in filium, &c. insurgit. Vale vafer, fugaxque munde: Nemo in te melior; extra te nemo fiet deterior: & tu ipse indies in peius abis. Vale.

2. Inficit.

2. Similis Naamano Syro mundus est, leprosus: 4 *Reg.* 5. cuius munera qui accipit; & lepram participat, vt Giezi.

3. Submergit.

3. Similis mari rubro, sanguine plurimorum Aegyptiorum purpurissanti: at non Israelitarum vere religiosorum: *Exod.* 14. qui in terram benedictam perducuntur.

4. Damnosus est.

4. Similis Iericho: de qua Elisæus, 4. Reg. 2. *Ecce, habitatio ciuitat. huius optima est, sicut tu ipse Domine perspicis: Sed aquæ pessimæ sunt, & terra sterilis.* Ita Mundi situs, & cætera sunt optima: at voluptates eius, &c. pessimæ.

5. Periculosus.

5. Talem Isocrates dicebat vrbem esse Atheniensem, ad obambulandũ perpulcram: sed ad incolendam difficilem ac periculosam. Ita Munde; spectatu, & perambulatu iucundus es: at habitatu nimium quam periculosus. Ergo vale. Te fugio, deseroque; ne deserar.

In eo saluti consulendũ.

Agite sic viuamus in mundo; vt cum eo paciscamur, vti Bara, Rex Sodomorum, cum Abraha: *Gen.* 14. Munde *da mihi animas, cætera tolle tibi*: quasi dicamus: sine me cum oratione, ieiunio, &c. seruire Deo: tum dein age, quod libuerit: *cætera*, fastum, opes, dignitates, &c. *tolle tibi.* Sic pactus cum eo Martinus est.

PARS V.

De fuga mundi bonoque status monastici.

Id fuga fit

I. ATq; hunc talem; & ideo, fugit Martinus: simul retro respectãs ad nos, (vt S. Bernardus) clamat: *Fugite Babylonem: & saluate animas vestras*, q. d. Itane mundum amabitis; vt animas vestras perdatis? Fugite: & viuite.

Vitaque monastica.

Vtq; Alexander Poeta aiebat: *Satius est in terra viuere pauperem: quam mari se committere diuitem.* Ita in monasterio; quam in mundo, &c. Ideo Ps. 83. *Elegi abiectus esse in domo Dei mei magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum.*

Est ea gloriosa.

Alexander Magnus simile quid, verbo quidem, eligebat olim; at an animo, nescio. Inuiserat Diogenem Cynicum dolij incolam subdialem; admirans virum, & vitam, in cæteris quærit; num, quid ab se peteret? *Hoc tantum*, inquit Philosophus *ne mihi apricanti officias: absis è sole.* Ad quod Rex: *Ni Alexander essem: Diogenes esse velim.* Ista Val. Max. lib. 4. cap. 3. Ita, sæculares Bona si nossent Religiosorum; hi esse mallent; nec aliud à Mundo peterent, quam, vt absint sibi à sole iustitiæ, nec se molestent.

Præferenda aulis.

Moyses poterat in aula Pharaonis ad summa quæque euehi: Sed, Hebr. 11. *grandis factus negauit se esse filium filiæ Pharaonis: magis eligens affligi cum populo Dei quam temporalis peccati habere iucunditatem. Maiores diuitias æstimans, thesauro Aegyptiorum, improperium Christi.* Hic typus est vitæ monasticæ, quanti sit præ sæculari suis votis, pœnitentiis, securitate, &c.

1. Ob bona cœlestia.

II. Vix obiter, àque longo gustarât Petrus in Thabor, *Matth.* 17. cum ecce prorumpit in ista: *Domine, bonum est nos hic esse: Faciamus hic tria tabernacula.* Mons est Religio, in qua animæ transfigurantur, consolationibus demulcentur, sic, vt oblitæ mundi, in Deo absorptæ clament. *Bonum est nos hic esse.* Testis Martinus; vt semel gustauit, quam suauis est Dominus; facile eorum, quæ retro sunt in militia, obliuiscebatur.

2. Ob securitatem sanctis.

2. Felices Martiniani religiosi! 1. Finiant vitam laqueo Amani superbi; *Esth.* 7. at Mardochæi Martiniani, chariores Regum Regi in gloriam euehentur. 2. Viuant Epulones byssini, & splendidi; sed exitu infelices: felices sunt Lazari voluntarij; vt in sinum quoque Dei suscipiantur, *Luc.* 16.

3. Ob libertatem temporalem & æternam.

3 In excidio Ierosolymitano, Dux Nabuchodonosoris Nabuzarda Nobiles abduxit captiuos in Babylonem; non plebeculam: *Ierem.* 39. & 4. *Reg.* 25. Ita quondam *væ diuitibus, & potentibus, sæculi:* At è contra; Luc. 6. *Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cœlorum!*

4. Ob benedictionem Dei.

4. Videntur in creatione vasta, validaque bruta nullam; at multam accepisse benedictionem auiculæ. Ita & eremicolæ, & cellicolæ; quorum conuersatio in cœlis est.

5. Obtemperalem quoque gloriam.

5. Nunquam, Martine, tibi parare nomen potuere castra tantum; quantum lustra ferarum, adytaque deserti. 1. Nihil illo viderunt admirabilius eremi Orientis, Agypti, Thebaidis, Mempheosque. Fuit ille veneration Paulis, Antoniis, Machariis, Euagriis, Hilarionib⁹, Seraphionibus cunctisque Anachoretis.

2. Testis Sulpitius Seuerus, cuius sunt ista. *Ego, quam diu viuam, & sapiam, Aegypti monachos prædicabo, laudabo Anachoretas, mirabor Eremitas: Martinum semper excipiam. Non ego illi quempiam audebo Monachorum: certe non Episcoporum quempiam comparare.* Ergo vere *virum ineffabilem.*

Sæpe miraculis claruit.

5. Quis vnquam miracula edidit plura in mundo, quam ille in deserto? Leprosos osculo; cæcos, surdos, paralyticos tactu: energumenos verbo, crucis signo curauit omnia, perdomuit dæmonia. Angelorum consortio dignatum Deus voluit in terris gustare cœlestia: Futura prædixit: mortuos tres suscitauit. At plura Apostoli: maiora Christus miracula designauit: *O virum ineffabilem!*

PARS IV.

De Episcopatu Sancti Martini pauperis.

Rapitur ad Episcopū.

I. CRedo, Candelabrum Ecclesiasticum inuidebat eremi secreto lumen Martinum. Publico id debitum euocat Turonem, inque apicem collocat Episcopatus Monachum. Qualis olim Romæ L. Cincinnatus, amore vitæ priuatæ,

priuatæ, abdicatis honoribus, se ex Vrbe subducebat in agrum: Vnde demum vel à stiua ad Dictaturam postliminio euocabatur. Teste *Val. Max. lib. 4. cap. 4.* Ita Martinus.

Virtutibus ad ita promerentib.

Nimirum creuerant eius virtutes in immensum, Ideo vt cerui, deiectis cornuis, tam latitant diu, quoad eis cornua recreuerint. Ita latebat Martinus: quo dein gloriosior apparebat. *O virum ineffabilem!* &c. Mundi fugerat persecutiones; suæ factus ipse persecutor carnis: Iam ecce, ab honoribus persecutionem & dignissimam, & debitissimam patitur. Et ita patitur. vt tamen verissime ostenderet in sese, non tam se ab Episcopatu, quam hunc ab sese monacho condecorari.

Et generosiore.

Age Martine, generose leo, quid publicum metuas? Lepusculi, ceruæ, damulæ, hinnulique colant abdita. Leo rex animalium sub dio cubat, sub Ioue dormit: ad vias accubat: quoque infestiora loca, hoc ipsi accidunt gratiora; *factus namque est, vt neminem formidet*, cunctis formidabilis. Ita tui lateant fratelli; tu progredere, publicumque ama, &c.

Lux erat cunctis.

II. Facile caremus stellis firmamenti, cum sol medium tenet axem orbi imminens altior. Tu sol orbis eras. *At Nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio; sed super candelabrum.* Tu eras *lucerna lucens, & ardens.* Ioann. 2. Age, sequere ex eremo Præcursorem in Publico apparentem. Per te item impletur illud: Lucæ 11. *Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam.* Isaiæ 9. *Habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis.*

Exemplum Episcopus in paupertate.

Et tu lux, quæ cunctis prælucebas Episcopis; non sectando aulas, pompas, equitatus, canes, venationes; non locupletando tuos; Sed semper ipso te factus egentior, humilior, &c. vt tectum denique tibi negares, amares humum ac cinerem, in quo cubares. Tua vox est. *Non decet Christianum, nisi in cinere mori.* Bernardi vox est: *Pauper vere fuit Martinus, veste sordidus, crine incultus, facie despicabilis, quæ in Episcopatu fere non mutauit.*

Hac cũctos superans.

Pij V. vox fuisse putatur: (qui monachus fuerat Ordinis Prædicatorum,) *Pauper fui Episcopus: egens Cardinalis; mendicus Papa,* Martinus miles ne obolum habuerat, quem egenti largiretur, dat pallium; minus monachus, longe minimũ Episcopus sibi reseruabat.

Famosos ethnicos imprimis.

III. De nihilo nunc gloriaris ethnica vetustas; nihil vel ad vnum Martinum aspiras. 1. Esto: Dux Thebanorum Epaminondas, teste *Bapt. Fulgoso lib. 4.* tantus licet, tantulo tamen contentus vixit; vt in defuncti domo præter hastam aliud repertum sit nihil; fueritque sumtibus publicis humandus. 2. Lysander Lacedæmonius, victor Atheniensium in paupertate vitam egit, & exegit; eoque mortuo generi filias repudiassent, quod nullam cernerent cum eis hæreditatem, ni decreto magistratus vetuisset. 3. Val. Publicola Cos. Rom. primus cum Bruto, tertiumque Consul, am pauper decessit, vt exequiæ è publico ei fuerint ducendæ. Mortis Martinianæ cinereum humi stratum testatur, quæ ad funeris sibi ducendi pompam reliquerit. Superauit Lysandros, Publicolas, &c.

Vera paupertatis imago est.

Non iam Alciate, paupertatis imaginem da pictum Biantem nudum; cum dicto hoc. *Omnia mea mecum porto.* Sed Martinum propone. O Sancte Codre! Irum, vir optime Martine, vicisti Irum, & omnes, Te, ipsamque Paupertatem Paupertate vicisti tua. Ditasti Ecclesiam exemplis; animas virtutibus, cœlum animabus.

PARS

PARS VII.

De inuicto Martini Zelo & Fortitudine.

Zelator animarum. I. TE enim quis in animarum zelo zèlosior? Hic neque in morte potuit, extingui inquam ? ne vel obnubilari. Gliscebat igne amplius : emicabat illustrius, vt diceres : *Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius; non recuso laborem.* O Virum resignatum!

Metu infractus. Si tibi, Noe post quadraginta dierum diluuium dixisset; adhuc alterum tâtum esse perdurandum in arca, inque diluuij iactatione ; an non animum contraxisses? Minus id vltro expetisses. Vide, quâto præ te Martinus sit, vel in hoc mundi pelago fluctuare paratus, periculosiore, quâ fuerit diluuium: *Domine si adhuc.* &c.

Vitæ impertæsus supra Dauid. 1. Qualis, quantusque Dauid esset; pertæsus tamen vitæ, ac ærumnarum adspirabat ad Patres, Psalm. 119. *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est !* At Beatus Martinus altior vitæ miserijs, insuetus iisdem ipsas contemnebat, vitæ nec laborem recusabat. 2. Videbat hoc in cœlis Paulus, ac tantæ viri Virtuti nil inuidebat ; qui vitæ satur olim exclamarat: Roman. 7. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Dicas Iob licet, cap. 10. *Tædet animam meam vitæ meæ:* Patientior te Martinus dicit : *Domine, si adhuc sum populo tuo necessarius, non recuso laborem.*

Supra Paulum.

Supra & Angelos labore inuictus. Et vero Bernarde, quantus ipse fueris : Martinum tamen admiratus ais : *O Angeli: magna est vestra obedientia : Sed, pace vestra dixerim : Nescio, an inueniatur in vobis quisquam paratus in tale ministerium mitti, in quo necesse habeat non videre faciem Patris.* Quare S. Martino, ad tale parato, cedatis oportet. *O virum*, iam etiam Angelis superiorem!

Et Petro animosior. II. Quid Petrus ? Audebat Domino in faciem : *Ecce, nos reliquimus omnia; & secuti sumus te : quid &c.* Dein gustarat aliquid Cœli in monte Thabor, & ait. *Domine bonum est, nos hic esse, faciamus hic, &c.* Non tam amans fui Martinus est ; sed etiam plus pro Domino perpeti appetens, ait: *Non recuso laborem.*

Iona cordatior. Hunc, ô Iona Sareptanæ viduæ redituiuũ pignus, & Eliæ suscitatoris tui miraculum; hunc si audisses Martinum; reor haud dixisses: Ionæ 4. *Et nunc Domine tolle quæso animam meam à me, quia melior est mihi mors:* quam iterum experiri mare, cætique ventrem.

Elia constantior. Tuque Elia non orasses, 3. Reg. 19. *Sufficit mihi Domine, tolle animam meam.* Itan' fœmina tibi intolerabilior erat morte ipsa? An vitæ ærumnosæ fessus eras? Sæuior est Caro Iezabele, crudelior est Mũdus Achabo, formidolosior Satan, quo dolosior? Et tamen Martinus ait; *Non recuso.* O virum inuictum!

PERORATIO.

MArtine miles Domini, iam satis est, iam emeritus rude donatus es, quid castra repetes? Qui senex par esse laboribus queas, iunior quos exantlasti? &c. *At omnia possum in eo, qui me confortat*, ais: *Non recuso laborem.* Quæ vidit ætas, vel audiuit talia? *O virum ineffabilem, nec labore victum, nec morte vincendum?*

IN F. S. CATHARINÆ VIRGINIS & Martyris.

Simile est regnum cœlorum X. Virginibus. Matt. 25.

HOloferne obtruncato per Iuditham. *Iud.* 14. Vagao hinc rabie percit⁹, inde heroicum fœminæ facinus obstupescens exclamauit : *Vna mulier Hebræa fecit confusionem in domo Nabuchodonosor.* Maxentius per Philosophos nequicquam tentante

tentante S. Catharinam, & hac cunctos superante, Alexandria exclamarit: *Vna Virgo Christiana fecit confusionem in domo Maxentij.*

De qua nos

I. *Quod Angeli castis deferant honorem.*
II. *Virginitatis præ coniugio præcellentia superans naturam.*
III. *Virginitatis propria Aureola.*
IV. *Quot, quantæque Virtutes S. Cath. potiores eluxerint.*
V. *Eiusdem Victoria de hostibus, deq; morte.*

PARS I.

Quod Angeli Castis honorem deferant.

Castus, est Angelus.

I. VIrginitas; Imo hac inferior, ait S. Ambr. l. 1. de Virg. *Castitas, Angelos facit: qui eam seruauit, Angelus est, qui perdidit, diabolus.* 2. Dominus Matth. 22. *In resur. neque nubent, neque nubentur; sed erunt sicut Angeli Dei.* 3. S. Cypr. l. de discip. Virg. similia. 4. S. Bern. Epist. 42. ad Archiep. Senon. *Castitas mundum de immundo conceptum semine, de hoste domesticum, Angelum de homine facit.*

Cibi deserunt angeli, q. fratri Christi inuitati.

Ioanni adoraturo Angelum, hic ait: Apo. 19. *Vide ne feceris, conseruus enim tuus sum.* 3. In euangelisando quidem, Deumque laudando, 2. Sed & in castitate, ego natura, tu gratia. 3. Et hæc erat reuerentia Incarnationis Dominicæ: non enim Dominus Angelos apprehendit, sed humanam naturam factus homo; sed castus, qui supra Angelos. 4. Item reuerentia erat sacerdotij, quod à Christo ad homines descendit; quo sunt supra illos. Ita varij id varie interpretantur. Summa est: 5. quod hominis alta sit dignitas: & vero Apostoli altissima. Vnde, 1. Cor. 6. *Nescitis, quia Angelos iudicabimus?*

Tanquam Deo superiores.

II. Castitas homines Angelis superiores efficit. Isa. 56. de Eunuchis dicitur: *Dabo eis*, Virginibus, *in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filiis & filiabus.* i. Angelis explicant S. Patres, Amb. c. 23. de Virg. Hier. cont. Iouin. Basil. de Virg. Greg. 3. part. past.

Tanquam Deo similis.

Quid quod castitas Deo hominem assimilet. 1. Basil. l. de Virg. *Magnum quiddam, vt vere dicam est Virginitas; Incorruptibili Deo, vt summatim dicam, hominem similem faciens.* 2. Hinc istud Ps. 2. *Apprehendite disciplinam*: alij ex Hebræo legunt: *Osculamini Filium*: Alij sic: *Adorate puritatem.* i. Virginitatem. 3. Ideo inter Zodiaci signa XII. etiam Virginem posuere Ethnici: quasi adorandam quoque Virginitatem censerent: teste Hier. l. 1. in Iouin. 4. Imo *Simile est Regnum cæl. decem Virginibus.* Quæ diuinior comparatio.

PARS II.

Virginitatis præ coniugio præcellentia supra naturam.

Virginitas est præ coniugio ob fructum.

I. RC. *est simile X. Virg.* Cur non coniugatis? 1. Quia istę sunt hisce digniores. Nam *Mat.* 13. 1. Coniugium effert fructum tricesimum; 1. Cor. 7. *Qui cum vxore est, solicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori; & diuisus est.* 2. Viduitas sexagesimum: 1. Tim. 7. *Quæ vere vidua est, & desolata, speret in Deum, & instet obsecrationibus nocte ac die. Nam quæ in deliciis est, viuēs mortua est.* 3. Virginitas autem effert centesimum. Hinc S. Paulo & S Ioanni Euang. tot reuelationes & raptus facti, quot Apostolorum nulli: Causa datur ab *Amb. in 2. Cor.* 11 q. eos sit promerita Virginitas.

Status sunt tres in Ecclesia, summus, virginum est.

Istam triplicem statuum distinctionem S. Patres contestantur. 1. Aug. istud Gen. 6. *Fac tibi Arcam de lignis leuigatis; mansiunculas in Arca facies* tristegas cum trina consignatione, exponit de isto triplice statu. Ita *Theoph. in 1. Tim. 4. Cyril. Cat. illumin. 4.* 2. Hier. in Iouin. *Vt se habent ferrum, argentum & aurum, ita Coniugium, Vid. & Virginitas.* 3. Aug. *Vt se habent stella, luna, Sol: ita Coniug. Vid. & Virg.*

Hier. Epist. ad Eustochium: *Laudo nuptias, sed quia Virgines generant, colligo de spinis rosam, de terra aurum, de concha margaritam.* Chry. l. de Virgi. c. 10. *Virginitas melior est matrimonio: Si placet, quanto sit melior, addam: quanto sc. cœlum terra hominibus Angeli.*

Quia virginitas cœlum, terram complet coniugium. Similia Damasc. l. 4. Fid. c. 25.

Virginitas est de consil. 10.

II. Veruntamen, ait Hier. ad Eustoch. *Non est detrahere nuptiis, cum illis virginitas anteferatur. Glorientur nuptæ, cum à Virginibus sint secundæ.* 1. Ea causa putatur Dominus consilium dedisse continentiæ, non coniugij. 2. Apostolus item: *Præceptum Domini non habeo, consilium autem do.*

Coniugiũ fuit de præcepto in V. T.

Sicq; Lex Christi cõsuluit Virginitatẽ, vetus præcepit fœcunditatem. Quanto istud præ hoc perfectius? Prædixit Sapiens, Eccl. 3. *Omnia tempus habent, tẽpus amplexandi,* in T. V. at in N. *tempus longe fieri ab amplexibus.* Quia, ait Aug. l. de adult. c. 12. *Erat tunc quædã propagandi necessitas, quæ nunc non est & tempus amplexandi. &c. nunc tempus continendi.*

Circumcisio est typus castrationis.

Mandata Iudæis circumcisio repræsentat castrationem Christianam. De qua Matt. 19 *Sunt eunuchi, qui se castrauerunt propter regnum cœlorum.*

A Consilio transcenditur præceptum.

In V. T. fuit illa matrimonij benedictio, Ps. 127. *Vxor tua sicut vitis abundans in lat. do. tuæ, filij tui sicut nouellæ oliuarum in circuitu.* At sors vertit. Consilia nunc Euang. ad perfectionem ascendunt altiorem. 1. Cant. 2. *Tempus putationis aduenit, vox turturis* castæ *audita est:* exemplum Christi, Mariæ, Apostolorum præualet. 2. Iam docetur sic: 1. Cor. 7. *Solutus es ab vxore? Noli quærere vxorem. Qui enim mat. iungit virg. suam, benefacit, & qui non iungit melius facit.* 3. Quã hoc diuersum ab illo, Gen. 1. *Crescite & multiplicamini, & replete terrã.* 4. Hier. l. 1. cont. Iouin. *Nuptiæ terram replent; Virgines paradisum.* 5. Ideo. 1. Cor. 7. *Bonum est homini mulierem non tangere.* Itaque Cypr. l. de discip. Virg. *Prima Creatoris sententia crescere & generare præcepit: secunda Continentiam suasit.*

1. *Virginitas supra nat. est.* 2. *Virtutũ maxima.* 3. *Miraculum.*

III. Nec solum Matrimonio præstat virginitas; sed naturam quoque superat. 1. *Hier. Epist.* ad Eusto. *In carne præter carnem viuere, magis angelicum est, quam humanum.* 2. Si enim 2. *Ethic.* virtutis est circa ardua versari, sane virginitas virtutum erit omnium maxima. 3. Vnde Patres & Anachoretæ in collatione statuerunt esse miraculum, & maius Angelum Sathanæ constringere in corpore suo; quam exalieno cacodæ: pellere.

Quare vt plus admiramur arte facta proxime ad naturam, quam naturalia, 1. Vt botros Zeuxis ad viuum ita pictos, vt ab auibus appeterentur. &c. Ita conseruata per gratiam virginitas pluris est naturali coniugio, quod naturam superet. 2. Mirum non est quod pomapomus efferat, sed à spinis vuas legere, è sicomoris mala punica nasci. &c. hoc mirum, & artis foret, sic gratiæ est Virginitas in carne.

Angelus & Virgo quo differant.

Hinc Bern. *Differunt quidem inter se, Virgo & Angelus, sed felicitate, non virtute. Nam etsi illius castitas felicior, huius tamen fortior esse cognoscitur.* 2. Proinde, Petrus Rauennas ser. 3 de Annunc. *Virginitas hoc obtinet iuribus, quod habet Angelus ex natura. Angelicam gloriam acquirere, maius est quam habere.*

Virginitatis perfectio tractatur.

Angeli Lotho suadent: Gen. 19. *In monte saluum te fac.* 1. Vbi Greg. 3 Past. admon. 28. *Sodomam fugere, est illicita carnis incendia declinare: Alitudo vero montium est Munditia continentium.* Supra enim naturam est.

Ideo suasa, non iussa est.

2. Vnde Isid. l. 2. de summo bono. c. 40. *Virginitas admonita tantum est, non iussa: sed ideo tantũ admonita, quia nimis Excelsa.* 3. Ideo Saluator Mat. 19. *Qui potest capere, capiat.*

capiat. Neque omnibus datum est. Theodor. in Epist. diu. dec. c. de Virg. *Intellexit Dominus, Virginitatem esse supra naturam.* Ita & S. Amb. l. 1. de Virg. 4. Cyr. Catech. 12. *Non ignoramus castitatis gloriam: Angelica enim est corona, & supra hominem perfectio.*

S. Amb. l. de Virg. *Per Virginit. homines Angelis assimilantur. Maior tamen est victoria hominum, quam Angelorum: Angeli enim sine carne viuunt; Virgines vero in carne triumphant.*

PARS III.

Virginitatis propria Aureola.

I. QVare, S. Hier. Epist. ad Philem. *Propterea maiori præmio coronatur, quia præceptum Domini non habet, & vltra imperata se extendit.* Idem l. 1. cont. Iouin. *Ideo plus amat Virgines Christus, quia sponte tribuunt, quod sibi non fuerat imperatum: Maiorisque gratiæ est officium, quod non debeas; quam reddere quod exigaris.* Talis, *Psal. 111. In mandatis eius volet nimis.* 1. qui Consilia seruat, seruabit magis mandata.

Et sane illi parata est Aureola, supra cœlitum gloriam, eximia. Hæc præsignata est in mensa propositionis aurea, cuius oram corona ambibat interrasilis; dein alia peculiaris: & hæc Aureolam, illa cõmunem Sanctorum gloriam denotabat. De communi Dominus, Luc. 22. *Vado parare vobis, &c. vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo.* 2. Tim. 4. *Ideo reposita est mihi corona iustitiæ.*

De Aureola Isa. 56. *Non dicat Eunuchus, ecce ego lignum aridum. Quia hæc dicit Dominus Eunuchis: Qui custodierint Sabbata mea, & elegerint quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum; dabo eis in domo mea locum, & nomen melius à filiis & filiabus* cœlitibus reliquis: *nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.* Aug. l. de Virg. c. 24. ista de castis ex voto intelligit.

Confirmat Ioan. Apo. 14. *Ecce Agnus stabat supra montem Sion, & cum eo* 144000. *habentes nomen eius, & nomen Patris eius scriptum in frontibus suis*: Eo quod frons sedes pudoris est, Virgines significantur. Omnes beatos Diuinitatis signum in frontibus habituros, de fide est: At Virgines insuper Agni Nomen gerent insculptum: & *sequentur quocunque ierit*: Canent hymnum, quem non alij.

II. Nota, *stabat supra montem*; non infra. *Explicata cur in mõte Virgines?* 1. Quia ait S. Greg. l. 5. in 2. Reg. 3. *Quod naturam humanam supergreditur, in altissimo virtutum culmine situm est.* &c. 2. *Quia per merita incorruptionis, quæ à carnal. delectationibus se diuidunt, in Redemtoris gloria sublimantur.*

In Salomonæo id repræsentatum. Nam *Figurata.* 3. Reg. 7. *Fecit duas columnas æreas, XVIII. cubitorum altitudinis. &c. Capitella autem, quæ erant supra capita columnarum, quasi opere Lilij fabricata erant*: Lilium est Virginitatis symbolum exaltatæ sic in cœlo.

2. *Stabat supra montem*: quia Virginitas ardua est: Matth. 19. *Qui potest capere capiat.* Hier. l. 1. cont. Iouin. *Nolit timere, ne omnes Virgines fiant. Difficilis res est Virginitas: & id. eo rara. Multi vocati, pauci electi. Si omnes esse virg. possent, nunquam Dominus diceret: Qui potest cap. capiat. Et Apostolus: De Virginibus præceptum Domini non habeo.*

PARS IV.

Quot, quantæque Virtutes S. Catharinæ eluxerint.

I. S. Catharina regij sanguinis virgo; regalior quod Regis regum sponsa fuerit: erat formosa; sed ingeniosior: phi. losopha, sed mage Theologa: his Dei beneficiis nil abusa: Vt hodie pleræque vertunt ea in maleficia. Huius indignitatem ita Dominus exprobrat Iudææ: Ose. 2. *Dedi ei frum. & vinum, & oleum; & arg. multiplicaui ei, & aurum; Quæ fecerunt Baal.* O Sacrilegium! O abusum! *Dona habuit præclara.*

Nõ sic Catharina: in Deũ retulit omnia,

Deuota Deo fuit vt multæ tunc nobiles.

& cum lucro; à quo accepit. Nec sola fuit: habuit stirpe similes, & religione. Nam Virginitas in primitiua Ecclesia fuit inter nobiles communissima. Phil. 4. *Salutant vos omnes Sancti; maxime autem, qui de domo Cæsaris sunt.* Si talibus votiua Virginitas frequentata, quanto magis inferioribus?

Mirum hoc in formosis puellis.

Illis fastus inest sæpe, & obest: præsertim forma accedente: Nam Ouid. in Fast. *Fastus inest pulcris, sequiturque superbia formam.*

Catharinæ forma fuit Virtus & Dei gratia.

Vulgaribus, vt forma adsit; fortuna deest. Quicquid id est: Prou. vlt. *Vana est pulchritudo: Mulier autem timens Deum ipsa laudabitur.* Suam Catharina formam eximiam tem sit; timorem Domini prætulit: cum Dauide: Psal. 29. *Domine, in voluntate tua præstitisti Decoro meo Virtutem.*

1 Contemtus mundi.

II. Et vero hanc non vnam. *PRIMA ei præstita VIRTVS* fuit Contemtus mundi: qui ait quasi. Ioan. 8. *Semen Abrahæ sumus,* nati inclyte. Non sic Catharina contemtrix prosapiæ, suique æmulatrix gratiæ. 1. Qualis Dauid, vt liberius coram Arca saltaret, se regiis exuit. 2. *Reg.* 6. Vt sua ei Michol exprobraret: *Quam gloriosus hodie fuit Rex Israel? &c. Nudatus est, quasi si nudaretur vnus de scurris.* At tanto sui maior ipse contemtor erat. *Viuit Dominus,* ait, *quia ludam ante Dominum, qui elegit me; & ludam, vt vilior fiam plusquam factus sum, & ero humilis in oculis meis.* Talis suæ formæ contemtrix Catharina.

Formæque suæ fragilis.

Gnara formam fragiliorem esse Regum potentia. Atqui *S. Aug.* 3. *Ciuit.* Romanam potentiam confert crystallo fragili. 2. Imo idem 3. *Ciuit.* ostendit Rom. Imperij fundatores Reges septem misera periisse morte, præter Numam, qui culta pace Sacra stabiliuit. Si nobilissimis talis sit exitus cum sua potentia; quis formę fragili confidat? Talia S. Cath. ex Deo agnouit.

2. Puritas.

SECVNDA S. Cath. Virtus fuit mentis & corporis puritas: 1. Psalm. 4. *Omnis gloria Filiæ regis ab intus.* 2. Cant. 4. *Quam pulcra es amica mea, quam pulcra* exteriore honestate; *absque eo, quod intrinsecus latet.* 3. Eandem geminam in virgine puritatem requirit & Apostolus. 1. Cor. 7. *Mulier innupta & Virgo cogitat, quæ Domini sunt, vt sit sancta Corpore & Spiritu.* 4. Aug. de bono Virg. *Agnum sequi, quocunque ierit, Apo.* 14. *est ipsius Virginitatem mentis & corporis intueri.* 5. Aug. in Psalm. 29. *Quid prodest integra Caro mente corrupta? Melius est humile Coniugium, quam superba Virginitas.*

corp. & mentis.

3. Humilitas.

TERTIA S. Cath. VIRTVS fuit, donata ei à Deo Humilitatis gratia multas inter magnasque gratiarum dotes. In quibus non se efferre, maximum est. 1. Nec in cœlo se Lucifer continuit. 2. Ideo 1. Tim. 6. *Diuitibus huius sæculi præcipe, non sublime sapere.* Vbi Glossa ex S. Aug. hom. 13. *Morbus diuitiarum est superbia: quæ est vermis diuitum.* Ose. 13. *Adimpleti sunt, & saturati, & eleuauerunt cor suum.*

Non sic Catharina ex dotibus se erexit. Duodennis 7. artium liberalium cultura pollebat, eloquentia maxime; qua 50. Philosophos Christo lucrifecit. 1. Dicere poterat in hisce; *Non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei, neque ambulaui in mirab. supra me.* 2. Sicut arbos onusta fructibus ramos depressos gerit, non elatos: Ita S. Cath. 3. Exemplo B. V. M. Hæc plena Deo ait, Luc. 1. *Ecce Ancilla Domini.* &c. 4. Pluribus conspicua virtutibus fuit, at hanc Deus Luc. 2. *Respexit humilit. Ancillæ suæ:* Et solam; ait *S. Hier. Epis.* 85 *parte* 3. *Epist.*

4 Fortitudo. 1. In Virginitate.

QVARTA eius VIRTVS est Fortitudo, 1. In tuenda Virginit. Quales columnę duæ, 3. *Reg* 7. In Salomonæo ad valuas Lilia in apice gerebant: quæ indicant ad Virginit. necessarium 1. Dei Auxilium, 2. Animi generositatem.

2. In morbellio-

2. In sustinenda secretiore carnis re-

bellione: quæ genus Martyrij est. 1. S. Hieronymus Epist. ad Demetriadem: *Assume scutum fidei, loricam iustitiæ, galeam salutis; procede ad prælium; Habet & pudicitia seruata Martyrium suum.* 2. Ecce de hoc Visionem Zachariæ, c. 1. Visi equi plures rufi, *Martyres*, alibi *Virgines*, diuersicolores *Sancti cæteri*, sequentes vnum rufo insidentem *Christum passum*. Sic Patres exponunt.

3. Fortis heroice fuit in corporis castigatione. 1. Vt 1. Cor. 9. *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo.* 2. Sicut, *Exod.* 26. cortinæ Tabernaculum obuelantes, varicolores erant byssum retortam semper habebant. Ita Virginitas velum corp. & animæ castigationem sui, quæ pronos ad carnem sensus retorquet sursum in Deum. 3. Cant. 5. *Manus meæ* Operum bonorum *stillauerunt myrrham* pœnitentiæ, *& digiti mei* minutarum actionum *pleni sunt myrrha probatissima* mortificationum. Hoc in viro censetur heroicum; quale in Virgine?

PARS V.

S. Cath. Victoria de hostibus deque morte.

I. ET vero maxime insultare carnificibus, quantum in puella? 1. Alexandriæ in medios immolantium idolis cuneos inuolans eos coarguit. Psal. 96. *Confundantur omnes, qui adorant sculptilia, & qui gloriantur in simulacris suis.* 2. Ipsi regi Maxentio dixit: Psalm. 95. *Omnes Dij gentium dæmonia: Dominus autem cœlos fecit.*

3. Philosophos coarguit. 1. Idola, vtpote ab hominibus fabrefacta, esse Deos non posse. 2. Qui nec se facere quiuerint; quomodo creasset hominem & alia? 3. Dem effectus nunquam prior est causa: vnde fictitij Dij esse rerum causa non possunt. 4. Demum cum Dij sint plurimi, inuicemque inimici; tantam rerum ac naturæ concordiam efficere nequierunt inter tot, diuersas, contrariasque voluntates suas. Vicit: Victique manus dedere, & intellectum captiuauere in obsequium fidei.

II. Resoluenda occurrit *Quæstio* prius, quam ad S. Cath. martyrium accedam. Cur, cum Iura pueros & fœminas arceant à testimonio ferendo, in rebus præsertim ad maritum vel patrem spectantibus: Deus tamen quosuis admittat ad testandam Martyrio fidem? *Quæstio notanda.*

Huius, *inquam*, ratio triplex est. 1. Vt suam Deus sic declaret potentiã. 1. Hinc, 1. Cor. 1. *Infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia.* 2. Orig. *Vult Dominus de locustis vincere gigantes.* 3. Exod. 7. Iericho muros, 4. *Ios.* 6. strauit solo tubarum clangore, Goliatham, 1. *Reg.* 17. funda & silice pusilli. *Responsio plus.*

2. Ratio: 1. Phil. 2. Vt *omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris.* Omnis etiam puellarum. 2. Psalm. 148. *Iuuenes, & Virgines, senes cum iunioribus laudent Nomen Domini.*

3. Ratio. Vt creaturarum obedientia cognoscatur ad suorum defensionem, & vindictam hostium. 1. Sap. 3. *Armabitur contra insensatos orbis vniuersus.* 2. Istud vel hostibus Domini stuporem & horrorem intulit in sua Passione. 3. Blasphemantibus Dominum Pharisæis; ecce se obiecit eis fœmella exclamans. Luc. 11. *Beatus venter, qui te portauit, & vbera quæ suxisti.*

Ita hic suscitauit puellam S. Cath. 1. Psalm. 8. *Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem tuam; vt destruas inimicum & vltorem.* Factum per S. Cath. sic; vt dicas, quod de Iuditha c. 11. Assyrij. *Non est mulier talis super terram.* 2. Vt illa Holofernem, sic hæc Maxentium tractauit & vicit. Hinc exemplum capiant studiosi, puellæ, &c.

APPENDICVLA

DE SANCTORVM CVLTV, CONGESTA AC CONCINNATA

OPERA

R. P. F.

Ioann. And. Copp. Mand. Ord. Præd. Theol.

LECTORI AMICO.

QVotiam, & quoties, (inquis,) protritum istud, *de Sanctorum cultu* pertractarunt argumentum? Et cur hic cramben recoctam apponis?

Noui, inquam, multos multa, & magnos magna super hoc iam dudum concinnasse. At noui etiam, multos multa illa, & magna vel ob hoc ipsum minus habere prompta: idque siue ob angustias studij & ingenij, tot ac tanta illa attingere metuentis: siue ob incitas nummi, & rem curtam domi; vt multa & magna illa debeant nolle: possint autem hæc paucula velle, ac emere. In quibus tamen pauculis studui multa ac magna comprehendere. Sed, cur isthuc apponere?

Quia, inquam, monebat Occasio: suadebat Ratio. Occasio quidem Nucleus Operis de Sanctis præcipuis. Ratio autem: Vt huc quoq; subseruiat APPENDICVLA concionaturo: ex qua, velut ex loco communi, petere queat, quibus vel ista, quæ in Nucleo reperit de Sanctis, excursim illustrare, vel, quæ alicubi ob defectum non habet, hinc pro necessitate supplere valeat. Vale.

Et rem istis accipe Partibus.

I. *Proœmialis de Sanctitate Christiana*
II. *Quibus Sancti nomen conueniat.*
III. *De Canonizatione Sanctorum.*
IV. *Quod Canonismus esse debeat infallibilis, ac proin tantum Pontificius: sitque necessarius.*
V. *Quod nostrum sui cultum sentiant Sancti, precesque cognoscant.*
VI. *Quomodo preces nostras cognoscant Sancti?*
VII. *An Catholico cuilibet necessarium Sanctos inuocare?*
VIII. *Vtrum melius: Deum per nos ipsos tantum immediate precari: an mediate, Sanctis adhibitis comprecatoribus.*
IX. *An recte aliqui huic, & illi vel bono procurando, vel malo auertendo præpositi putentur & eam ob causam orentur Sancti.*
X. *An è Sanctis aliquos Patronos ac præsides deligere fas.*

PARS I.

Proœmialis de Sanctitate Christiana.

I. PROPHETA Euangelicus Isaias, quæ vidit, & audiuit, testatur cap. 6. *Clamabat alter, Cherubin, ad alterum, & dicebat: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus, Deus exercituum, plena est omnis terra gloria eius.* Euangelista quoque Apocalypticus testis eiusdem ait cap. 4. *Quatuor Animalia requiem non habebant: die ac nocte dicētia: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Omnipotens, qui erat, & qui est; & qui venturus est.* Nimirum cuius natura bonitas, ipsius quoque essentialis est Sanctitas. *Sanctus Sanctorum Deus.*

Nobis vero aduentitia, Rom. 8. *his, qui secundum propositum vocati sunt Sancti: Sanctificatis in Christo Iesu,* 1. Corinth. 1. *Qui dignos* *Sancti & homines.*

gnos nos fecit, in partem sortis Sanctorum, in lumine.

Pro Christũ orantem. Ac ita merentem. Ipse pro nobis id orauit, Ioann. 17. *Pater sanctifica eos in veritate. Et pro eis ego sanctifico meipsum, vt sint & ipsi sanctificati in veritate:* Orauit, inquam, *& exauditus pro Reuerentia sua* impetrauit: Eph. 5. *Qui tradidit seipsum pro ea,* Ecclesia, *vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ, in Verbo, & cæt. vt sit sancta & immaculata.*

Sanctitas. 1. Ministerij. II. Illa vero hominum accessoria sanctitas duplex est; Officij seu Ministerij gratis data: vt in Leuitis ac Sacerdotibus, 1. Leuit. 21. *Sancti erunt Deo suo: & non polluent Nomen eius: Insensum enim Domini, & Panes Dei sui offerent: & ideo sancti erunt.* 2. Quapropter suum iubentur honorificare ministerium: Leuit. 20. *Sanctificamini, & sancti estote, &c. Eritis mihi sancti: quia Sanctus sum ego Dominus: & separaui Vos à cæteris populis, vt essetis mei.*

2. Christiani. Est & Cuiusque Christiani sanctitas sanctificans, Heb. 13. *Propter quod & Iesus, vt sanctificaret per suum Sanguinem populum, extra portam passus est.*

3. Prædicta. 1. Prædictum Deut. 7. *En elegit te Dominus hodie, vt sis ei populus peculiaris, sicut locutus est tibi, & custodias omnia præcepta illius, & faciet te excelsiorem cunctis gentibus, quas creauit in laudem, & nomen, & gloriam suam: vt sis populus sanctus Domini Dei tui.* 2. Exod. 19. *Eritis mihi in regnum Sacerdotale, & gens sancta.*

4. Præstitaque à Christo. III. In primis Christiani, 1. Petr. 2. *Genus electum regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, &c.*

5. Acquisita studio. Quare, 1. Pet. 1. *Et ipsi in omni conuersatione Sancti sitis: quoniam scriptum est sancti eritis, quoniam ego sanctus sum.* Et iure, 1. The. 4. *Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra, vt abstineatis vos à fornicatione.*

6. Conseruanda. Nimirum, Hebr. 10. *In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem Corporis Iesu Christi semel.* Ideo 1. Ioan. 3. *Et omnis, qui habet hanc spem in eo, sanctificat se, sicut Ille est sanctus.*

2. Petr. 1. *Propter quod succincti lumbos mentis, sperate in eam, quæ offertur vobis, gratiam.* Et orate: *Sanctificetur nomen tuum.* Quin etiam Apocal. 22. *Qui iustus est iustificetur adhuc, & sanctus sanctificetur.* *5. Augẽda.*

Quo fine? Eph. 4. *Ad consummationem Sanctorum, in opus Ministerii, in ædificationem Corporis Christi: Donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis Filii Dei, in virum perfectum: in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Vt iam non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento, &c. Veritatem autem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est Caput Christus: ex quo totum Corpus compactum, & connexum, per omnem iuncturam subministrationis, &c.* *Ad gloriã Dei, & Ecclesiæ.*

Atque hos viuos Sanctos Apostolus salutat, *Rom. 16. 1. Corinth. 12. Eph. 1. &c.* Tales viuos etiam inuocat. Rom. 15. *Obsecro vos Fratres, per Dominum N. I. Ch. & per Charitatem S. Spiritus, vt adiuuetis me in orationibus ad Deum, vt liberer ab infidelibus, qui in Iudæa sunt, & obsequij mei oblatio accepta fiat in Ierusalem in sanctis* Col. 4. *Orationi instate, vigilantes in ea, in gratiarum actione: orantes simul & pro nobis, vt Deus aperiat nobis ostium sermonis, ad loquendum mysterium Christi.* *Viuentium preces petuntur.*

PARS II.

Quibus Sancti nomen conueniat?

I. MOrtui vero Sancti sunt duplices. 1. Purgatorij. *Qui cum pietate obdormierunt:* tales *Iudas considerauit optimam habere spem.* 2. Mach. 12. Veruntamẽ, quia, Apoc. 21 *non intrabit in eam* cœlestem Ierusalẽ, *aliquid coinquinatum:* Et quia Matt. 7. *angusta est porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inueniunt eam. In multis enim offendimus omnes.* Iac. 3. *Sancti Purgatorii.*

Ea

Sunt adiuuandi. Ea propter, 2. Mach. 12. *Sancta, & salubris est cogitatio, pro defunctis exorare: vt à peccatis soluantur.* Hinc iuniorem senior ita formabat Tobias, cap. 4. *Panem, & vinum tuum super sepulcrum Iusti constitue.* Et illi 1. *Regum vltim.* ieiunarunt pro mortuis.

Et vere iuuantur. Et experti, quasi gratulabundi canunt Psalm. 65. *Transiuimus per ignem, & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.* Quod Sanct. Ambrosius de Purgatoriis interpretatur.

Et vere patiuntur. Et similes quoque 1. Cor. 3. *Salui erunt: sed quasi per ignem*: id est, ait Ambros. *purgantem*, vel *probantem.*

Sãcti sunt in Cœlo. II. Et Cœlites sunt Sancti mortui: qui in humanis esse desinentes, vt *aurum purgatum, probatum septuplum, inuenti sunt sine macula*: ideoque inter Diuos in cœlo beatos à Deo recepti sunt. De talibus Apoc. 11. *Aduenit ira tua, & tempus Mortuorum iudicari, & reddere mercedem seruis tuis Prophetis, & Sanctis, & timentibus Nomen tuum pusillis, & magnis: & exterminandi eos, qui corruperunt terram.*

Perfecte sancti. 1. Vt igitur ea papyrus, alba: illud ferrum, calidum: is homo sanus: cui nigroris, frigoris, ac morbi nihil inest: Ita in cœlis Sancti, quibus defecatissima, limpidissimaque inest sanctitas.

2. Ac talis etiam, cui à futura labecula, vel lapsiuncula nihil est quicquam metuendum: Est autem viuis sibi quod metuant. Hinc 1. Cor. 10. *Qui se existimat stare, videat, ne cadat.*

3. Quocirca cuique occinitur istud Apocalyp. 3. *Tene, quod habes: vt nemo accipiat coronam tuam.* At vero. *Qui vicerit: faciam illum columnam in templo Dei mei: Et foras non egredietur amplius.* Quod si igitur viui recte Sancti possunt appellari; quanto securius Cœlites.

Mortales dicuntur sancti. III. Quid: quod ethnici suos quoque Sacerdotes titulo *Sancti* affecerint? Teste *Plut. l. de Orat. defectu.* Sicut & Iudæi suos: Et hi quidem recte. Vti & nos *sanctos* nũcupare fas est *Episcopos.* Beza Epist. 39. ait *Doctissimus, & Sanctissimus Basil.* Orig. & D. Hieronymus *Sanctos Monachos.* Vopisc⁹ in Aureliano Imp. *sacratissimi Quirites: sanctissimi milites*: & id ob Sacramentum dictum militare.

Et hæretici se sanctificant ipsi. Quid aduersarij? Lutherus in suis prophetiis c. de Papatu ait: *Sanctissimus Ioannes Huss de me prophetauit. Caluinus* ab Oecolampadio dicitur Epistol. 52. *Sanctus.* Ab Lutheranis *Lutherus S. Pater* Ab Sibrando l. 4. cap. 1. *Caluinianus* quidam, *sanctissimus* Christi *seruus* appellatur.

Et sanctos exauctorantur. Vah impietatem? Nolunt S. Petrum Paulum, &c. prænominare *sanctum.* De quo Parisiis publice notati sunt, & damnati. Neque Heidelbergæ, vt fertur, iam hospitale ad S. Spiritum vulgo appellatur aliter, nisi *ad spiritum.* Sicq; & ineditis libris appellant.

Ita olim Iconomachus Leo Imp. voluit templũ *sanctorum* 40. *Martyrum* vocari 40. *Martyrum.* In Miscellaneis Constitutionibus Imperatoriis in Theophilo leguntur hæc. *Michaelus pater eius edixerat, ne vlli pictæ imagini, vbicunque esset, nomen Sanctus imprimeretur, quod id nulli rei, præterquam soli Deo congruere putabat.* Similes hagiomachi hodierni.

PARS III.

De Canonizatione Sanctorum.

I. SEruius in Virgil. ait: *Deos perpetuos dicimus. Diuos, ex hominibus factos: quasi diem obierint. Vnde & Diuos Imperatores vocamus.* Iuuenal. *Respice riuales Diuorum.* Sancti autem non sunt Dij nisi improprie: vt Psalm. 81. *Ego dixi Dii estis.* Quod Dominus explicauit *Ioan.* 10. Diui sunt, qui homines fuerunt. Vnde Angelorum nullus rite Diuus nuncupabitur. Quia diem nunquam obierunt.

Quo

Quo iustius Laurentius Valla culpat palpones, qui *impiè*, ait, *& nostræ religionis immemores vocant Diuum Augustum, Diuum Claudium: quasi vulgus atque homines possint Principes referre in Deos.* Quodque fœdius; hodie viuos quidam Diuos prænominant. De quibus Tertulliani hoc canas.

Hæc non humilitas: sed humilitatis imago est.

BEATI vero reipsa sunt idem, qui sancti: ac non vsu hodierno. Differuntq; non fœlicitate cœlesti: quod sciamus: sed honore ac testimonio publico felicitatis, ab Ecclesia declarato.

Beati Sancti, probabiliter.

II. Sancti tamen agnoscuntur probabiliter ex miraculis, quæ aut viui, aut mortui designarunt. Probabiliter inquam: cum & prodigia esse falsa queant. *2. Thessal. & 2. Corinth.* 11. Et vera miracula etiam à non sanctis dantur. *Matth. 7. vers. 22.*

Infallibiliter.

Ergo infallibiliter cognoscuntur. 2. Vel testimonio Scripturæ: vt quos Apostolus, *Heb.* 11. recenset in suo hagiologio. 2. Vel iudicio Ecclesiæ: quæ 2. Tim. 3. *Columna, & firmamẽtum est veritatis.* Quod iudicium *Canonizatio* nominatur. Vt enim Canon est rerum aliarum numerus: ita & Sanctorũ. Vnde dicitur quis referri in numerum sanctorum id est κανονίζειν. De hoc luculente *Illust. Card. Bellarm. t. 1. de sanctis l. 1. cap. 7. 8. 9. 10.* Ex quo subiecta, strictim: sed de solo Canonismo generatim: De consequentibus ad ipsum effectibus, nihil.

Quid Canonismus sit.

Quid confert sanctis.

III. Ergo Sanctos recte ab Ecclesia Canonizari affirmo: id est, reddi publicum testimonium de vera sanctitate, & gloria defunctorum: honoresq; decerni. Et hos septemplices. *Primo* Sanctos vocari. *Secundo* Precib. inuocari. *Tertio* Aris, ac templis coli. *Quarto* Missarum, & Horarum Canonicarum officiis celebrari. *Quinto* Festos eis dies agi. *Sexto.* Imaginibus eos repræsentari. *Septimo.* Reliquias eorum in aris, ac Lipsanothecis honorari.

Ecce ostendo hic locum communem, campumq; latissimum, ac plurimis iam pernegatum: quem ideo præteruehor, nihilq; affero de Sanctorum inuocatione; Templis ac aris: Festis; Imaginibus: Reliquiis: ad eas Peregrinationibus, &c. Quæ nusquam nec solidius; nec luculentius, quam apud Bellarminum. Sed prolixiora, quam pro compendioso nostro instituto. Idcirco hic vnum hoc. Nimirum

Canonismo vno omnes istos septenos honores supradictos rite Sanctis decerni, astruimus & *S. Scriptura*, & *Ratione*, & *primæua Consuetudine* moreque maiorum.

Scriptura: Nam, Deo ad Canonismum allubescit: Quia vtriusq; Scriptorib. Testamenti eundem suggessit. Enimuero ab hisce publico Ecclesiæ testimonio Sãctos voluit declaratos plurimos. *Docetur Scriptura.*

1. Adeatur, & audiatur Ecclesiasticus *c. 44. 45. &c.* quantum euehat, testetur, atque promulget cum canonismo inclytos virtutibus, factisq; viros sanctos.

2. Lucas in actis canonizauit Stephanum, Iacobum maiorem, Petrum, Paulum, Silam, &c.

3. Eccl. 44. *Sapientiam Sanctorum narrent populi, & laudem eorum annuncient Ecclesiæ.* En, iussio hæc: Et iusta. Nam naturale præmium virtutis honor est. Est & vtile nobis: ad eorum intercessionem promerendam. *Est debitus sanctis.*

Canonismus seruit ad Sanctorum imitationem. Heb. 13. *Mementote Præpositorum vestrorum, qui locuti sunt vobis verbum. Quorum intuentes exitum conuersationis, imitamini fidem.* Atqui Canonismus eos, vt lucernas, in candelabro proponit. *Est vtilis nobis.*

Est charitatis Christianæ.

5. Quia cum membra simus inuicem vnius Corporis Christi; par est; vt, sicut afflictis compatimur; ita & glorificatis congaudeamus. *Laudate Dominum in sanctis eius.* Ps. 150.

Est necessarium.

6. Quia errare potest populus in colendo hoc, vel isto. Vt quem olim pro Martyre colebat populus quidam; cumque id S. Martino suspectum accideret; orauit: & pseudomartyris apparens ei anima, inquit, se damnatam latronis esse, isthic, olim iusto affecti supplicio. *Sulpitius in vita S. Martini.* Simile accidit tempore Alexandri III. *cap. Audiuimus. Extrauag de reliquiis*: Vbi reprehendit venerãtes occisum in ebrietate. Porro Canonissimum Ratione adstruamus.

PARS IV.

Canonissimus esse debet infallibilis, ac proinde tantum Pontificius.

1. CAnonicare prouincialiter, seu particulariter, olim quiuis poterat Episcopus. *Cypr. Epist. 37. August. in Breuiculo collat. cap. 13.* sed ob factos errores, & abusus prohibuit Alexand. III. *cap. 1. & 2. de reliquiis.* At vniuersaliter, idq; infallibiliter solus Papa potest.

Papa declarat hæreticos.

1. *Ratio.* Quia eius est proponere, quid credendum, vel agendum in Ecclesia: Potestque declarare hæreticos: Ergo & Sanctos.

Prima solennis canonizatio legitur facta S. Guiberti, ab Leone Papa III. ad instantiam Caroli Magni ante annos DCCC. *Teste Surio tom. 2.* Ante coli sancti cœperunt consuetudine vniuersali; non lege. Sicutque in aliis ea vim legis obtinet: ita & in hoc.

Non errat.

2. *Ratio.* Quia de Canonizato non licet dubitare, num sit colendus: ergo nec an sit Sanctus. Hinc S. Bern. Epist. 174. *Quæ accepi ab Ecclesia; fecurus teneo, & trado.* Et Augustinus Epistola 118. cap. 5. *Si quid tota per orbem frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit, disputare, insolentissimæ insaniæ est.*

Tertia Ratio. Tenemur obsequi Papæ dies festos indicenti: ergo & sanctos declaranti credere tenemur. Neu pro ipsis orando, ipsis iniuria fiat. Nam Augustinus serm. 17. de verbis Apost. *Iniuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre.* *Indicit festa, ergo, &c.*

Historicis gestis Alexandri, Cæsaris, &c. creditur, eos fuisse dignos honore viros: Cur non magis Præsulis Ecclesiæ declarationi? Præsertim attestantibus miraculis, & accuratissima præuia singulorum indagatione facta? *Quarta ratio.*

II. Obiiciunt istud Augustini. *Multorum corpora honorantur in terris: quorum animæ torquentur in gehenna.*

Respondetur, 1. Istud, Augustini, an cuiusnam sit dictum, nescitur. 2. Verum est id in Alexandro Magno, Cæsare, potentumq; monumentis: Non autem in quoquam Sanctorum.

3. Verum & in Luthero: cuius magna & crassa statua, in Francofurdiano Mercatu, spectaculo fuit proposita, quam nõ nisi pretio annumerato cuiquam videre licebat. Sturmius Epistola 222. ad Caluinum de Lutherano ait, *Adeo φιλολούτηρος est, vt vel crepidas eius adorandas putet.* 4. Verum & in cæteris hæreticorum primipilis est idem: quorum mirifica ipsis in terris memoria; in cœlis nulla. *Lutherus sanctus qualis.*

Nam haud pridem, ad Rheni oras, rogati hæretici, quos de suis nossent in cœlo sanctos? quem nominarent, habebant nullum. Et sat risum fuit, Prædicans dein edito libello respondit; Latronem in cruce bonum Lutheranorum & Caluinistarum esse Sanctum: Plusque risum. Atq; vtinam imitarentur latronem, fide, & opere iuxta inclytum! *Qui Sancti Lutherani.*

III. Ne-

Sancti nostri sunt Diui, non Dii.

III. Neq; vero est; quod Apotheosios impietatem nobis aduersarii calumniose conantur imponere. Nam Caluinus l. 3. Institut. cap. 20. ait, *Sanctos* à nobis *Deos tutelares* haberi. Non eos dicimus Deos; sed Diuos & Sanctos: nec eos latriæ; sed duliæ cultu afficimus. Nisi vocem apotheosin accipi placeat sic, vt dictum istud: *Ego dixi, dij estis*: id est, Improprie dij. Sed nos *istam consuetudinem* sic loquendi *non habemus*.

Fraudibus obstat canonismus.

IV. Cauendis igitur fraudibus tum philautorum, tum cacodoxorum, tum cacodæmonum; necessarius est Canonismus Sanctorum. Monente D. Hieronymo in Epistol. ad Philemonem. Vbi ait: *Magnum est crimen, dicere sanctum, qui nõ est; & non sanctum, qui est sanctus.*

Atqui venditarentur à nonnullis sancti, qui non essent: idque vel 1. ex nimio charorum amore: 2. ex beneficiorum perceptorum memoria: 3. ex ambitiosa generis, cœtus, ciuitatis, gentis ac regionis excellentia: 4. è sordida & mendaci adulatione, dum Regibus, Principibus, potentibusque aliis Sancti parentes, filij, &c. darentur: 5. ex aliqua lucelli alicuius, aut honoris & famæ specula, per populorum scilicet concursus & dona: 6. ex improuida deniq; Scriptorum quorundam de virtutibus & prodigiis aliquorum narratione: 7. ex stolida ac imperita vulgi opinione: 8. ex inepta inanium falsorumq; *per mirabiliarios*, vt ab S. Augustino vocantur *Tract. 13. in Ioann.* miraculorum famigeratione, ac superstitiosa quorundam temeritate.

Exempla fraudum.

V. Sic & reipsa factum aliquando mõstrat apud Sulpitium S. Martinus de quo supra. Et Optatus Mileuitanus *lib.* 1. Et 2. apud S. Anselmum Landfrancus: dum, de eo, quem postea vere sanctum agnouit, dubitabat *Elphego: Sur. tom.* 2. Concilium Laodicenum canon. 34. Carthaginense 1. canon. 2. *Balsamon in canon.* 13. S. *Basilij.*

Vis Phocæ.

3. Et nonne voluit Phocas Imperator; vt omnes, qui ab infidelibus in prælio cæsi essent milites; martyribus asscriberentur? 4. Nonne facinorosi & obcæcati, per honestæ mortis speciem, hunc interdum honorem captarunt, vti monet Sanctus August. in collationis tertiæ Breuiculo cap. 13.

Decretum contra fraudes.

1. Quin & Alexander Tertius Pontifex, *de reliquiis & reuer. Sanct. audiuimus*, inquit, *quod quidam inter vos diabolica fraude decepti, hominem quendam in potatione & ebrietate occisum, quasi Sanctum (more infidelium) venerantur, cum vix pro talibus in ebrietatibus peremptis Ecclesia permittat orare. Dicit enim Apostolus, Ebriosi regnum Dei non possidebunt. Illum ergo non præsumatis de cætero colere, cum etiam, si per eum miracula fierent, non liceret vobis ipsum pro Sãcto, absq; authoritate Romanæ Ecclesiæ, venerari.*

Quæstus ex reliquiis.

2. Et rursus: *ib. c. Cum ex eo. Inuentas de nouo reliquias nemo publice venerari præsumat, nisi prius authoritate Romani Pontificis fuerint approbatæ. Prælati vero non permittant eos qui ad eorum Ecclesias; causa venerationis, accedunt, variis figmentis, aut falsis documentis decipi, sicut in plerisque locis, occasione quæstus, fieri consueuit.*

3. Tridentina demum Synodus, cum de his plura sanxisset, ad extremum tandem, Session. 25. concludit: *Nihil inconsulto sanctissimo Romano Pontifice nouum aut in Ecclesia hactenus inusitatum decernatur.*

Martyres vindicãdi sunt.

4. Testis etiam loco citato est Optatus Mileuitanus, fas olim non fuisse, vt pro Martyre duceretur, honoreque afficeretur, qui *vindicatus non esset*, id est, nondum probatus ac receptus: prout eum in locum obseruauit doctissimus, (quem ab hæresi resipiscentem frustra allatrauit Beza; *in Ecebolio in vita Caluin. & Epist.* 6.

pist. 6.) Balduinus, & ex eo Baronius. Quod si ne Martyres quidem publice quoslibet, ab infidelibus in bona etiam quandoque causa peremptos nominitare ac venerari *nisi vindicatos* non licet; quanto alios quoslibet, publicis sanctorum insignibus ornare minus: *Si* ait Baronius Martyrol. die 4. Martii, *de illis qui pro Christo occidebantur, tamen de eorum fide & charitate, sine qua nihil prodest, etiamsi det quis corpus suum ita vt ardeat, tam exquisitam perquisitionem haberi moris fuit; sane mirum videri non debet, sanctam Dei Ecclesiam, veritatis columnam, maius studium, multoque exactiorem diligentiam adhibere solitam, in ascribendo cæteros sanctorum numero: vt & merito tanti ponderis negotium non Primati, vel Patriarchæ alicui, sed ipsi tantum Romano Pontifici, pro summae à Christo Domino in beatissimo Petro Apostolo tradita potestate, sit creditum.*

Pseudo martyres. VI. Et sane multi animorum recessus, latebræ plurimæ. *Si* ait Sanctus Hieronymus, lib. 3. ad Galat. cap. 5. *ita martyrium fecerimus, vt nostras velimus ab hominibus reliquias venerari: si opinionem vulgi sectantes intrepidi sanguinem fuderimus, & substantiam nostram vsq; ad mendicitatem propriam dederimus; huic operi non tam præmium quam pœna debetur; & perfidiæ magis tormenta sunt, quam corona victoriæ.*

De hisce igitur occultissimis hominum cogitationibus, & consilijs, de vera vsque ad extremum vitæ spiritum constantia, de certa denique in cœlos profectione: quis certo, nisi diuinæ opis, astantisque & constantis sancti Spiritus vi & afflatu pronuntiet? Omnino igitur sacer iste Canonismus nobis opus: & ad eum magna insignisque cura, inquisitio, prudentia, religio, iudicium.

Dixi, autem, *vt publice inuocentur Sancti*, necessarium Canonismum: Quia priuatim potest quis ἀκανονίστως alicuius preces rogare, vti etiam hominum adhuc viuentium ac spirantium.

Atque ista generatim prætermissis iis, quæ septem recensui superius, apud Bellarminum reperiundis. Singularia sunt alia pauca quædam, & eximia: quæ huc retulisse pretium fuerit operæ, desumta ex quæstionibus de Sanctis.

PARS V.

Quod nostrum sui cultum sentiant sancti, precesq; cognoscant.

NEgant hæreticorum complures: indeque confectum volunt; Sanctos nullo modo inuocandos. Et eam istorum ignorantiam probant *primo* quidem ex Scripturis: *Iob.* 41. 21. *Ecclesiast.* 9. 5. *Isai.* 63. 16. 4. *Reg.* 22. *v.* 20. Deinde ex nonnullis Patribus, D. *Augustino lib.* de cura pro mortuis cap. 13. lib. de religione cap. 55. *Gregorio Nazianzeno* in fine suæ in sororem suam Gorgoniam orationis. *Origene* lib. 2. in Epist. ad Romanos, Sed ista in re sunt hæc statuenda.

Status quæstionis. PRIMO. Sanctos, certissimum est quæ hic à nobis aguntur, nosse: De modo tantum, quo norunt, quæstionem esse: An videl. generatim tantũ nostra ista norint: an singillatim, an naturaliter, an supernaturaliter: & si supernaturaliter, quo id modo fiat.

Sanctitas cognoscunt generatim nostra. SECVNDO. Generatim cognoscere Sanctos, quæ in hoc mundo fiunt, annuunt etiam hæreticorum aliqui. Et merito. Nisi enim omnis ex eorum animis deleatur penitus memoria; necessum est, meminerint, quæ hic esse soleant bona & mala: quæ nostra studia & affectus, quibus periculorum, tentationum ac ærumnarum agitemur tempestatibus, & similia.

1. Testis

1. Testis epulo. Ex hac is memoria dicebat Lucæ 16. vers. 23. *Habeo quinque fratres*, ex eaque aliquantum naturaliter ratiocinans cognoscebat eos idem æternæ gehennæ, quod ipse tenuisset, tenere iter; ideoque rogabat ad eos ablegari aliquē, *vt*, ait, *testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum.*

Fatentur id hæretici aliqui.

2. Atque hinc, qui generatim hanc Sanctis cognitionem non adimunt hæretici; simul etiam vel fere, vel omnino fatentur eos pro nobis generatim orare. Lutherus part. 2. in art. 2. Schmalkaldico: *Angeli*, ait, *in cœlo pro nobis orāt, sicut ipse quoque Christus facit, & Sancti in terris, & fortasis etiam in cœlis.* Melanchthon etiam in confessionis Augustanæ Apologia, ad art. 21.

Cognoscūt preces nostras.

TERTIO. Preces nostras singillatim cognoscunt. *Primo* Apocal. 5. 13. Ad creaturarum omnium, ideoque & hominum, qui in hoc mundo adhuc hæremus, preces dicunt cœlestia illa quatuor animalia: *Amen.* Sed qui non cognoscit, quæ dicit alius, dicere hoc non potest. 1. Cor. 14. 16.

Secundo, accipiunt Sanctorum preces eadem quatuor animalia, & XXIV. Seniores, easque veluti phialas quasdam aureas fragrantissimorum plenas aromatum Deo ipsi offerunt. Apoc. 9. 8. Eas igitur certe cognoscunt.

Tertio. Iidem Seniores sciunt optime, quinam & quales ij sunt, qui ex hoc demigrant sæculo; sciunt quibus hic ærumnis diuexati fuerint, quomodo suas in Agni Sanguine lauerint ac dealbauerint stolas. *Apoc.* 7. 19. Quomodo eorum igitur in ærumnis illis preces ac gemitus, eorum religionem ac pietatem, eorum *in Sanguine Agni*, lachrymas & vota nesciant?

Quarto. Qui morte obita vitam ineunt cœlestem, *æquales angelis sunt.* Lucæ 10. 36. At norunt Angeli nostras precationes. *Apoc.* 8. *Tob.* 3. *& ibidem quæstione* 4. 5. 6. Lucæ 15. 10. Ergo.

Sed obiicitur ex Caluino libr. 3. cap. 20. §. 23. *Angeli sunt administratorii spiritus quibus delegatum sit ministerium curandæ nostræ salutis: huicque rei eos præfecit Deus. Vnde & sacros cœtus frequentant, & Ecclesia illis theatrum est, in quo mirentur variam & multiplicem Dei sapientiam. Quod illis peculiare est, ad alios qui transferunt; certe ordinem a Deo positum, qui inuiolabilis esse debebat, confundunt ac peruertunt.*

Respondeo *Primo*, sanctorum Spiritus etiam si Angelis dicantur similes; non ideo sunt simpliciter dominatorij; sed summæ illius maiestatis ministri etiam sunt. *Secundo*, eos etiam saluti nostræ præfecit Deus, Apocal. 2. 27. Matt. 24. 47. *Tertio.* Non omnes Angeli cœtus nostros frequentant ordinarie ac assidue. *Quarto.* Sanctis etiam Ecclesia theatrum est, in quo mirentur variam & multiplicem Dei sapientiam. Apocal. 3. 11. cap. 4. 9. 10. 14. cap. 17. 14. & sequentibus.

Quinto. Si res, vota precesque nostras omnino ignorarent Sancti, non possent fœlices ac beati censeri; quia eas res, quarum ex natura & charitate tenentur cognoscendarum desiderio, ignorarent. *Sexto.* Gubernant, vt ante dixi ex Apocal. 2. & 8. Matth. 24. gentes ac populos. Quomodo eorum igitur res non norint? *Septimo.* Essent beati illi nobis miseriores. Nos enim etiam; quæ à nobis longissime terra marique dissita sunt, possumus nunciis ac literis intelligere: & Sancti, quod abijs abismus, rerum; obsecrationumque nostrarum nihil cognoscent? Imo inuenire est mortalium nonnullos, qui siue vere, siue falso (id enim iam non disputo) promittere audeant, vel per specu-

la, vel per cœleſtes neſcio quos characteriſmos, remotiſſimarum rerum cognitionem, & abſentiſſimorum hominum quædam veluti colloquia, & qui cum Deo ſunt, per ſummam huius, interminatamque poteſtatem, nos abſentes audire, noſtra intueri negotia & ſtatum; non poterunt immortales?

Octauo ab effectu etiam licet euidentiſſime argumentari ſic: Sancti faciunt ac præſtant quæ ab iis petimus. Cognoſcunt ea igitur. Antecedens è Patribus, hiſtoriis, monumentiſque tam multis patet, vt in eo hærere iam nolim. Videri poteſt *Bellarmin. libr. 1. de cultu Sanctorum cap.* 18. *&* 19. *Nono.* Sancti norunt eos, à quibus exagitati & excruciati ſunt adhuc viuere, vrgere, ac florere, *Apocal. 6. verſ.* 10. poſſunt igitur & eos noſſe, qui adhuc viuunt, & in miſeria quapiam eos colunt acrogant.

Decimo De ſuo quodam improbiſſimo amiculo ſcripſit ad Farellum ſuum, Epiſtolarum pag. 10. Caluinus: *Coraldus ſtat coram Domini tribunali, teſtis, & accuſator eorum nequitiæ.* Et Sancti coram eodem illo Dei tribunali, teſtes ac laudatores viuentium virtutis ac pietatis eſſe non queant?

Vndecimo Gentiles pene omnes, quibus quidem animos eſſe immortales perſuaſum fuit, iſtiuſmodi cognitionem illis non negarunt: & noui noſtri negant Sophi?

Duodecimo Ioſephus lib. 3. belli Iudaici, cap. 24. in Græco: Καθαραὶ δὲ ἐπήκοοι μένουσι αἱ ψυχαὶ, χῶρον ἁγνὸν ἐληχυῖαι. id eſt, *Puræ vero audientes, ſeu ad audiendum aptæ manent animæ, quæ cœlum adeptæ ſunt.* Neque enim ὑπήκοοι legendum, vt ex reipſa intelligitur, & ex Interpretibus Latinis, Gallicis, Germanicis capite 14. & quodammodo ex Ioſepho altero Gorionide, cap. 21. prout à Dauide Chytræo Argentinæ prodiit.

Decimotertio Ad obiecta reſpondeo breuiter quidē, ſed vere loqui tam ſcripturas quam Patres de modo cognitionis naturali & ordinario. Quo autem alio modo cognoſcant Sancti, iam exquiremus. Nam ita de hoc diſputat indicato loco S. Auguſt. vt eos cognoſcere, velut in dubium ſupponat libro illo *de cura pro mortuis. c.* 15. & 16.

PARS VI.

Quomodo preces à nobis ad ſe fuſas cognoſcant Sancti.

Obiectio hæretica.

I. MAgnum inter cœlos, vbi ſancti ſunt, atque terram, vbi nos; interuallum, chaos magnum. Ideo, *Quis* ait Caluinus lib. 3. *c.* 20. §. 24. *eorſque lõgas eſſe aures reuelauit, q̃ ad voces noſtras porrigantur? oculos etiam tam perſpicaces qui neceſſitatibus noſtris aduigilent?* Concludunt igitur ſic Nouatores, *Non poteſt, quo Pontificiorum preculas cognoſcant Sancti, explicari modus. Non igitur cognoſcunt. Si non cognoſcunt, igitur nec orandi.*

Refutatio orthodoxa.

Sed peccata hic illi, vel vafre ac nequiter, vel indocte ac inſcienter peccant tria.

Primo, quod ex modi, quo res aliqua fit, ignoratione, colligunt, rem illam non fieri. Nam in diuinis quam plurimis, verbi cauſa, in æterna filij generatione, Spiritus ſancti ab vtroque productione, trina perſonarum eſſentiali vnitate, modum quis explicet? Quis in mundi olim & hodie, in ſingularum, quæ hominum ſunt animarum creatione ex nihilo, in aliis ſimilib. tam multis, modum, vt ambigere atque controuerſari queat nemo, quis indicet?

ſæpe neſciatur modus in diuinis rebus.

Imo in naturalibus, & ante oculos ac pedes

pendes positis rebus, quotusquisque modum, quo eæ sint, intelligit? 1. Serratur lignum, limatur ferrum, scinditur paruo aliquo cum stridore chartula, & plerisque obstupescunt dentes, aures dolent, quid causæ? 2. Vident quidam vinum rubrum, odorantur caseum, tangunt leuiter aliquid, quod, ante annos forte plures, pestis quædam afflauit, & conturbantur, cohorrescunt, moriuntur, quis antipathiæ, veneniue huius modus? 3. Quin & inueniuntur nonnulli, qui si conclaue, locumve alium, vbi catus sit, ingrediantur, licet eum neque videant, neque audiant, vel omnino sciant; totis tamen artubus contremiscunt, nauseant, vomiturunt. Quem horum, consimiliumque in tota rerum natura plurimorum modum dixerint Nouatorum Sophi? An quia hunc nesciunt, illa fieri negabunt?

Modestius, homo alioqui solertissimus, ingeniosissimus & doctissimus, Sanctus Augustinus, libro de cura pro mortuis capite vndecimo. *Quomodo sint ista, nescio.* Et capite decimo sexto: *Quamquam ista quæstio vires intelligentiæ meæ vincat, quemadmodum opitulentur martyres iis, quos per eos certum est adiuuari: 1. Vtrum ipsi per se ipsos adsint, vno tempore tam diuersis locis, & tanta inter se longinquitate discretis, siue vbi sunt eorum memoriæ, siue præter suas memorias vbicumque adesse sentiuntur: 2. An ipsis in loco suis meritis congruo, ab omni mortalium conuersatione remotis, & tamen generaliter orantibus, pro indigentia supplicantum, sicut nos oramus pro mortuis quibus vtique non præsentamur, nec vbi sint, nec quid agant, scimus.*

Deus omnipotens qui est vbique præsens, nec concretus nobis, nec remotus à nobis, exaudiens martyrum preces per angelica ministeria vsquequaque diffusa, præbeat hominibus ista solatia, quibus in huius vitæ miseria iudicat esse præbenda: & suorum merita martyrum vbi vult, quando vult, quomodo vult; maximeque per eorum memorias, quoniam hoc nouit expedire nobis ad ædificandam fidem Christi, pro cuius illis cõfessione sunt passi, mirabili atque ineffabili potestate ac bonitate commendet.

Res hæc altior est, quam vt à me possit attingi & abstrusior, quam vt à me valeat perscrutari: & ideo quid horum duorum sit, an vero fortassis vtrumque sit, vt aliquando ista fiant per ipsam præsentiam martyrum; aliquando per angelos suscipientes personam martyrum, definire non audeo: mallem à scientibus ista perquirere.

Neque enim nemo est qui hæc sciat, non qui sibi scire videatur & nesciat: dona enim Dei sunt, his alia, & illis alia largientis, secundum Apostolum, qui dicit, vnicuique datur manifestationem Spiritus ad vtilitatem. Alii quidem, inquit, datur per Spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ secundum eundem spiritum, alteri autem fides in eodem spiritu, alteri donatio curationum in vno spiritu, alij operationes virtutum, alii prophetia, alii diiudicatio spirituum, alii genera linguarum, alij interpretatio sermonum. Omnia autem hæc operatur vnus atq; idē Spiritus, diuidens propria vnicuique prout vult. Horum omnium spiritualium donorum; quæ commemorauit Apostolus, cuicunque data est diiudicatio spirituum, ipse scit ista, sicut scienda sunt.

Secundo respondetur. Neque posterior firma consequentia. Quia fieri posset, vt essent, qui, Sanctorum nomine, cognoscerent preces nostras Angeli, vel Deus ipsemet: neque illi eam ob causam frustra orarentur. Quemadmodum si Princeps aliquis adeo illiteratus & rudis esset, vt legere nihil omnino posset; non ideo tamen frustra supplices ei offerentur libelli; quia essent alii, qui eius loco lege- *Simile.*

legerent. Et de hoc disputat à *capite decimo, libro de cura pro mortuis gerenda*, Diuus Augustinus.

Modi X. quibus cognoscunt Sancti nostra.

Tertio. Falsum est explicari haud posse modum, quo iis precum nostrarum suggeratur cognitio. Nam sane non vnum modo, sed plures asserunt Theologi modos, *decem* nimirum, & si liberet, plures.

1. *Ipsa Sanctorum præsentia.*

II. *Primus* est, vt ipsæ Sanctorum animæ ib., vbi orantur, præsentes incredibili, quæ spirituum propria est, adsint celeritate. *D. Hieronymus contra Vigilantium*, cuius tamen verba duplicem & sensum & modum videntur suggerere. Nam vel de reali animarum præsentia, seu; vt non male Theologorum quidam loquuntur, de reali essentia, intelligendus S. Hieronymus; vt fere ab omnibus intelligitur; Vel de attentionis præsentia, citissimoque inditarum ijs ad cognitionem specierum vsu, prout à Soarez lib. 2. de attributis diuinis, cap. 28. intelligitur.

2. *Per homines.*

Secundus. Vt non adsint ipsæ, sed ab aliis, qui cognoscunt, accipiant. Et hi alii numerantur triplices: *Homines*, *Angeli*, *Deus*. *Homines* quidem, si hinc demigrantes, nouerint, quæ hic gerantur. D. Augustin. lib. de cura pro mortuis cap. 15. eiusque hic modus proprie *tertius*. *Angeli*, quia hi nobiscum adsunt, nobis præsidet, nostra norunt vt ea beatis illis animis referre possint. D. Aug. eodem cap. est *modus* hic *quartus*.

3. *Per Angelos.*

4. *Per Dei immediatam reuelationem.*

5. *Vel mediatam.*

6. *Per Dei visionem, &c.*

Deus dupliciter. *Primo*, quia ipsis iisdem animabus preces illas extraordinario veluti sermone ac lumine reuelat. Ibidem S. Augustinus, & hoc bifariam, immediate scilicet per seipsum: est *modus quintus*; & mediate per alios, vt Angelos, & *modus* est *sextus*. vel homines, vt *modus* sit *septimus*. *Secundo*, quia ordinario suo aspectu omnia hæc talia iisdem monstrat, ita vt Deum dum vident, nostra ista desideria optata, & vota in illo videant. Et modus rursum dupliciter explicatur, *primo*, vt per se ac ipsius visionis diuinæ vi, hæc videant, idque formaliter: & vel ab initio cuiusque beatitudinis, vt Caietano visum 3. part. quæst. 10. art. 2. sicque *modus* est *octauus*: Vel non ab initio, sed successiue, vt censet Ferrariensis, contra Gentes cap. 59. & *modus* est *nonus*. *Secundo*, non per se, sed per accidens, & ex tota Dei voluntate, & libero concessu, toties, quoties ex hisce rebus vident aliquid, ideoque non nisi ratione visionis causaliter, isque *modus* est *decimus*, post beatitudinem nimirum & successiue, vt rursum Caietano videtur in iis rebus, quæ post Sanctorum mortem paulo accidũt diutius: vt vero aliis videtur, etiam in rebus aliis omnibus, quæ extra Deum sunt.

Horum autem modorum, qui probabiliores & apriores sint, alterius est loci disserere: satis nunc est, ab hominibus hosce intelligi: quanto magis & hi & alii plures à Deo fieri possunt?

Cognitio per Reuelationem dicitur Exemplis.

III. Certe per suum ipsius sermonem ac reuelationem, qui è positis cognoscendi modis *quintus* est, posse Deum eodemquo concipiuntur momento efficere, vt nostra peruideant, & exaudiant Sancti vota, nemo omnium, qui in scripturis & rerum naturis aliquid vident, potest ambigere? Deus enim est, qui 1. Reg. 9. 15. & 17. *reuelauit auriculam Samuelis*, vt Saulis inuentas videret asinas, eumque ignotum ac inopem ad se venientem agnosceret, Regemque designaret ac vngeret.

2. Deus est qui eidem Samueli 1. *Reg.* 16. indicauit speciem in aliis Isai filiis nõ esse dignam imperio, ipsum vero Dauidem verso 12. esse Israelitico sceptro idoneum, regioq; vnguento statim vngendum.

3. Deus

3. Deus est, qui Elisæo absenti monstrauit, quæ in remoto loco ab Giezi quã occultissime fiebant, ita vt certo & clare huic reuerso diceret, lib. 4. Reg. c. 5. v. 26. *Nonne cor meum in præsenti erat, quando reuersus est homo de curru suo in occursum tui. Num igitur accepisti argentum, & accepisti vestes, vt emas olineta, & vineas, & oues, & boues, & seruos, & ancillas.*

4. Deus est, qui *Act.* 5. in Sancti Petri oculis Ananiam & Saphiram de agri pretio decerpentes & occulentes aliquantulum posuit.

5. Qui, vt *venerabilem virum* (S. Gregorij verbis loquor libr. 2. dial. c. 20.) *Benedictum latere nihil posset, in cuius auribus tacitæ etiam cogitationis verba sonuissent, effecit*: Qui in eius cõspectu Riggonem Spatharium, cum purpureis vestibus & regio comitatu, personatum ageret Totilam, collocauit, *eodem libr. cap.* 24. qui oculorum illius aciem ita intendit, vt à puero vini amphoram, seu vt illo iam æuo appellabant, Flasconem abscondi, & in absconditum hunc irrepere serpentem intueretur, *ibid. cap.* 18. Videretque fratrem quendam cap. 19. à se dissitum, mappulas à monialibus quasdam accipientem, suoque in sinu abscondentem, sic, vt cũ rediisset ille, ipsi mirabiliter diceret: *Nunquid ego illic præsens non eram, quando ab ancillis Dei mappulas accepisti, tibique eas in sinu misisti?*

6. Et de S. Bernardo, Sanct. Francisco, aliisque non paucis memoriæ prodita sunt generis eiusdem complura. Quæ clarissime demonstrant, posse Deum Sanctorum in cœlis mentes luce tali ac tanta collustrare, vt quæ nobis hac in humo repentibus geruntur, dicuntur; &, si idem velit Dominus; cogitantur, perspiciant illi: & cognoscant optime.

Et potest hoc Deus tam per seipsum immediate, quam per alios: verbi causa, Angelos, aut beatos alios. Quemadmodum enim Angelis vel per seipsum, vel per superiores Angelos, nonnulla indicat & patefacit; sic & Sanctis aliis. Estque hic *modus sextus* ac *septimus*.

Docetur autoritate.

IV. *Octauus* vero *modus* & *nonus* vniuersè quidem sumuntur ex S. Gregorio, eiusque ratione, dum de Angelis ait lib. 1. Moral. cap. 2. *Interius, exteriusque sciendo diffusi sunt, quia ipsum scientiæ fontem contemplantur. Quid enim de his, quæ sciẽda sunt, nesciunt, qui scientem omnia sciunt.* Et de beatis alijs. lib. 4. Dialog. cap. 33. *Quia in æterna hæreditate omnes communi claritate Deũ conspiciunt, quid est, quod ibi nesciant, vbi scientem omnia sciunt?* Seu vt D. Th. 1. p. q. 2. a. 8. citauit. *Quid est, quod non videant, qui videntem omnia vident?*

Docetur rationc.

Distinctius vero ijdem modi videntur posse intelligi, quod quisque causam aliquam, & quidem vt causam cognoscit, is necessario eius effecta cognoscit: & quo illam contuetur perfectius, eo & ista; siue iste istorum contuitus, quo ad maiorem horum multitudinem, siue quo ad maiorem in ipso contuitu intensionem & acrimoniam accipiatur. Nunc vero Deum cognoscunt beati omnes, vt causam omnium, quæ ab homine quocunque fiunt, bonorum: precationum videlicet, desideriorum, & commotionum omnium. Ista igitur in Deo omnia videre omnes possũt. Et quia eadem Dei visio, vna semper & constans, absque vlla mutatione est, ideo per eam formaliter omnes istæ res ab primo, quo illa incipit momento, videantur, oportet. Magnorumque hæc Theologorum sententia est. *D. Thomæ 1. par. quæst. 12. art. 5. Capreoli 4. distinct. 49 quæst. 6. artic. 1. & 3. Ferrariensis 3. contra Gentes cap. 56. 59. 60. Dominici Soto 4. distinct. 49 quæst. 3. art. 3. Richard. 3. distinct. 14. art. 2. q. 3. & 4. distinct. 49. art. 3. Soarez lib. 2. de attributis di-*

ninis 5. 28. Et vero quæ videmus nunc *per speculum in ænigmate*, 1. Corinth. 13. *tunc facie ad faciem videbimus.* Nunc vero & fidei mysteria omnia, & quæ in ijs cõprehensa, ex iisque apta & nexa, *videmus per speculum & in ænigmate.* Nonne ista igitur clare *& facie ad faciem videbimus* postea?

V. Decimus demum *modus* est etiam peraccommodus. Quia fieri potest, vt eis, qui Deum clare intuentur, velit Deus quoddam, veluti beatitudinis corollarium ac superpondium adiici; vt quidquid creatarum rerum, & earum præsertim, quæ ipsos spectare ac attingere videntur propius, fuerit, hoc eis postea, cum extiterint istæ res, patefiat vi quidem visionis non per se, ac formaliter, quasi ex ipso, quod Deus videtur, videantur ista omnia: sed per accidens & causaliter. Quia decernit & dat Deus voluntarie, vt beatitudo, quæ ex vno ipsius habetur contemplatu; causa fit, ob quam detur aliud beatis lumen, aliaque visio qua inferiores mundi huius res nostras cognoscant ac peruideãt. Et hoc magnis etiam visum Theologis: *D. Thom. 1. part. q. 57. art. 5. Caietano ibid. & 2. 2. q. 83. art. 4. circa solutionem secundi, D. Bonauenturæ 3. d. 19. art. 2. q. 3. Scoto ibid. Petro Alliacensi, 1. par. q. 12. alijs*, quos è recentioribus laudat, & excutit, ac probat *Vasquez 1. par. q. 12. art. 8. disp. 50.*

Horum igitur decem modorum, nullus omnium est, qui adhiberi aliquando non possit, sed omnium vsitatissimi atq; certissimi sunt, qui suam à Deo arcessunt cognitionem: & horum quidem antepenultimus, Istique modi omnes possunt dici, esse cognitio in verbo, vt citato loco putat *Vasquez cap. 7.* vel certe *octauus & nonus modus*, vti cum vetustioribus affirmat *Soarezius l. 2. de attributis c. 27. 28, 3. p. q. 10. disp. 26.*

VI. Atque hinc perspicitur; quanta & quam miseranda hæreticorum; dum Sanctis preces nostras negant innotescere, contumacia sit. Quærunt modum, quo preces nostras queant illi cognoscere? cum ipsi tamen aliis in rebus plurimis veritatem fateantur, veritatis modum ignorent, imo neque inuestigandum censeant.

1. Hæ Caluini voces, in 1. Cor. c. 11. fol. 192. *Quid opus tam subtiliter philosophari?* Nam in difficilem de Angelorum apud nos præsentia, & nostras in res iniquisitine, quæstionem inciderat, nec illius ipse modum edicere poterat, neque ab aliis discere volebat.

2. Et fatetur idem met se, cum à Zvinglio discedit, cumque in Eucharistici mysterij explicatione reprehendit, non posse modum, quo in Eucharistia sit Dominus, explicare.

3. Cumque ipsius assecl æ concedant à Steph. visum in cœlo Christum Dominum *Act. 7. 56.* modum tamen, quo tam longe hominis oculi ad videndum porrigerentur, non explicant: neque, nisi à Catholicis illius, quod Sanctis datur, cœlestis aliquid luminis mutentur, explicare possunt.

4. Multo etiam minus in S. Paulo, *Actorum 9.* à quo non extra cœlum, ac sub eo, in aere terris vicino, sed in cœlo ipso visum itidem Dominum; nugantur.

5. Sed ecce, quam apte ad id, quod agimus, quam clare Beza in caput 2. epistolæ 1. S. Ioannis. *Sunt*, ait, *cœlites sollicitis de laborantium fratrum salute suo nobis incomperto modo.*

PARS

PARS VII.

Quatenus cuilibet sit necessarium Sanctos inuocare?

Primo, Catholico necessarium est credere, rectam & Christianæ pietati cõsentaneam esse Sanctorum inuocationem: partim quia tota id docet Catholica Ecclesia: partim quia & facit.

Secundo. Cum publicis interest Catholicus quispiam precibus, siue in Liturgia, siue in Litania, siue in similibus aliis, & cum publicas precari preces debet, verbi causa; si ordine sacro initiatus sit: beneficium habeat Ecclesiasticum, vel alia quacumque de causa: tenetur is Sanctos inuocare. Quia vel suam precibus publicis, siquidem earum esse velit particeps, mentem ac voluntatem coniungere: Vel eas etiam totas ac integras probare ac orare debet.

Tertio. Cum priuatim orat quis, siue domi hoc agat, siue in templo, vt Publicanus ille *Luc.* 19. aut alibi, nulli vlla Catholico lex aut necessitas, vt Sanctos inuocet: sed solum, nullo Sanctorum adhibito precatore, affari & inuocare Deum potest. Quin vero si quis omnibus necessario inuocandos sanctos, pertinaciter doceret, non aliter hæreseos damnaretur; quam qui res alioqui bonas, sed adiaphoras omnibus ad salutem necessarias contenderet, verbi causa; Communionem sub vtraque specie: coniugium, vel simile quid aliud.

PARS VIII.

Vtrum melius sit, Deum immediate per nos ipsos tantum precari, an mediate, Sanctis adhibitis comprecatoribus.

Deus oratur duplicitur.

I. DVobus modis oratur Deus. 1. ipse vnus & solus. 2. ipse quidem oratur: sed in seruis & amicis suis; dum, vt eum postea solum orent, orantur. Quando solus oratur Deus, causæ interdum & quasi argumenta ei quædam, quibus ad exaudiendum, & ea quæ petuntur concedendum inflectatur; adhiberi consueuerunt duplicia. *Quædam* ab ipso vno ducuntur, vt dum oratur, quia misericors est & bonus; quia potens & in promissis suis constans ac fidelis: quia hæc & illa beneficia sponte hactenus tribuit; quia eius agitur honos & gloria. *Quædam* vero ab alijs ducuntur, vt, dum ei proponuntur quædam creaturarum bona vel mala, quorum intuitu excitetur & moueatur, ab ijs, quæ orantur, annuendum. Et vtraque, vel eorum bona sunt ac mala qui orant, vel aliorum. *Bona eorum qui orant*, sunt virtutes, & bene facta quæpiam Isai. 38. 2. *Obsecro Domine quæso: quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonum est in oculis tuis fecerim.* Similia Psalm. 7. quæst. 5. 9. Psalm. 16. 3. Psalm. 17. 21. 22. 23. Esth. 14. 16. 17. *Bona aliorum* sunt eiusdem etiam generis. Sed hi alii sunt duplices: *Christus* scilicet Dominus, qua homo, & *Sancti Alij*, siue hi *Angeli* siue homines.

1. *Solus. Idque per sua attributa ipsis interna.*

Vel per sua creata.

De Christo Domino certum est, eius à Deo spectari preces, merita, & gloriam! Hinc enim Ecclesia oẽs pœne ad Deum preces concludit *per Christum Dominum nostrum.*

Vel per Iesum.

2. Hinc dixit ipse, *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*, Ioann. 16. 24.

Ad aliorum hominum bona pertinent hæc. Salomon Psalm. 131. vt ex 2. Paral. 6. patet. *Memento Domine Dauid & omnis mansuetudinis eius. Propter Dauid seruum tuum, ne auertas faciem Christi tui.* Sicque & factum, & cur factum sit, ostendunt illa 3. Reg. 5. *Propter Dauid dedit ei Dominus Deus suus lucernam in Hierusalem,*

Vel per iustos.

vt suscitaret filium eius post eum, eo quod fecisset Dauid rectum in oculis Domini. Daniel c. 3. *Ne auferas misericordiam tuam à nobis, propter Abraham dilectum tuum, & Isaac seruum tuum, & Israel Sanctum tuum.* Hic sane videmus, ea etiam Deo proponi, & ab eo spectari, quæ ipsi agunt homines. Ideo enim Dauidis mansuetudo & eius elogium, quod *Dei seruus* sit, itemque nominatorum Patriarcharum aliorum elogia quod *Deo dilecti*, quod *eius serui* & *sancti* sint; commemorantur. *De malis* exempla vbique plurima, cum corporum & animorum pestes, miseriæque multiplices proponuntur.

Quomodo per cœlites oratur.

Quando Deus in aliis; seu per seruos amicosque suos oratur, hoc nimirum agitur, vt hos aspiciat, eorum preces, charitatem, Sanctitatem, amicitiam, & hi rursum vel sunt CHRISTVS *Dominus, Sanctorum Sanctus*, vel *Sancti alij*, id est, *Angeli, homines.* Eique, vel huius vitæ hospites vel futuræ ac beatioris illius ciues. Nam, vt supra dictum; & CHRISTI Domini ac Saluatoris nostri pro nobis preces intuetur Deus, & aliorum, qui vel hac in vita nobiscum adhuc degunt, vel in cœlestem hinc demigrarunt.

III. Quæstio igitur est, *Vter Deum orandi modus melior sit*, is ne qui Deum in seipso statim ac immediate appellat, an qui is eius Sanctis ac mediate. Et dicendum

Primo. Vtrumque modum esse bonum, vti quidem de priore fatentur omnes: de posteriore probatum alias.

Secundo. Modos istos posse inter se comparari dupliciter. 1. Simpliciter, & ex suo, aiunt, genere tantum. 2. ex circumstantiis.

Tertio. Priore modo, videtur is melior modus, qui Deum in seipso, & ἀμέσως inuocat. 1. Quia hic in Deum motus directior ac simplicior est. 2. Quia facilior, & Physico illi pronunciato conuenientior, *frustra fit per plura, quod potest fieri per pauciora.*

Deus vtiliter oratur solus.

3. Quia hunc nobis orandi modum in ea, quæ aliarum omnium optima, princeps, ac velut idea est, præscripsit Magister diuinarum rerum optimus CHRISTVS ac Saluator noster, dum Matth. 6. v. 9. dixit: *Sic ergo vos orabitis, Pater noster* &c. 4. Quia hanc pene vnam orandi rationem vsitauit ab ipso mundi primordio Ecclesia, tam in naturæ, quam Moysis lege. 5. Quia prior est latriæ: posterior duliæ actus, quoad terminum quidem proximum.

Quarto. Posteriore modo, potest sæpissime is Deum melius orare, qui Sanctos, vt hunc pro se orent, orat. 1. Quia in hoc modo maior inest Dei Opt. Max. veneratio, maiorque gloria, vt supra expositum. Quo enim plures ante diuinam ipsius maiestatem sese prosternunt, eumque supplicabundi appellant, eo ei honoris & adorationis defertur plus.

Vtilius per Sanctos.

2. In eodem modo maior etiam inest hominum demissio, dum suam ipsorum, coram oculis Dei, vilitatem magis agnoscunt, reque ipsa magis profitentur, adhibendo alios: partim quia significant aliorum quam suam religionem, charitatem & virtutem Deo esse gratiorem: partim quia se minus dignos esse, quam vt summum illum Regem Regum, Dominantium, solum soli, & ore ad os alloquantur, iudicant.

3. Maior in eodem modo inest charitatis erga Deum & proximum significatio. Erga *Deum* quidem, quia plures ad sacrum eius obsequium ac venerationem sollicitantur: erga *proximum*; quia huic non occasio tantum, sed & causa vera datur bene agendi, Deum colendi, charitatem, qua erga illum, & nos ipsos flagrat, exercendi. 4. Maior in eodem modo in-

est

est non Dei tantum, sed & Christi Domini qua homo; beneuolentiæ, beneficientiæque agnitio & commemoratio. Dei enim dona in aliis hominibus agnoscimus & commemoramus, dum in iis ab illo ea bona cogitamus ac statuimus, quæ per pretiosum Christi Domini sanguinem & meritum diuinæ maiestati acceptissima sint.

5. Communionis Sanctorum quam in Apostolico profitemur Symbolo, maior ac ingentior hic excitatio est, dū ab nostris, in eadem Dei Ecclesia, conseruis & fratribus petimus, vt propter Sanctum, quo in ista coniuncti & colligati sumus vinculum, sua nobiscum bona, quorum aspectu hilaretur ac moueatur Dominus; communicent; legationem ad communem illum Dominum pro nobis obeant; nobiscum illum supplices cernui atque abiecti enixissime demississimeq; orent & adorent.

6. Impetrantur & isto modo multa, quæ non impetrarentur alias. Vult enim Dominus suorum charorum à nobis cognosci gratiam, gloriam, & auctoritatem, qua eo apud seipsum dignatur. Vult vt intelligamus eos apud se vitam viuere beatissimam; eos posse in malis afflictisque rebus opitulari; eos eam, quam in terra inchoarunt, non abiecisse erga nos charitatem: eos suam nobiscum & pro nobis libentissime, ac humillime venerari maiestatem: vult denique omnia, quæ superioribus causis omnibus explicata iam sunt.

7. Cum eæ causæ modum istum altero præstantiorem, quoad quæuis tempora indicent, est vna tamen, quæ hoc potissimum tempore illum monstret anteponendum, fidei nimirum Catholicæ professio. Cum enim modum eum carpant, damnent, & omnino explodant hæretici, magnum & priuatim & publice fidei suæ Catholicus actum efficit, cum hoc precis genus assumit & celebrat. Quemadmodum, etiamsi præceptum esset nullum, foret nunc satius, sub vna, quam sub duabus speciebus Eucharistiam sumere, quod hoc sacrosanctæ fidei, vna quędam nota, & symbolum contra hæreticos sit, ita & Sanctos, vt *Sanctum Sanctorum* precentur, precari.

Quinto. Ille vero modus orandi optimus, qui ex vtroque constat, & modo scilicet hunc, modo illum vsurpat precandi modum. Exemplum in Ecclesia ipsa Catholica clarissimum. *Deum* enim, & *Sanctos* rogat: seu illum ipsum immediate, ac mediate, itidemque faciunt, & fecerunt Catholici, ab Ecclesiæ Christi primis statim initiis, Bellar. l. de cultu Sanctorum, Schererus, initio Postillæ de Sanctis. *Vtilissimū vtroque modo orare.*

Sexto. Ne quis pro priore modo allatas rationes eam in partem agat, vt ex iis vnum illum retinendum, profligandum alterum existimet, ad earum singulas respondebo aliquid.

IV. Ad primum. Sæpe qui directior & simplicior motus est, ob causam aliquam minus bonus & vtilis redditur. A puncto quolibet in quodlibet recta potest duci linea, & à qualibet vrbe in quamlibet. Sed non ideo illa statim vna tenenda via est. Sunt quandoque interiecti montes, amnes, densæ syluæ, viæ lutulentæ, loca tesqua & horrida, vt viatori multo fit conducibilius iter obliquum, licet paulo longius, quam rectius illud ac breuius.

Ad secundum. Physico illi pronunciato solet à Philosophis addi vel cautio, vel interpretatio: *Si æque fieri possint bene omnia.*

Ad tertium, mirum est, cur vna oratione Dominica contenti non sint Nouatores. Cur Psalm. canunt? Cur nouas cu-

dunt recuduntque preculas? Et tamen in illa etiam iſte pro *alio* curandi, orandique modus innuitur, dum non dicit vnus aliquis *Pater mi, qui es in cœlis: Panem meum quotidianum da mihi hodie, dimitte mihi debita mea ſicut & ego dimitto debitoribus meis. Et ne me inducas in tentationem. Sed libera me à malo.* Verum habita Sanctorum communionis ratione, *Pater noſter, qui es in cœlis. Panem noſtrum, &c. ad Quartum*, perfectior ille modus, qui vtrumque complectitur, & perfectiora maiorem in Eccleſia Chriſtiana vſum habent omnia, quam in Adamica, vel Moſaica.

Ad quintum. Virtus vna non reſpuit alteram, neque virtutis vnius actus, proſcribit ac damnat alterius actum virtutis. Coniurant & conſociantur amiciſsime virtutum plurium plures actus, maxime ſi cognitæ ſint atque confines. Quid ſi & vna religionis virtus ſit, quæ latriam, duliamque contineat? Certe plurimis atque ſapientiſsimis ea eſt opinio.

PARS IX.

Recte aliquos huic & illi vel bono procurando, vel malo auertendo præpoſitos putari, & eam ob cauſam orari Sanctos.

1. Poſtquam, inquit Caluinus, *loc. cit. §. 2. cœptum fuerat in Sanctorum interceſſionem reſpicere, ſenſim ſua cuique procuratio eſt attributa, vt pro negotij diuerſitate nunc hic, nunc ille aduocaretur interceſſor.* Atque hunc ipſum de ſingularibus Sanctorum auxiliis locum valde amplificant & irrident Nouatores pœne omnes, vt è Caluinianis Chamierus & Rainoldus, è Lutheranis Chemnitius, Hailbrunnerus. Sed an merito, diſpiciamus.

Primo. Sua dona poteſt Deus cui vult, & quomodo vult dare, vni hoc, illud alij & inter ea, quæ pluribus dat, vnum vni abundantius & illuſtrius, alteri minus abundanter & conſpicue, 1. Cor. 12. Nam quemadmodum in terra, ſic & in cœlo fit Dei voluntas.

Secundo. Vt recte putetur aliquis tali & tali dono præditus, oportet eum reuera tali ac tali dono præditum eſſe, vel certe iuſtam ſubeſſe cauſam, cur putari poſsit præditus. Quemadmodum, vt putetur quis vir bonus, bonum eum eſſe oportet: vel certe iuſta & bona, cur talis cenſeri queat, ſuppetere argumenta, vt etiam quædam indicat Iuris regula.

Tertio. Sanctos omnes poſſe aliquo modo dici rebus noſtris omnibus præpoſitos, & omnium iſtarum cauſa poſſe ipſos orare & orari, videtur ex eo certum, quod communi erga nos in omnibus noſtris neceſsitatibus charitate ardent: & hanc qui eius author approbat, gratamque habet Dominus.

Quarto. Eorum tamen aliquos, præaliis, recte cenſeri certis præpoſitos negotiis, monſtrant iſta.

1. Apocalyp. 2. v. 26. *Qui vicerit, & cuſtodierit vſque in finem, opera mea, dabo illi poteſtatem ſuper gentes: & reges eas in virga ferrea.* Cui *ſuper gentes* poteſtas datur, ita vt eas regat, ei certe ſimul etiam aliqua imponitur commodorum & incommodorum, quæ ad gentes illas attinent, curatio. *Et dabo illi ſtellam matutinam.* Cui *matutina* datur *ſtella*, ei depellendarum noctis tenebrarum, diurnæ inferendæ lucis, aliqua tribuitur efficientia. 2. Matth. 24. verſicul. 45. & 46. *Quis putas eſt fidelis ſeruus & prudens, quem conſtituet Dominus, ſuper familiam ſuam, vt det illis cibum in tempore? Beatus ille ſeruus, quem cum venerit Dominus eius inuenerit ſic facientem. Amen dico vobis ſuper omnia bona ſua conſtituet eum:* omnia nimirum bona illius familiæ, quæ ipſi eſt commiſſa. 3. Ioannis 14. v. 2. *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.* Quemadmo-

admodum in Domo Dei, quæ est Ecclesia, 1. Tim. 3. v. 15. mansiones multæ sunt, non vt in ea tantum maneant domestici, sed vt suas singuli obeant functiones, variaque accurent, sic & in cœlesti domo Dei. 4. *Sicut alia est claritas solis, alia claritas lunæ, & alia stellarum claritas, (stella enim à stella differt in claritate) ita & Sanctorum* non post resurrectionem tantummodo in corporibus, sed etiam nunc in animis *diuersa claritas* est. Solis vero, Lunæ, stellarumque aliarum claritas, non id tantum efficit, vt luceant hę, sed etiam vt terris calor, frigus, humor, siccitas, salubritas, morbi, tranquillitas, tempestas, aliaque id genus affundantur, prout ex Philosophiæ, & Astrologia non ignotum. 5. Angelis à Deo varia delegantur munera, Matth. 18. Psal. 81. Daniel. 7. & 9. At Sancti *æquales Angelis sunt.* Luc. 20. 36. D. Ambrosius sub finem lib. 8. in Lucam. *Sicut Angeli præsunt, ita & hi qui vitam meruerint Angelorum.*

6. Quemadmodum quæ his & illis herbis, & illis lapidibus, his & illis lignis diuinitus indita vis sit, qua homines præditi arte, scientia, & industria sint, vel per experientiam discimus, vel per aliorum institutionem ac doctrinam: sic & quæ cui Sanctorum diuinitus demandata præcipue hæc aut illa erga homines functio, & cura. Monstraunt enim, verbi causa, vel experientia vel vetustior aliqua traditio, contra itinerum pericula & morbos adiuuare *S. Raphaelem.* contra dolores dentium *S. Apolloniam,* contra calculos *S. Florentium,* contra pestem *S. Sebastianum & Rochum,* contra tempestates *S. Nicolaum,* contra hostes *S. Michaelem* ac *S. Gregor.* & alios aliis in rebus ac locis.

III. Vere ac sapienter de hisce talibus S. Augustinus Epistola 137. ad Ecclesiæ suæ Hipponensis Clerum ac populum. *Vbique quidem Deus est: & nullo continetur vel includitur loco, qui condidit omnia & eum à veris adoratoribus in spiritu, & veritate oportet adorari, vt in occulto exaudiens, in occulto etiam iustificet & coronet. Verumtamen ad ista, quæ hominibus visibiliter nota sunt, quis potest eius consilium perscrutari, quare in aliis locis hæc miracula fiant, in aliis non fiant? Multis enim notissima est sanctitas loci, vbi beati Fœlicis Nolensis corpus conditum est, quo volui vt pergerent, quia inde nobis facilius fideliusque scribi potest, quidquid in eorum aliquo, diuinitus fuerit propalatum. Nam & nos nouimus Mediolani apud memoriam Sanctorum: vbi mirabiliter & terribiliter Dæmones confitentur, furem quendam quia ad eum locum venerat, vt falsum iurando deciperet, compulsum fuisse confiteri furtum, & quod abstulerat reddere. Nunquid non & Aphrica Sanctorum martyrum corporibus plena est? Et tamen nusquam hic scimus talia fieri. Sicut enim, quod Apostolus dicit: Non omnes Sancti habent donа curationum Spirituum, ita nec in omnibus memoriis Sanctorum ista fieri voluit ille, qui diuidit propria vnicuique prout vult.*

7. In terram Sanctorum communione, varius variorum munerum ordo, descriptio ac distributio est. Cur non & in ordinatissima illa supera ciuitate? & quidem *ad consummationem Sanctorum,* non eorum qui illic, sed qui adhuc versantur, *in opus ministerij, in ædificatione corporis Christi, donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* ad Ephes. 4. v. 13.

IV. At hoc est *Æsculapios, Martes; Paliadas, Lucinas,* Deos Deasque alias constituere. Ita olim Christianos calumniati *Manichæi,* apud S. Aug. l. 2. contra Faustū; *Vigilantius* apud S. Hier. l. contra ipsum: *Iulianus Apostata* apud S. Cyrillum l. 6. in ipsum; *Maximus Madaurensis,* apud S. Aug. epist. 44. *Eunapius* pag. 75. 76.

Sed quid iis respondérunt sancti temporum

porum illorum Patres? 1. Mendacium scilicet atque calumniam à Gentilibus, Apostatis, & hæreticis in Christianos & Catholicos esse falsissimam. Hos nullum Deum, nisi vnum credere, colere, ac adorare: cultu scilicet eo, qui summus est summoque solidebetur. Sancti vero, quidquid vlla in re possunt, id ab Deo accipiunt: neque à nobis vt Dij orantur, sed vt serui & amici Dei, qui nequaquam huic, (absit) æquentur, sed infime subiiciantur, humillimeq; supplicent. 2. Hinc vere collegit alicubi Bellarminus, nos Catholicos, veterum in Sanctis colendis, & certarum rerum gratia inuocandis, Christianorum ac Patrum D. August. D. Hieron. D. Cyrilli esse similes: nostros vero Nouatores veterum illorum in Sanctis contemnendis, eorumque suffragiis, & opitulationibus irridendis, veterum hæreticorum, Apostatarum ac Gentilium.

Collectionem tamen hanc negat Rainoldus, *Pag.* 247. *quod isti* antiquis Catholicis *iniurioſe ac falso Sanctorum cultum & preces culpæ dederint, ipsi vero* nobis recentibus Catholicis *iure ac vere id vertant vitio* Nouatores nostri: *quemadmodum falso veteribus Israelitis, quod verbis falsis attenderent, obiecit Pharao.* Exod. 5. v. 9. *Vere autem idem hoc posterioribus Israelitis.* Ieremias c. 7. v. 8. & c. 18. v. 18. At sane falso & veteres illi calumniatores veteribus Catholicis, crimen hoc impegerunt, & nobis recentioribus recentiores isti, prout iam expositum, ita vt ouum ouo sit, recens veteri,

Catholicus Catholico, hæreticus hæretico, calumniator calumniatori.

* * *

PARS X.

Ex Sanctis aliquos patronos ac præsides deligere fas est.

I. NEfas & hoc noui decernũt Aristarchi. Nam *postquam cœptum fuerat in Sanctorum intercessionem respicere sensim singuli,* ait Caluinus, *li.* 3. *c.* 20. §. 22. *peculiares sibi Diuos adsciuerunt, in quorum non secus, atque tutelarium Deorum, fidem se contulerũt: neque modo (quod olim Israeli exprobrabat Propheta. Ier.* 3. *v.* 23 *&* 11. *v.* 13.) *secundum vrbium numerum Dii sunt erecti, sed secundum capitum multitudinem.* Sed hæ solitæ nugæ. An non absurdum, & plus quam asininum, quæ de Diis, de idolis, de prophano eorum cultu in Scripturis aut Patribus sunt, ea semper contra Dei amicos, moderatumque ipsorum cultum & honorem trahere atque coniicere?

II. Fas vero esse, aliquos è Sanctis Patronos ac præsides, & prouinciis, & vrbibus, & vicis, nostrumque singulis deligere, istosque maiori ac frequentiori colere ac orare studio, monstrat *Deus* ipse ac *ratio.*

Deus quidem. *Primo,* quia certis Sanctos quosdam gentibus ac prouinciis præfecit. Apoc. 2. Matth. 24. vt superiore monstratum quæstione.

Secundo. Præposuit etiam nationibus ac populis, verbi causa, Iudæorum & Persarum, Angelos *Dan.* 10. 13. 20. *&* 21. hosque istorum *populorum* nominat *Principes.* ibid. At Sancti alij *æquales Angelis,* Luc. 20.

Tertio. Dedit ex eadem Angelorum gente hominibus singulis custodes, pædagogos ac præsides. *Mattth.* 18. & fatentur tam Caluiniani, quam Lutherani. Iam vero dictum, Sanctorum quemlibet *Angelis æqualem* esse. Neque obstat Caluini li. 3. c. 20. §. 23. exceptio. quod *Angeli sint administratorij spiritus.* Nam sane post-

quam

quam suis è corporibus euolarunt hominum animi, Deo ad nutum in omnibus ministrant, cum suum eum Dominum, & se ipsius agnoscunt seruos. Apocal. 5. & 7.

Quarto. Fecit non raro Deus miracula non parua, cum ij colerentur, & deprecatores adhiberentur Sancti, quos aliqua vel prouincia, vel ciuitas, vel vnus quispiam veluti patronos ac præsides habebat. *D. August. li. de cura pro mortuis. c. 16. Euseb. li. 6. hist. c. 5. Nyssenus in vita S. Gregorij Thaumaturgi, D. Ambros. sermone de SS. Gerualio & Protasio.* Euoluantur Constantinopolitanorum Annales, Theodosij Imperatoris gesta, Parienſium, Colonienſium, aliorumque quam plurimorum monumenta: & apparebit, quantam seruis suis, certo in loco præcipue cultis & inuocatis, vim & gratiam concesserit Dominus. An vt falsis imbuamur opinionibus, crassis implicemur superstitionibus, fœdissima polluamur idololatria, nobis per Sanctos suos auxiliatur, & prodigia facit Deus?

III. Ratio idem suadet. *Primo*, quia potest sibi quis aliquem præ aliis Sanctum, ad imitandum, deligere. Quidni ergo & ad orandum? De seipso adhuc viuo & humanæ imbecillitati prolapsionique obnoxio dicebat Apostol. *Imitatores mei estote.* 1. Cor. 11. 1. Quanto magis quando ad vitam translatus fuit beatiorem ab omni liberrimam infirmitate, inconstantia, & casu? Quos vero imitari possumus, eosdem si quidem possint (posse autem Sanctos ex dictis certissimum) vt nos iuuent, manumque nobis porrigant; rogare quid vetat?

Secundo. In creaturis omnibus eas licet deligere, quas, cum vetitæ non sint; ad summum vltimumque finem, qui Deus est, assequendum sibi fore iudicat quis vtilissimas ac opportunissimas. Sancti vero creaturæ sunt, eorumque cultus & deprecatio vetita non est, vt sæpe clareque ostensum. Ex iis igitur licet, quos vltimum in scopum collineando & iaculando præcipue amemus, obsequiisque ac precibus prosequamur, deligere.

Tertio. Bonum factu & vtile est, quod à doctissimis ac sanctissimis Ecclesiæ Christianæ Magistris commendatum intelligimus. At legantur *S. Leo serm. 2. & 3. de anniuersario suæ assumptionis, itemque serm. 1. de SS. Petro & Paulo. S. Maximus serm. de martyrib. Laurii, Gregor. Nazor. at. 14. S. Hieronym. epistola ad Paulam de obitu Blesillæ. D. August. lib. de Baptismo contra Donatistas c. 1.*

Quarto. Et nonne S. Chrysostom. præcipua quadam veneratione *S. Paulum* afficiebat, eiusque in Musæo suo imaginem habebat, & ab eo sæpe adiutus est? 2. Nonne Theodosius Imperator, in insigni illa sua contra Eugenium Tyrannum victoria, quam decantat 5. ciu. 26. S. Augustin. Sanctorum *Philippi & Ioan. Bapt.* quos eximie colebat: præsentissimam certissimamque opem sensit. 3. Nonne S. Paulus Eleanus in *S. Nicolaum*, sanctamque *Catharinam*, singulari amore ac pietate, vt supra dictum, ferebatur? 4. Nonne S. Elisabeth Hassiæ Landtgrauia *S. Ioannem Euangelistam*, aliique alios asciuere Diuos, ac Diuas tutelares? 5. Nonne vici, vrbesque integræ, ab huiusce modi Sanctis in Anglia olim, Germania, Gallia, & in extrema nunc India, nouoque orbe sua etiam accepere nomina? 6. Nonne in eorum honorem non templa modo, & aræ, sed collegia, cœnobia, castra & vrbes, Deo Optimo Maximo dicatæ?

Quinto. Neque contra Christianæ pietatis vsum hunc, roboris quicquam habet Caluini ratiuncula hæc: *In vnam Dei voluntatem omnia sua referunt Sancti, aliamque orationem nullam faciunt, quam qua Dei regnum aduenire expetunt.* Ergo non *sunt in*

ſuos cultores priuato affectu propenſiores. Conſecutio enim negatur. Nam 1. voluntas Dei eſt, vt quilibet in eum, à quo recte amatur, & colitur, ingratus & durus ne ſit, ſed beneuolentior ac propenſior. Hoc n. & exẽplo ſuo docet, cum de ſeipſo dixit. 1. Reg. 2. verſ. 30. *Quicumque honorificauerit me, glorificabo eum.* 2. Nobis miſeris regnum Dei aduenit, cum cœleſti ope adiuuamur, è malis eripimur, bonis variis, & iis quæ animorum ſunt potiſsimum, cumulamur. Et ſicuti orant Sancti, *Adueniat regnum tuum*, nonne & iſta etiã, quæ vel prægrediuntur vel ſubſequuntur, orant? *Sanctificetur nomen tuum, Fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra.* Sanctificatio vero nominis fit, dum eius cauſa, intuitu, & nomine à nobis coluntur & inuocantur Sancti: *fit eius voluntas in terra, ſicut & in cœlo*, quando iſtorum charitas & ſuffragatio non in cœlo tantum tenetur incluſa, ſed in terram etiam ad nos diffunditur.

Finis Nuclei Coppenſteinij Completi.



NVCLEVS

NVCLEVS COPPENSTEINIVS E CONCEPTIBVS BESSEANIS,

In Ferias Quadrageſimales:

AVTORE

R. P. F. IOAN. ANDREA COPPENSTEINIO
Mandalen. Ordin. Prædicatorum Theologo.

ELENCHVS MATERIARVM QVADRAGEſIMALIUM.

LECTOR AMICE.

HANC ideo collegi, ac præmitto: quo materiarum tibi ſit & certior cognitio: & facilior inuentio: & paratior ad Dominicas ſeu Feſta hinc translatio, ac vſus. Quos additos hic Zipheros cernis, ij Partes Feriæ cuiuſque indicant.

VALE ac VTERE.

Die cinerum 1. Effectus Pœnitentiæ: 2. ac cinerum: (3. quæ hominem fragilitatis admonent ac mortis: 4. quo deuotius carnem ſpiritui ſubiicere per ieiunium allaboret) ſunt mirifici.

Feria V. *Acceſſit ad eum Centurio*, Matt. 8. Iuſtificatio impij operum Dei eſt maximum alias: at in militari pectore hoc admirabilius. 2. Eſt Anima miles quidam ac Chiliarcha habens ſubditos. 3, cuius ægra tamen concupiſcentia iacet; herumque moleſtat ac infeſtat.

Feria VI. *Diligite inimicos.* Matt. 5. Odiū oſori peſsimum, appetenſque vindictæ eſt. 2. Vel ipſos tamen diligere inimicos Chriſtiano neceſſe eſt. 3. Quo deteſtabilius peccatum eſt odium proximi: propriorum excludens peccatorum remiſſionem. 4. Hoc pluris amniſtia eſt: quod etiā in vendicantes vindicet Deus: ignoſcentes vero euehat. 5. Damnet Duellantes.

Sabbato. *Erat nauis in medio mari* Marc. 6. Fluctuat, non mergitur Eccleſia. 2. quātumuis naufragum ſit mare mundi. 3. illa perdurat tamen: 4. Ventoſi autem tyranni atque hæretici diſpereunt.

Feria II. poſt Dom. 1. Quadr. *Cum venerit filius hominis in maieſtate ſua.* Matt. 25. 1. Triduum eſt homini: 2. dein iudicium, manuſque Dei horrifica. 3. Illud Generale accidet horrendum ob euenta, peccata

reuelata, Deumque iratum: 4. ac iudicem visu, voceque formidandum.

Feria III. *eiecit vendentes & ementes.* Mat. 21. 1. Ambitio & auaritia viam præstant ad omne nefas, adque ruinam. 2. Stante interim Ecclesia hoc firmius ac sanctius: 3. dum nundinatores templarij ab Deo flagellantur.

Feria IV. *Generatio adultera signum quærit.* Matth. 2. 1. Signa edere Dei est. 2. Inprimis istud conuersio peccatoris, quæ huic petenda est. Par signum est Prouidentia Dei. 3. Orthodoxis non sunt opus signa, etsi non desint. 4. At Nouantes edant necesse est: sed nequeunt nisi hæreses, & voluptates propagare.

Feria V. *Transfiguratus est.* Luc. 9. Pro incomprehensibili beatitudine quæque perfer, & perdura. 2. Eius imago fuit Christi transfiguratio: 3. miranda. 4. cum qua esse & hic, & in cœlis bonum est.

Feria VI. *Probatica piscina.* Ioan. 5. Dei misericordia extollitur: 2. sed & pœnitentiæ effectus miri ac varij, quales miri, variique fontes memorantur. 3. Ea, vt hyssopo, aspersum 4. humanum genus ægrum sanatur, sed per Iesum.

Sabbato. *Et transfiguratus est.* Matth. 17. Glorię cœlestis nuncii certi; sed pugnantibus ea datur. 2. Quintuplex Christi transfiguratio fuit. 3. Thaborina vero glorificati. 4. In qua miri sermones de Incar. Passione, & Paupertate.

Feria II. post Dom. II. Quadr. *In peccatis vestris moriemini.* Ioan. 8. Prædestinatio varie præfigurata fuit. 2. Anima autem reproba nihil infelicius. 3. Vocantem proin Deum sequi oportet, & cito. 3. neu peccatis immori contingat.

Feria III. *Super Cathedram Moysis, &c.* Matth. 23. Credendum, & parendum Ecclesiæ: 2. vt infallibili, perpetuæ, & sanctæ. 3. Magnique faciendi prædicatores boni: mali arguendi. 3. Sacri autem Præsules officium gerunt tam periculosum, quam magnum.

Feria IV. *Mater Filiorum Zebedei.* Vide in F. S. Iacobi.

Feria V. *De Epulone.* Vide Dominic. 1. post Trin.

Feria VI. *Homo plantauit vineam*, Matt. 11. Christianus est planta, sicque frugifera: sin', eiicietur. 2. Vineę autem animæ, & Ecclesiæ ab omnibus sit instructa partibus necesse est.

Sabbato. *De filio prodigo.* Luc. 15. Prodigalitas ac Voluptas mala sunt capitalia. 3. Filij autem prodigi ac perditi sunt parentum dolor ac pudor. 3. Effectus multi prodigalitatis. 4. Peccatores quoq; procul à Deo sunt.

Feria II. post Dom. III. Quadr. *Fac & hic in patria tua.* Luc. 4. Iudicia Dei verenda, non quærenda anxie, aut curiose, 2. Miraculis fides necessaria est: quæ cur non in patria Iesus? 3. In Ecclesia tamen multa ex dono gratuito. 4. Itemque ex gratia gratum faciente: quæ cuique parata vbique est.

Feria III. *Si peccauit in te frater tuus.* Mat. 18. Fraterna reprehensio, 2. itemque Correctio necessaria: at cum grano salis præstanda, idque ex præcepto. 3. Excommunicatio etiàm tam sæpe necessaria, quam iusta: sed debito cum modo facta.

Feria IV. *Populus hic labiis me honorat.* Matth. 18. Cor debetur, gratumque Deo est, 2. vt Cogitationes malæ premantur; ne paruæ initio mala non parua ferant. 3. cor & os consonent ad cauendam hypocrisin. 4. Nec Traditiones negligantur.

Feria V. *Socrus Simeonis tenebatur febribus.* Luc. 4. Afflictiones perutiles sunt omnibus: 2. at Cœlibatus Ecclesiasticis necessarius. 3. Quo rectius naturæ febrientis paroxysmis variis succurratur per medicum IESVM. 4. Sunt autem vitio-

vitiorum febres diuersæ iuxta & periculosæ.

Feria VI. *De Samaritana.* Ioan. 4. Præuenientis gratiæ par necessitas & præstãtia est, Iesu tamen se simul pro nobis fatigante, ac patiente, dum nos quærit. 3. terrendo, inuitando: quem sequi facilius est, quam satanam. Ergo parendum vocanti. 4. nil friuole causandum, quod aquæ Dei mutent mentes.

Sabbato. *Mulier in adulterio deprehensa,* Ioann. 8. Adulterij grauitas, 2. ac pœnæ. 3. Istam tamen absoluendi causę sunt Domino.

Feria II. post Dom. IV. Quadr. *Inuenit in templo vendentes.* Ioann. 2. In Deum ira cadit. 2. Vult idem templis coli. 3. quorum vsus & antiquissimus est, & Catholicus. 4. Proinde eorum profanatores, Schismatici ac hæretici, puniendi: Sacerdotes vero boni templorum sunt ornamenta.

Feria III. *Quomodo hic literas scit?* Inuidia comes gloriæ est, & multorum turbatrix. 2. Lex Christiana rite lata & accepta. 3. præstat legibus vniuersis. 4. Nam promanauit ex scientia Christi infinita.

Feria IV. *Vidit hominem cæcum à Natiuitate.* Ioann. 19. Excæcationis malum à Deo deprecandum est. 2. Hanc multam intulit peccatum orig. quod vniuersale fuit, non personale: nec tamen Christum & Mariam attigit. 3. aduersa causat: Ceremoniæ probatæ, mortisque meditatio, sui agnitio, Christoque merita reluminant.

Feria V. *Defunctus efferebatur filius vnicus.* Luc. 7. Sepulturæ honos est debitus, & laudabilis. 2. Peccati plura, quam mortis, sunt mala. 3. Id præproperat mortem, nusquam tolerabile: Deus tamen præmonet mortis, vt caueatur æternã.

Feria VI. *Erat Languens Lazarus,* Ioann. 11. Vita breuis homini, & natura nouerca est. 2. Fides Sororum paucis orat, & exorat: Deus tamen iustos, quantumuis orent, tribulari finit. 3. Attamen peccato illacrymans Iesus etiam vel mortuos denique suscitat. 4. Iustificatione impij, consuefacti ad peccata, nil difficilius est.

Sabbato. *Ego sum lux mundi.* Ioan. 8. Encomium solis: 2. eius cum Deo comparatio. Sed lux Christi, id est, gratia effectus varios operatur in anima.

Feria III. Post Dom. Passionis. *Erat in proximo dies festus. Transi hinc, &c.* Ioann. 7. Gloria danda, Deo; fugiendaque vana.

2. Qui quatenus fratres Iesu. Mundus vrbesque sæpe nocent. 3. Mundi Suadam igitur caue: imitator humilitatis Christi.

Feria IV. *Oues meæ vocem meam audiunt.* Ioann. 10. Verbi Dei vis efficax ad conuersiones. 2. præsertim in Pastore Iesu. 3. Multis tamen id audientibus cedit in iudicium. Multis quoque signum dare aliquod prædestinationis potest. 4. Effecta habet complura.

Feria V. *De Magdalena.* Vide in Festo eiusdem.

Feria VI. *Collegerunt concilium aduersus Iesum.* Ioann. 11. Pauorum fugienda societas. 2. Conciliatur ad bona retardanda. 3. Discussio Concilij super Iesum, reprobatur. 4. probatur.

Sabbato. *Nunc anima mea turbata est.* Ioann. 12. Pugna carnis ac Spiritus ingenita est: in Christo tamen absque passione peccabili, aut irrationali: assumtæ tamen ab eo passiones dissimiles erant nostrarum.

Feria II. III. IV. post Dom. Palmarum. *De Eucharistia.* Quæ alibi in Opusculo reperies. Denique Passio Domini Nostri Iesu Christi.

IN DIE CINERVM.

Memento homo, quia cinis es, & in cinerem reuerteris.

ÆGyptij, teste *Herodoto & Plut. in conui. 7. Sap.* medias inter, feruentesque epularum hilaritates caluariam inferre sueuerunt, quę in mensa per singulorum tradita manus obibat spectaculo modiperatore clamante:

Huic similes erimus: Memores iam viuite Lethi.

Simile Deus, inde ab rerum primordio, vsurpauit, iniectis homini brutorum pellibus mortuorum: vt tumulo se deberi viueret memor. Ecclesia refert inter bacchanalia cineres, & ait: *Memento homo, quia cinis es.* quasi dicat. Vanitas in epulis, gaudiis, honoribus: & *vitæ summa breuis spes longas inchoare vetat*, vt canit Horatius. Ergo *Memento homo, quia cinis es*: ac pœnitentiam arripe.

Cuius ergo nos

I. *De vi, & efficacia Pœnitentiæ.*
II. *De cinere, ac puluere.*
III. *De hominis fragilitate, ac memoria mortis.*
IV. *De ieiunio, & carnis maceratione.*

PARS I.

De vi & efficacia Pœnitentiæ.

Sacramentum est efficax.

I. ORbibus orbis cœlestibus, dominis rerum naturæ inferiorum, septem infixit Planetas Deus; è quibus in corpora, velut alumnos suos, magnæ efficaciæ dimanarent influxus. Sic Ecclesiæ septena dedit Sacramenta Iesus. In quibus Pœnitentiæ tantum est; quanta eiusdem & necessitas, & salubritas.

Et azylũ. Vtque Romulus, *teste Plut. in Romulo*, Vrbem conditurus, facinorosorum aperuit azylum; quod confugis indemnitatem præstabat: Ita Iesus in ipsis Ecclesiæ cunabulis primum, quod instituit, Pœnitentia erat: quam & suus Prodromus, & Ipse prædicarunt: *Pœnitentiam agite, quoniam appropinquat regnum cœlorum.* Ad hanc nemo damnis est: indemne omne nefas, & expiabile scelus omne.

Figura eius. 1. Triste terris diluuium, *Gen. 7.* criminum erat eluuium. Magis iam Pœnitentia, quanto Veritas maior Figura. Est ea Iordanis, 4. *Reg. 5.* Naamanis lepram e- *1. Peccata eluit.* mundans.

2. Demergit. 2. Mare rubrum Aegyptios, quotquot erant, obruit omnes, Exod. 14. Psalm. 105. *Vt ne vnus quidem superfuerit ex eis.* Sic rubricata Christi Sanguine Pœnitentia, contritionis vndis peccata demergit.

3. Mactat dæmones. 3. Ipsa est funda Dauid, 1. *Reg. 17.* tribus instructa silicibus, Contritionis, Confessionis, Satisf. sternendo Goliatho, peccato. 4. Est Scala Iacob, per quam peccatores facti Angeli scandunt sursum. 5. Est *4. Ædificat in cœlis.* Probatica, *Ioan. 5.* morbi genus omne curans. 6. Est vastus in hoc freto Cetus, *Ioan.* *5. Cõjanat.* *6. Restituit gratia.* 2. Ionarum absorptor, & saluorum in litus restitutor. 7. Est Virga Moysis Iesu, ægyptiacorum serpentum, ac draconum, peccatorum, inquam, deuoratrix. *Exod. 7.* Ea nunc pullis induta luget; pastaque ieiuniis Filia cœli, Tutela virtutum. Ipsa nunc pro auri crinalibus, cineres: pro deliciis, cilicia, pro torque, flagra vsurpat pararia domicella: Felix in ea, vt videtur, miseria: læta intus in luctu foris.

PARS II.

De Cinere, ac Puluere.

Cinerum efficacia. I. CIneres semper peccantium portus, salusque fuerunt. 1. Niniuitæ *Ioann.* *1. Ad iram Deiplacandam.* 3. ad Ionæ prædicationem, in cineribus salutem inuenerunt. 2. Abraham vero *2. Ad gratiam.* & gratiam: *Gen. 18.* Nam cinerum meminit ante, quam ausit loqui Deo. *Ego puluis,*

3. Ad securitatem. *puluis, & cinis loquar ad Dominum.* 3. Achab. 3. *Reg.* 21. ab ira Dei se condebat in cinere.

4. Ad solatium. 4. Iob *cap.* 10. solatium in cinere quærebat, *Memento*, ait, *quod sicut lutum feceris me: & in puluerem reduces me*: quasi dicat; *An contra puluerem ostendes potentiam tuam*, & iustitiam distringes? O vim cinerum, pœnis, culpisque arcendis: refrenandis cupiditatibus, parandis omnibus?

5. Ad eluuium peccatorum. Lixiuium fit, cineribus percolatum: peccatorum eluuium est lacryma per nouissimorum memoriam ducta, & elicita. Da hanc Domine, & Psalm. 50. *lauabis me, & super niuem dealbabor.*

6. Ad prodendas technas carnis, mundi, dæmonis. Vt Daniel, *cap.* 14. cineribus in fano sparsis sacrificulorum imposturas detexit, draconemque destruxit. Ita memoria nouissimorum technas carnis, mundi, &c.

Regum sunt proprii. II. O cineres vere regios? Nam Regem Niniuæ, & Achabum, & Dauidem ad saccum adegistis. Psalm. 100. *Cinerem tanquam Panem manducabam.* Quare & vos *nunc ô Reges, intelligite* idem. Cineres non Vestri sunt dedecores: sed vestri sunt ipsi, iam inde ab maiorum vsu vestrorum.

Ad matronarum. Vestra quoque sunt iidem hæreditas, Matronæ. 1. Esther. *ca.* 14. cineribus se, velut aromatibus, perfudit. Et ipsa tamen quid venustius: gratiosius: regificentius? 2. Iudith. *cap* 9. ipsa pulchritudo, *Oculus Israel* dicta, loco stibij se cinere incerussauit; strinxit lumbos cilicio.

3. Filiæ Ierusalem, *Thren.* 3. in transmigratione Babylon. abiecta humi capita nimbo cinereo perfuderunt. Idem nunc tempusque, peccataq; vestra reposcunt. *Memento, homo, &c.*

Homo puluis est & puluerescet omnis. III. Repete ortum tuum: vnde domo? quotendis? E terra, in terram, terra homo. 1. Physica est Maxima: *Ex quibus vnumquodque componitur: in eadem & resoluitur.* Terminus à quo, *puluis es*: ad quem: *& in puluerem reuerteris.* 2. Mathematicum est principium: *Omnes lineæ, à centro ad peripheriam ductæ, sunt æquales.* Ita & Horat. *Mors sceptra ligonibus æquat.* Rex, fexque hominum sies, *cinis es, & in cinerem reuerteris.* Centrum vnum, vnaque circumferentia omnibus est, lineis æqualibus mensurata mortalitatis. 3. Honorum hic vmbra breuis breue iacit discrimen; quod vna luci intercurrens nubecula mortis extergit: *Et Fuimus Troes.*

Memento homo, quia cinis es: 1. Et domus tua super arenam structa: *Matt.* 7. quæ ad vnum Aquilonis flabrum corruet. 2. Vt ad procellam primam Iobi domus euersa, cunctis dedit liberis eius sepulcrum epulantibus. *Iob.* 2. *Hominis domus lutea est.*

3. Atrocior Philistææ ruina domus: obruit omnes, *Iud.* 16. subtractis duabus ab Samsone columnis. Et tuæ domus homo, columnæ quæ? *Cinis es.* Et quæ tua confidentia? Imprudentia. Crede,

Omnia dispereunt: præter amare Deum.

4. Qualis statua colossæa Nabuchodonosoris? Caput aurea: argentea pectus & brachia: ventrem & fœmora ærea: lutea pedes. Et hi ad leuem tactum lapsi de monte lapilli dissiliunt, neque ruina molis vniuersæ, ac obtritio. Ita euenit aureis honoribus ac opibus, æneo robori, ferreæque potentiæ, luteo innixis homini: ruente quo casu ab monte fortuna. Te nosce, & sape: *quia cinis es.* *Et caduca.*

PARS III.

De hominis fragilitate, & memoria mortis.

I. PErge iam, Philosophia prisca efferre hominem: 1. Tu Hermes Trismegiste dic eum *Miraculum magnum.* *Homo fit magni.*

2. Pythagora, *Deum*, dic; *at mortalem*, Nihil eum nostis: principium eius est puluis: medium, cinis: finis, vermis. 3.

Iam

lam Plato in Timæo dic eum *diuinum genus*. 4. Tuque Photine: *Quoddam Vniuersum & microcosmum* appellas.

Vnus est omnis creatura.

5. Sed ego te Magne Gregori, demiror; Quod hom. 26. in Euang. istud: *Prædicate Euangelium omni creaturæ*, id est, ais, *homini*. Ergone in vno omnium est rerũ creatarum pretium? Et vero est: Est tamen & *cinis*. Esto habeat *esse* cum saxis, *vegetari* cum quercubus ac cedris: *sentire* cum leonibus, *intelligere* cum Angelis: *est* tamen *cinis*. Bene Psaltes. 11. Est *tanquam puluis, quem proijcit ventus à facie terræ*. O ventorum ludibria mortales!

Et tamen omnia puluis idem.

Est figulinus ac fragilis.

Agathocles, ex figuli filio Rex factus Siciliæ, vt sortis vtriusque, præsentis ac præteritæ, viueret memor; in figulinis & aureis cibos mensæ voluit inferri: Sicut & VViligises primus Elector Moguntinus, Basilicæ conditor Cathedralis, vir vere Magnus, in Moguntiaca intulit Insignia rotam carpentariam; (quod filius hamaxurgi fuisset, atque ex tantulo tantus emersisset. Et *homo* figuli est filius figulinus. 1. Iob. 10. *Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me*. 2. Ieremias clamat: *Terra*, in esse: *Terra*, in fieri: *Terra*, in conseruari: Et *quid superbis terra & cinis?* Eccl. 10. *Noli igitur altum sapere sed time.*

Istius memoria humiliat.

II. Quid pauone superbius? Ad visos tamen pedes suos cristas ponit. 1. Te intueare, qui *homo vanus in superbiam erigeris, tanquam onagrum te liberum natum putans*, Ecce Thren. 1. *Sordes enim in pedibus eius, & in circuitu eius hostes eius.*

Etiam potentissimos quosque.

2. Quantuscunque fuerit Xerxes, suum tamen exercitum innumerum ex edito speculatus, acerbe est illacrymatus; *teste Plutarch.* & ait: *Heu, tot ex hominum myriadibus nullus post annos centum superstes erit. Abibunt in cineres.* Et nos malis, mortique illætabimur?

3. Refert *Platina in Cœlestino III.* Saladinum, Regem Aegypti, vicinum morti dedisse præconi indusium: iussisse per vrbem, id circumferri, ac proclamari: *Magnus Saladinus Orientis subiugator, Asiæ domitor, terror orbis vnicum hoc indusium, ex omnibus tropæis suis secum auferet.* Ehem, cineres, quid nõ potestis, inspecti propius? Tuam cernis vilitatem? Iam mox indues humilitatem.

Omnia bona corporis

Memento 1. conditum te non ex igne, vt stellæ; non ex aere, vt venti, sed è terra elementorum infimo: Et huius tu *puluis sunt fluxa.* es. Etsi montes complanes, maria pontesternas, morieris. 2. Sis Hercules robore, deliciis Lucullus, turres Babylonias construas, moriere. 3. O nymphæ, vester flos iste Veneris emarcescet, extructa & mitellata crinium fastigia cadent, delicatula membrella verminabunt. *Memento, quia cinis es.*

Ideo mors est memoranda.

1. Philippus, Rex Macedo, ab puero omni mane salutabatur hisce: *Memento mori Rex*: Sic *Aelian. l. 8. Var. cap.* 15. Vel, vt alij, *Hominem te memineris,*

2. S. Chrysostom. *Ser. t. 1.* sepulchrum sibi effodi iussit, non perfici: sed quotidie interrogari, sese; *Vin' perfici?*

3. Ad Imperatorum inaugurationem olim aceruus marmorum accumulabatur, interque mediam pompam ex Imperatore exquirebatur; quo marmoris genere velit tumbam sibi excidi?

4. Lycurgus; Laconum legislator, vt *Plut.* prodit; sanxit, vt bustuaria in vrbis medio constituerentur, & ex eis mortem singuli ferrent in oculis. Nostra nobis nos simus cœmeteria, memorando mortem. Atque ita pullati vestem induerimus cineream.

PARS IV.

De ieiunio, & carnis maceratione.

Quadragesimales hæc epula.

I. IStius habitus similes sunt epulæ ipsa Ieiunia, deliciæ Quadragesimæ, &

hæc delicium Pœnitentiæ est: 1. Digna Iesu, Moyse, Elia. 2. Epulæ pretiosiores Cleopatranis, Lucullianis lautiores: Assuerianis regificentiores, *Esth.* 1. 3. Quas *Exod.* 29. Moyses inchoauit: Elias, 3. *Reg.* 19. prosecutus est: Iesus *Matth.* 4. confirmauit. Acta à singulis in montibus per dies 40. vbi radices, missus: rupes, mappæ: mensa, ablatio mensæ; torrens, falernum est.

Dies 40. pœnitentiales sunt.

Dies 40. Niniuitis dati pœnitentiæ; *Ion.* 5. Hi totidem & nobis. *Adhuc 40. dies, & tua Ninive subuertetur.* 2. Israelitæ annis 40. per desertum errarunt ærumnosi: *Num.* 12. demum ægre in terram promissam introducti cum hosticalucta varia. Ita nos hic. 3. Noe dies 40. in Arca, imbrium, ventorum, cœlique iactatus iniuriis durauit: demum in montibus Armeniæ conquieuit. *Gen.* 8. Nec tibi molliora speres, ô anima pœnitentię in arcam te includę; diluuium sustine pœnarum: Dura, perdura.

Digressio inuectiua.

Et adhuc superstitionem esse criminabuntur quadragesimale ieiunium, Epicuri de grege porci hæretici? Vah natos abdomini ventricolas: *quorum Deus venter est, & finis interitus.* Quam nobis ex ieiunio calumniato; eandem Moysi, Eliæ, Iesu irrogatis iniuriam. Quin & Apostolis, primæuaque Ecclesiæ. Teste Hieron. Epist. Contra Montan. tom. 2. & in Oseam cap. 18. *Nos vnam Quadragesimam, secundum Traditionem Apostolicam, anni tempore nobis congruo obseruamus.* Eadem Ambr. August. Basil. *Orig. Hom.* 10. *in Leuit.*

Effectus ieiunii.

II. Iectos paradiso per esum vetitum, vetitus restituit esus: *vitia comprimit, mentem eleuat, virtutem largitur, & præmia:* & Matth. 9. *Hoc genus dæmoniorum non eiicitur, nisi in oratione & ieiunio.* Mirum triumphum Ieiunij! Vrbes cladibus eripit: dæmones conterit: Deum vincit.

Exempla.

1. Hebræos indictum ab Esthera ieiunium ab interitu liberat, *Esth.* 4. Amane suspenso. 2. Prisci Patres, quod extorquere cœlo volebant; pro eo Ieiunia suscipiebant, teste Augustino.

Finis instituti est carnem subiicere spiritui.

Instituti vero huiusce ieiunij causa est, nostræ carnis insolescentia aduersus Spiritum. 1. Illa, vt Esau vorax, pro te nauci, gulæque irritamento ius omne primogenituræ, seu vitæ beatæ, diuendere floccipendit. Qua etiam causa fratrem suum, Rationem ac spiritum, exosum habet, & persequitur. 2. Eua, *Gen.* 3. Adamum pomi illicio tentat, & euertit. 3. Dalila Samsonem, in sinu suo quiescentem, soporat, detondet, eneruat robore, innectit funibus: hostibus tradit. *Iudic.* 16. 4. Pellex Putipharæa castum solicitat Iosephum in nefas: at voti impos facta sui, ardorem cupidineum in odium vertit ac rabiem, persecutrix innocentis, *Genes.* 39. Talis *Caro concupiscit*, ac furit *aduersus Spiritum.*

Caro domanda.

III. Quare edomanda est. 2. Cor. 6. *In laboribus, in vigiliis, in ieiuniis.* Age, fac Carni, quod Tobias pisci. *Tob.* 6. Hic vndis innatans, Tobiæ inuasor; Angeli iussu in siccam extractus exenterabatur: Sic anima carnem ex deliciis, atque cupediis in siccam xirophagiæ esurialis extrahat, extenuet pœnitentia. Nam

Luxuriat raro, non bene pasta caro.

Quare ad arma, ad arma aduersus domesticum hostem corpus hoc nostrum.

Exempla.

1. Præit exemplo Dux Paulus, 1. Corinth. 9. *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo.* 2. Dux Anachoretarum Sanctus Hilarion, teste Hieron. cap. 1. Epistol. in vita Hilar. *Ego, asselle, faciam:* (sic is corpus suum alloquebatur:) *vt non calcitres; nec te hordeo alam, sed paleis: fame te conficiam & siti: graui onerabo te pondere, vt cibum potius cogites, quam lasciuiam.* O bellum ô bellum! 3. Simili carnem debellauit Euagrius, Thebaidos incola deserti. Hoc flagris cor-

pus diuerberante, vt rupes ab ictibus resonarent ; excitus alius virum sanctum increpat, & domandum, ait, non enecandum corpus esse : monet, sæuire faceſſeret. Cui is hoc tantum: *Quiescat ille, & quiescam ego.*

Perora. Quare, si hos tales admiremur; imitemur certe Dauidem. Psalm. 34. *Humiliabam*, ait, *in ieiunio animam meam.* Obedite Ioeli, capite 2. *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu, & planctu. Reuertere* igitur *Sunamitis, conuertere Ierusalem.* Vocantem audi, imperanti obtempera ; metue comminantem. Dic cum Psalm. 56. & 107. *paratum cor meum DEVS, paratum cor meum* te per deserta ad Caluariæ sequi montem, sanctificare ieiunia & pœnitentiam : tantum *Adiuua Deus.*

FERIA V. POST CINERES.

Cum intrasset IESVS *Capharnaum, accessit ad eum Centurio.* Matth. 8.

REx Dauid, 1. *Regum* 30. dum Amalecitas latrunculos persequitur, forte incidit in derelictum ab istis seruum Aegyptium ægrum: quem Rex susceptit, refocillauit; vsusque ductore est; vt victoriam ab hoste reportarit. Sic Centurio in suum affectus seruum, pro ipso laborat : & exorat. Hocque amplius euincit ; vt suum sub tectum intraret Dominus.

Circa quæ nos

I. *De iustificatione militaris animi.*
II. *Quis Centurio?*
III. *Qui milites Centurionis?*
IV. *Quis paralyticus seruus Centurionis?*

PARS I.

De iustificatione militaris animi.

MVlta sunt admiranda : in quibus facile princeps Remissio peccatorum est, seu Conuersio peccatoris. 1. Vt affirmare non vereatur D. Th. 1. 2. q. 112. *Maximum opus Dei est iustificatio, & remissio peccatorum.* 2. Secundum Psalm. 144. *Miserationes eius super omnia opera eius.* 3. Hinc erat Ecclesia iam quotidie : *Deus, qui parcendo, & miserendo potentiam tuam maxime manifestas.* *Iustificatio est Deiopera maximum.*

Creatio mirandæ est potentiæ : sed iustificatio maioris. Verbo creauit omnia: atqui vt peccatum originale aboleretur 5000. annis laboratum est : & demum 30. annis quanta tulit ob idem? Illic. Psal. 148. *Dixit & facta sunt* : hic, Lucæ 24. *Oportebat Christum pati, & sic intrare in gloriam.* *Maius Creatione.*

Tantæ molis erat, ex fero leone facere agnum humilem, ex diabolo angelum, ex idololatra Christianum, & seruo mundi libertum Domini. 1. Ita *Dan.* 4. Nabuchodonosor prius in bestiam conuersus fuit ; quam ab Daniele conuerteretur. 2. Deus, *Exod.* 17. mandarat Moysi tantum præciperet petræ, daret aquam: ipse vero etiam virga percutiebat; & vix tamen credebat promanaturam aquam. Sic anima peccatrix non verbis solum; sed virgis ad conuersionem impellenda est, vt fluant aquæ pœnitentiæ. 3. Piratam talem, toto mari libertatis euagantem, ad litus pœnitentiæ ducere: laboris est & validæ gratiæ. *Similia de feris, & feroxis animis.*

Idque maxime in militibus cernitur. Vt aer & ignis, tanquam symbola elementa, facile in sese commutantur, vt aer fiat inflammatus : at symbola, vt ignis & aqua, non item. Vnde mirum, si aqua arderе cerneretur. Ita ciuem, vulgaremque homi- *De Militaribus vero maxime.*

hominem conuerti, non ita mirum: vt si mauortium pectus emollescat ad pœnitentiam. In primis tamen id genus, quod prædis viuit, ac homicidiis: *Istis nulla fides, pietasque viris est.* Isti sunt de genere crucifigentium Iesum, ac dire blasphemantium. Isti saxis sunt duriores. Nam patiente Iesu, monumenta aperiuntur, elementa plangunt, finduntur rupes: sol tenebrescit, terra tremiscit, mundus obstupescit, natura luget: Soli milites sub cruce ludunt. Quo admirabilior est hodierni Centurionis ethnici conuersio.

Sed impiis.

PARS II.

Quis Centurio?

Centurionis amor in seruum.

I. QVod Centurio pro seruo suscepit iter in Iudæam; se ad supplicationem humiliauit, tamque impensam: illi sane permagni seruus is fuerit. 1. Quare Eccl. 31. *Si est tibi seruus fidelis, sit tibi quasi anima tua: quasi fratrem tuum tracta.*

2. Miratur Plinius petram Indiæ Nymphæum dictam; quod assiduis exæstuet ignibus. Mirabilior hic est, ad pedes Domini iacens petra martia viri, æstuans amore serui, & peccatorum suorum dolore. 3. Stupet Moyses ad visionem rubi ardentis, *Exod.* 3. eamque *magnam* appellat. At maior hæc Centurionis in deserto gentilitatis. Quid enim rubus is ardens ad ignes charitatis? 4. Qualis igitur animus amantis Samaritani erga lapsum inter latrones: *Lucæ* 10. talis Centurionis in suum hydropicum.

Anima orantis est ille Centurio.

II. Sed adsis Centurio, armis exutis te ostende nobis, qualis in te vir est? Num Animæ fors eris imago nostræ, donis plusquam centenis dotatæ? Cum ex centum potentiis & affectibus animæ laborat vnus paralysi; ad Christum habeat refugium Anima centurio, scuto fidei, orationis gladio munita, &c.

1. Bellum spectaculum luctantis cum Angelo Iacobi, ac vincentis. Talis hic Centurio; talis & anima orantis. Testimonium en luctantis: *Non inueni tantam fidem in Israel.* En victoriam: *Fiat tibi sicut vis.* 2. Mira victoria fuit, Dauide Goliatham ictu lapidis fundente. At Dominus Goliatha fortior: ictu tamen obsecrationis vincitur ab Centurione; ab anima supplicantis.

Hæc Deum expugnat oratione.

Hæc innata & innutrita bellis alumna est, Iob 7. *Vita hominis militia super terram.* Sed militia qualis? Ephes. 6. *Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem* tantum: *Sed aduersus principes & potestates, aduersus rectores mundi, tenebrarum harum.* Ergo militaris Anima sui speciem in Centurione agnoscat.

Anima est militaris.

PARS III.

Qui milites Centurionis?

Est monarcha habens sub se plurimas potentias.

I. NVmerus centenarius Arithmeticis rotundus ac plenus dicitur. Vnde S. Hieronymo in parab. Lucæ 16. Bedæ, & Origeni Diuinitatem repræsentat. At huius imago Anima, plus centum dotibus condecorata. 1. Vtque *Exod.* 28. in veste summi Sacerdotis variæ imagines efformatæ visebantur: ita in anima naturæ, ac gratiæ dotes, rerumque creatarum perfectiones. 2. Qualis & Arca Noe, in qua omne animal. *Gen.* 7.

1. Animæ proprias.

Ecce animam non solum Centurionem; sed & Monarchã. Tres habet Chiliarchas, Intellectum, Voluntatem, Memoriam. Hi singuli tres Capitaneos, Vegetatiuam, Sensitiuã, Intelligibilem potentiam. Singuli rursus plures, vt Vegetatiua tres tres habet Actus, Gignendi, augmentandi, nutriendi. Nutritiua item habet sub se vim attractiuam, digestiuam, retentiuam, egestiuam. Sensitiua habet sensus exteriores quinque; totidem interiores, vt sensum communem, vim imaginatiuam, æstimatiuam, phan-

tasticam, & memoriam. Summa, Iob. 3. *Non est numerus militum eius.*

2. *Corporis.* II. Rursus, Anima est tota in toto, & parte qualibet. Regit sensus in capite, neruos in cerebro, medullam in ossibus, sanguinem in venis, Iubet dentes masticare, &c. dat pulsum arteriis, spiritum pulmoni, hepati calorem, cordi vitam. Omnia ossa sunt eius, cunctaque regit. Ecce *dico huic, vade &*, &c.

3. *Virtutũ ac vitiorũ* Iam si virtutes enumerem, vnius famulas animæ imperata facientes, has lõge plurimas reperero: Si & vitia, quæ vt vilia mancipia, ceu Ventos Aeolus, sub monte rationis, legisque Dei, vinclis & carcere claudit: ea innumera sunt: omnia Monarchæ obnoxia Animæ. Aduocat hoc; & paret: amandat istud; & abit.

Figura. Anima est. 1. Turris Dauidica, Can. 4. *mille clypei pendent ex ea, & omnis armatura fortium.* 2. Illa est, Luc. 15. *ex vobis homo, qui habet centum oues* dotum in prato hoc corporeo. 3. Villica est, *Luc.* 16. habens centum olei cados quæ debet Domino; de quarum villicatione illi ratio reddenda est. 4. Seruus iste est, centum debitor denariorum: *Matth.* 18.

4. Quare vt Moyses indictis Comitiis, Centurionesac Tribunos populo dedit, qui ius cuique redderent. Ita in prima rerum creatione Conditor Animam cunctis imposuit Centurionem imperio moderandis.

Enumeratio seu lustratio exercitus. III. Sileo alia omnia: Paulus tres eius Principes in aciem producit, Fidem, Spem, Caritatem. 1. *Cor.* 13. Sapiens, *cap.* 2. Chiliarchas Prudentiam, Iustitiam, Temperantiam, Fortitudinem: *Isaiæ ca.* 11. septem dona Spiritus: Iesus *Matth.* 5. octo beatitudines: Paulus *Galat.* 5. duodecim fructus Spiritus; *Philipp.* 2. sensus quinque spirituales. Apostoli articulos Fidei XII. Moyses Decalogi præcepta producit in campum. Omnium vna Imperatrix est Anima; tantoque iam plusquam Centurio.

Et ea Dominum accedens tanta cum humilitate, caritate, &c. ipsum non expugnaret? *Aiunt* Iudæi. *Diligit gentem nostram: ipse nobis Synagogam ædificauit*: Addunt Apostoli. *Dignus est, vt illi hoc præstes.* Non est Sanctorum, peregrinationum, imaginum, reliquiarum, Sacramentorum, &c. persecutor, non Quadragesimę violator, &c. Ad quæ omnia denique Dominus: *Non inueni tantam fidem in Israel.* Magna laus hæc; & à Tali! Nam

Exorare potest, Orantque pro & cum eo alij.

Principibus placuisse Viris non infima laus est.

Et hac dignus ille. Quo enim euehitur altius; hoc se longius demittit. Hoc quam in milite rarum est? *Domine*, ait, *non sum dignus, vt intres sub tectum meum.* Sed *vade in pace*; mi Centurio: tuus me seruus vocat: Paralyticus est.

PARS IV.

Quis seruus Centurionis.

Concupiscentia humana paralytica est. I. QVis ille? An deprauata nostra Concupiscentia? 1. Serua hæc nata est. Genes. 4. *Sub te erit appetitus tuus; & tu dominaberis illius.* 2. Heu nascitur is paralyticus: sic demoritur; ni adiuues Domine. Malum hoc intulit ei peccatum originale. *Iacet in domo* animæ *paralyticus*, nequit ieiunare; operapœnitentiæ operari; & *male torquetur* à peccatis. *Domine, Iacet*: adiuua.

Iacet. 1. Ita iacebat lapsus in Iatrones semimortuus, *Luc.* 10. 2. Ita Samaritanus pro eo solicitus satagebat. 3. Ita iacebat Adam in paradiso. Ita in nobis Appetitus. Periimus Domine; ni tu adiuues; qui solus potis es.

Egetspiritu. latrice manu. 4. Ecce *iacet* ille, qualis, *Matth.* 9. Hæmorrhoissa duodecennalis sanguinis exhausta fluxu, & totius erogatæ substantiæ perditione depeculata. 5. Ecce iacet

ce iacet paralyticus alius ad piscinam annos iam ipsos duodequadraginta: Similis vtrique concupiscentia humana est, ægra iam annos supra quinquies millenos, *& male torquetur.* Non est, qui adiuuet; nisi tu Domine. *Male*: quia intrinsece: quia iam diu: quia incurabile homini, &c.

Molestat, & infestat horum. Figura.

II. Et quis ex vobis Centurio non habet in domo sua paralyticum istum? Molestum? Quin & infestum Roman. 7. *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* 1. Sicut in domo Abrahæ, *Genes.* 21. duas inter Saram & Agar non conueniebat: quod vxor illa, hæc esset concubina viri: cui proinde iubetur; *Eijce ancillam, & filium eius.* Ita Ratio, & Concupiscentia, Rom. 7. *Caro concupiscit aduersus Spiritum, & spiritus aduersus carnem.* Ergo *eijce ancillam* Concupiscentiam, & *filium eius* Appetitum. 2. Nam vt Genes. 13. *Facta est rixa inter pastores gregum Abraham, & Loth:* Ita illos inter duos.

3. Sicut *Genes.* 25. Iacob & Esau etiam in materno collidebantur vtero: sic in homine duo illi. Inde alter semper clinicus *lacet.*

Simile.

In natura item, vt in figuris, eorundem iurgantium videre est imaginem. Vt soli ac terræ non conuenit; hæc illum vaporibus obturbat; is hunc fulminibus petit: ita homo inferior animalis aduersus superiorem, & vicissim depugnat. Heu quanta subinde passionum fulminantium ac tentationum tonitrua? &c.

Vixdum constiterat orbis; cum ecce dirum duellum Cain inter & Abelum. Et iustus patitur. *Genes.* 4. Ita ab Concupiscentia Ratio patitur.

Orandus ianator iste.

III. Hæc igitur, quod Centurio, agat. Experietur, quod, sicut *Luc.* 4. Socrus Petri, quæ *tenebatur magnis febribus*; at mox, vt ab Domino persanata fuit; *surgens ministrabat ei*: Ita consanata in nobis Concupiscentia Rationi opitulatur, atque ministrat: Cumque ea pariter concinit Deo, Psalm. 15. *Benedicam Dominum qui tribuit mihi intellectum: insuper & vsque ad noctem increpuerunt me renes mei*, id est, appetitus concupiscentiæ.

Perora cum Apostropha ad heros; curam præstent ægræ familiæ: Ad milites; feritate posita mansuescant: Ad peccatores; dicant Luc. 15. *Pater, iam non sum dignus vocari filius tuus.* Mirare. *Vnde hoc mihi, vt veniat* Dominus meus *ad me*? Ora, *Tantum dic verbo, &, &c.*

FERIA VI. POST CINERES.

Audistis, quia dictum est antiquis: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum. Ego autem dico vobis: diligite inimicos vestros.

Matth. 5.

VEstibulum Templi Salomonis, 2. Par. 9. sanguine stillabat, ictibus securiū perstrepebat, nidore sacrificiorum redolebat. At ipsum intus Templum auro, &c. relucebat, ac nimium quanto splendore attonitos reddebat spectatores. Intus Arca, Manna, mensa, Propitiatorium, &c. Ita in V. Testamenti Synagoga secures; iustitiæ, sanguis vindictæ, & horrida alia. At in Ecclesia Christiana mera gratia, misericordia, salus, Eucharistia; mensa agapæa caritatis, &c. An non olim: *Odio habebis inimicum?* An non olim *dictum est antiquis: Dilig. &c. & odio habebis inimicum?* ecce securim, & sanguinem: Nunc vero: *Ego dico vobis; Diligite inimicos vestros:* ecce pacem, ac manna merum.

Nos igitur in præsens

I. *De peste odij.*
II. *De dilectione inimicorum.*
III. *De odio proximi.*

IV. *De Amnistia. & vindictæ cupiditate.*
V. *De duellis perdnellium.*

PARS I.

De peste odij.

Rancor & odium disperdit omnia.

1. SCipioni Africano ex deuicto ab se Numantiæ Rege Tiresia, captiuoque percunctanti? ecqui vrbs ista tot annos Romanis extitisset inexpugnabilis; nunc vero eam ab sese tam facili negotio in ordinem redactam fuisse? Tiresia respondit: *Concordia nobis victoriam, discordia exitium peperit.* Ita charitas fraternitatis animabus hinc, inde rancor & simultas. Dicis Salusti. *Concordia res*, at dicam ego, *Dilectione res animæ parvæ crescunt, odio maximæ dilabuntur*: immo *emoriuntur.* Adeo lethale venenum est odium.

In primis oforē ipsum exedit, & o. necat.

1. Est veneni genus tam acre; vt prius, quo continetur, vas exedat, quam ad eū perueniat; cui paratur. Ita odium animam oforis prius, quam proximum.

Figuræ.

2. Vipera nascendo matrem enecat parricida: odium ex qua anima erumpit; eam & perrumpit, ac enecat. 3. Amanis odium aduersus Mardochæum cunctosque Iudæos, rediit in autorem, Esth. 1. *Suspensus est itaque Aman in patibulo, quod parauerat Mardochæo.* Sic odium suo se mucrone iugulat: perque suum latus petit alterum.

4. Samson, *Iud.* 16. vt iniurias vlciscere-tur, dum Philistinos occidat; se occidit ruina eadem. 5. *Ecce*, Apoc. 6. *equus pallidus, & qui sedebat super eum, nomen illi mors; & infernus sequebatur eum.* Hæc rancoris idæa est. Subsessor eius Mors est, &c. 6. Nā vt apes fixo cum aculeo vitam relinquunt: ita ofores. Ps. 117. *Circumdederunt me sicut apes.*

7. Vt Chaldæi, *Dan.* 3. quam fornacis flammam pueris tribus succenderant eadem correpti peribant ipsi: sic suo o-fores odio. 8. Similiter Aegyptij, *Exod.* 14. in suam ruebant perniciem, cū ad persequendos Israelitas festinabant, & *nec vnus quidem superfuit ex eis.*

Vindictam præsens. omnibus.

II. 1. Sacrilega Herodias caput Baptistæ, quem oderat, regni dimidio præferebat, *Marc.* 6. ac odium vindictam regno cœlesti. 2. Naas, Rex Ammonitarum ait ad Galaaditas: 1. Reg. 2. *In hoc feriam vobiscum fœdus, vt eruam omnium vestrum oculos dexteros.* Sic odium non quiescit ante, quam iræ fecerit satis.

3. Hanon, Rex Ammonitarum, 2. *Regum* 10. legatos, (ab Dauide, eum de morte Patris consolandi gratia) missos, semirasis barbis, præcisisque vestibus ad vsque nates, remisit. Sic odium, aut Satana animabus agit, præscindens eis charitatis vestem. Non sic. *Ego dico vobis; diligite inimicos vestros.*

PARS II.

De Dilectione inimicorum.

Charitas est necessaria.

MAgna est charitas: at maior eius necessitas. 1. Qualis est mundo Solis. *Solem enim è mundo tollunt, qui amicitiam ab hominibus*, ait Cicero libro de Amicit. 2. Empedocles aiebat. Pacem & Amicitiam esse principium naturæ: Ego inquā, pietatis: Nam Coloss. 1. *Charitas est vinculum perfectionis.*

3. Est ea, Matthæi 13. *fermentum, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum.* Nam facit exurgere amorem Dei, proximi, sui.

Etiam erga inimicos diligendos.

Debetur vero & inimicis. 1. Rubus ardere visus, incombustus tamen, *Exod.* 3. significabat charitatem Euangelicam in corde etiam inimiciarsuram.

2. Orauit Elias; 3. Regum 18. *Et cecidit ignis Domini, & vorauit holocaustum, ligna, & lapides, puluerem quoque & aquam lambens.* Significat, ad preces & merita Iesu charitatis ignem cœlo lapsurum, absumturumque in victimam Deo lignea, lapideaque

deaque corda inimicantium; & holocaustum animantium recte. Quare & vos *diligite inimicos vestros.*

Indefinenter. Lex erat, Leuit. 6. *Ignis in altari semper ardebit*; In corde charitas, nulla passionũ tempestate vnquam extinguenda. Sic ardebat Sponsa dicens Canticorum 8. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.*

Exemplo naturæ, &c. II. Et vero in natura corporum nostrorum amor inimicorum expressus est. Nam anima regit non solum vtiles sibi partes corporis, sed & noxias sibi; vt humores quatuor, qui in hominis interitum irremisse conspirant. Vt igitur eos animat, sic & amat. Tu similiter inimicos dilige, 1. Vt Sol bonos & malos iuxta irradiat. 2. Noe fouebat tam immunda, quam munda animalia.

3. Sagena, *Matth.* 13. bonos & malos pisces concluserat. 4. Ager lolium & segetem alebat. *Et ego dico vobis*: non Moses, Prophetæ, non Angeli, &c. *Ego dico diligite inimicos.*

Parent omnia Deo, non homo. Et adhuc quisquam eius verba non audiet? Cum tamen *quasi tubam exaltet hanc vocem suam?* Cum omnes creaturæ *faciunt verbum eius?* Innuit Angelo, 4. *Reg.* 19. & vna nocte hic cædit 185000. Assyriorum. Imperat leonibus. *Dan.* 4. & posita feritate parcunt Danieli. Iubet igni, *Gen.* 19. & Sodomam exurit. Aquæ præcipit. *Gen.* 7. & submergit orbem diluuio, *Marc.* 4. Quis est hic, quia *mare & venti obediunt ei?* Et clamantem: *Ego dico vobis, dilig.* &c. homo nõ audit. *Nonne Deo subiecta erit anima mea?* Psal. 61. Qui ergo non audit, non diligit inimicos.

PARS III.

De odio proximi.

Odiũ proximi est peccatum maximũ. I. THeologi docent: odium Dei summum omnium esse peccatorum. Ego proximum illi numero odium proximi; quouis maius incæstu. 1. A proximo odium tendit & assurgit in Deum. Nam vt diligendus est proximus propter Deum, non propter se: ita odium huius it in Deum. 2. Iudæi merum se hominem necare putabant: at simul & Messiam necabant. *Matth.* 27. Ita inimicum odio ferire te putas: sed & Deũ. 3. Quid? *Qui diligit, legem impleuit*: an non igitur, qui odit, legem totam subuertit? 4. Matt. 22. *In his duobus præceptis pendet vniuersa lex:* Vt cœlum & Vniuersum in duobus polis Arctico, & Antarctico. 5. Certe Iac. 6. *Quicunque totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus.* Quanto magis qui odio solo aduersus omnem legem committit.

Odium excludit peccati remissionem. II. Odium peccatis præcludit veniam. 1. Nam Matth. 6. *Si non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Tenore quo oramus: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Id ex pacto vim trahit, quod eiusmodi. Lis exorta Deum inter & hominem fuit: Pro homine Misericordia Dei, Angeli, Patriarchæ laborabant; at nequicquam. Adeo rigidior vincebat Iustitia. Pependit lis annis 5000. Descendit Dei Filius, factus Mediator reconciliationem obtinuit cum hac conditione; Si & nos remiserimus debitoribus nostris. Placet conditio. Icitur fœdus, fit pax cum Deo. Quocirca: *Serue nequam, nonne oportuit & misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum?* Ergo ad tenebras. Et iuste.

Væ ergo Leguleiis quibusdam. Quid igitur Leguleij lites seritis, & seminatas ductatis? Aug. serm. 2. ad Fratres in Eremo, ait: *Si pacem non diligis, si proximum odisti, quo iure, quo pacto, qua fronte tibi petis dimitti, qui in proximum rancorẽ nõ dimittis?*

III. Quid? Angeli, Diui, Deipara supplicant pro nobis, vt ignoscat Deus nobis: & omnium conatum ac vota fallit, frau-

fraudat, retardat homo, non remittens proximo. Væ! Quid? Eccles. 28. *Homo homini reseruat iram; & à Deo petit medelam?*

Cessat facitque preces. Educti Aegypto, circumducti in deserto, tentati, afflicti etiam in terra promissionis Israelitæ, orant; nil impetrant: Isaiæ 58. *Ieiunauimus, & non aspexisti.* Quid causæ? *Ecce, in die ieiunij vestri debitores vestros repetitis: ecce ad lites, & ad contentiones ieiunatis.* Quare, *Ego dico vobis: diligite inimicos.*

PARS IV.

De Amnistia, & vindictæ cupiditate.

Amnistia permagni est. Exempla. AT ita feruent odia, exercentur vindictæ; vt si mandatæ forent. Extincta est, quæ vel ethnicis tanti fuit, ἀμνησία. 1. Aeschinis Ath. vox est: τὸ κάλλιστον ῥῆμα, μνησικακῶν id est, *optimum verbum, obliuisci iniuriarum.* 2. Phocion, Dux Athen. ad cicutam bibendam damnatus filio illacrymanti seuere mandat, neu contra ingratam ciuitatem vnquam cogitet vindictam: melius amaret patriam. Ergo & vos *diligite inimicos, & benefacite his, qui oderunt vos.*

3. Aristides Athen. ob vitæ sanctimoniam *Iustus* cognominatus; cum inique pulsus in exilium ingrata egrederetur vrbe, oculos & manus in cœlum extulit, Deos precatus, vt hoc facinus vrbi ingratæ finerent inultum.

4. Trasybulus Ath. post exactos è rep. XXX. tyrannos, & ciues eorum causa profugos reuocatos sanciti Plebiscitum fecit dictum τὸ ψήφισμα τῆς ἀμνησίας ἐπὶ τοῖς τριάκοντα id est. *Plebiscitum obliuionis iniuriarum sub Triginta.* 5. Magnum hoc de Cæsare elogium Ciceronis, orat. pro Ligario: *Obliuisci nil soles, nisi iniurias.*

6. Themistocles Dux Athen. profitenti Simonidi artem memoriæ, tunc primum inuentam, ait: mallem doceres me obliuisci, quæ vellem. Sic &c. *Cic. 4. Acad.*

Ad tantam ethnicorum humanitatem Christianus nequedum feritatem pones? Memento illius: 1 *Ignosce Pater, quia nesciunt, quid faciunt.* 2. Et huius Hebr. 10. *Mihi vindictam, & ego retribuam.*

II. Et retribuisse, exempla testantur. *In vindicantes vindicat Deus.* 1. In Cain vindicauit Deus. *Genes.* 4. 2. In fratres Ioseph, *Genes.* 44. misere ab igneto fratre tribulatos. 3. In Iezabelem, 1 *Regum* 21. præcipitatam, & à canibus discerptam; ob Naboth oppressum vindicauit Deus, Aman, *Esth.* 7. superbum sese ab Iudæis vindicaturum, sed in suopte patibulo suspensum vindicta fuit districta. 5. Adonibezeth Rex demum ab Israelitis captus luit, quod in LXX. Reges sibi subactos commiserat: Iudic. 3. LXX. ait, *Reges amputatis manuum ac pedum summitatibus colligebant sub mensa mea ciborum reliquias: sicut feci: ita & retribuit mihi Dominus.* Ita vindicauit Deus in vindictæ cupidos.

Ignoscentes euehit Deus. At è contra, iniuriarum remissores remunerauit Deus. 1. Testis Ioseph, *Gen.* 45. fratribus ignoscit: & Aegypti Prorex fit. 2. Dauid. 2. *Reg.* 2. fit Rex, Saul ignoscens. 3. In Stephano haud scio admirabilius sit martyrium, an fusa in hoc pro inimicis oratio. *Actor.* 6. 4. Daniel quanta in Babylone pertulit? Remisit ex corde: Et ad quanta eum Deus euexit? Par Regi fuit, adeoque superior.

Signum prædestinationis & amnistia. Exemplum memorabile. *III.* Quid: quod iniuriarum remissio nota sit haud minima prædestinationis? Apud *Sur. tom.* 1. reperio, quod subiicio. Antiochiæ inter Sapricium & Nicephorum fratres lis incidit. Hic illum placare multis tentauit: at nequicquam. In persecutione Valeriani Sapricius, vt Christianus, rapitur ad iudicium: inde constans in fide ad martyrium. Frater Nicephorus

phorus curriculo sequitur, orat veniam, ignoscí supplicat. Nil audit Sapricius. Ad hunc ille in theatrum supplicij ascendit: fit supplex pro remissione, orat per Sacra omnia : sed obstinatum nil exorat. Interim ferrum lictor expedit. Hic infelix sub ictu exclamat: *Desiste: Imperatorum monitis obsecundabo.* Ad quam vocem cohorruit Nicephorus : rursus prosilit in medium: orat, & obsecrat, increpat germanum, in fide perstat: at surdo, quin mortuo canebat fabulam. Ergo se is Christianum profitetur: Martyrij coronam meretur; & aufert S. Nicephorus. Omnis hæc tragœdia in vno vertebatur cardine *Amnistiæ*.

PARS V.

De duellis perduellium.

Duella sūt impia, fera. I. QVo detestabiliora duella sunt. Quid? 1. Istane vera nobilitas, repetere cum sanguine vindictam? Hæc vero barbara est feritas. 2. Si homicidia vel pariant, vel tueantur nobilitatem: iam quintum Decalogi præcipiet iniquitatem; quod prohibet duella, & vindictam. O peruersum nefas! 3. Vera nobilitas virtutum agnoscit parentem, & colit: non impietatem.

Per victoria est vera vindicta. 4. Vindicta hæc, & victoria est, *Iram vicisse suam.* Prou. 10. *Fortior est, qui dominatur animæ suæ, expugnatore vrbium.* Ambrosius, Chrysostomus, homil. de Dauid: admirabiliorem aiunt fuisse Dauidem ignoscendo Sauli, quam vincendo Goliam.

Pœna duellantium. II. Quare, Magistratus, ferro in duellorum victores animaduertite: in victos & victores excommunicationis fulmina torquete Præsules: Pastores cæsa cadauera cœmiteriis arcete. Iere. 22. *Sepeliantur sepultura asini putrefacti, & proiecti extra portas Ierusalem.* Nam Psal. 138. *Viri sanguinum declinate à me.*

Dauid vnicum designarat homicidium, diluerat pœnitentia; in gratiam se reposuerat: & tamen, 2. Reg. 21. *Non poteris ædificare Domum nomini meo, tanto effuso sanguine coram me.* 2. Triennio toto non pluit, 2. *Reg.* 21. irato Deo Israelitis, quod innoxium Gabaonitarum sanguinem fudissent. Et quam plueret gratiam Deus insicarios? 3. Vetuit Deus, *Leu.* 11. vllum accipitri, aut milui genus in cuiusquam venire cibum, vti aues immundas: quia sanguinariæ. Ita excommunicantur à Deo homicidæ perduelles. *Exosorum Deo.*

Deus ô, aut emenda; aut cum Samsone, Rex, suffoca leones istiusmodi cruentos: qui clauis transfixi Filij tui nec vocem ignoscentis, nec exemplum patientis respectare volunt.

SABBATO POST CINERES.

Cum sero esset factum, erat nauis in medio mari: & Iesus solus in terra Marc. 6.

MAgna tempestas diluuij fuit, *Gen.* 7. quam Arca pertulit inter 40. dierum pluuias, ventos, procellas. At oliuæ ramum afferente columba factum est indicium remissæ pœnæ, vindictæ, & iræ Dei: Demum in montibus Armeniæ Arca stabat. In simili casu hodie Dominus vere columbinus, saluti & solatio est iactatis, Imperata & reparata tranquillitate.

Circa quod nos

I. *De iactata naui Ecclesia.*
II. *De mari mundi.*
III. *De Ecclesiæ naui.*
IV. *De ventis turbulentis.*

PARS I.

De iactata naui Ecclesiæ.

Ecclesia fluctuat. I. EX quo, inde ab innoxio Abele cæso, Ecclesia cœpit, persecutio nullo ei

vnquam fæculo defuit. 1. Semper, ait *August. lib. 1. ciu.* in ea fratricidæ Cain, profani Esau, Pharaones persecutores, fornicatrices Iezabeles, proditores Iudæ, &c. extiterunt. 2. Quot enim falsi prophetæ aduersus vnum Eliam? 3. *Regum* 11. 3. Quanta fornax tribus parata pueris? *Dan.* 3. 4. Quot Leones, & lacus, vni Danieli? *cap.* 14. 5. Quot oppressiones Aegyptiæ in Israelitas? *Exod.* 7. 8. 12. 6. Quot contra illos Philistæi, Amorr. Iebu. Chan. Madianitæ, Amalecitæ? &c. 7. Qui ploratus in Rama ex infanticidio? S. Ps. 128. *Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea, dicat nunc Israel; sæpe expugnauerunt à iuuentute mea: etenim non potuerunt mihi.*

Sed non mergitur vnquam.

II. Omnino Ecclesia est. 1. Bethulia, *Iudith.* 5. sæpe circumuallata; at nunquam capta. 2. Est Susanna, *Dan.* 13. accusata: nō conuicta. 3. Est Iuditha, *cap.* 10. Holofernem detruncans, &c. 4. Est lapis Petræ, *Dan.* 2. comminuens statuas Nabuch. 5. Est arca fœderis, 1. *Reg.* 5. custos Legis, manna, & virgæ Aaronicæ, euertens idola Dagon, &c.

6. Est salamandra, in mediis viuens ac victitans flammis. 7. Est laurus sacra, vsq; virens, temtrix fulminum. 8. Est rosa inter spinas. 9. Est palma, hoc magis enitens, quo pressa magis. 10. Est arca Noe; hoc altius exurgens, quo fluctus subit altiores: demum in montibus Armeniæ consistens Monarchica, æternum immota.

Indurata malis.

III. Vtque Mithridates, Romanos annis 40. fatigans bellis, teste *Plut. in Lucullo.* venenum quoduis sumebat innoxius; quod à puero illi insueuisset: sic Ecclesia indurata malis durat, perdurat, & nullis cedere nescit.

2. *Sanguine fundata est Ecclesia: sanguine creuit:*
Sanguine nutritur: sanguine finis erit.

3. Nam sicut Romanorum, teste *Lucano l.* 1.

Fraterno primi maduerunt sanguine muri: Ita ecclesiæ primordia Sāguine Christi: 4. Ac porro, vt Cyprian. ait, *Sanguis Martyrum* est semen Christianorum. 5. Oportet persecutiones esse. Quia *cum sero esset, erat nauis in medio mari.*

PARS II.

De *Mari mundi.*

Mundus mare est.

I. MVndus hic mare est. 1. Nam non tot in mari nauium; quot animarum in mundo naufragia. Hic Euripi agitationum, tentationum breuia, syrtes periculorum, charybdes scelerum, &c.

Non mare tot guttas, quot mala Mundus habet.

2. In Adam, in Eua omnes perijmus: omnes haustæ tot gratiarum sunt merces puncto vno. In hoc simul vt nascimur; mergimur. 3. Bene Menander Poeta: *satius est pauperem in terra viuere: quā diuitem nauigare.* 4. Trium in vita pœnitebat Catonem: Si quod arcanum fœminæ: Si naui se credidisset, cum terra iter facere potuisset: Si quæ dies infructuosa abiisset.

Et periculosum, nam exaltat, vt deiiciat.

Multa in mari; in mundo plura discrimina. 1. Hinc & Apostolorum *Nauicula in medio mari tactabatur fluctibus.* Ioa. 2. 2. Hinc Ionę, *cap.* 1. facta est tempestas magna in mari, & nauis periclitabatur. Quare humilis tutior humus.

Qui iacet in terra, non habet vnde cadat.

Isocrates, *Aelian. teste l.* 12. aiebat: *Athenæ habitatu iucundæ sunt; at intutæ.* Nam quos ad summa quęq; euexerant præclare meritos; hos ingrata aut vita, aut patria exuebant. Testes, Phocion, Pericles, Demosth. Socrates, &c. Similiter mundus agit in sui studiosos.

Exempla sacra.

II. 1. Exemplo est Aman, *Esth.* 7. primus in regno: sed & primus in patibulo. 2. Holofernes Bethuliæ obsessor, terror orbis: *Iudith.* 13. At, *ecce, caput Holofernis*

Princi-

Principis militiæ Assyriorum : & ecce conopæum illius, in quo recumbebat in ebrietate sua, vbi per manum fœminæ percussit illum Dominus Deus noster.

Profana. Quam tu ludis Munde rebus in humanis? Non sic mare ludit in vndis.

1. Ecce Alexander Magnus, successor orbis; cui nec vnus hic totus satserat; felicitate ebrius, se hominem esse oblitus, Iouis appellari filius, & esse Deus voluit. Quid vltra? Summa in humanis vt attigit, ecce esse desiit in humanis; *sol ipsi in meridie occidit*: dies ipsos XXX. iacens inhumatum cadauer bestiis ac volucrib. relinquebatur; regno inter alienos diuiso.

2. Iulius Cæsar, cui felicitate nemo par, quintum Dictator, triennium Imperator, quinquagies prælio victor; demum vulneribus plus viginti in Curia sicas inter Senatorias corruit ludibrium fortunæ. Atqui ita & in mundi freto hoc.

Omnia naufragia plena. III. Quare, mundicolà, adesdum; ad litus mecum maris aslide paulisper. Lustremus, num vsquam toto æquore mũdi cernamus locum vnicum non ab aliquo aliquando naufragio insignem & infamem? Aspice nauim Pontificiam, Episcopalem, Clericalem, Monasticam; Imperatoriam, Regiam, Ciuicam: Theologicam. Medicam, Iuridicam, Mechanicam, plebeiam, quamcunque. Viden' vt (ceu Claudianus canit.)

Ludat in humanis mundana potentia rebus?

Amara omnia. Vltima, prima, media; summa, imaq; Oceani omnia salsuginea sunt; nec guttula dulcis aquæ est: Ita in mundo nil verum bonum, &c. Sint, qualiacunque velint, *extrema gaudii luctus occupat.* Prou.

14. *Sic transit gloria mundi.*

PARS III.

De naui Ecclesiæ.

Ecclesia est nauis. I. HAEc Petri est. Sanctus Clemens in Epist. ad Iacobum ait: *Similis est salus Ecclesiæ magnæ naui, quæ ex diuersis regionibus viros portat per vndosum pelagus, in securum portum, & magnam ciuitatem.* Est bellica, prætoriana, vinci nescia.

Fluctuat: at nunquam mergitur illa Ratis.

Integra. Autor sit *Plinius l. 36. cap. 17.* in Scyro insula reperiri lapidem, qui integer aquis innatat; comminutus mergitur. Talis inædificata Ecclesia est, quæ integritate concors superfertur vndis: at dissecta, mergitur.

Bellica. Nauis est Ea bellica *terribilis, vt castrorum acies ordinata*, Cant. 6. Cuius Nauarchus Iesus; Crux, malus; Virtutes, vela; Charitas, *funes*; Sacramenta, bombardæ: gratiæ, propugnacula: *S.* Spiritus, venti: de quo Psal. 142. *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Copiæ nauales in ala dextera sunt Ecclesiastici: in cornu sinistro, Religiosi: in acie media Laici. Omnibus intendit Imperator vnusac Pontifex Christus IESVS; cuius in terris Vicarius Pontifex Romanus. *Psal. 104. Constituit eum Dominum Domus suæ, & Principem omnis possessionis suæ.*

Dauidica. Institoria. Est nauis ea vt turris Dauidica; Can. 4. *Mille clypei pendent ex ea, & omnis armatura fortium.* 2. Est vt *Nauis institoris, de longe portans panem.* Prou. 31. Nam, *Psal. 18. à summo cœlo egressio eius.* Vere panem nauticum portans, biscoctum, Iesum bis genitum ab æterno ex Patre; in tempore ex Matre sola. 3. Est nauis Salomonis è Thargis *asserens aurum* fidei, *argentum* charitatis, *& dentes elephantorum*, seu ebur charitatis: *& simias & pauos*, bonos & malos. 4. Est ea nauis, vt arca Noe, extra quam nulla salus, in ea thesauri Bibliorum, Sacramentorũ, Miraculorum, &c.

Tharsica.

Arca Noæ.

Linteres haretici.

Eam circumuolant myoparones, cymbæque pyraticæ cum dæmonum, tum hæreticorum, & falsorum fratrum. Est ea Victoria nauis; orbem circumuecta per orbem, Catholica, vniuersalis. Volant aliæ angulis in aliis, volarũtque, volabuntque: Eunt, redeuntque: abeunt hæ, succeduntaliæ: Vna nostra *in omnem terram exiuit*, Psal. 18.

PARS IV.

De ventis turbulentis.

Tyranni Christianorum.

I. HI sunt persecutionum Aquilones, Austrique truces. 1. Primus en, è cauea euolat iudaica: Christum obruit cruce: Stephanum grandine saxorum; Iacobum è pinna præcipitat; dispergit Apostolos; excitat Paganos: concitat Imperatores, Nerones, Decios, Iulianos, &c. concutit orbem: mouet tartara; rotat omnia. 2. Prodit Damasus Papa in vita S. Marcelli solum Diocletianum breui tempore XVII. millia Christianorum exquisitis necibus discruciasse.

3. Eusebius de sua prodit ætate, *in hist. Eccl. li. 8. c. 2.* carceres omnes Christianorum refertos, nec aliis locum maleficis fuisse: libros fidelium ad flammas conquisiuisse Diocletianum. Et *factus est motus magnus in mari.* 3. Ea tempestas absorpsit martyrio continuos XXX. Papas, in Oriente CC. Episcopos. Cætera quis fando memoret?

Hæretici.

Istis successerunt turbines hæreticorum: 1. primum Arianorum; Ab his totus pene orbis absorptus erat. Gemebatque sub aquis: *Domine perimus.* Hieronym. Dial. contra Lucife. ait: *Ingemiscebat orbis, & se Arianum esse mirabatur.* 2. Qualia vero temporibus consecutis? Sigebertus in Chronicis testatur vnum Copronymum Imp. Iconoclastam plures è medio sustulisse Catholicos: quam tyrannorum quemquam. 3. Cætera præteruehor: Quis turbo Lutherus? quæ Furia Caluinus? Germania, Gallia, Anglia, Vngaria, quæ pertulisti, quæ vel ministri similia? Seu Ecclesiam, seu Imperium; mores, seu homines spectes, &c. Dicamne? *Nunc cinis est, vbi Troia fuit.*

II. Ast Ipse *imperauit mari & ventis.* Funesti Pharao, *Exod.* 14. persecutor Ecclesiæ primus, mari obrutus perijt. Seditiosis Core, Dathan, & Abyron terra dehisce. bat: *Num.* 16. Christianorum tyranni dire periere singuli. Nero suus ipse carnifex fuit: Decius à Gothis victus submergitur: Traianus paralysi diffluxit: Maximinus oculorum cruciatu necem incurrit. Valerianus à Persarum Rege captus ephippiarium egit, stapedemque tenuit Regi equum conscendenti. Iulianus lancea diuinitus intorta S. Mauritii transadigitur. Valens Arianus viuus deflagrauit. *exitus tyrannorũ.*

Infeliciores nâcti mortes sunt hæresiarchæ. Arius cum aluo deiecta deiecit & animam in latrinam. Vt *Athan. & Russinus testantur.* Manichæo viuo pellem detraxit Rex Persarum, ait *Epiph.* Nestorio linguam vermes corroserũt. Luther. rus bene potus, pastus, fartus; cubitum concedens apud inferos pernoctauit, æternumque pernoctat. Zvvinglius, *Cochlæo teste*, in acie rusticorum cecidit. Carolstadius à diabolo suffocatus est. *Bolseco teste.* Caluinus, vt & Herodes, Antiochus & Maximinus, morbo pediculari, inuocatis dæmonibus, desperatus exhalat. *Virg.* 6. Aen. *Hæreticorum.*

Discite iustitiam moniti non temnere Diuos.

Et sic *facta est tranquillitas magna.*

FERIA

FERIA II. POST DOMINICAM I. Quadragesimæ.

Cum venerit Filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli eius cum eo. Matth. 25.

IVdæis, *Esth.* 3. sub regno Assueri positis, morte grauior accidit consternatio, ex Regis Edicto, quo vniuersim omnes internecioni addicebantur, autore Amano. At grauior accidere Christianis deberet ex denunciatione Iudicij extremi tam horrifici.

Super quo nos

I. *De triduo Dei ac nostro.*
II. *De horrore & furore iudicij extremi, manuumq; Dei.*
III. *De ipso Iudicio.*
IV. *De Iudice.*
V. *De his, qui erunt iudicandi.*

PARS I.

De triduo Dei, ac nostro.

Triduum tyranni. I. TAmberlanes, Scytharum, Turcorumque Rex omnium sæuissimus; vt prodit *Crinitus l. 1. de honest. discip. cap. 1.* Si quam obsedisset vrbem, die primo tentoria explicabat alba: altero nigra: purpurea tertio. Indicium 1. gratiæ, si se dederent: Sin' 2. mortis plurium: aut denique 3. cædis & deuastationis omnium. Barbare ille: iuste Deus dat triduum. Prima est alba dies Natiuitatis nostræ, ac porro vitæ: & illa gratiæ. Altera atra mortis: & hæc gratiæ, simul & fati. Tertia rubra Iudicij & districtæ iustitiæ, dies iræ ac furoris Domini.

Religios. *Ludou. Granatensis* refert de Religioso; cui trium duntaxat foliorum liber fuerit, in quem tota vita incubuit; neque dum tamen ediscere se potuisse fatebatur. Folium primum erat album, beatitatis: alterum atrum, mortis: tertium rubrum, Iudicij index. Eundem hodie euoluamus.

In huius folio primo sedulus Psaltes *Dauidis.* 16. *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* 83. *Concupiscit, & deficit anima mea in atrio Domini.* 41. *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te Deus.* In secundo folio item. Psalm. 114. *Præoccupauerunt me dolores mortis, & pericula inferni inuenerunt me.* In tertio similiter, Ps. 142. *Memor fui dierum antiquorum.* Psal. 118. *A iudicijs enim tuis timui.*

PARS II.

De Horrore Iudicii extr. Manuumque Dei.

I. HOrribile audire est de orbis cataclysmo; aliaq; Dei exercita iudicia: at ista sunt ludus ad futuri iudicij rigorem; quando aquis sæuior ignis etiam *montium fundamenta comburet.* Psalm. 32. Horribilis deflagratio fuit Pentapoleos: at quis horror erit; cum vna per orbem vndique, & vndique flamma flagratura est? Interque sonabunt cœlorum fragores; terrarumque montiumque quassationes; clangores tubarum; mortalium clamores, mutorum fremitus brutorum: elementorum confusiones permistorum: & omnium conturbatio. Hæc *memorare nouissima tua: &c.*

Horum memoria si vel semel animo insedisset viuax; efficax vna foret peccatis omittendis. At quia, Psalm. 9. *Non est Deus ei in conspectu eius,* ideo *inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore*: nimirum quia *auferuntur iudicia tua à facie eius.* Quare merito Moyses, Deut. 32. *Gens absque consilio est, & sine prudentia: Vtinam saperent, & intelligerent, ac nouissima prouiderent.*

II. Prouidit, & cohorruit, qui dixit; Heb. 10. *Horrendum est incidere in manus Dei viuentis.* Cur *in manus*? Quia vna manu pœnas inflixit Deus, quas hic vnquam

intulit. Vnius manus erat diluuium *Gen.* 7. Cædes primogenitorum Aegypti : *Exod.*12. Aegyptiorum demersio : *Exod.*14. Plaga Iobi, vocantis opem, cap.19. *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei:* Cur ? *Quia manus Domini tetigit me, Horrendum est* igitur *incidere* ambas ; vt in extremo iudicio : Et quidem tum solutas: Iam nunc enim Cruci affixæ sunt, & quasi vinctæ abs Misericordia, & iustorum prece tenentur. Ideo ad Moysen ait, *Dimitte me, vt, &c.*

Quod si Moysis manus supplicantis tam graues in Synai, vt ab Hur, & Aarone sustentandæ essent: *Exod.* 17. quã erunt graues Dei vindicantis ? Iam miserantis manus sustentantur hinc ab Patientia; inde ab Misericordia. Iesu, ora pansis, vt verus noster Moyses: nam hic grauis pugna nobis est aduersus Amalecitas Dæm. Car. Mund. Nam *cum leuaret Moyses manus, vincebat Israel: si autem paululum remisisset, superabat Amelec.*

D. Hieronymus semper illam manuũ Dei solutionem prouidebat, tubæq; vocem hanc : *Surgite mortui : venite ad iudicium* pœnarum, & præmiorum æternorum.

Miramur tubas, *Iosu.* 6. 7. quarum ad clangorem muri Iericho corruerunt: Ad harum vero sonum ima cum summis mouebuntur.

PARS III.

De iudicio ipso.

Erit generale.

1. FIdes docet, futurum generale iudicium: Ratioq; euincit. 1. Nam corpus cum anima ad bonum seu malum allaborauit : cum igitur particulari iudicio sit merces adiudicata animæ; par & corpori debetur. Et dabitur hæc in generali iudicio, cum & generalis erit resurrectio, *& congregabuntur ante eum omnes gentes.* 2. Dein, vt generalis fuit creatio: ita & iudicatio erit.

Quando nesciur.

Tempus iudicij, est vnus ex articulis libri septem signaculis clausi, quem nemo in, & sub terra aperire, vel legere dignus, præter Agnum. *Apoc.* 5. Et Matth. 25. *non est vestrum nosse tempora, neque momenta.* Theologi tamen opinantur alii futurum *Media nocte*, quia tunc *clamor factus est*: Mat. 25. Alii sub vesperum. Quia Marc. 4. *Cum sero factum esset, erat nauis in medio mari.* Pars melior : fore de clara die. His concisco.

Loco quo? Ioel. 8. *Congregabo omnes gentes: & deducam eas in vallem Iosaphat, & disceptabo ibi cum eis.* Iuste: nam & ibi Dominus est iudicatus ab hominibus : estq; in meditullio terræ.

Horrificũ erit 1. ob nomina.

II. Horribile erit iudicium : Nam sic eius nomina, Iob. *c.* 14. 20. nominat diem furoris. Dauid Psalm. 109. *Confregit in die iræ suæ Reges.* Prou. 6. Diem vindictæ & vltionis, Ezechiel *cap.* 6. diem horroris. Sophonias *cap.* 1. diem calamitatis, ac miseriæ appellat.

2. Ob eam-tura.

Nec mirum. 1. Nam nil audietur, præter tonitrua : Nil videbitur, præter ignes & caligines fumorum: Niltãgetur, quod non à tactu peccatoris refugiat, vel in eum insurgat. 2. Homines fugient in deserta; feræ in vrbes, &c. 2. Momento exarescent arbores, colliquescent montes, &c. 4. Bestiæ iacebunt mortuæ, aues ruent; pisces eiicientur fœtentes, &c. 5. Et ea videbit homo, & viuet; & mors ab eo fugiet, &c. 6. Cœli moueri desinent. Torpidum iacebit solum; mare ad sidera surget: deniq; suum locum (forte) repetet proprium, terræ toti superfusum. Parua hæc.

3. Ob occulta reuelanda.

III. Caput isthoc: Peccata reuelabuntur. 1. *Tunc*, 2. Cor. 4. *illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* Heu! proh! Vah! qualia?

2. Tunc tibi, quod Nathan Dauidi : 2. Reg. 11. *Tu fecisti in abscondito : ego autem fa-*

ciam

ciam hoc in conspectu solis, 3. Nahum 3. *Reuelabo pudenda tua in faciem tuam, & ostendam gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam*: Regnis Angelorum, Diuorum, Dæmonum. Iam te come, cole, infuca, auro indue, &c. *ostendam nuditatem tuam*. Cela, excusa quæ peccas; hypocrita simula alium quam sis: *ostendam nuditatem tuam*.

Ob iratã Hamen. IV. Non semper dormiet, qui iam dissimulat Deus. 1. Tu iam quasi derides Deum, vt Cham patrem. Gen. 9. *Euigilans autem Noe ex vino, cum didicisset, quæ fecerat ei filius suus minor, ait: Maledictus puer Chanaan: seruus seruorum erit fratribus suis* Quasi amore ebrius iam Deus expectat patiẽter: at vero Psal. 77. *tanquam potens crapulatus à vino* exurget. Væ tunc impio!

2. Dies habent criticos medici; quibus ni signis se melioribus declaret morbus, actum pronunciant. Hic iudicij dies est criticus nobis: ni mores transferamus in melius, actum erit.

3. Ad eum quis nõ inhorrescet? Bombyces ad tonitru auditum emoriuntur: Et tu necesse est vt dicas, Psa. 21. *Ego sum vermis, & non homo*: Nec tantis iudicii fragoribus mouebere? 4. Psal. 106. *Vidit, & commota est terra: Et montes sicut cera fluxerunt*: Et tu ad ista stas velut marpesia cautes? Vbi sensus? vbi ratio? S. Petrus ait: *Vix iustus saluabitur*: & ego miser vbi parebo? *Quid in Babylone tutum si in Ierusalem manet scrutinium?* ait S. Bern. ser. 55. in Cant. Ibid. *Quid facient tabulæ: quando tremunt columnæ*: Et Greg. l. 17. Mor. c. 19. *Quid facient virgulta deserti: cum Cedrus percutietur?*

PARS IV.

De Iudice.

Adiuncta Iudicis. I. CVm tale iudicium; qualis Iudex erit? 1. Ps. 96, *Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius*.

2. Et *Omnes Angeli eius cum eo*. 3. Et *Sedebit in sede Maiestatis suæ*. Et *Congregabuntur ad eum omnes gentes*. 4. His ostendet Vulnera, Sanguinemque suum, qualis in cruce fuit. Hinc reprobis, heu, quis horror, dolor, furor? &c.

Hic idem tamen quãtum mutatus ab illo in cruce? 1. Qualis Daniel *cap. 6.* ante in lacu leonum: iam Principum Princeps, 2. Ante, *Gen.* 37. Ioseph venditus, vinctus: iam à Rege primus. Talis tunc Dominus, Matt. 28. *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra*. *Alius tum erit, quam fuit ante.*

Iam respice eum politice Pilate; Rex Herodiane; Iuda proditor; Iudæi, scelerati Christiani; miles iniuriose: Malcha percussor, &c. Tunc singulorum vnus erat: nunc quot politici, Iudæ, Malchæ? &c. *Visu intolerabilis reprobis.*

II Quo te excusabis? Non erat excusatio fratribus Iosephi, hoc dicente: Gen. 45. *Ego sum Ioseph frater vester, quem vendidistis in Aegyptum*: Tu quid dices, cum audies: *Ego sum*: qui talia perpessus sum; peccatis læsus expectaui vos ad pœnitentiam: *sum* Dei filius, cui *Pater dedit omne iudicium &c.* *Et voce.*

Quo fugies? 1. Si Reginã Saba, 3. *Reg.* 10. coram Salomone vox defecit, & Spiritus: 2. Si Esther, conspecta Assueri maiestate, adire extimuit: *Esth.* 4. 3. Si Daniel Angeli intuitu emarcuit, *Daniel.* 10. vt concideret; te quid fiet? 4. Ad mortalis, passibilisque vocem stare cohors furiis armata nequibat; *Matth.* 27. Tu quod? Heu, Isa 3. *Ingredere in petram; abscondere in fossa humo à facie timoris Domini, & à gloria maiestatis eius.*

III. Expauit populus ad fulgura & tonitrua Dei, legem dantis Moysi in Sinai: Exod. 19 *Non loquatur nobis Dominus*, aiunt, *ne forte moriamur*; Tu non contremisces ad ea; quæ infra, supra, circum intraque te senties? 2. Vel ipse iustus *Erit formidabilis.*

ſtus Iob aiebat : *cap.* 14. *Quis mihi hoc tribuat, vt in inferno protegas me; donec pertranſeat furor tuus?*

3. At nō ſolus infernus ſe in iudicio effundet; ſed omnia inſurgent contra peccatorem. Ah, Pſalm. 138. *Quo à facie tua fugiam? Si aſcendero in cœlum; tu illic es; ſi deſcendero in infernum, ades.* 4. Adam, *Geneſ.* 3. vnius ſolius ſibi conſcius delicti erat, *& abſcondit ſe, & vxor eius à facie Domini Dei, in medio ligni paradiſi.* Quid aget tot coopertus flagitiis peccator? Væ, væ, væ ter infeliciſſimo.

PARS V.

Qui erunt iudicandi?

INtererit iudicio SS. Trinitas. Sicut Geneſ. 18. *Deſcenderunt tres viri ad ſpectandum incendium.* 2. Intererunt Chori IX. Angelorum. Apocal. 7. *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat.* 3. Aderunt & cacodæmones. 4. Et *Congregabuntur omnes gentes.*

1. Quid, ò Deus, animulis facies baptiſmo non tinctis? Anne valebit propheticum iſtud: *Filius non portabit iniquitatem patris ſui* Adæ? Sed *omnes in hoc peccauerunt.* 2. Quid iis ages; quibus vnum duntaxat, alterumue peccatum eſt mortiferum? 3. Satin' fuerit, Cainum quinq; millibus annorum luiſſe fratricidium? Core, Dat. Aby. annis iam termillenis Satin' luerunt? diceturne iis: *Ita maledicti in &c.*

Eheu *Domine, non intres in iudicium cum ſeruo tuo.* Pſal. 129. *ſi iniquitates obſeruaueris, Domine, Domine quis ſuſtinebit?* 1. Domine memento, quod Ioſeph remiſit fratribus, *Gen.* 49. & non recordatus eſt iniuriæ. Ita fac cum ſeruo tuo mecum in bonitate. 2. Fac vt Dauid, qui rex appellatus, omnibus remiſit iniurias. O radix Dauid *Ieſu pie recordare, quod ſim cauſa tuæ viæ; ne me perdas illa die.*

FERIA III. POST DOMINICAM I. Quadrageſimæ.

Intrauit Ieſus in templum Dei, & eiiciebat omnes vendentes.

Mat. 21.

MOyſes, *Exod.* 32. deſcendens è Sinai, comperta populi idololatria, comminuit idolum, deditq; puluerem cunctis potandum; & pluſquam tria hominum millia interfecit. Ieſus è cœlo deſcendens *vidit quod eſſet multa malitia hominum*, etiam in loco ſancto, *Intrauit: eiecit omnes, &c.*

Nos circa idem

I. *De ambitione, & auaritia.*
II. *De Templo.*
III. *De ementibus, ac vendentibus.*

PARS I.

De ambitione, & auaritia.

1. TImon Philoſophus, μισάνθρωπος dictus, malorum principium eſſe auaritiam, ambitionemque docebat. Nec aberrabat. 1. Nam hæc Angelos, & protoplaſtas, cœlum, & paradiſum corrupit: Iſta Iudam, Epulonem, & innumeros perdidit. 2. Per duos exploratores, *Ioſ.* 2. apud Raab latitantes, Iericho direpta, & euerſa fuit. Ita per duo iſta, apud mundum pellacem commorantia, prædæ fit genus humanum cacodæmoni & Orco.

1. Hæc malorum ſunt principia.

2. Omnis euerſionis cauſa.

3. Sunt ea duo ſenes, *Dan.* 14. in pomerio Suſannæ, Eccleſiæ, abditi ad furta venerea: neque ſat agnoſcuntur, niſi in extremo iudicij actu. 4. Vtque Satan Dominum ad pinnaculum templi euexit præcipitandum: ita ambitio multos ad Eccleſiaſticas dignitates. Agrippinæ, filium Neronem promouenti ad imperium, cum Aſtrologi dicerent, eam à filio oc-

3. Exitu infœlicia.

4. Euolant vt ruant.

5. Interitū præſciunt, & temnūt.

lio occidendam fore, ait. *Occidat, dum imperet.* Adeo ardebat ambitione.

Ad mala omnia viâ patefiant.

II. Sed infœlix anima: Matth. 16. *Quid prodest homini, si vniuersum mundum lucretur; animæ vero suæ detrimentum patiatur?* 1. Philistæi, *Iud.* 16. excæcatum Samsonem nouis funibus constrinxere. Ita dæmones excæcatum ambitione & auaritia, trahunt in alia omnia. 2. Ac demum, vt Iudæi Iesum crucifixerunt inter latrones: ita animam ij inter hæc duo vitia, in mundi monte Caluariæ. Quæ duo sunt monstrata in iis, quos Dominus *eiecit Ementes & Vendentes.*

PARS II.

De Templo.

I. VOx, *Templum*, æquiuoce ponitur in Scripturis. Pro Salomonæo: Psalm. 5. *Adorabo ad templum Sanctum tuum.* Pro Corpore: Matth. 27. *Possum destruere templum hoc.* Ioann. 2. *Soluite templum hoc.* Similiter vox *Domus*: Pro cœlo. Psalm. 121. *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus.* Pro B. V. Maria. Vt Psal. 64. *Domum tuam Domine decet sanctitudo.* Hic accipitur pro loco orationis, seu Salomonæo.

Ecclesia. Ejs Domus.

1. Ecclesia autem vere Domus est; cuius fundamentum Christus, ostium fides, parietes fideles, cœmentum charitas, custodes concionatores. Hæc est ea, quam *Sapientia ædificauit sibi Domum, excidit columnas septem,* &c. Prouerb. 9. Extra eam igitur sunt, quicunque Scripturam non habent, nec agnoscunt. 2. Thronum, 3. *Reg.* 10. construxit Salomon de *Ebore, & Auro,* & duodecim *leunculi* in gradibus sex eum supportabant. Is, est Ecclesia *fortis, formosa; Apostolica.* 3. Ea Tabernaculum est; Ps. 18. *In sole posuit Tabernaculum suum:* vt nemini sit inuisibilis. 4. Ea est *Turris Dauid, ædificata cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, & omnis armatura fortium.* Insuper & in petra est. Matth. 16. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.*

2. Thronus.

3. Tabernaculum.

4. Turris Dauidica.

II. 1. Altitudo eius in cœlos assurgit; nam filij eius Angeli ac Diui, qui supernam: & homines viui, item & mortui purgatorij, qui inferna hæc incolunt. Sicut Arca Noe, *Gen.* 7. Animalia munda superne: inferne immunda habitabant. 2. Latitudo eius orbene toto concluditur? Imo nec cœlis ipsis terminatur. Supra hos fertur, seque Seraphinis miscet. De terra Psalm. 2. *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* 3. Profunditas eius ad inferos purgantis ignis vsque descendit: Atque ita Philip. 2. *In Nomine Iesu omne genu flectitur, Cœlestium, Terrestrium, & infernorum.*

Ecclesiæ extensio.

4. Armatura eius sunt Virtutes Theologicæ tres, Cardinales quatuor: Dona S. Spiritus septem; Beatitudines octo; Consilia Euangelica tria, Decalogus, Symboli Articuli 12. &c. Adhæc Isai. 7. *Mons est in vertice montium:* Psalm. 88. *in montibus sanctis fundatus.* Aedificare hunc cœpit Adam; compleuit Iesus.

Armaturæ.

Sicut, 3. *Reg.* 5. Dauid, *vir sanguinum,* cœpit Templum, materiem congerendo: at Salomon ædificauit.

Origo & Perfectio.

III. Quid metuat igitur vel hæreses, vel tyrannos? Facta est, vt hi in eam impingant; ac colidantur. 1. Ad hanc Petram insani maris fluctus decumani illisi franguntur, dissipantur.

Firmitas.

Illa stat interea veluti Marpesia cautes.

2. Atque velut elementa quatuor, etsi naturæ Vniuersique ministra; ad ipsam tamen corrumpendam quasi certatim incumbunt. Nam cœlos ignis calore, aer vapore, terra memphiti, aqua exhalatione diuexat: At nequicquam. Vnum ridet omnia cœlum. Ita Ecclesia Mundum, carnem, dæmonem, hæreticos. Ps. 128. *Sæpe expugnauerunt me a iuuentute mea: etenim non potuerunt mihi.*

Simile.

Crescit adversis. 3. Vna exibat procella domum euertere Iobi, *Iob.* 2. suoque cumulo esse domesticis tumulo. At Ecclesia vim, fraudemque & omnia temnit. 4. Vt Arca diluuium, cœlique furias irati, & iniurias nec tanti: Quin mage Gen. 7. *factum diluuium, & multiplicatæ aquæ eleuauerunt Arcam in sublime à terra. Porro arca ferebatur super aquas.* Ita Ecclesia superfertur aduersis, & altius extollitur, vt ad quam aspirare non queant.

Exemplum singulare. Initia quantum pressa Christo patiente? Vna Mater Iesu stabat immota fide: & Fides in sola ea stabat. Heu! ad quam arctum res redierat? At, simul in altum. Nunquam in terris purior fuit Ecclesia; quam cum in fide perstaret B. Maria sola: & in B. Maria Ecclesia.

Ecclesia est in qua Deus vere commoratur, etsi, nisi in ænigmate, non videatur. Plena est sanctitatis. Vnde *credimus sanctam Ecclesiam.* Et Dominus: *Domus mea domus orationis vocabitur.*

PARS III.

De ementibus, & vendentibus.

Zelus contra peccantes in templo. I. *Eiecit ementes, & vendentes.* Hæc ira est. Alibi nusquam iratus fuisse legitur Dominus. At cur hic? Num alibi, in Samaria, Iudæa, Aegypto maiora non videret mala? Quod hic videbat; Simonia erat: Et hæc in templo committebatur: Extra hoc, cætera. Proinde, Psal. 62. *Zelus domus tuæ comedit me* Iesum. 1. Qualis Moysen, *Exod.* 32. quando ob adoratum vitulum tot millia contrucidauit. 2. Qualis Eliam, 2. *Reg.* 10. quando quadringentos Baalitas interficiiussit, populi ad idololatriam seductores. Hi iuste zelati: iustius Dominus. Discant hinc & suescant Præsules sacri, è medio tollere scandala templi.

Quales sint Simoniaci. Sed & qui sunt *vendentes*? 1. An qui venundant sacros Ordines? Beneficia? ipsaque Sacramenta? Qui bona dilapidant Ecclesiastica? 2. Qui canes palam, & caballos; clam lupas alunt & parasitos? O tempora! O Ecclesiarum carcinomata! Ista *ejicite* imitatores Domini ac Zelatores pij.

Iudæ nouæ, & Sacrilegi. 1. Obmutescat vox illa Iudæ in Ecclesia? Matth. 26. *Quid vultis mihi dare; & ego eum vobis tradam?* Hoccine in templo? Hæ furum, hæ latrunculorum, hæ crumenisecarum sunt nundinæ. 2. Quid? In Eccle. sia, ex mensa Dominica, mensa fiet nummularia? O sacrilegia! 3. Quæ ne vel in profanissima gente tolerantur, ea ab Clero, in templo, pro officio sacro designabuntur? O nundinatores templarios! Quod par, aut dignum istis *Flagellum?*

Historica.

Plerique asini. II. Nec est hominum illa; sed asinorum nundinatio. 1. Dictum celebratur Philippi, & Regis Macedonum; locus inexpugnabilis nullus est; modo asinus auro onustus eum subire possit. Ita nullus est inimpetrabilis Episcopatus, Prioratus, &c. pecuniæ. 2. Vt acu rem istetigisse videatur, qui dixit: *Beneficia equi currendo petunt, ac promerentur: sed asinus ea conferuntur.*

Immeriti. 3. Quid, Magistri, frangitis vos in doctrina? Omnia impetrat pecunia, & gratia. 4. Docet Theologia, prædestinationem sine vlla meritorũ fieri præuisione. (Fas sit dicto:) Ita & hodie beneficiorum collationem fieri, docet experientia. 5. Facessite igitur Theologi, de meritis disceptare: Beneficia dantur aulicis, & immeritis; & ad status fastum; non ad Dei cultus profectum.

Ab Deo flagellati. Infœlices nummularij; non Ecclesiastici! Non intelligitis, emendo vos reddi inhabiles ad fructus digne percipiendos? Sed & ipse Dominus *flagellum* in vos vibrabit: vos eijciet, væ, quo? *Non erit negotiatio in domo Domini.* Zach. 14.

Exempla Biblica. III. Exemplis moniti discite non diuendere

uendere sacra. 1. Balthasaris pater, *Dan.* 5. Salomonæum spoliauit vasis sacris: post, nec diu, filius spoliatur regno. 2. Giezi, 4. *Reg.* 5. clam ab Naaman accepit pecuniam: Sed & eiusdem lepram; hancque hæreditariam. 3. Simon Magus, *Actor.* 8. Miraculorum empsitare vult ære gratiã: & mox perdit vitam. 4. Iudas, *Matth.* 26. vendit Dominum: & incurrit laqueum: perdit cum anima pretium, & cœlum: ruit ad orcum. 5. Ieroboam, 3. *Re.* 13. summum profanat Sacerdotium, ad id prouehendo ineptos: & omnis eius posteritas deletur in perpetuum. Videtis vestrum exitum; qui istorum imitamini sacrilegium?

IV. 6. Testis est Niceph. *Eccl. hist. l.* 11. *c.* 33. Constantinum iuniorem Imperatorem Sacerdotia vendere solitum; in phrenesin demum incidisse, perisse. 7. Testis Martinus Polonus *li.* 4. *Chro.* Hildebrando in Galliam à Papa misso ad inquisitionem contra Simoniam exterminandam; obuenisse Episcopum Simoniacum; quo coemtos afferente testes, Legatus ait Apostolicus; mittamus humanum iudicium. Ad S. Spiritum hæc pertinet disceptatio; cuius beneficia sunt Ecclesiastica. Age, si canonice sis electus Episcopus; canta nobis, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto.* Hic is incessente animum metu orditur *Gloria Patri, & Filio:* at hic vox faucibus hæsit: tentat, retentat; versum perficere nequibat. Quia Simoniacus in S. Spiritum peccat. Estque qualis Esau, *Gen.* 25. venditor primogenitorum? quibus annexum erat Sacerdotium. Ita qui emunt beneficia, quique vendunt sua Sacerdotia.

8. Cambyses, Rex Persarum, Iudici fallitatis conuicto, pellem detrahit: tribunal ea obducit: filio Otani in exemplum, vt iusta decernat: *Herodot. l.* 5. Ita Exedras, quas occupatis in Choro, cathedras in Episcopio intueamini Simoniaci; adhuc calent à statione vestri similium: at qui iam decesserunt. Et cuius sunt, quæ corraserunt? Et quales olim fuere viri, quam sancti; qui eas dem sedes exemplis, miraculis, aut sanguine sæpe suo obduxerunt? O templa quam dispari nunc clero incolimini?

Perora. Aut vos Zelatores pij eijcite hoc malum è medio vestri: aut Domine illos tu eijce è templo sancto tuo. Sicut idololatram Ismaelem eiecit domo Abraham. *Ge.* 25. Et vt Iacob spoliauit Esau benedictione primogenituræ; ita illos tu honore, & perfunctione Sacerdotij.

FERIA IV. POST DOMINICAM I. Quadragesimæ.

Generatio praua, & adultera signum quærit: & signum non dabitur ei, nisi Ionæ Prophetæ.

Matth. 2.

PHarao, *Exod.* 7. Moysi ab Deo se missum affirmanti, ait, *Ostende signa.* Ita hodierni Pharaones experiri cupientes, an Iesus esset Deus de Deo, aiunt: *Volumus à te signum videre.*

Nos circa idem

I. *De signis Dei, seu miraculis.*
II. *De signo Ionæ, quod sit.*
III. *De signis Catholicorum.*
IV. *De signis Nouatorum.*

PARS I.

De signis Dei, seu miraculis.

Miracula est Dei indicium.

I. NIhil est in rerum natura, quo propius Deum velut inspicimus; quã videre, quod vel præter consuetum, vel supra rerum ac naturæ ordinem contingit, qualia sunt miracula, & signa. 1. Vtque scintillæ excussim absistẽtes sub ictu

Exempla. fabrili, certum dant ignis indicium: ita signa, Dei. 2. Sareptana vidua, 4. *Regum* 17. resuscitatum videns filium ait: *Nunc in isto cognoui, quoniam vir Dei es tu; & Verbum Dei in ore tuo verum est.* Ita quis non diuinum quid cogitet, cum audit; Iosuæ. c. 10. ad iussum stetisse solem: Matrem esse Virginem: Corpus solidum vndis inambulasse: *Marc.* 6. Fornacem, *Dan.* 3. nil vsisse pueros tres.

Nam est solius Dei. II Tu es Deus, *qui facis mirabilia magna solus.* Psalm. 135. Quia *tu solus Dominus* naturæ, & creaturæ. Potes quod hæ; & supra. 1. Valet natura edere monstra; quia potest deficere: at non miracula; quia suas nequit vires excedere. Ecclipses, tonitrua, fulgura, caumata, & chasmata cœli, maris Euripos, terræ monstra &c. defectus naturæ patientis sunt argumenta. 2. Et dæmones multa possunt & magna; sed naturæ turbamenta; aut ludibria; vera supra naturam nulla. Mirabilia valent: non miracula; qualia Iesus in Euangelio.

3. Hinc *S. Augustinus libr. 4. de vtilit. credendi. cap. 17. & lib. contra Epist. fund.* ait, se vinculis miraculorum in Ecclesia detineri. 4. Rich. à S. Victor. libr. 1. de S. Trin. cap. 2: *Domine, si error est, quod credimus; à te decepti sumus. Nam ista in nobis tantis signis & prodigiis confirmata sunt; & talibus, quæ nonnisi per te fieri possunt.* 4. Nam miraculum quid est, nisi testimonium Dei, & naturæ Domini? Est quod hodie à Iesu poscitur: *Magister, volumus à te signum videre.*

PARS II.

De signo Ionæ, quod illud sit.

Signa petunt duplices Dei tentatores: 1. Obdurati peccatores; *gens mala & Hæretici; adulteræ.* Nam vtrique sunt Ismaeles eiecti, ancillæ filij; qui contractum in baptismo, cum casta Susanna Ecclesia, matrimonium polluunt, cum lena hæresi consuescentes.

Obdurati quidem peccatores, sententiam in se habentes damnationis, ac inde conterriti Deum tentant; vel, num verus ab eo pœnæ metus: vel an veniæ sit locus. 1. Ita iustus latro suæ iustificationis signum petiuit, esse in paradiso. *Necessaria significatio peccatori.*

2. Cum autem ex profundo peccati emergere nemo queat, absque miraculo; ideo, quoties exire peccato quis cupit, miraculum poscit.

3. Lazarum, *Ioann.* 11. suscitari mirabantur, & iure omnes: at Magdalenam esse conuersam, pauciores; imo potiores etiam scandalizabantur: cum tamen huius conuersio miraculum maius; quam illius fuerit suscitatio. Quod enim in illo fœtente, ligato, &c. factum corporaliter; id in anima peccatrice spiritaliter gerebatur maiori potentia, & bonitate placati Dei, quam ibi hominis extincti. *Eius figura.*

1. Miraculum: *Iosu.* 8. muros Iericho ad clangorem tubarum corruisse. Maius; ad vocem Sacerdotis vnicam dissolui muros peccatorum, quæ legi naturæ, Dei, rationi, conscientiæ obsistebant. 2. Quanta sunt patrata, ad vnum Pharaonem emolliendum. vt daret Deo locum? Quot fiunt conciones, exempla, inspirationes ante, quam peccator conuertatur: cum vel solo nutu ac verbo vel totus orbis fuerit conditus? *Miraculi verum est conuersio peccatoris.*

Quare euenit peccatoribus, quod Israelitis. *Genes.* 46. In Aegyptum descendebant, opinati triennio longius haud inibi se commoraturos, at quadringentis annis hæserunt; mortuique sunt omnes, nec educti posteri, nisi in manu forti miraculorum, *Exod.* 9. & 14. Typus hic peccatorum est: Signum quærunt Tales. *Est difficillimum.*

II. *Sed non dabitur eis, nisi Ionæ*, id est, internum spiritale animæ; non externum naturæ. Nimirum, *Pœnitentiam agite.* 1. *Pœnitentia est signum digitii Dei.*

Nec

Nec aliud Niniuitæ habuere, non Dauid, non Magdalena aliud. 2. Hoc pœnitentiæ signum à Deo poscere, necessarium est: Ista diffidentiæ signa non dantur impiis. Quales autem, proh! & quot hodie, qui tacite secum non crédunt, vt Poeta canit,

Esse aliquos Manes, & subterranea regna.

Deum, esse signum.

Nam, vt Psalm. 13. *Dixit insipiens in corde suo; non est Deus.* Ore non id quidem audent: Reclamant enim omnes creaturæ: Psalm. 94. *Quoniam ipse fecit nos, & non ipsi nos.* Non credis esse tartarum, & pœnas inferorum? Huius signum postulas? Dabo, quod Isaias, *cap.* 7. Regi Achaz: *Pete tibi signum à Domino Deo tuo, in profundum inferni, siue in excelsum supra.* Vide cœlo pulsos extorres Angelos, inque abyssum relegatos. Audi clamantem, Luc. 16. *Crucior in hac flamma.* 3. Ecce absorptos humo Core, Dathan & Abiron. *Numer.* 16. 4. Ecce incendium Pentapoleos, *Gen* 19.

Signum, ipse prouidentiæ Dei, nutrientis omnes.

III. Sunt porro, qui de Dei addubitant prouidentia, quærunt signa; Psalm. 4. *Quis ostendet nobis bona?* Eritne vere Deus, qui Angelorum, hominum, inferorum gubernet prouincias? An casu, naturæue ista necessitate, seu quo fato fiunt omnia?

Deut. 32. *Interroga patres tuos, & dicent tibi.* Quæ? 1. Etiam, 3. *Reg.* 17. in deserto pastum à coruo. 2. Danielem, *cap.* 14. in leonum lacu abs Abacuc, in Babylonem translato ex Iudæa per Angelum.

3. Israelitarum sexcenties millia cibatorum manna in deserto annis 40. Exo. 16. *Quadraginta annis proximus fui generationi huic.* Psalm. 94. Et adhuc de prouidentia Dei dubitabis? 4. *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda, sicut in exacerbatione, secundum diem tentationis in deserto: vbi tentauerunt me patres vestri: probauerunt & viderunt opera mea.*

IV. Sed quid signis opus aliis? Ionæ accipite. 1. Is ventre, & mari conclusus, sperare tamen non destitit. Ion. 2. *Ego dixi, abiectus sum à conspectu oculorum tuorum, verumtamen rursus videbo templum sanctum tuum.* 2. Nec in leonum lacu, Daniel *cap.* 14. Nec *Genes.* 39. Ioseph in carcere spem abiecit. Psalm. 36. *Spera in Deo, & fac bonitatem.* 1. Reg. 2. *Ipse enim deducit ad inferos, & reducit.* 3. Ipse, *Matth.* 27. Dominus vltima quæque passus, post triduum resurrexit in gloriam. Signum ecce Ionæ. 4. Dixit filia Sion, Isaias quadragesimo nono. *Dereliquit me Dominus, Dominus obliuius est mei:* At continuo subiunxit Dominus: *Nunquid potest mulier obliuisci infantem suum? Et si oblita fuerit; ego non obliuiscar tui.* Iesu Tu altius nos animo impressos geris, quam corpori tuo tua vulnera; qui igitur obliuiscere nostri?

Signum spei in peccatis.

PARS III.

De signis Catholicorum.

I. ET hæretici signa quærunt. Clamant; affirmatis Papistæ realem Christi in Eucharistia præsentiam: Lucæ 23. *Non credam; nisi videro. Volumus à te signum videre.* 1. Ita & vulpes olim Herodes *sperans se signum aliquod videre*: at hoc non facto, *spreuit Iesum.* 2. Ita & Iudæi, Matth. 27. *Si filius Dei est, descendat de cruce, & credimus ei.* 3. Ita & Sacramentarij, signum quæritis præsentiæ Eucharisticæ?

Signa Eucharistica.

Dabo sexcenta. Figuras V. T. Prophetias: Dicta, Facta Christi, Apostolorum, Ecclesiæ, SS. Patrum, Miracula, &c. Tantum, *Ps.* 118. *reuela oculos tuos,* & dic, *considerabo mirabilia de lege tua.* Pertinaciam exue, crede, Psal. 110. *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus; Escam dedit timentibus se.*

Orthodoxis non opus est signis.

II. Occlamas? Nullum in Papatu miraculum editur amplius. Fac ita esse; neque do tamen. 1. Opus nego miraculis esse, tum Fide iam sic clarente: tum ante

signis tot confirmata : tum hæreticis & obstinatis ad obsistendum veritati ; vbi non erant ethnici. Quo his deteriores estis. 2. Centuriatores vestros consulite, ex sæculo in sæculum miracula enumerauerunt, ad vsque vndecimum, & tamen quo ijs facti sunt saniores? 3. Neque vero miracula fiunt ad fidem constabiliendã ; sed ad Dei potentiam & gloriam declarandam.

Ionæ signũ eis sufficit. 4. Adde, qualia sunt miracula ipsa Sacramenta? D. Thom. 1. 2. quæst. 113. *Iustificatio, & remissio peccatorum maximum opus Dei.* Sed quia sunt ea quotidiana ; minus accidunt admiranda. Ionæ igitur accipite signum. Sin', omnes similiter peribitis, vt Niniue perisset.

PARS IV.

De signis Nouatorum.

Non missi currũt hæretici. I. ATà vobis nos iam *volumus signum videre*, Caluiniani ; Dicite, ait Tertul. libr. de præscript. hæres. *Qui estis vos? Quando venistis? & vnde venistis ? Quid facitis inter nos* ? Caluine, da signum Missionis tuæ. An id lilium est tergori inustum tuo? Esto?

Simileeorũ audacia. 1. Nefas cuiquam iniussu Regis, aut terræ Domino non permittente in alieno Dominio militẽ conscribere, tuba, tympanoque sonare: Et tu audes in Ecclesia? Quod das signum? Et quam fecem contrahis hominum qualium ? Reus læsæ Maiestatis es: & Diuinæ quidem.

Signa dent necesse est. 2. Dicis. At *Non sufficit*, ait Innocent. III. de hæres. cap. cum ex iniuncto : *quod quisque dicat, se esse missum à Deo. Hoc enim omnes hæretici iactitant. Sed oportet suam missionem probare per miracula.* Quid aliunde venit, quam per ostium , & inconsueta profert paradoxa ; is & inconsueta eda, opera necesse est. Nec enim dicta solum ; sed facta fidem faciunt. Nos iam sueta diu, testataque docemus.

II. Elias Baalitis insuetum persuasurus, 3. *Reg.* 18. orat, & ignis cœlo ruit, vorax omnium. *Explanecessitatis.*

2. Deus legem daturus incognitam, insueta edit tonitrua, fulgura elidit : Exod. 18. *Ecce cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes densissimæ operire montem, clangorque buccinæ vehementius perstrepebat.*

3. Moyses suam à Deo missionem in Aegyptum, quot signis attestabatur? *Exo.* 4. Nec ipsi Hebræi sat illi credidissent absque ijs, minus Aegyptij.

4. Danielem, *c.* 14. dono miraculorum Deus donauit , mirificeque seruauit in flammis, in bestiis : scilicet vt Senum par nequam conuinceret ; & Dei veri seruũ se condoceret

5. Iesus ipse sic venit, & docuit ; vt dicere posset, Ioann. 10. *Opera, quæ ego facio, ipsa testimonium perhibent de me.*

6. Satan nosse auebat, verene DEVS esset IESVS ; Matth. 4. *tentans ait : Si filius Dei es, dic, vt lapides isti panes fiant.*

7. Ad Iesum venientibus scisitatum, Matth. 11. *Tu es qui venturus es ; an alium expectamus ?* Respondetur : *Ite, dicite Ioanni: Cæci vident: Claudi*, &c. Proba hæc vel ipsi Iesu necessaria fuit : quanto magis Caluino?

Miracula hæreticorũ qualia. III. Tertullianus libr. de præscript. hæret. requirit à Gnosticis ita: *Probent, se nouos Apostolos esse. Volo virtutem eorum qua Apostolos in peruersum æmulantur. Illi enim de mortuus suscitant: isti de viuis mortuos faciunt.* Præsagisti, Tertulliane, Caluini miracula; qui nec viuum nouerat suscitare ; at reddere mortuum poterat infœlix veterator. *1. Viuos occidere.*

2. Audite de fæce vestra Erasmum in diatriba sua de liber. arbitr. *Non credebatur Apostolis , nisi miraculis fidem astruxissent doctrinæ : nunc quilibet sibi postulat credi, quod affirmat, se habere spiritum Euangeli-* *2. Nec eũ sanare.*

angelicum. Apostoli quoniam excutiebant viperas, sanabant ægrotos, excitabant mortuos; ita demum creditum est paradoxa docentibus. Nunc, cum iuxta communem opinionem asserant pene παραδοξότερα, nullus adhuc illorum existit, qui vel equum claudum sanare potuerit.

3. Lutherus in Psalm. 44. ita se purgat. *Obiiciunt Papistæ, fidem me meam, & doctrinam miraculis non confirmasse. Quibus respondeo; hoc maximum esse miraculum, & maius miraculis vnquam factis; quod doctrina mea tam breui tempore sine vllo miraculo se dilatauerit.* O frontem! *Tantum hoc miraculi habet, quantum lapides deorsum tendere*: aiebat olim Thomas Morus Angliæ Cancell. Nam in mala proni natura, fiunt tua proniores doctrina, Luthere, &c.

4. Callista, Atheniensis lupa, pellectis pletisque Philosophiæ studiosis, aiebat Socrati. Ecqui fit, quod omisso ludo ac magistro me sectentur adolescentes tot; nec item te? Cui ille. *Tu ad voluptates decliuia, ego ad virtutis ardua traho.* Mahometis vox erat: *Christus fidem miraculis stabiliuit: ego armis*: At vos hæretici, *Voluptatibus ac lientiis.*

Sed quid vel nos ab iis signa exquirimus, cum esse pseudoprophetas plus luce constet: vel à nobis ipsos requirere audimus, cum nec Christi sat credant miraculis? Facessite pestes.

Perora. Ergo signum Ionæ quæratur ac vsurpetur vtrisque peccatoribus, & hæreticis. Nam tu, Domine, *non vis mortem peccatoris: sed magis vt conuertatur ac viuat.* Ezech. 33.

* * *

FERIA V. POST DOMINICAM I. quadragesimæ.

Vt infra Sabbato.

Assumsit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos. Luc. 9.

MOyses descendens è monte, legem acceptam promulgaturus ad populum, ita vultu resplenduit; vt populus sustinere oculis non posset. Ita Iesus è cœlo descendens, vt se Dei Filium publicaret, cum lege gratię; resplenduit hodie transfiguratus.

Super quo nos

I. *De cœlesti Beatitudine.*
II. *De Transfigurato, eiusque partibus per Figuras declaratis.*
III. *De Transfiguratione Similibus declarata.*
IV. *De cœlesti altitudine.*

PARS I.

De cœlesti beatitudine.

I. QVid beatitudo? 1. Dico cum Simonide Philosopho; qui Hieronityranno Syracusano sciscitanti, Quid esset Deus; cogitandi triduum postulauit: dein plus; iterumque amplius: demum respondit. *Quanto considero amplius: tanto mihi res videtur obscurior.* 2. Certe Aug. in sermon. quodam inquit: *Excedit facultatem eloquentiæ meæ, transcendit capacitatem intelligentiæ meæ illud decus, illa gloria, illa celsitudo* 3. Chrysostomus, Orat. de rep. sap. *Effugit omnem sermonem, atque omnem sensum humanæ mentis gloria illa & magnificentia.* 4. Apostolus 2. Corinth. 2. *Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ Deus præparauit diligentibus se.*

1. *Ea est incōprehensibilis.*

Atque

2. Admiranda. Atque vt duo Cherubini *Exod.* 25. cum stupore, passis alis Propitiatorium intuebantur: ita stupere contingit beatitudinem contemplantibus & hominibus, & Angelis. Tanta enim est, vt neget D. Thomas, Deum quicquam maius condere posse. Nam ipse est ea ipsa.

3 Summe amanda. II. Quid de hoc dixisses, M. Tulli, qui de virtute affirmabas; *tantam eius esse pulchritudinem, vt si oculis cerni posset, admirabiles sui amores excitatura foret?*

4. Deo pro ea seruiendum. Iacob forma Rebeccæ adeo captus fuit, vt *viderentur illi pauci dies* seruitutis suæ, *præamoris magnitudine.* O nos si vel vmbram beatitudinis caperemus; quam nos Dei seruitio impense dederemus?

5. Pugnandum. Visa Iuditha speciosissima ministri Holofernis aiebat: Iudith. cap. 10. *Quis contemnat populum Hebræorum, qui tam decoras habet mulieres: vt non merito pro eis pugnare debeamus?* Hæc militis Christiani vox esto, parati omnia perpeti pro cœlesti Iuditha.

6. Perferēda omnia. Caleb, *Num.* 15. sexcentorum millium Dux virorum, vt hos ad terram promissam animose inuadendam incenderet, botrum vnum, fertilitatis specimen eis ostendit. Hic vero mox omnes, *Ascendamus*, aiunt, *& possideamus terram illam.* O si aliquem gustatum supernæ gloriæ subinde perciperemus animis; quo non zelo cœlum inuaderemus, & vel violenti id raperemus? Quo passu, vel cursu desertum hoc mundi, ac mare rubrum peruaderemus? Qua & fuga, & pugna vteremur aduersus Pharaones tres Aegyptios Carnem, dæmon. Mundum? Præuideamus igitur mente cœlestium felicitatem; cuius radium vidit in Thabor Petrus, & dixit: *Domine, bonum est nos hic esse.*

* *
*

PARS II.

De Transfigurato, eiusq; partibus, Anima beata, & Corpore passibili, per Figuras declaratis.

I. Figura transfigurationis. MOyses, *Exod.* 3. rubum vidit ardentem, & incombustum: Eliam, 4 *Reg.* 2. vidit Elisæus curru igneo sublimem asportari. Vtrq; figura est Transfigurati; cui & vterque adfuere. Rubus est mortale corpus; ardor erat gloriæ splendor & immortalitatis, qua mortale induebatur: imago futuri status nostri. O si curru isto gloriæ sæpius nos rapi cōtingeret in cœlestium consideratione positos; quam cito & terrena fastidiremus; & anima quanto splendore conuestiretur?

Beata sem. per fuit Christi anima, non corpus. Sed, qui iam emicare splendor in Christo vnus est, beatitudinis erat: qua quidem anima eius, parte sui superiore, semper fruebatur, ob vnionem hypostaticam: non tamen corpus. Nam hoc ad patiendum assumserat: atqui

Non est conueniens luctibus ille color gloriæ

Corpus aptum sibi ad patiendum. Figura vtriusque T. Dauid. II. Sicut, 1. Reg. 17. *induit Saul Dauid vestimentis suis, & imposuit galeam æream super caput eius, vestiuit eum lorica. Dixitque Dauid ad Saul: Non possum sic incedere: & deposuit ea & tulit baculum suum.* Ita Dominus in corpore glorioso nec pati, nec vincere potuisset: itaque soli animæ indulsit gloriæ fruitionem; corpori detraxit; idque in habitu pastoritio nostro in arenam pugnæ produxit. Qualis 3. *Reg.* 22. Rex Israel habitu mutato in aciem descendebat.

2. Samson. 2. Ratio. Quia, vt omne Samsonis robur in crinibus eius consistebat: ipso teste: Iud. 16. *Si rasum fuerit caput meum, recedet à me fortitudo mea, & deficiam, eroque sicut cæteri homines.* Ita fundamentum passionis ac meriti in humana fragilitate con-

consistebat. Ergo oportebat caput hoc nouacula passionis radi, atque tum glorificari. Cæteroquin nequiuissemus saluari. Nam Passio eius, non glorificatio saluos nos fecit.

3. Aquæ maris & Iordanis sistentes cursum.

3. Itaque, *Iosu.* 3. Arca fœderis Iordanem intrauit; Christus Passionem, vel corpus patibile; vt in promissionis terram Israelitæ Fideles introducerentur: *& steterunt aquæ descendentes in vno loco, & ad instar montis intumescentes apparebant*: id est allegoricῶs; visio gloriæ beatifica in parte animæ superiore constitit. *Quæ autem inferiores erant*, corporis passibilis, *in mare* passionis *descendebant*.

4. Fontes Bethuliæ.

4. Holofernes Bethuliam obsidens, quo citius expugnaret, Iudith. 7. *constituit per gyrum cētenarios, per fontes singulos, & incidi præcepit aquæductum eorum.* Ita Dei Filius factus homo, gloriæ fontes obsedit & obstruxit, neu in corpus deflueret, natum passioni: quo expugnaret carnem, mundum, dæmonem, cœlum. Sic & Rex Ezechias, 2. *Paral.* 32. obturauit superiorem fontem aquarum Gihon, & auertit eas subter ad Occidentem vrbis Dauid. Ita, ait Aug. Epist. 36. & D. Tho. p. 3. q. 45. a. 7. *dispensatione quadam diuina factum est, quod gloria animæ non redundaret in corpus: Vt in corpore passibili nostræ redemtionis expleretur mysterium.*

PARS III.

De Transfiguratione similibus declarata.

Figuræ a lia transfigurationis.

I. SE tamen hodie Beatitatis illud mare effudit in corpus, vnde suspendebatur iam diu: quo per id nos ex mundi Aegypto traduceremur. Nam Dei virtute per Vnum Hominem liberatus est omnis homo. 1. Itaque hodie illud mare rubrum suspensum rediit ad debitum cursum. *Exo.* 14. 2. Hodie sol gloriæ, *Ios.* 10. qui stetit in axe iussu Iosuæ; cursu iuit suo adusque antipodes corporis Iesu. 3. Hodie ecclipsis illa quæ tribus & triginta annis iam durarat, exiit; solque gloriæ per corpus transparuit.

Miraculosa fuit. Simile.

Miraculum nemo non diceret, si vitro sol inclusus per id tamen non traluceret. Ita, quod annis tot gloria diuina in Corpore Iesu non resplenduit; miraculum est: Quod tamen in mortali corpore se immortalitatis gloria ostendat, & ipsum hoc miraculum est.

Admiranda & veneranda est.

II. Magis id igitur veneremur, quam perscrutemur: & psallamus ei, *Ps.* 103. *Dominus regnauit, decorem indutus est.* Quoniā Cant. 5. *Ecce dilectus tuus*, ò Ecclesia sponsa, *candidus & rubicundus, electus ex millibus.* Nam μεταμορφώθη ἐμτίφοσθεν αὐτῶν, id est, ait hæreticus *transformatus est*: Vah! at Catholicus, *transfiguratus est*: Rectius: nam figura solum exterior, non substantialis forma mutationem accepit.

Omniformis Christus fuit.

1. Diuinus es Chamæleon, Iesu, omnem refers colorem: Diuinitatis in anima: paupertatis in mundo: infirmitatis in corpore, humilitatis in cruce. In cœlo gloriosus, in Sacramento adorandus, ac vescendus. 2. Physici aiunt, materiam primam in potentia esse ad formas omnes. *Arist.* 1. *Phys. c.* 5. Vere corpus Christi est materia prima, omnis formæ capax. Nam Heb 1. *Est figura substantiæ Patris.* Et Philip. 2. *Est formam serui accipiens.* Et in Thabor formam habet gloriosi; latronis in cruce: victoris in inferno, & in resurrectione: triumphatoris in ascensione; Iudicis ad dexteram Patris; Agni, ac mannæ in ara.

3. Itidem recte Plato *matrem admirationis, & ornamentum cœli* appellauit. Et Salomon Ecclesiast. 43. *Vide arcum in cœlo, cum suo splendore mirabili: & benedic, qui illum fecit.* Est ea quinque color; vt, fulua, viridis, crocea, lutea, & hiacynthina: At quanto in Thabor relucet Iris diuinior?

Quot in vna colores ac formæ ? Tot, quot Attributa Dei , Sol Diuinitatis autem in nubem corporis irradians efficit eandem.

Scitum similitudo transfigurati.

III. Sol & luna hic in monte steterunt: à sole luna splendorem, à Diuinitate gloriam accepit Humanitas, *pulcra vt luna: electa vt sol:* propter hypostasin.

1. Vere est vt luna, causans in mari fluxus ac refluxus, gratiarum scilicet in Sacramentis. Luna crescens, in gremio; media in templo duodennis, plena, in prædicatione: decrescens, in Passione: inde se renouans in resurrectione. 2. Adhæc tempestatum est nuncia. Nam

Pallida luna pluit; rubicunda flat; alba serenat.

Pallens, in Oliueto proximam minabatur tempestatem passionis: Rubens, à flagellatione indicat conclamationem flatulentam *Crucifige, Tolle.* Alba in resurrectione gloriam nostram repræsentat: vti & in transfiguratione.

Thabor & Caluaria collatio per disparata.

Sed ab hac quam dispar tua Passio? Vtraq; in monte. Hic gloria, ibi opprobriis saturatum video. Hic inter prophetas, illic inter latrones: Hic in fulgore, ibi in tenebris, & ærumnis. Hic discipuli adhærent, illic fugiunt. Hic de excessu loqueris, ibi pateris in excessu, &c.

PARS IV.

De cœlesti beatitudine.

Nil hic satiat animã Exempla.

I. HIc tamen, quod degustauit Petrus, gutta fuit beatitudinis. Exclamat proin: *Bonum est nos hic &c.* Hic Domine *torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Psal. 35. Et vero in cœlis quis, quantusque torrens? Prorsus *inebriabũtur ab vbertate domus tuæ.*

1. Huc aspirans ait Psal. 16. *Satiabor, cum apparuerit gloria tua,* quasi dicat: Nulla hic res satiat. Omnia adsunt mihi: sed in vno illo cum sint omnia, hocq; desit mihi, desunt omnia: ideo *satiabor.* Et omnia illa nihil sunt. Quo, quo, Rex, quo tendis? Sũma habes omnia in terris: & velut inania omnium, sitis alia? ô Bene!

2. Male Alex. Magne, *teste Plutarcho,* audiens à stolido Philosopho plures esse mundos: stolide illacrymaris; te vno hoc subacto, cæteros nescire; min' possidere. Ergo alium quæris orbem debellandum. Huc aspira, quo Dauid. Hic orbis, & orbes, & omnia. Nihil hic exsatiat mentem: veluti

Vnus Pellæo iuueni non sufficit orbis.

3. Et tu Auguste Cæsar, orbis Monarcha, , quib. curis noctes insomnes trahis? Habes omnia; & angeris? Nesciebat mẽs quid deesset; & sibi deesse sentiebat. At nos id scimus: nec affectamus idem. Viuine sumus mortui: an viuimus?

Suetonio teste.

Adad Iudæus, & Regibus ortus, exul in Aegypto degebat: 3. *Reg.* 11. Primus erat Regi, in aula beatus ab omni fortuna; Reginæ sororem Rex ei dederat vxorẽ: & tamen inquietus animo, ardebat patriæ desiderio: Iudæam suspirabat: ab Rege se, & Aegypto absolui petebat, dimittiq; in patriam. Is animæ viua est imago Paulinæ: quæ *dissolui cupit, & esse cum Christo.* Quid enim Christianam satiare potest animam, præter beatitudinem? Quot in orbe hoc sunt illi tædium afferentia?

Figura.

II. Clamat. *Bonum est nos hic esse.* 1. Infelices animæ inferę. *malum est vos ibi,* & hic, & vbi vbi *esse.* Vbique vobis dolor, furor, desperatio, &c. 2. Petre quanta videbas? Ideo recte dicebas, *Bonum est nos hic esse,* verum tamen illud *bonum hic esse* breue erat: Nobisne dicam? *malum est hic esse* in mundo, carne. *Cupio* idcirco *dissolui, & esse cum Christo.*

Bonum hic esse.

3. Petre, *oculi* tui *grauati erant somno; nesciebas, quid diceres.* Istud *Hic* per breue est ac momentaneum: at nos æternum expectamus.

4. Hic Tob. 1. *Quale gaudium mihi erit, qui*

qui lumen cœli non video? Hic *Gen.* 49. Ioseph fumus in carcere: Danieles, *Dan.* 14. in lacu leonum: Pueri in fornace chaldaica: *Dan.* 2. Ionæ in ventre, Israelitæ *Exo.* 14. in medio mari rubro: Et tamen dicere possumus: *Bonum est nos hic esse.*

Imo purgantes animæ, quantisuis in cruciatibus sint; quia tamen in gratia: dicere queunt: *Bonum est nos hic esse.* Certi namque beatitatis degunt.

III. Cœlites vero, videntes & habentes in Deo omnia, de eodem sibi applaudunt Bono. 1. Regina Saba, 3. Reg. 10. visa Salomonis magnificentia, exclamabat: *Beati viri tui, & beati serui tui hi, qui stant coram te semper.* At vero, Ps. 87. *Beati, qui habitant in domo tua Domine.* Id est, aiunt Theologi, in Essentia Dei: In ea *omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei reconditi sunt.* ex ea orbis & omnia sunt progressa. *Gloria & diuitiæ in domo eius.*

2. Si Esther, *cap.* 4. cubiculum ingressa Assueri, visa regij vultus maiestate, concidit semianimis. Si Israelitæ, *Exod.* 10. viso manna admirati aiunt: *Quid hoc?* Quid anima Deum intuens? Quanta absorbebitur admiratione? Quali immutabitur transfiguratione?

FERIA VI. POST DOMINICAM I. Quadragesimæ.

Est autem Ierosolymis Probatica piscina. Ioan. 5.

MIraculum! Naaman Syrus, 4. *Reg.* 5. iussu Elisæi in Iordane lauat, & à lepra sanatur. Maius: Paralyticum, annis 30. ad Probaticam frustra excubum, ad solum Christi iussum persanari.

Nos super eodem

I. *Paræneſis de Misericordia Dei.*
II. *De Probatica piscina.*
III. *De porticibus quinque pauca.*
IV. *De paralytico ipso.*

PARS

Paræneſis de Misericordia Dei.

I. DIgnum cythara Dauidica diuinæ laudis argumentum *Misericordia.* Psalm. 88. *Misericordias Domini in æternum cantabo.* 1. Illa namque Attributorum Dei facile princeps est: Psalm. 32 *Misericordia Domini plena est terra:* Quin & infra terram, purgatorium: & infernus quoque, ipsumque cœlum. Nam damnatorum peccata infra condignum puniuntur: & merita iustorum supra cõdignum remunerantur. *Misericordia Dei super omnia opera eius.*

2: Omnia debemus, ob creationem nostri: at Misericórdiæ plura, ob conseruationem. Quia ista semel dedit *Esse:* ast hæc conseruat id semper. Adhæc eius causa, vt ei optime esset, Ipse de cœlo descendit medicus nostræ paralysios. Quo magis, Psal. 109. *Misericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine.* *Ei debemus omnia.*

II. Maximi ducebat Tobias *cap.* 4. & 6. vnius è septem præcipuis Angeli ad se missionem, eiusq. beneficia præstita sibi ac patri: vt parem remunerationem scirent omnino nullam. At demum vbi cognouit esse Angelum, non hominẽ; Tob. 12. *cecidit super terram in faciem* præ pauore. Quid nos; ad quos Dei Filius demissus est; tantaque sanandis nobis præstitit? *Comparatio prima.*

2. Magnus amor Dei in Ezechiam Regem ægrum: cui mittebat Isaiam Deus nuncium & sanitatis reciperandæ, & vitæ annis xv. prorogandæ. In signum, *reduxit vmbram per lineas decem gradibus in horologio.* 4. Regum 20. Isa. 38. Genus humanum, ægrum, imo mortuum iacebat, iamque extinguendum? Ipse, Ipse venit: id consanat: vitamque ei prorogat in æuiternitatem beatam. In signum, Sol Iesus decem gradibus descendit, infra nouem choros Angelorum, infraque homines ad crucis ignominiam, ac mor- *Secunda.*

tis.3. Testis misericordiæ,tanquam prædicatæ satis,hic paralyticus est.

PARS II.

De probatica piscina.

Quid Probatica.

I. STagnum in medio Solymæ ouium victimis abluendis seruiebat : vnde προβατικὴ quasi *ouium piscina* dictum est Circum id quinque porticus, ægrorum plenæ, expectatium quis primus ad aquæ motum Angelicum se in eam demergeret.

Significat Pœnitentiam. Figuræ id docent.

Figura hæc baptismi : Et luculentior pœnitentiæ. Quæ mouetur ab *Angelo Testamenti*, Malac. 3. Ipso Iesu: ad sanandos quoscunque. De ea Psalm. 50. *Lauabis me, & super niuem dealbabor.* 1. Hæ aquæ illæ, de quibus Gen. 2. *Et Spiritus Domini ferebatur super aquas.* 2. Est diluuium gratiarum, *Gen.* 8. cui Arca Ecclesiæ innatat, & pauculas orbis reliquias morti eripit.

3. Est aqua è Christi latere profluens. *Ioann.* 19. 4. Est mare rubrum dans siccum transitum Israelitis : Aegyptios submergens. *Exod.* 14. Beati qui, Psalm. 73. *Conquassasti capita draconum in aquis* hisce. 5. Est ea Euripus, quotidie septies fluens ac refluens, *Mela teste* : auferens peccata septem mortalia : afferens septem *S.* Spiritus dona. Expertus Euripũ hunc canit Psalm. 118. *Septies in die laudem dixi tibi.*

Fontes & aquæ mirandæ. Pœnitentia.

II. Hæc aqua habet vna, quicquid virtutum vllis vsquam ineſſe aquis legitur. 1. *Augustinus*, 12. *ciuit.* 3. in Albano esse fontem prodit ; cui intinctæ faces accensæ extinguũtur : extinctæ, si immerseris, accenduntur. In fonte pœnitentiæ extinguuntur peccata ; accenduntur virtutes ; redditur vita operibus mortificatis. *Nam Mortui non laudabunt te Domine, &c.*

1. Delet peccata, Charismata dat.

2. Charitate absumit affectus.

2. *Plinius l.* 2. *cap.* 103. ait, in Sclauonia fontem esse, qui iecta lini, panni, &c. frusta comburat. Pœnitentia ardet charitate ; frusta & reliquias concupiscentiæ & affectuum prauorum comburit. Cyprianus serm. de Pœn. *Pœnitentia respuit auaritiam, horret luxuriam, fugat furorem, formatamorem, calcat superbiam, continet linguam, componit mores, odit malitiam, excludit inuidiam.*

3. Lynceſtius amnis in Macedonia acriculus est: *Quem quicunque parum moderato gutture traxit ; Haud aliter titubat, quam si meram vinabibisset.* Ita acidula pœnitentia est, Gregor. 4. Mor. cap. 22. *Blandimenta culpæ non secura quies foueat: sed sæuiens amaritudo pœnitentiæ irrumpat.* Aug. l. de pœn. *Pœnitens semper doleat: semper coram Domino erubescat : & dolorem cum vita finiat.*

3. Acris est.

4. In Bœotia duo fontes sunt ; alter potus, auget memoriam ; adimit alter. Pœnitentia peccatorum memoriam damnificam extinguit ; auget viuificam, detestatricem præteritorum. Psal. 38. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæmeæ.* Eadem iniuriarum præcipue delet memoriam. Exemplum esto ipse Auctor pœnitentiæ, *Luc.* 24. Exeuntibus in Emaus quærit ; *quæ hisce diebus Ierosolymis* accidissent. Adeo pœnitens, ac satisfaciens pro nobis, omnium oblitus erat.

4. Dat, admittitque memoriã.

5. Est in Sicilia fluuius, qui potus acuit ingenium : dictus ideo νόος. i. mens. Et pœnitentia *intellectum dat parvulis*, ad cauendum commissa, & sectanda bona omissa.

5. Dat intellectum.

6. In Phrygia, ait *Plinius l.* 3. *cap.* 2. fons est, γελάων, qui potus lacrymas ciet : alius γελῶν, risum. Ita pœnitentia, γελάων est. Psal. 41. *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte.* Psalm. 6. *Lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.*

6. Cietlætum & risum.

7. In Aethyopia fons est rubeus, qui vel gustatus gustu priuat. Pœnitentia gustum rerum carnis, mundi, &c. detrahit. Col. 5. *Quæ super cœlos sunt, sapite : non quæ super terram.*

7. Tollit gustũ rerum.

8. Non procul à Frisia fons est, qui haustus excutit dentes. Malo suo didicit Cæs. Germanici exercitus. Ita Climacus ait Gradu 19. *Veræ germanæque pœnitentiæ certum argumentum est obliuio iniuriarũ.* Ergo excutit dentes detractionis, blasphemiarum, &c.

8. Edentulat canem nostrum.

9. Sunt aquæ, in quibus ligna lapidescunt. In mare rubrum si oliuæ arboresque aliæ etiam virentes iniiciantur, continuo lapidescunt. Pœnitentia animos deliciis virentes indurat robore fortitudinis.

9. Corroborat.

10. Rhodanus tanto ruit impetu, vt lacum Lemannum transiens suas cum huius aquis non misceat. Item in America fluuius, dictus Argenteus, ad 40. leucas per mare ruens cursum tenet, aquasque & dulcedinem natiuam; nil ab salsugine marina corruptus. Rapidior vis Pœnitentiæ est: Facit ire homines mundi mare medium; nec ab hoc tamen infici.

10. Conseruat integros in mũdo.

Cũctis aquis aqua potentior προβατικὴ: morbis valet sanandis omnibus. At quã illa, potentior est Pœnitentiæ aqua. Hac Paralyticus est consanatus.

PARS III.

De porticibus quinque pauca.

Hyssopus est pœnitentiaria.

I. *Domine asperges & me hyssopo, & mundabor.*

Hyssopus locis crescit lapidosis; multis apta morbis curandis. Ita & gaudet pœnitentia duris; sanatque omnia. 1. *Leu.* 14. Leprosus mundandus iubebatur aspergi septies hyssopo, in immolati passeris sanguine tincta. Christus est *passer solitarius in tecto*; & immolatus. In eius Sanguine pœnitentiaria hyssopo tincta asperge peccata mortalia, & mundabere à lepra. 2. *Leu.* 4. Iubetur Sacerdos septena aspergine vitulini Sanguinis animam mundare: tu cor hyssopina aspersione. At vero & hyssopus, & Probatica nihil sunt ad nostram Pœnitentiam collata. Quantum ad lucem vmbra.

Sed quid est: plurimos circum Probaticam excubare ægros: & vnum hunc ex omnibus à Domino restitui? An, Matt. 20. quod *multi sunt vocati* ad probaticam pœnitentiam: *pauci vero electi?* Quot hominum myriades erant tempore diluuii, *Gen.* 7. & tamen octo tantum animæ saluabantur? An non sexies centena millia hominum, qui armis apti gerendis erant, ex Aegypto educti; & solum ex iis duo in terram promissam introducti sunt? *Num.* 1.

Ex multis sanatur vnus.

Quinque porticus: an sensus quinque denotant, hospitacula ægrorum inibi commorantium? id est, actuum vanitatis variæ? Quot ægri vanique actus oculorum, aurum? &c. 2. An vero designant habitus animæ quinos? Vt Artem, Prudentiam, Scientiam, Sapientiam, Intelligentiam. In porticu artis iacent ægri mechanici. Prudentiæ, Magistratus, Senatores, Consiliarii, &c. In Scientiæ, Theologi, Philosophi, Concionatores, &c. In Sapientiæ, Religiosi. Sub porticu Intelligentiæ iacent cuiusque status, ætatis, conditionis homines, rationis vsu pollentes.

Quæ porticus.

PARS IV.

De Paralytico ipso.

Genus humanum paralyticũ.

I. Genus humanum, quater millenis annis paralyticum, expectauit motum Passionis Dominicæ; vt sanaretur. Paralysi originali ignorantiæ laborabat in intellectu; malitiæ, in voluntate; fragilitatis in appetitibus: inutile ad quoduis opus meritorium. 1. Vt arbos tacta semel fulmine, nec fructus nec folia profert: Ita anima, 2. Similis sicui maledictę, *Luc.* 10. Ita Adam arbos prima.

1. Ob peccatum origin.
2. Ob maledictionem Dei.
3. Ob naturam exhaustam.

3. Similis hæmorrhoissæ, *Matt.* 9. quæ facultates omnes perdidit; nec tamen sanita-

nitatem recepit. Ita homini debilitata natura, & perdita gratia fuit, & merita nulla prouenere. 4. Vtq; Philistæi quondam, *Iud.* 16. Samsoni ademere vires, oculos, libertatem: ita peccatum despoliauit hominem, & molendinario similem fecit iumento.

4. Ob malo illata animæ.

O eladem! *Horrendum est incidere in manus* cum *Dei viuentis*, tum peccati occidentis. Incidit homo: paralyticus fit: is descendit, cuius *vocabitur nomen magni Consilii Angelus*, Is. 9. iuxta 70. & suum paralyticum in probaticam iniicit pœnitentiæ & Passionis suũ.

Soli Deo sanabilem. Hac vt *Septemplicis ostia Nili* aquis totam irrigant quotannis Aegyptum, ac fœcundant: ita Ecclesiam septemplici gratia Sacramentorum Iesus. Secundum Ps. 45. *Fluminis impet' lætificat Ciuitatẽ Dei.*

Et quidem Homini Deo, id est. Christo. Diu ante dicebatur: *No habeo hominem.* Quid igitur Patriarchæ, Prophetæ, Dauides, Angeli quoque: nihil hi potuere, nec ausi? Nec vel seipsos curare quibant. Eum expecto, qui demum ostendatur, *Ecce homo.* Hic *solus potens*, & *non est alius* sanandis nobis. Sine Deo excidimus sanitate gratiæ: at sine Deo ad eam reuerti nequimus. Ionas. *ca.* 8. nunquam è ventre ceti redditus fuisset luci; ni miraculum accessisset Dei; Sic gratia prœueniens necessaria peccatori est. Quoniam: *Deus prior dilexit nos.*

Per' gratiã prœuenientem. 1. Prius gallus monentis Dei cantauit *Matt.* 27. quam Petrus exeat peccato. 2. Magos *stella antecedebat*: Matth. 2. Sicque secuti *adorauerunt eum.* 3. Et *Matth.* 28. Mariæ tres *venerunt admonumentum*: sed prius *orto iam sole.* 4. Docent Philosophi, cœlos ab Angelis, non à seipsis moueri. *Quicquid enim mouetur, ab alio mouetur.* ait Aristot. 7. & 8. Phys. Ita ad pœnitentiã à Deo: *In ipso enim viuimus, mouemur: & sumus. Act.* 17. 5. Nec ad Iesum paralyticus venit; sed ad eum Iesus: qui dixit ei, *Surge* à peccato, *& ambula* in gratia.

SABBATO POST DOMINICAM I. Quadragesimæ.

Et transfiguratus est ante eos.
Matt. 17. Luc. 9.

Vt supra Feria V.

IOseph, *Gen.* 39. & 41. post venditionẽ; post solicitationem Putipharæ, post perpessos carceres: par Regi euehitur purpuratus, curru vectus regio; præcone prodromo: & eo glorioſior nemo. Ita Iesus post perpessa ab pharisæis plurima opprobria, hodie à Patre glorificatur.

Nos circa idem

I. De præmio Gloriæ cœlestis.
II. De Transfiguratione quintuplice.
III. De Domini splendore solari.
IV. De sermone in monte.

PARS I.

De præmio gloriæ cœlestis.

Gloria cœlesti sit brauium pugnæ. I. PHicrates, Dux Athen. suos accendebat in prælium re nulla, nisi spe prædæ. *teste Plutarch.* Ita Dominus, Matth. 5. *Gaudete & exultate: quoniam merces vestra copiosa est in cœlis*, quasi dicat, pro hac pugnate. *Neque sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriamque reuelabitur in vobis.* Rom. 8.

Figura. Istius Dauid certus erat ante, quam cum Goliatho consereret, 1. Reg. 17. *Qui percusserit Philistæum hunc, ditabit eum Rex diuitijs magnis, & filiam suam dabit ei.* Quotque Deus promissa dedit iis, à quibus *regnum cœlorum vim patietur, vt violenti rapiãt illud?* Præterquam, quod eodem nos inuitat natura, vocant exempla: iussa Dei impellunt.

Nuncii ac testes istius gloriæ. Quid, quod plures ex altera ea vita ad nos venerint, qui ea de gloria nunciarunt nobis? Vt Angeli agentes cum Abrahã, *Gen.* 18. Loth, *Gen.* 19. Iac ob *Gen.* 32: Tobiæ

Tobia, *cap.* 12. Maria, *Luc.* 1. Paulus quæ vidit & audiuit, 1. *Cor.* 2. Lazarus. *Ioan.* 2. triduo hæsit in altera vita. Ioannes ibi suas Apocalypses accepit. c. 1. & 23. Inde *à summo cælo egressio* Christi Psalm. 18. Israelitæ non credebant terræ promissam fertilitatem; donec exploratores specimen eius botrum attulissent. *Num.* 13. Nobis item gloriæ futuræ specimen hodie exhibuit Iesus.

PARS II.

De transfiguratione multiplice.

I. CVius hic videmus gloriam transfigurati? Illius, qui *Luc.* 2. Vagiit in præsepio, qui *Matt.* 17. esuriit in deserto, tentatus, & circumuectatus à dæmonio. Ometamorphosin! Ergo.

In noua fert animus mutatas dicere formas, proferreque Transfigurationis Figuras. 1. *Ionathas*, 1. Reg. 18. *expoliauit se tunica, & dedit eam Dauid, & reliqua vestimenta sua.* Sic filius Regis conuestiunt pastorem. Ita Deus hominem in Christo hodie, post deuictum Satanam. Psalm. 103. *Amictus lumine sicut vestimento.* 2. Mardochæus, *Esth.* 8. in sacco, fletu, ieiunio, oratione se affligens, rebus post breui mutatis; *de palatio, & cõspectu Regis egrediens fulgebat vestibus regiis, coronam auream portans in capite, & amictus serico pallio, & purpureo.* Talis IESVS in deserto prius; & nunc in Thabor, *decorem indutus est.* 3. Arca fœderis dum inter Philistæos in deserto moratur, vilibus operta pellibus est, 1. *Par.* 5. At in Salomonæum inuecta, iam auro vestita refulget. Ita *& Transfiguratus est.*

II. Quina Christi facta transfiguratio est. *Prima.* In vtero B. V. non conuersione; sed assumtione Humanitatis, *in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* Philip. 2. Qualis Iacob fratrem ementitus, *Gen.* 27. ei benedictionem præripuit. Ita Iesus, vt nobis benedictionem Patris obtineret, *formam serui accepit.* Phil. 2. Cum tamen esset *splendor gloriæ, & figura substantiæ Patris* Hebr. 2.

Secunda. In Eucharistia, realiter per Transsubstantiationem; accidentaliter per transfigurationem manentibus solis speciebus absque subiecto subsantiæ, & apparente Iesu sub speciebus. *Tertia.* In Cruce moriens. *Isa.* 53. *Vidimus eum, & non erat aspectus: & nos putauimus eũ quasi leprosũ.* *Quarta.* Post resurrectionẽ glorioſi, iã visibilis, mox inuisibilis, sẽper impassibilis; qui tanta exantlarat patiens. *Quinta.* In Thabor. Psal. 88. *Thabor & Hermon in nomine tuo exultabunt:* vbi legationis suæ maiestatem declarat apertis velut Parentibus. Quibus visis Cœlites, hominesque Veteris ac Noui Test. exultarunt, Prophetis & Apostolis præsentibus. Quam *bonum erat eis hic esse?*

2. *Transsubstantionis.*
3. *Passionis.*
4. *Resurrectionis.*
5. *Præsens in Thabor.*

Proin *montes exaltabunt à conspectu tuo Iesu*, qui in Thabor transfiguraris. in Hermon, *teste Euthymio in Psalm.* 88. satiasti 5000. hominum panibus 5. & 2. piscibus. Vbi & resuscitationẽ filii viduæ de Naim vult idem accidisse. Naim enim in pede Thabor sita est.

In Hermon qualia.

PARS III.

De Domini splendore solari.

I. FOelix Thabor in montibus? 1. Mons Sinai quassatus tonitru, & fulgure, ac terroribus. *Exod.* 19. 2. Mons Oliueti fustibus, gladiis, armis, & proditione factus infamis est, an nobilis? 3. Mons item Calvariæ per Cruces, latrones, &c. At Thabor diuino fulgore conspicuus. *Nam resplenduit facies eius sicut Sol.* Et vero quid Sol cœli, ad solem hunc Dei? *Maius lumen obfuscat minus.*

In sole quatuor admiranda. *Lumen*; quantum orbi satis. *Celeritas*, siue agilitas, qua quot horis decurrit quatuor & viginti millia milliarium cœli diametralium,

Solis qualitates.

tralium : quæ multo longiora quam terrestria. *Subtilitas*, transparens omnia lucida. *Impassibilitas* ; ab sui namq; creatione nullam passus est naturę imminutionem. Nec enim igne suo comburitur : nō cursu atteritur ; non ab aeris tempestatibus patitur : est altior casibus omnibus. Eædem & in corporibus glorioſis dotes. Claritas, Sap. 3. *Fulgebunt iusti* : Agilitas. *Et tanquam scintillæ in Arundineto discurrent.* Subtilitate penetrabunt omnia, Nilque patientur. Apoc. 21. *Iam non erit labor, neq; dolor.* Apoc. 14. *Amodo iam dicit Spiritus, vt requiescant à laboribus suis* reliquarum passionum humanarum.

Sunt & glorificati corporis.

Cur præs Moyses?

II. Sed cur Moyses appares ? An, vt eius innocentiam testeris ; quem Iudæi vt transgressorem criminati erant ? An rediuiuus è limbo existis, vt ostendas, ipsum esse mortis ac vitæ Dominum ? An, vt promissum præstetur tibi hoc ? Exod. 33. *Posteriora mea videbis*, id est, gloriam Humanitatis.

Cur Elias?

Elia vero cur ades ? An, quod eius sis præcursor futurus in extremo iudicio reliquiis Iudæorum conuertendis ? An, vt errorem refutes opinantium, Iesum esse Eliam, aut prophetam ? Credebant enim ante Messiæ aduentum Eliam venturum : idque ex Malach. 4. *Ecce, ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis.*

PARS IV.

De sermone in monte.

Comitia mira.

I. ERgo *apparuit eis Moyses & Elias.* Mira Comitia ! A parte V. Test. isti : Noui, Petrus, Ioann. Iacobus, è cœlo S. Trinitas, è terra Christi Humanitas. Stetit hic Dominus inter Prophetas, vt Arca inter Cherub & Serub : *loquentes de excessu* : ait Marcus.

Qui serm.?

De quo ? An de eo, quo à thesauris suis creata produxit omnia Deus ? An, quo creata cōseruauit eadem annis iam quatermillenis & vltra ? 1. Non : ait *Cyrillus Alex.* sed quem in Incarnatione declarauit. De qua vide, quæ in Festo Natiuitatis sunt dicta. 2. *Augustinus* ait de excessu Passionis. Huic excessui sublimitate in profunda humilitate par nullus. Ideo exclamat Ieremias Thren. 1. *O vos omnes, qui transitis ; attendite, & videte, si est dolor, sicut dolor meus !* Sudorem expressit sanguineum ; fecitq; eum tædere & pauere. 3. *Chrys.* ait, de nimia eius humilitate Passionis locutoe fuisse. In hanc exclamat Paulus Philip. 2. *Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.* Deum capi, illudi, &c. hic quantus excessus est?

De Incarnat.

Passione.

Humilitate Passionis.

4. *Bonauentura.* De excessu paupertatis in passione : quod nudus & sitiens moriturus esset. 1. Et Val. Poplicatium consul tanta in paupertate mortuus est, vt publicis sumtibus esset sepeliendus. *Val. Max. l.* 4. 2. Epaminondas Dux Thebanorum nec reliquit, quo epitaphium illi fieret. 3. At Dominus, Psal. 87. *Pauper sum ego*, ait, *& in laboribus à iuuentute mea.* Matth. 8. *Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos : filius autem hominis non habet, vbi caput suum reclinet.* De tali fuerit excessu sermo.

Paupertate.

Atqui vero ego sic sentio, quod omnia Christi opera sunt in excessu : vt nos ad medium adduceret virtutis.

II. Sed tu Petre, quid ais ? *Faciamus hic tria tab. tibi vnum M. V. E. vnum.* Tu stricto gladio vis in horto Domini victoriam retardare ; tu eundem abnegas : & iam vis inferre schisma, separando Christum à Prophetis tria pascens tabernacula ? Nō sic rotæ Ezechieli sunt visæ. Hæ implicitæ sibi hærebant, nec vlla vsquam sine alia ferebatur : Ita Prophetæ, Euangelium & Christus. Quare vno erat opus tabernaculo. Sed bene additur : *Nesciebat, quid diceret.*

ficeret Bonum tamen hoc, *nos hic esse*, cum, in & sub Christo. *Mihi autem adhærere Deo bonum est.*

Quod si igitur obstupuere Iudæi, *Esth.* 6. viso Mardochæo, regiis induto, & Esthera Regina facta gloriosiore. Si fratres Iosephi, *Gen.* 45. visa huius regifica maiestate: Si fratres & agnati viso hoc Dauidis item Regi parem esse: Iustius Apostoli ad hanc Domini gloriam obstupuerunt. Quanta igitur *in cœlis gloria reuelabitur in nobis?*

POST DOMIN. II. QVADRAgesimæ feria II.

Ego vado, & quæretis me, & in peccatis vestris moriemini.
Ioan. 8.

AZarias, 2. Par. 15. Asæ, Regi Iuda euentura mala prædixit. *Dominus vobiscum; quia fuistis cum eo. Si quæsieritis eum inuenietis: Si autem dereliqueritis, derelinquet vos.* Ita & hic Dominus.

Nos in præsens

I. *De prædestinatione, & reprobatione.*
II. *De infœlicitate animæ obdurata.*
III. *Quærendum esse Deum.*
IV. *Metuendum, & cauendum istud, mori in peccatis.*

PARS I.

De Prædestinatione, & reprobatione.

Prædestinationis Figura.

I. PRædestinatio, & Reprobatio res est cogitatu horribilis. *Ab æterno*, Malach. 1. *Esau odio habui*: En damnatio: *Iacob autem dilexi*: en prædestinatio, eodem tempore, & ventre natorum. 1. In diluuio octo animæ prædestinatæ seruantur: pereunt reliquæ. *Genes.* 8. 2. Nabuchodonosor post euastatam Ierosolymam iussit introduci, Dan. 1. *de filijs Israel, & de semine regio, puros, in quibus nulla esset macula, decoros forma, & eruditos omni sapientia: qui stare possent in palatio Regis.* Tales prædestinauit Deus. 3. Moyses, *Deut.* 27. Israelitarum tribus sex bene natas ex Lia & Rachaele, iussit metari in monte Garizim; ibi benedicendas: alias sex, ex ancillis natas in monte Hebal, ibi maledicendas: ita Deus bipartito genus diuisit humanum ab æterno. Cur? Rom. 11. *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei; quam incomprehensibilia sunt iudicia!* 4. Eodem tempore, è carcere eodem exibant duo: & Pharao. Gen. 49. *restituit alterum in locum suum, vt porrigeret ei poculum: alterum suspendit in patibulo.*

II. 1. An non eadem ex fornace & prunas viuas, & carbones atros educi cernimus? 2. Rom. 9. *Habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem: aliud vero in contumeliam.* Atque ita, vt in hos misericordiam suam Deus, iustitiam in illos ostendat. *Simile.*

Et ita, vt electos prædestinet absque meritorum præuisione: at cum peccatorum præuisione reprobos. Vt causa prædestinationis sit sola Dei misericordia: reprobationis vero cuiusque peccata. Vtraque respectu Dei, necessaria: nostri; contingens; ob liberum arbitrium, Reprobatio hic istis significatur: *Quæretis me, & non inu. & in pec. ve. moriemini.* Ioan. 8. *Causæ.*

PARS II.

Infœlicitas animæ reprobæ.

I. ACcidere animæ de rerius nil potest, quam deseri abs Deo. 1. Vt nil peius inuenire quiuit Reginæ Vasthi, *Esth.* 2. quam ab Rege repudiari. 2. Si cœli suos influxus vel pauxillum subtraherent, iam continuo in orbe cuncta emarcescerent, inque chaos vnum reciderent. Quanto magis anima, cui subtrahitur *Anima deserta à Deo est, & repudiata.* 2. *Quasi annihilata.*

3. *Exarida.* gratia? 3. Psalm. 142. *Anima mea sicut terra sine aqua tibi.* Qualis Samaria, 3. *Regum* 18. 4. *Damnatio.* cœlo semiquatuor annis non pluente, ob preces Eliæ. 4. Hinc omnium terribilissima comminatio illa: Oseæ 9. *Væ eis, cum recessero ab eis.* Iere. 9. *Erudire Ierusalem: ne forte recedat anima mea à te.* 5. Ideo Dauid Ps. 37. *Domine ne discesseris à me. Vt quid Domine recessisti longe?*

Figura. Elisæus, 4. *Reg.* 2. Eliæ discessum ab sese lamentatus, ait: *Pater mi, currus Israel, & auriga eius.* Quid igitur anima, deserta Deo, quin & exosa? Nam *Odisti omnes, qui operantur iniquitatem.* Ps. 5. Non plangat:

Similia infœlicis animæ. II. Quod corpus sine anima: id anima est absque gratia. Quanti sit ornata suis dotibus, docet, quæ caret iisdem: nam *viuens mortua est.* At hoc, heu; quale? Ps. 33. *Mors peccatorum pessima.*

2. Quale in Passione Domini contigit; vt, terra intremuit; scissæ petræ; factæ tenebræ; fissa sepulcra; Sol inhorruit; stupuit orbis: Tale in animabus eorum, qui Dominum peccatis iterum crucifigunt. *Hebr.* 6. Quo horribilior ista comminatio: *Ego vado* ab talibus auersus.

Accessus solis, & recessus, ait *Arist.* 8. *de cœlo cap.* 7. omnis est & generationis, & corruptionis causa. Magis gratiæ accessus ac recessus in anima virorem, squaloremue efficiunt. Atqui vero; Rom. 9. Dominus *cui vult, miseretur*: en accessus. *& quem vult, indurat*: en recessus. Exod. 4. *Ego indurabo cor Pharaonis.* Vbi Augustin. exclamat serm. 88. de tempore: *Nisi cum abfuerit gratia mea, obdurabit eum nequitia sua.*

4. Declarat similiisto. Vt sol humum congelatam tangès resoluit; at abscedente sole humus regelascit: Ita anima à peccato obrigida, ad ipsum gratiæ radium colliquescit in pœnitentiam, ad illius abscessum obgelascit peruicax.

Causa recessus. III. Neque tamen, vt Caluinus 1. *Inst.* c. 17. blasphemat, peccatorem Deus positiue indurat; sed permissiue peraccidés; subtrahendo gratiam, quam is à se ipse peccatum excludit. Interea vero tametsi Deus nemini gratiam reuertendi sufficientem negat: vni tamen, quam alteri, impertit maiorem. Idque ob malitiam maiorem. *probationis ac modus.*

Si æger clinicus optima præcipienti medico parere recuset, ac moriatur: ipse, non medicus culpandus est: Ita peccator respuens Dei instinctus, mandata, exempla: *Perditio tua ex te.* Ier. 51. *Curauimus Babylonem, & non est curata: Relinquamus eam.* Ita hic Dominus, quasi dicat: Quod debui, præstiti: at noluistis: ideo Ecce *Ego vado: & in peccatis vestris moriemini.* *Simile.*

PARS III.

Quærendum esse Deum.

I. *Ego vado.* Ecquo; *Mane nobiscum Domine, quoniam aduesperascit,* Luc. 24. & finis instat vitæ. Aut finito nos sequi: vel trahe nos post te. 1. Sed *Ego vado: quo vos nõ potestis venire. Ego* pati *vado*; qualia nemo potest. 2. *Ego vado* satisfacturus pro mundo; quod creatura non potest vlla. 3. *Vado*, vt ad dexteram Patris cõsideam: *quo vos non potestis venire.* Hebr. 2. *Cui enim dixit aliquando Angelorum, sede à dextris meis?* Nec quidem Deiparæ?

II. *Et quæretis me.* Stomachantis hoc est, quasi dicat, Cœlo descendi, relictis 99. ouibus, te vt quærerem. Quæsij, quæro: tu venire, & sequi detrectas. Ergo *Vado: Non me inuenies.* Quæsierunt eum in sepulchro: quæsierunt obsessi ab Tito & Vespasiano: quærunt eum etiamnum in Thalmud, in prophetis: *At non inuenietis.* *Querela Iesu de sequentibus.*

Ergo Christiani, Isa. 55. *quærite Dominũ, dum inueniri potest; inuocate eum, dum prope est.* Et *Dum tempus habemus, operemur bonũ:* dum sol iustitiæ lucet, & dies est. *Quærẽdus tempori ist.*

Non solum sub vitæ vesperum quærendus *Nõ seriõ.*

rendus est; quod multis frequens. 1. Serius eum quæsisti, Epulo: *Luc.* 16. 2. Serius fatuæ virgines. *Matt.* 25. 3. Nimis diu venatus es, Esau. *Gen.* 22. 4. Serius iam oratis animæ purgatoriæ; non vobis merendi, sed iam soluendi tempus est.

Nam dum dies est expellat nos Deus.

Alexander Magnus, vt primum obsidebat vrbem, facem accendebat, voce præconis proclamans: Ante vos dedite, quam fax extinguatur: qua extincta, nulla salus. Ita Deus *stans ad ostium* peccatorum *pulsat*, Apoc. 3. proclamat: *Conuertimini ad me, & salui eritis.* Ioel. 2. Et Isai. 55. *Quærite Dominum, dum inueniri potest*: face extincta vitæ, actum est.

Figura.

1. Prouide egit Pharao, Iosephi secutus consilium, horrea dum condidit, & in horreis frumentum, tempore fœlici. Vnde dein, annona flagrante, & flagellante, subuenit & aliis. Ita isti, qui, dum *misericordia Domini plena est terra.* Ps. 31. faciunt sibi thesauros, qui non vetera sciunt. Væ his, qui secus faxint.

Simpro existimandum.

2. Deus, *Leuit.* 11. offerri sibi cygnum noluit, etsi peregregiam auem; forte, quod cantum suum differat adusq; mortem. Tales, qui pœnitentiam reijciunt in agonem.

PARS IV.

Metuendum, & cauendum istud: mori in peccatis.

I. TEmpori quærendus est: 1. A Nouatoribus, in medio Doctorum Ecclesiæ, Patrumq; consensu. 2. A mulieribus, *orto iam sole* adeundo templa vel preces, cum aromatibus virtutum. 3. A Regibus, ductum stellæ secutis, omissa ambitione, &c. Iacentem, vagientem, humilem *inuenietis eum.* 4. A Philosophis quærendus non in categoriis, demonstrationibus, principiis Physicis, &c. Sed in Eucharistia per fidem. 5. A Theologis, non in Trinitate, Incarnatione, rubo ardente, &c. altissimis illis mysteriis, ac præcipitiis: sed potius in Cruce adorandus, in patientia imitandus, &c.

II. Sin': *In peccatis vestris moriemini.* 1. Ad hoc cohorrescite Nouatores; & respicite exitus maiorum vestrorum Arrij, Manichæi, Pelagij, Lutheri, Caluini, &c. 2. Horrete peccatores, mortes infœlices Pharaonis, Saulis, Absolonis, Antiochi, &c. Sodomitarum, Luciferi, Gigantum, tempore Noe. 3. Fœlices Niniuitæ, qui pœnituistis tempori, & sermo. *Ion.* 3.

Reprobatio an sit mutabilis.

In peccatis moriemini. Hæccine fuit reuelatio damnationis? Ita videtur. At hoc est ad desperationem adigere. Ita quidem, nisi reprobationis causa quisque sibi esset ipse. Si velit; se emendet serio: *iustus & fidelis est Dominus, quia remittit nobis omnes iniquitates nostras.* Tali conuersione posset quasi cogi Deus, vt scriptum in libro reproborum deleat nomen, & transscribat in librum vitæ. Ita sentire videtur Psal. 68. *Deleantur de libro vitæ: & cum iustis non scribantur*: Domine; *tu condidisti me sine me; sed damnare me nequis sine me*: aiebat August. Est igitur vox illa Domini comminatoria.

FERIA III. POST DOMINICAM II. Quadragesimæ.

Super cathedram Moysis sederunt Scribæ & Pharisæi: omnia, quæcunq; dixerint vobis, seruate, & facite. Mat. 23.

DArius Rex, *Dan.* 6. superregnum amplissimum constituit viginti quatuor supra centum Satrapas: hisque præfecit tres velut Proreges; è quibus Daniel vnus. Edixit simul, istos à subditis agnosci, coliq; pro suis Vicariis. Ita Dominus in Synagoga: ita & in Ecclesia v-

num Summum Pontificem; alioſque eſſe voluit Epiſcopos.

Nos in præſens

I. De fide, & obedientia habenda Eccleſiæ.
II. De Cathedra.
III De Scribis.
IV. De Phariſæis.

PARS I.

De fide, & Obedientia habenda Eccleſiæ.

Eccleſiæ doctrina iuncta eſt & infallibilis.

1. PLato aiebat: *Tum fœlices fore reſp. ſi aut Philoſophi regerent: aut, qui regunt, philoſopharentur.* 1. Atqui Eccleſia retro ſemper etiam à Theologis adminiſtrata fuit à Petris, Gregoriis, &c. Et vero his talibus, qui errare nequibant; hodieque non poſſunt; ob infallibilem S. Spiritus aſſiſtentiam. 2. Luc. 22. *Ego pro Te rogaui, vt non deficiat fides tua.* Vnde duratque, durabitque: *& portæ inferi non prævalebunt aduerſus eam* PETRAM Matth. 16. 3. Quin Ierem. 2. *Dabo te in columnam ferream, & in murum æreum, ſuper vniuerſam terram.*

Proinde ipa rendum.

II. Theopompus Rex Athen. dicenti; *Non mirum, Lacedæmonum remp. tam florere diu; cum à tot prudentibus regatur*; ait: *Adde; quod Legibus tam ſanctè pareat populus.* Atqui vtrumque in Eccleſiæ Monarchia ſemper obtinuit. Alioquin Matt. 12. *Omne regnum in ſe diuiſum deſolabitur.*

5. Serium iſtud, ſeuerum ac ſanctum: Matth. 18. *Qui Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & Publicanus.* Nam *Qui vos audit, me audit.* Hinc, Hebræor. 13. *Obedite Præpoſitis veſtris. Qui enim Poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.*

PARS II.

De Cathedra Moyſis, ſeu Petri.

Cathedra Petri.

1. SVpra Cathedram: id eſt, ait Cyrillus Catech. 12. *Non ligneam cathedram; ſed doctrinæ ſignificat poteſtatem.* 1. Ea cathedra clauibus vtitur duabus; *Autoritatis* v-

1. Claues.

na, ad fideles regendos: alia *Doctrinæ*, ad paſcendos. Matth. 16. *Tibi dabo claues regni cœlorum.* 2. Extra hanc errores, & impoſturæ meræ. Cypr. Epiſt. 55. Et diſtin. 93. cap. Qui cathedr. *Qui Cathedram Petri, ſupra quam fundata eſt Eccleſia, deſerit; in Eccleſia ſe eſſe non confidat.*

1. Certitudo fidei.

3. Hieron. Epiſt. ad Damaſum Papam. *Beatitudini tuæ, cathedræ Petri, cõmunione cõſocior, ſuper illam Petram ædificatam Eccleſiam ſcio.* 4. Nic. Sanderus lib. 7. de viſibili Monarchia. *Sicut Sacerdotium legale, per Leuitas inchoatum, & Deo volente in templo Salomonis inſtitutum, ad primum vſque Chriſti aduentum ſemper durauit. Sic in Nouo Teſt. Pontificatus à Petro inceptus, & Dei voluntate Romæ inſtitutus, ad ſecundum vſque Chriſti aduentum perſeuerabit.*

3. Communio.

4. Perpetuitas, & locus.

5. Hæc eſt Cathedra in qua aduſque Paulum V. quadraginta ſupra ducentos, Pontifices præſederunt: è quibus tres & triginta Martyrio coronati ſunt. Vtque Lucas Ieſu generationem à nutricio Ioſepho vſque ad Abraham aſcendens deducit: ita à Paulo V. aduſque Petrum aſcendere ſerie continua poſſumus.

5. Numerus Pontificum.

II. Pſal. 1. *Beatus vir, qui non abiit in conſilio impiorum: & in via peccatorum non ſtetit: & in cathedra peſtilentiæ non ſedit.* En tres cathedræ: Mahometi: Iudæorum: Caluini. *At in lege Domini voluntas eius*, quam Romana Cathedra infallibiliter declarat, ac deſtruit peſtilentes.

1. Eſt aduerſaria hæreſium.

1. Vtque Phœnix vna ſola auis in ſolis Africæ petris reperitur: ita Veritas in ſola Romana Cathedra, & Eccleſia, *quæ columna veritatis eſt.* 1. Timoth. 2. 2. Margarita Euangelica tantum in domo potuit inueniri: Ita adamas veritatis tantum in Eccleſia, 3. Quid Democrite in puteo demerſam quæris Veritatem? In Eccleſia eſt. Matth. 16. *Super hanc petram æd. Ec. meã, & po. inf. non prævalebunt adu. eam.*

2. Columna veritatis.

Fecit eam Ieſus, qualem 3. Reg. 10. *fecit*

3. Thronus Dei.

cit Salomon thronum de ebore grandem, & vestiuit eum auro fuluo nimis; & XII. leunculi stantes super gradus hinc, atque inde. Non est factum tale opus in vniuersis regnis. Omnino sunt Ps. 88. *Fundamenta eius in montib. sanctis,* XII. Apostolis.

4. Antagonista Antichristi.

4. Et eam esse Antichristi calumniatur hæreticus. 1. Ecquis enim vnquam Pontifex, 2. Thess. 2. *homo peccati, filius perditionis fuit, qui extolleretur supra omne, quod dicitur Deus?* 2. Quin potius quot Antichristos Cathedra Romana expugnauit? Arrium sub Sylvestro; Macedonium, &c.

PARS III.

De Scribis.

Tuonum Euangelii præconia.

I. SVper Cathedram Moysis sederunt scribæ, id est, *Alios autem dedit Doctores.* Eph. 4. *Omnia, quæcunque dixerint, seruate & facite.* Nam Malach. 2. *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius.* 1. Sunt enim tubæ Dei: Sunt Ionæ: cap. 8. *Adhuc 40. dies, & Niniue subuertetur.* 2. Sunt Nathanes; qui Regibus iram Dei denunciant, & vitam nefariam arguunt. 3. Sunt Ioeles, *c.* 2. dicentes: *Conuertimini ad me in toto corde.* Isaiæ 58. *Frange esurienti panem tuum. Date eleemosynas.*

Ergo *quasi tubam exalta vocem tuam, qui Euangelizas Sion.* 1. Sic enim muros Iericho deiecit Dominus. *Ios.* 6. 2 Sic Lazaros è vitiorum sepulchris euocabitis.

3. Sic, vt Daniel *cap.* 2. diuina intelligetis & explicabitis Nabuchodonosorib.

Effectus euangelizandi.

4. Facietis, quod *Gen.* 41. Ioseph in Aegypto Pharaoni, fratribus, populo. 5. Sic Angeli eritis; & huc nunciabitis, quæ Dei in cœlis voluntas: sicut, quæ hic geruntur Angeli isthuc perferunt. *Quia Angelus Domini exercituum est* Prædicator. Mal. 2. 6. Matt. 23. *Gallus tertio cantauit:* & Petrus ter *exiuit,* demum *fleuit amare.* Ita occinite pœnitentiam peccatoribus Prædicatores. Vtque Num. 13. *Reuersi exploratores terræ,* (speculatores cœlestium) *post 40. dies, omni regione circuita, venerunt ad Moysen, & Aaron, & omnem cœtum filiorum Israel. Locutique eis, & omni multitudini ostenderunt fructus terræ.* Ita concionatores loquantur, & agant, & viuant.

Inuectiua in docentes & non facientes.

Infœlices buccinatores, & inania crepitacula; qui *dicunt, & non faciunt.* 1. Similes sunt statuæ Nabuchodonosoræ, *Dan.* 2. cuius caput aureum aurum loquitur auare; pectus æreum & ferreum & inhumanum: pedes lutei vitaque vitiosa. 2. Similes nummis adulterinis: verba sonant bene: vita male. Splendent, & fallunt. 3. Loquuntur, vt Iacob, *Gen.* 27. Sed feri, pilosi, flagitiosi, profani, vt Esau. 4. Monstrum foret hominis, cui lingua longior brachio: ita qui dicit, & non facit. 5. *Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur. Maxime qui laborant in Verbo, & doctrina.* 1. Timoth. 5. At æra sonantia duplici quoque pœna digni sunt.

PARS IV.

De Pharisæis.

Sacrorum Præsulum.

I. SEdebunt *super Cathedram Moysis* etiam Pharisæi. id est, Præsules. 1. Hi enim sunt *fideles & prudentes serui, quos constituit Dominus super familiam suam.* Horum cuique dictum *Tibi dabo claues.* 2. Hi sunt Cherubin, cum romphæa flammea excommunicationis; arcentes ab introitu Paradisi, id est, Ecclesiæ abstentes.

1. Potestas.

2. Reuerentia.

Colendi igitur, ac metuendi sunt. S. Francisco tanti Sacerdotes erant, vt diceret: *Si* Angelus & Sacerdos sibi simul occurreret, prius se manus Sacerdoti exosculaturum; dein Angelum honoraturum. Quanto magis Præsulibus sacris?

3. Tituli.

O vestros si nossetis titulos Presbyteri! Estis, Matth. 9. *Lux mundi.* Luc. 8. *Sal terræ.* Hieronymo Epist. ad Marcell. *Ge-*

neræles Apostolorum Vicarii: Astra stellæ. Gregorio in Reg. *Ecclesiæ faces.* Basilio, *Lampades* Psaltæ 44. *Constitues eos Principes super omnem terram.* Malachiæ, *Non est nostrum iudicare Deos.* Et Psal. 91. *Ego dixi, Dij estis, & filij excelsi omnes.*

4. Officia. Estis velut Semidij: peccata remittitis: clauditis abyssos, dæmones fugatis; mortuos Deo fuscitatis. 3. Estis Satrapæ, *Gen.* 41. qui omnem mundi Aegyptum gubernatis sub Deo, Estis, 2. *Reg.* 10. custodes, & œconomi Salomonis, quibus is sua commisit omnia. 5. Estis limpidi fontes Helim, *Exod.* 15. quidulces doctrinæ aquas funditis, quibus deserta rigatis, vt fructificent. 6. Estis tribuum Principes, *Num.* 1. quibus incumbit, præcepta & monita populo denunciare. 7. Estis portæ templi. *Ezech.* 48. per quos innumeri intrant Ecclesiam. 8. Estis Pharisæi, id est, segregati à plebe, & sedentes *super cathedram Moysis.*

5. Pericula. II. Verum tamen potestati ac dignitati par est periculum vobis, & gregi; ni vigiletis. 1. Nam vt 1. *Mach.* 6. Eleazarus elephantem subiit suffodiendum, ratus se molem eius vel euadere, vel sustinere ruentis posse; sed oppressus occidit. Ita multi sub pondere Episcopali fatiscunt. 2. *Feriunt summos fulmina montes*, vt canit Horat. Ita Præsules sæpe causant peccata populi, & à feriente Deo luunt.

3. Testis Heli, 1. *Reg.* 4. qui è sella lapsus ceruicem fregit, conniuens filiis plus æquo.

Ergo attendant. Pericles, ait *Plut. in Polit.* quoties senatum Athe. erat initurus, sibi dicebat ipse: *Attende tibi, Pericles: Græci sunt quos regis, liberi sunt; Athenienses sunt*, id est. Seditiosi: ingrati in Principes, quos demum in exilium proiiciunt, vel enecant. Vt Socratem, Phocionem, Aristidem, &c. Quare *Attende tibi, Episcope: Animæ sunt, quas regis; Christianæ sunt; sanguine Saluatoris redemtæ sunt.* Estote igitur, vt quatuor illa animalia *Ezech.* 8. oculis plena intus & foris.

Non sitis, *qui dicunt, & non faciunt.* Qui ipsi nec ieiunant, nec eleemosynas dant, nec colunt modestiam, obedientiam erga Cathedram primam, &c. S. Gregorius suggillat eos, qui ex Episcopiis faciunt quasi aulas regum: *Volunt vocari Rabbi,* & nec docent, nec faciunt. *Væ autem terræ, cuius princeps puer est.* O Galliæ *pro Patrib. tuis nati sunt tibi filij* pueri Episcopi. *Ps.* 44. Pro Dionysiis, Martinis, Marcellis, Hilarionibus, Remigiis, &c. quos iam passim habes? Docent & ipsi faciant.

FERIA IV. POST DOMINICAM II. quadragesimæ.

Vide in F.S. Iacobi.

FERIA V. POST DOMINICAM II. quadragesimæ.

Vide in Dominica I. Post Trinitatem.

FERIA VI. POST DOMINICAM II. Quadragesimæ.

Homo erat paterfamilias, qui plantauit vineam, & sepem circumdedit ei. Matt. 21.

IVsto Naboth, 3. *Reg.* 21, vinea erat hæreditaria: Achab Rex impius eam appetit: Iezabel iustū peragit reum; vt lapidetur, traditque marito vineam. Ita Iesum Synagoga in crucem agit; vt Satan possideret Ecclesiam. At nequicquam.

Nos super iis

I. Quod homo sit arbor.
II. De vinea quid sit.
III. De cultura, & partibus vineæ.
IV. De vinitoribus.

PARS I.

Quod homo sit arbor.

Christianus est planta Christi. I. CYri, Persarum Regis, deliciæ fructus erant, quos ex arboribus à se-

con-

sto Iesu. At proprie cœpit ab Ada, & Abel, qui primi Deum coluerunt. Sed Psa. 88. *Ipse fundauit eam altissimus.* Hanc vineã Nabothi, 3. *Reg.* 21. Satan appetere cœpit initio, neque dum desistit: adusq; necem quoq; Christi. Qui vt Noe, *Gen.* 9. ex hac vinea inebriatus amore fuit, nudatus, illusus, &c. Psal. 21. *Omnes videntes me deriserunt me: & factus sum opprobrium hominum, & abiectio plebis.*

PARS III.

De cultura & partibus vineæ.

I. HAec trium est propaginum vinea. Gen. 40. *Videbam coram me vitem, in qua tres propagines, crescere paulatim in gemmas, & post flores vuas matures cere.* Tres eæ sunt Angeli: animæ purgatorij: homines. 1. Hanc rigauit *Gen.* 8. diluuio. Dein, *Exod.* 17. aqua petræ. Tum Elias, 3. *Reg.* 18. post triennalem siccitatem. *Ecce cœli contenebrati sunt, & nubes, & ventus, & facta est pluuia grandis.* Demum Baptismo rigari cœpta: & fonte crucis. Adeoq; Psal. 43. *fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei* Ecclesiam.

1. *Eius partes sunt Angeli, Purgatorii Viatores.*

II. *Calores* quoq; dedit vineæ suæ Deus. istis. *Gen.* 19. Pentapolim exussit. Samaria triennio æstuauit. 3. *Reg.* 18. Ara Eliæ cum victima & aquis absumta est. 3. *Reg.* 18. Deniq; Dominus, Matth. 13. *Ego veni ignem mittere, & quid volo, nisi vt ardeat.*

2. *Caloris eget charitate.*

III. Addit & *pluuias* Deus, putat, pastinat. En *putationes*: Exod. 12. Per exterminatorem occidit primogenitos Aegypti. 4. *Reg.* 18. castra Assyriorum nocte vna cædit. Circumcisionem instituit.

3. *Putationes punitionum.*

IV. Eandem & transplantauit. 1. Ex paradiso in senticosam humum, *Gen.* 4. 2. Cum Abraha de Vr in Chanaan. 3. Cum Ioseph. in Aegyptum. 4. Cum Moyse Ps. 79. *Vineam de Aegypto transtuliste* in deserta. 6. Hinc per Caleb, & Iosue in terram promissam. 7. Hinc in Babylonem. 8. Deniq; per Christum in cœlos.

4. *Transplantatione subinde.*

V. Quin & *sepe* spissa sepsit eam custodia Angelorum. Nam Cherubini custodiunt paradisum: motores cœlorum Angeli sunt: Ecclesiæ, singulisq; mortalium præsunt Angeli, Psal. 90. *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis:* Isa. 62. *Super muros tuos Ierusalem cõstitui custodes: tota die, & tota nocte nõ tacebũt.* 2. Quin imo, Ps. 124. *Dominus in circuitu populi sui.* Et Ps. 126. *Nisi Dominꝰ custodierit ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eam.* 3. Sunt item eius septa preces Sanctorum. Ita 2. *Mach.* 15. vidit Iudas Ieremiam & Oniam Pontif. orare pro populo. 4. Sunt & sepes Doctorum scientia, quæ vulpes arcet hæreticas. Item Concilia. His profligatæ sunt hæreses omnes Ariana, Nestoriana, &c. & mores castigati.

5. *Sept Angelorum.*

Dei Sanctorum.

Doctorum.

VI. *Turris* in vinea Autoritas est Pontificis: Aut potestas Sacerdotum ad transsubstantiandum. Qua quid sublimius? Angelos transcendit. Aut potestas Iurisdictionis. Rectius, Scriptura est *turris fortissima.* Cant. 4. *Mille clypei pendent ex ea, & omnis armatura fortium.* Inde & seruator arma tulit, obiecitq; tentator. Matt. 4.

6. *Pontific. Et S. Scriptura.*

VII. *Torcular* quid? An martyria? An pœnitentia manans lacrymis? An Crux Christi exũdans Sanguine? Sic ipse: Thr. 1. *Torcular calcaui solus.* Ab omnibus vndique prouisum vineæ est. Isa. 5. *Quid debui vltra facere vineæ meæ, & non feci?*

PARS IV.

De vinitoribus.

I. HI erant Sacerdotes, Leuitæ, Scribę: suntque etiamnum.

Serui ad hos missi sunt Prophetæ tempore Iudicum, Regum, & captiuitatis. At eos oderunt, occiderunt: serra Isaiam: lapidibus Amos: Michæam carcere & alapis afflixerunt. Ieremiam in puteum demerserunt. Baptistam decollarunt: Dominum vineæ crucifixerunt: Martyres

neræles Apostolorum Vicarii: Astra stellæ. Gregorio in Reg. *Ecclesiæ faces.* Basilio, *Lampades* Psaltæ 44. *Constitues eos Principes super omnem terram.* Malachiæ, *Non est nostrum iudicare Deos.* Et Psal. 91. *Ego dixi, Dij estis, & filij excelsi omnes.*

4. Officia. Estis velut Semidij: peccata remittitis: clauditis abyssos, dæmones fugatis; mortuos Deo fuscitatis. 3. Estis Satrapæ, *Gen.* 41. qui omnem mundi Aegyptum gubernatis sub Deo, Estis, 2. *Reg.* 10. custodes, & œconomi Salomonis, quibus is sua commisit omnia. 5. Estis limpidi fontes Helim, *Exod.* 15. quidulces doctrinæ aquas funditis, quibus deserta rigatis, vt fructificent. 6. Estis tribuum Principes, *Num.* 1. quibus incumbit, præcepta & monita populo denunciare. 7. Estis portæ templi. *Ezech.* 48. per quos innumeri intrant Ecclesiam. 8. Estis Pharisæi, id est, segregati à plebe, & sedentes *super cathedram Moysis.*

5. Pericula. II. Verum tamen potestati ac dignitati par est periculum vobis, & gregi; ni vigiletis. 1. Nam vt 1. *Mach.* 6. Eleazarus elephantem subiit suffodiendum, ratus se molem eius vel euadere, vel sustinere ruentis posse; sed oppressus occidit. Ita multi sub pondere Episcopali fatiscunt. 2. *Feriunt summos fulmina montes*, vt canit Horat. Ita Præsules sæpe causant peccata populi, & à feriente Deo luunt.

3. Testis Heli, 1. *Reg.* 4. qui è sella lapsus ceruicem fregit, conniuens filiis plus æquo.

Ergo attendant. Pericles, ait *Plut. in Polit.* quoties senatum Athe. erat initurus, sibi dicebat ipse: *Attende tibi, Pericles: Græci sunt quos regis, liberi sunt; Athenienses sunt*, id est. Seditiosi: ingrati in Principes, quos demum in exilium proiiciunt, vel enecant. Vt Socratem, Phocionem, Aristidem, &c. Quare *Attende tibi, Episcope: Animæ sunt, quas regis; Christianæ sunt; sanguine Saluatoris redemtæ sunt.* Estote igitur, vt quatuor illa animalia *Ezech.* 8. oculis plena intus & foris.

Non sitis, *qui dicunt, & non faciunt.* Qui ipsi nec ieiunant, nec eleemosynas dant, nec colunt modestiam, obedientiam erga Cathedram primam, &c. S. Gregorius suggillat eos, qui ex Episcopiis faciunt quasi aulas regum: *Volunt vocari Rabbi,* & nec docent, nec faciunt. *Væ autem terræ, cuius princeps puer est.* O Galliæ *pro Patrib. tuis nati sunt tibi filij* pueri Episcopi. *Ps.* 44. Pro Dionysiis, Martinis, Marcellis, Hilarionibus, Remigiis, &c. quos iam passim habes? Docent & ipsi faciant.

FERIA IV. POST DOMINICAM II. quadragesimæ.

Vide in F.S. Iacobi.

FERIA V. POST DOMINICAM II. quadragesimæ.

Vide in Dominica I. Post Trinitatem.

FERIA VI. POST DOMINICAM II. Quadragesimæ.

Homo erat paterfamilias, qui plantauit vineam, & sepem circumdedit ei. Matt. 21.

IVsto Naboth, 3. *Reg.* 21, vinea erat hæreditaria: Achab Rex impius eam appetit: Iezabel iustū peragit reum; vt lapidetur, traditque marito vineam. Ita Iesum Synagoga in crucem agit; vt Satan possideret Ecclesiam. At nequicquam.

Nos super iis

I. Quod homo sit arbor.
II. De vinea quid sit.
III. De cultura, & partibus vineæ.
IV. De vinitoribus.

PARS I.

Quod homo sit arbor.

Christianus est planta Christi. I. CYri, Persarum Regis, deliciæ fructus erant, quos ex arboribus à se-

con-

confitis carpebat, teste *Xenophonte*. Ita Christo volupe, ex plantatis in Baptismo animabus fructum ferre. 1. Ioann. 15. *Ego posui vos, vt eatis, & fructum afferatis.* 2. Nos rigauit is sanguine: influxus dedit gratiæ: *fructus* expectabat *pœnitentiæ*. Luc. 3. *Facite dignos.*

1. Enim vero Psalm 1. *Estis tanquam lignum quod plãtatum secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, & folium eius non defluet.* 2. Ita fuit, quod, Genes. 2. *produxit Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suaue.* 3. Item & voluit Deus: *De omni ligno paradisi comedes.* Efferri fructus, & vesci eos, comedique volebat.

II. Odit steriles, Luc. 3. *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignẽ mittetur* q. d. Non sinam, non patiar meũ agrum Ecclesiæ sterilibus plantis occupari: peccatores erunt pabulum gehennæ, *mors depascet eos.* Psal. 48.

Ita Luc. 18. *Paterfamilias, quærens fructũ in ficulnea, non inuenit dixit ad cultorem vineæ, Ecce anni tres sunt, ex quo venio quærens fructus in ficulnea hac, & non inueni: succide ergo illam. Vt quid enim terram occupat?* Væ! *Mors peccatorum pessima*; qui nec 30. annis fructus edunt quicquam.

Qui similes arbori Nabuchodonosoræ: Daniel. 4. *Videbam, & ecce arbor in medio terræ, & altitudo eius nimia folia eius pulcherrima: & fructus eius nimius: & esca vniuersorum in ea: Subter eam habitabant animalia & bestiæ; & in ramis eius conuersabantur volucres cœli: & ex ea vescebatur omnis caro.* Quid hac duxeris arbore speciosius, aut fructuosius? At bestiarum erat, & bestialis Idcirco vox de cœlo accidit; *Succidite arborem, præciditeramos eius: excutite folia, & dispergite fructus eius*: Fructus amat Deus spiritales, non bestiales.

Libanus mons est cedris præstantissimis consitus; at sterilibus: Huic Solymam confert Dominus. Ideo sic ei denunciat per Ezechielem cap. 17. *Aquila grandis magnarum alarum, plena plumis, & varietate* (id est, Nabuchodonosor:) *venit ad Libanum*, Ierosolymam: *& tulit medullam Cedri, summitatem frondium eius assumsit, & transportauit eam interram Chanaam.* id est. Solyma transmigrabitur in Babylonem captiua: quia infrugifera. Ita animabus euenier omnibus inertibus: *auferetur à vobis regnum, & dabitur genti facienti fructus eius.*

PARS II.

De vinea quid sit.

Vinea est
1. *Mũdus.*
2. *Solyma.*
3. *Religio.*
4. *Anima.*

I. *Sanctus Athan. lib. Alleg. quæst.* 84. ait: Vinea, mundus est: turris, fides: Vinitores, Iudæi: serui, prophetæ. 2. *S. Isid.* ait: Vinea est Ierusalem: torcular, templum: turris, altare: seps, lex: filius, Messias. 3. Vinea esse potest religio: vinitores, religiosi: fructus sunt orationes, mortificationes &c. torcular, conscientia: turris, iustitia.

4. Anima est vinea: rigata gratiis: fulta crucis palo: sepra *Angelis*, quibus *mandauit de te.* Psal. 90. torcular, charitas: turris, fides: 1. Ioann. 4. *Hæc est enim, quæ vincit mundum fides nostra.* Turris spe assurgens in cœlum: fenestrata virtutibus. Serui, inspirationes, exhortationes, &c. Fructus sunt opera pietatis, charitatis, &c.

5. *Hæresis.*

5. Vinea est & hæresis: Sed diaboli, cincta erroribus, mẽdaciis, blasphemiis, torcular, conscientia, turris, superbia: vinitores Luth. Calu. *Apostatæ*, fructus, demolitio altarium, &c. Deut. 12. *Vua eorum vua fellis, & botri amarissimi, vinum eorum fel draconum, & venenum insanabile.*

6. *Ecclesia.*

II. Vinea est Ecclesia. Isa. 5. *Vinea Domini exercituum domus Israel est, & vir Iuda germen eius delectabile.* Hæc plantata cœpit in Angelis. Quia & hi fidem initio habuere, congregati sub vno Capite Christo

sto Iesu. At proprie cœpit ab Ada, & Abel, qui primi Deum coluerunt. Sed Psa. 88. *Ipse fundauit eam altissimus.* Hanc vineã Nabothi, 3. *Reg.* 21. Satan appetere cœpit initio, neque dum desistit: adusq; necem quoq; Christi. Qui vt Noe, *Gen.* 9. ex hac vinea inebriatus amore fuit, nudatus, illusus, &c. Psal. 21. *Omnes videntes me deriserunt me: & factus sum opprobrium hominum, & abiectio plebis.*

PARS III.

De cultura & partibus vineæ.

I. HAec trium est propaginum vinea. Gen. 40. *Videbam coram me vitem, in qua tres propagines, crescere paulatim in gemmas, & post flores vuas matures cere.* Tres eæ sunt Angeli: animæ purgatorij: homines. 1. Hanc rigauit *Gen.* 8. diluuio. Dein, *Exod.* 17. aqua petræ. Tum Elias, 3. *Reg.* 18. post triennalem siccitatem. *Ecce cœli contenebrati sunt, & nubes, & ventus, & facta est pluuia grandis.* Demum Baptismo rigari cœpta: & fonte crucis. Adeoq; Psal. 43. *fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei* Ecclesiam.

1. *Eius partes sunt Angeli, Purgatorii Viatores.*

II. *Calores* quoq; dedit vineæ suæ Deus. istis. *Gen.* 19. Pentapolim exussit. Samaria triennio æstuauit. 3. *Reg.* 18. Ara Eliæ cum victima & aquis absumta est. 3. *Reg.* 18. Deniq; Dominus, Matth. 13. *Ego veni ignem mittere, & quid volo, nisi vt ardeat.*

2. *Caloris eget charitate.*

III. Addit & *pluuias* Deus, putat, pastinat. En *putationes*: Exod. 12. Per exterminatorem occidit primogenitos Aegypti. 4. *Reg.* 18. castra Assyriorum nocte vna cædit. Circumcisionem instituit.

3. *Putationes punitionum.*

IV. Eandem & transplantauit. 1. Ex paradiso in senticosam humum, *Gen.* 4. 2. Cum Abraha de Vr in Chanaan. 3. Cum Ioseph. in Aegyptum. 4. Cum Moyse Ps. 79. *Vineam de Aegypto transtuliste* in deserta. 6. Hinc per Caleb, & Iosue in terram promissam. 7. Hinc in Babylonem. 8. Deniq; per Christum in cœlos.

4. *Transplantatione subinde.*

V. Quin & *sepe* spissa sepsit eam custodia Angelorum. Nam Cherubini custodiunt paradisum: motores cœlorum Angeli sunt: Ecclesiæ, singulisq; mortalium præsunt Angeli, Psal. 90. *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis:* Isa. 62. *Super muros tuos Ierusalem cõstitui custodes: tota die, & tota nocte nõ tacebũt.* 2. Quin imo, Ps. 124. *Dominus in circuitu populi sui.* Et Ps. 126. *Nisi Dominꝰ custodierit ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eam.* 3. Sunt item eius septa preces Sanctorum. Ita 2. *Mach.* 15. vidit Iudas Ieremiam & Oniam Pontif. orare pro populo. 4. Sunt & sepes Doctorum scientia, quæ vulpes arcet hæreticas. Item Concilia. His profligatæ sunt hæreses omnes Ariana, Nestoriana, &c. & mores castigati.

5. *Sept Angelorum.*

Dei Sanctorum.

Doctorum.

VI. *Turris* in vinea Autoritas est Pontificis: Aut potestas Sacerdotum ad transsubstantiandum. Qua quid sublimius? Angelos transcendit. Aut potestas Iurisdictionis. Rectius, Scriptura est *turris fortissima.* Cant. 4. *Mille clypei pendent ex ea, & omnis armatura fortium.* Inde & seruator arma tulit, obiecitq; tentator. Matt. 4.

6. *Pontific. Et S. Scriptura.*

VII. *Torcular* quid? An martyria? An pœnitentia manans lacrymis? An Crux Christi exũdans Sanguine? Sic ipse: Thr. 1. *Torcular calcaui solus.* Ab omnibus vndique prouisum vineæ est. Isa. 5. *Quid debui vltra facere vineæ meæ, & non feci?*

PARS IV.

De vinitoribus.

I. HI erant Sacerdotes, Leuitæ, Scribę: suntque etiamnum.

Serui ad hos missi sunt Prophetæ tempore Iudicum, Regum, & captiuitatis. At eos oderunt, occiderunt: serra Isaiam: lapidibus Amos: Michæam carcere & alapis afflixerunt. Ieremiam in puteum demerserunt. Baptistam decollarunt: Dominum vineæ crucifixerunt: Martyres

res quot fecerunt? Væ talium persecutoribus: Isti fructus à nobis repetunt patientiæ, fidei &c.

Nidemus: *regnum dabitur genti facienti fructum eius.* 1. Abstulit ab Asia fidem, quam ibi S. Ioannes plantarat: ab Africa, Anglia, &c. 2. Et Sauli datum erat dignoregnum: indigno aufertur. Ieroboamo tribus dederat decem: at vitæ effectum improbæ deturbauit regno. 3. Sodomæ *terra erat sicut paradisus*, Gen. 17. At de cœlo vastatur peccatrix. 4. Decem populos eiecit: & instituit Israelitas, Psalm. 104. *Dedit illis regiones gentium; & labores populorum possederunt.* Vineaigitur dignos fructus efferamus.

SABBATO POST DOMINIcam II. Quadragesimæ.

Homo quidam habuit duos filios: & dixit adolescentior ex illis Patri: Pater, da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit. Luc. 15.

ABrahæ, *Gen.* 29. Duo erant filij, Isaac & Ismahel: Isaaco item, Iacob, & Esau: nimium quam dissimiles moribus, vita & benedictione. Tales & hi duo.

Quorum occasione nos

I. *De prodiga voluptate.*
II. *De filio prodigo.*
III. *De Luxuria, & dispensatione.*
IV. *De regione longinqua.*

PARS I.

De prodiga voluptate.

I. ARchytas Tarentinus, ait Cic. in Cat. Maiore, dicebat: *Nullam capitaliorem pestem, quam corporis voluptatem hominibus à natura datam esse: qua infectis ciuibus, de salute diffidas.*

2. Hinc Dionysius Sophista monebat: *Mel neu plena manu comedas.* Parce sumta, mel est: at fel est hausta voluptas. Euertit, quas inquinat, Respublicas.

3. Ionathas, 1. *Reg.* 19. queritur: *Gustans gustaui in summitate virgæ, quæ erat in manu mea, paululum mellis: & ecce ego morior.* Figura hæc est voluptatis vetitæ, ideoque mortiferæ.

Item ex prodigalitas, quæ & infamis.

II. Ea vero aut nascitur, aut pascitur ex prodigalitate: Quo hæc quoque pestilentior existit. 1. Ethnici Asotos & prodigos patrio inferri tumulo vetabant; quod hæreditatem eius decoxissent. 2. Romani, teste *Alex. ab Alex. l. 2. c. 24.* gnattones in theatrum productos ludibrio propinabant.

Proscripta legibus.

3. Solon, ait *Laertius*: Legem tulit: τὴν ἑαυτοῦ οὐσίαν δαπανῶν, ἄτιμος ἔστω. id est: *suam substantiam abliguriens inhonorus esto.* 4. Id Phoco euenit Phocionis filio degeneri, ab Athenienſibus infami reddito per gulam.

5. Iulius Paulus *lib. 3. l. 12. Tabul.* hoc citat Romanorum Prætorianum edictum: *Quando tibi bona paterna habita, nequitia tua dissperdis, liberosque tuos adegestatem perducis, ob eam rem tibi eare, commercioque interdico.* Item Leg. 23. xii. Tabular: *Prodigo bonis interdictum esto.*

Capitalis est.

6. Areopagitæ Athenienses voluptarios prodigos, velut perduellionis reos, peragebant, mortiq; addicebant. De hoc refert Athenæus *lib. 4. Var.* Democritum ab ijs condemnatum exhausti patrimonij fuisse: at causam dicentem, philosophiæ, nõ voluptati se id impendisse, continuo absolutum fuisse.

Exosaque Deo.

III. Deus quoque auersatur prodigalitatem. 1. Nam *Ioan. 6.* cum insignitam ostendisset liberalitatem 5. panibus & 2. piscibus satiando 5000. hominum: parsimoniam continuo docuit subiiciens; *Colligite, quæ superauerunt, fragmenta.* 2. Ita *Exod. 16.* Liberalissime manna depluebat: at plus, quam in diem sat esset, colligi-

gi nolebat. *Ne quid nimis* esset cuiquam, vnde vel cibum vilipendendi, vel quouo modo abutendi foret occasio. 3. Eo fine hic infert parabolam, an historiam? de filio prodigo.

PARS II.

De filio prodigo.

Par filiorũ disp ar.

I. *PAter, da mihi.* Is Deus Pater est, cui oramus *Pater noster, qui* es Iustorum & Peccatorum. En filij duo. 1. Ita Abraham *Gen.* 21. pater Ismaelis idololatræ; & Isaaci pij. 2. Et hic duorum pater, Iacob iusti, & Esau feri: ambo in Ecclesiæ vtero nati, educati. 3. Noe, *Gen.* 7. eadem in arca coruos habuit, & columbas. 4. Piscator, *Matt.* 11. Deus eodem in reti prouidentiæ habet bonos & malos. Ita hic *homo quidam habebat duos filios.*

Patri pudor est & mœror. Exempla filiorum prodigorũ.

Infelix pater, iuste doles, qui solum duos es nactus natos, & vtrum q; nequis habere bonum.

1. Quod si *Gloria patris est virtus filiorum*: iam certe probrum filiorum erit dolor patris. Alterum ex altero cuiuis æstimare est. 2. Par sors Adæ, *Genes.* 4. in Abele & Cain: 3. Dauidi par, 2. *Reg.* 11. in Salomone & Absolone.

II. Exemplorum hodie nimio plus. Quot, quales nepotes? Quibus merito Diogenes Cynicus diceret, visa Iurconis domo venali: *Sciebam te post tantam ebrietatem ædes etiam euomere debere.* 2. Athenæus *l.* 4. *cap.* 20. refert de Cresippo, qui post absumtum patrimonium, etiam lapides de sepulcro patris diuendidit. 3. Plato videns nobilem iuuenem, ante prædiuitem, nunc pauperem in angulo plateæ frustum panis rodentem, ait: *Si moderate prandisses, melius iam cænares.* 5. Philosophus quidam, apud *Aelian. l.* 12. ait: *Agrigentini ædificant, quasi semper victuri: & comedunt, quasi semper morituri.* Id de popinatoribus dicas licet.

Patrum testamẽta de filiis prodigis.

II. Miseri parentes, quorum sudores, curas, & animas dilapidant proles. 1. Bene Crates Thebanus omnia bona sua nummulariis Reip. tradidit, ea conditione; darent suis liberis frugi: at frugiperdis futuris negarent. *Laert. l.* 3. 2. Phocion quoq; oblatam vim pecunię repudians, vrgentibus pro liberis eam acceptaret, ait: Brusonio teste, l. 3. c. 7. *Si filius vitam moresque composuerit, viuet paterna hæreditate contentus: si prodigus fuerit, nec hoc argentum sufficerit.*

PARS III.

De Luxuria, & dissipatione.

Luxuria 1. enervat.

I. *DIssipauit omnem subst. suam viuendo luxuriose cum meret.* id est, gula, & luxuria. 1. Hæc Samsonẽ perdidit. *Iud.* 15. Vixit luxuriose cum Dalila: prodegit substantiam roboris sui; In pristinum deuenit. 2. Sichem, *Gen.* 34. Dinæ amoribus omnia prodegit, vitam, & regnum. 3. Salomon, 2. *Reg.* 11. cum septuaginta Reginis, & 300. concubinis dissipauit honorem, sapientiam, animam, fidem, &c. 4. Vere Prou. 29. *qui nutrit scortum, perdet substantiam suam.* Est hoc, vt hirudo vbi adhæsit semel, aut exugit omnem sanguinem aut crepat. 5. Eccl. 19. *Vinum, & mulieres facient apostatare sapientes.*

2 Spoliat regno. 3. Honore. 4. Omnib. 5. Facit a. postatare.

Exemplũ scorti præ. diuitis.

Prodit *Athenæus l.* 5. *c.* 12. Phrynem lupam corporis euulgatione tantum fecisse quæstum, vt dirutos ab Alexan. Magno muros Thebanos instaurare potuerit. Idque sibi licere vltro postulauit, addita epigraphe: *Alexãder euertit: Phryne meretrix erexit.* Eam, ait *Plut. l. de fortuna Alex.* Statuam auro solidam Veneri in Delphico templo dicasse, cum titulo: *Ex Græcorum intemperantia:* Eam vt Crates vidit, ait. *Hoc tropæum est de Græcorum petulantia.* O quot hodie Phrynæ, ac Laides? Quot, qui *dissipant omnem substantiam suam* & spiritalem, & temporalem; *viuendo luxuriose?*

II. A-

Prodigalitas domum diffamat.

II. Agit cum homine prodigalitas, vt *Geneſ.* 9. vinum cum Noe: hoc inebriatus nudatur orbi toti: ſic illa hominis vitia reuelat, & paupertatem denique. Dalila detondet Samſonem, & eneruat, & ſimul inneruatur: lupa virum expilat, effæminatque.

Perdit hominem.

Aaron Iſraelitis opes adimit, idolumque conflat. *Exo.* 32. Ita prodigalitas conuertit fortunas in idola flagitiorū, quib. cum fornicatus homo pereat. *Quorum Deus venter eſt*, Phil. 3. viuendo luxurioſe. Hoc monſtra edidit facinorum. 1. Quale quod Cleopatra, *Plinio teſte*, in cœnæ vnius ſecunda menſa intulerit pretium librarum auri 750. 2. Quod Vitellius Imp. ientacula, prandia, cœnas diſpertiebat: & ſinguli apparatus non minus, quā quadraginta millibus nummum conſtabant. Luit. Nam Veſpaſiano Imp. declarato, ipſe vnco & laqueo iniecto pertrahitur in forum. *Sabell. l. 2.*

Exempla.

3. Salomone profuſior an vllus: (at myſterioſa in eo omnia.) 3. Reg. 4. *Erat autem cibus Salomonis per dies ſingulos XXX. cori ſimilæ, & 40. cori farinæ, 10. boues pingues, & 20. boues paſcuales, & 100. arietes: excepta venatione ceruorum, caprearum, atque bubalorum, & auium altilium.*

4. Prætor Rom. ad Lucullum miſit, vt veſtes in Ludos concederet: continuo miſit ei centum millia eiuſdem coloris pupurei. Hiccine luxus?

5. Num minor Heliogabali? *Lamprid.* Is in roſacea balneabat: lampades balſamo alebat: in croceo ſtertebat ſtrato; veſtem nunquam bis eandem induebat.

6. Caligula nepotinis ſumtib. omnes ſuperauit. Gemmas pretioſiſſimas aceto liquatas; obſonia, paneſque ex puto auro apponebat; gemmatis puppibus vtebatur, &c. O luxum prodigum, & prodigioſum.

* * *

PARS IV.

De regione longinqua.

Peccatoris & Dei diſtantia.

I. SEd fare, age, fili prodige, tute nobis fortunam ecfare tuam. Te quibus in oris procul iuiſti perditum? In peccati, inquis, regione. 2. Eſt illa vere extra anni, ſoliſque vias poſita; tam longinque peccator ſecedit: *Longe a peccatoribus ſalus*, ait Pſaltes. 2. Inter peccatum, & gratiam tam longinqua eſt intercapedo, vt apoſtatæ angeli viam ingreſſi nunquam emetiriqueant 3. Eadem in via Cain, Pharao, Epulo, &c. æternum aberrarunt. Adam in ea tam longe deerrauit, vt quater millibus annorum redire ad certa & tuta nequiret. Deus cœlo lapſus quæſiuit te peccator, in præſepio, Aegypto, deſerto, cruce, ſepulcro, inferno.

Peccatoris vaſtitas.

II. Qui vero te iſthic iactarunt caſus? *Diſſipauit omnem ſubſtantiam ſuam*, omnem Dei gratiam. 1. Euenit, quale de Ieroſolyma vaticinatus Ieſus. Luc. 19. *Venient dies in te, & circumdabunt te inimici Dei vallo; & coanguſtabunt te vndique; & ad terram proſternent te & non relinquent in te lapidē ſuper lapidem.* En vaſtitas. Dirior in anima ex peccato eſt; vt omnib. gratiis exuatur.

2. Declarat id Dominus in ſeruo nequam, Matth. 18. *Iuſſit eum venundari, & vxorem eius, & filios, & omnia quæ habebat.* 3. Cyprianus ſerm. 88. de lapſis. *Hoc ſunt peccata lapſis, quod grando frugibus: quod turbulentum ſidus arboribus: quod armentis peſtilens vaſtitas: quod nautis ſæua tempeſtas.*

4. Vt *Ion.* 2 nautæ exonerarunt nauim, demum Ionam ipſum eiecerunt: ita animam peccatricem dæmones meritis ſpoliant, ipſamque demergunt. 5. Velut Hypanis vaſtus fluuius prædulcis, vt primum cum riuulo alienæ aquæ miſcetur, fit amarus: ita anima quantiſuis beata ab virtutibus, paruo tamen riuulo peccati corrumpitur.

Age igitur peccator, deſere lupas, regioneſque longinquas, ſues, & ſcelera: accide ſupplex Deo; dic: Pater, peccaui in cœlum, & coram te: Nam malum coram te feci. Miſerere.

DOMINICA III. QVADRAGESIMÆ Feria II.

Quanta audiuimus facta in Capharnaum: fac & hic in patria tua.

Luc. 4.

IOſeph, *Gen.* 34. in patria, etſi charus patri; at fratribus exoſus fuit, greges ſeruabat, plebeius agebat; demum venundatus eſt. Mutat cœlum, extraque patriam breui par fit Regi, adoratur. Ita Ieſus domi inglorius, fabri filius, ſubditus parentibus, mechanicus habitus fuit: at foris mira patrat mirus.

Nos huius occaſione

I. *Quod Iudicia Dei verenda: non quærenda.*

II. *De hoc: Fac & hic in Patria.*

III. *De miraculis ex dono gratis dato.*

IV. *De miraculis gratum facientibus.*

PARS I.

Iudicia Dei verenda; non quærenda.

1. *Eſt inexplicabile.*

I. *IVdicia Dei abyſſus multa.* 1. Limantes Iphigeniæ, filiæ Agamēnonis, immolationem pinxit & cognatos vario luctus ſchemate circum: at patris vultum velo obnubebat. Sciſcitanti cauſam ait; luctus patris tali in re & loco coloribus nequeunt adumbrari. Ita iudiciorum Dei abyſſus tutius filetur; quam verbis delineari

2. *Admirabile.*

laboratur. 2. Quales *Exod.* 25. ſupra Propitiatorium Cherubini paſsis alis ſtant illud operientes, & intuentur attoniti: ita quo plus homines, & Angeli conſiderant iudicium Dei; hoc longius id fugit ab oculis.

3. *Inſcrutabile.*

3. Ioannes vidit, *Apoc.* 5. librum, intus foriſque ſcriptum, ſignatum ſigillis 7. quem legere, vel aperire nemo in cœlo, terra, infra terram poterat. Liber eſt iudiciorum Dei: intus arcana prædeſtinationis; foris prouidentiæ. Rom. 11. *O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei: quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius.*

Figura.

II. Hic Rubus ardentis Iuſtitiæ, & lucentis Miſericordiæ; at ſpinoſus à difficultatibus, *Exod.* 3. Nimirum illud eſt, de quo, Pſal. 17. *Poſuiſti tenebras latibulum ſuū.* 1. In eo quadratura latet circuli. 2. Ibi trāſitus maris rubri ac profundi. 3. Is fluuius eſt inuadabilis Ezechieli, *cap.* 45. ſed fit vſque altior.

Similia.

II. Quid? 1. Philoſophi fluxum, refluumq; maris non capiunt; & Dei iudicia prædeſtinantis, ac reprobantis quis ceperit? 2. Nec medicus de morbo interiore iudicat; niſi ad exteriora ſe det foras. 3. Nec Aſtrologus de futuris coniectat; niſi ex aſpectu, motuque ſiderum. Ita nec quiſquam de iudiciis Dei quicquam, niſi per coniecturam.

Hominum temeraria curioſitas.

Et tamen hominum ea eſt curioſitas, vt circa has ſyrtes natitare: ea temeritas, vt ſcrutari maieſtatem non vereantur; in regia Dei inuadens atria. Audet, & quærit: Cur hunc inter Turcos naſci voluit Deus? Iſtum baptizari, non hunc? Hunc in cunis mori; decrepitum illum? Cur hunc ingenioſum; bardum alium? Cur hic prædeſtinatus; non is? Cur Petri miſertus; non Iudæ? Cur potius Adæ ac poſteris dedit locum pœnitentiæ; ac gratiæ; quam Lucifero & aſſeclis? Cur in Iudæa non Chaldæa naſci: cur in patria non edere miracula, ſed alibi voluerit? O audaciam percunctandi!

PARS

PARS II.

De hoc: Fac & hic in Patria.

Gratiæ diuersæ diuersis dantur.

I. GRatiæ gratum facientes offeruntur omnibus, vti necessariæ: at gratis datæ; quales sunt miraculorum; linguarum, prophetiæ; dantur paucis. Sed & vtraque non æqualiter omnibus. Nam Ioann. 5. *Spiritus, vbi vult, spirat.*

Neque cœlorum iidem vbique sunt influxus: in oriēte nascuntur gemmæ; in occidente metalla; Africa leones, Aquilas Barbaria, crocodilos Aegyptus producit: &

Hic segetes, illic veniunt felicius vuæ.

Ita nec Deus omnia dat omnibus dona gratiarum. *Quanta audiuimus facta* in Sodoma, in diluuio? *Quanta* in Lege Mosaica, in Aegypto, in mari rubro, in deserto? *Quanta* Elisæus, Elias? *Quanta in Capharnaum*, Galilæa, Iudæa? *Fac & hic in* Nazareth. Et cur non ô Iesu? Psalm. 118. *Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua.* Scholæ docent: *Idem manens idem semper idem operari*: Psalm. 101. *Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.* Cur igitur non eadem in patria facis, ac alibi?

1. Fides miraculis necessaria.

II. *Primo.* An quod Nazareni gentium sint infecti superstitionibus? Nam fides ad miracula requiritur à Domino. 1. Vt Marc. 6. Dæmoniaco ait: *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti.* 2. Archisynagogo Luc. 8. *Noli timere, crede tantum, & salua erit.* 3. Marthæ Ioan. 8. *Si credideris, videbis gloriam Dei.* 4. Chananææ Matt. 15. *O mulier, magna est fides tua.* Ita vbi fides, ibi fiunt miracula: & vbi miracula, ibi sæpe fit fides.

Miracula nulla apud hæreticos.

Ideo in hæreticorum lustris ac mapalibus nulla vnquam vera miracula. 1. Negabat ideo miraculum Dominus Herodi curioso, *Matth. 27. 2.* Et Pharisæis, Matth. 12. *Volumus à te signum* videre. 3. Baalitæ 3. *Reg.* 19. ad rauum vociferabantur: at nequicquam: nil signi edebatur. Deerat fides. Orat Elias: iam ignis cœlo ruit; deuorat omnia. 4. Flumina Syriæ lepram Naamani tollere nequibant; quibat Iudææ Iordanis, vbi Elisæus morabatur, 4. *Regum* 5. In Ecclesia θαυμαλούργος est Iesus.

2. Patria multis adversa.

Secundo. Sed cur denique non in patria facis miracula, Iesu? *Quia nemo propheta acceptus est in patria sua.* 1. Vt *Gen.* 40. Ioseph domi exosus, despectus: in Aegypto euehitur. 2. Moyses, *Exod.* 2. à matre in scirpea fiscella exponitur aquis: ab aliena Pharaonæa educatur. *Num.* 12. Ab sorore ridetur; à suis tantū non pene lapidatur: at à Rege & Principibus eximio cū honore accipitur. *Exod.* 17. 3. Dauid, 1. *Reg.* 17. à fratribus despicitur, & *c.* 25. ab Nabal: at Israelitæ, & chori Virginum decem millibus vnum anteponunt. 4. Daniel, c. 5. Mardochæus, *Esth.* 7: quantos extra patriā honores indipiscuntur? 5. Eliā persequuntur Israelitæ: 3. *Reg.* 17. Mirantur alii, ac venerantur. Item Elisæum; et. si, 4. *Reg.* 2. à pueris subsannetur. Sic & Domino euenit, à ciuibus fastidito.

3. Deus non accipit personas.

Tertio. Ideo non fecit in patria: quia Act. 10 *in veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus.* 1. Ita Herodiani, Matth. 22. *Magister scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces: & non est tibi cura de aliquo: non enim respicis personam hominum.* 2. Iob 31. *Deus non accipit personas Principum.* Eodem vultu respicit *pauperum tabernas, regumque turres.* 3. Ita & Rex Iosaphat ad regni præfides, 3 Par. 19. *Non est apud Deū nostrū iniquitas; nec personarū acceptio: nec cupido munerum*: quasi dicat; pari modo vos æqua lāce iustitiā administratis.

Facessant igitur curiosæ quæstiones: cur facit hoc Deus? Cur istud? &c. Aequa Deus voluntate succurrit Sareptanæ pauperculæ, 3. *Regum* 18. & Naamano Principi Syro.

PARS III.

De miraculis ex dono gratis dato.

Pœna gulæ.

I. PORro similiter dicamus: *Quanta audiuimus facta in* gulosos: *fac & hic.* Adam eiecisti ex paradiso, *Gen.* 3 Esau. *Geneſis* 25. ob edulium lentis abiecisti: Epulonem, *Lucæ* 26. ad inferos proturbasti. Balthasarum, *Dan.* 5. comessantem occidisti. Cur non modo similia in lurcones similes?

Pseudoprophetarum.

Quanta audiuimus facta in falsos prophetas. Et quidem, 3. *Regum* 18. in 400. Baalitas. 2. In profanos Esau posteros: *Geneſis* 27. In Cain, *Geneſis* 4. In persecutores iustorum Aegyptios. *Exod.* 14 In fornicatricem Iezabelem, 4. *Reg.* 9. In hæreticos ætatum superiorum, ac nostra memoria: *fac & hic* hodieque.

Cur miracula in primitiua Ecclesia. Figuræ.

II. *Quanta audiuimus facta in* primitiua Ecclesia? Nimirum istis tunc initiis necessaria, cum oleum & lumen nondum in magna lampade Ecclesia abundaret. 1. Figuram gessit nascentis Ecclesiæ vidua Sunamitidis, 4. *Reg.* 4. cui paupercula oleum auxit Elisæus: Ita S. Spiritus cum visibiliter in paruulam Ecclesiam descendisset, adauxit illis & fidei, & charitatis oleum: adeo, vt Iudææ vasa id omne capere non possent: sed necesse esset etiam aliunde sumere mutuo, & gentes vocare ad Ecclesiam. Act. 13. *Ecce conuertimur ad gentes:* Quin imo Psalm. 18. *In omnem terram exiuit sonus eorum.* Quod quam grande miraculum? Idem vero hodieque durat.

2. Simile præstitit Elias, 3. *Regum* 17. Sareptanæ viduæ, apud eam commoratus. Nam ei *hydria farinæ non defecit; & lecythus olei nō est imminutus.* Ita in Ecclesia Spiritus non imminuitur vsq; ad consummationem.

S. Spiritus quater missus.

III. *Quanta* igitur *audiuimus facta in Capharnaum* Ecclesiæ? Quater namque visus descendere Spiritus. In Baptismo, *Ioan.* 1. In transfiguratione: *Matt.* 17: In Pentecoste. *Act.* 1. Denique per miracula, quæ indies designantur.

Factorum Christi figura.

Quanta fecit Iesus viuens? quanta moriens? Instar Samsonis, *Iud.* 16. omnia cō cutientis, & philistinam euertentis domum, cum moreretur: Ita Dominus orbem tremefecit: euertitq; Synagogam, ac idololatriam, moriens.

Miracula Apostolorum.

IV. Porro *quanta audiuimus facta* ab Apostolis? Petrus, *Act.* 3. claudū natū stitit verbo: vmbra, *cap.* 5. morbos depulit. Ab Angelo, *cap.* 13. carcere educitur: paralyticum, *cap.* 9. in Lydda restitunt ad vires: ad vitam Thabitam in Ioppe.

Quanta Paulus? 2. Cor. 12. In tertium cœlum rapitur: Carceri eripitur, *Act.* 16. Reparat claudum Lystris, *cap.* 14. Pythonissam *cap.* 16. exorcisat. Euthychum suscitat mortuum. *cap.* 26. Naufragos in mari Cretico eripit. *cap.* 27. Viperam in Melita edomat. *c.* 28. Cætera, & cæteros sileo Apostolos, eorumq; posteros.

Miracula Naturæ.

V. Quanta hodieque eduntur in orbe, in Ecclesia? In orbe naturalia: in Ecclesia supernaturalia *quanta?* Sileo ista. Quia, vt ait August. tract. 24. in Ioann: *Quia solita sunt; mira non sunt.*

Ecclesiæ gratis datæ.

Hæc vero in Ecclesia *quanta?* Mortui resurgunt peccatores: cœlo ignis gratiæ descendit: Eucharistia quantum miraculū? &c. Et ista in domo Sareptanæ viduæ, Ecclesiæ, quoad gratias gratis datas.

PARS IV.

De miraculis gratum facientibus.

I. QValia vero in Palatio Naaman Syri, quo ad Baptismum, & ad gratias grātum facientes? Hic, cur hunc saluat, non illum? Cur hunc ex Christianis nasci; ex Saracenis istum vult, ac baptizari? Primo certum habe, vbique gentium cuique satis adesse Deum, vt saluā-

rī

In omni lege, loco, gente, tempore salus est.

ri possit, dummodo velit. Habent saluificam Christiani fidem, Iudæi legem, gentiles naturæ lumen: Nam *signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* In exitu Israel de Aegypto, *Exod.* 14. nubes ignea præiit: symbolum ea fidei nostræ fuit. Magos *stella antecedebat*, Matth. 2. item fidei nostræ signum. Illi in lege, imo tunc in natura; vt & hi. In lege Iosias Rex vitam mutat in melius vel lectulo affixus. 4. *Regum* 21. Rursus naturæ ductu ostendit Deum: in Naaman figura est. 4. *Regum* 5. Eius captiua ait: *Vtinam fuisset Dominus meus ad prophetam, qui est in Samaria, profecto curasset eum à lepra.* Ita cuique suggerit ad salutem, & mundationem necessaria instinctus naturæ, vt ex Syria transeat gentilitia, hæreticaque, ad Samariam Ecclesiæ; *Ita, vt sint inexcusabiles*, Roman. 2.

Non igitur vllam vult creaturam perdi Deus: *Vult omnes homines saluos fieri.* Id circo *Genes.* 19. Misit Angelos in Sodomam: Moysen, *Exod.* 5. in Aegyptum. Danielem, *cap.* 5. in Babylonem: Eliam, 3. *Reg.* 17. in Sareptam: Elisæum, 4. *Regum* 4. in Sunam: Ionam, *capit.* 4. in Niniuen: Iesum: *Ioan.* 4. in Samariam: *Apostolos in mundum vniuersum.* Iesus paradisum reserauit, & cœlos fidelibus, orbem fidei, & fidem orbi toti aperuit: Et ista miraculis, quæ hodieque operantur. Verere igitur homo sciscitari, quare hoc, illudve facit Deus?

FERIA III. POST DOMINICAM III. Quadragesimæ.

Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum. Matth. 18.

DEus *Exod.* 23. præcepit; qui animal proximi quodcunque vagum per agros viderit oberrare; id protinus ad possessorem adduceret; quo fit indemne. Ita *cuique Deus* hic *mandat de proximo suo* aberrante, vt correptum eum reducat ad mentem, ac Dominum.

Super quo nos

I. De Admonitionum vtilitate.
II. De Correctione fraterna.
III. De excommunicatione.

PARS I.

De Admonitionum vtilitate.

Reprehensio.

I. PLato roganti amico, quid sibi gratissimum præstari vellet, ait: *Si quod in me indecens videris, id libere arguas.* Christiane! At non hoc arguentem vitia redarguere. Quin ist hoc nec ethnicum est. 2. Apelles, quicquid pingebat, in publicũ exponebat; vt apta, ineptaq; audiret iudicia, ficq; disceret: Ita cupientem proficere, delectet obseruari, ac arguiiuste, siue iniuste: vtroque proficit.

1. *Grata.*

2. *Vtilis.*

Exempla infidelium.

1. Liuio Druso Romæ Tribuno plebis, ædificanti palatium ait architectus: sic struam vt nulli in domum sit prospectus: Et Drusus: Imo sic strue, vt omnibus vltro pateat introspectio. Adeo propatulo ago omnia, vt à popul. Roman. iudicari queant acta mea. *Teste Velleio Pat. lib.* 2. 2. Alexand. Magnus ministrum ab annis XII. dimisit; quod nullum vnquam in ipso vitium arguisset. Et principes tolerarent assentatores aulicos? 4. Dispar Alexandro Herodes: qui Baptistæ vocem hanc: Marc. 6. *Non licet tibi habere vxorem fratris tui*: ferre nequibat.

Fidelium.

1. At Dauid, 2. *Reg.* 12. audiit Nathan; flensque ait: *Peccaui*, 2. Heli, 1. *Reg.* 3. audito Samuele ait: *Dominus est; quod bonum est in oculis suis faciat.* 3. Ezechias, 4. *Reg.* 20. grauiter ab Isaia, ob thesauros Assyriis superbe ostensos, reprehensus, placide ait: *Bonus sermo Domini, quem locutus es:* quasi dicat peccaui: *ecce ego flagella paratus sum.* Discite igitur fraterne moneri, & monere; ficque ab inuicem proficere,

PARS

PARS II.

De correctione fraterna.

Hæc præstanda proximo est.

I. COrrectio est actus religionis, signũ pietatis, character Christiani. 1. Certe Eccl. 27. *Vnicuique Deus mandauit de proximo suo.* 2. Quod si enim tutori incumbit cura clientis corporalis; quanto magis cura animæ? 3. Quod si, Deut. 32. *Non videbis bouem fratris tui, aut ouem errantem, & præteribis; sed reduces fratri tuo.* Item *Exod.* 23. asinus proximi, In fossam, aut sub onere lapsus, subleuari iubetur: ergo (infert S. Chrys. hom. 1. ad pop. Antioch.) *quanto potius tenetur homo hominem erigere, qui cecidit?*

Necessaria in republ.

Plato *lib.* 1. *de Legib.* Correctionem ait fraternam reip. necessariam esse: sancitque vt optimi quiq; ad incarceratum adeant ciuem, delictique moneant, vt ex insolicitus caueat. Idem hic statuit Dominus dicens: *Si peccauerit*, &c.

Ad saluandas animas.

Iudas in Canonica ait: *Illos saluate; de igne rapientes*, quasi dicat, admonitione fraterna animas eripite de peccati flamma.

Atque vt Iacob, *Genes.* 34. timens sibi ab adueniente armato Esau, suos in turmas diuisit tres: in prima ancillas cum liberis: in secunda, Liam cum prolibus: in tertia, charissimam Rachelem & Beniaminum; quasi omnia omissurus potiꝰ, quam hos duos. Ita peccandi occurrente periculo, potius bona fortunæ, & corporis vilipendamus; quam animæ detrimentum faciamus. Similem curam præstemus & animæ fratris; qualem pene nostræ.

Est in præcepto.

II. Neque hoc: *Si peccauerit in te.* &c. cõsilij tantum; sed & præcepti est; adeo, vt vel ipsos superiores corripere teneamur. Non obstantibus. 1. Exod. 19. *Qui tetigerit montem, morte morietur*, id est: qui superiorem corrigere attentarit.

2. Oza, 2. *Reg.* 6. Arcam labascentem tangens, de repente moritur. Recte: irreuerentiæ hæc pœna est: at amanter superiores monere, est eos reuereri, & honorem ac salutem eorum seruare. Teneor eos diligere: sed monere est diligere: ergo & monere teneor. 1. Ita Paulus monuit Petrum verticem Apostolorum. 2. Ita, 1. *Reg.* 3. paruulus Samuel monebat summum Sacerdotem Heli.

3. Ita, 2. *Reg.* 12. Nathan Dauidem.

Sed affirmatiuo.

Est tamen præceptum hoc affirmatiuum; ideoq; seruandum pro occasione. Non est negatiuum, quod semper, & vbique obliget.

Esse debet charitatiua.

III. Correctio autem fit charitate & suauitate condita. 1. Nam, vt Isidor. li. de summo bono ait, *Qui delinquentem superbo, vel odioso animo corripit, non emendat, sed percutit.* 2. Ideo *Virgam vigilantem* vidit Ieremias *cap.* 1. id est, oculatam, discretamque correptionem. 3. Moyses, *Num.* 20. durius petram erat allocutus, & bis cum animo diffidente eam percusserat, dicens populo: *loquimini ad petram, & dabit vobis aquam.* Ideo Dominus eum exclusit terra promissionis. Væ, qui fratres, vt petras, cum indignatione percutiunt lingua aut virga!

Non inimicans.

Opportuno tempore.

Abigail prudens vxor stulti Nabal, & ebrioso, eum scite temperauit. Ebrium sinebat tacens furere, & comminuere omnia, 1. Reg. 25. *Diluculo vero, cum digessisset vinum Nabal, indicauit ei vxor sua verba hæc; & emortuum est cor eius intrinsecus, & factus est quasi lapis.*

Alioquin est irrita.

Vt tormenta explosa in obiectum solidum, id diffringunt: at si in humum, vir. gulta, saccosue lana plenos; iam irritus cadit ictus. Ita cum tonantibus maritis obiectant se vxores duræ; aut silentio dissimulantes eludunt iram.

Sit & cauta.

Nathan, 2. *Reg.* 20. quam cauto sermone, & parabolico corrigebat Dauidem, vt suo-

vt ſuopte virum iudicio conſtringeret, ac demum erumperet dicēs. *Tu es ille vir, qui feciſti hanc rem.* Et mox Dauid, *peccaui.* In pari cauſa incœſtus Baptiſta periculum adijt capitis, neque tamen Herodem offenderat prudens correptio, *quia libenter eum audiebat:* ſed lupam ſauciarat.

Aſpera eſt increpatio.

Giezi, 4. *Reg.* 4. baculo puerum excitare nequibat: Eliſæus autem ſui ad eum accommodatione ſuſcitabat. En, poteſt induſtria; quod vis nulla. Itaque *corripe fratrem inter te, & ipſum ſolum*, vt Eliſæus ſolum ſolus reuocauit ad vitam.

PARS III.

De excommunicatione.

Eccleſia eſt viſibilis.

I. SI te non audierit, *dic Eccleſiæ.* Quid igitur Caluiniſta eam aſſeris inuiſibilem? Quid, quod, Pſ. 12 *In ſole poſuit tabernaculum ſuum Altiſſimus?* Et de tali Eccleſia fingent nobis hæretici idæam platonicam inuiſibilem? Ens merum rationis? Nugæ. Audiri, adiri, appellari, cerni poteſt, debet: *Dic Eccleſiæ. Qui Eccleſiam non audierit ſit tibi ſicut ethnicus, & Publicanus.* En, excommunicatio hæc.

Excōmunicatio eſt iuriſdictionis.

Sed Prælatorum ea eſt, vi huius, Matt. 18. *Quæcunque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata, & in cœlis.* Id quod fit in foro interiore per poteſtatem Ordinis, data Ioan. 20. *Quorum remiſeritis peccata.* Et in foro exteriore per Iuriſdictionis poteſtatem, Cenſuras Eccleſiaſticas infligendo.

Eius pœnæ grauitas docetur exemplis.

Infœlix, qui fulmine anathematis icitur. 1. Cain, *Gen.* 4. hac tactus maledictione, nil vnquam proſpere geſſit. 2. Cham quoque, *Geneſ* 9. maledictus, ſeu excommunicatus oberrans ac tremens ferale toti orbi dedit ſpectaculum. 3. Eſau, *Gen.* 28. paterna priuatus benedictione, profanus ſemper vixit; mortuus infœliciter. 4. Ficus etiam *Matth.* 11. maledicta continuo exaruit. At Bonis maiorib. ſpoliatur excommunicatus.

Abſtentus priuatur bonis Chriſtianorum.

III. Quin *ſit tibi ſicut ethnicus, & publicanus.* Hoc omnium terribiliſſimum: vt pene nec Chriſtianus ſit talis magis, quam ethnicus. 1. Hoc vero eſt è cœlo ad orcum deturbari cum Lucifero. 2. Omnibus Sacris ac ſalutaribus arceri, priuari, deſeri, tradique Satanæ. 3. Hoc eſt inſtar Nabuchodonoſoris in deſerto agere ferum inter feras. Heu! Ex Rege in brutum verti? 4. Trutinauit iſthoc Theodoſius Imper. qui menſibus octo excommunicatus egit afflictus, ac humillime pœnitens. Extabuiſſet, ni Ambroſius ipſum Eccleſiæ reſtituiſſet. *Teſte Caſſiodoro.*

5. Hoc eſt non Sacris tantum extorrē fieri; ſed ipſo Sanguinis Chriſti influxu priuari. *Si* orbis inferior cœlorum influxu deſtitueretur, periret,

----Totaque diſcors
Machina diuulſi turbaret fœdera mundi.

Et quid anima ſine Deo? *Sine Sacris, & Sacramentis?*

Et meritis fidelium.

IV. Accedit, quod, vt capitis influxū, ſic & membrorum vigore deſtituitur excommunicatus. Omnes enim ſummi, infimi, Græci, barbari membra ſumus inuicem. Et quiſque poteſt dicere, Pſ. 118. *Particeps ego ſum omnium timentium te.*

Horribile illud. Orat Eccleſia, vt in Paraſceue, pro Turcis, Iudæis, &c. & quātiſcunque peccatoribus, non tamen pro excommunicatis.

Deditur Satanæ.

Neque ſat hoc, omni eſſe nudatum præſidio: etiam Satanæ deduntur. Abſtenti quantum à fidelium communione remouentur. 1 Ita 1. *Cor.* 5. incœſtuoſus. 2. Ita 1. Tim. 9. Hymenæus, & Alex. *Tradidi eos Satanæ, vt diſcant non blaſphemare.* 3. Hinc Origenes: *Per eos*, ait, *qui Eccleſiæ præſident. Deus tradidit delinquentes in manus inimicorum.*

Sepultura Chriſtiana priuatur.

Denique ſepultura prohibentur excommunicati; vt ne cum mortuis habe-

ant commune quicquam, sed velut *sepultura asini sepeliantur*; Ioseph *Gen.* 50. adiurat fratres vt sua ossa ex Aegypto exituri olim secum in Chanaan transferant. Tanti erat ei vel mortuo cum mortuis fidelibus, aut viuos apud fideles communicatio Quo fulmen illud metuendum magis est, atque cauendum.

FERIA IV. POST DOMINICAM III. Quadragesimæ.

Populus hic me labiis honorat, cor autem eorum longe est à me.
Matth. 18.

NAbuchodonosor, *Daniel.* 2. in quiete vidit Colossum aureum capite; pectore æneum & brachiis; fœmoribus ferreum; terreum pedes. Typus hic hypocrisios est, aureæ labiis; corde luteæ.

Vnde nos in præsens

I. *Cor esse dandum Deo.*
II. *De cogitationum malarum incunabulis.*
III. *De Verbis, cordi, operique consonis.*
IV. *De traditionibus paucula.*

PARS I.

Deo cor deberi.

Velut ex Voto. Iud. 11. *Vouit Iephte Domino; si tradideris Ammon, qui primus egressus foribus domus meæ mihi occurrerit, in holocaustum offeram*: Tu cor offerto.

Est lectulus Dei. II. Lectulum Salomonis, *Cant.* 1. delitiosum sexaginta fortes ambibant. Cor est Pacifici nostri Iesu lectulus, vbi deliciatur. Eum sexaginta circumstantes sunt 10. præcepta Dei, 10. Ecclesiæ, 12. articuli fidei, 8. beatitudines, ecce 40 Item 7. dona Spiritus, 7. Sacramenta, tres virtutes theologicæ, tres personæ SS. Trinitatis. En sexaginta.

Est arca Dei. Iussit Deus, *Num.* 21. Arcam in medio castrorum constitui; quasi diceret; omnia perdenda potius, quam Arcam. Ita *omni custodia custodi cor tuum*, vt Deo dilectissimum; inque medio corporis ac potentiarum naturalium situm, & arx spiritalium gratiarū, quo saluo, salua omnia.

Est Sion. Machabæi, *libr.* 1. *cap.* 1. montem, & arcem *Sion* imprimis muniuerunt etiam ab victualibus; & charissima quæque ibi deposuerunt, tempore hostilissimo. Typus hic cordis est custodiendi.

Proin custodiendū. Nam vt, 2. *Regum* 4. Isboseth meridionans in lecto, ostiaria dormiente, ab ingressis sicariis secundum inguen percussus occiditur: ita cordi euenit, dormienti in lecto voluptatum; inter has medias dæmones interueniunt, mortem inferunt animæ. Enimuero, sicut præ cæteris cor Deus charum habet; ita dæmon id maxime infestat.

PARS II.

De cogitationum malarum incunabulis.

Cogitationes malæ. I. COgitatio parua fæpe culpa sit magna. 1. Thales Milesius, 7. Sapientum vnus. *Laert. li.* 1. *cap* 7. sciscitanti; *Nosse tne scelera Deus & actiones hominum?* ait, *Quin etiam cogitationes pravas.* 2. Ergo Isa. 1. *Auferte malum cogitationum vestrarum.* 3. Hæ

Cor in homine est princeps. I. COr hominis est inter creata princeps, & Deo cōprimis expetitum. 1. Prouerb. 23 *Fili, præbe mihi cor tuum.* 2. Nec aliud ad Deum assimilitudine, quam cor accedit propius. Nam Deus motor est primus & autor vitę omnium in mundo, at cor in homine.

Debetur Deo. Omne primogenitum sibi voluit De⁹ sanctificari, tam de hominibus, quam de iumentis: *Exod.* 12. At cor in homine est primogenitum, quare id Deo sanctificandum debetur. Nam *teste Arist.* cor est primum in homine viuens, & vltimum moriens.

Hæ enim furunculi sunt, qui vt semel in domum surrepserunt, mox ianuas reserant prædonibus. Ecce exempla.

Initio premenda sũt. 1. Luciser ambitiosam cogitatiunculam admiserat; hæc continuo grandem superbiam intromittebat. Hic prædo quas clades dabat? 2. Adam *Genes.* 3. oculum pomo adiecit vetito; mox irrumpebat sicarius dirus ac raptor superbia.

3. Dauid 2. *Reg.* 11. per fenestram è solario lauantem Bersabeam vidit, & periit. Nam mors iniit per fenestras, post suggressum cordi furunculum concupiscẽtiæ. Et mala quanta ex tantulo?

Sin': inualescũt magna malo. II. *Paruus error in principio, maximus in extremo esse consueuit.* Solenne est: *Ex parua scintilla magnus ignis.* 1. Ariana hæresis an non vel ab vnico Iota exorsa est? Christus namque cum sit ὁμοούσιος; Arius pertendebat, quod esset ὁμοιούσιος. Quanta vero differentia est inter *esse eiusdem substantiæ, & similis substantiæ* cum Deo? 2. Paruus lapillus, *Dan.* 4. quantam quantæ statuæ stragem attulit? 3. Et vero nunquid *simile est regnum cœlorum grano sinapis, quod minimum quidem est omnib. seminibus; cum autem creuerit, maius est omnibus arboribus: & fit arbor; ita vt volucres cœli veniant, & habitent in ramis eius?*

Parua non parum nocent. 4. Et vice versa: an nõ *simile est regnum inferorum grano sinapis?* &c. Ita in magnum exeunt orta à paruo peccata. Quid minus concupiscentiola? Attamen, vt Aristot. teste li. 3. de anima *nihil in intellectu, quod non prius fuerit in sensu*: ita nihil in anima, quod non prius in concupiscentia. Et opus si fuerit improbum, maior ante fuit in animo improbitas. Nam *propter quod vnumquodque est tale, illud magis est tale.* Aristotel. 2. Poster. Quare suffoca, & elide paruulos: exclude latrunculos, & ab latronibus securus ages.

Exempla de malis paruis elidendis. III. Pharao, *Exod.* 2. ab infantibus extirpationem eorum, quos oderat, instituebat. Seruatus est vnus Moyses; isque in exitium Pharaonis, & excidium Aegypti. Sic age ad ortum peccati.

2. Herodes, *Matt.* 2. suo regno consulebat ab infanticidio: Sic & Athalia. Tu animæ. Nam *Ps.* 136. *Beatus qui tenebit, & allidet paruulos suos ad petram.* 2. Cor. 10. *Petra autem est Christus.*

3. Sic Augustinus ait: infestatum se cogitationibus ad pedes Crucifixi se abiecisse, ac ab iis respirasse. Cant. 2. *Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas.*

Huc valet oratio & recta intentio. IV. Vincit cor latentes insidias, & irruptiones violentas, quam diu, *Exod.* 17. Moyses in monte manus tenet erectas in cœlum, id est, mens vigilat in oratione.

Huius probatio. Aquila, ait *Plin. libr.* 8. pullos, genuini sint an spurij, ad solis probat examẽ, hũc si infracto intueri queant oculo. Sic age anima, cogitata, quæ procreas, ad iustitiæ solem adhibe, si recto intentionis oculo in Deum tendant, foue. Sin', abiice.

PARS III.

De Verbis cordi, operique consonis.

Cordis & oris sit harmonia. I. VErba, cogitationum sunt signa. Istorum est hoc Psalm. 61. *Labia mea laudabunt te.* Ideo *Ezech.* 1. animalia quatuor clamabunt *Sanctus, Sanctus, Sanctus*: Ergo cordi labia respondeant. At quot Clerici psallunt; laici orant; & cor est in auro, poculo, lecto, granario, &c. *Populus hic labiis me,* &c. Interna, externaque Deus iuxta postulat. 1. Ideo Tabernaculum foris pretiosis aulæis opertum erat; intus in ara ignis ardebat inextinctus, victimis mundissimis offerendis. Ita virtutes in nobis externæ sibi quidem constent; at intus anima ardeat caritate: quæ victimet Deo desideria pia, & cogitationes, & proposita.

2. Hoc sponsus prædicat in sponsa vocis

cis reduplicatione. Cant. 1. *Ecce tu pulcra es* (intus) *anima mea: ecce tu pulcra es*, (foris) & cap. 4. *Quam pulcra es amica mea? quam pulcra es?* Ambros. legit. *bona* & ait *bona verbis; & moribus*: Gloſſa, *intus & foris*.

Idem figuræ abs te repoſcunt. 3. Arcam teſtamenti iuſsit Deus auro mundiſsimo veſtiri intus, & foris. *Exod.* 25. Sic enitere debet charitate animus, & opus.

Alioquin omnia ſunt hypocriſis mera.

II. Qui vero in templo Sanctos ſimulant, & domi diabolica viuunt. 1. Hi ſimiles ſunt babylonicis ſtatuis: *Baruch.* 6. quæ foris inauratæ, intus ab ſerpentibus erodebantur. Ita iſti, vt non ſint homicidæ, adulteri, fures; at intus ſunt ambitioſi, auari, &c. 2. Aethiopiæ ſplendida erant olim palatia: at atri intus inquilini, truces, toruique Mauri. 3. Iure Deus in Leuitico vetuit eſum cygni: quod candidiſsimus plumis; at carne ſit ater, & inſipidus. Quot olores hodie in Clero, Religioſis? &c. Niuei apparent, cygnæumque ſonant: at cætera corui ſunt. 4. Clament licet: *Domine nonne in nomine tuo prophetauimus?* Matth. 7. At *neſcio vos. Hic populus labiis me*, &c. *Vox eſt Iacob: at manus ſunt Eſau.* Geneſ. 27. Vah, quot ablutionibus vtebantur Phariſæi? Sepulcra dealbata faceſsite.

PARS IV.

De Traditionibus.

QVare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditiones ſeniorum? Hæ ſunt duplices, Apoſtolicæ, & Eccleſiaſticæ. Et illæ rurſus aliæ ſunt theoricæ de rebus fidei: morum ac ceremoniarum: aliæ & practicæ. Vtræque & creditu, & obſeruatu neceſſariæ: etſi de iis in S. Pagina nec gry. 1. Vt Biblia eſſe Sacram Scripturam: Hoc Euangelium eſſe Matthæi: infantes baptizandos. 2. Apoſtolus, *Heb.* 9. ait Pontificem V. Teſtamenti ſueuiſſe capita populi aſpergere ſanguine; idque cum lana & hyſſopo: de quibus tamen nuſquam in Lege: ergo ex ſola traditione.

3. Idem ait *Act.* 20. dixiſſe Dominum: *Beatius dare, quam accipere*: cum tamen id nuſquam in Euangelio: ergo in traditione. 4. Et Ioan. vltim. plura dixit, & fecit Dominus, quam ſcripta ſint; quare & plura ſunt acceptanda. 5. Quare, 2. Theſſalon. 2. *State, & tenete Traditiones, quas accepiſtis ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam.* Et 2. Corinth. 11. *Sicut tradidi vobis, præcepta mea tenete.*

FERIA V. POST DOMINICAM III. Quadrageſimæ.

Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus.

Luc. 4.

HAbitauit Arca Domini, 2. Reg. 9. *in domo Obededom tribus menſibus, & benedixit Dominus Obededom, & omnem domum eius.* Arca fœderis, & Arca Noe eſt Ieſus: Hic iniit domum Petri; Et en benedictiones.

Super quibus nos

I. De afflictionibus.
II. De Petri, Eccleſiæque Cœlibatu.
III. De ſocru Petri febricitante.
IV. De Febri varia.

PARS I.

De afflictionibus.

Vtiles ſunt pellendo otio.

I. VRbe Romana magnis exultante lętitiis, ob deuictam Carthaginem Hannibalemque occiſum, Q. Metellus in ſenatu dixit; metuendum Vrbi iam plus ab otio, quam ante à bello, & Hannibale.

Appius item Claudius alias aiebat: *Pace bellum vtilius Romanis eſt: & quam otium melius negotium.* Ita Chriſtianis tribulationum turbines, quam Zephyri deliciarum vtiliores.

1. Ideo

1. Ideo in terra promissionis nunquam stirpitus voluit hostes occisos Deus: vt iis Israel & exerceretur, & probaretur.

2. Acuenda virtuti.

2. Ita in mundo per elementorum dissidia, proueniunt generationes rerum. Illa nisi frigida calidis, humentia siccis concorditer miscerentur, iam Vniuersum rediret in confusum chaos. Ita animæ euenirent, cui ad votum daret omnia Deus; nec sineret aduersis exerceri.

3. Cauenda ruina.

3. Ideo Ps. 118. *Bonum mihi, quia humiliasti me*: Aug. vertit: *tribulasti me*. 4. Quin omnes Sancti canunt, Ps. 89. *Lætati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti: annis, quibus vidimus mala.*

4. Humilitati stabiliendæ.

5. Firmitati parandæ.

5. Nescit; at vsu didicit Paulus, quid Angelus Satanæ colaphisans sibi conferret. 2. *Cor.* 12. Nimirum *Ne magnitudo reuelationum extollat me.*

6. Animæ tuendæ

II. Quare vt sæuiens procella diluuij arcam denique in summis montium stitit, astris tanto viciniorem, quanto iactatior vndis fuerat: ita animas Deus afflictas euehit, &c. Gen. 7. *Multiplicatæ sunt aquæ, & eleuauerunt arcam in sublime à terra.*

7. Opulentia exstruendæ.

Iobo quis afflictior? At eodem postea quis gloriosior? cap. vltim. *Omnia reddita sunt ei duplicia.* Durate fideles: *Centuplum accipietis, & vitam æternam possidebitis.* Matth. 19.

8. Merito augendo. Idque magis passione quam actione.

Matth. 13. *Simile est regnum cœlorum fermento*, tribulationum aceruo, *quod mulier* anima pia *abscondit in farinæ satis tribus:* peccatorum, patientiæ, meritorum: vti-sta iis fermentescant. 1. Nam *quantum quid patitur*, aiunt Philosophi, *tantum reagit*: ita patiens afflictiones anima patiendo promeretur; & promerendo patitur. 2. Quin imo nunquam agendo tantum, quantum patiendo, crescit meritum. Nam magna egit Iesus: at maiora pertulit, hisque debentur eius merita potiora. Hinc tanti Crux eius, & mors. 3. Et vere Rom. 9. *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam* non ait. *actiones.* Ideo *Deus, quos diligit, castigat*: vt Iobum vlcere, Tobiam cæcitate, Apostolos tempestate, morte Lazarum, febre socrum Petri.

PARS II.

De Petri, Ecclesiæque Cœlibatu.

Apostoli calibes fuere.

I. TErt. 1. de Monogamia ait: *Petrum solum inuenio maritum, propter socrum.* At vocatus ad Apostolatum vere profitebatur, Matth. 8. *Ecce nos reliquimus omnia:* ergo & vxorem. Non igitur eæ Sacerdotibus hoc exemplo promissæ: sed ademtæ sunt vxores: Hocque magis concubinæ. 1. Frequens fuit sacris inaugurari maritos: at inauguratos quoque ab thoro coniugali separari: ad reuerentiam Sacerdotij, & sanctimoniam. 2. Hodieque Schismatici Græci prius ducunt virginem: quam initientur: eaque defuncta alteram ducere nefas habent.

Figura.

II. Figuras cœlibatus amas? 1. In Lege naturæ Abel cœlebs egit, *Gen.* 4. 2 Et *Gen.* 14. Melchisedech Sacerdos. 3. In Nouo T. IESVS: Apostoli, &c. 1. Cor. 17. *Volo autem omnes esse sicut meipsum: dico autem innuptis & viduis: bonum est illis, si sic permanserint, sicut & ego.* 4. Sacerdotes V. Test. *teste Hieron. contra Iouin.* oues, boues oblaturi & domo sua abscedebant, & foris se inedia emacerabant. Quo magis Mysta Christianus? Nec cogitet de muliere citra auersationem. 5. Nam vas mannæ custos, aureum intus totum esse oportuit: *Hebr.* 9. Ita Sacerdos Iesu.

Exempla Castrorū.

III. Romanis nefas olim fœminas castra sequi. Ideoque Darius, & Antonius putantur castris exuti fuisse: quod eas admisissent. 2. Et Scipio Africanus, *teste Val. Max.* Numantiam obsidens duo millia meretricum castris expulit. 3. An ideo castra ab castrando dicta sunt?

Similis Ecclesia.

Ideo certe Ecclesia, Can. 6. *Terribilis est vt ca-*

vt castrorum acies ordinata: cuius Duces Sacerdotes. Hinc præcipit illa, 2. Timoth. 2. *Nemo militans Deo, implicet se negotiis sæcularibus*: minus pollutis & carnalibus.

Quia Theologica est. Cicero, repudiata Terentia, roganti Hircio, suam duceret sororem, ait. *Non possum & rei vxoriæ, & Philosophiæ operam dare.* Minus Sacerdos vel Theologiæ, vel Sanctimoniæ. Milites olim domo exeuntes, ad dicendum militiæ Sacramentum, dicebant:

Castra peto: valeatque Venus, valeantque puellæ.

PARS III.

De Socru Petri febricitante.

Natura humanæ febrientis paroxysmi I. *PEtri socrus tenebatur febribus.* Humana natura est mater; filia Ecclesia: huic desponsatus Petrus fuit. O quantis illa febribus æstuauit, & quamdiu? & iis contagiosis, violentis, lentis, vis morbi ad omnes pertransiit: non erat sanitas omni carni.

Paroxysmos enumeret? Paradisiacũ: Cayninum: Diluuialem 40. dierum: Patriarchalem: Aegyptium 40. annorum: Eremiticum Israelitarum: Mosaicum: Ducalem, Regium, Babylonicum, denique exitialem. Quid de hortensi dicam, à Christo perpessum agonisticũ? Quid de Cruciario? Crises hæ vnius Iesu cæteras supergressæ sunt vniuersas. Etsi ad dictas annumeres & hasce: Flagrantis Sodomę: *Gen.* 19. Aestuantis Samariæ, 4. *Regum* 17. Absiti & siccitate triennali. Ignium cœlo lapsorum ad Eliæ vocem, queis quinquagenarii absumti sunt: Aliasque similes.

Diuturnitas. Hæmorrhoissæ 10. annis ægræ misertus Iesus. *Luc.* 8. At hac mundus febri conflictatus fuit quater millibus annorum, sic vt *à planta pedis, vsque ad verticem non esset sanitas in eo.* Isa. 1.

Remedia. II. Modos sui sanandi expertus est pene omnes. Vt Balnea maris rubri, Iordanis, diluuij, sanguinis victimalis. Diætas: vt famem septennem in Aegypto: Moyses 40. dierum ieiunium in deserto. Cœli mutationem migrando ex Aegypto in desertum, in Chanaan: mutationem cibi, ideo manna datum. Frustra omnia.

Consuluit varios natura humana, vt sanaretur: Vt Patriarchas, Prophetas, Reges: Demum ita cum Iob. 19. queritur. *Miseremini mei saltẽ vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.* Amicos vocat Angelos: Sic Patres explicãt. Ita cum Dauid orabat, Psalm. 84. *Ostende nobis Domine misericordiam tuam.* Et hoc frustra. Donec Deus ipse naturam humanam assumeret: *Tunc*, ait Augustinus, *magnus de cœlo medicus venit, quando magnus in terris iacebat ægrotus.* *Medici.*

III. *Et introiuit in domum Simonis.* Quæ domus? 1. An B. Mariæ vterus? De qua Psalm. 92. *Domum tuam Domine decet sanctitudo in longitudine dierum.* 2. An ipsa humanitas nostra? De qua Ioan. 1. *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* 3. An hic mundus? Quo domus aspectabilis nulla splendidior. Huius muri sunt montes, cœli fornices, terra pauimentum. Aer & aqua sunt atria, nouem cœli contignationes, Planetæ fenestræ, portæ quatuor Oriens, occi: meridies, septentrio. In hoc iacebat æger homo. *Verus medicus Iesus.*

PARS IV.

De Febri varia.

TEnebatur *magnis febribus.* Hæ variæ. *Quotidiana.* Vt gula. 1. Hac epulo est mortuus. *Luc.* 16. Hanc incidit Adam, *Genes.* 3. quod crudum pomum comedisset. 3. Esau item. *Genes.* 25. quod lentem comesset. 4. Hac periit Sodoma, *Genes.* 19. Vnde Ezech. 16. *Hæc fuit iniquitas Sodomæ: superbia, saturitas panis, & otium eius, & filiarum eius.*

Febris illa facile mutatur in aliam. Ita gula

gula in libidinem. Sic Loth. *Geneſ.* 20. ebrius commiſit incæſtum. Noe, *Geneſ.* 9. ebrius ijs nudatur, quæ 600. annis texerat. 2. Aut in idololatriam tranſit. Ita Iſraelitæ *ſedebant, & bibebant, & ſurgebant ludere. Pſ.* 72. *Prodijt quaſi ex adipe iniquitas eorum.*

Tertiana tenentur inconſtantes, qui ſunt vt *arundines vento agitatæ.* Matt. 11. Qui vt canes reuertuntur ad vomitum. Hac laborauit Pharao: *Exod.* 9. populum dimittere iam volens; mox nolens. Et Achab. 3. *Reg.* 21. coram Domino ſe iam humilians: mox ad grauiora relabens.

Quartana vexantur luxurioſi: prima dies eſt ſuggeſtionis, ſecunda delectationis, tertia conſenſus, quarta operis. Ea vrebatur Magdalena, Samaritana, Adultera, Dauid, Herodes, Saræ mariti 7. Senes contra Suſannam. Ea omnium eſt pertinaciſſima.

Continua eſt Auaritia: hæc inſatiata nunquam remittit: nec noctu. Vnde ille in ſtrato, Luc. 11. *Quid faciam*, ait, *deſtruam horrea mea.* Sic Iudas, Matth. 26. *Quid vultis mihi dare.* & dormientibus cæteris, ipſe *venit cum cohorte militum vt caperent Ieſum.*

Lenta febri laborant acedioſi: quales Matth. 20. *Quid ſtatis hic tota die otioſi?* Tales & Sodomitæ: vnde & perditi ſunt. Horat.

Otium Reges, prius & beatas
Perdidit vrbes.

Peſtilens febris eſt hæreſis, contagioſa comprimis, ac perniciosa. O vos, qui hac laboratis, ad domum Petri accedite, quæ eſt Eccleſia. In hac & medicus & medicina eſt.

FERIA VI. POST DOMINICAM III. Quadrageſimæ.

Venit IESVS in ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar.

Ioan. 4.

RAchael, *Gen.* 29. adaquatura gregem ad puteum venit; venit & Iacob, eius conſobrinus, ac proin oſculatus eſt eam, & hoc futuri fundamentum matrimonij erat. Ita Samaritana & Chriſtus ad puteū conueniunt, colloquuntur; ac ad ſpiritale matrimonium ſeſe initiantur.

Super quibus nos

I. De Gratia præueniente.
II. De Ieſu fatigato.
III. De petente Ieſu bibere.
IV. De cauſatione Samaritana.

PARS I.

De gratia præueniente.

THeologis de gratia præueniente docetur ea; quæ ſopitos in peccatis exſuſcitat. *Ea eſt 1. Lux.*

1. Qualis *Act.* 9. Saulem *ſubito circumfulſit lux de cœlo*, adhuc *ſpirantem minarum ac cædis in diſcipulos.* Pro hac luce orat Pſ. 41. *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam, ipſa me deduxerunt, & adduxerunt in montem ſanctum tuum.* 2. Hæc ſtella eſt, *Matt.* 2. quæ antecedebat Magos. *2. Stella.*

3. Tres Mariæ Dominum vncturæ, Marc. 16. *orto iam ſole* gratiæ præuenientis veniebant. Ita peccatores poſt paſſionem exeunt è peccatis, veniunt cum aromatibus contritionis, confeſſionis, ſatisfactionis, *orto iam ſole.* Nam Pſalm. 126. *Vanum eſt vobis ante lucē ſurgere, ſurgite poſtquam ſederitis, qui manducatis panem doloris:* quaſi dicat: Sine luce gratiæ nihil poteſtis: At cum ea vos in curſu peccatorum ſtiterit, vt ſedeatis ad rationes cum conſcien- *3. Sol oriēs.*

scientia: tunc *Surgite*; & gratiæ præeunti pari succedite passu.

4. *Est Angelus.* 4. Ita *Gen.* 19. Angeli ad Loth: *Surgite, & egredimini de loco isto. quia delebit Dominus ciuitatem hanc. Surgite* de peccatis. 5. Ita Nathan ad Dauidem, 2. *Reg.* 12. fatur; vt velut è somno peccati excitatus se demum agnosceret, dicens, *peccaui*. Quod Nathan; idem agit & gratia præueniens. Idem hodie ipse fons gratiæ Iesus ad fontem peregit. Vbi Samaritanam præuertit gratia; conuertitque, vt relicta peccatorum hydria recurreret in Sichem pœnitentiæ, ibique prædicaret Iesum.

5. *Nathan.*

6. *Iesus.*

PARS II.

De Iesu fatigato.

Christus fatigatur peccati onere.

I. IEsus *fatigatus ex itin. sed. super fontem.* Ecce fatigatum; sed sub pondere peccatorum tuorum: 1. Quia *Agnus est, qui tollit peccata mundi.* Psalm. 39. *Sicut onus graue grauatæ sunt super me* iniquitates vestræ. Quo sub onere si cœli Atlas Iesu fatiscat; homo non succumberet? 2. Is est Iacob, *Gen.* 29. propter puteum reclinatus, videtque scalam crucis, ac pœnitentiæ, seu reconciliationis: quę hinc terram tangit iustificando peccatorem; inde cœlum, communicando gloriam quondam hominibus, nunc Angelis. 3. Ita sedebat Ismael, ex Aegyptia ancilla, natura humana, prognatus, in deserto Samariæ siti emoriturus, *Gen.* 21. *Fatigatus*, ait Augustinus, *vt verum se hominem, ac humanis subditum miseriis demonstraret.*

Item itinere nos quærens.

Sed ex itinere fatigatus, quo nos quærebat, *de longe veniens.* Nam Psal. 18. *A summo cœlo egressio eius*: Et quidem *exultauit vt gigas ad currendam viam.* Viator admirandus. Ibi reliquit 99. & hic quæsiuit perditam ouiculam vnam per deuia, deserta, ieiunia, lapidationes, &c. Ecce itinera: Ex cœlo in vterum, hinc in præsepe, tum in Aegyptum. Ibi te non reperto redit in Iudæam: tum in Palæstinam: peragrat omnia triginta tribus annis; iam in Samaria quiescebat. At necdum finis. 3. Reg. 19. *Surge, comede, ambula: longa tibi restat via*, ad oliueti montem. Circumductabere per compita Solymæ: baiulanda crux erit: adque inferos descendendum: ad cœlos ascendendum est: Hæc via restat.

Solatio carens.

II. Interea iam sedes solus, derelictus; vt nec habeas, quo haurias. 1. Dauidi, 2. *Reg.* 25. egenti in deserto, occurrit & vltro obtulit necessaria Abigail. 2. Eliæ 3. *Reg.* 19. misertus Angelus panem attulit mœsto, sedentique in deserto. 3. Danieli in lacum, *cap.* 4. attulit prandium Abacuc inde ex Chaldæa in Babyloniam. Christo hic fatigato affert quicquam nemo.

Persecutiones patiēs.

Quin mage, 1. Herodes in cunis vagientem persequitur: *Matth.* 2. 2. Dæmon esurientem in deserto tentat, *Matth.* 4. 3. Pharisæi insontem oderunt & criminantur. Et Samaritana quoque arguere quasi nititur. Nullum vsquam solatium.

Ex inopinato occurrit salutem offerens.

III. Nihilo tamen minus descendit in Samariam Viator noster: 1. vt Samson, amore Dalilæ, *Iud.* 14. in Philistæam: vbi obuium suffocat leonem: breui post fauum mellis in rictu reperit eiusdem. Ita Iesus, amore captus animarum, dum obit varia, incidit in leænam humanam naturam, quam suffocat quoad peccata: *& de ore eius exit mel* præconij de Iesu. 2. Rebecca, *Gen.* 24. forte ad puteum conuenit cum Eleezaro; hic eam heri Abrahæ filio despondet: Ita Iesus Samaritanam sibi similiter ad puteum forte conuenientem. Secundum hoc Oseæ 2. *Desponsabo te mihi in fide.*

3. Quid Sauli inopinato euenit? Rex vngitur. 4. Ita & Dauid, nil tale cogitans. in Regem eligitur, 1. *Reg.* 16. & Psal. 77. *De post fœtantes accepit eum* Deus. Quod beneficium

ficium prædicat Ps. 117. *Suscitans de terra inopem, & de stercore erigens pauperem: vt collocet eum cum principibus.* Quanta hæc gratiæ sunt præuenientis argumenta? Et illius, quæ immeritos è luto educit, ad solium gratiæ subuectos ac gloriæ.

PARS III.

De petente Iesu bibere.

Gratia nos præuenit Iesus.

I. MVlier, *da mihi bibere.* Hæc prima insinuatio est Iesu, itemque gratiæ præuenientis. Prior diligit Deus, & alloquitur animam prior. Et ideo, iubet in V. T. Sacerdotes mane primo surgere ad offerendum pro populo, ignemq; sacrificialem succēdere. Ita & Prophetas missos ad prædicandam pœnitentiam iussit matutinos inire, & circumire vrbem prædicatum. Ita IESVS præuenit hic peccatricem: *Da*, ait, *mihi bibere.*

1. Territās minis.

Achabo properanti ad vineam Nabothi occisi occurrens Elias, ait, 3. Reg. 21. *Ecce ego inducam super te malum, & demetam posteriora tua, & interficiam de Achab mingentem ad parietem.* Ita peccatori occurrit Deus, minatur, terret: quasi tuæ sitiens salutis ait: *Da mihi bibere.*

2. Inuitans suauiter.

2. Da mihi aquam tuæ conuersionis. ecce te quærendo vt fatiger, &c. *Da mihi bibere: Sitio.* Sic item sponsam animam appellat: Cant. 1. *Aperi mihi soror mea: quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium*: quasi dicat. Ita circuiui, laborans ac quærens, te vt inuenirem; daresque *mihi bibere.* O molles affatus læsi ad peccatricem! Non exprobrat ei adulteria, lasciuiam, &c. Sed *Mulier*, ait, *da mihi bibere.*

Præuenientis nos parere est facile.

II. Et tantillum tanto, tamq; benigno quis abnuat? Atq; facilius potes Christo, tuam sitienti conuersionem, hanc præstare; quam haustum frigidæ.

1. Quid? Dauide dicente: 2. Reg. 23. *ô si quis mihi daret potum aquæ de cisterna, quæ est in Bethlehem, iuxta [illegible]*: si inquam, tres eius fortissimi vel per hostium cuneos sese penetrarunt, vt Regi votum explerent, ac sitim: quid peccatorem agere par est Christo, in re tam præstitu facili, ac salutari?

Satanæ parere difficilius.

2. Quantula sunt postulata Dei; & quāta diaboli? Hæc tamen huic præstantur à quantis, quoties? cum quantis periculis ac molestiis? Ille poscit aquam tuis peccatis eluendis: hic iubet per saxa, per ignes, per & enses, & vndas te currere, lucelli spe dubij, aut voluptatulæ breuis; & ecce, volas. ô peruersitas!

Exemplis id liquet.

Exemplis eam inspice. 1. Baalitæ, 3. *Regum* 18. se cultris dilacerabant, lanceolis dispungebant, fœde cruentabant toros; vt idolum sibi propitiarent. 2. Idololatræ, *Ezech.* 23. &c. filios ac filias idolis immolabant: eisque *Exod.* 32. inaures, & cimelia pretiosissima quæque offerre iubebantur. Et tu Deo Iesu negas aquæ pœnitentiairæ tantillum? Quantas in V. T. pœnas reposcebat Deus pro quantula culpula?

Iugū Christi suaue est.

3. Neque opus est rogare Dei Filium, vt eas minuat; ipsas eas pertulit in se; & imminuit nobis. Iuste olim insurgebat populus in Roboam Regem, ob iniquas exactiones: 3. Regum 12. *Pater tuus durissimum iugum imposuit nobis: tu itaq; nunc imminue paululum de iugo grauissimo: & seruiemus tibi.* Iustius animæ rebellant dæmonis iugo, Legisque Veteris. At vero Christi *iugum suaue est, & onus leue.* Matth. 11. Vere Isaias, 62. & Matth. 21. *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus.* Et tali tantillum abnuas?

Vocanti parendum est.

III. 1. Angelos Abraham, *Genes.* 18. quam promte, officiose, laute excepit? Tuque minus angelorum Dominum? 2. Iacob, *Genes.* 27. tantum dixerat: *Affer de venatione tua, & benedicat tibi anima mea:* & ecce volat vterque natus, materque

curarum satagit: 3. Iussit olim Deus, *Exod.* 36. contribui ad parandum Tabernaculum? Et ecce, *Obtulerunt mente promtissima, atque deuota primitias Domino, ad faciendum opus Tabernaculi, quicquid ad cultum, & ad vestes sanctas necessarium erat. Viri cum mulieribus præbuerunt armillas, & inaures, annulos & dextralia.* At modo in noua lege petitur: *Da mihi bibere*: & quotus quisq; dat, quantulum, & quatenus?

Quia potest facilitèr. 4. Obtestor te, ô peccatrix anima, non fis tardior, quam carnifices, qui audito hoc, *Sitio*, cucurrerunt, *& dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum.* Das illi tetrius acetum pertinaciæ, & myrrham impœnitentiæ, cum ei aquam petitam negas.

Quia licet glorioſe & gaudioſe. Quo cum gaudio audisse putas hanc somnij sui interpretationem pincernam: Gen. 40. *Tres propagines, tres adhuc dies sunt, post quos recordabitur Pharao ministerij tui, & restituet te in gradum pristinum: dabisq; ei calicem, iuxta officium tuum, sicut ante facere cõsueueras.* Et tibi, ô anima, quæ olim Deo à poculis fuisti; & excidisti: quod esse gaudium deberet, cum in officium te reuocari audis ab dicente: *da mihi bibere*?

Ohe: iã satis, Rachael, bibere cameli: tẽpus est, quo ipsi pastori, seruo Abrahę, des potum; qui te sibi delegit vxorem. Et eam esse te ex hoc signo cognoscit; si des ei bibere. *Gen.* 24. Da liberaliter.

PARS IV.

De causatione Samaritanæ.

3. Inhumana est. I. *QVomodo tu, Iudæus cum sis, à me potum petis; quæ sum mulier Samaritana.*

1. Dura, inhumana, indiscreta mulier: negas petẽti? Quin offers, & rogas? Quin te indignam fateris, quę potum præbeas? imo quæ corrigiam ei soluas?

2. Causa. quam friuole. 2. Quam te friuole excusas: Vt Adam, qui fici foliis nuditatem suam obtegebat. Ita multi *quærunt excusationes in peccatis.* 3. Laudanda tamen es illo, quod pro tua, quamuis impia superstitione zelos intentione non obstinata, nec mala. Sed nimium, quam immisericors es in sitientem.

Ignara dõni. *O si scires donum Dei*? quod præmium sit frigidæ haustus amore Dei datus egenti. Abigail, 1. *Reg.* 15. quod egenti Dauidi obtulisset necessaria; meruit regina fieri in Israel. At maior beatitudo: nam 2. Corinth. 9. est *donum inenarrabile.* Est *Donum Dei Altissimi.*

Aquæ mũdi fugiũda. II. *Qui biberit ex hac aqua, non sitiet in æt.* 1. Quid hauris amaras ac fœtidas Marath? *Exod.* 15. Quid aquas, 4. *Reg.* 2. contagiosas Iericho? 2. Fatigaris à persecutoribus tuis in mundo; vt ceruus à venatoribus: ad hunc fontem anhela; in hoc te demerge, & abde: vt ceruus ab canib. pressus in aquas se inijcit.

Aquæ Dei gustatæ mutant mentes. 1. Israelitæ ardentes siti in deserto, rẽuerti statuebant in Aegyptum. *Num.* 20. Vt primum vero aquam è petra gustassent, iam animum mutabant. Ita animæ vanorum cupidæ, vbi gustarunt è petra, quæ est Christus, facile omnia fastidiunt cætera.

Sanant lepram. 2. Naamán, 4. *Reg.* 5. aquas Iudææ putabat non maioris esse efficaciæ, quam Syriæ: at experitur: aliudque sentit, & testatur. Quam is liberalis in Elisæum, ac Deum? Quare mundi aquas fugite: etiam hydrijs ibi relictis: aquas viuentes prædicate.

Aquæ mũdi sunt periculosæ. 1. Vt *Galaaditæ*, milites Iephte, *occupauerunt vada Iordanis, per quæ Ephraim reuersurus erat*: Iud. 12. Ita Satan per suos satellites obsidet aquas mundi; in perniciem appetentium ipsas. 2. Vtq; Holofernes, *Iud.* 5. Bethulienses fontes obsedit per centenarios: ita Satan, &c.

Itaque Isa. 55. *Omnes sitientes venite ad aquas.* Respicite vos, & agnoscite: dicetis gementes: *Anima nostra sicut terra sine aquæ tibi.*

tibi. At tu Christe, Psal. 35. *Torrente voluptatis tuæ potabis eos.*

SABBATO POST DOMINICAM III. Quadragesimæ.

Adducunt ei mulierem in adulterio deprehensam. Ioan. 8.

SVsanna, *Dan.* 13. castissima, adulterij accusata, ad Summum Sacerdotem adducitur, qui eam lapidationi addicebat. Sed insons ab puello declaratur, dū ducebatur. Sic adultera, ad Iesum ducta, absoluitur, quamuis rea, accusatoribus confusis.

Cuius occasione nos

I. *De adulterio.*
II. *Punitiones, & detestationes adulterij.*
III. *De adulteræ absolutione.*

PARS I.

De adulterio.

Eius gratiam. 1. Expœnis liquet.

I. SCelerum enormitatem singulorum enarrans Amb. l. de Abraham; *adulterium*, ait, *etiam feris ac barbaris detestabile.* cæteris omnibus esse nequius. 1. Plut. in Apoph. refert Lacænarum tantam olim castitatem fuisse; vt negarent fieri posse, vllam tam sui fore immemorem, quæ isto se scelere obstringeret. 2. Hinc cataclysmus orbem demersit, *Genes.* 8. vt abominationem isthanc eluaret. 3. Ignis *Gen.* 19. Sodomam expurgauit. 4. Tribus Beniaminica, *Iud.* 29. stirpitus pene deleta fuit ob idem flagitium. 5. Regnum Dauidis, 2. *Regum* 12. ob idem periclitatum est.

1. Ex multiplici iniuria.

II. Libido, est iniuria naturæ, quā deprauat: 2. Iniuria Deo, cuius legē spernit: 3. Angelis, quorum puritati aduersatur. 4. marito, cuius thorum violat. 5. Matrimonio, quod contemerat: 6. Iuri ciuili, quod spurios proseminat, &c.

Ephes. 1. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia*: ideo in hanc, & in illum est iniurium adulterium. Violat institutum Dei in paradiso: Benedictionem ac cohonestationem eius à Christo factam in Cana. *Ioa.* 2. 8. Lædit significationem vniti Christi cum Ecclesia, cum anima, cum Humana natura: qua vna persona cum Dei Verbo est facta in duabus naturis: Sicut in matrimonio *sunt duo in carne vna.*

3. Ex Ethnicorum detestatione.

III. Omnis retro vetustas adulterium est execrata.

1. Apud Græcos fas erat cuique adulterum interficiendi. 2. Aegyptij grauius in adulteria, quam homicidia vindicabant. Hinc, *Gen.* 12. metuebat Abraham se pro adultero profugo habendum fore, & occidendum. Ideo ait, *Dic ergo obsecro, quod soror mea sis: vt bene sit mihi propter te, & viuat anima mea in gratiam tui.* 3. Romanis adulterium par erat crimini læsæ maiestatis. 4. Lycurgus, Spartanus Legislator, eandem pœnam sanciuit illi & parricidio: Nec vllam tamen expressit: rogatus causam, ait: Neminem reor fore, qui tam sit immane facinus vnquam commissurus. 5. Iudæi adulteros lapidibus viuos obruebant. Liquet vel hic.

PARS II.

Punitiones, & detestationes adulterij.

1 Mors.

SEmper, & vbique gentium adulteria seuere punita fuerunt. I. In Lege naturæ, *Gen.* 20. Deus Abimelech, Regi Gerar, quod Abrahæ detineret vxorem, sic minatur: *En morieris propter mulierem, quam tulisti: habet enim virum suum.* 2. Sichimitas, *Gen.* 34. Simeon & Leui internecione deleuerunt, ob Dinam sororem violatam. 3. Ioseph insons accusatus attentati facinoris, *Genes.* 39. carceribus addicitur. 4. Diluuium, *Genes.* 6. vindicabat adulterium. Ita fideles.

2. Excidiū.

3. Carcer.

4. Diluuium.

5. Exoculatio.

II. Quid ethnici ac barbari? Zaleucus, Locrensium legislator, *teste Valer. Maxim. l. 6. cap. 5.* adultero vtrumque erui oculum sanciuit. Labitur ipsius filius. Deprecantibus pro eo ciuibus sibi vnum, alterum filio eruit, videndi vsum vtriq; relinquens.

6 Denasatio.

Aegyptij adulteros deflagellabant: adulteras denasabant, *Herod. l. 5.* Refert de Pheroe Aegypti rege, qui decennium cæcus egit, expertus omnia nequicquã; demum Oraculo consulto iubetur vrina fœminæ non adulteræ lauare oculos, sic visum recipiendum fore. Lætus facilitate remedij, ab regina petit vrinam, quam fidissimam credebat: at illa detrectatione se reddidit suspectam. Nec abs ré Ergo aulicas ac nobiles ex ordine singulas appellat matronas: demum per ciuicas obit, perque rusticanas; nec erat reperire, cuius vrina oculis proficeret reluminandis, simul thoralem fidem probaret. Ac sero didicit Rex, quam rem rebatur facillimam, esse vnam omnium difficillimam. Ad vltimum hortularia paupercula, suæ conscia fidei reperitur: cuius lotium vt vel attigit oculos, iam cæcitatem detergebat. Hic Rex fœminarum rogos excitat toto regno; ducitque hortulariam in Reginam.

Combustio.

7. Cõclusio fœminarũ.

III. Parthi, *teste Iustino l. 4.* vxores suas ita domi claudebant, velut in carcere forent: nulli dabatur aditus, affatus, aspectus.

Alex. Magno, ait *Plut. in Apoph.* adducebatur forma, quam fama melior fœmina; quæ scisciranti cur serius veniret, ait; serius vir meus altum indormijt, quo minus subducere me quiui. Hic Alexander ad suos. Ergone me adulterum esse velle putatis: quod maritatam adducitis? Ego vero nihil perinde detestor. A page male fida viro. *Et nunc Reges intelligite, erudimini, qui iudicatis terram.*

Cinneses adulteram sic puniebant: *ait Plut.* In foro insidentem saxo omnium ludibrio exponebant: dein impositam asinæ per vicos vectabant: sic infamem finebant viuere. Iuste: nam *adulterium naturæ iniuria est*, ait Sanct. Ambros. l. 5. Hexam. 8. Infamia publica.

Mahumetes in Alcorano *cau. 34.* præcepit adulteranti mille flagrorum ictus infligi. Procopius *l. 1. de bello Goth.* ait etiã Legatos, adulterii conuictos, occidi oportere, etsi iure gentium ab omni vi habeantur indemnes. 9. Diflagellatio.

IV. In lege Mosaica, *Leu. 20. Deut. 22.* dicitur: *morte moriatur & Mœchus, & adultera:* Liquet exemplis superius. 10. Mors.

Leges ciuiles morte vindicant adulteria. Prodit Dion. Cassius: Seuerum Imp. capitalem tulisse legem: breuique spatio tria adulterorũ millia morte damnasse.

Tennes Rex Tenediorum lege mortem adulteris decreuit. Post fit reus eius filius. Scisciantibus, quid agerent? Hoc, ait, quod lex iubet. Et plexus est. Sic Herodius 5. *Dec. 1. l. 6. L. Iul de adul* Ibid. l. 30. dicitur: *Sacrilegos nuptiarum gladio puniri oportet.* In XII. Tab. t. 2. *Mœchum, in adulterio deprehensum, nec to.* Leo Imp. eam legem sic moderatur; vt Mœcho nasus præscindatur; mœcha monasterio includatur.

V. Sed, quod pessimum; sæpe mœchi castas coniuges suas faciunt mœchas. Quasi fas esset.

Frangenti fidem fides frangatur eidem. Causa mœchationis.

Improbum & in Theologicis, & Politicis dictum hoc: factum improbius? Quale & istud triuiale:

Conua qui faciunt; ne cornua ferre recusent.

Sed vos matronæ repetite animo Susannas, Iudithas, Lucretias, &c. Porcia, Catonis filia, laudanti pudicitiam transeuntis ad secundas nuptias, ait: *Non censeo honestam,*

nestam, quæ plures vno maritos habuit. Quid talis de adulterio censuisset?

PARS III.

Da adulteræ absolutione.

Absoluitur Quia.

1. Alia nũc tempora. & iudicia.

I. *ADducunt ei mul. in adult. depr. & eam statuunt in medio.* At suam ipse sententiam, minime interponit. Quid, Iesu? Lex tali flagitio lapidationem decernit: in idem olim Sulphureos imbres, diluuij rabiem, pestes, mucrones, mortes immisisti: Et tu, Matthæi 5. *non venisti soluere legem sed adimplere:* & hanc impunem, tamen & indemnem dimittis? O tempora meliora! O misericordiam? Agite; Spem animumque resumite peccatrices:

2. Quia Iudex est mera misericordia.

Non desperetis vos, quæ peccare soletis. Aduocatum habetis Iesum potius, quam vindicem; tantum *nolite amplius peccare.* Is est, qui ait, Ezech. 18. *Nolo mortem peccatoris; sed magis vt conuertatur, & viuat.* Ose. 6. *Misericordiam volo, & non sacrificium.* Vere is est *Deus, cui proprium est misereri semper ac parcere. Non venit, vt iudicet mundum; sed vt saluetur mundus per ipsum.* Ergo absoluit ream

3. Quia accusatores & iudices ipsi erant grauius rei.

II. Et id etiam propter hoc, quod accusatores eius; Pharisæi ac iudices magis rei essent, adulterij spiritalis minimum. 1. Vnde alias ad eos ait, Matt. 12. *Gens praua, & adultera.* Psalm. 49. *Si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas.* Itaq; sibi ignoscebant multa; alteri nihil: Est autem vnus adulteræ omnia Dominus. 2. *Qui sine pec. est,* inquit, *primus in eam lap. mittat.* Quis talem absoluendi rationem audiuit vnquam vel excogitauit? Noua est. 3. Vos vero Iudices, *erudimini, qui iudicatis terram.* Memineritis istius Ciceroniani contra Sallustium: *Carere debet omni vitio, qui in alterum paratus est dicere.* 4. Israelitæ, *Iud.* 20 decernunt bellum aduersus tribum Beniamin ob vxorem Leuitæ constuprationibus exanimatam: Eos tamen vetuit Deus in aciem prodire prius, quam sua ipsi delicta expiassent. Ita primum iustus sis ipse tibi: dein alteri. Alioquin Ps. 49. *Peccatori dixit Deus; quare tu enarras iustitias meas?*

4. Quia iudices erant insufficientes.

Nec solum vacare debet culpa iudex culpæ: sed & virtute, doctrinaque pollere; velut alis duabus auis. Et tamen quot sine istis ad tribunalia euolant? Legem daturus Deus noluit à bruto montem tangi. Vah quales hodie bestiæ in monte illo Iustitiæ etiam stabulantur.

5. Quia cẽplicem non adduxerant.

III. Demum & adulterum adductum oportuit. 1. Nam viri in hac re delictum est maius, quo esse maior constantia debet. Quo grauior Adæ, quam Euæ culpa censetur. 2. Oportebat & maiores in vrbe, propalam eiusdem delicti reos, adduxisse: Inprimis Regem ipsum Herodem 5. sed est, vt Anacharsis Philosophus aiebat: *Leges aranearum telis sunt similes; muscas captant: aues vero perfringunt eas, & crabrones.* 4. Diogenes rapi furem ad furcam videns, clamat: *Magni fures paruum ducunt.*

Dat veniam cordis, vexat censura columbas.

4. At tu Domine derelictis ades: absoluis, quos condemnat mundus. Inquis; *Nec ego te condemnabo mulier.* Clementissime Domine, tute olim lues: quod nunc indulges. Nos absoluis; te inuoluis.

DOMINICA IV. QVADRAgesimæ Feria II.

Prope erat Pascha Iudæorum, & ascendit Iesus Ierosolymam, & inuenit in templo vendentes.

Ioan. 2.

PHinees, *Num.* 35. nepos Aaronis, cum ethnica Madianite peccantem Zombri propalam confodit secundum geni-

talia. Adeoque placuit is zelus populo, vt æternum ei Sacerdotium decerneretur. Ita IESVS zelatur in fornicantes contra Templum.

Super quo nos

I. In Deum cadere iram.
II. De templis Dei cultui construendis.
III. De antiquitate vsus templorum, ac vniuersalitate.
IV. De ementibus ac vendentibus in templo.

PARS I.

In Deum cadere iram.

Docent id 1. Dicta.

NEgabant Stoici in Deum cadere *iram sci*: cum affectus vel passio, & mutatio absint à Deo: Itemq; & virum Sapientem esse ἀπαθῆ oportere.

Errabant. 1. Rectius philosophatur Moyses Exod. 32. *Quiescat ira tua, & esto placabilis super nequitia populi tui.* 2. Psal. 6. *Domine ne in furore tuo arguas me.* 3. Zach. 1. *Effunde iram tuam ingentes.* 4. Rom. 1. *Reuelatur ira Dei in cœlo.*

2. Facta.

Dictis facta suffragantur. Angelorum è cœlo proturbatio. E paradiso protoparentum expulsio. *Gen.* 3. Diluuium, *Gen.* 7. Sulphureus ignis Sodomæ. *Genes.* 19. Aegyptiorum, *Exod.* 14. in mari rubro submersio. Israelitarum, *Num.* 22. neces ab ignitis serpentibus. A peste hominum septuaginta millium, 2. *Regum* 22. Cædes centies octuagies millenorum *Assyrio*rum facta per Angelum, 4. *Reg.* 19. Cædes primogenitorum. *Exod.* 11. Captiuitates Iudæorum iam in *Assyriam*, post in Babyloniam abductorum. Demum hodierna extemplo vendentium exturbatio. Ad instar Samsonis, *Iud.* 13. asinæ mandibula fugantis Philistæos, & mille prosternentis. Mirabilius Christi est factum, viri talis, in tali loco, inter tot ac tales, vrbe tota infestos vni.

PARS II.

De templis Dei cultui construendis.

Templi Deus vult coli. Ostenditur similitudine.

I. TEmpla quantum honorant Catholici: horrent tantum hæretici. Ea vel demoliuntur, vel deserta squalent apud ipsos: vno, altero ve excepto suis conciliabulis habendis. Sed odio Satanam ipsi; nos Deum imitamur amore templorum & honore. Ac tametsi in omni loco Deus adorari queat: Nam, inquit, *Cœlum, & terram ego impleo:* certa tamen ipse loca sæpe delegit, vbi vim, gratiam ve maiorem exeruit.

1. Incarnatione. 2. Anima.

1. Vt Deus erat Deus ante, quam carnem induisset, implens omnia: hanc tamen vt templum elegit, in ea mirabilia magna ostendebat. 2. Ita in toto habitat corpore anima, inque singulis partibus: vna tamen, quam in alia, nobiliores effectus operatur: Id quod vni præ altero dat membro præstantiam. Ita Deus. Psal. 138. *Si ascendero in cœlum, tu illic es; si descendero in infernum ades:* nihilo tamen minus in templis vult adorari. Psalm. 114. *Adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.*

3. Sole.

3. Vt sol ex æquo lumen suum dispertit in sidera, inque orbem: & obit axem, signaque Zodiaci duodena, simul anni tempora distinguit: simul alios, aliosque hic, alibique, nunc, aliasque alios atq; alios producit effectus, &c. Ita Deus, etsi in cœlis collaudetur; reluceatq; in beatis mentibus, alia tamen per alios operatur; & aliter alibi colitur: Coli vero hic in templis voluit; ideoque & hæc ipsa coli.

4. Montib.

4. Enimuero quid est, quod rupibus ac montibus delectatum olim Deum Scriptura prodit? Legem Tabularum in Sinai dedit, *Exod.* 19. In Thabor, *Matth.* 17. transfiguratur. In Olíueti, agonizat. In Caluariæ, cruci suffigitur. *Matth.* 28. Supra petram fundat Ecclesiam. An quod præcel-

præcelsa templorum perinde se amaturum domicilia innuat ? Reor equidem. Facta eius atteſtantur. Qualia enim, quot, quantaque in templis Admiranda, Diuinaque abs Deo patrata fuiſſe hiſtoriæ produnt?

5. Sabbato. *II.* 5. Quare ſicut diem abs die diſcreuit Deus, Sabbatumque præ alio habuit; ita & locum præ alio. Placuit ei Ieroſolyma Templo deſtinata. Placuit ei Tabernaculum prius ac Propitiatorium.

6. Primogenitis. 6. Ad hæc, *Exod.* 13. Deus ſibi primogenita ſingulariter depoſcebat, cum tamen *Domini eſt terra, & plenitudo eius.* Pſa. 23. Ita & loca quædam ſingularia.

7. Exemplo. 7. Quod ſi perinde ſit, ac ſatis, vbique coli Deum: 1. Cur Magi tam procul excíti? 2. Cur Daniel per feneſtram verſus Templum. *Tribus temporibus in die flectebat genua ſua, & adorabat* ? Danielis 6. 3. Cur in captiuitate Chaldaica Iudæi Pſal. 136. *Super flumina Babylonis* queruntur. *illic ſedimus, & fleuimus, dum recordaremur tui Sion*? 4. Cur Apoſtoli Petrus & Ioannes *ad templum ad horam orationis nonam aſcenderunt*? Act. 3. 5. Cur B. Virgo Maria, voti rea & filium Deo ſiſtit in templo, hocque quotannis itinere longo inuiſit?

8. Sacerdotio. Omnino ſicut delectum habet miniſtrorum in ſacris Deus; ita & locorum.

PARS III.

De antiquitate vſus templorum ac vniuerſalitate.

9. Vſu. V. T. VSus templorum eſt peruetus. Nam in deſerto fuit Tabernaculum ex Dei præcepto, & præſcripto. *Exod.* 26. 2. In Palæſtina, 2. Reg. 7. *Ego habito in domo cedrina, & Arca Dei poſita eſt in medio pellium.* Et templum quo ſumtu, ſplendore, conatu, arte, &c. conſtructum fuit: vide 3. *Reg.* 5 6. 7. 8 Deſtructum inſtaurauit Zorobabel. 1. *Eſd.* 2.

Apoſtoli vero templa condiderunt, vbi vbi prædicauerunt. Matthæus in Aegypto; Ioannes Epheſi, Bartholomæus in India. Teſte *Abdia* Apoſtolorum æquali *libr.* 2. *hiſt. cap.* 27. Euſebius ſcripſit ſub Claudio Imp. & ſcribit, iam tum vbique ſtetiſſe templa Chriſto. Orbem dein Conſtantinus, ac Helena mater implerunt templis. *Noui T. Apoſtolorum.*

Apoſtolici viri idem ſtuduerunt. S. Martialis annis abhinc 1500. per Aquitaniam, Galliamque Fidem, miracula, templa ſerebat: atque vt idem factitarent fideles epiſtolis admonebat, vti Burdegalenſes S. Stephano templum collocarent. *Apoſtolicorum.*

Idem & egerunt, & ſuaſerunt, & iuſſerunt decem antiquiſſima Concilia. Quorum vox vna *Si quis Domum Dei docet contemptibilem eſſe debere, anathema ſit.* *Cõciliorũ.*

Quocirca hæretice, templorum violator, & expilator, *interroga Patres tuos, & dicent tibi*, ac metue Dei flagellantis iram, innumeris exemplis conteſtatam: vt vel hodie Flagello eiecit. *Tantæne cœleſtibus iræ animis?*

PARS IV.

De ementibus & vendentibus in templo.

Templarũ profanatores Simoniaci.

1. EMentes, & vendentes. Quos? An beneficiorum Eccleſiaſticorum proxenetas; poſſeſſionum ſacrarum inuaſores; ac depeculatores? Hi ſunt qui templum vertunt in ſpelæum latronum, ac prædarum receptaculum. 1. Hi ſunt noui Philiſtæi, 2. *Reg.* 3. qui captiuam Dei Arcam ſub eodem tecto, inque ara vna cum Idolo Dagon conſtituunt: *quaſtum putantes eſſe pietatem.* 2. Hi ſunt Tyrii, Sydonij, Babylonii qui Templum profanant. De quibus Ioel. 3. *Argentum meum & aurum tuliſtis cito, velociter reddam vicißitudinem.*

3. Hi

3. Hi sunt Nabuchodonosores; qui post plura beneficia inuasa, distracta; euersaq; templa demũ statuam auaritiæ, vel luxuriæ sibi collocant: quasi rem præclare gessissent. Deniq; vero toti obbrutescunt in bestias versi infernales. 4. Hi sunt isti Balthasariani templorum prædones, quorum se prædis saginant epulantes; vsque dum *eis subito superueniat interitus*. 5. Sunt Heliodoriani, 2. *Mach.* 3. spoliatores templi. Væ, & flagellabuntur similiter atrocius.

A Deo, & Angelis puniendi.

O vos Angeli, templorum, ararumque tutelares; hos pro meritis tractate pertinaces. 1. Sicut è cœli templo profanos violatores Luciferianos exturbastis. 2. E Paradisi larario sacro protopeccatores eiecistis. 3. E choro Apostolorum Iudam: 4. Sic hosce coruos ex arca expellite. Sed *adhuc manus Domini est extenta*, armataq; flagello. Væ ab ictu! *Fugite à ventura ira*. Nolite *Domum meam facere spelunca latronum*. Vos aliis Ecclesiam, ac cœlum reseratis; & ipsos vos excludetis?

Hæretici.

II. Sed & hæretici Domum Dei faciunt speluncam latronum. Latrones ipsi ex ea egressi, quod eam latrociniis compleuerunt? In hos, Iesu flagellum para, ac vibra; hos eiice animarum nundinatores, ac diuenditores. Quid? Vel ipsam SS. Trinitatem vendunt, produnt, blasphemãt. Vendunt, proterunt Christum, Sacramenta, Sacra omnia, Sanctos, Vota, Monasteria, ieiunia, &c. *Vos, vos feciſtis eam speluncam latronum*.

Sacerdotalis sanctimonia ornet templa.

III. Quo honestior esse ac sanctior vita, vocatioque Sacerdotis allaboret. Metuat flagellum Dei: latronum exempla punitorum, ac iectorum. *Sed priusquam euellerentur, exaruerunt*. 1. *Sic luceat lux vestra*, vt siderum: quæ, etsi nebulis obuaporentur; his tamen non attinguntur, minus obscurantur; minime vllam vnquam ecclipsim patiuntur. 2. Recogitate, & vestros honores respicite, ipsis Angelicis superiores.

Exempla eiusdem.

1. Hinc S. Franciscus aiebat: si occurrissent ambo sibi; prius Sacerdoti, tum Angelo detulisset honorem. 2. Sanctus Antonius, quem obuium habebat Mystam, ei supplex accidebat, petens benedictionem. 3. Constantinus Magnus in Nycæna professus Synodo est: sua se purpura contecturum Sacerdotem, quẽ peccantem vidisset. Sacerdotes appellabat suos Patronos, aut Patres. 4. Theodosius Imperat. ad pedes Sanct. Ambrosij stratus supplicabat ab anathemate exolui. 5. Attila, terror & flagellum orbis, furens in Clerum Romanum ei vltima quæque minitabatur: ad Sacerdotis tamen Leonis Papæ conspectum inhorruit, posuitque sæuitiam, ac vertit viam, vimque alio.

Sacerdotes sunt, qui Templum faciunt Domum orationis: ijdem latrocinantes eiiciant oportet: non currant cum latronibus, nec portionem suam cum illis ponant.

FERIA III. POST DOMINICAM IV. Quadragesimæ.

Ascendit Iesus in templum, & docebat: & mirabantur Iudæi dicentes, Quomodo hic literas scit, cum non didicerit? Ioannis 7.

REgina Saba. 3. *Regu.* 10. longe veniens auditum Salomonem, sic admirata sapientiam viri est, *vt vltra non esset in ea Spiritus*; beatosque seruos eius pronunciaret. Ita nationum omnium regina Synagoga, audito Iesu, obstupuit, dicens: *quomodo hic literas scit?*

Nos circa idem in præsens

I. *De inuidia.*

II. *De*

II. *De Doctrinæ Christianæ Isagoga.*
III. *De legis Christianæ admirabili præstantia.*
IV. *De scientia Christi.*

PARS I.

De inuidia.

Ea est gloriæ comes.

ANacharsis Philosophus causam plerique doloris hominum rogatus edicere, ait: *Inuidia est qua plus de alterius prosperitate ac virtute plerique dolent, quam de vitiis.* 1. Isid. *Nulla est virtus, quæ non habeat contrarium inuidiæ malum.* 2. Sicut eos, ait Stobæus, qui in sole ambulant, vmbra sequitur, ita *incedentis per gloriam comes est inuidia?*

3. Ideo Themistocles, Dux Athen. *teste Plutarch.* iuuenis dictitabat: *Noui gesta mea necdum famam mereri; quod ea nondum inuidia comitaretur.* 4. Vt recte quidam *Inuidiam* appellarit *fortunatorum antagonistam.* 5. Similis draconi, *Apocalyp.* 12. qui cauda sua stellas trahebat; Ita virtutes rutilantes in anima nititur obfuscare inuidia.

Turbatrix mortalium.

O quot ista Megæra tragœdias ciuit? Angelos conciuit ad rebellionem. Cain, *Genesis* 4. armat in fratrem. Fratres, *Genes.* 37. in Iosephum: Esau in Iacobum, *Genes.* 25. Saulem in Dauid, 2 *Regum* 14. Denique, Sapient. 2. *inuidia diaboli mors intrauit in orbem.*

Similia.

O viperam, genitricis ventrem disrumpens, vt viuere non incipiat nisi per mortem parentis! O rubigo edax domicilij sui! O aranea; vertis in venenum, quod attingis.

Tria sunt, quæ Altissima quæque infestant:

Summa petit linor, perflant altissima venti;
Summa petunt dextræ fulmina missa Iouis:
---Nec magnas patiens exurgere laudes Inuidia.

Alexan. Magnus, ait *Aelianus lib. 12. cap. 16.* tres viros suos oderat: Perdiccam, cæteris bellicosiorem: Lysimachum, quod militiæ peritior: Antigonum, quod splenderet cultu regio. Pharisæi veram inuidiæ idæam repræsentarunt aduersus Dominum. Liquet vel hodie: *Quomodo hic literas nouit?*

PARS II.

De Christianæ Doctrinæ Isagoga.

Legis Christianæ.

DOctrina Christi peperit inuidiam maleuolorum. Leges scripsit Laconibus Lycurgus, Solon Athenienſibus, Locrensibus Zaleucus, Numa Romanis: Christianis hodie CHRISTVS. 1. Prima huius cathedra mons Sinai fuit: *Exod.* 19. vbi eas promulgauit Deus inter tonitrua, fulgura, tubas. 2. Iesus eas miraculis confirmauit natus, & prædicans: Matth. 11. *Cæci vident, claudi ambulant, mortui resurgunt.* 3. S. Spiritus publicauit easdem: Ioa. 14. *Ille docebit vos omnia.*

1. Ortus.

2. Confirmatio.

3. Publicatio.

4. Horum testes Apostoli, *quorum sonus in omnem terram exiuit; sequentibus signis.* 1. Qualis virga cum Lege in Arca simul erat: ita in Ecclesia cum doctrina quoque miraculorū virga. 2. Sicut *Iosuæ* 6. muri Iericho, quicquid tentaretur, nō expugnari quibant, nisi ad tubarum clangorem: Ita nec idololatria, ac vitia, nisi ad tubas apostolicas ac miracula.

4. Attestatio per miracula

Acceptatio per orbem.

II. Vere Christi miranda doctrina est: orbem peruasit simul ac orta fuit: Vt oriens Sol orbem lumine afflat intuitu vno. Ecce vt orb sillam receperit. 1. Synagogæ nomine doctores eius quatuor præcipui eam receperunt Apollo, Paulus, Gamaliel, Ioseph ab Arimathia. 2. Ethnicæ Philosophiæ nomine, Hierotheus, Dionysius, Iustinus, Philosophi Platonici. 3. Medicorum nomine Quadratus, Agrippa, Marcus, Lucas. 4. Constantinus Imp. nomine Imperij: Clodo-

uæus, nomine Regum: sic regna alia Resque public. omnes vnam acceptarunt Christi doctrinam.

Non obstãtibus quibuscunq. Et illam; cuius autor duos inter latrones in cruce viuere desijt: 2. Cuius testes Apostoli ex ima plebecula. 3. Et istis cessserunt Academiæ, tribunalia, Curiæ, sceptra, coronæ: inuiaque patuere peruiæ omnia. 4. Quamque cito peruasit vniuersa; tam constanter hodieque perseuerat: & vero tot inter ac tanta aduersantia.

PARS III.

De legis Christianæ incomparabili præstantia.

Eius Partes enumeratæ aliquæ. I. ILlam quis satis vnquam admiretur? 1. Cuius *obiectum* est, summum bonum amare. 2. *Principia*, Fides, Spes, Charitas. 3 *Proprietates*, septem Sacramenta; audire Ecclesiam. Metaphysica est abstrahens à materia sensili voluptatum, ac vanitatum, philautiæ, cognationis, fortunarum. 4. Verbo; est ea Psalm. 18. *Lex Domini immaculata, conuertens animas, testimonium Domini fidele, sapientiam præstans paruulis.*

Aliæ leges hodie ad eã sunt nihili. Quæ vsquam, vnquam similis? 1. Lex Mahumetana scatet erroribus infandis: Iudaica, fabulis ac deliramentis: Hæretica, blasphemiis ac impietatibus.

2. Monstra sunt inferni, & orbis vlcera Thalmud, Alcoranus, institutiones Caluinianæ, &c. Sola Christi in Ecclesia Doctrina vera, sanctaque est.

Et omnis philosophia succumbit ad eam. 3. Magnus Aristoteles, Plate magnus: at suos quisque errores habet. Illius in libro est: *Ex nihilo nihil fit. Mundus est ab æterno.* Bibliorum Codex sacer ista refutat. 4. Omnis Philosophorum sapientia permixta scorio fuit ignorantiæ, ineptiæ, obstinaciæ, fallaciæ, &c. *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, sed non vt lex tua.* 5. Mirentur Euclidis regulas Mathematici: quid eæ ad Christianas? De his audebat dicere Magister vel hostibus, Ioann. 9. *Quis vestrum arguet me de peccato?* Adhuc potuit nemo.

Ea fœlicitas Reip. 11. Beata Respub. in qua lex Christiana seruaretur examussim, diligeretur Deus super omnia; proxime Deum proximus; & suum cuique redderet iustitia: &c. Iam profecto homines in alios repente commutarentur.

Conuertit animas. Hoc enim proprium ipsi, vt sit *Conuertens animas*; dixerim, omnes orbis oras. Immersam luxuriæ, &c. Magdalenam, Samaritanam &c. conuertit, vt primum ijs innotuit. Viatores in Emaus, obcæcati licet, ardebant tamen audientes legem eam.

Promissa præstat. Proprium quoque ipsi hoc, vt sit *Testimonium fidele*: præstat, quod promittit. 1. Testãtur ordine Beatitudines octo. Testis & Lazarus, *Lu.* 16. Pauperum regnum esse cœlorum: infernum improborum esse testis est Epulo, Pharao, Cain, &c. 2. Promittit suis adfore Deum in aduersis. Præstat: Testis est Ionas, Ioseph, Daniel, Susanna, Iudith, Mardochæus, &c. 3. Spondet deponendos potentes de sede. Præstat: Testis Lucifer, Aman, Nabuchodonosor, Balthasar, Saul, &c. O doctrinam admirandam!

PARS IV.

De scientia Christi.

Scientia Christi. 1. DIuus Thomas docet plures Deum mundos creare posse hoc & præstantiores, & ampliores. Tria tamen melliora reddere non posse. Gloriam beatorum: Iesu Humanitatem: & Matrem Iesu. Vt dementiæ fit quærere: *Quomodo hic literas scit?* 2. Qui Deus, ex se ab æterno est omniscius: Nam, Ioann. 10. *Ego & Pater vnum sumus*, etiam in scientia visionis, & ea quæ est simplicis intelligentiæ, de iis quæ factu possibilia sunt. Quia in i-

1. Dei infinita.

in ipso liber est vitæ. *Verba vitæ habes.* Ioann. 6.

2 Comprehensoris beatifica Matutina & Vespertina.

2. Qua *Homo*, & quidem *Comprehensor*, ex inhabitantis Verbi visione beatifica sciuit vniuersim omnia. Ac longe illustrius, quam Angeli, Cœlitesque quicunque. Habuit enim cognitionem Verbi *Vespertinam*: & rerum omnium cognitionem in Verbo *Matutinam*: infinite perfectam vtramque. Ac in ipso omnium cognitio tralucebat ad Cælites: qui in eo, ceu speculo, peruident vniuersa. Nam in Dei essentia sunt omnia. Ibi vident: discuntq; sancti orationes nostras, ac vota. Ibi idiota omnium superat doctorum scientias momento. Sancti Gregorij vox est: *Quid est, quod non videant; qui videntem omnia vident?* Iam desine quærere. *Quomodo hic literas scit?*

3 Viatoris infusa.

II. 3. Deinde qua *Homo viator*, omnia sciebat per scientiam infusam. Quam, sicut creatis Angelis, Adæque Deus & Christo infudit, cum omnibus speciebus intelligibilibus; quas nos sero demum vix magno cum nisu elicere discimus, magistris sensibus. 2. Quare vt cœlorum orbes vna cum suis astris sunt condita; arbores paradisi vna cum fructibus; herbæ cum semine suo: ita Christi anima cum omni specie intelligibili. Illa enim cœlum est, est arbor, est herba virens ac medica. 3. Hinc, Luc. 2. *Stupebant omnes, qui eum* duodennẽ *audiebant, super prudentia, & responsis eius; & videntes admirati sunt.* Cur tum non quærebatis: *Quomodo hic literas scit, cum non didicerit?*

Simile, sinum.

Exempla infusæ scientiæ.

4. Quis docuit Adamum scientiam naturarum? Quis Noen Mathesin? Quis Iosephum ac Danielem interpretari somnia? Quis Iosuen, sistere solem? Isaiam, solis cursũ retro agere? Quis Salomonẽ docuit sapientiam? Erant hæ omnes scientiæ infusæ: Omnes item, aliæque in Christo inde ab initio conceptionis.

III. Ecce, Philosophi, quo vestra recidant Principia. *Nihil*, ait Arist. 3. de Ani. *est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu.* At tot infusæ scientiæ in nullo prius sensu fuerunt, ergo fallimini vos. *Est ea præter, & supra naturam.*

Infusas respexit Psalm. 44. cum ait: *Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus, in simbriis aureis, circumamicta varietatibus.* q. d. Animæ Regis scientia est intrinseca in intellectum infusa, non ab sensibus hausta, notitiarum varietatib. plurimarum insignita, adhærescens ad auream simbriam Diuinitatis. *Prophetia illustris.*

Liquet in figura. Manassis vidua Iuditha, *Iud. cap.* 10. egressa Bethuliam, vt Holoferni caput præcideret, tanto se artificio ornauit à gemmis, armillis, lunulis, &c. vt & ciues, & hostes raperet in stuporem: addideratque decorem decori Deus. Ita Christi anima, vt Satanam obtereret, tot gratiis condecorata exiit cœlo, corpusque iniit infusa. *Figura par.*

1. Ad hanc Angeli obstupescerent: *Quæ est ista, aiunt, quæ progreditur, quasi aurora? pulchra? vt luna Electa vt Sol?* 2. Obstupuere, qui missi ad capiendum eum, Ioan. 7. dicentes re infecta: *Nunquam sic locutus est homo, sicut hic loquitur.* *Eius admiratio.*

1. Quid mirum? Nam Col. 2. *In eo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei reconditi.* 2. Quid mirum? Nam, Baruch. 3. *adinuenit omnem viam disciplinæ.* 3. Et luculentius Isaias 11. *Requiescit super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis.* Et quæretur adhuc. *Quomodo hic literas scit, cum non didicerit?* *Et ratio.*

Perora, facta recapitulatione.

FERIA IV. POST DOMINICAM IV. quadrageſimæ.

Præteriens Ieſus vidit hominem cæcum à natiuitate.

Ioan. 19.

TObias, *cap.* 11. orbatus viſu per Angelum reſtituitur felle piſceo, non magis oculis, quam commodo. Cæcus natus per Angelum Teſtamenti perſanatus ſputo luteo; quam fel, plus oculis inimico.

Circa quod factum nos

I. *De obcæcatione animæ.*
II. *De cæco nato.*
III. *De cæco illuminato.*

PARS I.

De obcæcatione animæ.

Figuris ea oſtenditur.

I. IOannis Climaci vox eſt: *Hæc prima cura dæmonum, obcæcare animã.* Nimirum quo plus eum ludum faciant, deſpolient, præcipitent. 1. Vt Philiſtæi, *Iud.* 16. Samſonem excæcarunt; necarunt. 2. Vt Nabuchodonoſor, 4. *Reg.* 12. Sedechiæ, Regi Iuda, erui iuſſit oculos. Sic dæmon.

Præcipitat in barathrum.

Poſt excæcationem proh! in quas voragines ſit quam præceps impetus? Et ſic, vt recte fieri putetur. 1. Pharaonis cæcitatem quis non obſtupeſcit? *Exod.* 6. *&c.* 16. Vt & in mare rubrum inuadere non dubitaret. 2. Dauidis cæcitas quanta ruentis in & adulterium & homicidium? 2. *Reg.* 11. 3. Salomonis ſpiſſior. Amoribus dementatur verticordis, idololatria taminatur. 3. *Re.* 11. Vt duo eſſent in vno perinde: ſumma Sapientia, & par dementia. Sed hæc ex ſe ipſo; illa ex Deo.

Exemplũ.

4. Eliſæus, 4 *Reg.* 6. precibus occæcarat miſſum in Iſrael exercitum Regis Syriæ. Eum ductat in hoſtilem vrbem mediam; hicque viſum reſtituit. Videntes vero ſe captos, terrore velut exanimes humi corruerunt. Sic dæmon animas faſcinat; per profana, per execranda omnia ductat; demum vinctos dat, mactatque orco.

Figura.

Aegyptiæ tenebræ palpabiles quanta in cæteris plaga fuerunt? *Exod.* 10. Maior animæ cæcatio. Neque huic accidere perniciosius quicquam poteſt; quam vt ne hanc quidem vltimam calamitatem ſuam videre queat. Quod eſt ipſa reprobatio.

Orandum pro illuminatione.

Hinc tam impenſe Dauid Pſ. 42. *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam.* 1. Hoc ipſi inerat boni; quod agnoſceret peccatum ſuum *vir videns paupertatem ſuam.* 2. Videbat idem populum, adeoque totum mũdum, qui ſedebat in tenebris; ideo orat: *Emitte lucem*; quæ dicat, Ioann. 9. *Ego ſum Lux mundi.* Siue igitur lucem ſibi, ſiue & vniuerſis orarit; hoc conſtat, ſuam ipſum deploraſſe cœcitatem; qua nec quo iret, ſciebat, ideo Pſ. 140. *Notam fac mihi viam, in qua ambulem.*

Quid, quod ad peccati ſuſcepti ſemel tenebras, & ſuas affundat princeps tenebrarum? Id vidi. Ioannes in *Apoc.* 16. vbi Angelus phialas effundebat ſuper regnũ beſtiæ; *& ſtatim factum eſt regnum tenebroſum:* & alius diem reduxit. Ille Satanam; hic Seruatorem deſignat. Is peccantium, hic pœnitentium eſt Dux. Is hunc cæcum tenebrabat; quem Ieſus reluminabat.

PARS II.

De cæco nato.

Peccatum orig. eſt vniuerſale omnium.

I. HIc cæcus natus eſt noſtri omnium typus, qui *in peccatis nati ſumus toti:* ſed in baptiſmo abluti, & illuminati, & ſanctificati: fic tamen, vt vel ſtrabi, vel luſciоſi vel lippi multum caligemus. Natiuas vero tenebras vel inde æſtimare eſt: quod animæ, extorres baptiſmi, conſortes ſint tenebrarum limbi; vbi infantes non

non baptizati arcentur à conspectu Dei, *Nulla enim est communicatio lucis ad tenebras.* 1. Nam vt anima, cuius præputium non fuerat circumcisum, delebatur de populo: ita illius, qui non baptizatur. Sunt eæ tenebræ peccati orig. plagæ; indicia satanicæ inuidiæ. 2. Vnde Eph. 2. *Sumus natura filii iræ*, deprauata. Hæc hæreditas nostra, inde ex Ada; Rom. 9. *in quo omnes peccauimus.* Ps. 50. *Et in peccatis concepit me mater mea.* 3. Atque, vt Aug. ait: *Non solum eius exemplo peccauerunt, sed omnes vnus homo fuerunt:* (addit S. Ambros.) *quasi in massa.* Anselmus. *Quia quando ipse peccauit, omnes in illo erant*, interpretatiue, aiunt Theologi. Nam vt nostrum cuiusque persona in eo; sic & voluntas erat. Vtque ipsum Deus allocutus; ita nos in ipso. Quod si præsentes adfuissemus, audissemusque mandati seruandi, violandique conditionem; perinde cum Ada forte consensissemus in ipsam.

Non fuit tantum personale.

II. Hæretice igitur Pelagiani sic ratiocinabantur: Non est voluntarium in infantibus; ergo nec originale peccatum. Hæreticum hoc: quia interpretatiuum adfuit voluntarium nostrum. Nec obstat istud Ezech. 18 *Filius non portabit iniquitatem patris*, actualem intellige. Nam hæc in agente ipso terminatur: at Fontis intoxicatio dimanauit in riuulos; Adæ in posteros.

Figura.

1. Sicut cum Iob filij omnes vna in domo epularentur, hanc euertente vento, simul obruti sunt omnes, ita filij Dei nos in vno Ada primogenito gustantes pomum, eandem omnes ruinam subiuimus, serpente ipsum euertente. 2. Sicut diluuium omnes inuoluit, *Gen.* 6. præter Noen, & Arcam: ita peccatum orig. omnes, præter Iesum, & Matrem Iesu, Arcam sanctificationis eius. 3. Sicut in excidio Ierichuntino sola domus Raab cladis exors permansit, cæteræ æquatæ solo: *Ioſ.* 6. 4. Sicut ex Sodomitica deflagratione Loth cum familia ereptus fuit, *Genes.* 19. 5. Sicut, Giezi, 4 *Reg.* 5. ob Simoniæ peccatum *lepra Naaman adhæsit, & semini eius vsque in æternum:* Ita Adæ ac porro semini, &c.

Simile.

III. 1. Magna Christo patiente eclipsis terram obtinuit vniuersam: at maior Ada peccante naturam humanam. Illaque tres tenuit non amplius horas: at hæc annis iam supra quinquies millenos sexcentis. Et tamen peccatum Nihil est, nam mera priuatio lucis, quam tot damna sequuntur. 2. Est lapillus, ad fragiles Adæ pedes deuolutus, ad ruinam tantæ statuæ humanæ comminuendæ. 3. Est piscículus minimus; remora, par ingenti Centauro remorandæ, inque naufragium pertrahendæ.

4. Quid? non pateretur deliquium sol, quia octuagies est, quam terra, maior: nō stelíæ, quod à terra absint altius, quāquo terræ vmbra pertingere queat, & tamen illud *Nihil* pec. orig. deliquium pati ab visione Dei coegit, tot sanctos, tam diu? Nosque mortales obcæcatos hic tenebris inuoluit? Neque nunc videremus quicquam, ni verus Empyricus Iesus hominem cœcum natum illuminaret.

PARS III.

De cæco illuminato.

Aduersa accidunt 1. Ad gloriam Dei. 2. Ad pœnā alieni peccati.

I. *Quis peccauit? Hic, an parentes eius, vt cæcus nasceretur?* 1. Immittuntur mala sæpe, vt *manifestetur gloria Dei.* Sic carceratus Ioseph; vulneratus Iob; cæcatus Tobias est. 2. Sæpe, vt vindicentur peccata vel propria, vel aliena. Nam Deus est, Exod. 20. *puniens peccata parentum in filios, vsque in tertiam, & quartam generationem.* Sic posteritas Chami eius peccatum luit. Sic ex adulterio natus Dauidi, mor-

tuus est. 2. *Reg.* 12. Sic leprosi posteri Giezi. 4. *Reg.* 5.

3. Et proprii. 3. Est omnino peccatum nostrorum causa malorum potissima. 1. Sic *Genes.* 8 inundauit diluuium. Occisa septuaginta millia hominum in Iuda. 2. *Reg.* 24. Tempestas sæuiit ob Ionam. *ca.* 2. Plagæ Aegypti debebantur peccato Pharaonis. Exod. 8. &c. 2. Id agnouit Esthera, *cap.* 4. *Peccauit in conspectu tuo: ideo traditi sumus in manus inimicorum.* Et Tobias cap. 3. *Quia non obediuimus tibi, traditi sumus in direptionem, & captiuitatem, & mortem.* Et Dan. 9. *Propter peccata nostra, & iniquitates patrum nostrorum, Ierusalem, & populus tuus in opprobrium sunt omnibus per circuitum nostrum.*

Ceremoniæ approbantur. Nota ceremonias: *Expuit in terram: lutum fecit ex sputo: liniuit super oculos eius & dixit ei: vade & laua in natatoria Siloe.*

I nunc, hæretice, & Ritus contemnito sacros.

II. Sed è luto quid lucis? An vt cæcum id doceat: *Nosce teipsum?* Lutum es; terra es: & quid supra te sapis?

Tecum habita, & noris quam sit tibi curta supellex.

Memento homo, quia cinis es. Esto *vir videns paupertatem tuam.* Sed inimicum oculis lutum est. Et quidem haud minus, quam fel Tobianum *Tob.* 11. Aut sal aquis amaris insperfus dulcorandis ab Elisæo, 4. *Reg.* 2.

Mortis meditatio Agnitoq; sui illuminat. Profecit tamen cœco lutum hoc cum Christi sputo. Et tute in sinum tuum inspue, vt diuerbium admonet; te lutum inspice: hoc oculos collyrio perline: crede, cernes continuo tuam fragilitatem, vilitatem, vanitatem mundi, honorum, opum, voluptatum. O salutare lutum! Cæce, ex te remedium accipe.

Externa tuuant. III. Iam natatoria Siloe quid oculis profecit? Et vero nec solum oculis plurimum: sed totum hominem persanabat. 1. Illa nobis Sacramentã designat, externa symbola gratiæ internæ. 2. Monet; aquis Naamanes à lepra mundari; cœcis visum reddi, paralyticos curari, iustis transitum dari: Aegyptios submergi. Petras aquis inambulare: has Christis Domini parere. Ad natatoriam igitur conuolate rei, corui, & super niuem dealbabimini.

Sed meritis Christi. Ad eam stat arbor plantata vitæ, Crux Christi: 1. Vt illa paradisiaca vetita non prius mortem attulit Adæ, quam fructũ sumsit: ita hęc tunc sanitatem dabit, cum *ascenderis in palmam, & apprehenderis fructum eius.*

2. Nec Probatica sanabat, nisi immersos in ipsam. In passionem Domini te inijce, & consanabere. Sacramentis vtere, & salute perfrueris. 3. Non solum sanat lutum, nec natatoria sola, sed illud Christi sputo, hæc iussu: Ita nihil ex nobis possumus; at omnia in Christo, qui nos confortat. 4. Hinc monet, Luc. 9. *Qui vult venire post me, & saluari: abneget seipsum*, nil ex se valentem, *& tollet crucem suam*, quantum de mea participare libuerit, commemorando, & patiendo.

FERIA V. POST DOMINICAM IV. Quadragesimæ.

Ibat Iesus in ciuitatem, quæ vocatur Naim; & ecce, defunctus efferebatur filius vnicus matris suæ.

Luc. 7.

ELias, 3. *Reg.* 17. Sareptam venit, viduæ pauperculæ defunctum vnicum resuscitat, redditque matri lætabundæ. Sic Iesus hic.

Nos

I. *De honore sepulturæ.*
II. *De defuncto.*
III. *De adolescentis defuncti resuscitatione.*

PARS

PARS I.

De honore sepulturæ.

Est natura debitus.

I. PLato, apud *Laert libr.* 3. tria docebat genera iustitiæ, quam Deo, Hominibus viuis, Mortuis debemus. Nam Deus honorandus: Viui amandi: Mortui sepeliendi. 2. Cic. Philippica 5. *Honor sepulturæ est maximus, qui haberi mortuo potest.* 3 At quidem is est actus religionis Christianæ erga corpora, vt templa S. Spiritus & organa pietatis. Proinde impia vox hæc.

Negatus pœna est.

Nec tumulum curo: sepelit natura sepultos. Est Pœna, carere sepultura. 1. Nam, Ieiem. 22. Deus grauiter puniturus Ioach. minatur: *Sepultura asini sepelieris, putrefactus & proiectus extra portas.* 2. Et Iezabel, 4. *Reg.* 9. canes loco vespillonum habuit: *& erunt carnes Iezabel sicut stercus super faciem terræ in agro Iezrael.*

Laus sepulturæ Exempla

II. Tobiæ, c. 12. laus hæc ab Angelo præcipua: *Quando orabas cum lacrymis, & sepeliebas mortuos.* 1. Laudatur Abraham, *Gen.* 23. ab honore supremo Saræ habito: *Cum surrexisset ab Officio funeris, &c.* 2. Iacob, & Ioseph in testamentis de sepultura sua constituerunt, ossa sua efferri volentes Aegypto. 3. Dauid, 2. *Reg.* 2. missis legatis ad Galaaditas, egit gratias pro Saule tumulato & Ionatha. 4. Iudas, 2. *Mach.* 12. prælio cæsos sepelit, & curat animas oblatis ac orationibus. 5. Discipuli Baptistæ, Matth. 11. *Venerunt & tulerunt corpus & sepelierunt illud.* 6. Ipse Dominus vilissima quæque sibi & deligens, & diligens, spernens honorata: sepulturam tamen, ac nobilem illam, non spreuit. *Matt* 27.

Eiusdem exemplum en & hodie tam pomposum, quam erat *magna turba cum illo.* Quin ipse Dominus hic sepulturæ occurrit, eam vti prius nuptias, miraculo condecorauit.

PARS II.

De defuncto.

1. Peccatũ fert in orcum.

I. ECce, Magnum quid: sicut Isa. 7. *Ecce, Virgo concipiet, & pariet filium.* Matt. 2. *Ecce Magi ab Oriente:* Ita *ecce defunctus:* non paralyticus, hæmorrhoissa, Cananæa. Esto: Elias, 3 *Reg.* 17. Eliseus. 4. *Reg.* 4. excitarint mortuos; at precibus per Deum: hic autem sua vi ac iussu: *Adolescens, tibi dico, Surge.*

Viuentes mortui.

Hesternus cæcus natus, peccati orig. est typus: hic defunctus vero, peccati actualis. 1. Nam vt hic; sic peccator à dæmonibus continuo post peccatum efferretur in orcum; vti Epulo; ni *Dei longanimitas eum ad pœnitentiam expectaret*: id est: nisi Christus, vt hic, occurreret in porta, inspirans pœnitentiam. 2. Heu, quot tripudia ducunt, beateque se agere putant: & forte mortui sunt? Nam Ezech. 18. *Anima quæ peccauerit, ipsa morietur.* 3. Vocato ad sequelam sui Dominus ait, Matth. 8. *Sinite mortuos sepelire mortuos.* q. d. Te ad vitam à mortuis auoco, id est, à non vocatis.

2. Peccatũ est mors.

Mors corporis, hoc priuat sensibus, & agendi facultate. Ita peccatum animam gratia, meritis, Deo.

3. Fulmini simile.

Vti fulmen quoddam tam est subtile, vt illæsa vagina gladium liquefaciat: ita peccatum illæso corpore animam, Psal. 72. *Ad nihilum redactus sum, & nesciui* Ps. 6. *Conturbata sunt omnia ossa mea, & anima mea turbata est valde.*

4. Est terribilissimũ.

II. Dicas licet Aristoteles *Mors omnium terribilium terribilissimum*: ego dixero: *Peccatum*, ac tanto, quanto anima præ corpore est.

5 Est peracre venenum.

Basilisco tanta vis ineft veneni; vt solo visu enecet. Acrius venenum est peccatum. Ergo Eccl. 21. *Tanquam à facie colubri fuge peccatum.*

6. Est malum infinitum.

Non fugias quod malum est infinitum;

tum; sic vt bonum Deus infinitum. Estq; æterni ignis fomes infinitus.

7 *Deformissimum.* Id ex angelis dæmones fecit: tamque tetros, diros, horribiles: quanto ipsum est turpius? Quantum igitur deformabit vnam animam? quantum sexcenta?

8 *Est infernus.* Finge te inspicere Auernum: & ibi cruciatuum, clamorum, tenebrarum, & malorum fingas quidlibet, omnia in vno latent crimine lethali: Velut in semine arbos! Sunt in ea concupiscentiæ flammæ, stimuli odiorum, stabula dæmonum, lustra scelerum, spissa tenebrarum, furiæ passionum, vermes conscientiæ, abominatio summa.

9. *Cœlo eiicit.* Quæ foret infelicitas, Diuum è cœlo detrudi in tartara? At anima è gratiæ paradiso eiicitur, quæ peccarit.

10. *Causat corruptionem omnē.* III. Physici docent, *à Materia omnis manat corruptio*: ego, inquam, à peccato.

11. *Est odiosissimū.* Cic. ait. *Tanta virtutis pulchritudo est, vt si oculis cerni posset, admirabiles sui amores excitaret.* Ita & odium sui concitaret peccatum, si sub aspectum caderet.

12. *Est dirius inferno.* Credite: mallent Angeli pœnis inferorum discruciari, quam reatu se peccati obstringere. 1. Diceres Cherubino: aut peccatum adi; aut infernum subi. Hunc mallet, si necesse foret. Tantus Diuis est amor, honorque Dei; horrorque peccati? 2. Sensit quid tale casta Susanna, à nequam pressa senibus: & ait: Dan. 13. *Angustiæ mihi sunt vndique. Si enim hoc egero, mors mihi est. Si autem non egero: non effugiam manus vestras. Sed melius est mihi absque opere incidere in manus vestras: quam peccare in conspectu Domini.*

13 *Est pertimescendum.* IV. Et adhuc quisquam sceleris sibi conscius, securus aget, ludet, ridebit; alia curabit potius? Talia ni fierent; fieri ego posse negarem. Heu! Te Balthasar Rex, *Dan.* 5. te visa manus scribens incognita verba, tantum non pene exanimauit; vt tibi *facies commutata sit, & compages renum soluerentur*: & ab tanta peccati immanitate nil exalbescet peccator?

1. Senior Manasses, 2. Paral. 33. *Non sum dignus videre altitudinem cœli*: adeo deputabat eum commissi. Ergo humiliare peccator.

2. Dauid pene homines fugiebat, Psal. 41. *Tota die verecundia mea contra me est; & confusio faciei meæ cooperuit me.*

PARS III.

De Adolescentis defuncti suscitatione.

Mors præcox ob peccata.

I. ECce defunctus effe. Occurrit Iesus vltro. Videte, audite: *Adolescens*, ait, *tibi dico surge.* Quatuor verbis *Dixit, & facta sunt.* Totidem Rem peragit Sacramenti: *Hoc est corpus meum.* Iuuenis hic, ac dives erat: Nam *turba magna erat cum eo.* Ergon' & hi flores decidunt? *Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas, Regumque turres.* Hor. l. 3. od. 4. Quæ hic lamenta matris viduæ, nunc & orbæ?

Sed in optimo animæ statu nos hinc Deus euocare assolet: quantum nos meruimus, cum præstiterimus illi bonum, aut minus malum. Sæpe occupat, præuenitque futura mala peiora, quibus nos præripit subtractos. 1. Etenim sicut mundus terminum habet completionem numeri electorum: Ita homo vitæ terminum eum, qui ipsius est meritorum: Omnia vtrinque abs Deo præuisa, ac circumscripta. 3. Perinde & sua impietati mensura est. Genes. 25. *Nondum completæ sunt iniquitates Gomorrhæorum.* Quocirca.

4. *Cur multum peccas, si multum viuere curas?*

Similia. 5. Hinc scisciranti ex Thalete, ecquid difficile vidisset: ait: *Senem tyrannum.* Ego, *senem peccatorem*, inquam. Nam peccandi intemperantia sæpe vitam abrumpit. 6. Sicut leo non est longæuus; quod sæuus nimium ac violentus: & violenta non durant: Ita peccator.

II. Sit

At prænonnet peccatori Deus.

II. Sit præda arcis munitæ insessor, vnde ad prædas agendas late excurrit. Rex mittit, locumque dedi iubet; nolentem obsidet, oppugnat vi: sed inexpugnabile locum actis cuniculis suffodit: Ita effuse peccantem admonet varie; demum arcem corporis vi dissipat, euertit. Sed ante, Ps. 31. *Multa flagella peccatoris.* Ante Imperat: *Adolescens, tibi dico: surge.* Psal. 63. *Ego Deus saluos faciens, mei sunt exitus mortis.* Ego sum, Apoc. 1. *habens claues mortis, & inferni.* Ego, qui liberaui Ionam de ventre ceti; *Ion.* 2. Danielem, 8. de lacu leonum; Lazarum de sepulcro. *Luc.* 16.

Iubet surgere.

Magna id petitu est.

Magna Dei potentia, & misericordia, à morte corpus: maior, animam reuocare ad vitam. 1. Nam naturaliter à priuatione non datur reditus ad habitum. 2. Et anima, peccans sæpe est *Spiritus vadens, & non rediens.* Psal. 77. Quocirca innumeri in scelus proruunt, vnde nunquam reuiuiscunt. 3. Ah nimium est *facilis descensus Auerni: At reuocare gradum, superasq; euadere in auras: hic labor, hoc opus est.* Quoniam *in inferno nulla redemtio.*

Peccatum ipsa sua grauabile.

Quid? Corpus sustinere pondus peccati posset: cum nec cœlum ferre quiuerit Luciferum: nec terra Core, Dathan & Abyron: nec aer volantem Simonem magum, nec mare submersos Aegyptios: solus edax ignis animabus pascitur in orco? Clames necesse est, *Domine*, vt suscites in peccatis mortuum.

FERIA VI. POST DOMINICAM IV. Quadragesimæ.

Erat quidam languens Lazarus à Bethania de castello Marthæ, & Mariæ Sororum eius. Ioan. 11.

SVnamitidis filius, obierat diem, 4. *Reg.* 4. Supplex Elisæum exorat, veniat reuocatum ipsum in vitam. Similiter hic sorores duæ.

Nos in præsens:

I. De humanæ vitæ breuitate.
II. De Lazaro infirmato.
III. De Lazaro resuscitato.
IV. De mortuo in Consuetudine peccandi.

PARS I.

De humanæ vitæ breuitate.

Bruta viuacia.

THeophrastus Philosophus, apud *Cic.* 3. *Tusc. q.* expostulat cum natura, longiorem bestiis tribuente vitam, quam homini. *Plinius libr.* 4 *cap.* 42. Naturam ait nouercam homini, brutis matrem esse. Nam dat sæcula viuendi quina cornicibus, nouena ceruis, coruis millena, bis millena Phœnici. At homo, dum in vitam ingreditur, simul ad mortem ducitur proximam.

Homo vitæ breuis est.

1. Similis natura in hoc matri Moysis, *Exod.* 2. Mensibus hunc tribus illa nutrierat; cum ad iussum Pharaonis, eum in fiscella fluctibus exponit. 2. Similis Pharaoni, *Exod.* 1. iubenti editos in vitam vel ab obstetricibus dari neci.

Ei natura nouerca.

Naturam dicam ne tyrannam? An vitæ breuitas, quam longitudo, beneficium est potius? Id problema esto. In præsens aio cum medicis, quib. principio suæ artis solenne hoc: *Ars longa, vita breuis.*

Vita nedũ diaria est.

Arist. l. 5. *de Animal. c.* 15. ait esse Ephemerum, insectum quadrupes, & alarum quatuor, volatile, & reptile: quo nascitur, die, moritur eodem cum sole occidente. Similis homo. Psalm. 89. *Mane sicut herba transeat, mane floreat, & transeat: vesperi decidat, induret, & arescat.*

Vita tua *sicut dies hesterna* est, *quæ præteriit.* 1. Vnde Ezechias apud Isa. 38. *De mane vsque ad vesperam finies me.* 2. Nam vt reus, post latum mortis decretum, nec diem relinquitur in carcere: vt notant Iustinus Martyr, & Iren. l. 5. cont. hær. Ita

Deus post mortis latã in hominem sententiam, totam diem viuere neminem finit, id est, mille annos. *Quoniam apud Deũ mille anni tanquam dies hesterna, quæ præterijt.* Psal. 86. Quos nec Mathusalem attigit: qui vixit annos 969.

Adeoq; Nihil. *Aristot. 1. Phys. D. Thom. &c.* naturam temporis dum inuestigant, aiunt demũ, esse merum quid imaginarium. Nam tres eius partes non esse: Præteritum transiit: futurum non adest: præsens punctum est, ac pene nihil. Talis vita. Præterita non est; futura nondum; præsens, momentanea est. Hinc Dauid *Psalm.* 108. eam vmbræ, *Iob.* 8. fumo comparat: *Sapiens.* 2. vmbræ transeunti. Iacobus *cap.* 4. Vapori. Exemplum ex Lazaro sume, iuuene, diuite, nobili.

PARS II.

De Lazaro infirmato.

Fides Sororũ infusa. I. SOrores ad Dominum confugiunt; nunciant: *Domine, ecce, quem amas, infirmatur.* Rex Ochozias, 4. *Reg.* 1. æger misit consultum oraculum Beelzebub. Impie: Illæ feliciter. Cum fide fretæ; tum exemplo.

Et acquisita exemplis est. Nam *Matt.* 9. duodennem hæmorrhoissam sanarat; annos triginta & octo paralyticum curarat, *Ioan.* 5. itemque seruum Centurionis, *Matt.* 8. Et Socrum Petri. Et sciebant, 4. *Reg.* 20. depositum medicis Ezechiam, à Deo fuisse restitutum. Ideo ipsæ hoc tantum; sed fidenter: *Ecce quem, &c.* Breuis oratio: sed, Iac. 2. *postulat in fide, nihil hæsitans.*

Ac vsu vita cum Christo roborata. Iamq; vsu longo pernorant eius benignitatem. Et quid ni, Psalm. 9. *Sperent in te, qui nouerunt Nomen tuum:* (IESVS) *quoniã non derelinquis quærentes te?*

Ideo insinuant dũtaxat sponte parato. Demetrius olim Phalereus dictitabat: *Amicos in rebus latis adesse debere vocatos: at in aduersis non vocatos.* Hinc eæ tantum hoc: *Ecce quem, &c.* Vt Lacedæmonij suæ εὐφημίας à Diis orabant tantum: *Date vtilia Reipubl. arbitrii cætera sunto.* Ita, *Ecce, quem, &c.*

An & Deus charis tribulentur. II. Quid? Qui à Domino amatur, etiam infirmatur? 1. Gedeon, *Iud.* 6. imprecanti Angelo: *Dominus tecum virorum fortissime*: ait. *Si Dominus nobiscum quomodo tanta mala patimur?* Idem contra Iob eius amici disceptabant. 2. Et Dalila ad Samsonem, Iudic. 16. *Quomodo dicis, quod amas me; cum animus tuus non sit mecum;* Idemne & hæ innuere voluerint dicendo: *Ecce, quem, &c.* q. d. Ecqui istud permittis?

Vel imprimis. At scitote: *Quos diligit, castigat.* 1. Vt Iacobum Angelus, *Gen.* 32. quia diligebat; nocte tota eum molestabat lucta: at mane & benedicebat. Idem quoq; Dei ingenium est. 2. Ex Aegyptia seruitute iam iã liberãdos ante finit durius opprimi: quo dulcior esset liberatio.

Sed. 1. Vt benedicantur. 2. Liberentur. 3. Ne vanis delectẽtur. 3. Recte miratur Israelitas Augustinus respectantes Aegyptum. *Quid*, ait, *fecissent, si omnia prospera illis fuissent in Aegypto; cum etiam ita flagellati in eam è media via redire vellent?* Ita, si cuncta nobis hic ad votum irent; ire ad Cœlites despiceremus.

Difficillimus nouissimo hominum è mundo est. III. Angeli, etsi Lotho dicerent; Sodomam continuo exurendam fore; vix tamen inducere poterant, vltro vt exiret; prehensum manu educere necesse fuit, *& coegerũt eum exire.* Ge. 29. Quis alius eum educere potuisset; cum vix Angeli possent? Tantum ad id allubescit animo, cui assueuisti!

Scitum schema cosmophili simul & theophili. Quam se diu Laban benignum præbebat Iacobo, *Gen.* 31. ipsius placebat conuictus: vt vero is liuore in hunc tingebatur intolerabilis; iam tum abitum, imo fugam parabat Iacob. Ita mundi, eiusque incolarum ingenium est. Alludis ridenti: & efferascentem vix ægre, ac sero tandem effugis. Suas ille tibi filias spon-

der

det coniuges ; simul imponit : impostorique tamen seruis longius; vt tibi dein tanto sit ægrius. Cum autem vultum mutat mundus, frontemque in te caperat; iam tum *sepe sera in fundo pœnitẽtia est.* Florem vitæ cum mundo prodegisti ridente : & fastiditus fastidientem te vix sero fastidire cœptas. Bellum factum! Et tamẽ ea Dei est benignitas ; vt nihil illi *sero*; quod tandem *bene*.

Simile per elegans. Tradunt scriptores naturalium, draconem dextra prehensum non sequi, sed pedem struere : sinistra ductum vltro se-

Ad Deum adducunt ipsitia. qui : Ita mundanis si Deus iniiciat dextrã prosperitatis ; ferociunt, sequi detrectant : sinistra aduersitatis trahit? iam tum cicurati parent. Ita Psal. 90. *Cadent à latere tuo mille & decem millia à dexteris tuis:* quasi dicat : dum per aduersa cadunt mille; iam decem millia pereunt per secunda. Bene igitur vult Deus electis; dum vrget ipsos aduersis.

PARS III.

De Lazaro resuscitato.

Prostratio Magdalena. I. NVnciarant ambæ: *Ecce quem*, &c. aduenit Dominus: Martha lamentãs: *Domine*, ait, *si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus*, iam *ecce quem amas, est mortuus*, Magdalena ad genua prouoluitur ; plorat, orat, impetrat. Lacrymis, prostratione q; omnia se posse sperat: etiam vel putrefactum restitui posse ad vitam.

Maria, quis te spiritus agit ? Quis docuit talia ? Quid amas Domini prostrata pedes? Quid in humum vsque humiliare te properas? Quid? 1. Num memineras ad Eliæ pedes stratam Sunamitidem filio obtinuisse vitã? 4. *Reg.* 4. Bonum factum! Hac humilitatis vi fit via. Ergo Ps. 94. *Adoremus, & procidamus ante Deum, ploremus coram Domino.*

Causa lacrymarum Inter hæc stabat Iesus : hinc Marthæ querelæ, inde Mariæ lachrymæ; intus amor Lazari perurgebat pectus Domini, vt petra manaret flumine lacrymarum: *& lachrymatus est Iesus.*

Christi externa.

Domine quid ploras? Ex nihilo creasti omnia, quanto facilius verbo tuo redderetur huic anima? *Tu es qui deducis ad inferos, & reducis.* 1. Regum 2. An nostrorum ista scelerum est deploratio : Et vero ipsa est. 1. Tres amici Iob, visa ipsius miseria, obmutuere attoniti, ipso septiduo Iobi illacrymantes afflictioni. Christus hic Lazari : tantoque acerbius, quo breuius. 2. Dauid Ionathæ occisi amici casui indoluit colliquescens lachrymis. Christus hic Lazari : Quin omnium nostri. 3. Quare ? Vt Ioseph in fratrum colla singulorum irruebet lachrymans, *Genes.* 45. ita in nostrum omnium hic Iesus; nostræ indoluit naturæ, plagæ, morti ; patrum in limbo captiuitati ; nostræ impœnitentiæ, &c.

Interna, est peccatum.

Tres mortui à Domino excitati. II. Tres in vitam vocauit Iesus, filiam Archisynagogi: *Matt.* 9. Filiũ viduæ: *Luc.* 7. & Lazarum : *Istos iussu*, at hunc fletu. 1. An, quod filia in domo notaret peccata cordis: Filius in porta, oris: Lazarus quatriduanus, fœtensque, operis? 2. An, quod designet illa peccatum originale; ille veniale, hic mortale? Ex hoc ô quam difficilis ad vitam via est?

PARS IV.

De mortuo in consuetudine peccandi.

I. QVanto igitur difficiliorem ex sese dabunt exitum peccata inueterata ? Aut peccata, in consuetudinis tumulo, cumulatim putiscentia ? 1. Euntes in Emaus, *Lucæ* 24. omnia desperabant, quod iam triduanum esse putarent in sepulcro Dominum. 2. Tres Mariæ, *Marc.* 16. rebantur nec visuras se Dominum, nisi reuoluto lapide prægrandi ab ostio monumenti. Quæ con-

docent difficultatẽm exinolitis peccatis emergendi.

3. Difficilis quatriduani resuscitatio est? Difficilior quatriduani peccatoris. Quãto magis quadriennalis; ac quadragenarij etiam? Et tales quot? quanti?

4. Mirum, magnum; Ionam triduanum in mari, in ceto videre luci redditum. Maius ac mirius est; rediuiuum videre peccatorem velut ex orco existentem.

5. Ter Dominus in horto orauit ante, quam è somno discipulos excitaret. Ter & amplius suscitat, inspirat, territat indormientes peccatis; nequedum euigilant. Quid enim? Lethargus est: Consuetudo peccati vertit in naturam:

Quam licet expellas furca, tamen vsque redibit.

6. Ierem. 13. *Nunquid Aethiops poterit mutare pellem suã; aut pardus varietates suas?* Chrys. l. 3. de pœn. *Mirum*, ait, *quantum in vtramq; partem possit consuetudo! Filij Israel, licet suauissimo manna in deserto pascerentur, semper tamen ad allia, & cepas Aegyptias aspirarunt, quoniam illis in Aegypto assueuerant.*

Apopht. 1. Plato, tametsi vnum solũ esse Deum sciret, Deastrosque refutaret: ab horum tamen sacris ac festis feste celebrandis nunquam abstinuit: quia sic assuerat.

2. Alex. Magnus, etsi orbem edomuerit; prauos tamen mores, ab Leonida magistro haustos, in sese non correxit. At altius peccati insidet assuetudo.

II. *Et infremuit, & clamauit voce magna.* Fleuisse haud sat erat: Maiora vis mali postulabat 1. Leo, quos mortuos fundit catulos, rugitu horrendo suscitat. Hic Leo de tribu Iuda Iesus vt infremuit? 2. Ferunt ceruas non edere fœtus, nisi Ioue tonante. Nec consuetudo peccatorum dimittit; nisi vi magna Iesu moliente. Atque ideo, Hebr. 9. *cum clamore valido, & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia: & consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ.*

Fontem esse refert Solinus, in quo extinctæ faces rursus accenduntur. Is fons sunt oculi Iesu: lacrymantur; & mortuus reuiuiscit. Lacrymantur super Ierosolymitanos; & hi obstinati non lauantur.

III. *Ecce, quomodo diligebat eum.* Recte ratiocinamini. Nam Cic. l. de Amic. *Fideles testes amoris & cordis, lachrymæ sunt.* At te peccatorem deamat. Tibi inclamat; *Lazare, veni foras.* 1. Cessas? Imbres sulphureos grandinat in Sodomam, grandine diuerberat Aegyptum; in Babylonios fulmina euibrat: super te ô homo plorat: clamat, *Lazare, veni foras.* 2. Cessas? Non ipsi comploras; & te ipsum? O saxum! Tuam tute calamitatem non æstimas? Peccasti; simul omnia perdidisti: Ezech. 18. *Omnes iustitiæ eius non recordabuntur amplius.* Vt quid ergo antehac vixisti? Incipe; & dicas: *Nunc cœpi.*

3. Hoc age; quod, qui dicebat: Psal. 41. *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte; dum dicitur mihi quotidie; vbi est Deus tuus? Hæc recordatus sum, & effudi in me animam meam.* 4. *Veni foras* & dic Psalm. 112. *Dirupisti vincula mea: tibi sacrificabo hostiam laudis.*

Domine exsuscita, quos ames rediuiuos. Ego, ego sum: Psal. 37. *Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ.*

SABBATO POST DOMINICAM IV. Quadragesimæ.

Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris.

Ioan. 8.

MAlach. 4. *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiæ: & sanitas in pennis*

nis eius. Hodie id impletum ipsa testatur Lux & Veritas.

Nos illa super luce

I. *Encomium Solis.*
II. *De Luce.*
III. *De proprietatibus Lucis.*

PARS I.

Encomium Solis.

ANaxagoras Philosophus Solem eo duntaxat creatum aiebat, inq; sublimi fixum esse, vt pulchritudinem eius contemplantibus foret admirationi. 2. Persæ Honores etiam diuinos ei habuerũt, vt Numini. *Herod. l. 2. c. 3.* 3. Vere Eccl. 11. *Dulce lumen, & delectabile est oculis videre solem.* 4. Tobias, cap. 5. *Quale mihi gaudium erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cœli non video?* 5. Homerus ideo:

O lumen, quod cuncta vides, & omnia lustras!

1. Vere mirabilis Magnitudine, qua terram superat 160. partibus! Lumine sydera: Virtute & efficacia causas rerum omnes: vt causa vniuersalis. Rex est sydera rum, cœlorum, creaturarum.

2. Omnibus orbis in oris conspicuus est. Habitantibus sub linea Aequinoctiali dies semper & noctes dat horas XII. pares: vt Peruanis, Aethyopibus, Molucis. Istis sub Antarctico meridiei, & Arctico septentrionis continuat diem toto semestri, itemque noctem altero: At incolis intra polos, in tropico Cancri, & Capricorni variat horis dies, ac noctes alternis crescentes ac decrescentes.

Deus lux est, & in luce.

Cursum tam constantem obtinet per annum ac momenta, vt nil supra. Psalm. 118. *In Ordinatione tua perseverat dies.* Vt nil mirum, solem à Philone, & Dionys. *l.* 14. *de Divin. Nom.* imaginem Dei appellatum fuisse. Nec Dominus sua Diuinitate indignam censuit vocem hanc: *Ego sum lux mundi, &c.*

PARS II.

De Luce.

Solis & Dei vnitas.

SOlis ac Dei, Lucis & Diuinitatis per magna similitudo est. Vnde sua opera Deus, ac virtutes per lucem declarare sueuit. 1. Ipse est, Psal. 103. *Amictus lumine sicut vestimento.* 2. Et 1. Tim. 6. *Lucem habitat inaccessibilẽ.* 3. Pater & filius sunt *Lumen de lumine.* 4. Christus Ioan. 1. *erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem.* Simeon Luc. 2. eum vocat *Lumen ad revelationem gentium.* Et de homine ad Dei similitudinem creato, Ouid. 3. Metam.

Os homini sublime dedit, cœlumque tueri
Iussit, & erectos ad sidera tollere vultus.

Inprimis vero ad regem siderum solem: in quo Deum agnoscant. I. Sol namque dicitur, quia solus est: ita & Deus. Alexandri Magni, Reges deponentis, ac imponentis populis & regnis, vox arrogans ista memoratur, data legatis Darij, dimidium regni offerentis: *Nec mundus soles duos; nec Reges duos regnum habere potest, proinde mihi vel totum soli cedat; aut armis inuadenti resistat.* Ita sol solus, soluſque Deus est.

Splendor essentialis.

II. Solitem solus est essentia sua lucidus: cætera participatiue. 2. Ita Deus Exod. 3. *Ego sum, qui sum,* quasi dicat: cætera à me *esse* trahunt. 1. Cor. 4. *Quid enim habes, quod non accepisti?* Psalm. 94. *Ipse fecit nos, & non ipsi nos.* Ipse per se subsistit, vt vera substantia: cætera in ipso, tanquam accidentia. Nam *in Ipso viuimus, & mouemur, & sumus.* Quid es igitur homo, nisi cornicula Aesopica; alienis ornata plumis Dei, & luti damasceni.

3. Immutabilitas.

III. Sol, etsi in motu sit perpetuo, ipse tamen manet immutabilis; mutans tempora, edacia rerum; resque ordine mutat, ac progenerat. Ita DEVS *ad intra* immutabilis, *ad extra* mutans

omnia *verbo virtutis suæ*. Psalm. 101. *Mutabis eos, & mutabuntur: Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.* O Lux infinita Deus? Vt innumeræ faculæ vna de face accendi queunt, illa tamen nihil dum quicquam imminuta: Ita ex, & in Deo omnia. Vere: *Ego sum lux mundi.*

4. Æternitas. *IV.* Sol abs calore in defectus est, æternumque indeficiens; cursu celerrimus; influxu potentissimus: In Deo ista admiranda. Creaturas à *non esse* ad *esse* vocat: quibus nil distantius: & tamen id celerius, quam cogitatu sit. Quid distantius, quam peccator & justificatus? & tamen momento vno eum à peccato reuocat ad gratiam. *Nescit enim tarda molimina S. Spiritus gratia.*

5. Vniformitas in multis formis. *V.* Sol aspectu immutabilis est: aer seu nubilet, rutilet, grandinet, fulminet, cœlique facies mutet in mille formas: ille sui similis vsque manet. Ita Deus formas induit omnes, & vnam tamen retinet. Irati formam sumit: Ideo, Psalm. 6. *Domine in furore tuo ne arguas me*: Placati; armati fulmine; item hominis: *Et homo factus est, habitu inuentus vt homo*: Et *Formam serui accipies*. Agni, *Ecce Agnus Dei*, &c. Transfiguratus in monte; miserabilis in cruce, &c.

6. Necessitas Christi in mundo. *VI.* Quid mundus vel esset, vel posset sine sole? Sine Christi luce quid omnis homo, quid cœli, quid Diui? Est igitur lux mundi dispellens tenebras peccati origin. & omnium ad id consecutorum malorum, vt ignorantiæ, malitiæ, infirmitatis, &c. Est *lumen de lumine, Deus de Deo*. Nam Psalm. 102. *Ex vtero ante Luciferum ego genui te.*

7. Missio eius in mundum à Patre. *VII. Sum lux*, ait, non sol. Nam Sol lucem suam ad ima hæc demittit, ipse permanens in suo cœli solio: Ita Pater Filium misit. *O oriens ex alto, illuminare his, qui in tenebris & vmbra mortis sedent.*

Item ait. *Sum lux mundi*, non cœli, non inferni. Nã in cœlo est ipse Sol lucens. Apud inferos nec sol, nec lux reperitur. Neque venit huc propter Cœlites, vel inferos; sed ob homines, hisce est *Lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Ioan. 1.

8. Generatio ex Patre. *VIII.* Lumen à sole gignitur: Sol autem & lumen, calorem producunt: Ita Filius à Patre, ab vtroque S. Spiritus. En viua Trinitatis in Vnitate imago. De quo luculente Iustinus Martyr. *l. de Trinitat.* Conc. Nic. idem contra Arium Simile produxit.

9. Trinitas & vnitas in Deo. *IX. Lux, & Sol* sunt voces triliterales, & monosyllabicæ. Et in hoc repræsentat eos, *qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus; & hi tres vnum sunt*. 1. Ioan. 2. Sicut triangulum Isosceles tria habet latera æqualia, & vnam basin: Ita vnius Deitatis Personæ æquales sunt in Diuinitate, Maiestate, æternitate.

10. In luce Deus. *X.* Luce delectatur Sancta Trinitas, eaque Se declarat. 1. Vt Pater, *Exod.* 15. in monte Sinai dat legem in mirabili lumine: Et *Exod.* 13. In rubo incombusto se ostendit Moysi. 2. Spiritus Sanctus in linguis igneis visitur. Ostenditur in lampade cum septem candelabris, id est, septẽ donis. 3. Christus item *est lux mundi*. Domine *illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ*. Psalm. 88. hoc est. Trinitas & vnitas DEI nota facta est, Isa. 9. *Populus qui sedit in tenebris, vidit Lucem magnam.*

11. Qualis lux sit Christus. Figura & veritas. Vita sint. *XI. Ego sum lux.* Quale candelabrum, *Exod.* 25. cum septem luminaribus, ad illustrandum Tabernaculum: 1. Talis Iesus in Ecclesia; vel in monte Caluariæ. 2. Hoc resplenduit candelabrum in stabulo natiuitatis: vt accurrerent Angeli, Pastores, Reges, & ambularent in lumine eius. Lucæ 2. *Claritas Dei circumfulsit eos*. Et Matt. 2. *Stella antecedebat eos*. 3. In Thabor reluxit, Matt. 17

Quod

Est ipse lux gratiæ.

Quod si igitur Tobias, *cap.* 10. absentem filium suum appellauit *Lumen oculorum suorum*: quanto magis lux est Christus? Quæ si orta prius non sit, *Vanum est vobis ante lucem surgere*: Nam *ipse prior dilexit nos*, ac præuenit. Hac luce extincta in Cruce, *factæ sunt tenebræ in vniuerso mundo.* Matth. 27. Tu igitur, Iesu, noster es Raphael: qui fecisti nos rursus lumen cœli intueri.

PARS III.

De proprietatibus Lucis.

Gratia iustificat.

I. LVx similis est gratiæ. 1. Vtraque in momento producitur: iustificatio enim fit in instanti. 2. Vtraq; producit calorem. 3. Lux gemmas & metalla gignit: gratia virtutes, opera, merita.

Fugat peccata.

4. Lux tenebras dispellit: Christus p. orig. actuale, idololatriam, Iudaismum, superstitionem omnem. *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris.* Non sequitur Mahumetis Alcoranus, non Thalmud, non Caluinus, &c. ideo in tenebris ambulât. Isai. 60. *Surge, illuminare*, hæretice; *quia venit lumen tuum.*

Detegit vanitatem mundi.

5. Vt lux orta omnia in orbe detegit: ita Christus natus, ac prædicatus omnem mundi vanitatem; & rerum cœlestium varietatem, veritatem, perpetuitatem. Veri hi colores facile istos fucatos arguunt vanitatis. 1. Docent, 4. *Reg.* 5. Naamanum quidem esse potentem; at intus leprosum. 2. Nabuchodonosorem esse capite aureum; at pedibus luteum. *Dan.* 4. 3. Mundum nonnisi punctum esse respectu cœli. In mundo meros esse atomos, resque nihili, inquestabiles. Eccles 1. *Vanitas vanitatum & omnia vanitas.* 4. Docet omnem lineam nonnisi punctis constare; sic & vitam nostram fluxis momentis præteruolare. 5. Omnes motus ambitionis ex meris mutatis esse componi. 6. Ostendit lux illa, omnem corporis formam esse luteam vmbram, corpus cinerem, mundi lucem esse tenebras.

II. Vere est *lucerna ardens & lucens*, Ioa. 5. Hanc Deus orbi *accendit lucernam, & in abscondito non posuit, neque sub modio; sed super candelabrum, vt, qui ingrediuntur, lumen videant.* Hoc viso continuo peccatorum apparet grauitas: & causa tantorum cruciatuum à Christo perpessorum. Tanti olim diluuij, in orbem immissi: Sodomæ ignibus cœli exustæ. *6. Prodit in peccatorũ grauitatẽ.*

Dirum peccatum! orbi affers interitum; & omnia absumens ignis, aer, aqua, nil te lædere tamen valet. 1. Similis Salamandræ illæsæ in mediis ignibus. 2. Tu es lebusæus, quem Israelitæ nunquam potuere è terra promissionis eiicere. 3. Inhabitasti orbem annis plus quinquies millenis, nec te Patriarchæ; aut vlli viri sancti expellere valuerunt. 4. Tu magnus es prædo, qui pergrasseris in orbe iam inde ab creatione: & quantas prædas egisti? 5. Tua tu Gigantomachia cœlos quoque attentare non dubitasti: & ibi quot funera, quotque strages dedisti? Te vicit tamen Victor omnium. *Et Malitiam.*

III. Et vero odium Dei in peccatum quis fando explicet? 1. Herodis in Iesum fuit exitiale odium; vt inauditum infanticidium designaret. Maius est Dei in peccatum: vt nec vnigenito parceret; sed Ada ex Paradiso expulso, ipsum quoque morti destinaret. Adeo *odisti omnes, qui operantur iniquitatem.* Ps. 9. *Christus odit tenebras.*

2. Herodias, *Mar.* 7. præcæde Baptistæ repudiauit regni dimidium: Deus præodio peccati tradidit filium: Filius posthabuit cœli regnum.

3. Aman dire oderat Mardochæum: vt decem millia talentorum offerret ærario, tantum vt tolleretur è medio: *Esther.* 8. Ita Iesus sanguinem obtulit, vt exosissimum sibi peccatum aboleret. Atque

que hæc vt cerneremus, *venit Lux in hunc mundum.*

Quid lux est mundi. Et quidem *qui sequitur* eam, *non ambulat in tenebris.* Christus enim Pharos & fax mundi est columna ignea, *Exod.* 13. qui populum suum præiit per mare, ac desertum: affectantesque hostes pernicie obruit.

Sequenda Lux & crux. Magnum orbi factum est & beneficium, & ornamentum, datis duobus luminaribus magnis Ecclesiæ, & cuique animæ: Nimirum dato Iesu, Matreque Iesu. Hæc luminare minus: Ille maius est. *Qui sequitur, non amb. in ten.* Sequi vero est istud: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur.* Ergo Crux est Lux. Luxque ducit & ad, & per tribulationes. Vt pari, sit in luce ambulare. Ergo mundi prosperitas est mera tenebra: ipsa frui, est Christum non sequi.

Peroratio in Lucifugas mūdi lucas. *IV.* Infaustæ semper habitæ sunt aues noctiuagæ, & lucifugę, vt bubo, vespertilio: arcebatque eas ab sacrificio quondam Deus. Ita mundilucas Deus odit, & vt immundos reijcit.

Esto; sit lux Christi contemta mundo tanquam obscura, humilis, paupercula, patiens, obedienter seruiens; &c. At lux mundi sunt Deo tenebræ. Momentum, quod hic agimus, aperiet continuo discrimen: tunc vociferabuntur illi; *lux non est orta nobis, & soliustitiæ non illuxit nobis. Nos insensati æstimauimus vitam illorum insaniam,* &c. At sera querela nimis.

* *
*

DOMINICA PASSIONIS
Feria III.

Erat autem in proximo dies festus Iudæorum, Scenopegia. Dixerunt ergo fratres eius ad eum: Transi hinc, & vade in Iudæam.
Ioan. 7.

ELias, 3. *Reg.* 17. fugitans honorum, aulæ Iezabelis, ac patriæ: quod nollet in ea clarere miraculo; concessit Sareptam Sidoniorum, obscurum procul oppidulum. Ita hic Iesus linquit Solymam; Galilæam adit, fugitans hominum ac solennitatum.

Quorum occasione nos

I. *De fuga gloriæ.*
II. *De vano fratrum Domini postulato.*
III. *De inani gloria mundi, & humilitate Christi.*

PARS I.

De fuga gloriæ.

I. ANtisthenes Philosophus, audito se vel ab improbis laudari, exclamabat: *Dij immortales, quidnam malifeci?* Laert. lib. 6. Phocion Dux Athenienſis, (ait Plutarch.) perorant: omnibus dicta eius, gestaque fortia prædicantibus, aiebat vicino: *Me miserum: vereor, ne quod stultum verbum mihi exciderit.* Adeo popularis gloriolæ fugitantes erant viri sapientes. *Ex Ethn. fugerun.*

Quid par igitur Christiano? 1. *Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris?* 1. Cor. 4. 2. Lystrenses, *Act.* 14. Paulum Mercurium, Barnabam Iouem appellabant, vt Diis acclamantes, ac sacrificia eis destinantes. Sed hos ille refutans honores ait; *Viri, quid hæc facitis? Et nos mortales sumus similes vobis homines.* *Gloriam Deo debitam exempla.*

3. Daniel quoque, c. 8. ex fœlicitate interpre-

terpretandi somnia, quasi diuinus habebatur: at omnem is honorem ad Deum regerebat; vt qui reuelaret, quæ, cui vellet.

4. S. Martinus Tur. semper è collo gestabat reliquias, & quæ innumera edebat miracula, istis ea adscribebat. *Sur. tom. 6. in vita.*

5. Elisæus, 4. *Regum* 4. vt excitandi ab se pueri famam & gloriam excluderet; solum ad solum sese excludebat, nec testem facti, præter Deum, cupiens. Sciebat, quanta pestis esset vana gloria.

Vana damnosa. Figura.

II. Formosa Bethsabea, 2. *Reg.* 11. quod lauans se nudam Regi forti ostendisset, occasio adulterij, homicidij, malorumque plurium extitit. Ita nudata vulgo bene gestorum venustas dum gloriam, simul aliam quoque excitat miseriam; ad minus inuidiam, fabram malorum. Et sæpe illa mariti sui cædendi, id est, Sponsi Iesu, est causa.

2. Dinæ spectata, vulgataq; formæ venus quanta mala peperit? *Gen.* 34. Ipsi raptum & constuprationem: fratribus luctum, pudorem, furorem: Sichemitis excidium: patri dolorem ac metum. Ita bona opera nostra cum foras se efferunt, aura rumoris afflanda; rapiuntur à dæmonibus, adulterantur, &c.

Milui gloriola capta.

III. Et quid sunt gloriolæ aucupes? Miluorum similes, qui quantumuis altũ euolent; terram tamen spectant prædæ auidi. Ita diuina licet opera patrent; intentos tamen ad prædam gloriolæ habẽt oculos, immemores huius: 1. Tim. 1. *Soli Deo honor, & gloria.*

Fugitanda magis Deo. quæ danda.

Est gloria, qualis vxor Putipharæa; Deo debita soli coniunx. Et, si hæc animum, vt illa Iosephum, solicitet; vir bonus sic respondeat: *Ecce Dominus meus omnibus mihi traditis, ignorat, quid habeat in domo sua, nec quicquam est, quod non in mea sit potestate; præter te, quæ vxor eius es: quomodo ergo possum hoc malum facere, & peccare in Dominum meum? Soli DEO honor.* Miseri, qui, quæ pretiosa habent, in ventum portant dispergenda; aut prædonibus rapienda.

Pauones sunt: & ô si essent.

Pauones sunt, qui meritorum suorum pennas spectant explicatas; indeque sibi placent. Respectate pedes; iam erit, quo plumæ cadant.

Sunt mali.

Pertinenti ad Plutarchi apologum istum: Mulus erat, qui corpore suo viso musculoso, valideque compacto, superbire, subsultare, discurrere, sessores excutere cœpit, ac insolentius lasciuire. Demum se asino natum recordatus, ponebat animos mitior. Ps. 31. *Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus:* Quo non intelligunt; *omne datum optimum, & omne donum de sursum esse a patre luminum.* Iac. 1. Repetant memores se è luto, ex Ada lapso, descendere: & quo lutum ascendet.

Quare, Luc. 11. *Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.* In exemplum Dominus à fratribus inuitatus ad patriã solennitatem Scenopegiæ; vt & isthuc virtutem ostenderet; publicum declinauit.

PARS II.

De vano fratrum Domini postulato.

DIxerunt ergo fratres eius. Quid? An non fuit Iesus B. Virginis Vnigenitus? Et quidem illa nec virum agnouit; nec iterum à Spiritu S. fuit obumbrata; Virgoq; permansit in æuum. Illa fuit, estq; vt sol, vt Phœnix sola.

Maria mater vnius fuit solius.

Nec primam similem visa est, nec habere sequentem.

Vt sepulcrum Domini nouum fuit in petra, *Matth.* 27. in quo solus decubuit: talis Deiparæ vterus. Apologus est: Læ-

na; cæteris ipsi dantibus opprobrio animalibus, quod vnum duntaxat catulum eniteretur infœcunda; se fœcunda autem catullire multos, & sæpius: his ait; Verum dicitis: Sed quem edo, is Leo est, vestrique vnus Rex omnium. Ita Virgo B.

Qui quomodo fratres Iesu.

Quid igitur Heluidi, iam olim hæretice, Deiparam plurium fingis liberorum matrem? Aut Iosepho prius affingis matrimonium, ex quo filios suscepisset; qui fratres Domini vocarentur? Ioseph virgo Virginis custos, & Christi nutritius fuit, monogamus, non bigamus. *Ita nostri tradidere Maiores*, ait Hiero. & Chrysostom. homil. 4. in 2. ad Thess. *Traditio est; nihil quæras amplius.* Erant filij Zebedæi ex Maria Salome, Deiparæ sororia nati: & hi idcirco fratres Domini, pro more Iudæorum, dicebantur. Et hi ipsum ad miraculi occasionem, in patria edendi, male ambitiosi instigabant. Sicut alubi regni affectabant honores.

Peregrini sumus.

II. Erat festum illud Tabernaculorum percelebre, iussum, *Deu.* 16. agitari 15. Septembr. in memoriam Israeliticæ peregrinationis per desertum. Id quod & nobis ob oculos versari oportet: Viatores nos esse, *nec habere hic ciuitatem permanentem; sed futuram inquirere.* Ideoque, vt Horatius ait: *Vitæ summa breuis spes longas inchoare vetat.* Sic Paulum id docuit Psaltes 38. *Aduena ego sum & peregrinus; sicut omnes patres mei.* Hoc ille balsamo humilitatis sceptrum, coronamque vngebat: vnde & gloria ipsi perennat.

Hospitium crudele Mundus.

Crudele hic hospitium est, acida dulcibus mista apponit, soluendum est denique symbolum cum irrecuperabili amissione vitæ; ac multis æternæ etiam. Heu scelerata domus! Non ego tibi inquilinus, sed peregrinus esse velim.

Spretũ ab Ethnicis.

Nec ethnici sat tibi fidere quibant. Hinc cuiusdam Philosophi dictum celebratur istud: *Agrigentini comedunt, quasi semper morituri: & ædificant, quasi nunquam morituri.* 2. Diogenes Cynicus vi bi fuga oderat sic homines moliri ædes & opes hic, quasi victuri semper. Ideo dolium inhabitabat. Quod altius considerans Alex. Magnus, agnoscebat vitæ, mundi, rerumque vanitatem, & ait: *Ni Alexander essem, Diogenes esse velim.*

Cultum à stolidis.

II. Sapere hunc diceres; qui tantum pernoctaturus in domo, eam conuestiret auro aulæisque ac picturis: cum mane primo sit inde abiturus? Tales nos hic sumus: & tanta molimur?

Periculosũ cunctis.

Dicam de mundo, quod Isocrates de Athenis: *Vrbem esse pulcram ad deambulandum: sed inhabitatu difficilem, ac periculosam: eo* quod plerosque Duces suos vel morte multaret, vel exitio.

Vrbicolæ infames.

III. Fratricida Cain primus vrbem condidit, *Gen.* 4. vocauitque nomen eius ex nomine filij sui Henoch. 2. Nemroth fastuosus, *Gen.* 11. turris Babel substructor, simul linguarum extitit confusor. Istorum posteri sunt orbis inquilini: At peregrini sunt Adam, Abel, Seth, Noe, Abraham, &c. iusti.

Aduenæ iusti memorantur.

Vixit Adam annos 930. & tamen agebat sine domo, sub dio, pelle tectus, victitans iis, quæ terra fundebat. At iam quantis vestimur, ac vescimur, ædesque molimur sumtibus? Ac si non infelices essemus peccatores. Sed istis in vmbris nostri notitiam ac memoriam obscuramus: Hocque ipsa ea felicitate sumus infeliciores.

Figuratũ idolatrum

Iacob, *Genes.* 31. in domo Laban auari, idololatræ, iniqui qualis seruiebat? quo pretio? Perdius & pernox pastor ouium &c. merebatur coniuges, & oues: demum reuertit in patriam: At ita quidam hic degunt, vt prodigus filius in regione longinqua. Quin igitur vtriusque discimus exemplo?

IV.

Figura mundi fugarum.

IV. Quam Danidem pertæduit & vitæ, & mundi? Psalm. 119. *Incolatus meus prolongatus est: habitaui cum habitantibus Cedar: multum incola fuit anima mea.* Quare, Psal. 54. *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam.*

Demodo degendi in mundo figura.

IV. Moyses, Dux sexcentorum millium armatorum, legauit ad Seon Regem Amorrhæorum: Nu. 21. *Liceat nobis transire per terrā tuā: nō transibimus per agros, vineas, nec bibemus aquas ex puteis. Via regia gradiemur: nec sistemus, donec transiuerimus fines tuos.* Ita nos cum mundo peregrini transigamus, & agamus in eo.

2. Quid voluisse putandus est Deus, quod annis quadraginta sic circumduxit in deserto Israelitas; vt nunquam vestire se opus haberent? An, vt & nos *habentes victum & vestitum, his contenti simus?* in pari degentes & parsimonia, & sanctimonia vitæ?

Exemplū.

3. Ioseph, vir quantus in Aegypto, ab anno ætatis sexto decimo, quo in eam venditus aduenit? Ad clauum summæ rei totius adsedit gubernator annos quatuor supra nonaginta, mortuus ætatis anno 110. Neque tamen liberis emisse, reliquisseque possessiones proditur. Præsagiebat nimirum exituros olim Aegypto: esseque volebat peregrinos. Disce ergo: *Exemplo didici sapientiam.*

PARS III.

De inani gloria mundi, & humilitate CHRISTI.

Mundi. Suada.

I. *VAde in Iudæam, & discipuli tui videant opera, quæ facis: Manifesta te mundo.* Hæc fraus Satanæ est; mundique fucus. Isthanc, inquit, simplicitatem tuam exue: Publicum ama, inque oculis ac luce hominum viuere consuescito. Polles annis, ac animis; amici nec deerunt: sanguis adest nobilis: parati sunt vacuique honores: his natus es: *manifesta te mundo.*

Inimica saluti.

Verumenimuero, An non, Matth. 7. *inimici hominis domestici eius?* An non & filiis parentes sæpe occinunt talia? Et quid nisi mortis canunt, cudunt que consilia?

2. Si cauendum sit tibi *ab ea, quæ dormit in sinu tuo*: quanto magis ab talibus domesticis?

Sicut & domestice hominis.

Domesticus Cain fratrem occidit: *Gē.* 4. Ismael Isaacum deprauabat *Gen.* 21. Esau barbarus persequebatur Iacobum: *Gen.* 28. Iosephum fratres, *Gen.* 37. Hic Dominum sui fratres tentant,

Tentatur instanter humilis Iesus.

II. Quid Dominum tentatis? Nescitis *Matth.* 4. Satanam confusum abscessisse? Hic est is, *qui humilia respicit, & alta à longe cognoscit.* 1. An non, *Exod.* 2. Moyses elegit abiectus *esse in domo Dei, magis quam habitare in tabernaculis* Pharaonis aulicus? Ita & Dominus saturari opprobriis in cruce maluit; quam colludere mundo in hominum luce. Nec Herodi ad gratiam dabat miraculum: & popello daret? 2. Is humilis est Mardochæus *Esth.* 5. qui noluit indui prius, quam Aman, (Satan,) Iudæorum proscriptor, esset damnatus ac suspensus. 3. Est Dauid: 1. *Regum* 17. nolens indui regiis ante, quam strauisset Goliatam. 4. Is in Regem constituendus à turba fugit. 5. Is cæco reluminato præcepit, nemini diceret. *Ioan.* 6. Dixit Ioan. 8. *Ego gloriam meam non quæro.* 6. Ille, vt primum crucifixo titulus hic affixus est: *Iesus Nazarenus Rex Iudæorum*, continuo, quasi honorum fugitans mundi *inclinato capite emisit spiritum.* Matt. 27.

Contemtor verus honorum Exempla similia.

Figura.

An ideo fortassis, *Exod.* 19. suam ostensurus Moysi gloriam Deus, *Cauete*, ait, *ne ascendatis in montem: nec tangatis fines eius. Omnis namque, qui tetigerit montem, morte morietur.* Et homo meritorum gloriam in oculis hominum constituet? Quid erit igitur, quod *Pater vester, qui videt in abscondito, reddet vobis?*

III. Pluribus potuisset, attribus dum-

Christus sectator humilitatis.

taxat discipulis suam voluit ostensam transfigurationem Dominus. Sed & hisce interdixit, neu cuiquam dicerent. Magna transfigurationis fuit; at maior hæc humilitatis gloria erat. 9. Nullus dubito, quin idcirco Tantus voluerit tantillus in stabulo nasci, in fœno reclinari: vt cum summa Dei gloria summam iungeret humanæ contemtum gloriæ. Certate Angeli, pastores, Magi, puerum honorate: is certat honores humilitate superare. Vicisti Iesu istos!

Sed & Baptistam vicisti. Humilitatem ille tuam obstupescebat: sed tua eum altior modestia telo iustitiæ compescebat, ac erudiebat.

Accedebat vox Patris: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Et hanc quasi fugiens in desertum sese condebat; donec vocis factæ vel fama refrixisset; vel memoria in animis hominum. Et vos adhuc instatis; *Manifesta te mundo?*

Hoc Satanæ est, dare fumos, & captare. 1. Qualis, *Esth. 2.* Assuerus admirando dato conuiuio se quæsiuit facere admirabiliorem. 2. Quales Naamano Syro datæ opes; sed & lepra addita, illis felix, hac infœlix censebatur. Ita Satan ac mundus offert honorum, opumque vim; sed suo fuco; malo tuo.

IV. Quid: quod alij sint fratres Domini meliores; Angeli; Patriarchæ? &c. Ideoque & eorum postulatio iustior est illa: *Rorate cœli desuper, & nubes pluant Iustũ: aperiatur terra, & germinet Saluatorem. Vtinam disrumperes cœlos: &c.* Dicunt *Transi hinc* è cœlo, *vade in Iudæam*; *manifesta te mundo.* Ps. 79. *Ostende faciem tuam, & salui erimus.*

Absolomo fuso, 2. Reg. 19. Rex luctu squalebat: cui Ioab Dux: *Ostendisti, hodie, quia non curas de Ducibus tuis, & de seruis tuis. Nunc igitur surge, & procede, & alloquens satisfac seruis tuis. Iuro enim tibi per Dominum, quod si non exieris; nec vnus quidem remansurus sit tecum nocte hac.* Ita Cœlites olim, Patresque veteres quasi ad Christum, vt exiret cœlo in terrã Homo. Neu dicat mundus cum Pharaone, Exod. 5. *Dominũ non cognosco, & Israel non dimittam.* Ergo *Manifesta te mundo.* Nam *Deus Israel Deus absconditus es.* Isaiæ 45. *Et thesaurus absconditus in agro natura.* Manifesta te, vt inueniã te. Vendam omnia, pauperibus dabo, vt emam te.

FERIA IV. POST DOMINICAM Passionis.

Oues meæ vocem meam audiunt.

Ioan. 10.

ISaac, *Genes. 27.* benedicturus filio, vocem Iacobi, licet habitum ementiti, continuo agnouit. Ita vocem Iesu oues ipsius.

Circa quam nos

I. De Verbi Dei efficacia.
II. De Pastore.
III. De vocis pastoriæ audientia.
IV. De vi auditi Verbi.

PARS I.

De verbi Dei efficacia.

Conuersio orbis debetur Verbi Dei.

I. PYrrhus, Rex Epiri, fatebatur, per Cyneæ eloquentiam plures ad regnum vrbes accessisse, quam armis: ideoque vnius se voci plus debere, quam armis omnium. Ita voce Christi, & Verbi Dei plures ad Deum animæ; quam armis accesserit: illi debet augmentum sui Ecclesia, non hisce. *In omnem terram exiuit sonus eorum.* Psal. 18. Non armis orbem subegerunt Apostoli.

Id expugnat cuius

Sicut muri Iericho ad tubas sacerdotales clangentes corruerunt; *Iosu. 6.* Quæ valla, ac munitiones validiores sunt corde in peccatis inueterato? Carne Animam aggrauante, & captiuam clausamque tenente?

nente? Ista tamen cesserunt voci Apostolorum.

Elicit lacrymas. Quare vos Moyses & Aarones, Num. 20. *Loquimini ad petram, & dabit vobis aquas.* diffidens autem Moyses, ac vltra mandatum, virgam adhibens, castigatur à Domino. Neu quisquam existimet vim potentiæ plus ad lacrymas pœnitentiæ valere; quam Verbum Dei. Cum sit, Psal. 18. *Vox Domini in virtute, vox Domini confringẽtis Cedros,* velut concussas tonitru.

Expellit, aut enecat peccata. II. Vt igitur tonitru abortus causa in vtero fit vi quadam occulta: ita Dei Verbum auditum facit abortire peccatrices animas, vt emortua peccata effundant.

Incusso metu. Ceruas aiunt non nisi tonante cœlo eniti posse; natura meatus per metum resoluente. Anima peccatrice quid meticulosius? timore pœnæ ac iudicii soluitur ad excludenda peccata. Est namque *Lex Domini immaculata, conuertens animas.* Psl. 118.

Exempla conuersorum. 1. Conuertit Saulum, cædes spirantẽ, in Paulum: *Act.* 9. 2. Magdalenam è peccatrice in pœnitentem: 3. Apostolos, è piscium, in hominum piscatores: 4. Orbem denique conuertit.

Confundet omnem mundi. Serapion Anachoreta aliquando sæuiente hyeme nudus per agros obibat, sola gestans Biblia: interrogantibus, quis eum sic despoliasset: digito *S.* Codicem monstrans aiebat: *Iste* Verbum Dei Consiliis Euangelicis eremos & cœnobia cõpleuit.

Tuuli eius. Vix ipse *S. Spiritus* ãpta satis verba reperit; quibus Dei Verbum appellet. 1. Vocat, Psl. 118. *Ignitum eloquium tuum vehementer:* igniens animas charitate. 2. Ier. 29. dicitur *Malleus conterens petras* obstinationis. 3. Hebr. 4. *Omni gladio ancipiti penetrabilius.* 4. Psal. 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* 5. Matt. 4. *Non in solo pane viuit homo: sed de omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Et hoc est quo Christi oues audito pascuntur.

PARS II.

De Pastore.

Christus Pastor. I. IN nominibus Christi conuenientissimum est *Pastoris.* Is enim est, qui reliquit nonaginta nouẽ in deserto, & quærit perditam naturam humanam: inuentamque reportat. Ego sum, qui *erraui sicut ouis quæ periit. Quære seruum tuum Domine.*

Clamans in cruce oues conuocat. Vt balantes colligat oues pastor, ex editiore colle clamat, quo exaudiatur vox nota, oues; contrahat: Ita Iesus in monte Caluariæ. Et vere exaudita vox eius est per totam gentilitatem, Iudæam; adeoq; in limbo, in orco. Psl. 68. *Laborauit clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ.*

Eripitque Leoni. Etenim sicut, 1. *Reg.* 17. Dauidè greges patris in montibus Bethleem pascente, cum vrsus velleo inuadebat oues; ipse prædam eripuit; ferasq; interfecit. Ita Iesus strauit leonem rugientem, mortemque morte: & oues eripuit. Itaq; Seruatori vitam, animamq; debemus.

Pro iis laborat plurimum. Iacob, gregum Labani pastor, eius ingratitudinem zelo bono arguens ait: Gẽ. 31. *Per viginti annos in domo tua seruiui tibi: die, nocteque æstu vrgebar & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis.* Satis hoc ad iram Labani reconciliandam: sed nihil ad obstinatum animum emolliendum. Maiora pertulit pro nobis *Pastor bonus:* eorumq; ingerit memoriam, *vigilansque* fuit *sicut passer solitarius in tecto.* Et quotusquisque vocem cruciatuum eius audit? Qui oues sunt eius; audiunt.

Vultq; passi vocem audiri.

Voces eius multæ. II. Vox eius inter alias etiam est ista: Luc. 3. *Parate viam Domini, rectas facite semitas eius:* auferte saxa obstinaciæ, vepres malitiæ, mõtes superbiæ, &c. 2. Vox eius est Noachi admonentis, deuitemus peccati, ac pœnarum diluuium. *Genes.* 6.

3. Vox eius est Angelorum, *Genes.* 19. exire è Sodoma iubentium in montem Saluatoris, ac crucis. 4. Vox eius est Ionæ, interitum nunciantis: *nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.*

At auditur à paucis.

1. Domine, *emisisti vocem similem nobis, plorans*, inpræsepio: audiere Angeli, Pastores, Magi; & adnolarunt. 2. Vir factus vocem dedisti in templo, in Synagoga, in plateis, in campis, & super aquas: audierunt Cananæa, Samaritana, Magd. Zachæus, Regulus, Centurio, &c. Quot interea obturauerunt aures suas, instar aspidis surdæ? In cruce, clamantis à voce intremuit orbis; nec te audiit tum, nisi latro. Scribæ, milites, &c. surdine verbum audissent. Quotus te quisque audit hodie?

Dicis: *Qui vos audit, me audit.* At Isai. 53. *Domine quis credidit auditui nostro?* id est. Romanorum 10. *Quis obediuit Euangelio?*

PARS III.

De vocis pastoriæ Audientia.

Dei Verbũ non audientibus fit in iudicium. Confertur cum Corpore Christi.

VErum, malo id vestro, ô scabiosæ oues. Sicut enim volumen legum Moyses olim tradidit Leuitis, in Arcam reponendum Deuter. 32. *Vt sit tibi contra te* (alias *coram te*) *in testimonium*: Ita Pastoris, pastorumque voces ad iudicium reseruantur, in caput obsurdescentium ruituræ, in testimonium condemnationis.

1. Fiunt eæ voces similes Christo; qui aliis quidem lapis est fundamentalis: at aliis petra scandali. Ita vox pastorum his saluti; damno istis. 2. Sicut Eucharistia his vita, mors istis. Ita *Augustin. libr.* 50. *Hom.* 15. Vbi ait: *Interrogo* vos fratres: *Quid plus videtur vobis, Corpus Christi, an Verbum Christi?* Concludit, non minoris reum peccati, qui Verbum Dei contemnit; quam qui Corpus Christi proculcat. Neque hanc vnquam retractauit sententiã Augustinus. Habetur & in *Decret. Cod. ca. interrogo.*

Quantum sit peccatũ non audire Dei Verbum.

Nec abest ratio. Tanta enim peccati est culpa, quanta Dei præstantia. Quod si enim, teste S. Gregorio, *Verbo Dei peccatores conuertere maius est miraculum, quam mortuos carne suscitare*: certe idem vel aspernari, vel impedire, grauius est, quam homines viuos trucidare. Nam hoc corporum est malum; istud animarum.

Reuerentur audiendum est.

Bene Chrysostom. in Matth. *Regiæ literæ non leguntur in Senatu, nisi cum magna omnium attentione: Quid ergo cœlestis Regis literæ in medio Ecclesiæ lectæ?* Earum primus fuit tabellarius Iesus: Dein Apostoli; quibus ait: *Sicut misit me viuens Pater, & Ego mitto vos.* Perinde sunt igitur audiendi.

Non audire est exteri, & vita exsortis.

II. Hominem is ex homine exuerit barbarus, qui procul degens alio in orbe, nec suorum literis aut nunciis afficeretur, nec eis; cum posset, salutem diceret; nec vllam ipsorum patriæque memoriam secum coleret: Huius sunt similes procul cœlo in terris exules: at cœlestium literarum negligentes: exsortes communionis cum Diuis mutuæ: nec media captantes ad ipsos permeãdi: nec ipsorũ dulci pascentes se memoria. Hominemne hunc, an brutum dixeris?

Captiuis in Babylone Iudæis quoties subibat memoria Solymæ; toties *Super flumina*, aiunt in Psal. 138. *Babylonis sedimus, & fleuimus; dum recordaremur tui Sion.* Quo magis nos, exules patria; cui conditi sumus ac renati.

Ex eo capitur signum prædest vel reprobationis.

III. Metuendum est, ne istius oblitio sit quædam à Deo reprobatio. Nam 1. Cor. 14. *qui ignorat ignorabitur.* 1. Enimuero, horresco memorans; si *Beati, qui audiunt Verbum Dei*: ergo maledicti, qui non audiunt. 2. De piscibus, recentes sint, an putiscentes, ex inspectis branchiis seu auribus fit iudicium: ita ex auditu Verbi Dei de filio Dei, viuat, an mortuus sit.

sit. 3. Audi: *Qui ex Deo est, verba Dei audit.* id est, prædestinatus est. *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis,* id est, reprobi estis.

Simile. Fures, in flagranti furto deprehensi, primum flagellari consuerunt: post iterum comprehensis aures præscinduntur: demum in furcam aguntur. Ita peccatores rerum prohibitarum appetentes, ac vndiq; cupita rapientes, primum quoquo modo abs Deo castigantur. Nam *multa flagella peccatoris.* Psal. 31. Iterum sæpiusq; relapsi obdurantur auribus ac animis. At demum, Prou. 18. *peccator, cum venerit in profundum, contemnit.*

Figura. 1. Lex erat, Leu. 26. *Bouem & ouem aure & cauda amputatis voluntarie offerre potes: votum autem ex eis solui non potest.* Significat Deum nequaquam animabus delectari auribus truncis: quæ ipsæ verbo Dei non delectentur.

Asia. 2. Elapso seruitutis septennio liber abire seruus poterat. *Leu.* 21. *Deut.* 15. Si nolebat, auricula per subulam ad domus postem affixus æternum mancipabatur. Ita homo pertusæ auris seruus est dæmonis; suis mancipatus concupiscentijs: nam *transit in affectum cordis.*

PARS IV.

De vi auditi Verbi.

Est auditu suaue. I. SEd isti non gustarunt, quam suauis sit Dominus, & vox eius dulcis. Alioquin dicerent: Psal. 118. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua: super mel & fauum ori meo.* 1 Regina Sabæ, 3. *Reg.* 10. audiens

1. Efficit attentum Salomonem, extra se rapiebatur. 2. Ma-

2. Deuotū. gdalena, præteritarum immemor deliciarum omnium, ad pedes assidens audiebat Dominum. 3. Milites, *Ioan.* 7. ad

3. Mitem. Dominum comprehendendum missi, audierunt attoniti. Ecce vim auditi verbi. 4. Iosias Rex, 4. *Reg.* 23. legit minas Legis, intentatas violatoribus; mox indoluit toto animo, scissoque paludamento misit ad oraculum percunctatum, quid opus factu: simul ad præscriptum legis vitæ rationes instituit.

5. Religiosum. 5. Audierat S. Antonius forte in templo istud: *Vade, & vende omnia quæ habes, & sequere me.* Fecit. Et vir quantus ex tantulo verbi semine euasit?

6. Orthodoxum. 6. S. Augustinus istud: *Non in comessationibus, neque in luxuriis consistit regnum Dei:* legit: substitit: & ab hæresi Manichæorum destitit. Ecce dabit voci suæ vocem virtutis.

Figura de Vi legis Dei. Quod ferente legem Deo in monte Synai, cœlum tonaret, fulguraret, clangerent tubæ: indicat, quanta vis Verbi & legis esset futura Euangelicæ.

Etiam doctis audienda concionnes. Exempla. Neque audientia Verbi diuini esse vulgi tantum existimanda est: sed quorumuis doctorum etiam. 1. Quis Paulo profundior? Ad Ananiam tamen auditurus salutaria mittitur. *Act.* 9. 2. Dionysium Areopagitam Ecclesia non haberet; nisi Paulum is attendisset. *Act.* 17. Lectio erudit: at vox viua permouet. 3. Dauide quis in lege peritior? Non tamen de peccato indoluit ante, quam audisset Nathanem. 4. Pharisæi doctores erant populi: ad Baptistam tamen exibant audiendum. 5. Quot, quanti sapientes ex vltimis orbis oris confluebant auditum Salomonem? 1. *Reg.* 19. Quare imitemur Samaritanam, tanto ex auditione Domini succensam zelo, vt hydria relicta, alios ad eundem inuitaret, ac conciret.

FERIA

FERIA V. POST DOMINICAM Passionis.

Ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix. Luc. 7.

Consule Locum de Festis per annum, in F. S. Magdalenæ.

FERIA VI. POST DOMINICAM Passionis.

Collegerunt Pontifices, & Pharisæi concilium aduersus Iesum. Ioann. 11.

IAm diu, *Gen.* 31. in Iosephum coxerant odium fratres, rei sceleris pessimi; cum demum ineunt consilium insontis occidendi. *Ecce somniator venit; venite occidamus eum, & videamus quid prosint illi somnia sua.* Ita hodie *Collegerunt. &c.*

Nos super eo

I. *De prauorum fugienda societate.*
II. *De concilio ipso.*
III. *De re bona male consultata.*
IV. *De consilio bono imprudenter dato, ac necessario.*

PARS I.

De prauorum societate fugienda.

Fuga taliũ est. I. THemistocles, Dux Athenienſis, prędium venale proponens, iussit à præcone addi: *Et vicinum habet bonum.* Plut. in Polit. Significa, bonorum quærenda esse consortia; fugienda malorũ.

1. *Insigne bonum.* 2. Psalm. 1. *Beatus vir, qui non abijt in consilio impiorum.* 2. 1. Cor. 11. *Non communicate amini fornicarijs: & cum eiusmodi nec cibum sumite. An nescitis, quia modicum fermenti totam massam corrumpit?*

2. *Est fidelitas quædam.*

3. *Auertũt à Deo animos.* Sara, *Gen.* 21. pensensit Ismahelis cõsuetudinem Isaaco perniciosam fore ad idololatriã: itaq; instat eum euci, vel Deo ipsi fauente: *Eice ancillam, & filium eius.*

4. *Peste inficiunt.* Quare quæ cura ciuitatum est, ne ab infectis peste locis vicinis inficiantur: par ac maior sit oportet, caueri improborum congressus. Vel istos à te; vel te ab istis abstine.

5. *Impellũt in mala.* Fac quod apiculæ: hæ ingruente vel hyeme, aut vento, vel imbre, se in cellulis continent; neu quid mali accipiant. Istis est deterior tempestas improborum. Vis enim magna est & multitudinis, & consuetudinis, & impuritatis. Ideo Dauid Psal. 54. *Elongaui fugiens, & mansi in solitudine.*

Cauendo esse. Figura. II. In V. Test. leprosi cætibus hominũ arcebantur ac vrbibus: vnde *Luc.* 17. decem illi etiam *à longe steterunt, & leuauerũt voces suas.* Sic praui vel arcendi, vel coercendi, aut defugiendi sunt.

Exemplũ. 2. Rex Iosaphat copias cum impio iũxerat Achabo: ideo sic à Propheta arguitur: 2. Par. 19. *Impio præbes auxilium: & his, qui oderunt Dominum, amicitia iungeris: & idcirco iram quidem Domini merebaris.*

Præceptũ. 3. Ea causa ita seuere Dominus, Exod. 34. *Non accipies vxorem de filiabus eorum* (alienigenarum) *filijs tuis: ne faciant fornicari filios tuos in deos suos.* Quin imo *Cane, ne vnquam cum habitatoribus terræ illius iungas amicitias, quæ sint tibi in ruinam.*

Congeries exemplorũ. III. Nec alia potior causa extitit, cur orbe toto inundarit scelerum primo, dein aquarum diluuium; quam quod filij Seth, (ob pietatem Angeli dicti:) cum filiabus Cain connupsissent *Gen.* 6. 2. Petri negatio prouenit ex militari commercio; ita socius blasphemorum blasphemator factus est. 3. Vel vnius Ionæ, *cap.* 2. societas in quantum nautas discrimen adduxit? 4. Iudas vnus, *Matt.* 28. putatur vel tempestatis, vel certe timoris Apostolorum extitisse causa; vt desperati in iactatione clamarent, *Domine adiuua nos, perimus.* 5. Vnius Dauidis culpa, fuit causa septuaginta milliũ peste extinctorum

ctorum. 2. *Reg.* 24. 6. Vnus rebellis Absolom traxit ad internecionem duodecim millia virorum fortissimorum. 2. *Reg.* 15. 7. In præsens, ecce Cayphas totum cogit Synedrion, in caput Domini moliēs perniciem. Vnus fax omnium est.

PARS II.

De Concilio ipso.

Occasio Concilij est feria Dei.

I. CAusa Concilij fuerat suscitatio Lazari, & totius populi ad Christum facta cōuersio, seu admiratio cum veneratione. Hic inuidia ardentes iā diu Principes Sacrorum, in Dominum conspirāt, populi defectionem metuentes.

Mos similis satanæ impedientis bona.

Ingenium hoc satanæ est. Spectante vel vrbe, vel homine ad conuersionem; continuo is omnia mouet intus in homine passiones, consuetudines, sensus, amoresque sui: &c. foris aduersa, negotiaque ingerit: amicos, vt Iobo, subornat, &c. tantum vt Dei cultum retardet, aut conuellat.

Exempla.

1. Iacob, *Gen.* 31. vt primum conuasarat, vt se subduxerat; hic eum Laban persequi, expostulare, mortemque meditari: ni fata obstitissent. Ita dæmon in mundi fugas.

2. Pharao, *Exod.* 7. 8. *&c.* vt sacrificaturos Israelitas impediret, vt digressos deleret: quanta non molitus est? 3. Reuersi ex Babyl. captiuitate Iudæi, 1. *Esdr.* 3. templum, vrbemq; instaurant: continuo gentes circum in arma ruunt, infestantq; atrociter.

4. Iesu vix dum nato, ecce furias Herodis ad infanticidium proruentes. Ita dæmon, caro, mundus in eos, qui animas sacrificare suas Deo instituunt: aut speciale ei collocare templum parant; aut renasci cœptant.

Concilii prophetia.

II. Tales isti *collegerunt concilium.* 1. Vt implerent id Psal. 2. *Adstiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius.* 2. Sap. 2. *Circumueniamus iustum, quoniam contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, & Filium Dei se nominat.* 3. Ier. 2. *Cogitauerunt super me concilium dicentes. Eradamus eum de terra viuentium, & nomen eius non memoretur amplius.* isthæc Pontificem, Sacrum Senatum attentare fas? Quos talia prohibere oportebat.

Figuræ & exempla.

1. Ita, 2. *Regum* 4. princeps Consiliarius Dauidis Achitophel, complex Absalomi factus, vltimam Regi perniciem moliebatur. At suo malo pessimo. 2. Ita Aman, *Esth.* 5. iam rem peregerat edicto, vt Mardochæus cum Iudæis vniuersis internecione delerentur. At in caput ipsi fabam Deus recudit. 3. Ita Herodias saltatriculæ filiæ consilium petendi capitis Baptistæ suggessit. *Matt.* 14.

Concilium tdē sæpius habitum eratq; fatale.

Collegerunt Concilium. Sæpius id tale in Iesum fuit. 1 In prima rerum creatione; cum *factum est prælium magnum in cœlo.* 2. In paradiso inter serpentem, Adam, & Euā: *Eritis sicut Dii.* Hoc scilicet agebatur. 3. Quid quod vel inde ab æterno SS. Trinitas ipsa concilium iniit *aduersus Dominum, & aduersus Christum eius*? Fuit in fatis id Domino, nasci hominem; pati vt latronem. Et erat ineluctabile factum hoc. Orastamen Iesu; *Transeat à me calix iste:* Sed nil exoras. Hocq; sciebas; ideo inquis: *non mea, sed fiat voluntas tua Pater.*

PARS II.

De re bona male consultata.

Sententia Concilii.

I. ITaq; in Concilio cœli, & terræ lata in Iesum sententia fuit. Qua vero ex causa, vel culpa? 1 *Expedit, vt vnus homo moriatur pro populo.* Causam audio, Cayphā: At vbi culpa? 2. *Quid faciemus? quia hic homo multa signa facit.* O glorioſam vtrāq; & causam & culpam!

1. Ex causa.

2 Ex culpa.

1. Quia salus est populi; ideo debet

mori. 2. *Hic homo* est, qui, vt nunc, ita & olim *multa signa facit, in exitu Israel de Aegypto*, per manum Moysis in Aegypto, in mari rubro, in deserto, in terræ promissæ ingressu, in ipsa terra, & hodie. 3. Hic homo est is ; qui in mundum Ierichuntinum descendens, incidit in latrones vos ipsos; *Luc.* 16. & vos quoque despoliatum in bonam crucem agetis. Et hoc nunc agitis in concilio.

Refutatio Cõcilii, ab euentibus contrariis. 1. Signorũ. 2. Romanorum.

II. Sed ecce ob *signa* id agetis: 1. At ipse vel moriens signa faciet; resurgens maiora. Ecquid tunc vobis consilij? Nec n. resistere poteritis. *Vos nescitis quicquam.* 2. Quin etiam *venient Romani, & auferent locum vestrum.* Ergone expediet vobis, *vt hic homo moriatur?*

3. Vtilitatis.

3. Certe nobis plurimum, imo toti mundo. *Nam totus mundus abit post illum* credens in, vt per illum. Vere *vos nescitis quicquam.*

4. Damni.

4. Recordemini dicti illius, ac signi dandi vobis; Signi Ionæ. Vos iam tempestatem cietis; & in ipsum; quia Ionas est. Et ejicietur ille: at restituetur: & vestra vos tempestas inuoluet, & absorbebit. Ideo *Vos nescitis quicquam.*

5. Demẽtia.

5. Repetite animis Gerasenos: *Luc.* 8. hic erat, qui ab incolis dæmones abigebat; inque porcos. Vt porcos seruarent; simul & dæmones vexatores, & incolas miseros: rogant ipsum cedere finibus suis. Vah! An non stolidi? An non sibi ipsis nequam? At is erat *hic homo*: Et vos nunc istorum similes. Occidere eum vultis, quia tam salutaria in vestros *signa facit.* Quare, *vos nescitis quicquam.* Neque hoc scitis: cur, quibus, quantum, quousque *expedit vt Vnus hic moriatur.* Mors eius orbis salus est.

Concilium non liberũ: sed vt à mine, cautum.

III. Tu vero Caipha cur collegisti Cõcilium? An, vt caperes ab cunctis consilium? 1. Cur ergo refutas cunctos, dicẽs: *Vos nescitis quicquam.* Vt quid consulis ignorantes? 2. Ergo, vt imperes iis tuum præstitutum decretum, vocasti eos. At hic fastus est tyrannicus.

Simile facti.

3. Facis opere, quod verbo profitebatur olim Xerxes, Persarum Rex: *Val. Max. l. 5. cap. 9.* Contraxerat proceres ad consilium de bello Græcis inferendo, & ita præfabatur. *Ne videar meo tantum vsus consilio, vos contraxi. Caterum scitote, parendum vobis magis, quam suadendum.*

Simile alterum.

4. Simile consilium cum Ionatha Saul tractauit in Dauidem, imperans, nõ consultans, ait, 1. Reg. 20. *Quam diu vixerit filius Isai super terram, non stabilieris tu; neque regnum tuum. Itaque iam mitte, & adduc eum ad me. Quia filius mortis est.* Ita Caiphas. *Nescitis quicquam, expedit,* &c.

PARS IV.

De Consilio bono dato, ac necessario.

Figura firmandi Consilii.

I. FAlleris: Quia Hunc occiditis; *ideo tota gens peribit, venientque Romani.* 1. Euenit vobis, quod Ieroboamo, 3. Reg. 13. Rebatur hic erectis passim vitulis, & idolis, se populum seruaturum, ac regnum stabilituram: at secus cecidit: Se, regnumque euertit.

2. Præcipite sortem vestram ex Pharaone: *Exod.* 2. Suum regni firmandi consilium vertit ipsi, regnoque in exitium: & contraria cecidere omnia: pueri occidi iubentur, at multiplicantur: opprimit laboribus populum; vt eneruet: at corroborat. Tenere eum nititur: at inuito furripitur: Occidendum persequitur; at submergitur.

3. Scitote Iesum plusquam Elisæum esse: Atqui Rex Ioas, 4. *Reg.* 13. ad morituri Elisæi pedes prouolutus sic plorat: *Pater mi, Pater mi, currus Israel, & auriga eius,* quasi dicat, tu moreris, tecumq; regnum moritur.

4. Caipha in te tuosque feralem pronun-

nuncias sententiam. Mucro in ipsum dirigitur: at in vos transadigitur; hodieq; in vos figitur. Plusquam Elisæus hic: plures dedit salutes ac sanitates patriæ. Si nō Dei esse filium credis; at signorum salutisque operatorem cernis, & scis. 5. Plura is monstra extinxit in Iudæa; quam Hercules in orbe toto. Hæc ipso extincto succrescent, & vestro se sanguine pascent. *Nescitis quicquam.*

Consilium bonum à vero malo. Pulchrè dicit, si cum ea conferantur.

II. Verum est: *Expedit, vt vnus moriatur:* Sed, si propter vos; tunc & vobis expedit. At quia per vos; ideo non expedit vobis.

1. Infœlix! vt hoc intelligas, lumen non habes. Neque aliorum quisquam dixisset quicquam pro Christo. Concluditur: *Moriatur.* 2. Adeo nullus est omnium, qui præmoneat Dominum, vt caueat? 1. Esau conspirarat in Iacob; & ecce ab Rebecca monetur, fuga sibi consulat. Gen. 22. *Ecce, Esau frater tuus minatur, vt occidat te.* 2. Chusai, 2. *Reg.* 15. aperit Dauidi cōsilia Achitophelis & Absolomi: Christo nullus. 3. Ecquid agitis Nathanael, Gamaliel, Ioseph ab Arimathia? Nil adeo pro vestro Præceptore dicitis? Nil adeo ipsum submonetis?

Consilium necessarium etiam. 1. Obstat.

III. Bene tamen, Caypha, pronuncias: etsi animo non bono. Prorsus *expedit*, planeque *necesse est*. En amplius pronuncio. 1. Omnia Deus expertus est media sospitandi generis humani, profecit nullum: Superest hoc vnum: *vt vnus homo moriatur pro pop. ne tota gens pereat.* 2. Nam, Heb. 2 *Decebat eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos in gloriam adduxerat; Autorem salutis eorum per Passionem conformari.*

2. Cōtestatum postea.

3. Ob prophetas.

3. Nonne id ex Prophetis, figurisque scitis? Luc. 24. *O stulti, & graui corde: nonne hæc oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam?*

4. Ob ipsum peccatum.

4. *Expedit.* Quia peccati grauitas est infinita, tum ob læsam Maiestatem infinitam; tum infinitam contagij malitiam: Ideoque infinitæ potentiæ ac meriti satisfactore opus. Quare necesse fuit, vt, Deus homo factus, *homo vnus moriatur hic:* nam alter ei par nec est, nec erit; nec vnquam fuit.

5. *Expedit* & Angelis; vt ruinæ reparentur. 6. Patribus, vt è limbo vindicentur.

Figura Epilogica.

Homicidæ reditus in patriam non erat, *Num.* 15. nisi post mortem Pontif. sum. mi. Omnes homicidæ sui ipsorum fuerant: Itaque Hūc Pontificem mori expediebat, quo reducerentur captiui in patriam liberi.

SABBATO POST DOMINIcam Passionis.

Nunc anima mea turbata est.

Ioan. 12.

DAuid, 2. *Reg.* 15. seditionem Absolomi fugiens, pedibus, & capite nudus, transibat torrentem Cedron in desertum; & medullitus turbatus dolori penitissimo vbertim illachrymabatur. Ita IESVS hodie, post Synagogæ coniurationem, in oculis inque animo tragœdiam instantem omnem ferebat mœstus.

Nos eiusdem occasione

I. *De pugna carnis ac spiritus.*
II. *De passionibus Christi.*
III. *De clarificatione Domini.*

PARS I.

De pugna carnis ac spiritus.

Est ea connata.

I. TEntatus, & expertus Iob 7. ait: *Vita hominis militia super terram.* 1. Nam sicut cœlos, continuo, vt primum eos condiderat Deus, Angeli motu violento contra naturam ipsorum abreptos ab Oriente in Occidentem circumegerunt;

neque dum desistunt, nisi cum mundus finiendus erit: ita creatos, lapsosque homines mox raptores inuasere cum angeli Satanæ; tum appetitus praui. 2. Vnde *Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem tantum: Sed aduersus mundi rectores.*

Est gemina cum carne & Satana.

En duo bellorum genera. Hoc dixerim externum: internum istud, atque ciuile. Nam in nobis nascitur inde ex corruptis naturæ principijs passionum. Ad eo Gal. 5. *Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus Carnem.* 1. Hæc enim est Eua nostri Adæ, *Gen.* 2. 2. Est fornicatrix Iezabel, 3. *Regum* 21. Reges in arma cogens 3. Est Dalila, *Iud.* 16. Samsones eneruans. 4. Atque vt motus maris omnes à luna crescente & decrescente causantur: ita motus animæ ab concupiscentia. 5. Hæc est aries ille bicornis, *Dan.* 4. qui animalia cætera prosternebat: instructa cornu irascibili & concupiscibili, rationem sensus, ac animam ipsam sæpe prosternit in peccatum, ac mortem. Tanto perniciosior, quanto interior: vt, sicut nata nobiscum; sic & à nobis sit nutrienda; Ceu in sinu vipera.

Inimica & noxia est. Figura.

II. Figuris liquet. 2. Iacob & Esau, *Gen.* 25. vel in vtero se calcibus appetierunt aduersi. Tales in nobis congeniti superior sensus rationis & inferior. 2. Abel & Cain fratres aduersi, *Genes.* 4. dissidium sanguine cruentarunt. Tanto in spiritum surgit impetu caro! 3. Sara coniux *Gen.* 21. & Agar ancilla Aegyptia, eadem in Abrahæ domo odia exercebant; nec ponenda, nisi alterius ejectione. 4. Vidua Dauidi sic conqueritur. 2. Reg. 14. *Ancillæ tuæ erant duo filij, qui rixati sunt aduersus se in agro, nullusque erat, qui eos prohibere posset, & percussit alter alterum, & interfecit.* Sic animæ duo sunt filij, Spiritus & Appetitus: iter est vita, ager est mundus.

5. Tales erant Absalon & Ammon duo filij Dauidis, 2. *Reg.* 13. Hi Thyestæo spectaculo mensam hospitalem sceleratũt, alterius cum cæde. Ita spiritus & Appetitus eadem mensa refecti, parricidia sæpe designant. *Figura de innata.*

6. Notæ sunt rixæ Abrahæ ac Loth, *Gen.* 13. & vtriusque pastorum. Ita ratio & concupiscentia, & facultates vtriusq; bella gerunt internecina, nunquam cessatura. Nec ab iis immunis quisquam: An Iesus? Id agon hortensis docuit: id hodierna lectio.

PARS II.

De passionibus Christi.

Exempla passionum Domini.

I. DOminus Iesus Ira succensus ementes & vendentes eiecit templo: & in Pharisæos sæpius iratus, eorum vitia coarguit. 2. *Cœpit* idem quoque *pauere, & tædere, & tristis esse.* 3. Alibi lachrymatus est super Ierusalem. 4. Alias turbatus infremuit spiritu. Hæ vero sunt passiones.

Agelastus fuit facto.

Risisse nunquã legitur; ad instar Heracliti Philosophi ἀγελάστου: vt qui in domo luctus exul ageret. Sicut in Aegypto Israelitæ semper mœsti, in que Babylone captiui Ps. 136. *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?*

Quatenus passiones assumserit.

Dominus igitur cum natura nostra omnes passiones & accidentia nostra induit; quæ vnioni hypostaticæ non repugnarent. Vt sunt ignorantia, peccatum, inclinatio ad peccatum. Nam, vt *qui dat esse, dat etiam quæ consequuntur ad esse*; ita & qui accipit. Itaque *per omnia nobis similis factus, absque peccato*, & peccabilitate. Nam vt cœlum corrumpi non potest; vtpote non obnoxium quatuor primis qualitatibus; idque propter formæ nobilitatem: ita Christi humanitas impeccabilis fuit, ob hypost. fin. Vt Sancti quoque, qui beatitudine perfruuntur.

Causa assumptarũ affecit.

II. Quas tamen assumsit passiones, id

fecit. 1. ad satisfaciendum earum adminiculo. Augustinus *Epistol.* 141. 2. Ad exemplum pœnitentiæ demonstrandum, *Bern. serm. 2. in Cant.* 3. Vt verum se hominem doceret. *Cyr. l. 2. in Ioan.* Nam vt inde concludimus, cœlos aliam habere naturam ac materiam, quam hæc inferiora, quæ non eadem habent accidentia, ita & de Christi humanitate colligi potuisset, non veram fuisse.

Figura.

Iam autem, sicut Iacob, *Genes.* 29. sibi iunxit matrimonio pulchram Rachaelem; sed & lippam Liam; simul vt partem de gregibus Labani haberet: ita Dominus naturam humanam; & deformẽ concupiscentiam; simul partem brutalium passionum sibi iunxit.

Differtia earum ab nostris.

Quæ tamen ab nostris differrent. 1. *Obiecto.* Nos enim sæpe concupiscimus, quæ odisse oporteret: lætamur, ob quæ tristandum esset. 2. *Principio.* Non enim motus primo primi in nostra sunt potestate; Vnde sæpe ferimur imprudentes ad illicita. 3. *Effectu.* Sæpe etiam ad actus impermissos abripimur passione præpotente, & rationem obcæcante.

Vis humanarum propassionum in nobis.

Magna vis passionum est, cui non sumus obsistendo. Hinc vultuum mutationes, motus cordis, corporisque. Lætitia sanguinem diffundit, cholera succendit ebullientem, metus obstupefacit. Lingua titubat ab ira, cor & artus tremit, terrore expallescimus, rubescimus pudore, &c.

Sicut exhalationes terræ obturbant aerem, obnubunt solem, tonitrua, fulgura, fulminaque cient. Ita propassiones rationem inuoluunt, &c.

Status in Christo.

III. Secus in Christo. In eo non istuc ascendere, non præuertere rationem, non ad illicita verti quibant. Fleuit; sed ob peccata. *Gaudeo* Ioan. 11. *propter vos, vt credatis*, Iam turbatur: sed ob perditam in multis Passionem suam tantam. 2. Imperare tamen Ipse primis valebat motibus: nos minime. 3. Ipse à primo incarnationis puncto præuisos cruciatus suos præsensit: vt & in glorificatione Thaborina: nam *de excessu loquebantur* passionis: Sed non iis turbatus fuit, nisi cum voluit. Ideo ait: *Nunc turbata est*, &c. 4 Bene S. Ioann. Damasc. q. 8. v. 8. *Naturalia in Christo non præcedebant voluntaria, & iratus est, doluit; timuit; quando voluit.* 5. Matth. 8. *Quis est hic, quia mare & venti obediunt ei?* Parum hoc: Maius est, quod passiones obediant. 6. Quare sicut, tum voluit, gloriam in corpus emanare permisit: ita & turbationem intrare in animam; cum voluit. Sic tamen vt interior, seu superior pars animæ non attingeretur, nec in visione beatifica vnquam impediretur. 7. Vt igitur in arca Noe omnes feræ pacifice viuebant, tigres, leones, vrsi, &c. ita in Iesu passiones.

Et hoc in Christo mirabile: vnam passionem non impediisse aliam. Ideo summus dolor crucis non impediit dolorem minimæ spinulæ. Nec gloriæ visio beatifica obstitit, quo minus inferior pars animæ turbaretur.

PARS III.

De clarificatione Christi.

PAter *clarifica nomen meum*, id est, Ioan. 17. *Pater, clarifica filium tuum*, Angelis, mundo, Satanæ, me Deum esse. 1. Quid? An non iam diu, & sæpe te clarificauit? Quam id luculente in natiuitate? In baptismo? In tot miraculis? Quid vltra? 2. An clarificationem crucis affectas? Et quidem *desiderio desideras hoc pascha manducare.* Istius te tropæa triumphi non sinunt quiescere: Vt Themistoclem Miltiadis. Quanti victoriarum triumphi ex deuicto peccato, mundo, dæmone, inferno spoliato, resurrectione, ascensione? &c. *Pater clarifica.* 4. Fili, *clarificaui*, &

clarificabo: Orbis vterque tibi acclamabit: *Quis est iste Rex gloriæ?* Psalm. 23. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi Vnigeniti à patre, plenum gratiæ, & veritatis.* Ioann. 1.

POST DOMINICAM Palmarum.

Feriæ II. III. IV. Conceptus Eucharisticos reperies in festo Corporis Christi cum pluribus aliis.

FERIA SEXTA IN PARASCEVE.

PASSIO DOMINI NOSTRI Iesu Christi.

MOEsta dies Funeris magni, & cruenta Sanguinis Agni: insontis morte Domini, & seruorum vita nocentum nobis? Non Stephani, lapidibus coronati, martyrio insignita: non Laurentij inter purpuratas sanguine prunas famosa cruciatu; non Bartholomæi pelle detracta celebris: Sed, quod omnia super, Passione Domini Nostri Iesu Christi. Filiæ Israelitides quotannis planctum agitabant ad Iephtanæ filiæ bustum, ex patris voto immolatæ. *Iudicum* 12. Plangemus nos ad Passionis ac Mortis Dominicæ commemorationem.

Sed vnde Numinis petam auxilium? An à Patre? At hic iratus sanguinem spirat & vindictam. An ab Angelis? At hos luctus habet. An ab Deipara? At ipsius animam pertransiuit gladius: viuens mortua in morte filij est. Vna superes cœlorum, terrarumque decus Crux glorioſa.

O Crux aue spes vnica. &c.

Nos in præsens

Sacræ Passionis historiam trimembrem constituemus.

De gestis in { *Horto* 1. *Vrbe.* 2. *Caluaria.* 3.

Ista vero Partibus ter quinis edisserentur.

IN HORTO.

I. Proœmium sympatheticum ex specie facti immanioris.
II. De Horto, & comitatu Domini.
III. De dormientibus Discipulis.
IV. De Confortante Angelo.
V. De Agonizante Domino.
VI. De proditore Iuda.
VII. De Captiuitate Iesu.
VIII. De gestis reliquis in horto.

IN VRBE.

IX. De Gestis Annam apud & Caypham.
X. De negante Petro; desperante Iuda: & compatiente Maria.
XI. De accusatione apud Pilatum facta.
XII. De secreto examine Pilati in Iesum.
XIII. De gestis reliquis apud Pilatum.

IN CALVARIA.

XIV. De Iesu baiulante Crucem, & Cruce baiulante Iesum.
XV. De gestis reliquis, dictisque ad Crucem.

DE GESTIS IN HORTO.

PARS I.

Proœmium sympatheticum ex specie facti immanioris.

I. THimanthes Iphigeniæ depingens immolationem, cum amicos circum appinxisset alios alio luctus schema. te, demum patris Agamemnonis summum expressurus luctum, non habuit, quo eum melius repræsentaret; quam vt velo

Passio Christi est inscfabilis.

velo ei vultum obnuberet, quasi diceret: quem quiscumque luctum poterit, excogitet; eo ipsum luxisse ex obuelatione vultus intelligat. Fateor: profiteor, ne animo concipere, ne exprimere oratione valeo cruciatum Domini patientis: nisi Ipsum spinis obsitum, concisum flagris, crudum & cruentatum, totumque deformatum produxero.

Hic mage flebilis. Quid? Sanctus Gregorius profiteatur: *Cogitanti mihi*, ait, *de Magdalenæ pœnitentia, flere magis lubet, quam aliquid dicere*: quid igitur nos de Passione Domini.

1. *Quis ergo*, Ier. 1. *dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo die ac nocte?*

2. Dauid, cognita cæde Abner, indoluit, & cunctis Satrapis ait: 2. Regum 3. *Scindite vestimenta vestra, & accingimini saccis, & plangite ante exequias Abner.* At vos ante exequias Seruatoris scindite corda vestra, & plangite peccata.

1. Obluctatiõ spectaculũ læsæ naturæ communis. II. Valuit (*teste Plut. in Cæsar.*) ad acrem animorum commotionem M. Antonio, togam Iul. Cæsaris pro Rostris in foro stillantem sanguine ostendisse populo; vt cædis autores Cassium ac Brutum expellerent Vrbe; armisque prosequerentur. At ego non tunicam Cæsaris, sed Domini Iesu Christi Humanitatem vobis producam laceram ac cruentam. Et quo par erit accendi zelo animos.

2. Ob cognationem nostri cũ Ipso. Vidit Iacob, *Gen.* 38. tunicam filij Ioseph tabo manantem: vidit, & irrugiit dolore intimo, inconsolabilis: humique prouolutus *scissis vestibus indutus est cilicio, lugens filium multo tempore.* Quãtõ luctuosiora iam hic?

3. Ob sortis prioris mutationem. Amici Iobum suum, *cap* 2. videntes in fimario sedentem, sanie, vlceribusque tabidum, derelictum à cunctis eum, qui Rex terræ prius omnibus abundãs præcelluerat, ipso septiduo muti & attoniti misero assederunt. Sed quale hoc dissagellati, crucifixique spectaculum præ illo? Ad quod vel bruta natura inhorruit. Neque regulus est, qui vltima ista perpetiebatur: sed Deus de Deo Rex Regum.

4. Ob Maiestatẽ iam profanatã. Quod si igitur Esthera, *capite* 5. freta formæ gratia, interius Assueri ingressa conclaue, ad insolito maiorem Regis maiestatem concidit semianimis: Quid homo, iam suapte fractus conscientia, ad Tanti Domini talem aspectum? ad tot opprobria, blasphemiam? ad talem humilitatem, nuditatem? &c. Eritne vltra in eo Spiritus?

Propositio. III. Audi inaudita: Deus homo patitur, moritur. Isaiæ 53. *Quis credidit auditui nostro?* Et tamen, infidelibus 1. Corinth. 1. *prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam.* Quis Rabbino persuaserit crucifixum esse eum, qui Israelitas eduxit ex Agypto? Quis gentili Philosopho, eum esse passum, qui sit purus Actus, immortalis, impassibilis? Et hoc est, quod hodie plangimus cum ipsius; tum vero nostra causa, quorum gratia pertulit tam indigna.

Quare, Threnorum 1. *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte si est dolor sicut dolor meus.* Sed aliud videbitis nihil, præter *Virum dolorum, despectum, & nouissimum.* Ad hunc in omni vita *attendite, & videte*: Quæ? Spinas, flagra, vulnera, cruores, liuores, lanceas, clauos, cruces, mortes: & in viro, *in quo à planta pedis vsque ad verticem non est sanitas*: Isaiæ 1. Cui Psalm. 21. *dinumerauerunt omnia ossa*: ita penetrarunt inimici eius. *Sed & Lancea latus eius aperuit.* Ioannis 16. Demum, ait *S. Thomas part.* 5. *quæstio.* 46. *art.* 5. omnium sæculorum cruciatus, omnes ac omnium hominum passiones in genere sustinuit, & quicquid vsquam vnquam dolorum extitit, aut existet.

PARS

PARS II.

De Horto, & Comitatu Domini.

Hortum iniuit.

I. FActa Cœna, transito torrente, hortum intrauit. 1. O horte, reducis in memoriã paradisiaci horti fortunam datam homini, ac ob noxialis pomi morsum ablatam. 2. Designas hortulos hodie nostros deliciarum, simul & delictorum.

Figura & causa.

Susanna, *Dan.* 13. vbi & pudicitiæ tuæ, ac vitæ adiisti discrimen? In horto. Et tu Iesu lauabas in horto te sanguine tuo, nos emundans crimine. Duo interim dierum malorum inueterati senes, Iudaismus, & Gentilismus, fatales animæ tuæ ponunt insidias: non ij quidem virulentiores Serpente quondam hortensi; sed furentiores. Vt, vbi captus erat Adam in peccato: sed prostratus solo serpens humirepus, ac terriuorus, qui erectus ante gradiebatur: ibi captus *Adam* secundus absque peccato, peccatum factus & maledictum pro nobis vtroque nos absolueret. Et vt, *vnde mors oriebatur, inde vita resurgeret.*

Solitudinẽ captat.

Ergo *Assumto Petro; & duob. filiis Zebedæi.* 1. Ecce tibi Dauidem loca sola insidentem, quia à furore Saulis quæsitum ad necem: *Vigilaui*, ait Psalm. 101. *& factus sum sicut passer solitarius in tecto.* Amica mœrenti animæ solitudo. 2. O gemebundam turturem! cuius *tristis est anima vsque ad mortem.* O solitariam! Nam ecce *relictus sum ego solus*: & *non est qui adiuuet me, non est vsque ad vnum* Tantum Pater, *tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor.*

Harmoniã hic cõcinnat.

Hic gemis, amas; oras, ploras, sudas, laboras. Et quia non ex naturæ passione sola; sed cum summa ratione: ideo querela tua, Iesu, vt Cythara est Dauidica, & dulcis harmonia. Profunda Bassum sonant suspiria: lachrymæ Tenorem resonant: Discantum orationes accinunt: Altum clamat altius Sanguis exsudatus: Tactum guttæ cadentes seruant: Silentium Pausæ nox alta tenet. Hæc inter vna vario discrimine vocum Cythara Amoris intercinit harmoniæ sine modo moderatrix. O cygnæum Cygni præcandidi!

Assumit tres ob præfidentiam retundendam.

II. Sed quid, omissis cæteris, tres dictos assumsisse placebat? 1. An, quod præfidentiores alios? Et Petrus quidem, Matthæi 26. *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo*, Ioannes autem & Iacobus ad interrogatum Domini: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Confidenter, *Possumus*, aiunt. Matthæi 27. Audax professio hæc. 3. Thesei vos quidem, sed mox Therſitæ futuri. Votum adest animis esse Hercules, Aleandros, Cæsares: sed nec fatum par, neque facultas. *Supra vos sapitis.* Nihil ex vobis poteritis; sed sufficientia vestra ex Deo erit.

Tecum habita, & noris, quam sit tibi curta supellex.

Sed altiora vobis, & meliora pro vobis voluit, qui solus Bonus est Dominus. *Et ad Agnem tomo standum.*

1. Hic vos Transfigurationis testes assumserat, ideo nunc & Passionis. Atqui tuum hoc solenne est & ingeniũ mũde, à gloria, & deliciis ad dedecus transis ac fletus. 2. Hic Petre tibi quid animi? In Taborina gloria montis audebas, Matth. 17. *Domine, bonum est nos hic esse.* Hic quid audis? *Tristis est anima mea. Manete hic & orate, donec vadam istuc & orem.* 3. Hic tu quid agis? *Simon dormis? Sic? Non potuisti vna hora vigilare* cum Domino pro quo vis *animam dare*; quem profiteris te *plus his* amare?

Ac spectãdum.

Vigilate, orate aut *attendite, & videte, si est dolor sicut dolor* Domini. 1. Id hic oculis in eo vsurpate, quod animis ex Dauide licet repetere: misere complorante. Psalm. 87. *Cor meum conturbatum est in me;*

&

& formido mortis cecidit super me. Et Ps. 45. *Repleta est malis anima mea ; & vita mea inferno appropinquauit.*

Agonia causa multa conglobatim.

III. Heu Domine ? Tantorum quæ causa dolorum, ac terrorum ? Ah plurima. Apostoli proditoris perfidia, Apostolorum fuga, in his fidei ruina, cruciatuum sæuitia, mortis instantia, Meritorũ Passi in multis iactura, in primis iam iamque imminens agonia.

Horror Mortis.

Quid ? ô Vita tun' mortem metuis? Et ego de ea vix raro, ac perfunctorie cogitem ? 1. Vere Arist. 3. Ethic. cap. 6. *Mors est omnium terribilium terribilissimum.*

2. Isti Persarum Rex Xerxes illachrymatus est, quando ex editiore loco contemplabatur virorum duodecies centena millia, quos sub signis in acie contra Græciã habebat: fleuit, & ait: *ex tot tantisq; viris intra 100. annos nec vnus superstes aget.* 3. Quid, quod vel ipsius S. Hilarionis anima in agone æstuarit metu iudicij : vt resumto vir animo diceret : *Quid times anima ? septuaginta annis in solitudine seruisti Deo: & exire metuis?* Et tu nec cogitabis de morte ? Vel Iesum sola mortis memoria pauefecit.

Neque tantùm fuit conturbatus ac consternatus olim Rex Balthasar. *Dan.* 5. visa manu incognita, in parietem scriptitante: quantum nunc Iesus *cœpit pauere, ac tædere.*

Amor vitæ.

Et causas adhuc pauoris quæris? Vita is spoliandus est illa, cuius amissio vel ad momentum lachrymabilior est, (ob vnionem hypostaticam,) quã in alia quacunq; creatura ad annos mille. Ita *D. Th. p. 3. q. 46. art. 6.*

Satisfactio pro nobis.

Aliam Isaias memorat causam, ca. 53. *Vere dolores nostros ipse tulit :* hocque contritus est acrius, quo perfectius peccatorum agnouit grauitatem, ac multitudinem. Inde Thren. 2. *Magna est, velut mare, contritio.*

IV. Procidit in faciem suam. Age Publicane, quod agis, docesidem. Vultum demicis ; pectus tundis : fundis lacrymas: oras: *Pater, transeat à me calix iste.* Pater misericordiæ, & Deus totius consolationis, qui clamantem è lacu leonum Danielem : è cisterna Iosephum, è ventre ceti Ionam, in camino tres pueros exaudisti : aspice dolores, horrores, &c. filij *dilecti, in quo tibi bene complacuit.* Homo sum, hic horret, & orat. Deus sum ; hic vult quod tu: *fiat voluntas tua:* non humana mea. *Oratio Dominica.*

Disce anima mea, & suesce à tua desciscere voluntate, ac diuinæ acquiescere. Compatere Domino ; & humiliare cum eo. Linque mundum, hortum ingredere, palmam intuere, onustam fructibus dolorum, atq; quo pressam magis, hoc surgere fortius aduersum pondus. Luctatur : at demum sese eluctatur.

PARS III.

De dormientibus Discipulis.

Somnolentia Petri.

I. Simon Dormis? *Non pot.* q. d. 1. Te principem constitui Apostolorum : quem esse vigilantissimum oportuit, *dormis ?* 2. Qui ita te iactaras prius, in mortem paratus: *dormis ?* 3. Qui *me plus his amas : dormis?* Qui audisti ex me parabolam, quod, *cũ dormirent homines, venit inimicus, & superseminauit Zizania* Matt. 15. *dormis ?* 5. Recordare tempestatis me dormiente coortæ, & conclamationis vestræ me suscitantium, Matth. 8. *Domine salua nos, perimus.*

Applicatio.

Adite, ô anima, dormitantem quoties dẽ cœlo clamatur : Anima dormis? Ecce vis omnis inferni vigilat, effusaque ruit. Hannibal fertur, quamdiu imminere sibi Scipionem sensit, nunquam se armis exuisse, aut ad somnum deposuisse. At in animam non Scipio, sed leo, furiaq; tartari intenta excubat: & *dormis?*

Ex somno mala.

II. *Vigilate, & orate, ne intr. in tent.* in primis peccatores. Nam quot malorum occasio somnus? 1. Noe, *Gen.* 9. nudatus, nato fit ludibrium. 2. Loth *Genes.* 19. ebrius dormiens incœstum commisit nescius. 3. Aegyptiis *Exod.* 12. indormientibus crapulæ, cæduntur primogenita. 4. Samson. *Iudic.* 16. indormiscens gremio Dalilæ, exuebatur robore. 5. Saul, 1. *Regum* 16. dormitans discrimen adiit salutis: ni Dauid peperciſſet. 6. Isboseth, 2. *Regum* 4. in lectulo meridionans ab sicariis trucidatur. 7. Tobias *cap.* 1. in somno priuatur visu, 8. Capite Holofernes truncatur ab Iuditha, *cap.* 13. 9. Ionas cap. 1. in mare eiicitur, &c.

Applicatio. Episcoporum vigilantia.

Episcope Petre dormis? At vigilant hæretici: morumq; deprauatores hostes, Turci, diaboli excubant. *Vigilate*, &c.

1. Vidit Ieremias, *cap.* 1. *Virgam vigilantem.* Vt peccata semper vigilant, sic & flagella: *orate vt* auertantur hæc, & illa dimittantur. 2. Leo semper apertis dormit oculis, subq; dio: 3. Vidit quoq; Ezechiel, *cap.* 1. animalia, ante & retro oculis plena. Sacri Præsules sunt Virgæ vigiles: Leones generosi: & oculati Argi: ficut Luc. 2, *erant pastores custodientes vigilias noctis super gregem suum.*

Exempla vigilantium.

1. Sic excubabat pastor Iacob, Gen. [illegible] *Aestu vrebar ac gelu, die, noctuq; fugit [illegible] ab oculis meis.*

2. Philippo, Rege Macedonum, in [illegible] mitiis dormitãte, proceribus, id ægre ferentibus Dux eius Parmenio inquit: *Nolite mirari, dormiente nunc Philippo: vobis enim dormientibus ille vigilat.* Ita Plutarc. in Apoph. 3. *Suetonius* refert de Octauo Augusto, ob negotiorum curas insomni; quod audiens sub hasta venire supellectilẽ Equitis Romani, qui omnia abliguriuerat, iussit emi puluinar, cui is indormisset tantis debitis obæratus: forte & sibi eo somnum conciliatum iri.

Nouus hic, en Philippus, Hannibal, Cæsar Iesus pro nobis peruigilans: noctem extrahit precibus; *tertio orat eundem sermonem*: vt perseueranciam instandi, crebram eiusdem preculæ repetitionem nos addoceat. 1. Chananæa tertium repulsa, *Matt* 15. demum exorauit. 2. Quam diu S. Patribus oratum fuit, vt mitteretur *qui mittendus est*? 3. Vt, *Gutta cauat lapidem*: Sic

Orandi instantia & repetitio.

Vota Deum flectunt, non vi, sed sæpe precando.

PARS IV.

De Confortante Angelo.

Figura apparentu & confortantu Angeli.

I. *Apparuit ei angelus de cœlo confortans eum.* Vetera hic dum innouantur, implentur. 1. Iacob, *Genes.* 32. euaserat Labanum: infestus in patriam reuertenti occurrit Esau cum 400. viris, insontem trucidaturus. Angustiæ vndiq;. Ergo nocte precabundus ducit insomnem: demum cum apparente luctatur Angelo, dum benedicatur. Audit sibi dici: *Si contra Deum fortis fuisti; quanto magis contra homines præualebis?* Ita namq; euenire sueuit; vt post nubila Phœbus. Tentatur à Satana Dominus: mox ab Angelis Ipsi ministratur. *Matt.* 4. 2. Eiecta domo Agar, *Genes.* 21. sine domo per agros errat palabunda, & sitibunda. Iamque ad arborem gnatum morti exposuerat; cum ecce Angelus adest, ac fontem monstrat. 3. Gedeon, *Iudic.* 7. angebatur animi, ac ringebatur, Madianitas victoriis turgere ac tropæis ex deuictis Iudæis; Apparens Angelus mœstum consolatur, spem, animumq; addit, ac robur.

Confortatio Iesum Angelica ratio.

II. Quid Angelus Domino? Nate Deo Deus, homo Iesu Christe, excusita animum, viresque repara: 1. Exoptatum tempus adest, quo perditos restituas, redimas mãcipatos; nexos exoluas. 2. Crastina ostendet dies, pusille Dauid, 1. *Reg.* 17.

Huma-

Humanitatis tuæ funda, lapidibus usq; vulnerum, prostratum Goliathum. 3. Te superus Cœlitum, te medius mortalium, te inferus orbis in limbo Patrum expectat: Summa mundus, ima tartarus movet: vltima tentantur. Nimirum *sic fata volũt*. Tibi *victoria certa est*. 4. Repete cum animo, de te quod vates cecinit, Psal. 109. *Iudicabit in nationibus, implebit ruinas* Angelorum. 5. Scilicet, vt Ipse *Iustificeris in sermonibus tuis* Ps. 50.

Figura passionis.

1. De Occiso.

1. Recole iustum Abel. *Genes.* 4. Hunc cum occidisset in agro Cain; quam vitam hic vagus in orbe, artubus tremens omnibus, exigebat. Cras te Iudæi fratres necidabunt: at luent profugi, ac dispersi. 2. Noe, *Genes.* 7. arca sua bestias & homines seruabat ab diluuio. Tua tu Humanitate iustos & peccatores. 3. Isaac, *Genes.* 22. patris audiens, immolandus in montem ligna baiulabat ipse: Cras tu Crucem in Caluariæ. 4. Ioseph. *Genes.* 39. 41. à fratribus diuenditus, carcerem & vltima passus, demum par Regi euectus, Saluator mundi acclamatur, Crastina tibi dies maiora offeret. 5. Dixisti: *Sicut Moyses* Num. 21. *exaltauit serpentem in deserto, ita Exaltari oportet Filium hominis, vt omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Ioan. 3. Cras talem te cernes ipse; *quia voluisti*. 6. Olim, *Leuit.* 16. hircus emissarius, peccatis populi ingrauatus, extrudebatur in deserta: At tu es ille: Ni dici malis *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi*. 7. Vitulæ rufæ, extra castra immolatæ, cineribus populus sanctificabatur conspersus: Cras humanitatis tuæ sanguine mortale genus expiabitur vniuersum. Talia te sexcenta spectant in Lege per Te in Te lata.

2. Seruator.

3. Crucigerus.

4. Saluator.

5. Crucifixus.

6. Satisfactor.

7. Sanctificatore.

Animosa exhortatio.

Age, 1. *Fac vt Prophetæ tui fideles inueniantur.* Magna patieris sed ad maiora eueheris. 2. Deberis orbi; debetur & orbis tibi. 3. Condidisti increatum: repara & collapsum: Id dicto; hoc facto. 4. Ergo age *apprehende arma, & scutum, & exurge in adiutorium* mundo.

Sed quæ ista tua, Angele, audacia est? Abste seruo confortari Dominum, à discipulo doceri Magistrũ? Nimirum sciebas, planeq; sentiebas iam istud Ps. 8. *Minuisti eum paulo minus ab Angelis?*

Angelicæ audaciæ Ratio.

III. Quid ergo nos agere par est? Pro Cœlitib. nõ patiebatur: at pro nobis. Quo magis iam nunc à nobis consolationem ex nobis expectat. Hanc præstas abunde, si compateris affectu, & effectu; si passi meritis fueris expiatus, cibatus Dei Verbo, Corpore, & Sanguine.

Suppar hominum imitatio.

Sed quam dabit homo consolationem in præsens Redemtori Domino? An hoc dulcetibi; nostris nos desideriis ad hoc pascha imitari desiderium tuum ad idem cum discipulis manducandum? Sed tu id nobis merere prius pie Iesu: patere, patiendoque tuum nostri amorem proba: discute peccati origimis eccliplin pertinacem; rumpe tartara; religa cacodæmonas; cœlos resera; sæcula conde noua. Ista tuum solatium erunt, & Salus nostra. Inde

Et ad Iesũ exhortatio.

Semper honos, nomenque tuum, laudesque manebunt.

PARS V.

De agonia Domini.

I. ERgo, *cum positus in Agonia prolixius oraret, factus est sudor eius sicut sanguis.* Tantum Angeli confortantis oratio calcar habet! Orarat tertium prius: iam prolixius orat, sudat, agonizat, sanguinat. Quis vnquam audiuit talia? O crisim! ô symptoma! Et siles Iesu Bone, nec clamas: *Domine, vim patior.*

Agoniæ causæ quæritur.

At ista quæ vis? quod torcular, talia quæ exprimat? 1. Non, si naturæ pondus vniuersæ in vnum incumbat: naturæ tamen Autorem ad talia adigat. Et

natura moles quæ maior ? 2. Quæ vis cumque fuerit, fuit vis, sudorem quæ extorsit sanguinis. Extorsit contra naturam; an supra? Vtrumlibet, vis ea contra fuerit, aut supra naturam. 3. Et quæ vis tam inimica, tamque indomita? Deus? At Deum non cruciat Deus. Dæmon, an homo, aut quodcunque creatum? At infra naturam hæc, non supra sunt. An peccatum? 4. Et vero istud erat; *per quod mors introiuit orbem.*

Ea peccatum erat.

1. Ex dolore peccati flere.

2. Ex horrore mortis flere.

Sed sanguinem exprimere cuiquam posse peccatum? 1. Id Magdalenæ animum discruciabat: at lacrymas oculis eliciebat; queis Domini pedes abluebantur. Ah peccatis nostris par nullus fletus: Sanguinis opus erat. 2. Ezechiæ, 4. *Reg.* 10. *Isa.* 38. denunciabatur: *Dispone domui tuæ: quia morieris.* Nuncio, & magis peccato, indoluit Rex, & illacrymatus est: collacrymatur regina, regnum complorabat totum Principis pij mortem. Sed nihil istud ad sanguinem Iesu.

3. Pauore canescere naturalia sunt.

3. Veterum Annalibus proditur audita mortis sententia reum momento incanuisse, & pridie iuuenem postridie canum apparuisse. Vis hæc magna metus; sed infra naturam: & nihil ad Sanguinis excusi torturam. Neque mortis sententia Domino dictabatur: sed peccatorum immanitas obuersabatur, &c. Vt mirum fuerit non secutam cum sanguine vitam expirasse.

Applicatio ad expendendam peccati grauitatem.

II. Iam vero te respice anima. 1. Peccasti: inferni deberis cruciatibus. At quantum ex tuopte dolesipsa peccato: & inferni metu terreris? 2. Ad contritum Iesum tuam paulisper compone contritionem, & expende. Si vel gutta per genas eat, aut expectore gemitus; salua res est; iam bene tecum actum spera.

3. Quæ autem apud Dominum peccati immanitas ponderata talem valuit ad sudorem; eadem & apud seruum haud parum valebit ad pudorem, dolorem, horrorem. 1. Aspice animo Athlanta illum, qui supportat cœlos humeris; is sub peccato fatiscit pressus. O pondus importabile, & inexplicabile! peccati! 2. In Angelos irruisti; & obruisti, & euastasti cœlos, & in orcum stellas cœli detraxisti. 3. Hominem orbis Dominum inuasisti; & pessum dedisti. 4. Paradisum intro spexisti; & claudi coegisti. In Orbem inuectum es: & elementa, brutaque & natura ad te inhorruit; spinas ac tribulos terra fudit; bestias inuasit feritas: cœli in ferreos sunt versi. 6. Non tulit terra rebellionis scelus Core, quin cunctis protinus dehisceret. *Num.* 16. 7. Non mare tulit inobedientiam Ionæ, *cap.* 1. iectum demersit in profundum. 8. Idem Dauid, Ideo Psal. 129. *De profundis clamaui ad te Domine.* 9. Quid? Peccati pondus eum, *qui factus est pro nobis maledictum*, de cœlo detraxit in præsepe, in hunc Agonem, ad inferos denique.

Sub quo Samsone Iesu *curuantur orbes*: is curuatur sub peccato; Et idem homo peccatum non magis sentit sæpe: quam cadauer iacens sub profundi maris immenso onere. Ab hoc detrahi ad ima animam magis natam alta petere, quam ignis; an non illud vis est? *Illatio Simile.*

PARS VI.

De Proditione Iudæ.

Valedictio tribus Dominus.

I. DEmum reuisit ad Discipulos Dominus. *Requiescitis, Surgite, eamus, Ecce qui me trad. est, approp.* Adeste chara pignora, discipuli; optatis fruamur amplexibus ante, quam isthæc mihi stringantur brachia. Vltimos affatus Petre accipe.

1. Scio, quod *me amas, pasce oues meas.* Tu Noe es Arcæ Ecclesiæ, *Genes.* 7. Tu Ioseph sub me Rege moderator ad clauum assidebis. *Genes.* 41. Tu Mardochæus in

in locum inflati ac sæui Amani, hic Cayphæ, Pontificis Summi nunc mihi sufficeris. Ex hoc eiicietur Synagoga; & super hanc Petram ædificabitur Ecclesia. 2. Tuque delicium meum Ioannes, vale. Vt Petro Ecclesiam; sic tibi Matrem commendo meam. 3. Valete fratres discipuli, &c.

Præludio Iuda.

II. Adhuc loquente. Ecce Iudas, vnus de XII. venit, & cum eo turba multa cũ glad. &c. Qui autem trad. eum, dedit eis signum. &c. Accessit, &c. Aue Rabbi. O proditionem omnium, quæ vnquam factæ, sceleratissimam! 1. Quo te quis furor Iuda? Quid agis; quid cogitas? Ex quali factus qualis es? 2. Videte, quid sit, & quale, vocatorum à Deo Religiosorum deserere consortium, & apostatare. Tales vel æuo superiore quot excucullati apostatæ.

Admonitio hic.

Amice, ad quid venisti? Tam bonus hic Christus; quam Antichristus ille nequã erat. 1. Vidit Dominus seruum; sensit osculum; audiuit *Aue* verbum: sciuit cor tam perfidum; peruidit sensum intimũ; & tamen vocat Amicum. Adeo salutem sitit omnium. 2. Aspicit in amplexu hominem, & ait, *Amice*, peccas, vel nunc resipisce. *Si vis*; volo, mundare ab peccato hoc. 3. Men' prodis? Nil opus; parce sceleri, me ipse dedam; aut inimici me rapiant, *hæc hora est.* 4. *Amice*; cogita bene facta in te mea. Quid mali feci tibi? Alui te elemosynis; ac demum paui etiam Corpore ac Sanguine meo. 5. Heu Iuda tamne vilis sum tibi? Siccine nundinari didicisti à me?

Exempla Sacra prodentis beneficiorum.

5. *Amice.* Tun' talia? Psalm. 54. *Si inimicus meus maledixisset mihi: sustinuissem vtique. Et si is, qui oderat me, super me magna locutus fuisset: abscondissem me forsitan ab eo: Tu vero homo vnanimis, dux meus; & notus meus &c.* Hoc vero Dominum cruciabat.

1. Vt & in cæteris Iobi plagis erat similis haud minima illa: *Noti mei, quasi alieni recesserunt à me: & quem maxime diligebam, auersatus est me.* 2. Inter tristissima Dauidi vnquã allata nuncia & istud erat: arcani sui consilii caput Achitophelem, à sese euectum, conspirasse contra se cum Absolomo, eiq; duodecim millia armatorum contraxisse. 2. *Reg.* 15.

Profana.

3. Iul. Cæsar inter strictos coniuratorum enses Brutum videns (quem educarat; hucq; dignitatis prouexerat:) dixit. *Et tu fili?* Hac cum voce vitam perdidit & imperium:

2. Cicero, ait *Val. Max. lib. 5. c. 3 & Plut. in Cicer.* Popilium Lenatem, parricidii reum, defenderat vt absolueretur. Postea M. Antonius Triumuir habere neminem potuit, qui Ciceroni caput præscinderet, obtulit se Popilius: & capitis suifortunarumque seruatori caput amputauit. Nequior Popilio: ingratior Bruto: perfidior Achitophele Iudas extitit in Dominum.

Iudæ similes plures.

III. Iudas mundum repræsentat, aliud ore, aliud corde præferentem. Osculatur traditor: vendit libertatem depeculator: Apostatans sicariorum fit conductor: iocos proseriis; seria pro iocis ingerit, &c.

2. Iudas indigne communicantium typus est. Nam & hic, 1. Corinth. 10. *reus erit Sanguinis Domini.* 3. Iudæ sunt Sacerdotes, pacem osculantes, & tamen odientes pacem. 4. Iudæ sunt Iudices, ac Leguleij; qui se gerunt vindices iustitiæ: & sũt, eiusdem venditores, ac sanguisugæ. 5. Iudæ sunt aulici; qui coram laudant, & applaudunt: absentem vero rodunt, ac produnt. Denique Iudas est mundus:

PARS VII.

De Captiuitate Iesu in horto.

Imperterriti Iesu fiducia.

I. QVem quæritis? Iesum Naz. Ego sum. 1. En Dauidem, 1. *Reg.* 17. vltro se in certamen offerentem. 2. En Gedeonem

Iud. 6. Sumentem animos hostis conficiendi. 3. En Eliam 3. *Reg.* 19. ad montem non Horeb, sed Caluariæ properantem. Victus cessit, & cum sudore detersus est angor. Iam *igitur qui fortis contra Deum, fortior est contra homines.* Genes. 32.

Inuicti exempla profana.

1. Prædicent Romani Scæuolam, qui ab Porsenna Rege captus, manum prius in ignibus vltro tenuit, quam proderet arcana patriæ. 2. Zopyrum dilaudent Babylonii: qui telis se ac plagis configendũ, concidendumque obiecit omnibus; vt in patris redigeret potestatem Babylonem 3. Codrum Græci iactent; qui habitu mutato Regis in gregarium sese, pro liberanda patria, in confertissimos hostes iniecit, vt expleret oraculum istud: cuius partis decertantium Rex prælio ceciderit: illic victoria stabit, stetitque ab Athenienfibus. *At* noster Scæuola totum Corpus tradidit vltro, quia voluit: *Ego sum*: inque plagas nõ Zopyrianas, sed innumerabiles: inque mortem plus mille mortibus acerbiorem se dedit.

4. L. Dentatum ait *Val. Max. l. 3. c. 2. & Plin. l. 7.* ab vulneribus 45. aduersis, auerso nullo, acceptis per 120. prælia pro Vrbe, Romani admirabantur, vt eum Herculem Romanum appellarent. Sed eum ne puerum ego dixerim cum Seruatore nostro comparatum.

Cæcitas peccantiũ.

II. Sed *quem queritis? An*, quem hinc quatriduo Regem acclamastis? *Ego sum. An* Messiam quæritis? *Ego sum*, &c. Et quæ ista cæcitas; vt quem alias nostis, norunt-que omnes; iam non agnoscatis? Plane sic euenit peccatoribus: cæcutiunt claro sole. 1. Ita Sodomitæ, *Genes. 19.* Angelos, alta die obeuntes vrbem, non cernebant. 2. Ita stellas, terra maiores vix ægre videmus, multas ne videmus quidem, ob distantiam. *At* longior hæc est peccatorem inter & Deum. Quo minus diuina capere queunt infelices. *Ego sum*; quem ligatum, percussum, flagellatum, fractum, &c. crucifigetis.

Prostratorum figura.

III. *At illi abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram.* 1. Nimirum, velut ad sonum buccinæ muri Iericho corruerunt: *Iud. 6.* ita peccatores ad vocem Iesu. 2. Velut idolum Dagon, 1. *Reg* 5. accedente Arca cecidit comminutum: ita peccatores ad Arcam Dei vocem Iesu. 3. Vere Psalm. 28. *Vox Domini in magnificentia, vox Domini confringentis cedros.* Si ad tam mitem Agni vocem corruistis; quid fiet ad leoninã istam: *Ite Maledicti in ignem æternũ.*

Vah mendaces Mahumetanos; quib. istud Manichæorum placuit commentum: in ista militum consternatione se Iesum subtraxisse, aliumq; sui similem substituisse.

Nesciunt in quem sæuiunt.

Itaq; ignotum, iam forte noscitantes, inuadunt: non agnoscebant autem, quia Deum esse non credebant: sicq; in ignotum sæuiebant. *Si enim Iesum cognouissent, Dominum gloriæ non crucifixissent.* Et ipse orabat. *Pater ignosce: quia nesciunt quid faciũt.*

PARS IIX.

De gestis reliquis in horto.

I. QVo atrocius in fruunt in Samsonem Philistæi. *Iud.* 16. ligant, trahunt. 1. Insurgit Petrus cuius & ictum, & animũ retundit Dominus: simul animos tenet ac manus satellitum, ne & in ipsum stringant ferrum. 2. Simul admonet promtum esse Angelorum præsidium in causa Dei, contra vim improborum.

3. Vbi formam tradidit fiduciæ Martyribus ipso facto; similem dicto: *Cum steteritis coram Regibus nolite, &c. Persequentur vos: sed gaudete. Si te percusserit in vnam, præbe & alteram, &c.* Quare si vis inde, hinc à te iustitia; patere, ac fide. Posset Deus; vt vna nocte per vnum Angelũm castra fudit Assyriorum; ita & quoscunq; disperdere hostes seruorum suorum: ni re-

regnum cœlorum vim pati oporteret.

IV. Venistis ad me tanquam ad latronem. Ita videri voluisti. Nam admissum in paradiso furtum, & animæcidium in te suscepisti; tuumq; impleri oraculum necesse est. Psal. 68. *Quæ non rapui, tunc exoluebam.*

1. Figura vinctii.

II. Iam truces vinctum habebant, 1. Vt *Gen.* 37. venditum Ismaelitæ Iosephũ in Aegyptum abducebant: 2. Vt 4. *Reg.* 25. ligatum Sedechiam Regem Babylonij. 3. Macedones Darium Regem Persarum prælio victum & captum, aureis vinciebant catenis; vt vel eo maiestatem regiã agnoscerent: at isti Dominum catenis grauant, &c. Vel tu homo miserere Domini, vinctum solare hoc; vt tuos tu sensus restringas, vincias linguam, iram, appetitum, &c.

De Fuga discipulorum figura.

III. Interea *omnes eo relicto fugerunt.* 1. Quia prædictum: Zach. 13. *Percute pastorẽ, & dispergentur oues.* 2. Ita, 2. *Reg.* 18. cæso Absolomo, omnis dispersus fugit exercitus. 3. Obtruncato Holoferne *Iudith.* 14. copiæ diffugerunt. Ita. 4. Vsus hic instinctu Satan est, quo Agesilaus, Rex Laconum in prælio Mantinensi iussit; vt vim in vnum Epaminondam, Ducem Thebanorum, verterent, hunc peterent omnes: quo strato cæteros vltro vel dedendos, aut fugandos fore. *Plut. in Apoph. Lacon.*

Sed vbi 1. Petre, tuus ille vocis spiritus, quo dicebas *Paratus sum tecũ in carcerẽ, & in mortẽire?* 2. Vbi tuus ille Thoma, dicẽtis quondam? *Eamus, & moriamur cum eo?* 3. Vbi ille omnium: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Ican' sequimini! O ceruæ, ô lepores! Dum fortuna fauebat, sequebamini: iam, *tempora cum fuerint nubila solus erat.*

DE GESTIS IN VRBE.

PARS IX.

Gesta Annam apud, & Caipham.

I. *CVm summum silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter perageret,* infandi *exultant capta præda:* vrbemq; ingressi strepitu his lætitiam, dolorem pijs afferunt. *Interrogatio gemina Annæ.*

1. Adductus Annæ, interrogatus de discipulis, silet. Quod nec, quo eos commendaret, habebat: nec officere famæ volebat. Exemplo Superioribus, vt subditorum defectus celent: paribus, vt ne cuiquam detrahant.

2. Sed de doctrina Iesu, quid quæris *Anna? Sedit* in medio doctorum: Synagogæ; docuit in templo: vrbe, campis, in Iudæa tota, & Galilæa. Testabitur Iairus Archisynagogus, Centurio, Magdal. &c. leprosi, cæci, &c. tres mortui suscitati. Et adhuc interrogas? Scilicet ita quærit improbitas non discendi, sed causa calumniandi.

Colaphizatio Iesu.

Ad interrogatum Domini, colaphus sequitur seruus: ille lingua, hic manu feriebat. O manum! *Exhorrescat cælum, & contremiscat terra de Christi patientia, & serui impudentia!* exclamat S. Chrysostom. Sic Propheta Michæas 3. *Reg.* 22. Achabo Regi veritatem dicens, alapam auferebat. 1. Istane terræ vermiculus in eum, *in quem desiderant Angeli prospicere?* O Angeli: Hunc benedictum vos vultum inspicitis, & tantam toleratis iniuriam? 2. O vindices Luciferianorum, Sodomoræorum, Assyriorum, Aegyptiorum; O Adæ expulsores, vbi nunc zelus vester?

3. Quid huic terram non dehiscere pateris, vt Core *Num.* 16. Quid non vrsos, in hunc feraſq; immittis, vt Elisæi risores pueros? 4. *Reg.* 2. Quid non in eum cælo deuocas ignem, vt 3. *Regum* 18. in Quinquagenarios Elias.

II. Ad

Testimonia in Iesum.

II. Ad Caypham ductus Iesus consilio sistitur, dicuntur testimonia, sed vana omnia. 1. Qualia in Nabothum concinnabat Iezabel lapidandum; vt impio traderet Achabo vineam. 3. *Reg.* 21. talia nũc in Iesum adultera Synagoga. 2. Qualia nequam senes duo. *Dan.* 3. in castam Susannam componebant. 3 Quale dein & in Stephanum sedebat Synedrion. *Act.* 8. Vt impleretur istud, Ps. 26. *Insurrexerunt in me testes iniqui, & mentita est iniquitas sibi.* Ista tum quidem.

Hæreses.

At dein postea testes reuixerunt iniquiores, hæretici: Arius, Macedonius, Nestorius, &c. qui quanta testari eonati sunt? Quanta hodie Lutherus, Caluinus, &c. Et hi sunt *duo falsi testes*, qui *nouissime venerunt*. Romani testes falsos è rupe Tarpeia præcipitabant: teste *Gellio l.* 20. *cap.* 1. Isti de salute sua se ipsos deiecerunt.

Silentium Iesu.

III. *Non respondes quicquam*? Non 1. Quod ad calumniandum proiecti responsum optimum vertant pessime. 2. Quod venerat excusationem Adæ luere, & similem in nobis corrigere. Quod innocentia silentio sese tueatur. 4. Quod oppressis vi, & iniuria exemplum statuat patientiæ, ad suam ipsius acquiescentis conscientiam. 5. Quod talis descriptus sit olim, Psal. 37. *Factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones.* 6. Talis præfiguratus in Iosepho, *Gen.* 39. ab Putipharæa falsè accusato, qui tacere mallet, quam alterius lædere existimationem; aut inter par coniugum ferere dissidium.

Adiurati responsum.

IV. *Adiuro te per D. V. dic nobis, si tues Christus F. D. V.* En tua, Arri, quæstio: fitne Patri ὁμοούσιος an ὁμοιούσιος Iesus? ô Caypha, grauiorem quæstionem orbis nunquam inaudiit. Quid agat Dominus? 1. Sileret? Iam & contemtor sacri Magistratus esse iudicabitur; contemtorque Dei, quia adiuratus. Et fidem omnem in dubium adduxerit. 2. Responderet? Iam conclamabitur: *Blasphemauit.* Dixit tamen: *Tu dixisti, Ego sum*, & Veritas ecce blasphemia dicitur: ac morti adducitur, ex Lege *Leu.* 24. in quam nihil commiserat.

Blasphemia pœna.

1. In Authent. coll. 6. sancitur. *vt nõ blasphemetur in Deum præcipimus: ait Iustinianus tales vltimis subdere suppliciis.* 2. Paulus tales, 1. Tim. 2. *tradidit satanæ, vt discant non blasphemare.* Et Nabuchodonosor, *Dan.* 6. decreuit mortem blasphemantibus Dominum.

Damnatio Iesu.

V. Conclamarunt Principes, *reus est mortis*: hic tum milites vinctum rapiunt, ludunt, cædunt dicentes: *prophetiza quis te percussit? Et alia multa blasphemabant*: quę cogitatui relinquuntur. 1. Sed *quis talia fando temperet à lacrymis*? Si amas Iesum; quomodo non doleas? Tuam inter manus tortorũ versari Beatitudinem, quomodo non exhorrescas? 2. Et talia nunc Deum perpeti, causa expiandi peccati: qualia non olim causa eiusdem puniendi decernet? Hinc metue tibi peccator: inde compatere Seruatori. 3. Afflicti bruti sensu tangimur; non Domini; Quod illud saxum, aut ferrum foret hominis?

Sanitis satellitum vnde.

Sed quis, ô carnifices, quis animos vestros ad tantam efferat sæuitiam? 1. An vincti crimen atrox? At nullum probatum: tantum proclamatum est. An natura vestra? At illa ab talibus inhorrescit. An satan, aut hoc deteriores Principes vestri? 2. Adeo vestrum nemo recordatur miraculorum eius, quæ vidistis, audistis, sensistis in ipsis vobis? O obdurationem excæcatam.

Domine Iesu totus in tormentis es. Hinc Iudæi, inde gẽtes: aliunde discipuli: circum serui: intus nostra delicta: retro fidelium peccatrix ingratitudo: supra Patris ira. O vis, ô dolor!

PARS

PARS X.

De negante Petro, desperante Iuda, & compatiente Maria.

Negatio Petri.

I. NEc Petrus pepercit. Negat ex discipulis se esse: Galilæus dictus negat fortius: Ab ancilla appellatus, pernegat: ab ostiaria rursus; hic etiam Dominum eiurat. 1. Quid cogitas Petre? Non te miles vrget ferro; non tortor eculeo; non magistratus iure & autoritate: lixa, calo, cacula est, ancilla est, quæ interrogat: Aut eludere, aut temnere, aut silere est integrum: quid blasphemare attinet?

An fatalis.

2. An id in fatis erat? 1. Certe vel in statu Innocentiæ Adam ab fœmina solicitatur, & subuertitur. *Genes.* 3. 2. Samsonem. *Iudic.* 15. Dalila fascinarat, ac perdidit. 3. Dauidem, leonum ac Goliathæ domitorem, 2. *Regum* 11. fœmina emasculat, effœminat. 4. Salomonem fœminæ dementarunt, vt adeo ad idololatriam prolaberetur.

An ex fœminare mala.

Verum in aula Petrus erat, interq; sui dissimiles. Non tamen aula bonos; sed mala deprauant consortia mores. In aula sæpe nimium est licens ancilla: id est, effusa concupiscentia, corruptrix optimorum.

Cantus galli.

Cantat gallus, plorat Petrus: exit aula, luctu squalet & pœnitentia. 1. Fertur ex hoc in omnem porro vitam galli cantum audisse nunquam sine lacrymis. 2. Cantus vero galli quid innuit? An vigilem peccantis conscientiam? An gratiam Dei præuenientem, & nos excitantem? An Dei Verbum?

Iuda desperatio.

II. At Iudam, vt prius excæcatum auaritia fascinarat; ita nunc desperatio laqueat. Vtriusque ista præiit figura. Hirci duo, *Leu.* 16. sistebantur Domino: hic Deo immolabatur, (vt per pœnitentiam Petrus.) ille peccatis onustus, in desertum Sacer & intestabilis exturbabatur: vt Iudas suspendiarius. 2. Duo simul cum Iosepho nexi attinebantur: *Genes.* 40. Pincerna ad honores: ad malam crucem pistor educebatur: Is Petrus: Hic Iudas reprobus. 3. Duo simul in eodem erant vtero Rebeccæ. *Genes.* 25. Iacob læuis, dilectus Deo: & hispidus Esau, exosusque Deo. Ita &c. 4. Ex eodem furno carbones atri educuntur, & prunæ candentes. Ita Petrus amore flagrans: at scelerum fuligine furuus Iudas; demum ex laqueo crepuit suspensus.

Figura dilecti & reiecti.

Sui, proh, quot similes habet hodie? Arium in latrina crepantem, Manetem, Lutherum, Caluinum, &c. cum blasphema desperatione exhalantes.

Ad Deiparam Apostrophe.

III. Interea, ô Virgo Parens, quid, & vbi, qualisque agebas? 1. Quæ cura pectus, quis angor vrebat. Quam tu multa tecũ, q̃ mœsta voluebas? O gemitus? ô lachrymas tacitas? ô saucios luctus! 2. Quas tu ad Patrem preces; quas ad Dei tuumque Filium, vt ipse parcat sibi? 3. Et quæ tu nõ sola tecum? Cum mortalib. expostulas: peccatores incusas: increpas Iudæos: Angelos inuocas: castigas profugos Apostolos: desperatum Iudam deploras, cõploras negationem Petri. Apud Patrem iterumq; instas, supplicas mitiora Gnato. Serpentem vero Satanam iris exagitas, deuouesque diris.

1. Mœstã. 2. Precabundam. 3. Expostulabũdam.

4. At Filij rerum, dolorum, dedecorũ, & c. te nihil fugiebat: Vt absens corpore; spiritu tamen videbas omnia, audiebas singula, tibi velut inflicta sentiebas: Et vna hæc tibi suppetebat consolatio; quod relicta esset integra tibi cum Filio compassio. Quocirca tantum dolore consauciabaris; quantum amore natum amplexabaris.

4. Compassam Filio.

5. Inter hæc tamen omnia inuictam constantiam tuebaris: vt certares cum filio: ille patiendo, tu compatiendo. Vtque ad patrem filius: ita ad vtrumque tu ora-

5. Attamẽ inuictam.

bas: *Si possibile est transeat hic calix: non mea tamen, sed tua voluntas fiat.*

PARS XI.

De accusatione apud Pilatum facta.

Ad Pilatū Apostrophe.

1. DIluxit interea: conciliumq; coit frequens, seq; coagulat iteratum. Manet ratum, quod per noctem fuerat conclamatum. Vinctus Iesus ducitur ad Pilatum. *Quam*, inquit, *accusationem affertis aduersus hunc hominem?* 1. Quid, Pilate, audire postulas? Iam ecce oculis vsurpas in vincto sputa, liuores, pœnas, contra ius fasq; defœdatum: quæ non accusandi primum, sed iam damnati erant indicia. Ergo in facta disquire; tum accusata accipe. Isti ius, potestatemque violarunt tuam: te vindica prius. 2. Vel ex his factis præsume de accusationib. 3. Adhæc non te fugiunt infandorum odia; quæ iniquę ipsorum causæ tibi certa esse præiudicia debent.

1. Se vindicet.

2. Præiudicia attendat facti.

3. Et odii.

4. Nosse tamen est animus, quid afferant? Scias: insontis ad necem postulatio. hæc ipsa sicariorum est accusatio. Atque eadem vincti esse debet absolutio: & accusantium ad talionem condemnatio.

4. Sententiam quā ferat.

5. Quare age, *hoc agas*, & nunc vel maxime, quo *Plutarcho teste in Apoph.* Pericles Athen. semper, quoties togam iudicialē induebat, ita seipsum affabatur: *Attende tibi Pericles: Liberi sunt quos regis; Græci sunt; ciues Athen. sunt.* Ita de istis existima: *Iudæi sunt, seditiosi sunt: sanguinolēti sunt.* Qui nec verum audire sustinent; nec agere recta sciunt; nec viuere Prophetam sinunt.

5. Quem imitetur: & quatenus.

6 Metuat.

6. *Attende tibi, Pilate: innocens est quem iudicas; Messias est; Filius Dei est.* Verbo is condidit orbem: verbo ante prostrauit hostem: alias verbo suscitauit mortuos, morbidos consanauit. Potest, quæ vult, & quæ alius nemo potest.

7. Constanter agat.

7. Repete cum animo, quod Alex. Magnus genitrici, ad necem postulanti insontem, quem oderat: *Pete*, aiebat, *aliud mater: nam vita hominis nulla mercede potest compensari.* Hoc dicistis; & fac. II. Sed ecce obturbat vociferatio. *Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum.* Nimirum tam sancta vobis est innocentia vestra. *Quid ergo mali fecit? Hunc inuenimus* seducentem gentem nostram: Iudęam concitantem: prohibentem tributa dari Cæsari: Messiam se vocitantem: Filium se Dei asserentem: & Iudææ Regē. O sycophantas! Vbi cætera, quæ docuit salutaria, quæ fecit miraculosa; quæ Iudæa omnis obstupuit, & Galilæa. An hic malefactor: qui si factorum dare testes vellet, sisterent se claudi, cæci hydropici, obsessi, mortui opem illius nō nisi diuinam experti. Testarentur omnes: *Nisi esset à Deo hic homo, non posset facere quicquam.* Attamen tria sunt allegata, quæ remp. attinent. Quod seditiosus: quod Seductor: quod Affectator regni. At docuit. *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari; quæ Dei, Deo.* Professus est: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Et pacem dedit, ac docuit. Similibus & Daniel *c.* 9. petebatur calumniis per Satrapas babylonios; At ex inuidia.

Accusatio nis capita.

Tria vera præcipua; & vana.

PARS XII.

De secreto examine Pilati in Iesum, confessio quæritur propria.

I. AT, quasi nihil audisset Pilatus; (erāt namque nihili:) quærit: *Quid fecisti?* q. d. ab istis quidem es insons; irrita istorum accusatio est: tute ipse te ni accusaris, alius poterit nemo. Dic, *Quid fecisti?* Quid? 1. Quod in Aegypto Ioseph: *Genes.* 41. adulterari noluit cum Putipharæa Synagoga. Sapientiam docuit Sapientes: in fame pauit esurientes, &c. 2. Fecit, quod Moyses, educit ex seruitute populū: ducit per mare rubrum. *Exod.* 14. &c. 3. *Fecit surdos audire, mutos loqui &c. Bene omnia fecit.* Hæc

cit. Hæc notoria clamant ipsa iam diu: idcirco, Pilate, silet Ipse.

Rex est Iesus. II. Et vero agnoscis. Ideo quod caput est, quæris: *Rex es tu?* 1. Ita cecinere Prophetæ: ita tres Magi publicauere: ita sentire, qui ab hinc quatriduo *Osanna* ipsi acclamauerunt. 2. Veruntamen *Regnum meum*, inquit, *non est de hoc mundo.* Licet, Psal. 2. *Ego constitutus sum Rex super montem sanctum eius*: Adeoq; *Rex Regum; & Dominus dominantium.* Neq; regnum eius de hoc mundo est, quod casibus pateat, & permutationibus obnoxium iaceat. Nã Luc. 1. *Regni eius non erit finis:* Dan. 7. *Cuius regnum Regnum sempiternum, & omnes Reges seruient ei, & obedient.*

Et Rex Regum. Romana vis & aquila nunquam Indum, Calpen, Taurum montes attigit: Noruegiam, Suediam ignorauit: Sinum Persicum, Gãgem, Taprobanem, nemora Felicis Arabiæ non vidit: Iaponiam, Peru, Brasiliam, Chinas, Malacam, &c. orbem Antipodum nec affectare sciuit. Atqui omnia ista, aliaque regna Iesus regnat, *Rex Regum.* Neq; tamen *regnum eius est de hoc mundo.* Adeo ad cœleste omnia vilescunt vnum. Atq; hæc est veritas.

Veritas ex ore Dynastæ. III. Quæris, *Quid est veritas?* Quæris: simul abis: nil audis. O rem deplorandam! Potentes rerum adeo fastidire *Verum.* Vere Comicus: *Obsequium amicos, veritas odium parit.* Dixit *Vox clamantis in deserto* Verum; & illi caput spiculator abstulit. Michæas quoque 3. *Reg.* 22. ab Achabo colaphum tulit. Ieremias nexus in carcere luit; quia Verum edixit. Pilate Iudex à vero abhorrebas: ideo & officii dignitate demum exutus es, quod personam iudex acciperes. Teste Baronio. Profiteris tamen: *Ego non inuenio culpam in hoc homine.* At ego sum, qui feci, Pilate: culpa in me & multa, & magna, &c.

Innocentiæ sententia.

Herodiana illusio Iesu. IV. Hoc vero disrupit corda maleuolorum. Ab eo autem expedire se Pilatus studet: auditaq; Galilæa transmittit Iesum ad Herodem. Hic percunctatus multa; signum expectabat. Frustratus hoc, nec responsum abstulit à Iesu. Itaq; silentem aspernatur, & amandat vt fatuum: irrisuique vestitu ipso propinat. Velut Elisæus. 4 *Regum* 2. init vrbem Bethel, pueris ludibrio fit; sed mox aduersus deuoratis. Ita Ps. 21. *Omnes videntes me deriserũt me.*

PARS XIII.

De gestis reliquis apud Pilatum.

Altera innocentiæ sententia. I. VIso Pilatus Iesu, contendit eum dimittit: at surdis canit. Repetit innocentiæ sententiam: confirmat autoritate Herodis eandem: alterutrum proponit, de more, dimittendum; Barrabam insignem nequam, aut innocentem Iesum.

Barrabæ postulatio. Conclamatur: *Tolle hunc, & dimitte nobis Barrabam.* O permutationem! At ingens subest mysterium. Ab initio lapsus humani clamor hic auditus est: *Mitte, quẽ missurus es, & tolle hunc, & dimitte* genus humanum. Ita ab æterno iurgata est Iustitia, & Misericordia naturæ humanæ patrona: quæ sibi dimitti postulat Barrabam. *Tolle, Crucifige.* O quam dissonũ hoc ab illo nupero. *Osanna: Benedictus qui,* &c.

Flagellatio Iesu. II. Pilatus Iesum dat flagellandum. 1. Hic vero exhorrescas ad raptationem, versationem, volutationem, tensionem, denudationem, adalligationem, diffagellationem, cruentationemque immanem Domini silentis, sinentis omnia, patientis, deficientis, corruentis, in cruore suo volutati; calcibus, pugnis, sputis, fustibus, stimulis, blasphemiis diuexati, discrutiati. Hæc talia animo respecta; peccare cui est volupe, &c. 2. Vide, quod, Isa. 1. *à planta pedis vsque ad verticem non est in eo sanitas.* Psa. 128. *Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores.*

Coronatio. III. Ecce noua, quæ adinuenit feritas: dilaceratum purpura induunt, spinea co-

ronant: in manus arundinem tradunt: illudunt. *Aue Rex Iudæorum.* 1. Scilicet hic aries est, *Gen.* 21. cornibus inter vepreta hęrens, mactandi vicarius Isaaci: Nostri Iesus, spinis coronatus. Quæ hic mens (nam lingua nequit) complectatur opprobria velut Regi facta? 2. *At vos egredimini filiæ Sion, & videte Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua in die desponsationis suæ.* Videte filiæ fastuosæ, delicioſæ, voluptuosæ, &c. & cum ex vobis de Iesu; tum ex Iesu de vobis æstimate.

Ecce homo. IV. *Ecce homo* 1. Tales intus vos in anima. Non plangetis vosipsos? Nō execrabimini vestram vanitātem? O peccator *qui dretribues Domino pro omnibus, quæ retribuit tibi?* Ecce Pater, Vadem nostrum, Agnum tuum, omnium sæculorum pretium infinitum: cuius vel guttula omne peccatorum obolet debitum. *Ecce homo,* & Saluator; & Tu quoq; seruate, ac saluande.

Sæuitia Iudæorum. 2. *Ecce homo* tuus ô Virgo: agnoscisne tuum? Fuit is alias *speciosus*; at nunc est etiā *pretiosus forma præ filiis hominum,* Psalm. 44.

3 *Ecce homo*: Nequedum tamen Iudæorum exsatiantur animi. Rex Syriæ Benedad, 3. *Reg.* 28. victus ab Achab, misit ad hunc purpuratos suos; sed cilicio indutos, & consperſos cinere; vt rogarēt pacem. Quib. vel visis Achab iram posuit; pacem dedit: stabiliuit amicitiam. At Iudæi potius viso Iesu efferascūt: Iesum ad necem, ad crucem instantius deposcunt.

Peruincit. *Si hunc dimittis nō eris amicus Cæsaris.* Vicit vox ista, & euicit. Laua manus millies Pilate; clames, proclames: *Innocēs ego sum,* &c. attamen *adiudicas fieri petitionem ipsorum,* & quo esse quæris amicus Cæsaris, inimicus redderis & cœlo terræque iniquus. Impletum Ps. 39. *Captabunt in animam iusti, & sanguinem innocentem condemnabunt.* Iamq; ducitur, *vt crucifigatur.*

DE GESTIS IN CALuaria.

PARS XIV.

De Iesu baiulante Crucem: & Cruce baiulante Iesum.

Instabilitas mundi. LOInstabiles hominum animos, rerumque vices! Ab hinc quatriduo fausſtis cum acclamationibus in vrbem inuehebatur: iam funestis cum execrationibus educitur in Caluariæ, tetrum suppliciorum locum, ab reorum caluariis sic dictum, vt Hieronymo placet: vbi Adamum primum hominē tumulatum fuisse consentiunt S. Patres, Cyp. Orig. Epiph. Athan. Ambr. &c.

Exempla. 1. Euenit, quod Demetrio Phalareo, *ait Plut. in Apoph.* cui Athenienses viuo statuas erexerunt trecentas: ac viuo etiā deiecerunt. 2. Quod Danieli, post Regem Persarum primo supra 120. prouincias ac Satrapas; breui post in lacum leonum missō: Sed & rursum educto gloriosiore.

Baiulatio Crucis. Figura. II. Ibat *baiulans Crucem.* 1. Vt Isaias 22. prædixerat. *Dabo clauem Dauid super humerum eius.* 2. Vt Isaac, *Gen.* 22. fascem ligno-rum in Sacrificium ipse in montem baiulabat, patre gladium (iustitiæ:) ignem (charitatis ac Zeli) præferente.

Plausus. Qui efferatos Iudæorum animos, ac talium iam diu percupidos: qui extimulatos à Satanis: qui fatis actos vel cum animo poterit æstimare: is nequedum sat eloqui valebit qualia in accursu; excursuque varii varia mœsta, læta, blasphemaq; miscuerint. Planctus; plaususque simul confuso sonuere murmure equorum inter fremitus, strepitusq; armorū, virorum, omnisq; sexus. Quibus remistæ & mulieres ibant piæ.

Explicatio. Plangentibus occlamat sub onere Iesus: *Filiæ Ierusalem, nolite flere,* &c. 1. Vt Socrates addictus cicutæ hauriendæ ad Xan-

Xantippen plorantem aiebat: *Quid? mene insontem mori ploras? an velis sontem? Gloria & ista tua est: Viri te vxorem fuisse, qui iniusta morte plectitur.* 2. Vt lachrymantem amicum Rex Lacedæm. Agides affatus est: *Desine me flere, quia tam scelerate & iniuste morti addictus sum: melior sum, quam qui me necauit, conditione.*

Angariauerunt tamen *Simonem Cyren.* ne in via emoreretur: Factum dicti exemplum: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.*

Crucifixio. *III.* Iamq; in Golgatha constiterant: cum eum exuunt, stratum in cruce extẽdũt; affigunt Psalmo. *Foderunt manus meas & pedes meos: dinumerauerunt omnia ossa mea.* Cicero in Verrem, quod P. Gauium crucifixisset, ista. *Facinus, vincire ciuem Romanum, scelus, verberare, prope parricidium necare, quid dicam in crucem tollere, teterrimum crudelissimumq; supplicium.*

Figura. Age anima, contemplare hic æneum serpentem in deserto erectum, saluti læsorum ab ignitis serpentibus *Num.* 21. 2. En filios Resphæ, 2. *Reg.* 21. Saulis concubinæ; ab Gabaonitis crucifixos. 3. En Absolomum, 2. *Reg.* 18. diuinæ iustitiæ rebellem, suæ humanitatis crinibus ex arbore pendentem, ac transfixum. 4. En Sponsum *Cant.* 3. in lectulo desiderato reclinatum. 5. En Dauidem, *Psalm.* 6. lacrymis suis stratum suum rigantem.

A trepe anima, etsi spectaculi indigna peccatrix: & age quidlibet: tibi huc expositus hæret. Vt egeris; sic recipies. Vin' maledicere, amplius crucifigere. & ipsa malediceris, &c. Vin' compati: & conregnabis. *Nam regnat à ligno Deus, &c.*

Latrones inter medius est. *IV. Inter latrones* vero medius astat. Et hic te in ipso cognosce; tu latro tui ipsius; & sæpe aliorum, quos ad peccandum inducis. *Si videbas furem, currebas cum eo: & portionem tuam cum adulteris ponebas.* Medius in Trinitate: in cœlis agnus medius; vt sol in orbe: in Thabor Eliam inter ac Moysem; hosq; inter & Apostolos medius, &c. iam *inter latrones.* Vt volueris, adora, plora, cõpatere; corrige, lauda, plaude: hic vnum sunt omnia. Ecce illum, qui: *Luc.* 10. in latrones incidit. *Age,* quod agis: adiuua, quantum poteste & ipsum. Vide saucium, seminecem, &c. *miserere* vel *animæ tuæ.* Vos aũt fœlices latrones, vestra si bona nostis! ô pretium, quale vobis sceleratissimis est proximũ? Phocion, Dux *Athen.* innoxius flebat nexus: capitalis idem criminis reum, plorantem suam sortem ita solabatur: *Non tibi satis est, Tudippe, cum Phocione mori?* q. d. mea & morientis innocentia: & mortis gloria, tuâ sontis consolari debent, sic vt gloriari queas, te glorioſius mori nunquam potuisse. Ita Ioseph, *Gen.* 41. concaptiuis suis erat solatio, & auxilio. Designatis quoq; Iudæam, Ethnicamq; gentem, olim ad Iesum accessuras, & ab eo salutem percepturas: nisi Iudæa se desperarit ipsam, obstinata.

Latronum felicitas, si velint.

PARS XV.

De gestis reliquis dictisq; ad Crucem.

I. ERat autem titulus: I. N. R. I. &c. vt se Pilatus insontem; Iesum vero læsæ maiestatis reum declararet. Inique: Falleris, ac fallis: vtrumq; scies: at haud impune. Porro irrisus, blasphemias, &c. quis cõmemoret? *Vah, qui destruis. Saluate. Descende, si. &c. Alios saluos, &c. Si rex Isr. descendat.* Ps. 25. *Omnes videntes me deriserunt me, locuti sunt labiis, & mouerunt caput.* Absit, te descendisse. 1. Nec enim liberationẽ nostri consummassẽs. Quia expediebat vnum mori. 2. Nec in cruce perseuerandi exemplũ habuissemus. 3. Adhæc similiter ad nos clamat mundus, caro, dæmon, *descende de cruce:* quid asperis te crucias? Ama delicias. 4 Quo meliore

Illusio crucifixi.

Est nostra salus & instructio.

spiritu plenior fuit illa S. Martini vox: *Non decet Christianum nisi in cruce, in cilicio, in cinere mori*: his enim gradibus ad Christum ascenditur.

Deprecatio Iesu.

II. Sed quid ad istas hostium gannitiones Iesus? *Pater ignosce illis: quia nesciũt quid faciunt.* O amor! Omnes vnũ oppugnant homines: dolorib. totus discruciabatur: nil tamen queritur: sed pro malefactoribus orat. Ipse notat, quanta perderent bona: malaq; incurrerent. *Errant* autem omnes, *qui operantur iniquitatem.* Ista omnia vidit, audiuit, sensit, pertulit Alma Virgo parens, cæteris cum mulierib. piis. Quis æstimet dolores animæ ipsius profundissimæ? 1. Quod si Tobiæ mater *cap.* 10. irremediabilibus lacrymis deflebat absentiam filii: quantis Ista sui tam diros inter cruciatus? 2. Audita sententia, 3. *Reg.* 3. de dissecando puello, verę matris commota sunt viscera: quid non Deiparæ? 3. Agar ancilla, *Gen.* 12. acerbe plorabat infantis Ismaelis instantem interitum; vt diceret *non videbo morientem puerum.* Quis Mariæ fuisse animus putandus est?

Compassio Mariæ.

Mors Iesu.

III. Tres adeo iam horas in cruce pependerat Iesus, cum ecce *tenebræ factæ sunt super vniuersam terram*, felle & aceto potatur; exclamat: *Pater in manus tuas commẽdo spiritum meum. Et inclinato capite emisit Spiritum.* O triste funus? Dei filius mortuus est. 1. *Quomodo cecidisti potens in prælio, qui saluum faciebas populum Dei?* plangebat Iudæa cæso Iuda: 1. *Mach.* 9. 2. Et quis non plangat: cum natura lugeat tanta quanta? Sed nostra deplangamus crimina, crucique suffigamus.

Apostrophe ad Crucem adorandã.

O Crux aue spes vnica!

Tu nostra absorbes scelera; ceu Moysis virga serpentina serpẽtes cæteros. *Exo.* 7. Tu lignum Moysis es, *Exo.* 15. 9. amaras tribulationum aquas dulces efficis. Tu thronus Salomonis, 3. *Re.* 10. leonibus suffultus. Tu Tabernaculum fœderis, Cherubicis coopertum alis. Tu ardens rubus in deserto *Exod.* 3. Tu clauis Dauid, 1. *Reg.* 17. quæ cœlum reseras, infernum obseras. Tu Virga Iacob peregrinantis. Pedum pastorale Goliathos sternens. Tu Scala Iacob, via angelorum. Te horrent dæmones, honorant Angeli, adorant homines: Deus ad salutem omnium exaltat.

FINIS.

NOVIS-

NOVISSIMORVM

MEMORIALE COPPENSTEINIVM EX CONCEPTIBVS BESSEANIS ENVCLEATIS CONGINNATVM.

ADVENTVALE OPVS.

AVTORE

R. P. F. IOAN. ANDREA COPPENSTEINIO
Mandalen. Ordin. Prædicatorum
Theologo.

SYLLABVS MATERIARVM AC CONCIONVM DE QVATUOR nouissimis.

DE MORTE.

Per hebdomadem primam Aduentus.

CONCIO I. Mortis memoria vim magnam habet, 2. nec minor ipsius memorandæ necessitas. 3. prout priscorum Instituta produnt. 4. Ipsaque probat vtilitas siue ad peccata abolenda, 5. siue ad contemtum mundi, 6. siue ad alia complura talia.

CONCIO II. Mortis terribilitas, 2. Natura, 3. qualitas, 4. ac vis, 5. non est à Conditore Deo.

CONCIO III. Peccatum est causa mortis, 2. perditæque innocentiæ, 3. in homine alioquin inexterminabili, 4. Deoque simili, 5. sed, heu, lapso.

CONCIO IV. Inde mortalitas ad omnes transiit, 2. & mortalitatis necessitas, 3. & necessitatis robur inuictum, 4. mortisque statutum, 5. De Enoch & Elia est quæstio.

CONCIO V. Interea multos mors occupat incautos, 2. simul incertos horæ. 3. Proinde vigila, 4. teque prepara. 5. Nam admissa hic negligentia est exinde incorrigibilis.

CONCIO VI. Adiuncta mortis sunt per se horrifica, 2. tum etiam ob dolores corporis, 3. ob exempla metuenda. 4. ob Dæmonum tentationes, 5. ac violentiam.

CONCIO VII. Metuere mortem ignaui est. 2. Nil metue. 3. Est ea namque benefica in nos. 4. est ipsa bonum,

num, 5. Vt de ea sibi quisque gratulari habeat.

DE IVDICIO.

Per hebdomadem secundam aduentus.

CONCIO I. Iudicij memoria semper inculcata fuit; 2. adeo necessaria est, 3. mundo licet illi multum obstrepente, 4. At eius Vtilitatem experiare.

CONCIO II. Horrenda illius erunt anteambula signa. 2. in sole, cœlorumque Virtutibus, 3. in creaturis. 4. in Luna. 5. ac stellis.

CONCIO III. Iudicialis Dei horror, heu, quantus? 2. Quam incerta? 3. Quam flammea? 4. Quam tempestuosa? 5. Ideoque nomina eius quam dira?

CONCIO IV. Iudice vero quid terribilius? 2. At quis? 3. Qui Assessores eius? 4. Quæ seueritas? 5. Quis comitatus? 6. Vox quam horrifica?

CONCIO V. Ergo præterita, futuraque memorare. 2. Simul personas aspice iudicij. 3. rigorem examinis. 4. apertos libros. 5. Iudicis iustitiam, 6. peccataque denudanda:

CONCIO VI. Væ ab gladio Iudicis! 2. Comparere tamen, ac separari omnes necesse est. 3. At prius resurgemus. 4. licet oppido dispares. 5. In loco iudicij. 6. Non baptizati infantes quoque comparebunt.

CONCIO VII. Sententia vero terrifica erit. 2. non quidem Iustis. 3. sed reprobis.

DE INFERNO.

Per hebdomadem tertiam aduentus.

CONCIO I. Pœnæ timor in laude est. 2. quin necessaria inferni quoque memoria. 3. eademque perutilis.

CONCIO II. Inspice diuersa animarum receptacula. 2. comprimis infernum. 3. eiusque locum imum.

CONCIO III. Pœnas expende ab irato Deo infligendas. 2. easque varias. 3. Duas tamen præcipue. 4. Sed omnes pro delictorum qualitate.

CONCIO IV. Esse pœnas postulat necessitas: 2. & quidem pœnam sensus, 3. igne in animas sæuiente.

CONCIO V. Vt plane non esse præstet, quam sic esse. 2. præsertim & in pœna damni, 3. quæ omnium maxima est, 4. & multiplex.

CONCIO VI. Non igitur procrastinãda pœnitentia est. 2. Nã pœna manet tales æterna. 3. Nec iniuste. 4. Sed qui in pœnis corpus æternare potest?

CONCIO VII. Est igitur extrema sors damnatorum. 2. Nec fidelium eis proficere suffragia queunt. 3. Numerus quoque eorum est plurimus.

DE GLORIA COELESTI.

Per hebdomadem quartam Aduentus.

CONCIO I. Cœlestis gloria est admiranda. 2. nec vlli sat æstimanda. 3. Adumbrari tamen verbis poterit, 4. certe eius memoria est perutilis.

CONCIO II. Præstantia illius liquet per se. 2. tum vero ex epithetis cœli. 3. ex eiusdem altitudine, amplitudine, 4. pulcritudine, 5. motu ac nobilitate.

CONCIO III. Quo maior beatorum est fœlicitas. 2. beatior æternitas. 3. etsi gloriæ disparitas, 4. Aureola differentiam afferente.

CONCIO IV. Ad intellectum vero, an voluntatem referenda sit beatitudo, quæstionis est. 2. Sicut & hoc, quomodo fiat beatifica visio. 3. De gaudio autem constat, quod maximum sit. 4. deque scientia beatorum amplissima.

CONCIO V. Corpora etiam glorificabuntur. 2. Vbi perfectissima resurrexerint. 3. tunc & quatuor dotibus beabuntur.

CON-

CONCIO VI. Vilescunt terrena gustanti cœlestia. 2. Nam illa fluxa transeunt, 3. ac inaniis suis deludunt simul & inficiunt amores sui. Longe autem secus cœlestia. 4. ad quæ per aduersa est enitendum.

Hebdomada prima aduentus.

DE MORTE

Primo nouissimorum.

CONCIO PRIMA.

De memoria mortis.

Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.

Eccl. 7.

Thema hoc semel posuisse sat est. Namque idem per totum Opus ad singulas repetendum est conciones.

LEge Deus iusserat, *Num.* 19. victimarum cineres extra castra; in loco mũdo asseruari, viuaque aspergi aqua: quibus immundi quicunque conspersi expiabantur. Figura hæc cinerea fuligine delineata memoranda mortis imago est. Monet ea mortis cineres in anima asseruari: lacrymisque perspergi, ad peccatorum expiationem. Victimæ autem, è quibus cineres colligemus, sunt Mors, Iudicium, Infernus, & cœlestis Gloria. De quibus quatuor singulis Conceptus in quater septenas Conciones vna minus, suggeremus.

In præsens vero

I. *De memoriæ mortis effectibus nonnullis.*

II. *Memorandæ mortis necessitas è sacris potissimum astruitur.*

III. *Instituta Priscorum ad mortis apta memoriam.*

IV. *De vtilitate eiusdem quoad peccata.*

V. *Ad contemtum mundi.*

VI. *Itemque ad alia complura.*

PARS I.

De mortis memoriæ effectibus nonnullis.

I. SImonides Philosophus, *Plut. teste in Consolat. ad Apollon.* pascenti ab se Pausania, Rege Lacedæmoniorum, sibi è Philosophia mnimosynon promeret, è quo melior euadere posset: aiebat: *Hominem te, & mortalem memineris.* Nouerat is Regis fastum ac animos: & huc nullum efficacius illo antidotum. 2. Solon Athen. ad elatos Græcorum spiritus retũdendos, templi Delphici valuis inscripsit illud: *Nosce teipsum*, quis, vnde, quo tendas. Nam viuendo morieris; moriendoque viuis. *Mortis memoriæ.* 1. *Vitam regit.* 2. *Fastum ponit.*

3. Hæc prima à primo Magistro Deo discipulo primo Adæ lectio facta est. Gẽ. 2. *Quocumque die comederis, morte morieris.* Comedit: & audiit: cap. 3. *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Hunc stimulum tradidit Parcæ, depellendis nobis à peccato: Hoc speculum addidit nobis opponendum, intuitu ipso humiliandis: Hoc alphabetum dedit, quod ab infantia, nobis ingenitum condisceremus. 3. *Magistra est hominis.*

II. Neque priscis aliud fuit efficacius vel ad vitia defugienda, vel ad persequẽdum honestum; quam è mortis schola repetita disciplina. 1. Hac vsus Macedonum Rex Philippus, ne victoria ab Athenienſibus ablata insolesceret, negotium dedit puero, qui indies mane ipsum salutaret mortalem: *Rex, homo es: viue memor lethi.* Teste Aelia. l. 8. var. c. 15. 4. *Coercet insolescẽtiã ex prosperis.* 5. *Consulit sapienter.*

2. Hinc illud Zenonis Philosophi: *Viuentibus tantum fidant Reges: vt & mortuos tamen quotidie in consilium adhibeant.* Horũ vox est Eccl. 38. *Memor esto iudicij mei: sic erit & tuum.*

6. Admonet futuri prouidenter.

1. Prodit *Plut. in Conuiu. 7. Sap.* Ptolomæum, Aegypti Regem, (famosæ structorem bibliothecæ, in qua & cum mortuis quotidie confabularetur:) assidue caluariam pone se, vel in mediis etiam epulis habuisse, ne qua mortis vnquam excideret memoria: id est: ipsa sapientia. Quin & ministri id esse voluit, qui identidem occineret. *Rex, inspice: Talis eris.* O sic viuite, ac bibite. 2. Magni Tartarorum Cham, solium ad inaugurationem conscendentis oratio prima est de mortalitate sua, de humo parente, de cœlo patria; deq; tumulo. 3. Imperatores Constantinopolitanos die regni auspicari plures ex ritu adibant marmorarij, diuersa monstrantes marmora, percunctãtes, ex quo genere sibi mausolęum iubeat apparari, ita *Leont. Episc. Constantinop. in Vitis Patrum.* 4. Consulebat Delphicum oraculum Zeno, vt refert *Laert. lib. 7.* quo vno potissimum vteretur ad vitam rectissime instituendam: datumq; ab Apol. responsum: *Mortuos consule*, quasi dicat. Non, quid ij dicant exspecta; sed quod ipse visis iis cogites: hoc, teq; ipsum audi. Profana hæc; at sana: Sacra accipe.

Arcet vanam gloriam.

III. Basilij institutum erat: quoties episcopali cultu prodibat in pompam; neu qua gloriolæ titillatio subiret animum; à certo ad aurem sibi mordicus dici: *Pater, sepulchrum perfici iube.* 2. S. Ioannes Eleemosynarius, Episcopus Alexandrinus effectus, sepulchrum sibi struere cœpit; imperfectumq; relinqui: vt, quo moneretur, haberet. 3. Seuerus etiam Imperator quod sibi appararat, ei se viuum sæpius includebat monumento, mortis commentator. Quin & subinde loculum amplexans exosculabatur: *Tu es*, aiebat, *qui capies, quem vix orbis capit.* Sic Dion, & Xiphil. in vita eiusdem. Eiusdem Sapientiæ Salomonæ æ testis vox ista: *Memorare nouissima, &c.*

PARS II.

Memorandæ mortis necessitas è sacris potissimum astruitur.

Est necessaria.

I. MEmoria hæc adeo ad salutem hominis necessaria est; 1. vt *Ioan. Climacus* eam basin vitæ spiritalis appellet: 2. Plato sublimem Philosophiam. Hanc autem cum ad beatum Reip. statum moderandum esse necessariam doceat idem; quanto magis ad vitam recte moderandam? 3. Quid, quod Physici consentiant, in re omni Finem esse primum in intentione oportere, in executione postremum? At *mors vltima linea rerum est*, finisque supremus: primum igitur ob oculos mentis omnium obuersari eam necesse est.

1. Ob fundamentũ.
2. Ob sapientiam.
3. Ob finem vitæ.

4. Ob cursum vitæ.

4. Vt enim nauarchus, per vndas recturus nauim, non proram occupat; sed in puppi ad clauum adsidet: ita per vitæ fretum velificator non tam natalium cogitet imagines, flatumq; fortunæ; quam notitiæ sui, mortisque clauum mente, teneat stans in specula Nouissimorum.

5. Ob institutum Dei.

II. Et vero ad hoc ab Conditore Deo peccator homo fuit instructus. Nam Gẽ. 3. *Fecit Deus Adæ, & vxori eius tunicas pelliceas*: vt animo voluerent, quod habitu præferrent: ferrent in mente, quod in oculis. 2. Huc illa sanctio spectat, Num. 4. *Altare mundabunt cinere, & cuncta vasa altaris operient simul velamine hiacynthinarum pellium.* Ara cor est; & hoc mortis recordatione decinerandum: vasa aræ sunt facultates animæ; & hæ exuuiis cœmiteriorum operiendæ.

Figura.
6 Ob nostri emundationem.

7. Ob nostri seruationem.

3. Id ni fiat; væ! Nam, Ezech. 8. *Percutite senes & iuuenes: eos vero, qui super frontem habent signum Tau, non interficietis.* Est Tau vltima litera alphabethi hebraici: & signum vitæ. Et mortis memoria signum vitæ est; at mortis nota est obliuio mortis. 4. Hinc Elias, 4. *Regum* 1. & Baptista,

Matth.

Matth. 3. quod zona pellicea cincti legantur, est; quod in mortis ipsa memoria viuerent. Nimirum

Ipse iubet mortis te meminisse Deus.

8. Ad pœnitentiam. 9. Ad parandã sanctimoniam. Exempla Sacra.

III. Meminisse studuerunt, quotquot vnquam partem vllam sanctitatis attigerunt. 1. Iob. 30. *Scio quia morti trades me: vbi constituta est domus omni viuenti*: 2. Idem & Iudæos scire volebat Rex Iosias; 4. *Reg.* 23. quando lucos succendit, comminuit idola; perque delubra sparsit ossa mortuorum: Vt horum spectaculo; per mortis memoriam accenderet de idololatria pœnitentiam. Et tu animæ peccata animæ idola euerte, succende peccandi, vitiorumq; habitus: ac insere mortis recordationem. 3. Iosephi vltima voluntas erat, *Gen.* 50. vt ossa sua Israelitæ secum efferrent, cum exirent olim ex Aegypto: vt ne mortui, mortisque vnquam exuerent memoriam.

4. Esdræ *lib.* 4. *cap.* 4. Scribæ Angelus ait, *Mensura mihi flatum venti*. id est, vitam hominis considera. Et hunc tu ventum pasces deliciis? bysso, gemmisq; vesties? Quid inflas inflate flatum? Nec ventus es; sed vixdum *flatus venti. Ergo Memorare nouissima.*

PARS III.

Instituta priscorum ad mortis apta memoriam.

1. Turcicũ.

I. TOrlaques Turrici (genus religiosorum sunt præcipuum:) vitam agunt asperam in vltima paupertate mendicato. His solenne, bina circumferre specula, passimque obuiis præbere inspectanda, ac monere lethi; vt mortales mortalia cogitent.

2. Laconicum.

2. Ea causa Lycurgus Laced. legislator, ait *Plut. in Lycu.* iuxta aras ac delubra Deorum sanciuit mortuos sepeliri: Nimirum, vt Diis supplicaturi mortis meminissent. Quin intra ipsos lares domesticos Persæ mortuos tumulabant eadem ex causa *Cicer.* 1. *Tusc. Herod. li.* 1. Credebant mortuos, quam viuos, meliores vitæ magistros esse. 3. Sane summa olim sapientia, seu Philosophia erat, mortis meditatio. Ideo Democritus Philosophus, tradit Laertius, omissis vrbibus ac cœtibus, inter bustuaria sueuerat inambulare.

3. Philosophicum

4. Autor est Iacobus Edessenus scriptor Syrus, S. Ephræm magister, teste *Masio in cap. vltim. Iosuæ*, Adami ossa Noachum apud se in arca recondita habuisse; cumque orbe inter liberos tripartito diuisisse, ac Sem, cæteris sanctiori, caluariam cum Palæstina tradidisse. Voluit cũ genere humano mortis superuiuere memoriam. Huius ei cura in arcam inferenda fuit; non auri aut gemmarum. 5. Pariter Moyses egit. In exitu Israel de Aegypto, *Exo.* 13. (Procopij Gazęi fol. 157. verbis vtor:) *Hebræi, quia carnalia sectabantur, iussi sunt mutuo accipere vasa aurea & argentea*: at vero *Moyses elegit viri iusti ossa: quæ præfert immensis Aegyptiorum thesauris.* 6. Ortelius Cosmographus in orbis theatro suo prodit esse gentem quæ in nummorum vicem ossibus mortuorum vtatur in rerum contractibus: & ex iis thesauros constare. Vere aureos pretio; quia indicio, ac effectu. Nam *vbi thesaurus, ibi & cor.* Matth. 6.

4. Noachanum.

5. Mosaicum.

6. Gentilitium.

II. Neque ab Magorum thesauris, *Mat.* 2. mortis abfuit memoria myrrha. Adeo pectoris est heroici, spiritusque diuinioris memorari mortem.

7. Christianum.

2. Quid? Nec suam Transfigurationis gloriam sat esse perfectam ducebat Dominus, nisi ruptis sepulchris mortuos Eliam ac Moysen euocasset præsentes ac testes qua gloriæ, qua mortis ipsi imminentis. Gloriæ decus præcipuum obest cui mortis symbolum deest.

3. Vnde vix vlla priſcis feſtiua ſeu triumphalis pompa ducebatur; quin nota mortis inſignis interluceret.

Obliuio mortis deploranda.

Age ergo, ô homo: te reſpice, tumulumque tibi ſtatue; cum hoc, & tecum ſermocinare: reperies cor, caput, robur, formam, &c. morti eſſe debita. 1. Diuina Ieremiæ deploratio eſt, Thren. 8. *Sordes eius*, Solymæ, *in pedibus eius, nec recordata eſt finis ſui.*

2. Similis Iſaiæ cap. 47. *Et dixiſti*, Babylon; *Inſempiternum ero Domina. Non poſuiſti hæc ſuper cor tuum, nec recordata es Nouiſſimi tui.* Hic typus infelicis animæ eſt.

Abominãdaque eſt.

3. Abominationem vidit Ezechiel. cap. 8. ſenes terga templo dantes, naribuſque floſculos admouentes: Id eſt: & cultus Dei, quia mortis immemores reſpectare ad orientem magis, quam occidentem; ac vitæ ſpes longas inchoare decapulares ſenes & adinſtar iuuenum Iaſciuire ſilicernia. O quot ab occidẽte ſe ad orientem vertunt: ideo ſimul & à Templo, rebuſque diuinis auertũt: ſimul ſe perditum eunt, gaudentque præſentibus in diem abdomini viuentes, corollis redimiti. Quid, Senecio, te coruum fingis viuacem? Scit te Proſerpina canum: *memorare nouiſſima: diſpone domui tuæ.*

Tecum habita, ac noris, quam ſit tibi curta ſupellex vitæ. Hoc neceſſe, quod fatale eſt, ducito.

PARS IV.

De fatalis neceſſitatis memoranda vtilitate quoad peccata.

1. Ad cauẽda peccata. Teſtimonia.

I. SEd neceſſitati par & vtilitas eſt illius memoriæ. Quæ fatale gerit nulli euitabile telum.

1. Nam peccato aditum præcludit. 1. Auguſt. lib. exhort. *Nil ſic reuocat à peccato, quam frequens mortis meditatio.* 2. Rationem aſſignat S. Hieron. Epiſt. ad Cyprianum. *Qui enim quotidie recordatur ſe eſſe moriturum, contemnit præſentia, & feſtinat ad futura.* 3. Ad Heliodorum vero idem iſta. *Nil aque tibi proficit ad temperantiam omnium rerum, quam frequens cogitatio breuis ætui, & huius incerti. Quicquid facis: reſpice mortem.* Deſumſit hæc ex Senecæ epiſt. 25. ad Lucilium. Peccatorum, mortiſque mors eſt meditatio mortis.

Simile.

Ab Scorpionibus icti vnguento ex iiſdem confecto peruncti ſeruantur à nece, ac reſanantur. Ita colubri morſus in anima, mortis cogitatione delibutus redditur innoxius.

Figura.

An non Iſraelitæ, *Num* 21. ab ignitis in deſerto icti ſerpentibus, in erectum ſerpentem æneum reſpicientes ſoſpitabantur? Eia ſtet in mente ſurrecta mortis vipera, fitq; in oculis; & erit vitæ vita ſaluſque morſ ipſa.

2. Ad depellenda peccata.

II. Magna iſta: at hæc maiora. Illa memoria mente cæcos reluminat, reſtituit claudos, adeoque mortuos ad vitam reparat; quibus quæ mira plus miracula?

Cæcitatis.

1. Dominus, *Ioann.* 9. cæco nato redditurus lucem, non chelidoniam hirundinibus, non dictamnum ceruis ſauciis ſalutarem, non aliud collyrium admouit, quam lutum ex ſputamento Seruatoris. Tanta vis luti mortalis eſt, quod mente pertractatum menti reddit & cæcæ lumen, & dementi ſanitatem, & talpas efficit lynceos.

Inſanæ vitanitatis.

2. Medici imminutis cerebro ex morbo, cœli mutationem ſuadent, ac natale ſolum: Sic & animarum Archiatri vertigine typhonica ambitionis, luxus, auaritiæ, Veneriſque amoribus à ſtatu mentis amotos ſuum ſpectare ſolum natale iubent, & ſe meminiſſe mortales. O ſalubrem totius cœli mutationem! Tales vel ex infero polo Antarctico ad ſuperum contingit Arcticum transferri.

Omniquæ immunditia.

3. Naaman Syrus Satrapa, permundatus à lepra, conſeruatiuum aliud anti-

phar-

pharmacum ab Elisæo non petiit, quam, 4. Regum 5. *Obsecro*, ait, *concede mihi seruo tuo, vt tollam onus duorum burdonum de terra. Non enim faciet vltra seruus tuus holocaustum, aut victimam Diis alienis, nisi Domino.* Peccata an non idola sunt? Ea ne recolas: terram recole tuam, & huiusce mentem burdonibus onera.

PARS V.

Vtilis ad contemtum mundi est mortis meditatio.

1. Ad tentationes mũdi componas.

I. ET vero fastidium tibi ingenerabit mundi: teste Bernard. in speculo Monach. *Monachus*, inquit, *tædio affectus cõponat se meditando supra petram, in qua lauãtur mortui; & cogitet apud se, quomodo tractentur ibi sepeliendi, vt nutet caput, cadant brachia, &c. vorentur à vermibus, & quasi saccus putrefactus consumantur. Summa est Philosophia, meditatio mortis assidua.*

2. Ad voluptates aspernandas.

1. Apostolus vt salacissimis Corinthiis medicinam faceret: (nam, *Strabone teste*, in Veneris fano plures quam mille meretriculas Deæ verticordæ sacras alebant:) quid ageret? Ita præcipit: 1. Cor. 7. *Hoc dico fratres, Tempus breue est. Reliquum est, vt, qui habent vxores, tanquam non habentes sint, &c. & qui vtuntur mundo, tanquam non vtantur: præterit enim figura mundi huius.* Ecce petitur à morte medela libidinis. Ita Bartholomæus Tegius hunc locum intelligit. 2. Idem picto cranio hanc addebat epigraphen: *Hoc cogitanti vilescunt omnia.* Allusitque S. Gregorius lib. 16. Moralium. *Facile contemnit omnia, qui se semper cogitat esse moriturum.* 3. Bene priscorum quidam *mortem*, aiebat, *deliciarũ esse temperamentum.*

Ecquæ tanta voluptas iam moriturum teneret? Ecce capitis reis, supplicioque debitis quis pallor ore, quis angor animo sedet? quæ mentem obliuio mundi, cupediarum, opum, &c. occupat? Mors mera & vna in oculis, in pectore: Et ecce nos ducimur addicti: nec, nisi punctũ, vita est: & vincula, caro nostra.

3. Ad honores vilipendendos.

II. Referunt *Fulgosus libr. 2. & Platina in Clement. III.* Saladinum mandasse suum mortui indusium in pertica ostentui circumferri, proque clamari: Hoc Orientis terror, domitor Asiæ, tot ex victoriis vnum secum auferet Saladinus, Parumne efficax hoc ad contemtum mundi excitandum?

2. Fulmen illud belli Alexander Magnus victoriis orbem ac tropæis impleuit, 1. Machab. 1. *obtinuit omnium munitiones, & interfecit Reges terræ, & siluit terra in conspectu eius, post hæc decidit in lectum, & cognouit quia moreretur, & diuisit regnum suum, cum adhuc viueret.* Quid gloriæ tam studioso, quam qui maxime, gloriæ contemtum attulit? Mortis memoria cedere eum vltro omnibus coegit. 3. Traditur ingenium esse hirudinum; si pertinacius inhærescant corpori ad exugendum sanguinem, vt auelli nequeant, & caput eis cinere perfricetur; mox vltro decidere. Qui Hirudines noxium voluptatum &c. cruorem è mundi corpore auidius sugitis, vt abstrahi nequeatis: mortis cineres cogitationibus inspergite: & surgendi cadet orexis.

4. Ad auaritiam exuendam.

6. Salit oculus, gestitque animus lætitia vana? Cinerem prospice tuum; mox fistula triste canet, ac dices: Psalm. 136. *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* In Chaldæa captiui degebant id dicentes: nos vero in terra miseri ab cœlo exules; & *quomodo cantabimus.*

PARS VI.

Ad plura alia conducit eadem.

1. Ad technas mundi detegendas.

I. NVllum hic verum gaudium; nisi quod à Deo vero bono: cætera sunt gaudia ficta, fraudisq; plena. 1. Hoc qui discas? Daniel, *cap.* 14. sacrificulorum

detecturus impostura, Beli fanum cribraus obserebat cineribus; iam suis ipsi vestigiis sese prodebant. Cineres cogita, animoque cribra: iam mundi fucata prodent se gaudia, & inania studia.

2. Admedendum animi morbis.

2. Lactantius sit auctor, Viperæ morsus lethales applicatis cineribus viperinis reddi innoxios. Quod animarum sunt viperæ? Tot, quot vitia, affectusque praui. Cinis sanat omnia mortis. B. Albertus Magnus, *lib. de Vegetabilibus* tradit, corruum nunquam reuisere ad nidum, si cineres aut contriti vitri pulueres in eo semel conspexerit. Ita nec dæmones eam in animam redeunt, quam mortis oblitã puluere conspiciunt. Et vere Augustinus in sermone. *Nonne fragiliores sumus, quam si vitrei essemus? Vitrum enim etsi fragile est; tamen seruatum diu durat.* Homo nec seruari quidem potest. At quãto minor huius vis est, tanto ipsius cinerum vis maior; vt dæmones quoque dispellat.

4. Ad subigendum dæm. mundũ, carnem.

II. Dauide, victore Goliathi & Saulis, fortior est cinerum commentator: fortiora, sæuioraque vincit, mundum, dæmon, carnem, peccatum. Ergo vti Iob, c. 2. saniem testa abradebat: ita, ait Sanctus Gregor. nos per cognitæ Naturæ nostræ testam delictorum putorem ac virus detergamus. *Ammianus lib.* 13. refert, veneni genus esse, dictum oleum incendiarium, quod tactu membrum sic incendit, vt nec vi, nec arte restingui queat, imo affusis aquis gliscat flagrantius: sola terra vel cinis aspersus igni sopiendo est. O nunquam *oleum peccatoris impinguet caput meum* Ps. 140. Si quo tamen casu impinguarit: mortis cinis remedio est. *Memorare nouissima.*

5. Adponẽdam superbiam.

Te supergrederis elatior? Te inspice & in linum inspue. Si minus id, quod es, in ordinem te redegerit: tunc prospice quod eris, putilcens lutum, ac cinis. 1. Eccles. 10. *Quid superbis terra ac cinis:*

Cum redit in cineres, quod fuit ante cinis?

Pauus, quam venustus, tam fastuosus, cum oculatæ iridis sinuosa volumina pandit; vt deformitatem pedum inspicit, iam cristа cadit, suique sese pudet, pœnitetque. Talis & homo, rex inter creata, cum ab suo in hæc dominio sibi placet ac vsu: Atqui in se penitius intret; hic vah, hic heu, & væ reperiet. Vah putidum; heu peccatorem, væ puniendum.

6. Ad gloriam mundi attemperandam.

III. 1. Voluit Deus, *Leuit.* 3: sacrificandas sibi aues deplumari prius, plumasque in locum coniici cinerum: ita honores mundi sunt detrahendi, miscendique cineribus memoratæ mortis, atque tum gratum Deo euadet homo Sacrificium. 2. Agathocles, Siciliæ Rex vasis & figulinis, & aureis in mensam inferri omnia constituit: quo se ex figulo natum, & Regem factum meminisse. Eiuto ficti & nos figulini sumus: dein gloria & honore coronati reges fuimus: Vtriusque generis vasa mente vsurpemus eaque ex nobismet petita: lutea è corpore, aurea ex animo: vtraque saluti sunt.

3. Qui apud Romanos, ait *Hieron. in Epistolis*, trabeatus curru triumphabat eburno, ei seruus à tergo apponebatur inclamator: *Hominem te mortalem memineris.*

4. Ita regios attemperabat Spiritus è pastore Rex Dauid, Psalm. 9. *Non apponat vltra, magnificare se homo super terram*: vel vt Hieron. vertit, *de terra.* Quid enim? An, quia *non est respectus mortis eorum ideo tenuit eos superbia?* Psal. 72.

CONCIO SECVNDA.

Quid sit Mors.

DAniel, *cap* 8. vidit arietem bicornem ferociter per 4. orbis oras discurs-itantem

tantem, cunctisque insultantem animantibus obuia quæque sternere. Hic mors est cum fato & naturali, & violento sternax omnium.

De qua nos in præsens

I. *Quod Mors sit horrifica.*
II. *Quid Mors.*
III. *Qualis sit.*
IV. *Vis quanta Mortis.*
V. *Quod mortis conditor non sit Deus.*

PARS I.

Quod Mors sit horrifica.

Mors horrifica est.

I. ARistotelis maxima est: *Omnium terribilium terribilissimum mors est.* Sicut omnium dulcissimum vita. Nec enim animata solum: sed natura ipsa abhorret à Morte. 1. Ipsa est orci Proserpina, quæ Parcas semper occupatas distinet: Est Ieæna agros orbis cædibus infestans. Est Megæra triuenefica, siue vita viuens, & funeribus omnia complens. Et vero ad Roman. 6. *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit.*

Tyrannata.

Vt Basiliscus solo visu veneno infectos enecat: ita mors, vix dum è peccati progressa aluo, iam Adam, omnemque posteritatem eius necarat. Quippe Roman. 5. *in quo omnes peccauerunt.* Fingunt Poetæ Pandoram, Deorum collatis donis in vnam condecoratam, Deam pandisse cunctorum ianuam malorum, vt in orbem sese profunderent. Fabula hæc: at veritas ista: Mors ea Dira Dea est.

Malorum omnium genitrix.

Bellona sua.

II. Quo ea, quamque sæuas fecit expeditiones? 1. In æuo diluuij etiam colossæa vastitatis viros nil verita suffocauit vniuersos. *Gen.* 7. 2. Similiter, *Exod.* 14. nauali prælio Ægyptios demersit. 3. Dein, *Gen.* 19. vno flammæ haustu nationem omnem Pentapolitanâ absorpsit. 4. Dauidis 2. *Reg.* 24. peruagata regnum vno velut ictu 70000. hominum peste deleuit. 5. Nocte Vna 185000. Assyriorum dedit internecioni. 4. *Reg.* 18. Quid? Orbem adhuc vniuersum exhaurit insatiata. Nam Psalm. 88. *Quis est homo, qui viuet, & non videbit mortem?* Quid procliuius homine in peccata? Quem à præcipitio in illud retardare nil posset; mortis eum memoria retardat; *Memorare nouissima tua,* &c. Eccl. 7.

PARS II.

Quid Mors.

Mors mitra Dei est.

I. MOrs inimica vitæ mera priuatio est, merumque nihil, & orci Furia. 1. Nam Sap. 2. *Inuidia diaboli mors intrauit in mundum* mille ictipata malis, doloribus, morbis, &c. Vt semel tulerat sententiam peccatori Deus, eâ sæua illa carnifex exequitur. 2. Ac velut Aegyptia grando

Sternax omnium.

sternax luctu complet agros, domosque; cœmiteria ossibus: mare terramq; cadaueribus: vrbes nudat, rura colonis viduat, & *nunc cinis est, vbi Troia fuit.* 3. Hæc connubia soluit, lites serit, hic corpus, ibi animas innumeris periculis exponit. Hos violenta rapit; illos lenta trahit: attamen omnes *metam properamus ad vnam.*

Omniũq; rapax.

4. Et quales? Eccl. 5. *Sicut egressus est nudus de vtero matris suæ, sic reuertetur, & nil auferet secum de labore suo homo. Miserabilis prorsus infirmitas, quomodo venit, sic reuertetur.* Iob. 1. *Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc.*

Ac despotiatrix.

Latro est Iericuntius.

II. Est ea latro, in quem lapsus is, qui de Ierusalem descendit in Iericho. 1. Dixit id Amos 2. *Nudus fugiet illa die.* Nec eam se euadere posse deplorat Michæas 2. *Vadam spoliatus, & nudus.* 2. Num forte diues quid auferret? Iob 27. *Diues, cum dormierit, nil secum auferet.* 3. Expertus Iob. 16. ait: *Ego ille quondam opulentus, repente contritus sum. Tenuit ceruicem meam, confregit me, posuit me sibi quasi in signum.* Mors sola. O tyrannidem! 4. Ea despoliat animam corpo-

corpore, corp° luce, sensus functione; & vt Poeta canit:

Priuauitque manus sceptris, diademate crines,
Os verbis, & luce oculos, membra omnia motu.

5. Exuit honoribus, beneficiis, officiisque viros. 6. Ea iudices iudicat: tyrannos plectit; cruciat carnifices. Ea lites dirimit, fora ac tribunalia claudit. 7. Ea mercaturæ dat finem, &c.

Effectus mortis.

III. Quid mori est? 1. Est deserere palatia, agros, thesauros, amicos, voluptates, &c. Hinc S. Hieronym. ad Heliod. *O mors, quæ fratres diuidis, & amore sociatos crudelis ac dura dissocias!* 2. Quid mori? Est saxo, humoue claudi. Ps. 48. *Sepulcra eorum domus in æternum.* 3. Est abire sine reditu. Ps. 77. *Spiritus vadens, & non rediens.*

4. Mori est in regionem longinquam abire, nec scire vbi diuertendum. Bern. *O anima quis erit pauor; cum, dimissis omnibus, sola ingredieris ignotam regionem, vbi occurrentia cateruatim teterrima monstra videbis?* Hoccine est mori.

PARS III.

Qualis sit mors.

Imago mortis pictoria explicata.

I. CLarius id pictores efformant, dum morte *pingunt cadauer nudum*, quippe omnib. despoliatam: *naribus truncum*, quia deliciis fumosis destinatam: *exoculatum*, quia cæcum fuit amando: & mors cæca est feriendo, & iustitia cæcutit respectus personarum: carens auribus, quia mors inexorabilis est.

Est inexorabilis.

Hinc nulla gens vnquam mortem vt Deam coluit, neque Sacra instituit: quia *inexorabile fatum* est: Vt Babylonius ille tyrannus, Ierem. 15. *Non flectetur, neq; parcet, neq; miserebitur.* Nam Ps. 56. *Furor illi secundum similitudinem serpentis; sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas, quæ non audiet vocem inimici incantantis.*

Falcata.

Mors falcata pingitur: qualem vidit Ioannes Apoc. 14. *Similem filio hominis, habentem in capite coronam auream, & in manu sua falcem acutam.* Nam vt Iesus omnium iudex est: sic mors omnium carnifex: & falx vtriusque est index. Quantus vernantis prati est decor; & quanta simul diuersitas florum? Falx tamen omnia æquat. Homo, Psalm. 102. *sicut flos agri, sic efflorebit*: at, *omnia mors æquat*: canit Poeta & alius,

Est commune mori; mors nulli parcit honori:
Diues, & fortis veniunt ad funera mortis.

Æquatrix omnium.

Aug. l. de nat. & grat. *Respice sepulcra, & discerne si potes. Irum à Rege, fortem à debili, pulcrum à deformi.* Respice siluam varijs frondentem arboribus, ac dumetis: quæ ab aliis discernas fronde, flore, fructu, specie, &c. At si succisa cadat, exustaque cineres accumularit; iam internosce cedrum à myrica, fagum à iunipero, &c. Talis gens humana. *Omnia mors æquat.* Diogenes Cynicus inter bustuaria, vt solit°, obambulabat: sciscitantiq; aliquando Alex. Magno causam, aiebat: Patris tui Philippi, viri tanti caluariam quæro, sed inter nos cere nequeo: tu, si potes, ostende.

Mortis tituli.

II. Iam S. Scripturæ, Patrumque SS. titulos, quos morti dedere, quis enumeret? 1. Isai. c. 38. Quasi leo, sic contriuit omnia ossa mea. Amos. 3. *Leo rugiet, quis non timebit?* 2. Daniel cap. 8. sub arietis forma eam vidit: cuius cornu maius ferit Papas, Imp. Reges, &c. minus sine nomine vulgus petit. Ille discurrit in orientem, pueros enecans, senes ad occidentem transiliens, in meridiem, robustos ætatis mediæ subuertens.

1. Est Leo.
2. Aries.

3. Est homicida & fur.

3. Iob. 24. *Mane primo consurget homicida*, mors, *interficiet egenum & pauperem, per mortem vero erit quasi fur.* 1. Thessal. 5. *Sicut fur in nocte, ita veniet.* Omnia suffuratur homi-

homini, teste Ps. 48. *Ne timeas, cum dites factus fuerit homo, & cum multiplicata fuerit gloria domus eius: quoniam cum interierit non sumet omnia, nec descendet cum eo gloria eius.* Hinc Luc. 12. *Stulte, hac nocte repetent animam tuam à te: quæ autem parasti, cuius erũt?*

4. Est carnifex.

4. S. Bern. mortem carnifici conferens, serm. de Villico inquit. *Mors ipsa est crux horribilis. Vide quomodo te crucifigit: crura distenduntur, manus decidunt, pectus anhelat, labia spumant, facies exudat, & morte fracta palleſcit.*

5. Dux castrensis.

5. Ego duci castrensi dixero similem, qui vrbem primum multo cingit milite: dein opportune tormenta collocat, tum verberat globis turres, dein valla rescindit, &c. demum irruit, omnia ferro, flammisque vastat: ita mors vitam expugnat, aliis alia membra morbis, demum cor petit.

PARS IV.

Vis quanta mortis?

Est fortissima.

I. VIs mortis inuicta est: vni succũbunt omnia. 1. Vt demirer tres purpuratos persicos, 3. *Esdr.* 3. de fortitudine differentes vini, Regis, fœminæ, non mortis meminisse. Fœmina fortissima, fortior mors est. 2. Hanc Apostolus *Rom.* 8. primã inter ea fortissima ponit, quibus se ab charitate separari non posse asserebat. 3. Vnde & sponsa *Can.* 8. vim charitatis demonstraturas eam morti confert: *Fortis est vt mors dilectio.*

Regina.

Ideo Scriptura eam reginæ æquat: Ro. 5. *Vnius delicto mors regnauit, & in omnes pertransiit.* Et, *Regnauit mors ab Adam vsque ad Moysen, etiam in eos qui non peccauerunt.* Tobiæ amici Imperatricem vocant. Tob. 2. *Vix effugisti mortis imperium, & adhuc sepelis mortuos?* Heb. 2. *Qui habebat mortis imperiũ*, isto nullum est amplius. Hocq; initio mũdi per infirmum erat, vitam hominibus ad annum 900. proferentibus creuit sensim, quantum & homines numero creuerunt, & annis decreuerunt.

Imperatrix.

II. Est ea, qualis laterculus, qui colosseam Nabuchodonosoris statuam prosternebat, ita mors omne genus humanũ obterit excrescens ipsa in montem magnum. Eidem quoque omnia parent, vt hominem torqueãt, elementa, cœlorum iniuriæ, tempus, bruta, &c. Nam absumpsit Sodomitas igne, aquis Aegyptios, Core terra dehiscente, Absolonem in aere suspensum. *Mors tibi nomina mille, mille nocendi artes.*

Figura.

1. *Lapillus mõtescens.*

2. Est Draco.

2. De qua illud *Apocalyps.* 12. nõ incommode vsurpes: *Ecce draco magnus* persequens naturam animalem, Psalm. 103. *Draco iste quem formasti ad illudendum ei:* Et idem *habens capita* 7. peccatorum, de quibus Psalm. 73. *Confregisti capita draconum in aquis*, id est, peccatis, quorum filia mors, nam Rom. 5. *per peccatum mors.* Porro *& in capitibus eius coronas* 7, adeo dominatur omnium: *& cornua* 10. id est, mille nocendi artes.

Cuius tela res omnes sunt.

Quas quis dicendo recenseat? Quot genera morborũ, partes corporis, quot res creatæ, &c. tot mortis sunt tela.

3. Est eques.

3. Apocal. 6. *Ecce equus pallidus, & qui sedebat super eum, nomen illi mors, & infernus sequebatur eum. Et data est illi potestas terræ super quatuor partes terræ interficere gladio, fame, & morte, & bestiis terræ.* Et vero postquam, Rom. 5. *per vnum hominem mors intrauit in mundum, & per peccatum mors:* continuo Hebr. 9. *statutum est omnibus hominibus semel mori.*

4. Est vermis.

4. Esto, fueritperegregia illa arbori adhærescens hedera, sub qua Ionas acquiescebat: attamen Ion. 4. *Parauit Deus vermem ascensu diluculi in crastinum, & percussit hederam, & exaruit.* Homo hedera: paratus vermis mors est, Genes. 2. *In quacunque hora comederis, morte morieris.*

5. Est turbo.

5. Quis ille è deserto turbo Iobi do-

mum ad 4. angulos succussam euertens? *Iob.* 1. Mors est ex peccato quatiens Adamum, nosque filios obterens.

PARS V.

Quis auctor mortis.

Non Deus. 1. Quia mors est nihil. 2. Non est bonũ quid.

I. DIserte Sapiens, 1. *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum.* Quis igitur? 2. Dan. 2. *Abscissus est lapis de monte sine manibus, & percussit statuam in pedibus eius ferreis, & fictilibus, & comminuit eos.* 3. Vnde Ioa. 1. *Omnia per se ipsum* Deum *facta sunt: & sine ipso factum est Nihil*, id est, Mors.

Ratio huc fauet. 1. Nam Genes. 1. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* An in morte nil boni: Nam *Ens*, & *Bonum* conuertuntur; ac mors est mera priuatio & non ens, ergo nil boni. 2: Deinde quicquid condidit Deus, eius in ipso prius idæa extitit: at *quod factum est, in ipso vita erat*: ergo mortis idæa nec in ipso, nec ab ipso. *Ego*, ait, *sum via, veritas & vita.* Ioann. 14. 3. Neque potuit DEVS condere Nihil: sed esse debebat Aliquid, quod condebat.

3. Non præextitit in Deo per idaam. Sed peccatum est auctor eius.

II. Quis denique parens mortis? 1. Roman. 5. *Per peccatum Mors.* Illud sustulit gratiam priuilegij de immortalitate, & continuo naturæ nostræ principia inuicẽ pugnantia properabant ad corruptionem. 2. Sicut *Gen.* 45. *&c.* Hebræi viuente Iosepho in pace degebant sub Pharaone: at eo demortuo, iam glisebat eorum in dies oppressio. Ita regnante in corpore animoque gratia primigenia, eademque cedente. 3. Hinc Roman. 7. *Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* O quanta omnium consecuta perturbatio est, vt primum cœpit peccatum in nobis regnare? &c.

CONCIO TERTIA.

De causa mortis.

DEus, 1. *Regum* 10. & 13. regnum dedit Sauli, omniq; ipsius posteritati. Sed ingratus ac inobediens excidit eodem cum omni sua posteritate: simul mortem infelicem in monte Gelboe incurrit. Similiter Adam sibi, nobisque mortem acciuit, perdidit regnum.

Itaque super eo nos.

I. *An mors homini sit naturalis?*
II. *De statu innocentiæ infeliciter deperdito.*
III. *De hominis inexterminabilitate.*
IV. *De similitudine hominis cum Deo.*
V. *De miseriis status lapsi.*

PARS I.

An mors homini sit ab natura, an à peccato?

I. OPinantur nonnulli, morte homini agnatam, adeoque naturalem esse, ac promanare ex ipsis naturæ nostræ principiis. 1. Quia in omnes competit materia & forma, vti contraria, quę naturale fouent dissidium, pugnantque inuicem, vnde corruptionem demum consequi necesse est. Quæ cum naturalis sit, morsq; ipsa, hanc quoq; naturalem esse oportebit. 2. Mori posse est naturæ ingenitum, ergo & ipsum mori. Nam *actus & potentia eiusdem sunt ordinis*, vt consentiunt Philosophi.

Porro istud Gen. 2. *In quacunq; die comederis ex eo, morte morieris.* Isti ad animæ mortem interpretantur. Ita *Philo*, Iudæus Plato dictus, *l.* 2. *de Alleg. leg. Mos.* & Eucherius Lugd. in Gen. Egubinus, &c. Qui ita ratiocinantur. Christus mala omnia destruxit, quæ peccatum inuexit, at mortem non aboleuit, ergo hæc non à peccato manauit, ac proin ab natura. Atat, ne quid nimis. 1. *Cor.* 15. Christus suo aduentu pec-

tu peccatum destruxit, mortem vero destruet secundo suo ad iudicium aduentu. *S. Gregor. in Regist. libr. 6. c. 195 Epist.* 31. sic argumentatur. *Dictum est, In quacunque die comederis, morte morieris, & ecce comedit, tamen in carne sua vltra 900. annos post modum vixit.*

II. Sanior est sententia asserentium, eaque communis, mortem ex peccato, non natura natam esse. Ideo S. Aug. illud *In quacunq;*, &c. de vtraq; vult accipi morte, corporali ac spirituali. Atque idcirco Deus lapsum paradiso expulit, ne de ligno vitæ comederet, & viuens immortaliter non moreretur. 1. Euenit igitur Adæ, quod apro, qui lethaliter sauciatus cum fixo discurrit telo per saltus ac mõtes, dum expiret, ita Psal. 48. *Adam comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis* sauciatus in paradiso excurrit per spinas ac tribulos, donec deficeret. 2. Ita & ictæ semel fulmine arbores non protinus exarescunt, sed lente moriuntur. 3. Est ergo Rom. 5. *stipendium peccati mors.* Et Iac. 1. *Peccatum cum consummatum fuerit, generat mortem.*

Potest vero bifariam attendi homo. 1. Quo ad pura eius solaque naturalia. Et sic, vt animal, mortalis est. 2. Quo ad conditionem suæ formationis, qua cum vitæ spiraculo anima decus immortale percepit. Sic est factus immunis ab omni morbo, & repugnante sibi quocunque. Et sic immortalis erat. Non igitur illi congenita mors est, sed consecuta ad peccatum.

1. Saul æquanimiter ferebat, regno se carere, cum patris asinas indagaret. 1. *Reg.* 11. At vt semel regni gustauit honorem, exuendus eodem perægre tulit. 2. Heli, 1 *Reg.* 1. facile carebat summo Pontificatu, at eo destituendus adepto indolebat. Ita & Adæ, considerato quoad pura naturalia, ac dein, quoad statum gratiæ. Quare quod mortem inuexit peccatum, idem vitatur memorando nouissima mortis.

PARS II.

De statu innocentiæ infeliciter perdito.

I. STatus innocentiæ felicitatem duo declarant, Scripturæ, & Miseriæ. *Eius felicitas.* 1. Gen. 2. *Erat vterq; nudus, & non erubescebãt.* Hæc quanta simplicitas? quam candida sinceritas? nihil in homine quod dedeceret. Nam *omnia erant valde bona.* Quanta quoque corporis impassibilitas? Adeo nec internum, nec circumstans quicquam ei aduersum erat 2. Eccles. 7. *Fecit Deus hominem rectum, ipse se infinitis miscuit disputationibus.* 1. *Rectum* corpore Ouid. 1. Metam.

Os homini sublime dedit, cœlumque tueri
Iussit.

2. *Rectum* anima, cuius partes omnes rationi parebant, sed euersa dein omnia sunt. 3. *Solinus* scribit, Lacedæmoniis, Delphicum consulentibus, num Resp. eorum duratura esset, responsum esse, tum pessum ibit, cum Rex claudicans imperabit. Et euenit. Nam Agesilao regnante claudo collapsa est. Ita quasi consultum oraculum de futura hominis rectitudine respondit, *In quacunque die comederis*, &c. Comedit, & corruit distortus effectus. Ideo orat. Ps. 50. *Spiritum rectum innoua in visceribus meis.*

II. Miseriæ etiam perditum consecutæ statum, futuram prioris felicitatem repræsentant, hocque sunt infeliciores. 1. Enimuero ab istis innocentia vacasset vniuersis: At hac corrupta; *Multiplicabo*, ait Euæ Deus, *ærumnas & conceptus tuos: in dolore paries filios tuos.* Gen. 3. Et Adæ: *Maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ.* q. d. si non peccasses, te alumnum suum tellus vltro *Infelicitas.*

aluisset. 2. Aug. l. 4. Ciuit. cap. 10. *Tam felix status, vt nullum bonum abesset homini, quod recta voluntas optare posset: nullumque malum adesset, quod hominis, feliciter viuentis, carnem vel animum offenderet.*

Homo brutum. III. Atque inde considerans illam, cumque hac ærumnosa conferens ait, Psalm. 48. *Homo cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Quo in honore? Dominatus: doctoratus; valetudinis, gratiæ, &c.

Vt bestia agri. Sileo paradisi habitationem. Iam, vt bestia, vagatur homo per senticosam terram proiectus à facie Domini: velut Cain aliquis. 5. Aut velut Nabuchodonosor, qui, cum victoriis, spoliis, captiuisque Israelitarum turgidus, se Deum esse duceret, colique vellet: ecce mox obbrutescit, & ex regno in desertum ad feras eiicitur. Ex quanto quo recidit? Aft nihil istud ad lapsum hominis, cuius nunc tanto deterior, quo ante felicior conditio fuit.

PARS III.

De hominis inexterminabilitate.

Immortalis fit mortalis. I. POnderauit id, qui dixit Eccl. 2. *Deus creauit hominem inexterminabilem.* 1. impassibilem, *& ad imaginem similitudinis suæ: inuidia autē diaboli mors intrauit in mundum.* O infelicem mutationem! Immortalem fieri mortalem? Similem Deo, iumentis similem effici?

Qui potuisset se conseruare immortalem. Atque ita tamen comparatus erat, vt primum tantæ esset curæ Deo, quam erat gratus eidem. Dein vt ipse homo esset & sui potens, gnarusque penitissime: vt ab intrinseco ipsi aduersi accidere nil posset: non à passionibus, quæ solæ nunc aliquādo enecant, nec ab principiorum naturæ vitalium defectu, nec ab extrinseca re vlla noxia. 1. Nam adeo per donatam scientiam pernouerat omnia sibi & salutaria, & inimica, vt illa ăccersere, arcereque hæc posset, & nosset. 2. Adhæc supperebat ei lignum vitæ. 3. Deinde erat ipsos inter homines pax futura summa: ita conditus erat, ait S. Greg. in cap. 1. Iob. *vt ad cœlestem Angelorum patriam quandoque sine carnis morte transiret. Sic immortalis, vt, si peccaret, mori posset, sic mortalis, vt, si non peccaret, etiam non mori posset.*

Incorruptibilitas est, triplici ex causa. II. D. Tho. p. 1. q. 93. ar. 1. ait incorruptibile trifariam dici. 1. Ob materiam, qua caret. Vt Angeli, vel quam habet, sed carentem inclinatione ad formam aliam, vt cœli. Et hoc est incorruptibile secundum naturam. 2. Aliud secundum gloriam: idque ob formam. cum, quod ex natura corruptibile est, accedente altiore principio, id æternum seruatur. Vt corpora glorificata. Aug. Epist. 56. *Tam potenti natura Deus fecit animam, vt ex eius beatitudine redundet in corpus plenitudo sanitatis, & incorruptionis vigor.* 3. Ob causam efficientem, ex dono Dei, vt homo in statu innocentiæ. Cur hoc? Aug. l. de quæst. Noui & Veteris Testamenti. q. 19: *Deus hominem fecit, quam diu non peccaret, immortalitate vigeret, vt sibi autor esset aut ad vitam, aut ad mortem.*

Scotus dissentit, & nescit quare. Vultque hominem fuisse in statu innocentiæ mortalem, sed non moriturum. Atque à Deo præueniendam mortem raptu hominis in cœlum.

Signa inexterminabilitatis. III. Fecit ergo *Deus hominem inexterminabilem*, id est, inæstimabilem. 1. Ideo post creaturas est formatus, vt cunctis perfectior: vel vt Rex, cui prius mundi esset palatium apparandum. Vnde Arist. 2. Physic. *Nos omnium rerum quasi fines sumus.* 2. Innuit & Moyses: qui scribit, Deum cœlos & omnia condidisse sola iussione: *fiat lux*, &c. at denique vt ad hominem peruentum, ait, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostri.* Vnde Tert. l. 2. cont.

2. cont. Marc. Basil. hom. in hexa. mirantur hominem vt vere *inæstimabilem*. 2. Adde, quod cætera omnia Deus vel è terra, vel aqua produxit: at hominem ipse plasmauit quoad partes singulas & totum. Atque ideo tanto inæstimabiliorem.

PARS IV.

De similitudine hominis cum Deo.

Causa similitudinis. 1. Dei bonitas.

I. SEd & *ad imaginem & similitudinem fecit eum*. Cur istud? 1. An vt suam Deus bonitatem, lapsi vero hominis malitiam isto declaret? Nam Deus sua, quibus excellit, homini communicauit: homo autem ob quæ excellebat, nec in iis parem pati, & in iis esse, vt Dii volebat.

2. Obedientia creaturarum.

2. An, vt hoc promtius omnes creaturæ subessent vni: angeli ministrarent: horrerent dæmones? Hinc, Gen. 9. *Terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terræ, & super omnes volucres cæli.* Sicut Aegyptiis Ioseph, Persis ac Medis Mardochęus, *Esth.* 6. venerationi erant, ac terrori; quod regiis ornati insignibus conspicerentur: ita homo creaturis ob imaginem Dei.

3. Securitas possessionis diuinæ.

3. An vt hac, velut sigillo suo, ipsi intime impresso, cuncta creata nossent, hominem esse Dei soliius proprium: cætera vero hominis? Vt nihil auderet ei nocere quicquam: Nec sigillum eradi posset, nisi Deus ipse homini auferretur. Sicut Phidias clypeo Mineruæ ita suam affixit effigiem, vt hæc ab illo resolui non posset, citra clypei totius destructionem.

4. Amor Dei in hominem.

4. An, quod nullam ex creaturis haberet Deus, qui cum familiariter ageret, quam amare, redamarique vellet, præter hominem? Ideo Prouerb. 8. *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum.* Non cum cælis, elementis, angelis, &c. Exclamat igitur Iob, cap. 7. *Quid est homo, quia magnificas eum, aut cur apponis erga eum cor tuum? Visitas eum diluculo.*

5. Memoriale Dei.

5. An, vt, orbe condito, Deus suũ Conditoris insigne perpetuum illi affigeret in dato homine: ad testandam memoriam Conditoris? Sicut, qui palatium extruunt, aut vrbem. Apelles, ait *Cicer.* 3. *offic. & Plin. l.* 35. *cap.* 10. picturæ cœperat opus: morte præuentus id imperfectum relinquit. Nullus dein vsquam reperiri pictor valuit, qui auderet suscipere perficiendum: Vultus enim absoluti pulchritudo reliqui corporis imitandi spem auferebat. Ita Deus inchoauit hominem in creatione. quis perficeret nisi solus Deus? idque fit in iustificatione, & glorificatione.

Inuectiua digressoria.

II. Et opus tale homo ipse per sordes ac vitia traheret? Id an non crimen læsæ maiestatis est? Tu exterminas animam: cum *Deus creauit hominem inexterminabilem!* &c. *O inuidia diaboli, per* quam *mors intrauit in orbem.* Sap. 2. O mortem infelicem peccatoris! Ergo *memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.*

PARS V.

De miseriis status lapsi.

Figura.

I. OInuidiam diaboli! & miseriam hominis! 1. Vt Achitophel, 2. *Reg.* 15. Absoloni consultor fuit pessimus, & autor, vt filius in Dauidem parentem arma sumeret, regni appetens patrii: sed cui dein idem conatus cessit ad interitum: Ita satan Adæ, &c.

2. C. Caligulæ odium in Romanos tantum fuit, vt diceret sæpius: *Vtinam populus vnicam ceruicem haberet!* Odium satanæ idem votum obtinuit in vno Adæ capite vno generis humani. Hinc Rom. 5. *Per vnum hominem peccatum intrauit in mũdum, & per peccatum mors.*

3. Samson; vt sese de Philistæis vindicaret, *Iud.* 16. duas concussit columnas, quibus domus, in qua illi epulabantur, innixa stabat, sicque obruit vniuersos.

Ita satan Adã & Euam. 4. Aman, *Esth.* 5. 6. 7. vnius odio Mardochæi ab rege obtinuit decretum exscindendi Iudæos vniuersos; odii causa erat superbia. Ita satan per fraudem circumuento homine: mortis procurauit edictum. 5. Naman Syrus præpotens, at leprosus, occasio fuit, vt Giezi cum omni posteritate lepram hæreditaret, 4. *Regum* 5. dicente Elisæo, *Lepra Naaman adhærebit tibi, & semini tuo vsque in sempiternum.* Ita per satanam *in Adam omnes peccauerunt.* Roma. 5.

Parabola. Seminato agro semine bono *inimicus homo superseminauit zizaniam, cum nox esset.* Ita homini gratiosissimo peccatũ satan.

Effectus consecuti ad lapsum. II. *Luc.* 10. Lapsus in latrones fuit homo primus, &c. Hinc nostri spoliatio, hinc vulneratio, hinc mille fatales calamitates, voluntarij & excessus, & defectus criminales, hinc tot curæ, artes, praxes, regnorumq; mutationes, &c.

Esus carnium. Hinc carnium inuectus est vsus in cibos. Nam ante lapsum. Genes. 1. *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & vniuersa ligna quæ habent in semetipsis sementem generis sui, vt sint vobis in escam.* Nulla ecce carnis fit mentio. Estq; verosimile, annis bis fere millenis homines ξυλοφάγους, non κρεαφάγους victitasse. Forte frugum tunc sapidius fuerit genium ac indoles.

Potus vini. Peccatum fuit plurium occasio rerum ad victum, potumque hominis adinueniendarum. Nam ante diluuium quis vini vsum fuisse meminit? At post diluuium, qui primus memoratur, is fuit ebriosus. Ante aqua potus erat, &, vt reor, maioris voluptatis, certe sanitatis, quam vina modo quæcunque medicata, myrrhina, de fruta, nectaria, Cannaria, &c. Reor vitibus vuas prognatas ante comesse tantum homines non succum expressisse. Nam Noe succi vim ignorabat, qui primus eum exprimens didicerat experientia. Vixerat is autem annis 600. ante diluuium, intra quod tempus potuisse: didicisse vim succi, eius si vsus extitisset. Ergo peccatum inuexit intemperantiam, cæteraque eius similia.

Ignorãtia. Quin & stupidam rerum ignorantiam. Quanta enim protoplastarum scientia extitit? Ecclesiast. 17. *Disciplina intellectus repleuit illos, creauit illis scientiam spiritus, mala & bona ostendit illis.* Iam scholis, ac sudore opus tantillæ scientiolæ acquirendæ.

CONCIO QVARTA.

De fatali mortis certitudine.

IOb. 1. *Filiis suis & filiabus vescentibus, & bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti, repente ventus vehemens irruit à regione deserti, & concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos.* Typus hic oppressionis vniuersalis filiorum est Adæ ærumnosi, vlcerosi, afflictissimique.

Nos circa eam pauca

I. *Quod omnis homo est mortalis.*
II. De certitudine necessitatis moriendi.
III. De facilitate euertendi robustissima quæque.
IV. De vniuersali mortis statuto.
V. An Enoch & Elias sint mortui.

PARS I.

Quod omnis homo mortalis est.

Homo est Deus. ALex. Magnus, ait *Plut. in Apoph.* vt creditum Iouis filius voluit, ita reperit, à quibus vt semideus, adorabatur. At in conflictu percussus telo, Ducibus ostenso cruore, ait: *Istane signa sunt Dei, & immortalis? Facessite me Deum dicere immortalem.* Ita Caro, mundus, dæmon miseros sui admiratione dementant, Nestoris ætatem victuros eos: ad altiora vsque ascensuros: *Nequaquam*, aiunt, *moriemini: sed eritis sicut Dii.* Nos autem ipsos si respexerimus, varioſque casus, quibus obnoxii de-

degimus: facile animum in ordinem reuocabimus. Quot enim telis indies appetimur, quæ homines nos esse monent, propediemq; morituros?

At morieru.

Ita Dauid è tantulo tantus, voluebat cum animo: Psalm. 81. *Ego dixi Dii estis, & filii excelsi omnes: Vos autem sicut homines moriemini.* i. q. d. Etsi imperitetis orbi, & vel mortuos suscitetis: & c. *moriemini*: sed *sicut homines*, anima æternum viuente: non vt bestiæ.

Nabuchodonosor sui & immemor, & inscius elatione factus, vt diuinus coli appetebat. At resistens superbis Deus mortis eum monuit per visiones, primo statuæ, Dan. 2. *Tu es, ô Rex, caput aureum*, maiestate regia, ait Daniel, ac luteus pedibus es, quia fragilis homo. Deinde *Dan.* 4. vidit arborem cœlis contiguam, at protinus succidi. Et nunc Reges intelligite, tales estis, sumusque omnes.

Mors æquo pede pulsat pauperum tabernas,
Regumque turres.

Sic omnibus est.

Hinc Socrates, mortis accipiens sententiam ab Athenien. hilaris aiebat, A ipsos ante morti addixit natura. Dauid Psalm. 88. *Quis est homo qui viuet, & non videbit mortem*; Nam omnis motus duos habet terminos, *à quo, ad quem*, at vita est motus proin eius terminus à quo, est viuere, ad quem, videre mortem.

Constantinus Imper. Legatos Persarum Romæ circumducens splendoremque ostendens, numquid placeret, interrogabat. Cui Persa, *Istud, quod & Romæ, vt alibi homines morerentur.* quasi dicat Romani imperant orbi, at mors ipsis.

Simile, quod Ezechiel, c. 37. vidit Campum ossibus plenum mortuorũ, simulque audiit, *Ossa hæc vniuersa domus Israel est.* Mundus is campus est, nos de domo mortalium. Huius tessera illa Gen. 3. *Puluis es, & in puluerem reuerteris.*

Qualis Dux exercitum educens dat symbolum, quo sese agnoscant singuli, ita natura mortalibus in orbem productis dedit istud. Nam Iob. 7. *Militia vita hominis super terram.* Tessera nostra *puluis* est, hinc hominem agnoscas.

Tessera humanæ militiæ mors.

Percunctare ex Abraha, quis es? Gen. 18. *Loquar ad Dominum, cum sim terra & cinis.* Dauid, quis? Psalm. 12. *Ego sum vermis, & non homo.* Et Psalm. 21. *Ipse cognouit figmentum nostrum recordatus est, quoniam puluis sumus.* Salomõ quis es? Eccles. 10. *Quid superbis terra & cinis?* Quã bene his tessera inhæsit? Quare *memorare nouissima tua.*

PARS II.

De certitudine necessitatis moriendi.

Fundamẽta scientiæ de morte.

I. MOri oportere certo scimus, Quia *scientia* philosophis *est habitus ex veris, necessariis, & euidentibus propositionibus*, at qui tales sunt, de morte. Iob. 30. *Scio, quia morti trades me, vbi constituta est domus omni viuenti* Scio in omnibus figuris ac modis syllogizandi. Scio ex euidentia, quæ nulla opus habet demonstratione. Euidentia vero est 1. ex S. Script. Psal. 101. *Ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimenta veterascent.*

2. Ratione. Nam quod componitur ex contrariis, est corruptibile. 3. Experientia, Nam, 2. Reg. 14. *Omnes morimur, & velut aqua delabimur in terram.* Inunc, & annos te longos præsume victurum, ecce trinam facem, quæ ad mortem tibi prælucet, Diuinam, Naturalem, Experientialem.

Omnia hominis sunt contingentia præter mortem.

Quicquid est homine futurum, id de futuris contingentibus est. Vt de puero si quæras, quis erit ingenio, robore, animo, opibus. & c, ex spe metuque respondes quæres, morieturne? Certo affirmabis. Quia mors vna omnium est certissima. Malorum omnium medicina est, nulla mortis.

II. Sum-

Priuilegiã à morte nullum.

II. Summarum quarumque rerum ac neceſſariarum priuilegia data ſunt variis, nullum mortis cuiquam. Deus alios præſtitit tutos igne, aquis, mari, interque feras. &c. alios ab eſurie immunes. Moyſi dedit vim diuidendi mare, Iordanem Ioſuæ, eidem ſiſtendi & ſolem, Ezechiæ ſolem retroagendi: At à morte immunitatem nemini. Hac lege huc intramus omnes, vt exeamus. Sicut Dauid dicebat Ethai, 2. Regum 15. *Heri veniſti, & hodie compelleris nobiſcum egredi.* Hinc Sapient. 5. *Nati continuo deſiuimus eſſe.* Bene *Auguſtin.* 13. *Ciuit. cap.* 9. vitam curſum ac ſtadium nuncupauit, in quo citatis equis rapimur ad metam. Greg. Nazian. carmen eſt.

Naſcimur vt moriamur.

Idque ipſum eſt, quod viuo, velut rapidiſſimus amnis,
Qui ſurſum exoriens, ſemper ad ima ruit.

Fragiles ſumus.

III. Idem Paulus declarat iſta metaphora, 2. Corinth. 4. *Habemus theſaurum in vaſis fictilibus.* Lutei enim & fragiles ſumus. Quid anima pretiolius? Et hæc in vaſe tam vili? An quia pretioſæ merces ſaccis cannabinis inſuuntur? Ita Ioſeph, *Geneſ.* 44. ſcyphum aureum in ſaccum Beniaminium intruſit. Sic animam Deus in hoc corpus.

Figulini ſumus.

Eſt hic orbis officina figuli, in qua hominum vaſa ſunt varia, parua, magna. &c. ſed fragilia omnia. Iob. 10. *Memento Domine, quod ſicut lutum feceris me, & blaſphemueris me totum in circuitu.* Pſ. 2. *Tanquam vas figuli confringes me.* Deus Ieremiæ cap. 18. ait: *Deſcende in domum figuli.* Figulini ſumus: & ſuperbimus?

PARS III.

De mortis facilitate euertendi robuſtiſſima quæque.

Robuſti humiliat

I. MVlus Lydius, ait Plutarch. videns ex vmbra ſuam torositatẽ ac magnitudinem, ſternax ſeſſorem excutit, inſoleſcit, inſultat, &c. At ſe aſino natum recognitans, dimittit animos. O homines *nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus.* Pſ. 31. Multa poſſunt, vt opes, honores, robur, forma, vt intumeſcas; at exteriora ſunt: vnde autem detumeſcas hoc intimum tibi; imo tu ipſe es. *Quid ſuperbis terra & cinis?* Eccl. 10.

tur ex ſcipſis agnitis.

Nemroth robuſtus gigas, vt diluuium forte aliud euitaret, turrim moliri cœpit vaſtiſſimam: at Deus obſtitit, quo minus perficeret. Homo quanta moliris ſubinde? Sed, quia non ex, vel cum Deo, ideo retardat ea Deus. De cuius vi Pſalm. 143. *Tange montes & fumigabunt.* 1. Sublimes elude conatus, & in fumum abibunt. 2. En Goliatham. 1. *Regum* 17 à vertice ad calcem obarmatum, terrorique cunctis; à lapide ſternitur non magno: à morbo gigas & Rex.

Deus reſiſtit præſtãtibus in robore, & parum quid.

3. In exercitu Antiochi. 2. *Mach.* 6. ingẽs erat elephas: & is ab vno Eleazare ſuffoſus corruit, Elephantinos viros caſus quam leuis perdit? 4. Adamas fertur nõ niſi perægre diffringi poſſe: aſt vt vnum fragmen abſiliit, continuo in puluerem redigitur. Ita homo, etſi colloſſeus, & chalybeus; morbo tamen mortiq; cedit, inq; puluerem collabaſcit.

Ideo flori confertur agri, mille periculis expoſito; non hortenſi tutatiori: Pſ. 102. *Homo ſicut fœnum dies eius, quaſi flos agri. ſic efflorebit.* Iob. 14. *Quaſi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquam in eodem ſtatu permanet.* Vbi Greg. 11. Mor. c. 17. *Quid ſunt homines nati in mundo, niſi quidam flores in campo?*

Homo flos eſt.

Prorſus vt nemo in cœlis reperitur mortalis: ita in terris nemo immortalis, Ideo Pſaltes 26. *Credo videre bona Domini in terra viuentium.* Nam hic terra morientium eſt. Et Dominus, Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* Quia hic mera

Hic terra morientiũ eſt.

mera mors est. Est ergo certissima moriendi necessitas.

Causa humanæ mortalitatis.

II. Sed vnde, aut quare? 1. Quia quod ex contrariis constat, corrumpi oportet. Contraria enim duo in eodem subiecto se non compatiuntur; pugnantque tam diu, dum sese destruxerint: at corpus humanum è quatuor contrariis compositum est elementis, ergo. 2. Materia prima, quia est omnium formarum successiue appetentissima; ideo dicitur principium corruptionis: ex ea autem hoc corpus constat. ergo. 3 Humor radicalis vbi ad perfectionem suam peruenit, sensim deficit, sanguisque hebescit, ac vitales spiritus languescunt; dum natura non sit amplius ferendo: cedatque fato. 4. Omnia in ea resoluuntur, vnde componuntur. Atqui Psalm. 103. *Auferes spiritum eorum, & deficient, & in puluerem suum reuertentur.*

PARS IV.

De vniuersali mortis statuto.

Mors communis est.

I. MOrs cõmunis est & vniuersalis 2. Reg. 14. *Omnes morimur, & velut aquæ delabimur in terram.* 2. Vt omnia flumina in mare, vnde manarunt; reuertuntur: ita in terram homines: nec inde reuertentur. 3. *Omnes.* Nam qui hodie superstites sunt de stirpe Nabuchodonosoris in Chaldæa? Cyri in Persia? Alexandri in Græcia? Cæsaris Romæ? Athenis Codri? Vbi Monarchiæ veteres? Vbi Troia? ita Augustinus meditatur.

4. *Omnes morimur.* Iob. 34. *Deficiet omnis caro simul, & homo in cinerem reuertetur.* Hebr. 9. *Omnibus hominibus statutum est semel mori.*

Trium regnorum statuta priuata.

In omni regno, præter ius commune, sunt priuata quædam statuta: In Cœlesti hoc: Apocal. 14. *Amodo iam dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis*: Et Isai 25. *præcipitauit mortem in æternum.* In infernali illud, Psal. 48. *Mors depascet eos.* In terrestri, hoc Hebr. 9. *Statutum est semel mori.* O immutabile *statutum!* Non quale Assueriani; quod Esthera, *cap.* 15. deprecari quibat: cui Rex: *Quid habes Esther; noli metuere, non morieris. Non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est.*

Semel tantum moriendum.

II. Vana est Pythagorica Philosophia de metapempsychia: si enim animæ de corpore morientis in aliud immigrarẽt; iam esse statutum oporteret sæpius mori. Quo cordatius mors meditãda est; quod *semel* tantum sit obeunda: à quo vno momento pendent omnia. Sicut Lamachus, Dux Athen. aiebat: semel tantum quisq; errorem in prælio committit. Nam ad primum est mors aut captiuitas, aut dedecus subeundum. O *semel*: quot quantaque à te dependent.

Et *semel omnibus.* In Dialectica multa sunt æquiuoca, synonyma multa: hic res & nomen, istis solum est nomen commune. Ast in mortis dialectica vnum est synonymum, *Mors* prædicatur communiter de omnibus.

PARS V.

An Enoch & Elias mortui.

I. AT, inquis, Enoch, Elias, Ioannes Euangelista mortui non sunt. Nodus hic pene Gordius est. Rabbini pleriq; sentire, esse mortuos Enoch & Eliam: ex eo, Genes. 5. *Facti sunt omnes dies Enoch* 365. *anni.* ergo post hos non vixit. Nam in diluuio tantum octo animæ saluæ factæ sunt: ac Enochi fuisset nona.

At ista refelluntur, 1. Traditione Ecclesiæ, Patrum & Theologorum consensu. 2. Nam Hebræorum 11. *Fide Enoch trãslatus est, vt non videret mortem, & non inueniebatur; quia sustulit eum Deus.* Eccl. 44. *Enoch placuit Deo, & trãslatus est in paradisum, vt det gentibus pœnitentiam* tempore Antichristi. Raptus est autem Enoch ab O. C.

pene anno 1660. annis 9. ante diluuium. 3. Deinde Moyses catalogum pertexens Patrum, ad singulos addidit: *& mortuus est*: ad Enoch autem ait: Gen. 5. *Et non apparuit, quia tulit eũ Deus.* Hier. ad Pammach. *Enoch & Elias nec dum mortui, & Paradisi iam coloni habent membra, in quibus rapti sunt.*

An extet paradisus.

II. Sed an in Paradiso? 1. Ita quidam ex Eccles. 44. Vt S. Iustinus Mart. qui rebatur superesse in terris adhuc Paradisum, ex isto Luc. 23. *Hodie mecum eris in paradiso.* At Christus à cruce descendit ad inferos, triduoque subsistit ibidem in limbo; non in terra, vel paradiso. Irenæus, lib. 5. adu. hæres. vult & Paulum in Paradisum eum raptum fuisse, animasque iustorum inibi asseruari ad vsque finem mundi. At hic error est.

2. Certior videtur opinio, Paradisum nusquam supereſſe: diluvioque submersum periſſe; nisi miraculo seruatus esset. Sed sine causa, ait Augustinus in dubiis miracula non sunt statuenda. *Rupertus lib. de Trinit cap.* 35. negat posse probari in eo paradiso Enochũ esse, in quo conditus est Adam. *S. Chrysost. hom. 21. in Gen.* ait curiositatis esse, indagare, quo Enoch translatus sit. *Augustinus lib. de gratia*, ait, in paradisum vel alio translatum fuisse. *D. Thomas in cap. 11. ad Hebr.* ambos morituros ait, ob commune *Statutum.*

Quare *viue memor lethi.* Age, vt gallinacei, qui oculo altero quærunt escam humi; altero suspiciunt in cœlum, ab miluo sibi metuentes: vt & lepores apertis oculis dormitant.

CONCIO QVINTA.

De Hora mortis incerta.

BAlthasar, Rex Babyl. *Dan.* 5. cum concubinis in vasis, quæ pater Nabuchodonosor è templo Ieroſolym. rapuerat, epulabatur: Deosque dilaudabat mortis immemor: cum ecce manus hominis scribentis contra candelabrum in pariete, gaudia in luctum vertit; & nocte eadem est mortuus. Ecce quid mortis incertius hora est?

Ideo nos

I. *Quod incautos mors obruat.*
II. *De die, hora aut mortis incognita.*
III. *De aduigilatione ad horam.*
IV. *De præparatione ad mortem.*
V. *De præparatione omissa cum exitio.*

PARS I.

Quod incautos mors obruat.

Vigila.

IPhycrates, Dux Athen. semper in armis stare exercitum volebat, etsi in solo amicorum consisteret: *teste Plut. in Apoph.* sciscitanti causam, aiebat: Ne ex improuiso obrutus dicere cogar: *Non putabam.* Omnis homo dux vitæ est suæ. Nam *vita hominis militia super terram*: instantq; pertinaciter illi Caro, mundus, Satan; morsque omni momento. Quare excubet necesse est. Hinc Phil. 2. *Cum timore & tremore operamini vestram salutem.* Et Matth. 24. *Estote parati; quia nescitis diem, neque horam.*

Et time.

Ne incautus obruare.

1. Isboseth, 2. *Reg.* 4. meridionans obstum, dormiente ostiaria, ab Sicariis trucidatur. Ita peccatum & mors cuius dormit memoria mortis. 2. Samson, *Iud.* 16. in sinu Dalilæ indormiscens eneruatur suo robore, & inneruatur restibus. Inũc, & voluptatulæ te permitte: sed tuam ex Samsone, fortunã percipe. Audax mors est; vix vllum tamen, nisi incautum adoritur, velut a tergo.

3. Annibal, fulmen & terror Romanorum quamdiu Scipionem instare sibi sciebat, arma nũquam exuit; nec dormiit; nisi vigilantibus Ducibus. Quanto mors præ Scipione? Cicer. in Catone ait: *Moriendum enim certum est, sed incertum an eo ipso die. Mortem igitur omnib. horis impendentem timeas.* Apoc. 4. visa animalia sunt

plena

plena oculis ante & retro: Tales nos simus perpete memoria mortis. *Memorare nouissima.*

PARS II.

De die, hora ue mortis incognita.

Ea reseruata Deo est.

I. BErnardus in sermon. *Nil certius morte, sed nil incertius hora.* 1. Quia de futuris contingentibus est: Deoq; reseruatur. Qui, vt potentiam creandi, sic & scientiam horæ moriendi sibi reseruauit soli, vt res proprias Diuinitatis.

2. *Non est vestrum nosse tempora, neque momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* Similia sunt plura. Vt de prædestinatis Ecclesia orat: *Deus, cui soli cognitus est numerus electorum*, quasi dicat. Angeli, Diuique id ignorant.

Christo nota.

Et Agnus Apoc. 1. *Habeo claues mortis & inferni.* 2. Ps. 67. *Deus noster, Deus saluos faciendi, & Dominus Domini exitus mortis.* Hinc obsecrat Ps. 38. *Notum fac mihi Domine finem meum, vt sciam quid desit mihi.* Et Psal. 118. *Quãdo facies de persequẽtibus me iudiciũ?* Naturalem, & Violentam mortem iuxta nescit. 3. *Apoc.* 5. Visus liber 7. signaculis munitus intus & foris, & nemo poterat aperire eum. Hic liber Deo reseruatorum est: in quo & hora mortis.

Præterea ag. nemini.

Adeo 1. Iob. 15. *numerus annorum incertus* est, vt nulli queat præsciri mors, nisi solo reuelante Deo. 2. Gen. 27. *Vides quod senuerim, & ignorem diem mortis meæ*, ait Iacob ad Esau. 3. Benedad Rex æger, 4. *Reg.* 8. mittit ad Elisæum de morte percunctatum: sed non liquebat. 4. Minus iã. Quondam mors enim suis solius copiis pugnabat, vt senecta, morbo, peste, forte post 40. annos: At modo alienis etiam armis petit homines: vt victu, potu, mari, libidine, &c.

Genus mortis, non mors metuenda est.

II. Quare mortem memora, vigila. 1. ora cum Ps. 67. *Benedictus Dominus die quotidie prosperum iter faciat nobis Deus salutarium nostrorum.* Sic & te præpara, precibusq; obarma, 2. Seneca in Epistolis refert Germanos non mortem, sed mortis genus timere solitos. Belle. Ita & nos. 3. Sæpe naues cursum tenuere felicem; at in portu naufragantur. 4. Sæpe, quæ hyemem asperam sustinuerunt arbores, in vere exarescunt. Ita finis dispar à cursu multis est. 5. Bene Mosonius Monachus, teste *S. Maximo sermon.* 36. sciscitanti, quid maximum ad beate moriendum haberet momentum; ait: Cogitare, Vltimum sibi hunc diem fore.

PARS III.

De aduigilatione ad horam.

Ideo vigila.

ERgo Marc. 13 *videte, vigilate, orate. Nescitis enim quando tempus sit*: Exclamat simul: *Quod autem vobis dico, omnibus dico: Vigilate.* Luc. 21. ait: *Vigilate omni tempore.* 1. Pet. 5. *Fratres, sobrij estote: & vigilate; quia aduersarius vester diabolus*, &c. At mors isto sæuior, & certior, simul incertior est. Quare 1. Cor. 16. *Vigilate, state in fide.* 2. Rei capitis plures nesciunt, quando ducendi sint, hic serius, citius ille: Nos in Ada facti rei mortis accepimus sententiam: ducemur mane? meridie? aut quando? *Semper tibi pendeat hamus.*

Reus es

In carcere es Mortis, fur est.

3. Carcer enim est Mundus, quo claudimur omnes. Pertæsus orabat Psalm. 141. *Educ de custodia animam meam.* 4. Mors fur est. 1. Thess. 5. *veniet tanquam fur in illa hora*, noctis & somni. Et Matthæi 24. *Si sciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret vtique, & non sineret perfodi domum suam.* O quot incautis hic fur suffodit parietem cordis? Dixit quidem Isaias Ezechiæ Regi. 4. Reg. 20. *Dispone domui tuæ, quia morieris*: at non dixit diem vel horam, vt vigilaret.

Insidiæ certæ sunt ac multæ.

II. Si quæ vrbs aut arx suam euersionem prænosset mensibus 7. quanta non moliretur interea? Ecce Niniuen, *Ionæ* 3.

vix inaudierat de excidio; cum ecce pœnitet in sacco & cinere. Et nobis inclamatur Ps. 89. *Anni nostri sicut aranea meditabuntur: dies annorum nostrorum in ipsis 70. anni; Si autem in potentatibus 80. anni, & amplius eorum labor & dolor.* Vigilate igitur.

Exempla terreant.

1. Instabat Christo mors; quam animose Petrus se prius offerebat? & tamen indormiscebat. Itaque Dominus Matth. 26. *Simon dormis? Non potuisti vna hora vigilare mecum?* 2. Similem somnolentiam in Iona, *cap.* 1. arguit scriptura: Cui nos similes in naui hac vix digitos tres absumus à letho, sæuitque vnda: & tamen stertimus. 3. Rex, qui sibi tendi nouit insidias, duplicat custodias: affatus, aditusq; omnes suspectat: & homo tot inter aduersa sibi, securus aget? Ipsa dies, nox ipsa, & omnis hora ei insidiatur. Et vno hoc, *memorare nouiss.* tutus esse posset.

PARS IV.

De præparatione ad mortem.

Improuisa placet impiis.

I. BEne Seneca: *Incertum est, quo te loco mors expectet: itaque tu illam omni loco expecta.* Plinius iudicabat optimam esse mortem, quæ subita: Iulius Cæsar; quæ inopinata. Non sic Ecclesia; quæ orat. *A subitanea & improuisa morte libera nos Domine.* Nam in pœnis hanc scriptura numerat. 1. Iob. 15. *Auferetur Spiritus oris sui,* id est, sanus morietur. Hæ minæ sunt.

2. Sicut & Ps. 18. *Sicut homines moriemini, & sicut vnus de Principib. cadetis;* morte violenta. 3. Iob. 21. *In puncto ad inferna descendent.* Sic impij.

At prouisa piis.

At iusti præuertunt memoria mortis; metuuntque repente mori. 1. Nam Iob 9. *Si repente interroget, quis respondebit ei?* Vel, vt Hebræi legunt; *si rapuerit.* Quare ipse ante interroga conscientiam; & horam mortis, genusque non metues magis, quam ipsam. Sin Ps. 33. *Mors peccatorum pessima:* hanc metue.

1. Obrationes cum conscientia ineundas.

2. Traditur, si lupus hominem prior viderit, aeris ab eo infectione vocem homini intercludi. Vnde Virg. *Te Mœri lupi videre priores.* Ita, quem mors occupat improuidum, ei vocem confitendi adimit.

2. Ob Confessionem.

3. Deus *Exod.* 12. voluit Agnum paschalem festinato comedi, agrestibus cum lactucis, & baculis in manibus. Ita festina salutem operari, cum pœnitentia, & succincta vigilantia: ne exterminator Angelus te obruat.

3. Ob Communionē.

Huc respexerit Dominus, Luc. 12. *Sint lumbi vestri præcincti, & Luc. 21. d. in ma. ve. & vos sim. hom. exp. do. s. q. reu. à nuptiis,* q. d. vasa colligite, consarcinate: caritatis opera comparate. 5. Nam, vt Ioan. Climacus ait: *probatus quidem ille est, qui mortem singulis dieb. expectat: sed ille sane sanctus, qui hanc horis singulis desiderat.*

4. Ob aduentum sponsi.

II. Duplex Israelitis tubæ clangor erat: *Num.* 10. Ad primum congregabantur ad Arcam: ad prolixiorem & concisum mouebant castra. Ita sub morbi initium ad Iesum confuge: gliscit morbus; castra mouere para, inque tuto conscientiam colloca.

Ergo se præparant tempori.

Vt, qui procul patria migrare instituunt; quæ transferre secum minus queunt, in pecuniam redigunt: quo in viam sint expeditiores. Nulla, quam in morte, profectio remotior est: estque *Spiritus vadens, & non rediens.* Psalm. 77. Atque ideo, Luc. 12. *Vendite, quæ possidetis, & date eleemosynam.* Et *facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlis.* Is vero bonorum est operum. Inprimis 2. Cor. 4. *momentaneum & leue, tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.*

Vt viatores thesaurizant.

Quocirca sicut *Exod.* 12. exituri Aegypto ad terram promissionis, quicquid auri, &c. potuerunt, acceperunt mutuo secum: ita mundum spolient decessuri eleemosynas, & c. thesaurizantes in cœlis,

Despoliandum quemadum.

lis, Matth. 6. *Vbi neque ærugo, neque tinea demolitur: & vbi fures non effodiunt.* Deinde, vtrei ducendi iocos, risusque mittunt, toti in mortem intenti proximam, in quę scelerum pœnitentiam: ita nos ad fatalem pœnam luendam citati.

PARS V.

De præparatione omissa cum exitio.

Exempla nolentium, nec volentium.

I. Væ qui Sodomæis similes obruētur, de interitu prius in quam se perditos sentiant nil cogitantes, *Gen.* 19. Nempe *perditio tua ex te.* Ose. 13.

2. Aegyptij, *Exod.* 14. ad mortem aliorum proruebant; & suam, nil eius metuentes, in currunt. 3. Epulo, *Luc.* 16. quam insperata raptus morte in inferno sepultus est? 4. Ille congestor opum, horreique suffartor quid audiit medias inter futurarum deliciarum cogitationes? Lu. 12. *Stulte, hac nocte repetent animam tuam à te* tartarei. 5. Sic Balthasar, *Dan.* 5. inter epularum gaudia mortis ictum excepit. 6. Holofernes, *Iudith.* 13. in corde Castrorum obtruncatus interiit. Ammoni ad mensam fratris sica vitam abrupit, 2. *Reg.* 13.

2 Volentiū sed non valentium.

II. Maturate mortales præuertere mortem tot inter casus. Neu differte horam in vltimam expiare animas. 1. Alexander Magnus castris eiecit militem, quem instante iam prælio primum arma polire deprehenderat. *Plut. in Apoph.* Metuendum, ne idem procrastinatoribus Deus; eosque è libro vitæ exturbet. 2. Aegyptii iam in altum ingressi longius, sero coire cernebant vndas: sero vociferabantur, Exod. 14. *Fugiamus Israelem: Dominus enim pugnat pro eis contra nos.* At terga vertentibus, ecce *occurrūt aquæ, & inuoluit eos Dominus in mediis fluctibus.* Ita, verendum, ne multis in agone eueniat.

3. Horrendum, quod *S. Gregorius lib. 4. Dial. c. 38. & hom. 12. in Euang.* refert, Chrysaorium, tota vitā sceleratum, insupremis velut attonitum sudasse, cohorruisse, intremuisse: demum exclamasse: *Inducias vsque mane, inducias vsque mane.* At incassum. Spiritum exhalabat infandū. Et cuique adeo periculosa placebit dilatio?

Signum reprobationis.

Sane hæc haud paruum præsefert indicium reprobationis. Vt enim *Leuit.* 6. Deus cygnum vetuit offerri sibi, velut immundum: an, quod solum moriturus canat? At egregius est; præcandidus, &c. Quare *cantate Deo canticum nouum*: vt aues puræ mane primo argutantes; vesperoq; sero silentium obtinentes quietis æuiternæ.

CONCIO SEXTA.

De Adiunctis mortis.

SAul, 1. *Regum* 28. vt per pythonissam suscitata ex vmbra Samuelis audierat: Cras tu, & filii tui mecū eritis: sed & castra Israel tradet Dominus in manus Philistiim: semianimis corruit, ac desperat. Tantus mortis est horror, etiam in robusto. Quantus in morbo fractis, interque tentationes fore putabitur?

Super quo nos

I. Quod mors sit horribilissima.
II. De moribundi corporis dolorib.
III. Exempla in idem.
IV. De tentationibus animæ ab Satana.
V. De Dæmonum horribilitate, ac violentia.

PARS I.

Mors est horribilissima.

ECclesiasticus mortis hora nihil ducens horribilius ait, cap. 41. *O mors quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis.* Ideo *S.* Gregorius aiebat: *Qui considerat qualis erit in morte, semper erit pauidus in oratione.* Achilles sit aut Hercules. Exempla cape.

1. Ezechias Rex pro depositō iacebat,

4. *Regum* 20. complorabatur ab amicis: Isaias quoque denunciarat. c. 38. *Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives.* Quibus ille plus quam morbo expectoratus, ad parietem lacrymans versus ait: *Memento quæso, quomodo ambulaverim coram te in veritate, & in corde perfecto: & quod placitum est coram te, fecerim.* Ita mœstum & horrificũ cunctis accidit mortis nuncium. Sic depositi; deploratique iacebimus: sic amici circumsistent: sic vterque medicus, &c. Sic obuersabitur acta vita, futuraque, &c. ô angor, ô pauor!

2. Miser in fimeto Iob *cap.* 1. orbatus liberis, fortunis, valetudine, flens ait: ca. 19. *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei.* Miserior, magisque anxius erit moriturus, cui vitæ spes nulla super: sæuitque conscientia: & fumos flammasq; orcus iam quasi afflat animo. Quos hic auare, impie, &c. amicos implorabis? Angelos? phylacangelum? Diuos? opulentos? honoratiores? peccatorum tuorum complices? &c. Et surdi, & impotes ad tua petita erunt.

3. Antiochus, 2. *Mach.* 9. Syriæ Rex, capitalis Iudæorum hostis, viscerum dolore correptus, è curru excussus, & collisus, submissius iam sentiebat: interim putiscente carne vermicans corpus, sanieque diffluens colliquescebat. O iudicia Dei! Deum inuocat infandus: at nequicquam. Vouet templum Deo, libertatem Iudæis, Iudæus ipse futurus. Incassum. Ita & homo, rex mundi est Gen. 1. *Dominamini piscibus maris, & volucr. cœli, & vniuersis animantibus, &c.* Is fanda, nefanda hic multa designat, ægrescit, proponit, spondet meliora; & perit infelix. Namq; hora præteriit. O horam! Qualis in te visitur agonizans? Quis vultu, oculis, audita, corde, artubus, &c. quis iudicio, animo, &c. quis cernitur agonizans?

PARS II.

De corporis doloribus moribundi.

I. CORpus qualia infestabunt? psal. 17. *Circundederunt me dolores mortis:* 2. *& pericula inferni inuenerunt me:* 3. *torrentes iniquitatis conturbauerunt me.* Hinc Matth. 27. *tristis est anima mea vsque ad mortem.* Ita Iesus morti vicinus; quanto magis homo talia?

Sed duo ibi dolorum genera notes: Animæ, de peccatis: Corporis, de morbis. 1. Peccata tunc conglobatim irruent, obruentque animam, quæ dicta, facta, cogitata vnquam tibi fuerint. 1. O quanti *torrentes?* quam turbulenti, fœrentes, mõstrorumque pleni? Qui torrentes Simoniaci: Sacerdotis; religiosi; Vsurarij; &c. 2. *Dolores mortis* quoque corpus è statu dimouebunt, te discruciabunt, vt dirius haud vnquam. Id æstimaris, si partes per singulas obieris, membrorumque corruptiones. 3. *Mortis* autem comitatus qualis aderit? Regina Mors incedit accincta doloribus, morbis, casibus fortuitis, sudoribus, deliquiis, similibusque &c. Atque tot ista vnum circundant corpus. Id exemplis liquebit.

II. Iussit Ezechielem Deus, *Ezech.* 4. in latere Solymam describere; ac parare aduersus eam munitiones, ac obsidionẽ. Lateritius est homo, in quo vita misera descripta est: eademque malis obsessa plus sexcentis; & in morte insuper innumeris. Vt vere, *dolores mortis* & *inferni* queant nuncupari.

2. Euenit deposito, quod domui fatui in arena structæ: Matth. 7. *descendit pluuia, venerunt flumina, flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina illius magna.* Ita corpus humanum stolidi: (at Eccl. 2. *stultorum infinitus est numerus,*) stat super cinerem & puluerem: & descendit mors cum cohorte sua, mox istud

istud ruinam trahit, reciditque in cineres.

3. Circundant autem dolores ægrum vt obsessam vrbem, vallo morborum, fossa symptomatum, excubiis medicorum, stationibus amicorum: telis medicinarum: sectionum, vstionum: balistis deliquiorum: ruina denique murorum ac euastatione. Circundant amissio bonorum corporis, animæ, fortunarum, amicorum, honorum, mundi: accessio vermium, sepulchri, dæmonum, inferni, &c.

III. Quid? terrebat vna manus scribentis, Dan. 5. *Mane, Thecel, Phares:* Balthasarum, vt exanimaretur: quantum tot illa, maioraque conterrebunt ægram animam? Audiet illa Dan. 5. *Regnum tuum diuisum est, & Medis in prædam datum,* vermibus corpus, inferis anima: ingratis nepotibus opes. 2. *Dolores* eos sic describit August. serm. 48. ad fratr. in eremo. *Cum in extrema ægritudine fueritis, ô quã pœnosum erit vobis pœnitere de malis commissis, & bonis omissis?* 3. Dauid ita depingit eos Psal. 47. *Ipsi videntes sic admirati sunt; conturbati sunt, commoti sunt: tremor apprehendit eos: ibi dolores vt parturientis.*

IV. Innocentius Papa III. l. 3. de cont. tu mundi, cap. 42. refert quatuor adiũcta mortis: 1. *Dolores mortis,* id est, amissionem vitæ. 2. *Iniquitates conturbauerunt me* totius antactæ vitæ. 3. *Pericula inferni,* seu damnationis. 4. Dæmonum insultus. O dolores! ô angustias! ô horam! Hora, qua in æternitatem prospicis: in vitæ breuitatem ac vanitatem respicis: in circumstantia mala; bonaque circumspicis: in conscientiam introspicis: in cœlum frustra suspicis: te vero despicis ac detestaris. Hora, qua ignotum horres iter: horres animam à corpore diuelli: horres te præbere vermibus ac viperis. Et quis non exhorrescat? Vin' exempla?

PARS III.

Exempla in idem.

I. SAnctus Hilarion vitam in eremo exegerat: moriturus tamen intremuit: demum (S. Hieronymo teste:) ita ad sese: *Egredere anima; quid dubitas: egredere, quid times? Septuaginta annis Deo seruisti, & adhuc exire times?* 2. S. Arsenius cum à morte abesset propius, horrore quatitur. Discipulis causam scisitantibus ait: *Semper hanc horam pertimui: eam ex animo nunquam deposui.* 3. *S. Cyprianus Martyr lib. de mortalit.* ait Presbyterum in extremis trepidantem ab Angelo apparente audisse: *Pati timetis, exire non vultis: quid faciam vobis?* 4. *V. Beda l. 5. hist. Anglic.* refert, Religiosum ægrum nonnihil deflexo oculo vidisse in hiante orco locum sibi paratũ: sicque desperasse expulsa anima.

5. *S.* Fulgentio, (*Baron. t. 5. anno 529. Sur. t. 1.*) dolor hanc vocem expressit: *Domine refugium pauperum, & mœstorum solamen, da mihi hic patientiam, & postea indulgentiam.* 6. Christus Iesus (horresco referens:) mortem aditurus, Matth. 26. *cœpit contristari & mœstus esse:* & ait Marc. 14. *Tristis est anima mea vsq; ad mortẽ.* Et vero Luc. 22. *factus in agonia prolixius orabat: & factus est sudor eius, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Quid? Si ille, qui, Ps. 18. *exultauit vt gigas ad currendam viam:* qui Hebr. 14. *cuncta verbo virtutis suæ portat.* Si inquam, is sic exhorruit: quid nobis fiet? O homo hæc *memorare nouiss. tua, & in in æternum non pec.*

PARS IV.

De tentationibus animæ ab Satana.

ANimam vero quę vrgebunt? Metus, desperatio: laruæ, Diræ, dæmones, & hi, quam tum alias diligentiores nunquam. 1. Repete animo istud *Luc.* 10. de lapso in latrones, & viuam agonizantis idæam animæ conspexeris. Hanc enim ca- *Dæmones latrones animæ.*

caro, & dæmones tantum non pene enecant terroribus suis. Actum foret, ni Eudæmon eâm susciperet consolator.

Tentatores quasi iure. Atque ius tentandi accepisse Satan videtur inde ab exordio: Gen. 3. *Tu insidiaberis calcaneo eius*: vbi Glossa ait: *Calcaneum finem hominis significat: ad illum semper dæmon attendit, semper insidiatur*, Psalm. 55. *Ipsi calcaneum meum obseruant.* Quin & ipsa *iniquitas calcanei mei circundabit me.* Psa. 48. Hac dæmon seipso eo in articulo, horribilior erit.

Figura. Iacob, *Gen.* 32. ex longa Labani seruitute elapsus in patriam reuisurus cũ suis ab occurrente Esau, iurato hoste, cum armatis copiis vel retardatus, vel exclusus patria, vel trucidatus fuisset: nisi Deus furorem hosti eripuisset. Ita homini euenit. ex idololatra mundo emigraturo.

1. 1. S. Martinum, *teste Seu. Sulpitio*, haud immunem ab infando tentatore sua præstabat sanctitas. Eum ergo sic affatur: *Nil habes in me cruenta bestia. Apage.* Et quis tunc sexcenta inter aduersa alia, quis non ad ea perhorresçat monstra furua ac flammiuoma, quibus nil vsque horribilius natura nouit?

2. 2. S. Thomas Indis, ad credendum tardis, satanam ostendit ignes ore exundantem, capite comisq; terrificum: quo viso ad fidem accessere multi. 3. Anachoreta

3. proditur ante mortem viso tartareo detestatus esse diem, quo religionem fuerat professus, mentis effectus impos. Vtque sibi redditus pœnituit, aiens: malle se per candentes laminas incedere, quam dæmonem rursus intueri.

Testimonium. Vnde bene Bernardus l. 1. de Medit. & Hugo de S. Vict. l. 1. de anima, cap. 2. *Eam comprehendent tam terribiliter, quam horribiliter volent retinere. Tunc anima intuens oculos, os, alios que sensus, per quos solebat egredi, & delectari in his exterioribus: reuertetur ad se, & videns se solam nudam, ingenti horrore concussa, desperatione deficiet in se, & cadet sub se.*

PARS V.

De Dæmonum horribilitate ac violentia.

Dæmones accusatores. I. EXecrabiles per se, erunt iam etiam intolerabiles; cum totius actæ vitæ delicta & aggerunt, & exaggerant, dantque vnum sub obtutum mendaces, ac veteratores: 2. cum & Deum proponant, qualem experiuntur ipsi merum vindicem: 3. cum omissorum pretium bonorum in infinitum exaggerabunt: 4. cum infinitam æternitatem animo pandent: 5. cum damnatos ob pauciora scelera oculis quasi ingerent: 6. cum turbationibus animum obscurabunt: 7. cum exemplis instructi dicent: 8. En ob vnum Adæ tantillum casum vniuersitas luit tantum: en Sodomæ flammas, vndas Aegyptiorum: barathrum Core, &c. 9. Nescit, nequit tui misereri Deus: nequis sperare: vnam subi iustitiam. Noster es, &c. Heu *Torrentes iniquitatis conturbauerunt me*, Psal. 17.

Exempla. 1. Ioannes Climacus de Stephano ab annis 40. religioso refert sub vitæ exitum iacuisse velut sopitum secumque loquentem talia vocibus interruptis. Concedo: at ieiunio elui. Mox, Verum est: at confessus expiaui. Tum: Feci, eheu! at pœnitentiam peregi. Demum Heu reus sum: quid replicem nescio: Tu ô Deus miserere.

2. Idem de alio refert similia: at is vt reualuit, alius homo fuit, mutus studio, cellæ clausus, ieiunans, orans, &c. *Memorare nouiss.*

3. O IESV, quid erat, quod & tu animam tuam in manus Patris commendas? non eras par ipse tuendæ? An exemplum dabas nobis? An angores nostros Patiebaris? *O erue à framea, Deus animam meam:*

meam: & de manu canis vnicam meam: salua me ex ore leonis. Psal. 12.

Figura.

II. Qualia vero de istis SS. Patres? Dictis similia omnia. Atqui tum, Thren. 2. *non est qui consoletur eam* animam *ex omnibus charis eius.* O defectionem? 1. Ex Isaaco de te æstima. Quis illi animus *Ge.* 22. cum in ara lignis impositus supra cerneret gladium, infra ignem, se ligatum, vndique meram solitudinem? Et norat tamen se patri charum, Deoque: & in causa pia se oppetere: diu se iuuenem viuere posse. At in te iam depositō & contraria, & alia omnia: quis igitur animus? O! Væ! Quid, si & Angeli tunc à te recesserint? Nam Psalm. 31. *In diluuio aquarum multarum ad te non approximabunt.*

2. Quis animus Noacho fuisset, cum cœlum vndique & vndique vndas, tempestatesque sonoras cerneret; nisi tam certus fuisset Numinis? Et nos quam salutis incerti? Quantis fluctuabimus vndis? Heu, Psalm. 92. *Eleuauerunt flumina fluctus suos*, clamabimus taciti. O mala circumsistentia; instantia: vndique effusa omnia! O horam!

Atanteuerte. Dic, & fac: Eccl. 7. *Conuertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi*, vt mentem iniiceret memorari nouissima; *vt saperes, & intelligeres, & nouissima prouideres*: vt intelligeres, quod *mors peccatorum pessima* sit: Psal. 33. In quod Bern. ait: *Mala quidem in mundi amissione, peior in carnis separatione: pessima in vermis, ignisq; duplici contritione.*

CONCIO SEPTIMA.

De morte non metuenda.

TRes pueri, *Daniel.* 3. in fornacis chaldaicæ flammis hostes, mortemque temnebant: quin creata omnia ad secum Deo concinendas laudes inuitabant. Ita mortem, quam fugias, contemseris citius. Nam cum malorum sic finis ac portus, portaque vitæ beatioris, ex se metuenda non est.

Quam in rem nos pauca.

I. Ignaui mortem metuunt.
II. Mors nihil metuenda est.
III. Quod mors in nos beneficia sit.
IV. Quod bona sit, & bonum.
V. De morte sibi gratulandum esse.

PARS I.

Ignaui mortem metuunt.

I. AGesilaus, Rex Laced. percunctanti, vnde tantorum initia honorum repetiuisset, ait: Ex contemtu mortis, 1. Neque aliud est facile, quod perinde ad animi valeat constantiam, vti nil ad decus pronius metu mortis. Hic degenerem; heroicum ille arguit animum. 2. Ideo eos Græcorum lex iubebat triduo muliebri habitu incedere, qui è prælio se subduxisset. 3. Romani etiam capitis reum peragebant terga vertentem in cōflictu. 4. Iulianus Imp. ait Marcellinus, decem vertentes terga in bello Parthico, plexit capite. Quo turpius, in fatali bello mortis metu contrahi, Psalm 13. *Ibi trepidauerunt timore, vbi non erat timor.* *Tuperimere mortem.*

II. Prisci, sola natura magistra mirandi in spernenda morte extiterunt. 1. Licinius Dentatus, teste Plinio, & Val. Max. aduersa vulnera accepit 45. & nec vnum auersum. *Ethnici remtores mortis.*

2. Iulius Cæsar tantum spreuit mortem, quātam in Prælijs constantiam declarauit. In Pharsalica pugna cum aliquando ignotus cymba paruula solus cum nauta mare transmitteret, hicque ob tempestatem iam desperasset: exclamat: *Quid times? Cæsarem vehis, & fortunam eius.* 3. Interrogatus quidam, Crœsus: an Socrates esse malit: aiebat: *In vita Crœsus, in morte Socrates.* Ille Opulētia, hic sapientia pollebat mortisque contemtu.

Mors in lucro est & beneficio.

III. Stoicorum hæc Maxima erat. 1. Esse sapientem conuenit vmbonis instar, ictus excipientis quoscunque etiam mortis impauidum. 2. Præsertim cum sors æqua sit omnibus: quam vel infantes excipiant. 3. Stultum quoque est metuere, quod caueri nequit. 4. Qui militiæ metuit exitum; pacem non amat. 5. Qui se vellet stadium currere, & nunquam decurrere? Is quietem odisset. 6. Data est mutuo hæc vita; debiti soluenda est apocha. Gratias age: quod sine versura liceat soluere quod ex peregrinationis exilio in patriam redire sit fas. 7. Qui diu viuere; diu esse miser velit. 8. Mordet fateor, mors: at vt phlebotomus venam: breuis dolor absoluit à longo: ab incerta ad certam vitam transfert, adque beatam. 9. Optandus portus, ac meta magis quam metuenda. At prius sæpe *memorare nouissima*. Eccl. 7.

PARS II.

Quod mors nihil metuenda sit.

1. Quia est communis sors naturæ.

I. SAnctus Ambrosius, l. 5. in Lucam. *Mors non est metuenda fortibus: est desideranda sapientibus, & miseris expetenda.* 1. Hoc fecit Socratem hilari fronte sententiam excipere mortis: ac dicere: *Si Athen. me ad. iudicarunt morti, sciant quod natura ipsos addixit diu.* 2. Theramenes ab 30. tyrannis damnatus, venenum vt sitiens bibit; reliquum effudit vt resonaret, dicens: Critæ propino.

Est debita.

3. Lacon læta fronte audiens damnationem, quærenti: Leges ne temnis? Ego vero, ait, gratiam habeo Ephoris, quod ea me morte mulctarint, quam sine versura dissoluere possum. *Ista Cicer. in Tusc.*

Exempla Christiana.

Apud Christianos maiora se offerunt. 1. *Marulus l.* 5. refert de S. Hilarione, in latrones lapso, districtasque inter sicas hilari, & adicctus immoto; cum interrogaretur, num mortem timeret, ait: *Mori non timet, qui semper mori paratus est.* 2. S. Marius, teste Rufino, oppressus nocte ex itinere diuertit in sepulcrum: continuo circum fremere dæmones: at ipsi, quia nec mori piius, quam viuere timuit nec somnus fuit abruptus. 3. Philoromus Sacerdos, ait, *Palladius*, contemtor mortis annos 6. in bustuariis habitauit.

1. Qui Mortē timetis

II. Horum nos plerique dissimiles; Similesque Saulí alias audaci; at vmbra mortui semel visa, exanimato; ita nos ad omnia impauidi, præterquam ad mortem.

1. Vmbrā.

2. Laruam.

2. Pueri larui sterrentur: larua posita rident: Ita nos ad vocem Mortis, fronte prima horrescimus; at cognito, quid sit mors, temnimus. 3. Sicut nauigantes Apostoli, Mar. 6. viso Domino inambulare mari, *timuerunt omnes, & putabant se phantasma videre: excæcatum enim erat cor eorum.* Ita nos in hoc mari appropinquantem nobis mortem, quæ adiuuet nos, arbitramur quid inimicum esse; cum vero ad litus appulimus; tum agnoscimus id quod vt mortem metuebamus, vitam fuisse.

3. Phantasma.

4. Quid, ait Menander Comicus, *timetis mortem, quietis genitricem?* Cicero Tusc. 1. *Mors est portus malorum, perfugium ærumnosæ vitæ, effugium miseriarum.*

4. Quietis parentem.

PARS III.

Quod Mors sit in nos benefica.

1 Pacificatrix est.

2. Liberatrix à debitis.

I. AVgustinus ait; *Mors est relictio corporis, depositio sarcinæ grauis.* 1. Mors est sequester digladiantium inter se corporis ac animæ, carnis ac Spiritus. 2. Est in nos mors perquam benefica: Nã debita sunt nostra, corpus terræ, Deo animam debemus. Ex his debemus & vsuram pendendam: ex corpore famem, sitim, morbos, &c. ex anima curas, &c. Mors nos & debitis, & fœnore exoluit, vt munificus Rex.

3. Qui

1. Reparatrix nostri.

3. Qui domum suam, elocatam alijs, minari cerneret ruinam; euocaretque inquilinos, ne opprimantur: demoliretur autem domum, ac nouam splendidiorem eis constrüeret; præclare is de incolis mereretur. Ita mors senio morbisq; corpus vitiosum deiicit, vt surgat melius, &c. Phil. 3. *Quireformabit corpus humilitatis nostræ, &c.* 1. Cor. 15. *Seminatur in corruptione, surget autem in incorruptione, seminatur in ignobilitate, surget autem in gloria.*

4. Bene Gorgias Leontinus Orator sciscitanti, satin æquo ferret animo, si hinc euocaretur? ait: *Exputri & defluente domuncula non inuitus discedo.* Itaque *mors est relictio corporis.*

Exoneratrix est nostri. 1. A corpore. 2. A labore.

II. Est etiam *depositio sarcinæ.* 1. Quid enim corpus est, nisi saccus miseriis fartus; & is onus nostrum aggrauans animam. Accedunt & imperfectiones: quæ *sicut onus graue grauatæ super me.* Ps. 37. Nos miserata mors exonerat sarcina. 2. In triremi hac mundi religati sumus, cuius mors archithalassus est. Optime vult illi; quem citò exoluit vinculis, datq; immunitatẽ ab remigatione. Psal. 115. *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis:* canebat lætus Dauid: at mœstus Paulus: Phil. 1. gemit: *cupio dissolui, & esse cum Christo.* 3. Mors Phylacista est & carcerarius, gratiã præstat, quem citius liberat. Hinc orabat Ps. 141. *Educ de custodia animam meam.*

1. A catasta.

Quid vita? 1. Flos.

III. Et quid est, quod mors adimit? Vita? At ea quid miserius? fugacius? minus? Pene nihil est. 1. Psal. 102. *Homo sicut fœnum dies eius; tanquam flos agri, sic efflorebit.* Isaiam in plateis clamare iubet Dominus, cap. 40 *Omnis caro fœnum & omnis gloria eius quasi flos agri.* 2. Imo Iac. 4. *Quæ est vita nostra? Vapor est ad modicum parens.* 3. Fumus est: Ps. 101. *Defecerunt sicut fumus dies mei, & ossa mea sicut cremium aruerunt.*

1. Vapor. 3. Fumus. 4. Vmbra.

4. Vmbra est: Iob. 8. *Hesterni quippe sumus. Ignoramus quoniam sicut vmbra dies nostri super terram.* Ps. 101. *Dies mei sicut vmbra declinauerunt; & ego sicut fœnum arui.* Iob. 14. *Homo natus de muliere, breui viuens tempore, multis repletur miseriis. Qui quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquam in eodem statu permanet.*

5. O fugitiuam vmbram! Ideo istud Psal. 55. *Deus vitam meam annunciaui tibi,* LXX. vertunt, *fugam meam.* Climacus. *Quid aliud vita nostra, quam fuga?* Seneca ad Lucilium: *Quicquid vides, fugit cum tempore, &c.* Exclamat iure Aug. *O vita; quæ dum fugis, nihil es, dum exultas, fumus es.* 6. Verbo, Iob. 7. Nihil sunt dies mei. Ergo mors Nihil eripit. Quid querimur? Nihil adimit; sed non nihil confert.

5. Fuga.

6. Nihil est.

PARS IV.

Quod mors bona sit, & bonum.

I. BOeotijs, scribit Plut. è Delphico sciscitantibus: quid in vita homini felicissimum contingere posset: id respondit, Mors: Idemque facto ante declararat. Nam cum Agamedes & Triphonius architecti pro constructo Apollini fano mercedem ab eo postulassent, quam haberet optimam: respõdit, post octiduum voti compotes eritis. Die septimo moriuntur ambo, quasi à Deo nec peti, nec dari queat melius morte.

Mors est beneficiũ.

Recte? Quos Deus habet dilectissimos, hos euocat hinc citius. 1. Ideo iustũ Abel occidi permisit. *Gen.* 4 parente in miseriis relicto. 2. Iosias Rex idola, lucosque destruxit. 4. Reg. 22. *Idcirco colligam te ad patres tuos, & colligeris ad sepulcrum tuum in pace; vt non videant oculi tui omnia mala, quæ introducturus sum.* 3. Ionas præsagiens clades Niniuitarum, mori maluit; quam eas intueri, cap. 4. *Tolle Domine animam meam. Melior est mihi mors, quam vita.*

Est merces iustorum.

4. Etiam per deserta Iezabelem fugitãtem pertædu t vitæ. 3. Regum 19. *Sufficit mihi Domine,* clamat, *tolle animam meam,*

neque enim melior sum quam patres mei. Denique, *Da, vt moriar.* Da, vt celeri præuertam tristia letho. 5. Tobias vitæ satur meliora sic orabat cap. 4. *Et nunc Domine secundum voluntatem tuam fac mecum, & præcipe in pace recipi spiritum meum. Expedit enim mihi mori, magis, quam viuere.*

Est, quam vita fælicior.

II. Ergone, quam vita, felicior mors est? 1. Ita quidem Eccl. c. 4. *Laudaui magis mortuos, quam viuentes.* 2. Ita cum Gad prophetes Dauid trium daret optionem, famis, gladij, aut pestis: is mortem elegit, minus malum. 3. Hinc Thraces, etsi barbari; natos lamentabantur; mortuis gratulabantur læti, ac epulabantur: quod mortem vita ducerent potiorem.

Mortes liberorum hilariter acceptæ.

Eorum similes, qui charissimorum pignorũ mortes animo tulerunt æquiore. 1. Claxomenio in scholis philosophanti mors filij repentina nũciatur: qui imperturbatus ad discipulos ait. *Sciebam me mortalem genuisse.* Plut. l. de Consolat. 2. Pericles Athen. Orator quatriduo duobus filiis orbatus nec vultum cõtraxisset, suasque indies orationes ad populum dicere pergit etiam coronatus. 3. Xenophonti ad aram affertur in prælio cecidisse filium; cætera immotus solum coronam ponit, quærit, quomodo oppetisset: vt audijt, pugnans fortiter; coronam capiti reposuit. 4. Dion Syracusanus tyrannus dũ perorat, audito fragore, quid esset quærit, dicitur, filius tuus collapsus expirauit, pergit orare, vt finõ audisset quicquam. Quia mortem in bonis ponebat.

Lugeri vetita.

Pudeat Christianos natorum lamentatores. 1. Lyciorum legislator volentes plangere liberos extinctos non prohibebat: at stolam muliebrem induere eos lege iubebat. Muliebre est, conqueri de morte. 2 Immo & Dominus viduæ dicit, Lucæ 7. *Noli flere,* quasi dicat. Ploras insipienter, iniuste, turpiter. Accusas Deum, naturam, rationem.

PARS V.

De morte sibi gratulandum esse.

1. Quia iustorum est beata.

I. TRepident improbi ad mortem, at iusti exultant. 1. Apoc. 4. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Nam Prouerb. 31. *Non extinguetur in nocte lucerna iusti.* constantia non percelletur morte. 2. Quin cum Dauide canet Psalm. 54. *Vespere, mane, & meridie narrabo opera Domini,* id est, in omni ætate, etiam vespero senij. Hic enim finis est iusti. Nam Psalm. 126. *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini.*

Figura.

Sicut Exod. 30. iussu Dei summus Sacerdos in dies bis inibat templum: mane ad succẽdendas lãpades: vesperi ad thymiama sempiternum accẽdendum. Succensio lampadum, diem viuens vnum, est vita nostra: thymiama mors, quam vita præstantior.

Iusti & iniusti mors diuersa. Simile vnum.

II. Duo idem per mare vela faciunt: alter ad portum fertur patriæ; ad solum incognitum alter: Ita moriens portum subit; viuens diutius ad insulam, aut in syrtibus adhæresit. Istius similes, Ps. 38. *inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Huic similes, Psal. 58. *famẽ patiẽtur vt canes: & mors depascet eos.*

Alterum.

Sint duo in carcere: vnus ob leue delictum, non nexus; sed inambulans: alter ob capitale nexus ferro, & catasta. Quoties panditur carcer, priori spes gestit animo, se educendum fore: alteri horror subit; fore iam ad supplicium extrahendum. Ita iustis mors in voto, Psal 141. *Educ de custodia animam meam*: improbis in supplicio est: quia Psalm. 118. *Funes peccatorum circumplexi sunt me.*

Tertium.

Tradunt olorem sub mortem canere; Syrenem plorare: cum hæc tamen vita tota canat; ille nunquam. Aristoteles in problematis causam refert ad sanguinem in cygno puriorem, ad cor tunc con-

confugientem : impuriorem in Syrenibus. Quicquid id est, olorum iusti, improbi Syrenum sunt similes in extremis. Discrimen hoc conscientia affert purior, aut taminatior. *Mors peccatorum pessima.* Ergo *memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.*

Hebdomada secunda aduentus.

DE IVDICIO

Altero Nouissimorum.

CONCIO PRIMA.

De memoria Iudicij extremi.

Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis. Eccl. 7.

Vnum hoc Concionum est omnium THEMA.

DAturus legem Deus, *Exod.* 19. populi Ducem Moysen voluit ascendere montem : reliquos infra circumsistere, nec ipsum tangere quidem. Hic continuo coire cœlum, nubibusque atrescere, micare fulgura, tonitrua boare, clangere tubas, inhorrescere omnia : Nimirum quia gens contumax erat, ideo lex eum pœna proponebatur. Quanto igitur terribiliora edentur tum, cum legis Vindex apparebit ad iudicium?

Super hoc nos

I. *Quod memoria Iudicij semper fuerit inculcata.*
II. *Quod sit perquam necessaria.*
III. *Quod mundus isti obstrepit memoriæ.*
IV. *Memorare iudicium est perutile.*

PARS I.

Quod memoria iudicij semper fuerit inculcata.

Iudicii memoriam inculcant.

I. VIsus est, *Apocal.* 14. Angelus volare qui Euangelium nunciaret, & clamare: *Timete Dominum, & date illi honorem, quia venit hora iudicij.* 2. Idem Psalm. 2. *Et nunc Reges intelligite; erudimini qui iudicatis terram. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via.* Clamor is monet, quod Ecclesiast 7. *Memorare nouissima,* &c. 3. Hinc S. Vincentius, Ordinis Prædicatorum Zelosissimus, suas prædicationes de iudicio plerasque instituit. Ita Sanct. Gregorius hom. 11. in Euang. *Ille in S. Ecclesia doctus Prædicator existit; qui & noua scit proferre de suauitate regni; & vetusta, de terrore supplicii: vt vel pœnæ terreant quos præmia non inuitant.*

1. Angeli. 2. Prophetæ. *3. Sanct.*

II. Interrogatus Anachoreta quidam, cuius potissimum lectione libri teneretur, ait nullius, nisi trifoliaris: *cuius folio nigro moneretur mortis; candido; beatitudinis; rubro, iudicii.* 2. Sanct. Hieronymus, (qui Sanct. Gregor. Nazianz. in Capadocia S. Epiphanium in Cypro, Didymum in Aegypto, totaque Asia & Europa magistros quæsiuit, & audiuit:) istud in primis didicit : *Siue dormiam, siue comedam, siue quiduis aliud agam; semper auribus meis vox illa videtur intonare: Surgite mortui, venite ad iudicium.*

Eam recolunt Sancti.

III. *S.* Augustinus ad vsque nauseam suis idem inculcabat, sumto themate vno semper: *Cum venerit filius hominis.* Mat. 25. Interrogatus quid toties vnum ingeminaret: ait sermon. 67. de Tempore: *Dico vobis, quod ipsemet Christus; summus hominum Magister, suis discipulis hoc per diuersas parabolas prædicauit.* 2. Isaias, (annis 84. moderator Synagogæ, æqualis Amos, Oseæ, Michææ, Ionæ:) suæ missionis causam edit hanc: cap. 61. *Ad annuntiandum mansuetis misit me, vt prædicarem annum placabilem Domino, & diem Vltionis Deo nostro.*

Prædicant Doctores. *Prophetæ.*

3. Sic & Petrus: Act. 10. *Præcepit nobis prædicare populo, & testificari, quia ipse est, qui constitutus est Iudex viuorum & mortuorum.*

Apostoli.

Adeoque articulis Symboli voluit insertam Dominus memoriam Iudicij. 4. Nec solum Angelos, Prophetas, Apostolos illius testes habet; sed creatis inanimis ad idem vtitur. Nam Psal. 49. *Annunciabunt cœli iustitiam eius, quoniam Deus est.* Id quod memorari necesse est.

Res inanima.

PARS II.

Extremi iudicii memoria est necessaria.

Sanctis ea fuit familiaris.

I. SAnctus nemo extitit; cui memoria iudicii non perpes infixa hæsit. 1. Iob. 9. *Verebar omnia opera mea, sciens quia non parceres delinquenti:* Vnde postea Iob. 31. *Quid faciam, cum surrexerit ad iudicandum Deus? & cum quæsierit, quid respondebo illi?* 2. De hoc angore vaticinatus Psal. 51. ait: *Videbunt iusti, & timebunt.* Quid ergo peccatores? 3. Ad omnes ita Eccles. 38. *Memento nouissimorum, & noli obliuisci: neque enim est conuersio.*

Terrifica.

Et vero sanctissimi quique ad eam memoriam expallescunt. 1. Psalm. 103. *Ab increpatione tua fugient à voce tonitrui tui formidabunt.* 2. Quin ipse Psal. 118. *Confige timore tuo carnes meas, à iudiciis enim tuis timui.* Configi cum eo timore orat, ne vnquam ab eo diuellatur.

Vtiliter vsurpata.

3. Hac morosior Rex quidam, apud Io. Damas. lib. de Iosaphat & Barlaam, à fratre monebatur, missis cogitationibus istis frontem exporrigeret. Rex siluit: mane buccina cani ad fores eius iubet; (mortis hæc denunciatio erat.) Ille semianimis aduolat ad Regem supplex, &c. Cui Rex: Itan' tu ad isthanc exhorrui sti tubam; non ego Dei tubam metuerẽ.

Cunctis proficua & horribilis.

II. Bernard. sermon. 8. in Psalm. 90. *Quid tam pauendum, quam iudicandum astare illi tam terrifico tribunali, & incertam adhuc expectare sub tam districto iudice sententiam?* S. Anselmus libr. de miseria. *Vndique mihi angustiæ. Hinc erunt accusantia peccata, inde terrens iustitia: subtus patens horridum chaos inferni: desuper iratus Iudex: intus vrens conscientia: foris ardens mundus: Iustus vix saluabitur: peccator in quam partem se vertet? Latere erit impossibile; apparere intolerabile.* Idem vel ethnici innuebant, cum teste Pierio, Ioui tricipitem serpentem immolabant: cuius caput primum canis, secundum leonis, tertium lupi erat: quod præterita meminisset, præsentia perferret, futura præuideret. Ita hominem docebant cor cum trium istorum cogitatio. ne offerre: atque hoc demum perfecte sapientis esse. Vnde Prouerb. 22. *Viri mali non cogitant iudicium. Qui autem inquirunt Dominum, animaduertunt omnia.*

Ethnicis non neglecta.

Cunctis cõmendãda.

III. Ista Dauidis cura erat potissima in omnibus regni curis: eamque cunctis impressam volens, præconizat Psalm. 48. *Audite hæc omnes gentes; auribus percipite omnes qui habitatis Orbem: Quique terrigenæ filii hominum, simul in vnum diues & pauper.* Quid ergo tandem? *Os meum loquetur sapientiam, & meditatio cordis mei prudentiam.* Eloquere vero. *Cur timebo in die mala?* quasi dicat. Timeo: & necesse est: sed cur timeam ignoro. An quod omnia mihi relinquenda? Quod omnia ab signis erunt horrifica in iudicio? &c. Non: sed quod comparere necesse sit, & Psal: 48. *iniquitas calcanei mei circumdabit me.*

PARS III.

Mundus isti obstrepit memoriæ.

ISta talia Sancti: & peccatores tam agẽt immemores iudicii? Quos vero tibi annos spondes: quas nectis moras? Ecquando Satanæ præstigias animaduertes? At nequis: ita mundus ac consuetudines tibi obstrepunt. 1. Sicut, ait S. Antonius Patauinus, bombicis audito tonitru suis inuolucris immoriuntur: at illud ne exaudiant; solent apiarii tinnitibus circumstrepere: Ita Satan, mundusque tibi,

Strepitus mundi magnus est.

tibi, ne iudicii tonitru audito peccatis demoriare. 2. Accolas Nili tradunt plerosque surdastros esse; idque ob strepitum rapidissimi fluuij. Ita mundi streporosi incolæ surdastri sunt ad cœlestia.

Maior turbatio in iudicio.

3. Nam sic Iob. 37. *Super hoc expauit cor meum, & emotum est de loco suo.* Cur? *Post eum rugiet sonitus, tonabit voce magnitudinis suæ, & non inuestigabitur, cũ audita fuerit vox eius. Tonabit Deus in voce sua miserabiliter, qui facit magna & inscrutabilia.*

4. Similia Mardochæo secundum quietẽ sunt exhibita, Esth. 11. *Apparuerunt voces, & tumultus, & tonitrua, & terræmotus, & cõturbatio super terrã. Et ecce duo dracones magni parati contra se in prælium. Ad quorum clamorem cunctæ concitatæ sunt nationes, vt pugnarent cõtra gentem iustorũ. Fuitq; dies illa tenebrarũ, & discriminis tribulationis & angustiæ,* &c. Qualia igitur in extremo iudicio; cum talia ob edictum Assueri de Iudæis contrucidandis? Horret Vniuersum ad istud; & non peccator?

PARS IV.

Memorari Iudicium est perutile,

Vtilis est. 1. ad abstinendum à peccatis.

I. QVanta vero sit vtilitas ex iudicij memoria, quilibet peccator experiri nouit. 1. Si enim asina Baalim, *Numerorum* 22. viso angeli mucrone cessit retro: num visa Iudicis romphæa peccator ad scelera progredietur? 2. Et vero Psalm. 7. *Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrauit, arcum suum tetendit, & parauit illum.* 3. Rex Sicambrorum Basanes in insignibus suis nudum ensem cum laqueo habebat, addita epigrapha: *Discite iustitiam moniti.* Ita Iudex DEVS gladium & arcum. Ergo Psalm. 2. *Seruite Domino in timore* 4. Hinc Hosius Episcopus Cordub. ad Constantinum Imperatorem coercendum: *Desine*, scribit: *memineris te mortalem esse, reformida diem Iudicii: serua te in illam diem purum; ne te misceas ecclesiasticis.* 5. Ad omnes Bernard. sermon. de primord. medijs, & nouissimis. *Time ô homo, quod in terribili iudicio ei præsentandus es, in cuius manus horrendum est incidere, & ab eo examinãdus, quẽ nihil latet.*

Obliuio causat peccata.

Obliuio iudicii docet quantum eius memoria conducat. Ps. 5. *Propter quid irritauit impius Deum? Dixit enim in corde suo, Non requiret.* Ibidem. *Inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore, auferuntur iudicia tua à facie eius.* O desperatam plagam! Puniri istorũ obliuione, esse reprobari existimo.

Nec enim ipsis ethnicis ista defuit admonitio. Rhamnusiam sibi pinxere Deã, vltricem fandi atque nefandi; quæ frena manu teneret. Innuebant, nil efficacius esse ad retardandos, ac reuocandos mortales à sceleribus, atq; memoriam vltionis Dei, & iudicii.

2. Ad expiandapeccata.

II. Ferunt, ceruas tonante cœlo parere, metu eas resoluente: ita peccatorum animæ ad tonitru iudicii scelera deponunt. 1. Psalm. 7. *Ecce parturiit iniustitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem.* 2. Nam, vt 1. Reg. 2. ait Anna. *Dominum formidabunt aduersarii eius; super ipsos in cœlis tonabit.* 3. Pharao tum trepidauit, cum vastatricem cerneret grandinem audiretque tonitrua. Continuo, Exod. 9. *vocauit Moysen & Aaron, dicens ad eos. Peccaui etiam nunc. Dominus iustus, & ego & populus meus impii.* Et quanto erunt horribiliora in iudicio?

Exempla.

1. Certe nil efficacius norat reuocandis adhibere peccatoribus Iob. 19. *Fugite à facie gladii quoniam vltor iniquitatum gladius est: & scitote esse iudicium.* 2. Quin & Paulo *disputante de iustitia, & castitate, & de iudicio futuro, tremefactus Fœlix respondit.* Actor. 20. Vbi Chrysostom. homil. 50. *Tanta erat vis verborum eius, vt etiam Principem deterrerent* ita gentilis: quid igitur fidelis? 3. Basilius hom. in Isai. 1.

Ha-

Habete in oculis terribilem iudicij diem, & habete eum pædagogum.

III. Obliuio iudicij mala quanta non inuehit? 1. Dixi ex Psalm. 9. *Inquinatæ sunt viæ, &c.* 2. Quale par nequam senum, Dan. 13. *Auerterunt sensum suum, & declinauerunt oculos suos vt non viderent cœlum; neque recordarentur iudiciorum suorum.* Atque ideo in Susannam exarsere.

Testatur *Iob* 39. Deum horrore iudicij frenasse gentes, ne in omne nefas abirent. *Tenuisti*, ne peccarent licentius, *concutiens* terrore iudicij, *extrema terræ*, id est, peccatores, (qui orbis abiectissima sunt, estque *longe à peccatoribus salus*: Psal. 118.) *& excussisti impios ex ea.* Præseruat igitur à peccatis ista memoria.

Figura de effectu. Hæc vindicat in peccata; sicut Samson per vulpes in Philistæos. *Iudicum* 15. Peccatorum desideria, affectus, & scelera sunt vulpes: per memoriam nouissimorum cum vltrice flamma colligata immittantur in segetes peccantium: hæc exurentur, & vindicta erit de carne, dæmone & mundo sumpta. Huc respexit Isaias 41. *Viderunt insulæ DEI insulæ & timuerunt, extrema terræ obstupuerunt, & appropinquauerunt, & accesserunt.* Psalm. 67. similia. *Turbabuntur gentes, & timebunt, qui habitant terminos à signis tuis.* Hæc igitur *memorare nouissima*, &c.

CONCIO SECVNDA.

De Signis iudicium præcessuris.

ANtiochus 2. *Mach.* 5. templum Solymæ euastauit, 80000. hominum occidit, plures captiuos abduxit, &c. Sed 40. diebus ante in aere acies armatorum visę Ita mundi destructionem anteibunt signa terrifica.

Circa quæ nos

I. *De horribilitate signorum, quæ iudicium anteibunt.*

II. *De signis in sole, & Cœlorum virtutibus.*

III. *Cur talia in creaturis sint edenda monstra.*

IV. *De signo in luna, & signorum allegoria.*

V. *De signis stellarum.*

PARS I.

De horribilitate signorum, quæ iudicium anteibunt.

OPere iustitiæ, & vindictæ Dei nil horribilius. Abacuc 1. *Admiramini, & obstupescite, quia opus factum est in diebus vestris, quod nemo credat, cum narrabitur.* Quod opus illud? Exodi 34. *Signa faciam, quæ nunquam visa sunt super terram, nec in vllis gentibus, vt cernat populus iste Opus Domini terribile, quod facturus sum.* Terribiliora Ioel. 2. *Dabo prodigia in cœlo, & in terra, sanguinem & ignem, & vaporem fumi; sol conuertetur in tenebras, & luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis.*

Vidistis Philosophi hactenus signa Zodiaci circumuolui: at hic iam alia sese dabunt: sanguinea, flammea: &c. Cœli sangume stillabunt; terra ignibus, aer fumo æstuabit, &c. Actorum 2. dicitur dies *Manifestus.* Nam signa præcedentia manifestabunt horrorem. 1. Sicut Psal. 134. *Misit signa & prodigia in medio tui Aegypte, in Pharaonem, & in omnes seruos eius.* Ita in medio orbe, manifesto præmittet portenta iudicio, marique rubro pandendo ad transitum iustorum: & interitum Pharaonitarum. 2. Sicut tonitrua fulminum prænuncia: ita signa ea iudicij. Psal. 96. *Illuxerunt fulgura eius orbi terræ; vidit & commota est terra*: quanto magis homines commouebuntur? 3. Maris accolæ ex auium circumuolatu in litore colligunt, quando mare alluet, aut defluet: sicque fuga sibi cauent. Ita ante vndosos iudicij æstus signa ibunt horrida. Psalm. 59.

Dedisti

Dedisti metuentibus te significationem, vt fugiant à facie arcus. 4. Iosue *cap.* 6. ante septiduo circuibat cum Arca muros Iericho tubis clangens; quam denique subuerterentur omnia. Iericho, id est, Luna, ait Orig. homil. 69. in Iosu. Nam mundus *stultus vt luna mutatur*, subinde vsque ad deliquium. Sol, ac luna, sideraque alia, (quæ *militia cœlestis* nuncupãtur:) mundum insolito cursu circumibunt, signaque dabunt ante, quam omnes in Iericho dispereant. 5. Ita Apocalyps. 10. *In diebus septimi Angeli, cum cœperit tuba canere, consummabitur mysterium.* Hoc *memorare, & in æternum non peccabis.*

PARS II.

De signis in sole, & cœlorum virtutibus.

Signa indicium sunt interitus.

I. *Erunt signa in sole, luna, & stellis.* 1. Vt enim defecti senij indicium est lippitudo, tremor, &c. ita orbis occasuri obscuratio oculorum eius; qui sunt sol, luna, ac stellæ, terræque motus. 2. Inde se Isaac morti vicinum augurabatur, *Gen.* 25. quod *caligauerunt oculi eius*: Ita obscurationes siderum indicant, quod, Matth. 24. *iuxta est dies perditionis, & adesse festinant tempora.* 3. Præsertim cum & membra mundi tremant; vrbesque ruant: nam *erunt motus per loca.*

Virtutes quanã mouebuntur.

Insuper & *Virtutes cœlorum mouebuntur.* Luc. 21. id est. 1. Influxus distemperabuntur ad rerum omnium perturbationem. 2. Aut motores Angeli cœlos deserent, errareque sinent. Nam 2. Petri 3. *Cœli magno impetu transient.* Isai. 13. *Super hoc cœlum turbabo, & mouebitur terra de loco suo, propter indignationem Domini exercituum.* 3. Aut denique ipsimet Angeli, *Virtutes* ac Potestates *cœlorum mouebuntur* præ horrore iudicij, vt accipit Eusebius. Quis tunc hominum tremor est futurus; quando Iob 26. *Columnæ cœli pauent, & contremiscunt ad nutum eius?* Vbi Sanctus Gregorius. *Quid facient*, ait, *tabulæ, quando trement columnæ?* 4. Similes in hoc angeli erunt filio trementi, quando cernit patrem iratum in seruos animaduertere. Ita *li.* 4. *Distinct.* 48. *Magister.* 5. Mouebuntur etiam horrore; quod ad insolita exequenda ipsi destinabuntur. Sicut cum herus in agone pro depositio habetur, domestici in luctu sũt ac squalore, ipsique parietes ac sellæ atro obducuntur, &c. quæ omnia, ait *Augustin. 1. ciu. cap.* 12. magis solatia sunt viuorum, quam subsidia defunctorum. Ita homo, mundi herus expiraturus, deque mundo auferendus cum erit, omnia sensata & insensata lugebunt cœlestia, ac terrestria.

Sol cur nigrescet.

II. Sol atrabitur, Apocal. 6. *Cum aperuisset sigillum sextum, Sol factus est niger, tanquam saccus cilicinus.* Cur? 1. Visa hominũ impietate ingrata & inimica, pœnisque æterna paratis. 2. Iratus simul, & misertus tam miserorum mortalium. 3. Ait Orig. & S. Gregorius Magnus: Ea facie sua monere solem homines ad pœnitentiam in sacco cilicioque agendam.

Cœli cur obnubẽtur.

Soli similes erunt & cœli. Isai. 50. *In increpatione mea induam cœlos tenebris: & ponam saccum operimentum eorum.* Rex Niniue edixit, Ionæ 3. *Operiantur saccis homines, & conuertatur vir à via sua mala*: Ita Deus & cœlis imperabit in iudicio. Exclamat S. Hier. *O horror horrorum, ô spectaculum spectaculorum!*

PARS III.

Cur talia in creaturis monstra sint edenda.

I. NOn sat aquis transcendi montes; plantas rorare sanguine; domos euerti; terras æstuare flammis; Angelos hominesque trepidare? Etiamne solem, cœlos, & supera pati necesse est? 1. Est, inquit S. Gregorius. quia homini ad pec-

catum seruierant. 2. Est, inquit Sanct. Thomas, quia iniuria affecto hero omnis eius turbatur familia. 3. Regia læsa maiestate, armisque appetita, subditi pro ipso in arma ruunt, Sap. 16. *Omnis creatura tibi Creatori deseruiens exandescit in tormentum aduersus iniustos.*

II. Et iure merito. Nam sicut ciuitas ab tyranni pressa iugo, vt illum semel excussit, in ipsum arma sumit pro libertate: Ita cum à peccatoribus creaturæ quasi tyrannidem sint passæ: item cum mundus ipse in incolas suas tyrannidem exercuerit: ideo & Deus in mundum vindicat pro iustis diu oppressis: & etiam, Sapient. 5. *armabit creaturam ad vltionem inimicorum, & pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.* Atque ideo *erunt signa.* Prodit Iosephus, & Hegesippus, ante Solymæi Templi ac vrbis euastationem signa apparuisse: quanto magis, & maiora ante Orbis excidium?

III. Quid quod tantum sit odium Dei in peccata, vt horum vindictam sit etiam ab inanimis repetiturus. Sicut Exod. 22. *Qui cum iumento peccauerit, moriatur & iumentum.* Ergo res sociæ culparum, erunt & pœnarum. *Domine, quid est homo,* ait Iob 14. *dignum ducis super huiusce modi aperire oculos, & adducere eum tecum in iudicium? Contra folium, quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam,* quasi dicat. Ten' omnipotentem contra tam fragilem taliter insurgere? si vel Angelo id committeres, &c.

IV. *Erunt* tamen *signa in sole & luna.* Ita quidem ipsa fuerunt ab exordio: nam Gen. 1. *Sint in signa, & tempora*: sed signa diei gratæ ac noctis: Nunc erunt signa iudicij inimica. Inter quæ alia signa sol erit; cum fuerit in plura pluribus. 1. *Iosue* 10. substitit cursu in medio, in signum victoriæ populi Dei. Ezechiæ Regi 4 *Regum* 20. vel recessit 10. gradibus, in signum restituendæ Regi sanitatis. 3. In passione tenebris fuit inuolutus, in signum compassionis. Erit tamen & in iudicio signum sol.

Nimirum peruicacia mundi signis erit conterrenda: sic vt & Pharaonis ante, quam funditus interiret. Et vero idola etiam omnia Aegypti corruerunt nocte, qua Israelitæ exibant: ita & peccatoris idola in mundo hoc destruentur *ante, quam veniat dies Domini magnus, & manifestus.*

PARS IV.

De signo in Luna: Et signorum allegoria.

I. LVna quid fiet? 1. Isa. 13. *O tenebratus est Sol in ortu suo, & Luna non splendebit in Lumine suo.* 2. Ezech. 32. *Operiam, cum extinctus fuero, cœlos, & nigrescere faciam stellas eius: solem nube tegam, & luna non dabit lumen suum.* 3. Ioel. 2. *Sol & luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorem suum.*

4. Petrus Actorum 2. *Sol conuertetur in tenebras, & luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini.* 5. Apoc. 6. *Luna tota facta est sicut sanguis, & stellæ ceciderunt de cœlo super terram.*

Sed cur sanguinea? An, quod instantem annunciet tempestatem? Nam *Pallida luna pluit, rubicunda flat, alba serenat.*

An, vt interitum orbis designet? 1. Ita Tamerlanes vrbem aliquam obsidens, ni die primo se alteroue tertio dedisset; tentoria rubra figebat: eoque cædem omnium denunciabat. Ita Dominus rubea luna. 2. Ante iussit Deus superliminaria sanguine agni tingi, quam Israelitas educeret, & cæderet Aegyptios. Ita ante iudicium sanguinabit luna.

II. Quid, quod sol Iesum, Luna Mariam, stellæ Cœlites nobis repræsentabunt? Hi de se signa dabunt.

1. Chri-

1. Christus quidem: Malac. 4. *Orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiæ:* cæteris sol vindictæ: Nam tunc posita benignitate vultum sumet iratus: vti Samuel prædixit, 1. Regum 15. *Triumphator in Israel non parcet, & pœnitudine non flectetur.* Prouerb. 6. *Zelus & furor viri non parcet in die vindictæ, nec accipiet pro redemtione dona plurima.* O signa! Sed maiora restant. Arma Passionis apparebunt. Luc. 21. *Tunc parebit signum filij hominis.*

2. Deipara vero, (quæ Cantic. 6. *pulcra vt Luna* est iam, deprecando pro nobis apud filium:) tunc irata *non dabit lumen suum* deprecationis: non erit *refugium peccatorum*: non Cynosura fluctuantibus; sed his etiam tenebras affundet. Esthera, *cap.* 7. Amano irata, quod petiit ab Assuero, obtinuit: & Aman laqueo periit. Ita Deipara nunc deprecatrix, tunc in iudicio erit accusatrix. Tunc dicet Filio. Iere. 18. *Recordare quod steterim in conspectu tuo, vt loquerer pro eis bonum & auerterem indignationem tuam ab eis: propterea deduc eos in manus gladij.* O signum horribile!

3. Denique Cœlestes signa dabunt; tanquam lictores vestitu suo sanguineo ac tubis. Imo Psal. 148. *Ignis grando, nix, glacies, & Spiritus procellarum facient verbum eius,* in vindictam peccatorum. Et vero quid ni & nunc in iudicio stellæ Cœlitum præcurrerent Domino? Cum in natiuitate ei præierint ad Magos: Matth. 2. *Vidimus stellam eius in oriente;* inquiunt. Præierunt Cœlites ad Mariam, Zachariam, Iosephum, Pastores. Ita nunc & angeli & stellæ ipsi ministrabunt Iudici futuro.

PARS V.

De stellarum signis.

I. QVod autem dicitur, *cadent de cœlo:* interpretantur Alij sic: videbuntur cadere: Alij, sic cometæ nati decident. Origenes sic: eximij quique viri deficient ad Antichristum. Vti in Daniele. cap. 8. *Deiecit de fortitudine, & de stellis, & conculcauit eas. Quia,* explicat S. Gregorius 30. Moral. cap. 12. *nonnullos & luce iustitiæ resplendentes, & virtute operis robustos Antichristus franget.* Id in Apocalypsi *cap.* 12. describitur typo draconis tertiam stellarum partem cauda trahentis secum in perniciem.

II. Ad allegoriam vero, Sancti sunt stellæ, in quibus, vt in Sole & luna, id est, *stellæ.* in Iesu & Maria signa fient. 1. Sunt stellæ. Quia 1. Corinth. 15. *Alia claritas solis, alia claritas lunæ, alia stellarum,* id est, Sanctorum gloria est diuersa. 2. Dan. 12. *Qui ad iustitiam erudiunt multos fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates.* 3. Mulier, *Apoc.* 12. cum stellis 12. in corona, est Ecclesia cum S. Apostolis. Nam Sancti resplendent in Ecclesia, vt in cœlo stellæ. 4. Latentque abditi in die prosperitatis, ac mundani respectus; sicut stellæ: at noctu aduersitatis, vel mortis tum rutilant: *Sic Gregorius* 4. *Moral. cap.* 14. 5. Vtque stellæ fixæ sunt, nec nisi cum cœlo moto mouentur: Ita sancti in Deo fixi. Secundum illud Act. 17. *In ipso viuimus, mouemur, & sumus.* Hisce in stellis, id est, sanctis erunt signa. Nam Isaiæ 13. *Stellæ non expandent lumen suum.* Ioel 2. *Stellæ retraxerunt lumen suum.* O signa infausta. *Sancti sunt stellæ.*

III. Infaustior autem res signata. 1. Nam tunc sancti subtrahent opem suam intercedendi pro peccatoribus: Quia iustitiæ tempus est, non misericordiæ. Quantum namque iam patrocinantur, tantum dein aduersabuntur: conformes Duci suo IESV. 2. Psalm. 149. *Exultationes Dei in gutture eorum, & gladij ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus.* 3. Exultabunt, & iubilabunt de die vindictæ iniuriarum suo Capiti Iesu illatarum: seque ipsumque vindicabunt de improbis. 4. Irridebunt eos ac sub

sannabunt; Deuter. 32. *Vbi sunt Dij eorum, in quibus habebant fiduciam? Surgant, & opitulentur vobis, & in necessitate vos protegant.*

5. Simul in interitu eorum ridebunt. Psalm. 57. *Lætabitur iustus, cū viderit vindictam: manus suas lauabit in sanguine peccatoris.* Et Sap. 5. *Stabunt iusti in magna constantia aduersus eos, qui se angustiauerunt.* O signa! Hæc *memorare nouissima tua, &c.*

CONCIO TERTIA.

De horribili die iudicii.

MOyses, *Deu.* 23. præuidens ventura in Iudæos mala, ob violationem legis, diem quo euenient, appellat *diem perditionis, desolationis & destructionis.* Ex quo licet æstimare de die generalis perditionis, tanto horribiliore.

Super quo nos

I. *De horrore Diei iudicialis.*
II. *De ignorata, & immeritoria die illa noctis.*
III. *De ignibus diei.*
IV. *De tempestate in elementis quatuor.*
V. *De nominibus diei.*

PARS I.

De horrore diei iudicialis.

Horror diei. I. ISaias 21. ait. *Visio dura nunciata est mihi, propterea repleti sunt lumbi mei dolore, & angustia possedit me, sicut angustia parturientis. Corrui cum audirem. Conturbatus sum, cum viderem: emarcuit cor meum: tenebræ stupefecerunt me.* Viderat euertendam Ierosolymam, templum, aram. At quid ea ad orbis totius interitum? Exclamare libet cum Ieremia. 1. *Ollam succensam ego video:* Nam talis in iudicio orbis erit. Hinc Deut. 32. *Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima: deuorabitque terram cum germine suo, & montium fundamenta comburet.* Quin & homines. Hebr. 10. *Terribilis quædam expectatio iudicij est, quæ consumtura est aduersarios. Illic namque,* ait S. Gregorius Nyss. Orat. 2. in 1. Gen. *irascetur Iudex: elementa frement: cœli furorem spirabunt: omnes creaturæ aduersus hominem insurgent.*

Quid? Rex Ezechias auditis minis in Ierusalem ab Rapasce intentatis, sacco indutus in templum conuocatos proceres sacco indutos ad Isaiam amandat, qui dicerent: 4. Regum 19. *Dies tribulationis, & increpationis, & blasphemiæ dies iste.* Quid agi par ad diem iudicij? Quæ pœnitentia par? *Et minæ Pœnitētia auertenda.*

Mardochæus accepta ab Assuero licentia, die vna in Susis occidit 500. viros & Amani cognatos 10. egit in crucem: quæ dies dicta est, Esther. 8. *Dies vltionis.* At diuinæ vltionis dies *quam terribilis est & quis resistet tibi?* Psal. 75. *Ex tunc ira tua, de cœlo auditum fecisti iudicium tuum, terra tremuit, & quieuit: cū exurgeret in iudicio Deus.* *Dies vltionis.*

1. De ea die Sophonias. 1. *Vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis:* Hercules, Cæsar, Samson, &c Quin etiam Psal. 96. *Montes,* id est, Sancti, *sicut cera fluxerūt à facie Domini à facie Domini* iudicantis, *omnis terra.* 2. Ostensa Abrahæ dies illa sic describitur Genes. 15. *Cum sol occumberet, sopor irruit super Abraham, & horror magnus atque tenebrosus inuasit eum: apparuit clibanus ardens, & fumans, & lampas ardens.* In quæ S. Augustin. serm. 54. de temp. & Ps. 103. con. 3. Clibanus, ait, *significat diem iudicii, in quo erit fletus & stridor dentium, & tarda pœnitentia, quando ardebit terra vsque ad inferos.* *Sanctiad eam expauerunt.*

3. Vnus amicorum Iob diem istum animo voluens ait Iob. 4. *In horrore visionis nocturnæ pauor tenuit me & tremor, & omnia ossa perterrita sunt.* Quæ verba S. Gregorius 5. Moral. cap. 23. de iudicio interpretatur. 4. Nescit sat describere diem eam Sophonias, cap. 1. *Dies, ait, iræ, dies tribulationis, & angustiæ: dies calamitatis & miseriæ: dies*

dies tenebrarum & caligis. Huius *memorare nouissima, & in &c.* Hæc dies quia est confusionis, nullo seruato ordine cætera de eo proferentur.

PARS II.

De ignorata, & immeritoria die noctis.

Dies iudicij ignoratur.

I. Dies vltionis ignoratur: quia cœlorum, siderumque motus eum non indicant: soli cognita Deo est. 1. Nam Ps. 93. *Deus vltionum Dominus, Deus vltionum Libere egit.* 2. Aristoteles nunquam potuit ingenio diem ortus mundi indagare: ideo dixit, eum ab æterno extitisse. Finis minus sciri valet. 3. Malac. 3. *Ecce venit Dominus Deus exercituum, & quis poterit cogitare diem aduentus eius?* Zach. 4. *Exit dies vna quæ nota est Domino: non dies neque nox.* Marc. 13. *De die illa vel hora nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque filius, nisi Pater.*

4. Apostoli nosse cupiebant: at Dominus: Actor. 1. *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua manu.*

Errores.

Apud *Galatinum libr. 4. cap. 6. & Mirandulam l. 7. Nepht. cap. 4.* sunt Rabani qui nosse volunt, sic diuinantes: Sex diebus conditus est orbis, & 6000. annis perstabit. Nam Psalm. 89. *Mille anni ante oculos tuos tanquam dies heſterna, quæ præteriit.* Nugantur.

Horror scitur ex parte.

II. Incerta & ignorata dies, vt horror certus est. 1. Ioannes vidit Iudicem cum scintillantibus oculis gladioque ancipite; & exanimis corruit. *Apocal. 1.* Si hoc Dilecto; quid aliis fiet ad plura, maioraque visa? 2. Ipse Dominus ait; Matt. 24. *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi.*

3. Ergone maior, quam in diluuio? *Genes. 7.* quam *Genes. 19.* in Pentapoli exusta? quam, *Exod. 8.* in plagis Aegypti? in cruētis aquis, ramis, cyniphibus, Muscis, peste, grandine, locustis, tenebris, occisis primogenitis; denique in submersione omnium?

Dies erit noctis infructuosa, & luctuosa?

Erit dies non dies; & nox ea, de qua Dominus: Ioan. 9. *Venit nox in qua nemo potest operari,* Ergo dum dies est, in vinea operandum est. *Matth. 20.* Nam ad vesperam denarius datur diurnus, & 2. Cor. 8. *recipiet vnusquisque prout gessit, &c.* Nam Ps. 103. *Exibit homo ad opus suum, & ad operationem suam vsque ad vesperum.* Subsequente *tota nocte laborantes nil capiunt.* Luc. 5. O labores istos nocturnos! Væ.

Horrid ssimæque noctis.

III. De nocte Sap. 17. *Illis solis superposita erat grauis nox: imago tenebrarum spiritus sibilans: aut inter spissos arborum ramos auium sonus, aut vis aquæ decurrentis nimium: aut sonus validus præcipitatarum petrarum, aut mugientium valida bestiarum vox, aut resonans de altissimis montibus Echo, deficientes faciebāt illos præ timore.* O honorificam noctem! 2. Illane, in qua Matth. 25. *clamor factus est, Ecce sponsus venit?* Væ imparatis ac stultis! Manna in deserto omni die pluebat, at non in Sabbato: *Exod. 16.* Ita nunc gratiæ fit copia nulla in iudicio, qui nō ante collegerit; perit. 2. Exod. 23. *Sex annis seres agrum tuum, septimo sabbatum terræ erit.* Is ager conscientiæ ac animæ est. Vna septimana est vita nostra; dein sabbatum terræ, Apoc. 14. *Amodo iam dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis.* Hinc adeo solicite monet, 2. Cor. 6. *dum tempus acceptabile, dum dies est, bonum operemur.*

Tunc finis est mercēdis.

PARS III.

De ignibus Diei.

Dies erit ignis.

I. Vdicij tamen dies dicitur: At qualis erit? 1. Ps. 31. *Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno: veruntamen in diluuio aquarū multarum ad te non approximabunt,* quasi dicat, Iam nobis apud Deum patrocinabuntur Diui: non tunc. 2. Tunc enim Dominus, vt Cleō ad reip. clauum admotus conuocatis ad se amicis & co-

gnatis profitetur, se ex hoc omnem affectum amicitiæ & sanguinis exuere: & eũdem omnibus futurum. Ita *in diluuio* Deo *sancti non approximabant*: Mandabitur tamen, Psal. 49. *Congregate illi Sanctos eius, qui ordinant testamentum eius.*

Sine auxilio Sanctorum.

Heu diluuium!1. Nam Dani. 7. *Fluuius igneus, rapidusq; egrediebatur de ore eius.* 2. Et Ps. 69. *Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius, &c.*

Dies horroris. Exempla.

II. Vxor Loth, viso tantum per respectum incendio Sodomæo, sic exhorruit, vt lapidesceret. *Gen.* 19. O quis horror viso orbis flammeo diluuio; quo, ait Aug. in Ps. 103. conc. 3 *mouebuntur fundamenta montium, & ardebit terra vsque ad inferos.* 2. *Apoc.* 18. Viso Babylonis incendio consperſi cineribus lamentabuntur: *Væ! Væ! Ciuitas illa magna, in qua diuites facti sunt omnes, vna hora desolata est.* 3. Ipse Dominus flens super Ierusalem ait: Luc. 19. *Venient dies in te, & circundabunt te inimici tui vallo, & coangustabunt te vndique, & ad terram prosternent te, & filios tuos qui sunt in te: & nõ relinquent lapidem super lapidem.* Iam tẽpus est miserendi, tunc minime. Tunc enim, vt collecta aquarum vis, cohibitaq; diu, demum miro cum impetu proruit: ita Isai. 28. *ecce validus & fortis Dominus, sicut impetus aquarum multarum inundantium.*

PARS IV.

De tempestate in elementis quatuor.

IAm vero, Iob. 20. *cum vix paruam stillam sermonis eius audierimus: quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri?* Præsertim cum Psal. 49. *in circuitu eius tempestas valida:* Cum etiam Psal. 82. *sicut ignis qui comburit siluam, & sicut flamma comburens montes, ita persequeris illos in tempestate tua, & in ira tua turbabis eos.* Væ peccatori? Iob. 27. *Apprehendet enim eum, quasi aquæ inopia, nocte opprimet eum tempestas.*

I. Tempestas erit in mari ab erumpentibus ventis, surgentibus vndis, emergentibus piscium monstris, &c. Luc. 21. *arescentibus hominibus præ confusione sonitus maris & fluctuum.* Psal. 76. *Viderunt te aquæ Deus, & timuerunt, & turbatæ sunt abyssi.* O, Psal. 78. *non me demergat tempestas aquæ.*

II. Tempestas in terra, ab successionibus, euulsis stratisque montibus. 1. Nam Marc. 13. *Erunt motus magni per loca:* 2. Ps. 81. *Mouebuntur omnia fundamenta terræ.* 3. Psal. 97. *Moueatur mare, & plenitudo eius: orbis terrarum, & vniuersi qui habitant in eo. Quoniã venit iudicare terram: iudicabit orbem terrarum in iustitia, & populos in æquitate.* 4. Isai. 13. *Super hoc cælum turbabo, & mouebitur terra loco suo.* 5. Apoc. 16. *Et terræmotus factus est magnus, qualis nunquam fuit.*

III. Tẽpestas in aere. 1. Ps. 96. *Illuxerunt fulgura eius orbi terræ; vidit, & commota est terra.* 2. Psa. 17. *Misit sagittas suas, & dissipauit eos: fulgura multiplicauit, & conturbauit eos.* 3. Apoc. 11. *Et facta sunt fulgura, & voces, & terræmotus, & grando magna, sicut talentum descendit de cælo in homines.*

IV. Tempestas in igne. 1. Psalm. 96. *Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius.* Quos Psal. 5 *odisti omnes, qui operantur iniquitatem, &c.* 2. Ideo Psal. 12. *pluet super peccatores laqueos. ignis, sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum: quoniam iustus Dominus, & iustitias dilexit.* Et hanc exequentur *ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum: quæ faciunt verbum eius.* Psalm. 148.

V. Tempestas erit in cœlo Isa. 13. *Super hoc cœlum turbabo.* Psal. 82. *Et in ira tua turbabis eos.* Eorum stellæ cadent, influxus stabunt, cursus errabunt, &c. Istis Dominus interueniet *quasi tempestas.* Dan. 11. Nahum. 1. *Dominus in tempestate & in turbine viæ eius.* Ipse ait per Ezech. 13. *Erumpere faciam spiritus tempestatum in indignatione mea, & imber inundans in furore meo, erit, & lapides grandes in ira in consumptionem.* Iam col-

collige singula: Deus, Diui, cœli, elementa, creaturæ omnes, & omnia irata erunt ac turbata.

PARS V.

De nominibus Diei.

Dicitur dies ira.

DIes tres celebrantur: Gratiæ: Gloriæ: Iræ. Ac huius tantæ, vt Psal. 89. *Quis nouit potestatem iræ tuæ, & præ timore iram tuam dinumerare?* Psalm. 6. *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* Exhorruit ab eo Abacuc. c. 3. *Audiui & conturbatus est venter meus: à voce contremuerunt labia mea.* Ergo *ingrediatur putredo in ossibus meis, & subter me scateat, & requiescam in die tribulationis.*

Belli. O diem vt terroribus, ita & nominibus insignem! Audi Iob. 38. *Quæ præparaui in die pugnæ & belli.* Ita & Psalm. 139. *Belli* dicitur anatomastice. Vnde Iob. 40. *Memento Belli: nec vltra addas loqui*, quasi dicat ecfari non est, cogita quidvis de eo; omnia tamen sunt cogitatu horribiliora. Omnia die eo erunt bellica: pax Deum inter & homines rumpetur; tubæ concinent; ruet Iericho: anceps gladius oris Dei vibrabitur, &c.

Tuba. 5. Gedeon. *Iudic.* 8. collisis lagenis, flammis apparentibus, tubis concrepantibus fudit Madianitas. Dominus, Matt. 24. *mittet Angelos cum tuba & voce magna*, Apoc. 8. *septem Angeli, qui habebant 7. tubas, præparauerant se, vt tuba canerent.* Nam Sophon. 1. est *Dies tubæ & clangoris.* Item Psalm. 49. *Ignis in conspectu eius exardescet.* Horribiliora erunt, quam anno Mundi 2453. quando legem dabat in Sinai Deus. *Exod.* 20.

Domini. Fuit alia lux peccatorum, at Isa. 13. *Prope est dies Domini, dies Domini veniet crudelis.* Ioel. 2. *Magnus dies Domini & terribilis*: Sic & Soph. 1. 2. Pet. 3. & 1. Thess. 5. *Dies Domini sicut fur.* Ergo iam Iob. 21. *ducant in bonis dies suos* impij; finem dabit *Dies Domini magna.* Apoc. 6. Pij autem cum Elisæi puero clamant; 4. Re. 6. *Heu, heu Domine, quid faciemus?*

CONCIO QVARTA.

De Iudice.

DAniel, c. 6. cum fuisset vltima quæq; perpessus demum super Babyloniæ Satrapas constituitur par Regi. Ita Iesus constitutus Rex viuorum ac mortuorum.

Itaque in præsens nos

I. De Iudice tremendo.
II. Quis futurus Iudex.
III. Qui eius Assessores.
IV. Quæ seueritas eiusdem.
V. Quis illius comitatus.
VI. Quam vox eius horribilis futura.

PARS I.

De Iudice tremendo.

Erit Iudex. Qualis?

I. VT nemini dubium; esse Deum, à quo omnia in nos dimanant: ita & fore Iudicem omniū, qui retribuet cuique *Ps. 61. Duo hæc audiui, quia potestas Dei est: & tibi Domine misericordia quia tu reddes vnicuique iuxta opera sua* 1. Hoc Iudice quis potentior? Isa. 7. *Quoniam Deus Iudex est.* 2 Cuius maiestas par? *Ps. 49. Aduocauit Cœlum de sursum, & terram discernere populum*, id est, Angelos, & Diuos. 3. Quis formidabilior? *Ps. 96. Ignis ante ipsum præcedet, & inflamabit in circuitu inimicos eius.* Ergo *vigilate, & orate. Quia nescitis diem, neque horam.* Mat. 24. Vrbs cui indictæ sunt inimicitiæ, nō vigilaret? Atqui Isa. 3. *Dominus ad iudicandum venit cum senibus populi, & principibus eius.*

Erit iudicium. Quale?

Væ impijs. 1. Iob. 19. *Fugite à facie gladij: quia vltor iniquitatum gladius, & scitote esse iudicium.* 2. Quale? Psal. 97. *Iudicabit orbem terrarum in Iustitia, & populos in Aequitate.* 3. Quo iure? Luc. 21. *Videbunt filium hominis venientem in nube cum Potestate & Maiestate.*

II. Hunc

Exempla metuendi.

II. Hunc vidit *Apoc.* 8. in medio 7. candelabrorum, flammantem oculis; voce, vt aquarum, rauca; ore gerentem ancipitem gladium: Vidit Ioannes, & semianimis corruit. Similem vidit, Dan. 10. & ait, *emarcui, nec habui quicquam virium.* 1. Et quis non contremiscat. Ad huius tribunalis memoriam exhorruit S. Hilarion moriturus. 2. Itemque Agathon anachoreta: qui sciscitantibus, ad quid ita cohorruisset: ait: Alius Iudex est Deus, quam homines. 3. Itaque efficaces ab eo minas fore apud peccatores ratus Psaltes 7. ait. *Deus iudex iustus, fortis, & patiens, nunquid irascitur per singulos dies? Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrauit.* Psalm. 49. *Quoniam Iudex est: intelligite hæc, qui obliuiscimini Deum: nequando rapiat, & non sit qui eripiat.* Quare *memorare nouissima tua, &c.*

PARS II.

Quis iudex futurus.

Iudex erit Iesus.

IOan. 5. *Pater non iudicat quenquam: sed omne iudicium dedit Filio.* 1. Ita & Centurionem Petrus docuit, Act. 10. *Hic est, qui constitutus est à Deo Iudex viuorum & mortuorum.* 2. Ab hoc spes Paulo 2. Tim. 4. *In reliquo reposita est mihi corona gloriæ, quam reddet mihi Dominus iustus Iudex.* 3. Dan. 7. *Ecce Filius hominis veniebat cum nubibus cœli,* id est, sanctis.

Qua homo subdelegatus.

Itaque proprie potestas iudiciaria S. Trinitatis est: ait D. *Thom.* 3. *p. q.* 59. *ar.* 1 iure tamē appropriationis data est Iesu homini. *Causa Prima.* Quia Phil. 2. *Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltauit illum. Secunda.* Quia Eph. 1. *Ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, & plenitudo eius.* Item Col. 1. At capitis est dominari membris. Hinc Phil. 2. *In nomine Iesu omne genu flectetur* subditorum illi.

1 *Ob humilitatem.*

2. *Quia caput est.*

3 *Quia cō-*

Tertia, Quia, si Deus solus veniret Iudex, rigide nos reos perageret; at iam ob sympathiam Heb. 4. *Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris.* Et *hæc spes requieuit in sinu meo.* 1. Vt enim Moyses, de Sina descendens, velato vultu loqui debebat ad populum, ne hic splendore vultus nimium terreretur; Ita terribilem Deitatem Iesus obuelauit Humanitate. Mich. 3. *Abscondat faciē suam abeis* iratam. Psal. 79. *Ostende faciem tuam, misericordem, & saluierimus.* Psal. 131. *Non auertas faciem Christi tui,* clementem. 2. Ita Alexander Magnus subiugatis Persis dans iura, Persicum assumsit habitum partim, partim Macedonicum retinuit; quo popularior foret. Ita Iesus, Phil. 2. *formam serui accipiens est habitu inuentus vt homo,* & factus *quasi vnus ex nobis.* 3. Talis & in iudicio veniet; reor, ne iustis terror foret nimius; & vt impij *videant, in quem transfixerunt.* Ideo fidenter Psal. 42. *Iudica me Deus, & discerne causam meam de gente nō sancta.* Psal. 31. *Iudicium tuum Regi da, & iustitiam tuam filio Regis.* q. d. Non Deus solus mecum intret in iudicium.

pati nouit vt homo.

Quia. Vt & impij videre iudicē queant. Qui si solus Deus foret, cernere eum non possent, nisi percepta prius beatitudine. At Isa. 26. *tollatur impius, ne videat gloriam meam.* Iob. 13. *Cur faciem tuam abscondis, & arbitraris me inimicum tuum?* Iudicem vero *peccator videbit, & irascetur: dentibus suis fremet, & tabescet.* Ps. 111.

4. *Ob impios.*

PARS III.

Qui assessores iudicis.

INtererit tamen iudicio *S. Trinitas,* ac præsidebit. Id *S. Cyrillus catech.* 15. sic declarat ex Gen. 18. Abraham vidit tres euntes ad iudicium Sodomorum, & vnum adorauit. Ita in iudicio orbis, præerit S. Trinitas; At vni Iesu delegabitur potestas iudicandi.

2. Item

2. Item *Apostoli*. 1. Matt. 19. *Sedebitis & vos iudicantes XII. tribus Israel.* 2. Sic de eo gloriatur, 1. Cor. 8. *Nescitis quoniam Angelos iudicabimus: quanto magis sæcularia?* 3. *Apoc.* 4. visus sedere in throno, & in circuitu seniores XXIV. coronati, qui sunt XII. Apostoli, & XII. Patriarchæ. 4. Quare Ps. 9. *Parauit in iudicio thronum suum, & ipse iudicabit orbem terræ in æquitate.* Nec solus; Ps. 121. *Quia illic sederunt sedes in iudicio, sedes super domum Dauid.* 5. Matth. 12. *Ideo ipsi vestri iudices erunt.* O gloriam? Sap. 3. *Fulgebunt iusti*, Apostoli, *& tanquam scintillæ in arundineto discurrent: iudicabunt nationes, & dominabuntur populis.* 5. Ps. 44. *Pro patribus tuis* Patriarchis, *nati sunt tibi filij* Apostoli: *constitues eos Principes super omnem terram.*

3. Quin *omnes iusti* adprobabunt iudicium Iesu, Ps. 11. *Iustus es Domine & rectum iudicium tuum.* Psal. 18. *Iustitiæ Domini rectæ.* Nec enim fallere eum quicquam potest, ait S. Leo serm. 5. Quadr. *cui peruium est omne solidum, & apertum omne secretum: cui obscura clarent, muta respondent, silentium confitetur, & sine voce mens loquitur*, 1. Reg. 2. *Quia Deus scientiarum Dominus est, & ipsi præparantur cogitationes.*

PARS IV.

De seueritate iudicis.

Horribilis erit Iudex, 1. Obiram. I. IVdex tam strictus erit, quam iratus. 1. Apoc. 14. *Veniet Dies magnæ iræ eius.* Vt 2. S. Hieron. dicat: *Damnatis melius esset inferni pœnas, quam Domini præsentiam ferre.* 3. Eius exhorrescens vultum Iob orat. c. 7. *Nec aspiciat me visus hominis* Iesu. 4. Qui ipse comminatus est: Psalm. 74. *cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo.* 5. Vbi S. Bernardus ait: *Quid faciet de iniustis iudiciis, qui ipsas quoque iustitias iudicabit? Veniet, qui male iudicata reiudicabit, illicite iurata confutabit; qui facit iudicium iniuriam patientibus.*

1. Ob rigorem. Et id quam rhadamantæe ac rigide? Ezech. 7. *Finis venit, venit finis, Ecce immittã furorem meum in te: & iudicabo te iuxta vias tuas: & ponam contra te omnes abominationes tuas: & non parcet oculus meus super te, & non miserebor: & scies, quia Ego Dominus percutiens.* Emphatice hic dicta singula. Ecce ira, rigor, exprobratio, misericordia, potentia, percutiens.

Heu! *Dominus percutiens* tum erit, qui ante pater & frater erat. Tum Psal. 91. *cognoscetur Dominus iudicia faciens*: quem ante peccator noluit agnoscere inuitantem ad sese. 3. Ob vindictam.

II. Age, conferaduentum hunc secundum cum primo. 1. In primo venit *Ecce Agnus Dei: ecce, &c.* Ioan. 1. & Zach. 9. *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus.* In secundo venit leoninum spirans. Amos 3. *Leo rugiet, & quis non timebit?* Nam Apoc. 5. *Vicit Leo de tribu Iuda.* *Aduentuũ duorum Christi cõparatio.*

2 Item in primo venit Sap. 18. *dum medium silentium tenerent omnia: iacebat in præsepio*, in deserto, in cruce, in sepulcro. Quia Isa. 45. *vere tu Deus absconditus.* At in secundo *manifeste veniet*, in nubibus cum maiestate maiore; quam eum viderat in throno Isaias c. 9. Inque medio candelabrorum, Ioannes *Apoc.* 1. Aut Daniel c. 10.

Et cum eo omnis militia cælestis. Cuius quanta vis! 1. Expertus vnum ex ea est exercitus Assyriorum. 4. *Reg.* 19. cæsis nocte vna 58000. hominum. 2. Sensit Aegyptus, *Exod.* 11. cæsis primogenitis.

III. Qualia arma? 1. Abacuc. 3. *In luce sagittarum tuarum in splendore fulgurantis hastæ tuæ.* 2. Deut. 32. *Si acuero vt fulgur gladium meum.* 4. Ob arma.

Ecce maiestatem. 1. *Deus manifeste veniet, Deus noster, & non silebit. Ignis in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius tempestas valida. Aduocauit cœlum desursum, & terram discernere populum suum.* Psal. 49. 2. Adeo etiam Psal. 49. *Annuntiabunt cœli Iustitiam eius: & videbunt omnes populi Gloriam eius.* 5. Ob maiestatem.

3. Ipse de hac, Matth. 26. *Dico vobis amodo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli.*

PARS V.

De comitatu Iudicis.

6 Obcomitatum Angelorum.

IPse, *ibidem: An putas, quia non possum rogare Patrem, & exhibebit mihi modo plusquã 12. legiones Angelorum?* Nam, Malac. 3. *Deus exercituum vocatur.* Quin etiam, Sap. 5. *armabit creaturã ad vltionem inimicorum*: Angelos, sanctos, cœlos, elementa, bruta, dæmones. Ecce maiestatem, & manifestum aduentum.

Figura de irato.

I. Ezechiel. c. 1. vidit Cherubinum cũ facie hominis, & leonis. Hic Iesus est: venit natus in facie hominis: at iudicaturus aderit in facie leonis: Ezech. 22. & Psal. 21. *Sicut Leo rapiens & rugiens.* Prou. 19. *Sicut fremitus leonis, ita & Regis ira.* 2. Ita Dauid, 1. *Reg.* 17. cultu pastoritio & armatura venit contra Goliathum: at dein iam Rex veniet contra stultum Nabal cum exercitu & ira. *Ego*, ait 1. Reg. 25. *frustra seruaui omnia, quæ huius erant in deserto.* Simile Iesus exprobrabit in suo secundo aduentu impiis Nabalitis, inq; eos vindicabit. 3. Qualis & Moyses, *Exod.* 32. videns in monte idololatriam populi, iramq; morteſq; à Deo paratas, has deprecatus est: At cum descendit, propiusq; inspexit omnia; acrius concitatur, arma rapit, cædit, mactat. Ita Dominus, iam in montibus æternis commorans, merita suę Passionis pro nobis interponit: At vbi iudex aduenerit; Væ! Ps. 75. *Tu terribilis es, & quis resistet tibi?* Pie Iesu, cum *iudex crederis esse venturus*; *Te ergo quæsumus tuis famulis subueni, quos pretioso sanguine redemisti.*

Comites Iudicis.

II. Heu! *quid tunc miser sum dicturus, cum vix iustus est securus*; cum tot exercitus est contra me ductũrus? 1 Angelos, Matt. 25. *Veniet in maiestate sua, & omnes Angeli eius cum eo.* 2. Sanctos: Ps. 49. *Congregate illi sanctos eius, qui ordinant testamentum eius.* 3. Defunctos: S. Hieronymus: *Surgite mortui, venite ad iudicium.* 4. Creaturas, Psal. 49. *Aduocabit cœlum desursum, & terram discernere populum suum.*

Et is tantus cum tantis aduenies *contra folium quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam?* Iob 13. Quid attinet? Dum Angelos proturbares cælo, ostendisti potentiam: iuste: at non cum apparatu tanto, vt nunc: & nunc cum misellis homullis res tibi est.

Sed & Cruce formidabilis erit, quam humilis ipse tulit. 1. Mat. 24. *Tunc parebit signum filij hominis.* 2. Tunc *Apoc.* 3. videbitur *aurea clauis Dauid*, ianitrix cæli. 3. Quæ tametsi frustulatim nunc per orbem diuisa colatur: attamen qui sparsos corporum pulueres, collectos restaurabunt angeli, ij & Crucem hanc.

Iustis solatio.

Quare vt Goliæ gladius in Salomonis templo asseruabatur monimentum victoriæ: Vt & manna in arca, signum beneficentiæ diuinæ: Ita Crux vtriusq; testis Victoriæ, & beneficentiæ Christi apparebit.

Impijs horrori erit.

At impiis horrifica erit. 1. Qualis virga Aaron efflorescens in nocte, Passionis, fructum extulit: At iis iam in serpentem vertetur. 2. Qualis arbor in mundi medio plãtata fructus vitæ tulit piis: at mortem impiis. 3. Tunc misericordiæ torrentes, per Aegyptum manare soliti, in sanguinem vertentur. *Exod.* 7. 4. Tunc virga vigilans, *Ierem.* 1. olla succensa fiet. 5. Tunc nubes discriminans Israelitas ab Aegyptiis, his horrori, iis erit solatio. *Exod.* 14. 6. Væ iis, qui Phil. 3. *ambulant, quos flens dico, inimicos Crucis Christi.* Hi tunc dicent, quod fratres Iosephi, Genes. 42.

En sanguis eius requiritur.

PARS

PARS VI.

De voce horribili Iudicis.

Vox eius horrifica.

I. IAm vero à Voce quam horribilis Iudex? Psal. 103. *à voce tonitrui tui formidabunt.* 2. Et vero, Iob. 26. *quis poterit tonitruum magnitudinis eius intueri?* 3. Vere, Psal. 49. *Deus noster manifeste veniet, & non silebit.* Siluit coram Pilato & Herode: at tunc, Iob. 37 *in voce sua tonabit.* 2. Reg. 22. *Tonabit de cœlo Dominus & Excelsus dabit vocem suam.* Idcirco, 1. Reg. 2. *Dominum formidabunt aduersarij eius; super ipsos in cœlis tonabit.* 4. Atqui tonitrua sunt tempestatum ac fulminum indicia. An non fulmen hoc? Matth. 25. *Ite maledicti in ignem æternum.*

1. Ob dissimulata diu scelera

II. *Non silebit.* 1. Peccasti diu? Ecce, Psal. 49. *Hæc fecisti, & tacui,* Psalm. 37. *Factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones.* 2. At vero iam Psal. 49. *arguam te, & statuam contra te:* Et Isai. 42. *Sicut parturiens loquar.* 3. Time eum, qui modo dissimulat quasi dormiens: tunc enim excitabitur *tanquam potens crapulatus à vino.* Psalm. 77.

Della figura.

4. Sicut Noe ex plantata ab se vinea inebriatus dormiit: *Gen.* 9. & nudatus ridebatur. At euigilans maledicit impio. Ità Iesus amore ebrius Ecclesiæ, nudatus, risusq; in cruce, *Dissimulans peccata hominũ,* in iudicio, Ps. 77. *excitatus est tanquam dormiens Dominus, & quasi potens crapulatus à vino; & percussit inimicos in posteriore: opprobrium sempiternum dedit illis.*

2. Ob clamorem scelerum.

Heu! scelerum clamore *excitatus est.* 1. Sic Genes. 4. Sanguis Abel clamans excitabat eum. 2. Sic *Gen.* 18. Sodomorum clamor ascendit ad eum multiplicatus: & ipse descendit in vindictam. 3. Plane sicut adamas vix diffringibilis, cum particula absilierit, cœperitque frangi; iam tum minutatim resoluitur. Ita Dei patiẽtia vix malleis vitiorum nostrorum cedit: at, vbi in iudicio semel iræ dederit locum; totam effundet.

3. Ob risũ latantis iudicis.

III. Ab ea exhorruit Iob. 14. *Quis mihi hoc tribuat, vt in inferno protegas me, donec pertranseat furor tuus.* 2. Et furor hic tantus erit, vt dicat Psal. 57. *Lætabitur iustus,* Iesus, *cum viderit vindictam, manus suas lauabit in sanguine peccatoris.* Hebræi legunt *pedem suum.* 3. Ita Ioab fecit trucidatis Abner & Amasa, 3. Reg. 2. *Effudit enim sanguinem eorum & posuit cruorem filij in baltheo suo, & in calceamento suo.* 4. Tantum ab eo tunc aberit misericordia; vt dicat Prou. 1. *Ego quoq; in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cum vobis id, quod timebatis, aduenerit.*

4. Ob energiam prophantis iudicia.

1. Non erit is amplius, qui deprehensam in adulterio absoluit. Adulteras animas grandine saxorum obruet. 2. *Non silebit,* sed prorumpet dicens, Genes. 45. *Ego sum Ioseph, quem vos vendidistis in Aegypto.*

Ideoq; metuendi.

Cętera me effari nõ est, meditari plura licet de inexorabili Iudice. 1. Quem vt vidit, *commota est terra, montes sicut cera fluxerunt.* Ps. 96. Quid ergo fragili luto homine fiet? Atque 1. Petr. 4. *Si iustus vix saluabitur, peccator vbi parebit?* Et quis se absconderit à Sole isto, omnia rimaturo?

Infallibilis Iudex erit.

IV. Sol iudex est. 1. Quia vt sol ex orbe altero ad nostrum progressus; Ita IESVS è cœlo in iudicium venturus lucem beatitatis affabit iustis resurgentibus in gloriam: noctuis impiis luce ipsa erit intolerabilis. 2. Sol iste diem ac noctem disterminabit, item nouam diem ac noctem producet, æternitatis scilicet. 3. Quia 1. Cor. 4. *illuminabit abscondita tenebrarum,* ac scelerum.

Quod si igitur Iacob, viso Esau occurrente cum turma equitum, trepidauit: quis non pauebit ad aduentum Iudicis? Ille iam nos, vt Saules vocat: Act. 9. *Quid me persequeris?* Respondeamus prompti: *Domine, quid me vis facere?* Ecce *paratum cor meum Deus.*

CONCIO QVINTA.

De Iudicandis.

MOyses, *Exod.* 19. eduxit ex Aegypto 600000. Israelitarum in desertum Sinai: vbi Legem acciperent: quæ horribili cœlorum cum tonitru, & tubarum sonitu ferebatur. Iesus omnes homines è tumulis euocatos ducet in vallem Iosaphat: vbi sententiam accipient generalem: quæ terribili cum procella feretur.

Nos circa ea

I. *De iudiciali gladio Christi.*
II. *De comparitione omnium ac separatione.*
III. *De resurrectione omnium.*
IV. *De disparitate resurgentium.*
V. *De loco iudiciali.*
VI. *An & paruuli non baptizati comparebunt?*

PARS I.

De iudiciali gladio Christi.

Iudicium Dei Sapiẽs & seuerũ.

I. PRudentius, aut seuerius nullum legitur iudicium, illo Salomonis, 3. *Reg.* 3. è tribunali 12. leonibus fulto; quod de infante, inter matrem & meretricem controuersо, tulit: sc. cum non liqueret, esse dissecandum, & dimidiatum cuique dandum, Christi iudicium extremum isto prudentius erit ac seuerius. Quando sedens pro tribunali, stipatus cœlitibus, disceptabit militantem inter & triumphantem Ecclesiam, de prole beatitudinis. Tunc exeret gladium iustitiæ, & suum cuique distribuet.

Quia gladio gerentur.

De hoc gladio. 1. Psal. 7. *Gladium suum vibrauit: arcum suum tetendit.* 2. Ezech. 21. *Egredietur gladius meus de vagina sua ad omnem carnem ab Austro vsque ad Aquilonem.* 3. Iob. 19. *Fugite ergo à facie gladij. Quoniam vltor iniquitatum gladius est.* 4. Hunc horruit Psal. 143. & orat, *De gladio maligno eripe me.*

In corpus & animã.

Apoc. 1. Visus homo, cuius ex ore anceps exibat gladius. Hic est sententia Iudicis, transuerberatura animas & corpora. Atque vt maturet iudicium in impios, orat Psalm. 44. *Accingere gladio tuo super fœmur tuum Potentissime.* Væ iis qui *tradentur in manus gladij.* Psal. 62.

In iudicio contra protoplastas, *Genes.* 3. constituit Deus Cherubinum cum romphæa flammea ad introitum paradisi; qui arceret ingressuros. In hoc extremo Ipse geret gladium in valle Iosaphat: Et ancipitem; quod tum corpora, tum animæ sint damnandæ; quodque tam mortui, quam viui iudicandi.

In viuis corpus ferit gladius.

II. Aciem eius vnicam in viuis sentimus; quæ corpora tangit pœnis. Multos sæpe perdidit, at nunquam omnes. 1. In diluuio, *Gen.* 7. omnes præter octo. 2. In Aegypto multos, *Exod.* 12. Sed tantum primogenitos. 3. In Iericho. *Ios.* 6. omnes domos, at Raab cum cognatione superstes relicta est. 4. In Sodoma omnes hausit, at familia Loth seruata fuit. *Gen.* 19. In extremo autẽ Iudicio nemo excipietur. Figurę ita significant. 1. Deus iussit Iosu. 1. bello exscindere Amalecitas: *Exodi* 17. at stirpitus omnes exscindi noluit. Sed annis 400. post, stabilito Hebræorum regno, Sauli id præcepit. *Percute Amalec: & demolire vniuersa eius, omniaque interfice à viro vsque ad mulierem, paruulum, & lactentem.* Sæpe hic Deus triumphat vitia humana: sed completo electorum numero, finem faciet vniuersæ carnis.

In iudicio etiam animam.

2. Saulis, diu persecutoris, laciniam præscidisse sat erat Dauidi, 1. *Reg.* 24. cum occidere quiuisset. Demum tamen Saul, non remittens à persecutione insontis, perit in montibus Gelboe cum filiis inglorius. Ita Deus, dum eum hic impij persequuntur peccatis, eos quasi fugit: ac licet perdere posset; sat tamen est aliqua tribulatione hos castigasse. At pertinaces

reser-

reseruat in montes Gelboe, ad vallem Iosaphat, ibi à Philistæis orci mactandos. Hoc *memorare, & in æternum non peccabis.*

PARS II.

De Congregatione omnium ad Iudicium: ac Separatione.

Omnes cõgregabuntur.

I. OMnes ad Iudicium congregabimur omnes omnium sæculorum, nationum, ætatum, statuum, conditionum, Legum naturæ, Mosaicæ, Gratiæ, Ethnicæ, Hæreticæ, Matth. 25. *Congregabuntur ad eum omnes gentes.* Magnus hic iudicij districtus! 2. *Omnes* 2. Cor. 5. *nos manifestari oportet ante tribunal Christi: Vt recipiat vnusquisque prout gessit in corpore suo, siue bonum, siue malum.*

3. *Tuba mirum spargens sonum, Per sepulchra regionum, Coget omnes ante thronum.*

Omnia manifestabuntur.

Terribilis tuba: Terribilius hoc *Manifestari* peccata, & secreta cordium. 1. Non hic folia erunt fici, *Gen.* 3. ad pudendorum velationem: Non erunt cameli ad idola Laban asportanda. *Gen.* 31. Tunc per parietem templi corporis Deus Ezechieli c. 3. ostendet omnes abominationes intus latentes.

Omnes iudicabũtur.

1. Tunc ibi Patriarchæ: hic Apostoli: isthic Martyres, &c. consistent, & Angeli in suis choris: Et Iob. 25. *Non est numerus militum eius*: Dan. 7. *Millia millium ministrabunt ei, & decies centena millia assistent ei.* 2. Tunc erit exitus ille de Aegypto, *Exod.* 14. corporum de terra, vt vel rubrum Iudicii mare tranent: aut mari rubro mersi obruantur.

Parabolæ implebuntur.

II. Tunc parabolæ euangelicæ implebuntur. 1. De X. Virginibus, *Matt.* 25. quæ corporum lampades resiment, cum oleo bonorum operum: sicque sponso procedent obuiam. At fatuis ianua promerendi tũc clausa erit: & inutilis pœnitentia vitæ peractæ. Prudentes vero intrabunt ad nuptias. 2. Tunc *Matth.* 13. ager seminis boni, & zizania falcem patietur. Hanc messores colligabunt ad ignem; istud in horreum cæleste condent. 3. Tunc *Matt.* 25. Paterfamilias, qui in regionem longinquam abiens, dedit seruis talenta Crucis, mortisque suæ, & gratiarum, vt in iis negotientur, reuertet: rationem & lucrum exiget, his dicet: *Euge serue bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: Intra.* Istis *Eiicite in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium.* 4. Tunc Matt. 25. *Pastor bonus* oues ab hœdis sequestrabit: istis in ouile dexterę, his in hœdile sinistræ missis. Hæ parabolæ.

Itemque Figura.

III. Accipe nunc Figuras. 1. Moyses, *Deut.* 27. Israelitas distincturus, sex tribus ex honestis matronis Lia & Rachaele natas, constituit in monte Garizim, benedictioni accipiendæ: sex alias in monte Hebal maledicendas: vtpote natas ex ancillis & libertinis. Ita Christus ad montem Oliueti in valle hinc statuet sex tribus, Angelos, Patriarchas, Prophetas, Apostolos, Confessores; omnes bene natas: Queis dicet; *Venite benedicti Patris mei.* Illinc statuet sex alias, Diabolos, Ethnicos, Hæreticos, Iudæos, Christianos impios & Infantes non baptizatos. Queis dicet: *Ite maledicti, &c.*

2. *Iosue* 8. Cum Leuitæ cuperent populum benedicere, aut maledicere, Arca statuta est media; populus vtrinq; partitus. Posthæc legebantur omnia verba benedictionis, & maledictionis, & cuncta, quæ scripta fuerunt in Legis Volumine, Arca est Iesus: Angeli, Leuitæ, Lex, liber vitæ, & mortis, &c. 3. In principio, Gen. 1. *diuisit Deus lucem à tenebris.* Quo ait Augustinus intelligi Angelorum bonorum à malis diuisionem. At similiter in Iudicio *filii lucis*, Ioan. 12. à tenebrionibus diuidentur.

4. Nabuchodonosor, *Dan.* 4. in exci-

dio Solymæ adolescentes forma, ingenio, moribusque præstantes elegit, qui coram ipso, absque nævo, essent à mensa, à poculis, à cubiculo: reliquos iussit nexos abripi in captiuitatem ac venundari. Ita Iesus in iudicio.

PARS III.

De resurrectione omnium.

Resurgent corpora.

I. ERgone reparabuntur corpora, varie perdita? Et vero è puluere facilius colliget Deus illa, quam è nihilo creârit. Sed 1. Psal. 33. *Custodit Dominus omnia ossa eorum: vnum exhis non conteretur.* 2. Id Ezechieli, c. 37. ostendit in agro Deus. *Putasne viuent ossa ista? Ecce, accesserunt ossa ad ossa: vnumquodque ad iunctu ram suam. Et vidi, & ecce super ea nerui & carnes ascenderunt: & extenta est cutis in eis desuper: & ingressus est in ea spiritus, & vixerunt, steteruntque super pedes suos, exercitus grandis nimis val. de.* 3. Plane, vt Ionas 8. è ventre ceti, sic nos è terra reddemur.

Integra.

II. Tres pueri, *Dan.* 3. illæsi ex camino, imo viuaciores inde exierunt, quam intrarint. Non vermes, non aues, non ignis, &c. effecerint, quo minus integri resurgamus. 2. Moyses virga petram Sinaiticam percussit, Exod. 17. *& conuertit petram in stagna, & rupem in fontes aquarum:* Psalm. 113. Deus autem potentia sua percutiet terram, mare, &c. & dabunt mortuos suos; *Et rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum Saluatorem meum,* Iob 19.

Omnium.

III. *Congregabuntur ante eum omnes:* non aliqui. Isa. 13. *Visitabo super orbis mala:* non ait, aliquorum: *& contra impios iniquitatem eorum.* Iudæi legunt, *super habitatorum orbis mala.* Etiamne Regum, Imperatorum? &c. Alexandri, Cæsaris, &c. Martyrum, Virginum? &c.

At quantum proborum inter ac reproborum corpora discrimen est? Ergo 1. Cor. 15. *Canente tuba mortui resurgent incorrupti.*

Gloriosa.

Figuris id liquebit. 1. Esther. *cap.* 8. tenuiter apud Mardochæum educata: (*Anima sit in corpore eam aggrauante:*) ad Assueri connubium assumpta, *Dei gratiam indepta:* non ingrata nutritio; suæ eum felicitatis participem reddit. Nam mortie ripuit: ad quam Aman eum cum Iudæis omnibus addixerat; regifice vestiuit, (*donis glorificationis:*) & secundum à Rege fecit, (*Deo*) 2. Dauid, 1. *Reg.* 17. pascens oues vilibus indutus erat; restante illi Goliato expugnando. At hoc cęso, in vrbem ex agro transmigrat, regie vestitus, gener fit Regis. Sic corpus mortale induet immortale; cum mundum, carnemque expugnarit, Tunc cantabit Psal. 29. *Concidisti saccum meum; & circundedisti me lætitia.*

PARS IV.

De disparitate resurgentium.

Sed non omnium gloriosa.

I. OMnes resurgemus: sed non vno cultu: hi nitido; tetro illi. 1. Quales gemini Rebeccæ; Iacob læuis, & pilosus Esau. *Gen.* 25. Ita eadem è terra exibũt fratres omnes; sed gemini; Iacobitæ, & Esauitæ. *Non sic impij.* Psal. 1. *non sic: neq; peccatores in consilio iustorum.* 2. Eadem fornace egrediuntur prunæ; & carbones atri. Sic corpora ex iudicio Dei: Iustorum quidem *tanquam scintillæ in arundineto discurrent.* Sap. 3. At reproborum, *Sicut carbones ad prunas.* Prou. 26. 3. Clarius idem Thren. 4. *Denigrata est sicut carbones facies eorum, & non sunt cogniti in plateis: adhæsit cutis eorum ossibus, aruit, & facta est quasi lignum.* 4. Pharao vno in prato vidit boues 7. torosos: & totidem macros. *Gen.* 41. Pratum boum vallis erit Iosaphat, in qua conuenient ab gratia pingues, & macri.

II. Eia, accede anima: corpus ama, & intra tuum, iam tale: O quale præ illo?

1. *Veni,*

1. *Veni*, ait Methodius: *vna patiens, vnaque gloriam suscipiens cum collega corpore.* 2. O gaudium quale inter Angelos hominibus? Quæ voces exultantium? Quæ Dei vocantis, *Venite benedicti?* &c. 3. Ioseph. *Gen.* 41. ex biennali carcere ad tantam egressus gloriam, quo gaudio tacite cor ei subsilierit? Quo corpora, è tumulis educta ad tantam gloriam? *Venite, possidete paratum vobis regnum.*

E contra, heu, quis cruciatus reproborum? Quæ maledicta animarum in corpora; & vicissim? *Incipient dicere montibus, &c.* Luc. 23. At Psal. 57. *Lætabitur iustus, cum viderit vindictam.* Iã ei dulce, fuisse passum esurię, pauperiem, cilicia, &c. Hoc attendit Iob, 14. cum dixit: *Cunctis diebus, quibus nunc milito: expecto, donec veniat immutatio mea.* Tunc qui sericati, &c. prius, erunt damnati: &c. contra: *Mea*, inquis? Dic *nostra.* Nam erit tunc vniuersalis descriptio orbis, non ab Augusto; sed Deo.

PARS V.

De loco Iudiciali.

I. QVis locus iudicij? 1. Ioel. 3. *Congregabo omnes gentes; & deducam eas in vallem Iosaphat; & disceptabo cum eis ibi.* 2. Angeli videntur Apostolis quoque locum illum designasse. Act. 1. *Hic Iesus qui assumptus est à vobis in cœlum sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.* Atqui constat, quod è monte Oliueti ascenderit cœlos; cui vicina Iosaphat. 3. *S. Thom. 4. Sent. dist. 49. q. 1. ar. 4.* putat id aperte colligi posse ex dictis *Act.* 1. Deinde ex Psal. 73. *Deus Rex noster operatus est salutem in medio terræ*, id est, in medi tullio orbis, ait Iosephus l. 3. c. 3. Hier. Cyr. &c.

II. Ratio fauet: Quia vbi salutem misericordiæ est operatus; probabile fit, quod ibidem & iudicium velit peragere iustitiæ. 2. Quia *emittet Angelos qui congregabunt electos à 4. ventis*: ergo in medium ab extremitatibus. 3. Vbi Iesus ignominiam tulit; par est ibidem & gloriam ferat. Ibi iudicet: vbi iudicatus est. 4. Conuenit Regem in metropoli de summa rerum decernere: at Solyma est orbis metropolis; vnde electus est, vt illic restituatur. 5. Valet locus *Domino* ad exprobrandum ingratis beneficia à se præstita in Bethlehem, Bethania, Ierusalem, Caluaria, &c.

Manlius Romam in Saxo Tarpeio cõtra Senones olim defensam seruarat, ait *Plut. in vita Camilli.* Post à Romanis damnatus cum educitur, visa rupe Tarpeia, ait: Ecce rupes illa vos arguet, testis seruatæ ibi à me Romæ. Confusi virum absoluerunt. Plus è locis sanctis Christi confundentur iniusti.

PARS VI.

An & paruuli non baptizati comparebunt?

I. QVi conuenient ad iudicium? *Rich. de S. Vict. ex 4. Sent distincti. 17. Quatuor sunt genera hominum: Iudicati, & damnati. Iudicandi & damnandi: Iudicati & saluati: Iudicandi & saluandi.*

Paruulis autem non baptizatis quid fiet? Duplex opinio. Prima: Eos abfore ab iudicio. 1. Quia aderunt tantum Agni, & hœdi: At neutri sunt paruuli. Nec cum Agnis statui possunt, ob peccatum originale: Nec cum hœdis: quia peccato carent actuali; ac proinde pœna sensus. 2. Duplex sententia Iudicis erit: At neutra paruulis conuenit. Quia opera ea nec præstare potuerunt cum Agnis; nec omittere cum hœdis: Neque plures sunt, quam duæ sententiæ. Ergo huic non intererunt iudicio. 3. Dan. 12. *Multi de his, qui dormiunt, euigilabunt: alii in vitam æternam; alii in opprobrium.* Si *multi*: ergo videtur, quod non *omnes*: Ergo aliqui nec ad

VI-

vitam, nec ad opprobriũ. In quibus quos numeres, niſi paruulos? 4. Iudicium erit de ſaluandis ad cœlum, & damnandis ad infernum. At neutrum in locum venient paruuli: ergo.

II. Secunda ſententia certior eſt. Reſurgent, & iudicabuntur. 1. Apoc. 20. *Vidi mortuos, magnos, & puſillos, ſtantes in conſpectu throni.* 2. Et *Congregabuntur ad eum Omnes.* 3. Sic D. Thom. Ratio eius. 1. Omnibus debetur merces aut boni, aut mali. Sed paruulis ineſt malum Adæ nondum perſolutum totum: ergo. 2. Gratia Ieſu infinitis partibus eſt maior, & efficacior peccato Adæ, *Roman.* 5. At per peccatum mors, per Ieſum autem reſurrectio æque ad omnes pertranſit: ergo & paruuli reſurgent.

O quis tunc erit cruciatus abortũ procurantium, aut negligentium baptiſmũ parẽtum? 1. Graue erat Ezechiæ Regi audire, filios in Babylonem abducendos captiuos. *Iſai.* 39. 2. Neq; tunc dicendi eſt locus cum Iob 10. *Dimitte me, vt plangam paululum dolorem meum.* 3. Nec cum Dauide in ſacco & cinere, & ieiunio orandi tempus eſt ſuper: vt precandi erat illi tempus pro filio Berſabeæ.

CONCIO SEXTA.

De examine Iudicij.

PAter familias, *Matt.* 25. peregre proficiſcens ſua in ſeruos diſtribuit, lucro faciendo: reuerſus ſingulos ad rationes vocauit, & quemque pro merito mactauit. Ita Dominus hinc aſcendens, dedit dona hominibus, de quibus rationem repetet venturus ad iudicium.

Circa quæ nos

I. *De memoria præteritorum & futurorum vſurpanda.*
II. *De perſonis iudicij.*
III. *De horrendo rigore iudicij.*
IV. *De libris aperiendis.*
V. *De examine iudicis.*
VI. *De nudandis peccatis.*

PARS I.

De præteritorum, futurorumque memoria vſurpanda.

I. PYthagoras præcipiebat, habendam temporis rationem matutini, quo proſpicias quid per diem agas: & veſpertini, quo reſpicias ad dicta, factaque diei. Seneca lib. 3. de ira. c. 36. *Animus quotidie ad rationem reddendam vocandus eſt. Faciebat hoc Sextius, vt conſummato die, cum ſe ad nocturnam quietem recepiſſet, interrogaret animum ſuum.* *Ethnicis frequentata.*

Nos vero etiam mortis recordemur in ea noſtri interrogatione. 1. Ita ſe exercebat Dauid Pſ. 142. *Memor ero dierum antiquorum.* 2. Pſal. 76. *Cogitaui dies antiquos, & annos æternos in mente habui.* 3. Ita Ezechias. Iſa. 38. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* *Fidelibus item.*

1. Huius memoriæ defectum culpat Moyſes in Iſraelitis, Deut. 32. *Gens abſque conſilio eſt, & ſine prudentia, vtinam ſaperent, & intelligerent, ac nouiſſima prouiderent.* 2. Ianum finxere Poetæ bifrontem: talis ſit Chriſtianus reſpiciens & proſpiciens. 3. Viſa ſunt Ezechieli c. 1. animalia pedata, alataque inſtar fulguris ire, ac redire. Ita piorum ſint animi ad ſuperna meditanda volatiles, ac virtutes expediti. ad præteritorum, futurorumque memoriam frequentes. In ſcala Iacob, *Gen.* 28. Angeli hi aſcendebant, illi deſcendebant: nullus quieſcebat; vt notat S. Bern. Scala 60. vel 70. graduum eſt vita: per hanc itur ac reditur acta recordando. Animalia, *Leu.* 11. non ruminantia cenſebantur immunda: tales futurorum, præteritorumque raro memores. *Figura prima.* *Secunda.* *Tertia.*

Non talis ſponſa, ideo Sponſus eam laudat, amatque ardentius: Cant. 7. *Guttur tuum ſicut vinum optimum, dignum dilecto meo*

cto meo ad potandum, labiis & dentibus illius ad ruminandum.

Deus excitatione deerit. Qui non defuerit Deo, Deus illi non deerit. Dicet, Luc.16. *Redde rationem villicationis tuæ. iam enim amplius non poteris villicare.* Efficax hoc aduersus peccata est, Sapientis iudicio: Eccl.7. *Memorare nouissima.*

PARS II.

De personis iudicij.

Tres iudicium constituunt. TRes ad actum iudicij constituendum sunt necessarij: *ff. de verbor. obligat.* Iudex, Actor, Reus. Reus si factum neget; teste opus est. *Decret. distinct.* 4. 6. 1. Istorum nil deerit in iudicio extremo. Iesus Iudex, Dæmon accusator, Reus homo: Rom.2. *Testimonium reddente illis conscientia ipsorum.* Immo Sap.5. *omnis creatura armabitur contra insensatos.*

1. Iudex. Iudex inquiet, *Redde rationem villicationis tuæ:* De quatuor villis: Mundi, cum rebus creatis: Corporis, cum sensibus suis: Animæ, cum donis ac gratiis: Crucis, cū S. Sacramentis. Redde rationem Episcope de ouibus, de Diuinis accuratis: Rex de iustitia, Consiliariis, iudicibus, subditis, &c. Nobilis, de bonis naturæ, fortunæ, gratiæ, &c. Doctor, de studiis, doctrina, &c. Religiose, Concionator, ciuis, mulier, &c.

2. Accusator. Vt Satan. Interim hinc vociferabuntur dæmones, Psal.9. *Conuertantur peccatores in infernum. Iudica illos Deus.* Psal.45. *Descendant in infernum viuentes* Psal.93. *Redde retributionem superbis.* Psal.30. *Erubescant impij: deducantur in infernum: muta fiant labia dolosa.*

3. Creatura. At illinc, Iob.20. *reuelabunt cœli iniquitatem eius.* Clamabunt bruta, & saxa: Psal. 45. *Fulgura,* Domine, *coruscationem tuam,* in ingratum peccatorem. *Noluit enim intelligere, vt bene ageret. Astitit omni viæ non bonæ, & inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore:* Iob.21. *Duxit in bonis dies suos.*

3. Conscientia. Intus conscientia exprobrabit, sæpius se monuisse, Psal.74. *Nolite inique agere: & delinquentibus, nolite exaltare cornu.* Ergo Iudex te nunc audiat: me qui spreuit.

4. Angeli. Angeli: Vindica nos toties spretos, Iudex: suggessimus libidinosis, Ps.31. *Nolite fieri sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus.* Auaris, Ps.61. *Rapinas nolite concupiscere.* Superbis, Ps.61. *Nolite extollere in altum cornu vestrum.* Diuitibus, Ps.81. *Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Peruicacibus, Ps.64. *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra.* At operam lusimus: surdis ista. Ideo quia Psal.108. *noluerunt benedictionem, elongabitur ab eis.* Ad talia quis non trepidet?

Quæ vero Deus? Psal.94. *Arguam te, & statuam contra faciem tuam.*

PARS III.

De horrendo rigore iudicij.

Horrēdum iudicium. I. VÆ! Contra vnum tot, ac tanti tanta? 1. Adam *Gen.*3. vnius reus, horruit, fugit, ramisque se obnubit. Tu quo ibis? 2. *Psal.*138. *Quo ibo à spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum: tu illic es. Si descendero in infernum, ades. Si sumsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris. etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.*

Et deplorādum. Bern. serm.27. *O lacrymæ vbi estis? fontes fluite super faciem meam. Deus meus quid faciam, cum venerit iudicium tuum? quid dicam peccatrix anima? Væ dici in quo peccaui! Vtinam non lux esset sol, super me, &c.* 2. Dauid, Ps.37. *Non est sanitas in carne mea, non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum.*

Quia rigi dissimulerit II. Nec de nihilo metuit examen. Erit enim de interiori quoque cogitatu. 1. Sopho.1. *Scrutabor Ierusalem in lucernis,* distincte singula, minutaque. Bern. *Quid in Babylone tutum, si in Ierusalem manet scrutinium?* 2. Ecce, vidit Zacharias c.4 oculos septem super vno lapide fixos: & au-

diit: *Septem isti oculi sunt Domini, qui discernunt super vniuersam terram.* 3. Psal. 129. *O si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit?*

4. Effrons ille sine nuptiali, interrogatus, *Amice, quomodo huc intrasti?* obmutuit: Quid nudus respondebit, ac corpore lacero? 5. O iudicium, in quo nihil remanebit indiscussum! Nam Psal. 89. *Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo: sæculum nostrum in illuminatione vultus tui: in ira tua defecimus.*

6. Iob. 14. *Omnes gressus meos dinumerasti* corporis; ac animi quoque motus & instinctus. Vt S. Gregorius exponit.

PARS IV.

De libris aperiendis.

Libri memoriæ, Dei aperiendi.

I. MIris id aperit Scriptura tropis, Libri, throni, &c. 1. Psal. 138. *In libro tuo omnes scribentur.* 2. Vnde Ecclesia: *Liber scriptus proferetur, in quo totum continetur, vnde mundus iudicetur.* 3. Apocal. 20. *Libri aperti sunt: & alius liber apertus est: & iudicabuntur mortui ex his, quæ scripta sunt in libris.* 4. Dan. 7. *Iudicium sedit & libri aperti sunt.* Augustinus negat, materiales hic libros intelligi: sed memoriam recte; scelerateque factorum: quæ in Deo præsens viuit, viuetque ex eo in singulis.

Vt igitur Iesus ad accusatam adulteram, *Ioan.* 8. tacuit, digitoq; in terra scripsit: ita Deus nunc ad peccata silet: memoriæ tamen inscribit. Similiter & recte facta. Iob. 19. *Quis mihi tribuat, vt scribantur sermones mei? &c.* Iob. 31. *vt desiderium meum audiat omnipotens, & librum scribat ipse, qui iudicat?*

Vel conscientia.

II. Potest etiam cuiusque conscientia liber is dici: ex quo inspecto sententiam Iudex pronunciabit pro merito. 1. Sicut, *Esth.* 6. Assuerus dum noctem ducens insomnem annales euoluit, reperit bene merito Mardochæo necdum esse retributum, aliisque coniuratoribus, quos ille prodiderat Seruator Regis: continuoque vtrosque remuneratus est; hos morte, illum honore; Ita Iesus quasi in cœlo nõ possit quiescere amplius, euoluet libros de vitis hominum, adque iudicium descendet, *vt reddat vnicuique, prout gessit.* Sic Theodoretus in hoc Dan. 7. *libri aperti sunt.* id est, ait memoriæ.

2. Ambrosius in Psal. 1. *Quid libri aperti sunt, nisi conscientia, non atramento scripti, sed vestigiis delictorum, flagitiorum inquinamento?* 3. *Aug.* tamen 20. *Ciu. c.* 14. putat esse Sanctos, in quibus reprobi omissa sua & commissa, velut in contrario, contuebuntur.

PARS V.

De examine iudicis.

Deo respõderi nil potest, vt Magistro omniscio.

I. AThic Deus cum hominibus disputationem ingredietur. Quo successu? Dicit Iob. 9. *Vere scio, quod ita sit & quod non iustificetur homo compositus Deo, si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere vnum pro mille.* Et mox: *Si repente interroget, quis respondebit ei?* Nemo. Nam Matt. 23. *Ipse est Magister noster, qui in cœlis est.* Et Ioan. 3. *Qui à Deo venit magister:* Atqui Matth. 10. *non est discipulus super Magistrum.* Proinnec illi respondere possumus.

Et nos discipuli ignari in hac schola mundi.

Discipuli sumus: nam ad mundi academiam missi sumus vt in virtutum studio proficiamus. Ioan. 15. *Ego posui vos, vt eatis, & fructum afferatis,* Ps. 118. *Vt discam iustificationes tuas.* In ea academia variæ sunt classes, Eph. 4. *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Euangelistas, alios autem Pastores, & Doctores, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi.* In classe prima Religiosorum, docetur contemtus mundi, & Consilia Euang. in secunda Sacerdotum, cœlibatus, Dei cultus. In tertia mundanorum, docentur rudimenta Christiana.

II. Ha-

Magister Ipsos. Eius classes tot.

II. Harum scholarum Rector est Christus. 1. Cuius illa prælectio: Matt. 11. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* &c. 9. *Discite quid est, misericordiam volo.* 2. Tota die laborat clamans Magister: sub vesperum exigit lectionem. Ita Dominus monet, Ioan. 13. *Exemplum dedi vobis*: minatur, Luc. 13. *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur.* 3. Et *nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Sub vesperum vocabit singulos, & examinabit. 1. Religiosum: Docui te Consilia: & humilitatem, ipse *factus obediens vsque ad mortem.* Quid in hisce profecisti? 2. Sacerdotem: sponse mi, peculium meum: docui te castitatem, Dei cultum, pauperibus subuenire: *habentes alimenta, & quibus tegimur hic contenti simus*: Feciſtin' hæc? 3. Ad mundanum: docui te facere amicos de mammona: dedi talenta ad negotiandum: vbi tempus, locum, &c.

Examinatur idem.

Patris sum in filiũ habentem computatur.

III. Pater est noster: Luc. 6. *Vt sitis filij Patris vestri.* Atqui Pater, cum filium mittit ad scholas, sumtus annotat, vt confecto studiorum cursu sciat, num pretium fecerit operæ. Ita Iesus denique datum suũ cum accepto componet nos examinaturus. Dat autem cuique necessaria. Matth. 6. *Nolite soliciti esse, dicentes: quid manducabimus, aut bibemus, aut quo operiemur? Scit enim pater vester, quia his omnibus indigetis?* Interim data annotat. Demum vocatis in quiet: Quanto me stetistis? Vos condidi: enutriui; redemi, dedi Sanguinem filij, &c. quæro nunc acceptum.

Brumale tempus respondere nequit.

Ita per Nathan ad Dauidem, 2. Reg. 12. *Ego vnxi te in Regem super Israel, & ego eruite de manu Saul, & dedi tibi domum Domini tui: quare ergo contemsisti verbum Domini tui?* Talia cum & tibi; quid dices?

1. Ps. 106. *Omnis iniquitas oppilabit os suũ.* 2. Iob, qui dicere poterat, cap. 27. *Non reprehendit me cor in omni vita mea*: is tamen trepidat & ait; *Quid faciam cum venerit ad iudicandum Deus? Et cum interrogauerit, quid respondebo illi?* 3. Paulus 1. Cor. 4. *Nil mihi conscius sum: sed non in hoc iustificatus sum, qui autem iudicat me Dominus est.*

PARS VI.

De nudandis peccatis.

Iudex reuelabit omnia.

I. DOmino omnia patent: & cunctis ipse patefaciet. 1. Psal. 138. *Quia tenebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur.* 2. Atomorum plena omnia; nec tamen videntur; nisi in radio solari. Ita, ait Augustinus l. 20. Ciuit. *fiet virtute diuina, vt cuique opera sua, vel bona, vel mala, mentis intuitu mira celeritate cernantur.* Nã Deus, 1. Cor. 4. *illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.*

Figura.

1. Tunc Ioseph. i. Iesus, interpretabitur somnia vana Pharaonum mundi. *Genes.* 40. 2. Tunc Daniel, cap. 4. occultas visiones & cogitationes superborum Nabuchodonosorum exponet. 3. Tunc dicet: quod Nathan Dauidi. 2. Reg. 12. *Tu fecisti in abscondito: ego autem faciam hæc in conspectu solis, & coram omni Israel.*

4. Ioseph, quod peccatum fratres celauerant 20. ipsis annis, id demum reuelat: Gen. 45. *Ego sum Ioseph frater vester, quẽ vendidistis in AEgyptum.* Ita Iesus dicet, Ego sum, quem vos crucifixistis peccatis vestris, &c.

Testimonia

1. Verbo, Matth. 10. *Nihil opertum quod non reuelabitur: & occultum, quod non sciatur.* 2. Scietur, quid Mathusalem annis 969. Enos annis 950, Adam annis 930. &c. egerint. Quid Cain, Absolon, Ioab, &c. 3. Agite, peccate iam, celate, excusate; Nahum 3. *Reuelabo pudenda tua in faciem tuam, & ostendam gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam.*

4. Brumali tempore nix obtegit omnia, vt lutum à gemma nequeat internosci. Sol vernus retegit omnia. Ita; sub vi-

tæ bruma multa latent; quæ ad solem iustitiæ aperientur. 5. Vt Isaac, *Gen.* 27. præ senili caligatione inter filios discernere non valebat; ita senescens iam ac cæcutiens mundus probos à reprobis distinguere nescit. Sciet Iudex dicens his; *Venite*; istis, *Ite maledicti*.

Nudatio permagna est pœna.

II. Solent crumenisecæ nudari capti ac inspici, num cauterio notati sint. Si fuerint; in furcam aguntur. Est in primo furto cunctis inusta nota; væ si rursus in manus Iudicis lapsi nudemur. Augustinus l. Medit. cap. 4. *Ecce coram tot millibus populorum nudabuntur omnes cogitationes meæ: & agminibus Angelorum patebunt scelera mea.*

Refert *Plut. lib. de insign. mul.* solitas mulieres Messenias se ipsas demum occidere; quod laudi id ducerent; nec absterreri quibant, nisi edicto hoc; tales nudas fore propalam raptandas. Valuit hoc ad cohibendas à nece sui. Et peccatorum futura nudatio minus apud nos valebit?

Achitophel, autor Absolomo, vt in Patrem conspiraret, cum detectam sensisset coniurationem suam, vim sibi laqueo intulit. Ita & Iudas. Tanta vis est sceleris reuelati! Et vero quoties coniuratio in Deum, & proditio à nobis fit per vitam?

Merito *Beati, quorum tecta sunt peccata.* Psal. 31. Quid quod beatorum quoque peccata sint reuelanda? Vt communis Patrum est sententia, etsi vnus neget Magister sententiarum, Ast ad laudem pœnitentiæ. Quare *memorare nouissima* huius infamiæ, rigidique iudicij, *& non peccabis.* Sin; olim tibi subsannabunt dæmones; Psalm. 55. *Ecce homo, qui non posuit Deum adiutorem suum.* Senties, & sero dices, Ps. 11. *Omnes qui viderunt, deriserunt me.* At tu ô Domine, *remitte mihi, vt refrigerer, priusquam abeam, & amplius non ero.*

CONCIO SEPTIMA.

De sententia Iudicis.

VIsus Eques. *Apoc.* 19. noster est Iudex. Nam 1. *Equus albus*, Christi humanitas est, niueo candore coruscæ cœlis exitura. 2. *Eques*, Iesus est; promissis fidus, verax verbis, idem Iudex, sententiam ferendo, exequendo, bellator. 3. *Virga eius ferrea* rigor est iustitiæ. 4. *Oculi flammei* furorem indicant. 5. *Diademata* eius, mercedem, quam passione sua iustis acquisiuit. 6. *Vestis purpurea* eius passio est quæ vindictam tunc reposcet. 7. *Agmina stolata* in equis candidis, Cœlites sunt Christi comites ad iudicium 8. *Gladius bis acutus* sententiam indicat terribilissimam.

Super qua nos

I. De horrifica voce Sententiæ.
II. De sententia iustorum.
III. De reproborum sententia.

PARS I.

De horrifica Voce Sententiæ.

Iudicij descriptio.

I. ANgelus iudicij nuncius, cœlo descendens, *Apoc.* 10. erat huiusmodi. 1. *Oculi* instar erant solis, q. omnia penite penetraturi, & abdita illuminaturi. Est enim Psalm. 7. *Scrutans corda, & renes Deus* Iudex. 2. *Pedes*, vt columnæ igneæ, hic terræ, ille mari insistens; Nam Iudicis bases sunt Potentia, & Iustitia; Quibus Ezech. 16. *turbabuntur insulæ in mari*: & Luc. 21. *erunt terræmotus magni per loca.* 3. *Volumen* in manu est præteritorum memoria. Clamor eius est iræ index: Ose. 11. *Quasi leo rugiet.* 4. *Vestis* eius è nube, quia, vt diluuiale iudicium fuit vniuersale, sic & hoc; quodque in hoc nubes tribulationum effundenda, nõ stillatim, vt in diluuio: sed Deu. 32. *Congregabo super eos mala, & sagittas meas complebo in eis.*

5. *Iris.*

5. *Iris*. caput ambiens, iræ fœderisque rupti index est. Nam *Gen.* 9. sub pedibus sibi Deus eam in oculis posuit signum pacis: at in iudicio ab oculis remouit supra caput. Apoc. 10. *& iurauit, quia non erit amplius tempus gratiæ.*

Iam gratia est locus, nō tunc.

Et nunc 1. Cor. 7. *Tempus breue est.* 2. Cor. 6. *Ecce nunc tempus acceptabile.* Gal. 6. *Ergo dum tempus habemus, operemur bonum.* 1. Est quidem nunc iratus peccatis Deus: sed Abac. 3. *Cum iratus fueris misericordiæ recordaberis.* 2. Sicut in medio diluuio ramus oliuæ virens diuinitus extitit conseruatus; quem columba reperiret, ductu item diuino: Ita misericordia in mediis iris Dei nobis adhuc viret, sed ab columbinis reperiunda. Nam *Beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur.* At in iudicio, Ps. 76. *continebit in ira misericordias suas.* Et Iacob. 2. *Iudicium sine misericordia illi, qui non fecerit misericordiam.*

Vox Iudicis iurifica.

II. De hoc Iuditha c. 16. *Non est, qui resistat voci tuæ: montes à fundamentis mouebuntur cum aquis: petra sicut cera liquescet ante faciem Domini.* Quid ergo te fiet, quia rundo es?

Vox sententiæ erit intolerabilis. 1. Nã illa, vt de captiuit. Babylonica dicitur, Soph. 1. *Vox diei Domini amara.* 2. Psalm. 90. Verbum asperum. *Liberauit me de laqueo venantium, & à verbo aspero.* Et Quid asperius isto? *Ite maledicti.* 3. Terribilius dicitur Ps. 76. *Vox tonitrui tui in rota.* Et Ps. 103. *A voce tonitrui tui formidabunt.*

Exempla.

1. Adam. Gen. 3. *Vocem tuam audiui in paradiso & timui.* 2. Iob, etsi aduersus aspera omnia rupes esset, tamen, c. 35. *super hoc expauit cor meum, & emolitum est de loco suo, audiet auditionem in terrore vocis. & sonum de ore eius procedentem post eum rugiet sonitus, tonabit voce magnitudinis suæ, tonabit Deus in voce sua mirabiliter.* 3. Vox ea sic terrebat Dauidem, vt dicat: Ps. 101. *Cinerem tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam à facie iræ indignationis tuæ.* 4. Israelitæ, *Exod.* 19. nequibant voces ac tonitrua ferre angeli, dantis legem Moysi: *Non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur.* Quanto minus Iudicis ira? 5. Iob. 28. *Cum vix paruam stillam sermonis eius audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis eius intueri?* Cum vel à facie Domini fugiet omnis terra, & montes colliqu escent: ad Omnipotentiæ autem vocale tonitruum si accesserint & fracti collabascentisque orbis fragores, rerum etiam creatarum omnium horrifici clamores, in vnum versi peccatorem: ac mtus furor quoque sæuierit conscientiæ; quis, vbi subsistere quibit? Quare *memorare nouissima tua, &c.*

PARS II.

De sententia iustorum.

Iustis prius sententia dabitur.

I. FActa gentium congregatione, & separatione, ad positos à dextris Iudex placide inquit: *Venite benedicti Pat. mei possidete paratum vobis regnum ab origine mundi.* Iustis prius dabitur sententia. *Causa prima.* Vt hoc ægrius sit reprobis 1. Psal. 111. *Peccator videbit, & irascetur, dentibus suis fremet & tabescet.* 2. Liquet in Epulone, *Luc.* 16. cui tanto erat cruciabilius, quod videret Lazarum. 3. Ita Assuerus, *Esth.* 6. 7. 8. prius Mardochæum honoribus voluit affectum, quam enectum Amanum.

Altera causa. Vt omnes cernant, quod, vt de Augusto Ouidius ait: ita Deus.

Tardus es ad pœnas Princeps, ad præmia velox.

Quoniam Psal. 144. *miserationes eius super omnia opera eius.* 2. Et vero Ecclesia ait: *Cui proprium est misereri semper & parcere:* q. d. cætera à Deo aliena sunt, hoc congenitum. 3. Isa. 28. *Sic in valle quæ est in Gabaon irascetur, vt faciat Opus suum, alienum est opus eius, peregrinum est opus eius ab eo.* 4. Hinc sapienter AEgyptii dabant Regi sceptrum ad cuius imum capulum vise-

batur caput Hippopotami efferæ beſtiæ: in ſummo caput ciconiæ, auis cicuris quod benignitatem voluerit dominari iuſtitiæ, Iac. 2. *Quia miſericordia ſuperexaltat iudicium.*

Sententia ſenſus.

II. Ergo *Venite* ô amor: *benedicti*: en Electio: *Patris mei*: en gaudium. *poſſidete*: en æterna beatitas. *regnum*: en liberalitas. *paratum vobis*: en dilectio. *ab origine mundi*: en prædeſtinatio.

1. *Venite* exules diu, vt prodigi filij in longinqua regione: ecce profero vobis ſtolam primam gloriæ & immortalitatis: epulemur & exultemus, &c. *Luc.* 15. 2. *Venite* Lazari vlceroſi peccatis, & cladibus, *Luc.* 16. En ſinum pando Abrahæ, &c. Pſa. 35. Hic *inebriabuntur ab vbertate domus Dei. & Torrente voluptatis tuæ potabis eos.* 3. *Venite*, quos expuli paradiſo: pro hoc cœlũ recipite. &c. 4. Venite electi, naufragique Ionæ, &c. 5. *Venite* operarij vineæ meæ.

Benedictionis Figura.

III. *Benedicti Patris mei* quibus mundus maledixit, &c. at pater eripuit vos. 1. Ecce vt ſenex Iſaac, *Gen.* 27. Iacobos benedicit: Eſauinos reprobat. 2. Iacob, *Gen.* 32. in nocte paſsionis luctans, & in fœmore humanitatis tantum vulneratus, ſed victor, filiis ſuis benedicit, *Gen.* 49. Vere Pſal. 113. *Benedicti vos à Domino.*

3. Dauid Galaaditis ita 2. Reg. 2. *Benedicti vos à Domino, qui feciſtis miſericordiam hanc cum Domino veſtro Saul, & ſepeliſtis eum.* Ita Filius iis, qui Patris hic voluntatem præſtiterunt. Pſal. 23. *Hi accipient benedictionem à Domino, & miſericordiam à Deo Salutari ſuo.*

Figura.

Olim ſic Abrahæ Deus: Gen. 12. *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui*: id eſt, de terra, *at Veni in terram, quam monſtrauero tibi: faciamque te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, eriſque benedictus* in cœleſti patria. Dicamque Patri, Tob. 13. *Tu autem lætus eris in filijs tuis, quoniam omnes benedicentur, & congregabuntur ad Dominum.*

IV. *Poſſidete Regnum*: O felicitas! Sap. 5. *Iuſti autem in perpetuum viuent, & apud Dominum eſt merces eorum, & cogitatio illorum apud Altiſſimum. Ideo accipient regnum decoris, & diadema ſpeciei de manu Domini.*

2. Ita Aſſuerus Eſtheræ *ca.* 5. dimidium regni addicebat, vt eius frui poſſet amplexibus. At totum Ieſus: & quidem *regnum omnium ſæculorum.* Pſal. 144. 3. Vere in promiſsis *fidelis Dominus & iuſtus eſt.* Dixit Matth. 5. *Beati pauperes ſpiritu quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Hoc præſtat.

V. *Paratum eſt vobis.* Nam 1. Theſſ. 2. *Teſtificati ſumus, vt ambularetis digne Deo, qui vocauit vos in ſuum regnum & gloriam.* 2. Iac. 2. *Audite fratres charißimi, Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & hæredes regni, quod repromiſit Deus diligentibus ſe.*

Dauid mortuus Salomoni varios varie commendat. *Sed filius Berzellai Galaaditis reddes*, ait, *gratiam, eruntque comedentes in menſa tua*: quod ipſi Saulem fugienti occurriſſent. 3. *Reg.* 2. Ita Pater ſuos Filio commendabit. *Ecce enim pluſquam Salomon hic.* Luc. 11. De quo Ipſe. Ioan. 12. *Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur: & vbi ego ſum, illic & miniſter meus erit.* Luc. 22. *Ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum: vt edatis & bibatis ſuper menſam meã in regno meo.* Et quare? Matth. 25. *Eſurini, & dediſtis mihi manducare: ſitiui, & dediſtis mihi bibere.* Ergo ex operum bonorum merito: at de congruo: Et ex eius promiſſo, ac proin & debito ac iuſtitia: ſed Chriſti condigne ita merentis. Quapropter, 2. Pet. 1. *fratres magis ſatagite, vt per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis. Sic enim abundanter miniſtrabitur vobis introitus in regnum æternum Domini noſtri, & Saluatoris Ieſu Chriſti.*

PARS

PARS III.

De Scientia reproborum.

I. *Discedite à me maledicti, &c.* O tonitru! Hic cœli istate, sol obscurare, aer detona, ignis descende, terra quatere, stellæ ruite. hic pontus gemat, rumpãtur rupes, arbores exarescãt, vlulent bruta, omnia plangant. *Discedite.* O amarum? Quæ hęc manumissio? *à me.* O damnum! *Maledicti:* O furor! *in ignem æternum.* O æternitas. O pœna! O asylum triste! *Qui paratus est diabolo & angelis eius.* O tormentũ? O societas infelix? O terror? pudor?

Vindicãdi iam non miserendi ẽt tempus.

Discedite, quasi dicat. *Vocaui, & renuistis* accedere; obtuli misericordiam, & non aspexistis, abusi patientia mea. Coegistis me ad hanc vocem, natura proniorem ad miserandum.

1. Hinc *Apoc.* 1. Angelus Iudex gladium sententiæ habebat in ore quidem: at in manu stellas præferebat misericordiæ, qua donat coronas beatis. 2. Ideo Sponsa Cant. 5. *Manus eius tornatilis, aureæ, plenæ hyacinthis.* Hebræi legunt, *Manus eius orbes aurei*, id est, sunt vti orbes cœlestes, quæ motu perpetuo benefaciunt electis.

Gladij Dei vius.

Gladium Deus diuersimode gestare legitur. 1. In fœmore: Psalm. 44. *Accingere gladio tuo super fœmur tuum potentissime*: ad metum incutiendum. 2. In manu; ad puniendum: & Exod. 5. *Euaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea.* 3. In ore omnium atrocissime. Apoc. 1. *De ore eius gladius vtraque parte acutus exibat.* Hic ictũ irremedicabilem infert. Iob 40. *Accingere sicut vir lumbos tuos, interrogabo te, & indica mihi. Nunquid irritum facies iudicium meum? & si habes brachium sicut Deus: & si voce simili tonas.*

Discedite. Ter legitur Dominus ab se remouisse alium Tentatorem. Matth. 4. *Vade Satana.* Petrum Passionis remoram, Matth. 16. *Vade post me Satana.* In iudicio: *Discedite à me maled. &c.* Ecce Psal. 2. *Tunc loquetur ad eos in ira sua, & in furore suo conturbabit eos*, id est, dicet. *Ite maledicti, &c.* Væ! Psal. 55. *In ira populos confringes.* Ps. 57. *In ira absorbet eos.* 2. Reg. 22. *Iratus est eis, ascendit fumus de naribus eius, carbones succensi sunt ab eo: tonabit de cœlo Dominus, & exce!sus dabit vocem suam.* Quam? *Discedite à me.*

II. Maledicti. Itan'? Damnatum capitis etiam maledicere? Hoc vero est afflicto addere afflictionem. Nimirum ita prædemonstratum. 1. Tu es, Iesu, Noe, qui amore vineæ tuæ Ecclesiæ ebrius diu dormisti, & à Chamis improbis quasi derisus es. Nunc euigilas, ac hos maledicis iuste, *Gen.* 9. 2. Et vero Psalm. 118. *Maledicti, qui declinant à mandatis tuis.* Ah, si *Matth.* 11. ficulnea ex maledictione exaruit: quid istis fiet? 4. Et iure. Quia Tob. 13. *Maledicti erũt, qui contemserint te: & condemnati erunt omnes, qui blasphemauerint te.* 5. Quia etiam Ps. 108. *dilexit maledictionem, & veniet ei: & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.* O vox, *Ierem.* 50. terroris & belli: vox, *Nahum* 3. flagelli & percussionis!

In ignem Aeternum. id horrendi furoris. hoc miseræ desperationis est. 1. Hęc est Psalm. 76. *vox tonitrui tui in rota*, id est, principio carens ac fine, vt rota. 2. Atque ita impiis Dauid imprecatus est, Psalm. 82. *Deus meus, pone illos vt rotam, & sicut stipulam ante faciem venti: Sicut ignis, qui comburit siluam, & sicut flamma, quæ comburit montes: ita persequeris eos in tempestate tua, & in ira tua turbabis eos.* 3. Et igne æt. turbabis eos. *Vægenti*, ait Iuditha 16. *surgenti super genus meum. Dominus enim omnipotens vindicauit in eis. In die iudicij sui visitabit illos. Dabit enim ignem & vermes in carnes eorum, vt vratur & sentiant vsque in sempiternum.*

IV. *Qui paratus est diabolo, & angelis eius.* O Societatem? 1. Implerur istud Psal. 108. *stet diabolus à dextris eius.* 2. Abacuc 8.

Ante

Ante faciem eius ibit mors, & egredietur diabolus ante pedes eius.

Hic ad dictam sententiam, quam rabide raptabit, proturbabit, cruciabit flammis addictos ? 1. Vt Amanum carnifices Esth. 7. *Necdum verbum de ore Regis exierat, & statim operuerunt faciem eius, & suspensus est Aman in patibulo.* 2. Moyses, *Num.* 16. vt primum loqui desiit, mox Chore, Datan & Abiron viui descenderunt ad infernum. 3. Ergo Ps. 54. *Veniat mors super illos, & descendant in infernum viuentes.* 4. Adeoque Ps. 62. *introibunt in inferiora terræ, tradentur in manus gladij: partes vulpium erunt.* 5. Imo Exod. 15. *Cadent in profundum quasi lapis, & sicut plumbum in aquis vehementibus.*

PERORATIO.

QVare *memorare nouissima, & in æt. &c.* 1. Atque ita erit Eccl. 10. *Cor sapientis in dextra illius, & cor stulti in sinistra eius.* id est, Iustus omnia sua cogitata referet ad dexteram Iudicis, Deique gloriam; vt se demum cum iis ad dexteram Dei reperiat beatum. Stulti vero cor, immemor nouissimorum ad sinistram se suaque vertit, ac perditum it. 2. Formicæ, *Prou.* 6. prudentia laudatur, quod æstate tota labori insudet, cæteris animalculis cantillantibus; quæ sub hyemem perire necesse est. Horum similes sunt, qui non memorantur nouissima. Ergo *Vade ad formicam piger.* Nam veniet hyems omnium & sæuissima, & æuiterna.

Dicamus Satanæ suadenti peccatum; quod miles Ioabo; 2. Reg. 18. *Si appenderes in manibus meis mille argenteos, nequaquã mitterem manum meam in filium Regis.* Nunciarat is, se vidisse Absolomum ex arbore pendentem; optabatque Ioab vt eum interfecisset. Quid? pro vili lucro, seu delicio in cruce pendentem Iesum filium Regis iterum crucifigeremus? Non, si mille mundos appenderes mihi; Tantum vt audire merear; *Veni benedicte Patris mei, &c.*

Hebdomada tertia Aduentus.

DE INFERNO

Tertio Nouissimorum.

CONCIO PRIMA.

De memoria Inferni.

Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis. Eccl. 7.

Vnum hoc Concionum est omnium

THEMA.

MEretrix, *Apoc.* 18. in lacum, igne & sulphure æstuantem conijcitur, & dicitur: *Quantum glorificauit se & in deliciis fuit; tantum date illi tormentum, & luctum.* Hæc ipsa est damnatio ad infernum.

Super quo nos

I. *Præconium de timore pœnæ generatim.*
II. *De necessitate pœnarum inferni memorandarum.*
III. *De earundem vtilitate.*

PARS I.

Præconium de timore pœnæ generatim.

I. DEmocritus Philosophus aiebat: orbis duobus continetur; amore præmij, & timore supplicij. 2. Cyrus, Rex Persarum primus, ait *Xenophon.* eadem duo Regis brachia appellabat. 3. Dauid Deo affectus dat duos, Ps. 24. *Dulcis & rectus Dominus.* Vbi Cassiodorus ita: *Dulcis, vt ametur: rectus, vt timeatur.* *Timor pœnæ confert.*

Cur 1. Quia Psal. 110. *initium Sapientiæ timor Domini*, abstinet enim nos à peccatis. 2. Ideo Romulus, ait *Plut.* quos proposuit Deos coli, eos finxit armatos: vt timeantur, cauendis peccatis. 3. Huc Psalm. 2. *Et nunc Reges intelligite, erudimini, qui iudicatis terram: seruite Domino in timore.* 4. Lutherus docens frustra pœnis *Ad cauenda peccata.*

inferni

inferni fideles perterrefieri panico velut terriculamento: ab Leone X. damnatur.

Ad iustificationem. Et bene Conc. Trid. docet metum iustitiæ diuinæ proximum esse gradum iustificationi. 1. Vti indicat Isa. 26. *Sicut quæ concipit, cum appropinquauerit ad partum, dolens clamat in laboribus suis; sic facti sumus à facie tua Domine: concepimus, & quasi parturiuimus Spiritum* conuersionis. LXX. vertunt, *& peperimus Spiritum salutis tuæ.* 2. Similiter S. Augustinus in illud Psal. 47. *Ibi dolores vt parturientis*, ait. *Quid sunt hi, nisi dolores pœnitentis? id est, ipsa conceptio doloris: iuxta illud à timore tuo concepimus.*

Est diuinus. III. Quare merito timor is dici diuinus debet. 1. Talem agnouit vel ethnicus Plinius lib. 5. *Timor*, ait, *vitiorum emendator acerrimus.* 2. Liuius. *Externus timor maximũ in vrbe concordiæ vinculum.* 3. S. Bern. eum vocat Religionis socium. 4. Picianus ait: *In medicinæ poculis solet amarum magis quam dulce medicari: Sic in animæ ægritudinibus sæpe timor est prima ad salutem via.*

Est Sanctus. O Sanctus timor! Quidni? Nam ex improbis sanctos efficit. 1. Chrysostomus ait, infernum à Deo conditum non tam ad impios puniendos; quam ad peccatores à peccatis absterrendos, adque frugem reuocandos. *Quia*, ait, *quando quis vehemẽtius metuit pœnam, quam meruit; tanto acerbius plangit culpam quam fecit.* Nõ sanctus sit timor, qui Dei veneratio est? 2. Abraham ad Abimelech, Gen. 20. ait: *Cogitaui mecũ dicens, forsitan non est timor Dei in loco isto.* LXX vertunt, *veneratio Dei.*

3. Conducit is ad sanctitatem plurimum. Psal. 28. *Vox Domini præparantis ceruos.* Hieronymus vertit: *obstetricans ceruis*, id est: timor parit iustitiam. Nam ceruæ sunt & timidissimæ, & difficillime pariunt; nec nisi cœlo tonante, tunc enim metu soluuntur, vt fœtum effundant. Ita terror Dei fit in nobis timor, *qui expellit peccatum.* Nullus vero timor est vehemẽtior, quam qui de inferno est: Ideo Sapiens: *Memorare nouissima, &c.*

PARS II.

Inferni metus necessarius est.

Necessarius est 1. ad Dei cultum. I. TImeri infernum necesse est. 1. Matt. 10 *Nolite timere eos, qui occidũt corpus; animam autem non possunt occidere. Sed potius timete eum, qui potest & animam, & corpus mittere in gehennam.*

2. Ad emẽdationem vitam. 2. Quis non ad exemplum Epulonis tartarei tota mente exhorrescat? Quantillum rogat sibi, nec obtinet? itemq; & fratribus; at nequicquam.

3. Ad obseruationem Legis. 3. Moyses ad legis obseruationem vt astringeret populum, timorem obijcit ab inferno istis adumbrato. Deuter. 32. *Ignis succensus est à furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima, deuorabitq; terram cum germine suo, & montium fundamenta comburet: congregabo super eos mala, & sagittas meas complebo in eis: consumentur fame, & deuorabunt eos aues morsu amarissimo. Dentes bestiarum immittam in eos, cum furore trahentium atq; serpentium.* Concludit ita: *Gens absque consilio atq; prudentia, vtinam saperent, & intelligerent, ac nouissima prouiderent.*

4. Ad prudentiam. II. Aristot. lib. 3. Polit. c. 2. ait timorem non cunctis solum inferioribus: sed Regibus quoque necessarium esse: prudentiam vero non solum Regibus, sed etiam omnibus: 2. Diog. Laert. l. 4. id Prudentiam inter virtutes esse vult, quod visus est inter sensus. 3. Terent. in Adelph. Act. 3. Sce. 3. *Illud est sapere, non, quod ante pedes est, modo videre, sed etiam illa, quæ futura sunt, prospicere.* 4. Eam S. Spiritus laudat in Sponsa; Can. 2. *Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum* (erat hæc Salomonis specula; à qua Syriam subiectam contemplabatur iucundissimam, ac procul prospiciebat.) Est autem nasus prudentiæ hieroglyphicum: cuius est prospicere finem.

5. Ad coercendos appetitus.

Id Ieremias ab Solyma negligi deplorabat, Thre. 1. *Sordes eius in pedibus eius, nec recordata est finis sui*: quod deuastanda foret ob scelera; 1. Heu! quod tam secure, quam impune viuunt, immemores inferni, vltorisque Dei? 2. Quot affectuum pedes taminant, obliti finis ad finis ruunt præcipitium? Habent enim & affectus pedes suos ac gressus. Vnde Psal. 35. *Non veniat mihi pes superbiæ*, id est, ait Augustinus, exulet à desideriis meis superbia. Tu Iesu, *statue supra Petram pedes meos*. Psal. 39. *Petra autem est Christus*. Da Luc. 1. *ad dirigendos pedes nostros in viam pacis*. Pedes victimarum, *Leu.* 2. diligentissime abluii iubebat Deus: id est, appetitus nostros.

6. Ad expiandos animos ac perterrefaciendos.

III. Huc mirum quantum metus confert inferni. 1. Ideo Deus, Iudæis infensus, primum minis eos perterrebat, ostensa Ieremiæ Virga vigilante: tum deinde eidem Ierem. 1. *Quid tu vides*, ait, *Ollam accensam ego video: & faciem eius à facie Aquilonis*. Ea infernus est: de qua dicas istud 4. Reg. 4. *Mors in olla, vir Dei*. Nimirũ inferni memoria volebat eos cohiberi Deus, qui virgæ vigilantis pœna temporali minus mouebantur. 2. Ita Tamerlanes, rex Tartarorum, terrebat, quas obsidebat, vrbes, figens die obsidionis primo candida, altero rubra, tertio furua tentoria: significans gratiam; aut necem; aut omnium quorumque euersionem; ni se dederent.

Exempla.

IV. Et vero inferni memoriam sanctissimi quoque viri coluerunt. 1. Psalm. 114. *Pericula inferni inuenerunt me; tribulationem & dolorem inueni, & nomen Domini inuocaui. O Domine libera animam meam, misericors, & iustus.* Psalm. 76. *Annos æternos in mente habui.* 2. Iob 10. *Dimitte me, vt plangam paululum dolorem meum, antequam vadam & non reuertar, ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine.* 3. Daniel ad visum hoc, de Nabuchodonosore 7. annis erraturo, vt bos in deserto sic expauit, vt ad horam mutus staret. *Dan.* 4. Quid si inferni æternitatem inspexisset ei perpetiendam? 4. Iesus animo repetens cruciatus in Caluariæ subeundos, *cœpit pauere & tædere*. Luc. 22. Et non peccator ad pœnas inferni.

5. *Dionysius Carth. in speculo amatorum mundi* refert de quodam rediuiuo, degente in deserto, cum vestibus asperrima hyeme in profluentem se mergente, vt obrigesceret cum vestitu. Increpantibus eum ait: Si vidissetis, quæ ego: horridiora subiiretis. 6. 8. *Ioan. Dam. in hist. Barl. c.* 30. prodit, Indorum Regem Iosaphat, visis inferni cruciatibus in alium repente mutatum virum deseruisse regnum, inque eremum concessisse. Enimuero Matth. 12. *quid prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?*

PARS III.

De vtilitate eiusdem memoriæ.

I. NEcessitati par vtilitas est inferni memorati. Nam

Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

Multa designantur scelera. Ps. 13. *quorum os maledictione, & amaritudine plenum est: veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem: contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognouerunt.* Quæ causa tantorũ? *Non est timor Dei ante oculos eorum.*

Exempla de pœnarũ vtilitate.

1. Vt autem carcer est ciuium timor ac maleficorum: ita hominum, infernus. 2. Thebani semper Laconum Remp. florentissimam sunt admirati. Mittunt igitur Phi'onium Philosophum, qui sagaciter obseruaret omnia, legesq; describeret. Demum is reuersus, in theatro proposuit cruces, gladios, laqueos, eculeos, rotas, flagra, &c. ac siluit. Ad vltimum instantibus ait: Ecce videtis, quod coercet Lacedæmonios, vt legibus pareant.

Id

Id Thebis deest. 3. Cambyses Persarum Rex, Sisamnis Iudicis detracta pelle tribunal obduxit, in exemplum successorũ Iudicum. Nam is auro se corrumpi permiserat, *Ammianus l.* 23. 4. Successor Artaxerxes, seu Assuerus, pluribus iudicibus corruptis cutem detraxit, ac pro tribunali suppendit. *teste Diodoro Sic. l.* 15.

Ita infernum cum damnatis proponit Deus: statutis insignioribus ad memoriam exemplis, vt demersorum diluuio, *Gen.* 7. Sodomitarum, *Gen.* 19. Chore, &c. *Num.* 16. Epulonis, *Luc.* 16.

Quas & bruta metuunt.

Felix quem faciunt aliena pericula cautum! Lipsius l. de Cruce refert ex Plinio, Afros olim ab leonibus infestatos suspendisse passim multos leones, quibus visis cæteri leones egredi siluis non ausi fuere. Vidit Scipio Africanus suspensos, causamque audiens mirari desiit. *Plin. l.* 8. *ca.* 16. Ergo & bruta pœnis coercentur: quo plus homines.

II. De Iudæis Deus per Moabitidas idola seductis iubet Moysi, Num. 15. *Tolle cunctos Principes populi, & suspende eos contra solem in patibulis.* Quo vno cæteris metus iniectus est. Et quis non ad pœnas Principum Angelorum cohorrescat? Quotacti in cruces sunt infernales Alexandri, Cyri, Hannibales, Cæsares, &c. Arij, Macedonij, Nestorij? &c.

2. Nabuchodonosor, fornaces succensos intentabat, ni statũ adorassent: mox adorarunt omnes; præter tres pueros. *Dan.* 3. Deus infernum minatur: nec mouebimur? Ps. 94. *Venite, adoremus & procidamus ante Deum.* Aequum est. Ps. 65. *vt omnis terra adoret te Domine.*

3. Quantus erat terror cunctis, *Num.* 16. quando cum Chore 250. viuis terra dehiscebat? Neque tamen adhuc infernum inspexerant. Quis horror, clamorque virum erat, *Num.* 14. referentibus speculatoribus de terræ promissæ gigantibus, muris, munitionibusque? *Vociferans omnis turba fleuit. Vtinam mortui essemus in Aegypto, &c. non inducat nos Dominus in terram istam, ne cadamus gladio, & vxores, & liberi nostri ducantur captiui.* Et inferni metus animam non percellat?

III. Hinc religiosus in tentatione digitum igni admouebat: & illa refrixit. Qui, aiebat, tartari flammas tuleris? Efficax telum aduersus carnem, dæm. mundum. Nam, Isai. 33. *Quis poterit de vobis habitare cum igne deuorante? Quis habitabit cum ardoribus sempiternis?* Quare, vt agricola sterile ac veprosum solum flammis incendit, vt exustum suis ab cineribus fertilescat: ita *memorare nouissima*, & abhorrebis mox à vitiis, virtutes amabis ac coles. Vnde Virg.

Sæpe etiam steriles incendere profuit agros.

Age, hoc age: Psal. 96. *Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius.* Tu is esto. Tute tibi Samsonius esto, *Iud.* 15. cogitationum tuarum vulpes, facibus inferni armatas, in segetem dæmonum (peccata,) immitte: exure: teq; ab iis vindica & in libertatem spiritus asserere stude. Et sane, ait S. Bern. in floribus: *si amor Dei te tenere non potest, saltem teneat, & tereat timor iudicij, metus gehennæ laqueimortis, dolores inferni, ignis vrens, vermis corrodens, sulphur fœtens, torrens flamma, & omnia mala tartarea.* Idem serm. quodam. *Descende viuens in infernum, percurre mentalibus oculis tormentorum officinas: fuge scelera & vitia, pro quibus scelerati homines, & vitiosi perierunt. Hæc memorare nouissima.*

CONCIO SECVNDA.

Quid, & Vbi sit Infernus.

ECclesiasticus, *ca.* 1. abyssum quandam infinitæ altitudinis describens ait: *profundum abyssi quis dimensus est?* Conabor, si non dimetiri; ast adumbrare.

Quare

I. *De diuersis animarum receptaculis.*
II. *Quid, & qualis sit infernus.*
III. *Vbi sit infernus.*

PARS I.

De diuersis animarum receptaculis.

I. SAnct. Augustin. tract. 49. in Ioann. ait: *Habent animæ, cum de sæculo exierunt, diuersas receptiones suas. Prima* est Beatorum. De qua Ioan. 14. *Vado parare vobis locum, vt, vbi ego sum, & vos sitis.* Matth. 5. *Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* Ita Conc. Florentinum in decreto vnionis: & Conc. Trident. sess. 25. Et SS. Patres.

Secunda, damnatorum in ima terra. Num. 16. *Descenderunt viuentes in infernum cooperti humo.* Ps. 45. *Veniat mors super illos, & descendant in infernum viuentes.* Lucæ 16. *Mortuus est diues, & sepultus est in inferno.*

Tertia, limbus est Patrum V. T. cuius talis typus Num. 35. Pulsis patria redire nefas nisi mortuo S. Pontifice. Ita pulsi omnes paradiso erant: nec nisi Christo mortuo cuiquam dabatur reditus: Vnde Heb. 9. *Christus autem assistens Pontifex futurorum bonorum, &c. per proprium Sanguinem introiuit semel in Sancta, æterna redemtione inuenta.* De hoc Iacob Gen. 37. *Descendam, quærens filium meum Ioseph, lugens in infernum.* Quod Nouatores, contra Patrũ consensum, de sepulcro interpretantur.

Quarta, est infantium non baptizatorum, in pœna damni, non sensus æternantium.

Quinta, est Purgatorium: vbi animæ quædam detinentur in pœna remissis culpis. Sicut 2. *Reg.* 14. Absalon à patris conspectu biennio arcebatur; dimissa culpa fratricidii.

Dices. Itan' animæ incorporeæ corporeo in loco quibunt contineri? 1. Boetius l. de hebdom. ait. *Communis sapientum opinio est, incorporalia in loco non esse.* 2. August. 12. super Gen. ad literam. *Cito respondeti potest, ad corporalia loca animam non ferri nisi cum aliquo, &c.*

Respondetur. Spiritus esse in loco, non vti sunt corpora; sed modo ipsis apto, nobis ignoto: non tamen ideo negando. Nam & cœlum empyreum, vere corporeum, angelis fuit innumeris repletum, simul ac conditum erat, teste Beda: Hinc fide tenemus, Beatis locum dari Deo proximum: damnatis remotissimum à Deo. Atque hæc *memorare nouissima, &c.*

PARS II.

Quid, & qualis sit infernus.

I. INfernus chaos est merum maledicti onis, regnum tyrannicum, cuius mẽbra dæmones: serui, damnati: aula, antrum: lampades, flammæ: dæmonum visio, picturæ: tenebræ, aulea: ignes, lecti: patibula, deliciæ. Audi Epitheta. 1. Eccl. 1. *Profundum abyssi quis vnquam dimensus est?* Isa. 24. *Cõgregabuntur in locũ, & claudentur ibi in carcerem.* O scatentem maleficis! 2. *Otimete eum, qui habet potestatem mittere in gehennam.* Luc. 12. 3. *Detractos*, 2. Pet. 2. *in tartarum tradidit cruciandos*: dictum ab ταράσσω, id est: turbas concito. *Ibi clamat*, ait S. Ber. *dæmon ad dæmona percute, dilacera, interfice velociter, spolia detrahe, cito prædare, injice prunis, & ebullientibus impone lebetibus.* Cyrillus Alex. Orât. de exitu animæ ait. *Est Locus quem ipse quoque diabolus expauet.*

4. Amos 2. *Bibebant vinum damnatorum in domo Dei sui.* Vah domum Plutonis! Eius *contriuit portas æreas, & vectes ferreos confregit* Iesus. Ps. 106. S. Bern. in hoc Mat. 16. *Portæ inferi non præualebunt*: ait: *Portæ inferi sunt cæca desperatio, & dura obstinatio.*

5. Apoc. 19. vocatur *Torcular Dei*: nam vt vuæ variæ, sic animæ variæ in vno inferno pressantur. Vnde Iob. 18. *Calcet super*

per eum quasi rex, interitus. 6. Graphice Matthæus c. 8. *Eijcientur in tenebras ext. ibi erit fletus & stridor dentium.* c. 13. *Sicut colliguntur zizania, &c. Sic angeli colligent de regno eius omnia scandala, & mittent in caminum ignis.* &c. & c. 22. *Ligatis manibus & pedibus eius, mittite eum in tenebras.* &c. c. 24. *Inutilem seruum eiicite in teneb.* 7. Marc. 9. *Ite in gehennam, in ignem inextinguibilem, vbi vermis eorum non moritur.*

8. Isa. 30. *Præparata est ab heri Topheth, à rege præparata profunda, & dilatata: nutrimentū eius ignis, & ligna multa flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam.* Topheth locus erat in valle Moria summæ abominationis, vbi idolo Moloch filii fuerunt immolati cum tympanorum sonitu, à quo topheth dictus est. Iam in orco innumera millia damnatorum dæmoni immolantur.

9. Puteus dicitur Ps. 68. *Neque vrgeat super me puteus os suum.* Psal. 54. *Tu vero deduces eos in puteum interitus.* Ioan. 4. *Puteus altus est.* Non ille sponsæ, Cant. 4. *Puteus aquarum viuentium:* Sed, is de quo Apoc. 9. *Ascendit fumus putei, sicut fumus fornacis magnæ.*

10. Iob. 10. describit, vt *terram tenebrosam, & opertam mortis caligine, terram miseriæ; & tenebrarum; vbi vmbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.* Vah locum.

11. Cyrillus l. de exitu ani. *Illic ingemiscunt assidue, nec vllus miseretur: clamat è profundis, & nemo flectitur: lamentantur, & nullus eripit,* &c. Bern. serm. de 5. region. *Locus lethifer, in quo frigus rigens, vermis immortalis, fœtor intolerabilis, mallei percutientes, tenebræ palpabiles, horribiles dæmonum facies. Totus tremo atque horreo ad memoriam istius regionis, & concussa sunt omnia ossa mea.*

PARS III.

Vbi sit infernus.

1. S. Anct. Greg. l. 4. dial. interrogatus vbi sit infernus; ait. *De hac re temere definire nil audeo. Nonnulli namque in quadam terrarum parte infernum esse putauerunt, alij sub terra.* Ibid. c. 42. *Cum ad aperiendum librum nullus inueniatur dignus sub terra;* Apoc. 5. *quid obstat non video quod infernus sub terra esse credatur.*

Aug. lib. 12. in Gen. *In qua parte mundi infernus sit, scire neminem arbitror, nisi cui Domini spiritus reuelauit.* Ibidem tamen duas rationes subdit, cur sub terra esse putet. 1. Animæ debent subire sortem rerum, quas amarunt: at hæ terrenæ sunt: ergo & animas redire par est sub terram. 2. vt beatis animabus conuenientissimus est locus cœlum: ita infernus damnatis ab illo remotissimus sub terra. 3. Fauent igniuomi montes Aetna, Vesuuius, Hecla. 4. Consentit Ecclesiæ.

2. Iacob. Gen. 36. *Descendam,* ait, *in infernum.* Quo de loco variè tamen disceptatur. Sic in Symbolo: *Descendit ad inferos.* Num. 16. *Descenderunt viui in infernū.* Ps. 138. *Si descendero in infernum, ades.* Matth. 11. *Et tu Capharnaum, &c. vsque ad infernum descendes.*

1. Adhæc, *contraria contrariorum sunt consequentia:* Sed beati, & damnati sunt contrarij, & illi in summo: ergo hi in infimo loco. 2. Nam locus dignitati locati respondere debet; at reprobi sunt *vt lutum platearum.* Ps. 17. & Ps. 1. *tanquā puluis, quem proiicit ventus à facie terræ.* 3. Grauia deorsum feruntur; ideo impij Exod. 15. *submersi sunt quasi plumbum in aquis:* Quis igitur non reformidet in mundi fundo æternum claudi, ac discruciari? Atque hæc *memorare nouissima &c.*

CONCIO TERTIA.

De pœnis inferni.

SAnct. Iob. c. 10. describit *terram opertam mortis caligine, terram miseriæ & tenebrarum, vbi vmbra mortis, & nullus ordo; sed sempiternus horror inhabitat.* Hanc orci adumbrationem esse reor.

Circa quem nos

I. *De pœnis ab irato Deo generatim.*
II. *De pœnis damnatorum variis.*
III. *De singularibus pœnis duabus aliis.*
IV. *De pœnarum diuersitate, pro delictorum qualitate.*

PARS I.

De pœnis ab irato Deo generatim.

Sunt pœna post mortẽ impiis.

FIdes docet, Deum iustum esse, eiusque experiri iustitiam post mortem eos, qui viui eam spreuerunt. 1. Psalm. 72. *Mei autem pene moti sunt pedes, & c. non est respectus morti eorum, & firmamentum in plaga eorum &c. Labor est ante me, donec intrem in sanctuarium Dei, & intelligam in nouissimis eorum.* Quæ sunt labor & dolor: cum è contra iustis sit requies ac merces magna nimis. 2. Ideo iustus hanc sperans Psalm. 100. ait: *Misericordiam & iudicium cantabo tibi:* & meruit illum Iob, 9. *Verebar omnia opera mea: sciens quia non parceres delinquenti.* Cur? Quia est vindex Deus: Nam, Psal. 93. *Qui corripit gentes, non arguet.* Vbi Chaldæi: *An possibile est, quod ille, qui dedit legem populo, cum peccauerit, non arguet.*

Virga Dei duplex. tẽporaria & æterna.

Quare pœnę post fata manent impios. 1. Vt virga Moysis, *Exod.* 4. vertit in serpentem, deuorauitque alios. Ita Virga Dei serpentina tum deuorabit peccatores: Psal. 88. *Visitabo in virga iniquitates eorum.* 2. Clarius Psalm. 2. *Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos.* Vt ergo virga Moysis biformis fuit: ita Dei est correptio: temporaria mitior: æterna est virga iam in serpentem versæ. 3. Ita Ieremias c. 1. videbat primo *virgam vigilantem*: at dein hanc versam in *ollam succensam.*

Tẽporaria est clemens.

Itaque sicut per virgam puluerem è vestibus excutiuntur: ita ventilat suos hic Deus tribulationibus, tyrannis, &c. Isai. 10 *Væ Assur, virga furoris mei, & baculus ipse est, in manu eius indignatio mea.*

Arcet ab æterna.

Bona virga hic, quæ abarcet ab igne ollæ succensæ isthic: Hinc Augustinus: *Domine, hic seca, hic vre; hic non parcas: vt in æternum parcas.* 2. Et Manasses Rex. 2. Par. 36. *Domine remitte mihi, & ne simul perdas me cum iniquitatibus meis; neque in æternum reserues mala mihi.* Ita & tu ista *memorare nouissima tua*, &c.

PARS II.

De pœnis damnatorum variis.

Vt fœlicitas est sic & infœlicitas post mortem.

I. VT *Beatitudo* teste Boetio, *status est omnium bonorum aggregatione perfectus.* Neque oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, *quæ præparauit Deus diligentibus se.* Contraria omnia de inferno asseras, deque offendentibus Deum. Quorum cruciatus tam diri, vt Epulo, *Luc.* 16. rogarite cœlo mitti, quo fratres monerentur, ne in locum eum deuenirent tormentorum.

Pœna varia.
1. Calicis.

Dauid post musta de pœnis inferorum, ait demum, Psalm. 10. *Pluet super peccatores laqueos ignis sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum.* In istis est detentio æterna, dolor, fœtor, horror, ebrietas.

2. Vah calicem! At Apoc. 16. *Babylon, ciuitas illa magna, venit in memoriam Dei; date illi calicem iræ eius.* Babylon est confusio omnium, par ei calix. Et Psalm. 74. *Bibent ex eo omnes peccatores terræ. O calix vini meri, plenus mixto* confusionis babylonicæ: at meri horroris ac doloris; spe nulla diluti, nec vel extremi digiti intincti guttula. *Luc. cap.* 16. Heu, super hæc, Eccles. cap.

cap. 35. *sunt spiritus, qui ad vindictam creati sunt, & in furore suo confirmauerunt flagella sua.*

2. Tenebræ. II. Quam calix abominabilis; tã horribiles tenebræ sunt. Psalm. 48. *Et vsque in æternum non videbit lumen.* 2. Reg. 2. *Impij in tenebris conticescent.* Quantis, & vnde ortis? Apoc. 9. *Ascendit fumus putei sicut fumus fornacis magnæ, & obscuratus est sol & aer de fumo putei.*

3. Mallei dæmonum. Insuper, Prou. 19. *Parata sunt derisoribus iudicia, & mallei percutientes stultorum corporibus.* Hebræi legunt: *percussiones dorso stultorum.* O tormenta! 1. De iis Psal. 103. *Deficiant peccatores a terra, & iniqui, ita vt non sint.* Vult eos aboleri quoad delicta, non quoad substantiam. 2. Ideo Psalm. 67. *Sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei.* 3. Merito Cassianus in Confess. Theolog. part. 3. *Quis ergo hæc sciens non contremiscat? Digito ignem modicum tangere horremus, & quomodo non formidamus in ignis rogum ligatis manibus ac pedibus coniici.*

Congeries pœnarum in carcere. III. Chrysost. hom. 5. in 1. Cor. 2. *Cum ingredimur carcerem regium, & videmus alios catenis oneratos, alios mortuos fame, alios squalidos & pallidos, alios in tenebris clausos, nescientes quando sit dies vel nox; horremus. Quid ergo erit videre carcerem illum Dei, vbi tot captiui, tot tormenta?* Similia eiusdem discipulus Cassianus 2. Horribilius Iob. 20. *Hoc scio a principio ex quo positus est homo super terram, quod laus impiorum breuis sit, & gaudium hypocritæ ad instar puncti. Luet, quæ fecit, omnia; nec tamen consumetur: iuxta multitudinem adinuentionum suarum, sic & sustinebit, æstuabit & omnis dolor irruet super eum; deuorabit eum ignis, qui non succendetur.* 3. Psalm. 74. *Ibi dolores, vt parturientis.* Oseæ 13. *Dolores parturientis venient.* 4. Marc. 13. *Initium dolorum hæc,* quæ in iudicio horrenda se dabunt. At postea Deut. 33. *Congregabo super eos mala, & sagittas meas complebo in eis,* vnum in cętrum malorum collectos: Vbi Psalm. 31. *multa flagella peccatoris:* Vbi vociferabuntur, Psalm. 17. *Dolores inferni circumdederunt me.*

PARS III.

De singularibus pœnis duabus aliis.

Manuum Dei ambarum pœna. I. VEre Heb. 10. *horrendum est incidere in manus Dei viuentis.* Nam, hic vna manu punit Deus; at ibi vtraque. 1. Vna hic tactus Iob, quam miserabiliter clamat ad Angelos? c. 19. *Miseremini mei, miseremini mei vos saltẽ amici mei.* 2. Sensit vnã Psaltes 138. *Posuisti super me manum tuam.* Et 31. *Grauata est super me manus tua.*

At isthic vtraque ferit. 1. Psal. 126. *Sicut sagittæ in manu potentis.* 2. Ps. 20. *Inueniatur manus tua omnibus inimicis tuis; dextera tua inueniat omnes qui te oderunt.* Non hic tam orat Vates; quam præfigurat infernalia. Simul significat, Deum ad puniendum esse tardum, quærique debere, vt inueniatur. Ad miserendum vero vltro adesse. Ibi autem, Psal. 149. *Gladij ancipites in manibus eius.*

Æstus & frigoris alternatim. En aliam pœnam: Iob. 24. *Transeunt ab aquis niuium, ad ignem nimium:* de dolore in dolorem fletus & stridoris dentium.

Beati insultabunt dãnatis. II. O miseriam! Nemo miserebitur. 1. quin Cœlites etiam ita Deo: Psalm. 27. *Da illis secundum opera eorum, & secundum opera eorum tribue eis, redde retributionem eorum ipsis.* Ita Christus suis crucifixoribus imprecatur. 2. Hic proinde cum Sanctis, Psalm. 57. *Lætabitur iustus, cum viderit vindictam: manus suas lauabit in sanguine peccatoris.*

Hæc vero ad pœnas alias accedit eis noua. 3. Facient beati his; quale Idumæi Solymæis: qui accendebant Babilonios, vt etiam in lapides Solymæorum sæuirẽt: Ps. 136. *Exinanite, exinanite vsque ad fundamentum in ea.* 4. Quantum iam pro nobis deprecantur: tantum contra damnatos imprecabuntur Beati. 5. Id Magister Sen-

Senten. docet exemplo Abrahæ; *Luc.* 16. insultantis Epuloni diſcruciato: *Memento quia accepiſti bona.*

6. Atque vt Iudæi Crucifixum deriſerunt: Mat. 27. *Prætereuntes blaſphemabant eũ mouentes capita ſua, & dicentes: Vah, qui deſtruis templum.* Pſ. 21. *Omnes videntes me deriſerunt me.* Ita viciſſim eueniet damnatis: Pſ. 58. Tu Domine deridebis eos. 7. Caſta Suſanna cum duceretur; *Dan.* 13. qui norant eam, lacrymabantur: at dein cum nequam ſenes raperentur, nemo eos miſerabatur. Dominus vero, cum pateretur, ſic conqueri poterat: Pſal. 68. *Suſtinui, qui ſimul contriſtaretur, & non fuit: & qui cõſolaretur, & non inueni.* Iam viciſſim eius crucifixores idem æternum lamententur. Iuſto Dei iudicio.

PARS IV.

De pœnarum diuerſitate.

Aliã aliis irrogat pœnã Deus.

I. NEc eadem, nec eodem modo patiuntur omnes: ſed pro modo delictorum. 1. Pſal. 10. *Iuſtus* Dominus, in puniendo, & remunerãdo: *& iuſtitias dilexit, æquitatem vidit vultus eius.* quaſi dicat, iudicauit Angelos, Adam, Diluuiales, &c. &c. omnes iuſte. 2. Pſal. 18. *Nam iuſtitiæ Domini rectæ.* Pſ. 44. *Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem.*

3. S. Gregorius 9. Mor. c. 47. in 10. Iob. *Vbi nullus ordo, &c. Quomodo*, ait, *in ſupplicijs ordo non erit: dum damnatorum quemq; iuxta modum criminis retributio ſequitur vltionis?* 4. Deus in pœnis diſcrimen ſeruabit: in cæteris omnib. erit cõfuſio. Nã Sap. 6. *Potentes potenter tormenta patientur, & fortioribus fortior inſtat cruciatio.* 5. Ideo de Babylonica meretrice, Apoc. 18. *Quãtum glorificauit ſe, & in deliciis fuit: tantum date illi tormentum & luctum.*

Figuræ.

II. Atiſta liquent iſtis. Iuſſit Deus Ezechieli, c. 5. nouacula pilos ſibi abraderet: trutinaret tripartito: partem primam in medio Solymæ exureret: alteram gladio circum orbem concideret: tertiam daret ventis, id eſt, ad literam: ſignificaret, Solymam partim flammis, partim ferro, partim captiuitate perituram. Ita damnati ſunt piloſis recrementis viliores, ac diuerſimode punientur, videntes ſemper, quem *gladium ſuum vibrauit* Deus, ac perhorreſcentes.

2. Ita S. Gregorius in Matth. 13. *Colligite primum zizania*: ait: *Faſciculos ad comburendum ligare, eſt eos, qui æterno igni tradendi ſunt, pares paribus ſociare: vt, quos ſimilis culpa inquinat, par etiam pœna conſtringat.* *Parabola.*

3. Idem Apoſtolus innuit. 2. *Tim.* 2. per vaſa varia in magna familia, lignea, figulina, &c. hæc in honorem, iſta in contumeliam. His variis repleta domus Plutonia eſt. *Simile.*

III. Iuſſu Dei Noe, *Geneſ.* 6. plurimas manſiunculas ſtruxit vna in arca, pro animalium diuerſitate. Mundus hic arca eſt; in eo ſuus cuiq; locus, aqua piſcibus, aer auibus, &c. Ita & in cœlo *multæ ſunt manſiones*: Ioa. 14. quare & in inferno, vt bene concludit S. Thomas. *Pœnarum loca ſunt diuerſa, vt & pœna.*

Vnde Gregorius 9. Mor. 47. *Licet gehenna vna ſit: non tamen cunctos vna eademque qualitate ſuccendit: Quia, quod hic diſpar agit valetudo corporum, hoc illic exhibet diſpar cauſa meritorum.* 2. Vt idem ſol per tempus Sirii vrit omnes: at non omnes æqualiter æſtuant: quia complexione diſſimiles. 3. Ita nec ignis eodem modo operatur in paleas, lignum, ferrum, &c.

Nam Ephræm de vera pœn. c. 7. *Sicut ſunt peccatorum differentiæ: ita ſunt & cruciatuum: aliter enim cruciatur adulter, aliter homicida, &c.* Sicuti in tribunalibus politicis. Bern. l. Med. c. 3. *Iuxta qualitatem culpæ, pœnam ſuſtinebit vnuſquiſque gehennæ: & ſimilis culpæ rei ſimilibus iungentur cruciandi.* Quid, quod quidam grauiores ad pœnas ſunt damnandi, quam ipſi dæmones?

Sicut

Sicut homines beati quidem Angelis erunt glorioſiores.

Perora. Quare, 1. Pſalm. 2. *Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Item, *Apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de via iuſta, cum exarſerit in breui ira eius.* 2. Valuit apud Niniuitas ad pœnitentiam denunciatio futuræ euerſionis: & minus poſſet apud nos pœnæ ac metus damnationis? 3. Achab idololatra, & perſecutor Prophetarum, audita ab Elia comminatione de interitu ſuæ domus, pœnituit in ſacco flens, &c. & gratiam obtinuit. 2. *Reg.* 21. 4. Quod igitur nautæ ad Ionam indormientem tempeſtati; idem ad vos ego: Ion. 1. *Quid tu ſomno deprimeris? Surge, & inuoca Deum tuum, ſi forte cogitet Deus de nobis, & non pereamus.* Heu quam fragili in cymba vitæ ferimur? Eiiciemur: Ergo prius ſurgamus, oremus, &c.

CONCIO QVARTA.

De infernali pœna ſenſus.

DIues epulo, Luc. 16. *cum eſſet in tormentis: & vidit Abraham à longe: & Lazarum in ſinu eius, clamans dixit: Crucior in hac flamma.* Vnius exemplum eſt omnium.

Cuius occaſione nos

I. *Pœnas eſſe infernales neceſſe eſt.*
II. *De pœna ſenſus.*
III. *Qui poſſit in animas agere ignis infernalis.*

PARS I.

Pœnas eſſe infernales neceſſe eſt.

Sunt pœnæ & præmia poſt mortẽ.

I. AThei fuerint, qui infernales eſſe pœnas negarint. 1. Greg. *Nam ſicut beatitudo lætificat: ita credi neceſſe eſt, quod in die exitus ſui ignis improbos exurat.* 2. Quid? Tot Sancti, Prophetæ, &c. tanta taliaque de inferno finxiſſent? Eorum cauſa deiiciendorũ talia perpeti voluiſſent? 2. Hier. Epiſt. ad Pammach. *An putamus, quod iocando Prophetæ prædicent, ridendo loquantur Apoſtoli, Chriſtus infantiliter comminetur? Sed ioci non ſunt, vbi ſupplicia intercedunt: Si iocando paſſi ſunt, credantur & iocando locuti.*

II. Alexander Aphrodiſæus Philoſophus ſic ad Antoninum Imp. argumentatur: Si Deus poſt mortem non remuneretur pios, puniretque impios; id fiet, quia Vel ignorat acta vitæ: Vel ad puniẽdum eſt impotens; Vel negligens: atque ita deficeret cum ſcientia, potentia, iuſtitia; ac proinde nec Deus foret. Iterum S. Gregorius 3. Dial. c. 44. *Si falſum eſt, quod minatus eſt, vt ab iniuſtitia corrigeret: etiam falſa eſt pollicitus, vt ad iuſtitiam prouocaret: Sed quis hoc diceret, vel inſanus præſumeret?* Quare. Mat. 25. *qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam: qui vero mala in ignem æternum.*

Aut Deus non eſt.

PARS II.

De pœna ſenſus.

POEna ſenſus exiſtit damnatis ab igne, dæm. &c. hancque patiuntur geminam, ait *Scotus* 4. *diſt.* 44. *q.* 2. In ipſa ſua eſſentia ſpiritali intenſiſsimam, ab igne miniſtro Dei. Et in animæ facultatibus ſingulis. Intellectus intelligens cur, quid, quomodo patiatur, deſperabit ob captiuitatem: voluntas furet ob calamitatem: memoria odit ob æternitatem.

Poſt iudicium item corpus patietur in partibus ac ſenſibus ſingulis: vt damnati clamare queant: Thren. 1. *O vos omnes, qui tranſitis per viam* vitæ mortalis, *attendite, & videte, ſi eſt dolor ſicut dolor meus.* Væ! Deus Pſalm. 87. *omnes fluctus* iræ tuæ *induxiſti ſuper me* quoad omnes partes corporis ac animæ.

Viſus patitur tenebras. 1. Nam Iob 5. *Per diem incurrent tenebras.* 2. Pſalm. 34. *Fiant viæ illorum tenebræ.* 3. Pſalm. 106. *Sedentes in tenebris & vmbra mortis, vinctos in mendicitate & ferro.* 4. Sap. 17. *Vinculis tene-*

brarum, & longæ noctis compediti, inclusi sub tectis fugitiui perpetuæ prouidentiæ iacuerunt, &c. 5. Aegyptiis, *Exod.* 10. tenebræ quanta plaga erat? at infernæ spissiores. 6. Tobias pius queritur cæcatus cap. 5. *Quale gaudium erit mihi qui in tenebris sedeo, & lumen cœli non video?* Vt inferni querentur. 7. Anaxagoras Glaxom. omnem beatitudinem in solis pulcritudine contenda ponebat: atque ad hoc se natum asserebat. Quó etsi erret; docet tamen quantum sint malum tenebræ.

Infelix ergo oculorum voluptas, quæ tantas accersis pœnas! *Audite me*, Cupedinei, *timorem Domini docebo vos:* lasciuisne libet adhuc ludere ocellulis? In orco quas cernetis Veneres, Parides, Iunones? &c. An Furias, Meduſas, Megæras, hydras? Quin imitamini Iob c. 31. *Pepigi*, ait, *fœdus cum oculis meis.* Ad quid? Psalm. 8. *Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum lunam & stellas, quæ tu fundasti.*

Auditus, heu, quibus obtundetur? 1. Iob 35. *Clamabunt, & vlulabunt propter vim brachij tyrannorum.* Et *Clamabunt, & non exaudient, propter superbiam malorum.*

2. Babylonis euersæ, *Apoc.* 18. ac incensæ clamores pi ocul auditi horrorem ac stuporem concitarunt: at ludus is ad vlulatus tartareos cruciatorum & cruciantium.

Odoratus hauriet fœtores omnium orbis fæcium, quæ post iudicium defluent in orcum, teste S. Basilio. 2. Vnde *Ps.* 39. infernus dicitur *lacus miseriæ, & lutum fæcis.* 3. Tum etiam damnatorum *de cadaueribus ascendit fœtor*, Isa. 34.

4. Ponauenturæ in diæta salut. c. 39. ait: si vnius damnati cadauer in orbe foret, momento totum lue inficeret. 5. Martha quid dicis de fratre, Ioann. 11. *Quatriduanus est: iam fœtet?* Quantum fœtebit millenarius damnatus? 6. Crudele istud Dionysij fuit; qui vt Virgilius canit.

Corpora corporibus iungebat mortua viuis,
vt fœtore enecti contabescerent. Verum id ad inferos, iocus erat. Væ delicatulis, quibus Isa. 3. *erit pro suaui odore fœtor.* Quare Psalm. 49. *intelligite hæc, qui obliuiscimini Deum: ne quando rapiat, & non sit qui eripiat.*

Gustus, vah, vt torquebitur? 1. Psal. 58. Famem patientur vt canes. 2. De meretrice, Apoc. 18. *In vna die venient plagæ eius, mors, & luctus, & fames, & igne comburetur: quia fortis est Deus, qui iudicabit illam* 3. Epulo, *Luc.* 16. nominatim linguam refrigerari petebat. 4. Ierem. 13. *Cibabo eos absynthio.* 5. Ps. 47. *Calix in manu Domini vini meri plenus mixto, & inclinauit ex hoc in hoc. Verumtamen fæx eius non est exinanita, bibent omnes peccatores terræ.*

Tactus ignibus cruciabitur, non Sodomæis, *Gen.* 19. Non Elianis, 3. *Reg.* 18. cælo lapsus etiam saxa absumsit. 1. Sed ignis, qui Isa. 34. *nocte & die non extinguetur, in sempiternum ascendit fumus eius.*

2. Nam Apoc. 14. *cruciabuntur igne & sulphure in conspectu Angelorum sanctorum, & fumus tormentum eorum ascendet in sæcula sæculorum.* 3. Psal. 20. *Pones eos vt clibanum in tempore vultus tui. Dominus in ira sua conturbabit eos, & deuorabit eos ignis.*

Qui tamen ignis non lucet; Deo ita iubente: 1. Psalm. 28. *Vox Domini intercidentis flammam ignis*, & lucem ab eo separantis: sic in Babylonica fornace abstulit calorem igni. *Dan.* 3. 2. Vnde Greg. 9. Mor. c. 49. *Flamma vltrix vitiorum, concremationem habet, & lucem non habet.* 3. Plane noster ad istum ignis pictus est. Isa 33. *Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* 4. Infamis est, inque prouerbio, *Bos Phalaridis* cui inclusi rei lento subiecto igne torrebantur. Immane supplicium.

at risus est ad orcum.

PARS

PARS III.

Qui possit in animas agere ignis infernalis?

I. CAusam affert difficultatis, quod is ignis sit elementaris: & corporeum in Spiritum agere non possit: cum inter agens & patiens esse contactus debeat; at ibi esse non possit. Torsit hoc Theologos, vt in varias abierint opiniones.

Prima. Sunt, qui putent damnatos tantum videndo ignem pati. Vnde Greg. 4. Dial. *Ignem eo tempore patitur anima, quo videt.* At hoc per accidens.

1. Imaginatione.

Secunda. Alij opinantur, animas ignem apprehendendo vt inimicum, cruciari. 1. Secundum Psalm. 13. *Trepidauerunt timore vbi non erat timor.* 2. Greg. 4. Dial. *Quia anima se cremari concipit, crematur.* At ita infernus esset tantum imaginarius. Dein est incredibile subtilissimos spiritus imaginari se cremari, cum non crementur.

3. Hypostasice aliter.

Tertia. Alij rectius: Ignem aiunt corporeum in Spiritus agere. 1. Greg. 4. Dial. *Colligere ex dictis euangelicis possumus, quod incendium non solum anima videndo: sed etiam experiendo patiatur.*

Verum is ignis non agit, vt pure materialis; sed vt instrumentum Dei quo virtutis est ideo eleuatioris: qua in spiritus agere subtilissime possit. 1. Pene sicut materiæ Sacramentorum accedente Verbo sublimantur ad actiones supernaturales, ita is ignis infernalis.

2. Deinde tortor hic constringit Spiritus, vt vim eius d'efugere nequeant; sicque captiuat intellectum, vt præter pœnas vix aliud intelligant. 3. Vnde Magister sent. ait. *Si viuentis hominis incorporeus Spiritus tenetur in corpore, cur etiam non teneretur post mortem corporeo igne?* 4. Gregor. 4. Dial. *Cum Veritas diuitem in igne perhibeat damnatum: quisnam sapiens reproborum animos teneri ignibus neget?*

5. Augustinus, l. 21. Ciu. ait: Vt in generatione anima se corpori vnit, hocque amat & animat: ita & cum igne infernali vnitur in pœnam suam. 6. Gregorius, in Mora. ait *Si incorporeus spiritus in hoc teneri corpore potest, quod viuificat: quare non pœnaliter ibi tenetur, vt mortificetur.*

Quis præsit cruciatus inferni.

III. Verum, sciendum est: 1. dolorem spirituum non esse passionem appetitus sensitiui in organo corporeo: sed esse actum voluntatis abhorrentis.

Dæmones aliquos in aere vagari.

2. Non omnes dæmones torqueri in inferno, sed aliquos in aere. Nam, ait S. Thomas, congruum est vt homines ad salutem dirigantur ministerio Angelorum non solum directo bonorum: sed & indirecto malorum per tentationes, at cum Deo vincendas. De aereis spiritibus agit *Eph. 2. & 6.* Et *Aug. 8. ciu. 22.* Sunt autem aliqui cacangeli in inferno. Isa. 14. *Detracta est ad inferos superbia tua.* 2. Pet. 2. *Rudentibus inferni in tartarum tradidit cruciandos.* Ratio D. Tho. est. Quia vt Beatis adsunt angeli ad gaudium in cœlis: ita damnatis dæmones ad pœnam in tartaro.

Vsque ad iudicium.

3. Post iudicium extr. omnes damnati in orcum compingentur. Matt. 25. *Ite maledicti, &c.* Ratio. Quia tunc cessat causa, nimirum tentatio, ob quam in hoc orbe vagabantur. Deinde etsi ratio & modus non euidenter nobis liqueat, quo damnati ab igne discrucientur: factum tamen est irrefragabile.

Quæ porta & vectes inferni.

4. Quia damnati flammis coguntur clausi ac capti, ideo orcus dicitur *portas æreas, & vectes ferreos* habere. Ps. 106. Atque illa abhorrentis voluntatis detestatio est ipsa discruciatio flammis inuolutæ & constrictæ animæ. Quare hæc

memorare nouissima
tua, &c.

* *
*

CONCIO QVINTA.

De pœna damni.

ESau reprobus, *Gen.* 27. cernens paterna se benedictione priuatum, furere cœpit & efferascere: Ita cacodæmones, cœlo exclusissimi, sæuiunt in hæredes cœlicæ benedictionis; quo plures sui damni consortes nanciscantur.

Super quo Damno nos

I. *Quod non esse sit melius, quam in pœnis esse.*
II. *Pœna damni in quo consistat.*
III. *Quanta sit pœna Damni.*
IV. *De partibus aliis pœnæ eiusdem.*

PARS I.

Non esse melius est, quam in pœnis esse.

I. NVnquam nasci, quam damnari, satius est. 1. Matth. 20. *Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.* 2. Iob solum corporalibus tangebatur pœnis, & tamen *maledixit diei suo, & locutus est*, cap. 3. *Pereat dies in qua natus sum, & nox in qua dictum est, conceptus est homo. Dies illa vertatur in tenebras.* Quanto magis se non esse optabunt damnati; quam sic miseros esse. 3. Non dicerẽt, Iob. 10. *Quare de vulua eduxisti me? Qui vtinam cõsumptus essem, ne oculus me videret. Fuissem quasi non essem. Quia*, ait S. Hier. melius est non esse, quam male esse.

II. Ideo Apoc. 9. *quærent homines mortem, & non inuenient eam: desiderabunt mori, & mors fugiet ab eis.* Si hoc in antichristiana persecutione; quanto magis in inferno? 1. Nam si Saul, 1. *Reg.* 31. in gladium incumbens mori maluit, quam superuiuere, fuso fugatoque suo exercitu: nil mirum, damnatos velle non esse. 2. Tobias ob cæcitatem pertæsus vitæ erat: ca. 4. *Præcipe in pace recipi spiritum meum: Expedit enim mihi magis mori, quam viuere.*

Optant igitur non esse, qui in æterna viuunt morte. Nam Psal. 33. *Mors peccatorum pessima.* Mala est quæ corpus ab anima separat. Peior, quæ animam abs Deo: Ezech. 18. *Anima enim quæ peccauerit, ipsa morietur.* Pessima damnandorum: Rom. 1. *Quoniam qui talia agunt, digni sunt morte* Aeterna. Atque hæc *memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.*

PARS II.

Pœna Damni in quo consistat.

I. CVm in quolibet peccato duo quædam insint: Auersio à Deo, & Conuersio ad creaturam: ideo duplex ei pœna decernitur, quæ vtrique respondeat: auersioni pœna damni: sensus, conuersioni. Quod breuiter ita S. Isidor. l. 1. de summo bono cap. 31. *Et mentem vrit tristitia, & corpus flamma.* Matth. 7. *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, Excidetur, Et in ignem mittetur*, id est, & à visione Dei separabitur, & cruciabitur igne. *Peccati vt culpa, sic & pœna duplex.*

II. Iussit Deus, *Deut.* 20. ab Israelitis, terram promissam ingressis, quotquot arbores essent steriles, succidi, non autem frugiferas. Ita peccatores. Quibus succisio, id est, visionis diuinæ priuatio longe accidit tristior, quam in ignem missio. *Pœna dãni Figura.*

2. Istam cõminatus Israelitis est Deus; Deut. 32. *Abscondam faciem meã ab eis.* Deuter. 31. *Irascetur furor meus contra eum: derelinquam eum, & abscondam faciem meam ab eo, & erit in deuorationem: inuenient eum omnia mala, & afflictiones. Vere, quia Deus non est mecum, inuenerunt me hæc mala.* Similes ad Salomonem minæ. 2. *Par.* 7. 3. Quod si ob discessum Pauli, Milesij *fuerunt dolentes maxime in verbo, quod dixerat: quoniam amplius faciem eius non essent visuri?* quis dolor erit faciem Dei nunquam aspecturis? *Minatio.*

4. Quid acerbissime dolebat Caino? Gen. 4. Nonne hoc? *Ecce, eijcis me hodie à facie terræ, & à facie tua abscondar & ero vagus & profugus in terra. Omnis igitur, qui inuene-* *Figura alia.*

uenerit me, occidit me. Tales & reprobi: Pſ. 9. *Infirmabuntur, & peribunt à facie tua.*

PARS III.

Quanta ſit pœna damni.

Eſſe infinita & doloroſa. Simile.

I. EST omnino pœna damni infinita: quia amiſſum bonum eſt infinitum. 1. Sicut, qui ipſo temporis articulo in terrimum carcerem manciparetur, quo regni adire coronam deberet. Velut Nabuchodonoſori euenit; qui in apice gloriæ conſiſtens, ecce obbruteſcit, & ad feras in ſaltus eijcitur. *Dan.* 4. Quem putas is caſus ei, quantumque exacerbarit dolorem? 2. Senſit Sedechias, 4. *Reg.* 25. ex regno in Babylonem captiuus abreptus, carceratus, exoculatus, quantum ea mutatio vulnus infligat. Sed quæ mutatio par huic: ex vita gratiæ in mortem mortis prolabi? Iſtam quæ fando lingua; imo quæ mens cogitando fuerit? 3. Heu, quis dolor, priſtina repetenti animo Iob? c. 29. *Quis mihi tribuat, vt ſim iuxta menſes priſtinos, quando lauabam manus meas butyro, & petra fundebat mihi riuos olei.* Nequicquam tunc optaris damnatis iſtud:

Exemplū.

Aliud.

O mihi præteritos referat ſi Soſpiter annos!

Miſeria eſt fuiſſe felicem.

II. Bene Boetius: *Omnium miſeriarum eſt maxima, meminiſſe felicem ſe fuiſſe:* & vt dānati potuiſſe adire ſe gloriā cœleſtem. 1. Hinc S. Chryſoſtomus, hom. 47. ad pop. Ant. *Multi inferni ignem timent, ſed ego maxime amaram dico amiſſionem gloriæ.* Nam *qui non nouimus magnitudinem cœleſtis boni, non poſſumus intelligere, quantum malum ſit, illo priuari.*

2. Hinc Pſalm. 10. *Pluet ſuper peccatores laqueus, ignis, ſulphur, &c.* quaſi dicat. Hæ pœnæ ſenſus ſunt quaſi guttulæ ad vnam pœnam damni. Ita Auguſtinus, l. de trip. habit. cap. 2. 3. Chryſoſt. etiam addit. *Si nulla extrinſecus pœna* ſenſus *torqueret: hæc ſola ſufficeret* pœna damni. 4. Cyr. orat. de exitu animæ. *A Sanctis dirimi, graue: grauius à Deo ſociari: ignominioſum, tum manibus, tum pedibus colligari: durum, in ext. tenebras amandari: horridum fremere, dentibus ſtridere, acerbum, iugibus pœnis atteri, laborioſum flammas lingua ſuſtinere.*

Auerſio Dei eſt ſumma infelicitas.

III. Verba deſunt malo paria infinito. 5. Sane iſtud vnice deprecabatur Pſaltes. 26. *Ne auertas faciem tuam à me.* Pſ. 50. *Ne proiicias me à facie tua.* Hoc obſecrabat vnice: Pſ. 79. *Oſtende faciem tuam, & ſalui erimus.* Quo dānabilius eſt, quicquid ipſam ab cuiuſquam anima auertit.

Quanto id deplorandum eſt magis quam ſuus Annæ Tobianæ filius? Tob. 10. *Heu, heu me, fili mi? Vt quid te miſimus peregrinari, lumen oculorum noſtrorum, baculū ſenectutis noſtræ? Omnia ſimul in te habentes te non debuimus dimittere à nobis.* Cōſolantem Tobiam ea non audiebat: indies ad ſpeculandum excurrebat, num aduentantem cerneret. O amor & deſiderium! Quanto maius fuerit beatitatis æternum amiſſæ? 2. Fatetur, quid ſentire videbatur, Pſalm. 41. *fuerunt mihi lacrymæ panes die, ac nocte, dum dicitur mihi quotidie Vbi eſt Deus tuus.*

3. Vltimæ huius miſeriæ faciem in prodigo videre eſt. Vixerat ad carnem beate, ſed vixerat. Subijt metanæa, & turpis egeſtas: Queritur: Luc. 15. *Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus? Ego autem hic fame pereo. Surgam, &c.* Sed qui is lurco, ad damnatum orco pabulum? Quid domus ea Patris ad cœlum? De quo Pſalm. 111. *Gloria & diuitiæ in domo eius:* vbi *pater noſter, qui eſt in cœlis.*

PARS IV.

De partibus alijs pœnæ damni.

Odium Dei

I. DIrus igitur is dolor eſt, at odiū Dei in impios intolerabilius ipſis eſt. Pſ. 5. *Odiſti omnes qui operantur iniquitatem.* Id-eoque viciſſim Pſalm. 111. *Peccator videbit* intellectu, *& iraſcetur* voluntate, *dentibus*

suis fremet, & tabescet memoria. Et Psal. 73. *superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.* Et 82. *qui te oderunt extulerunt caput.*

1. *Vermis cõscientiæ.*

II. Accedit istis Vermis conscientiæ, siue synderesis, de qua D. Tho. 2. 2. q. 41. Isa. 66. *Vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur.* Hoc est, quod finxerunt Poetæ de vulture rosore iecoris Tytiani apud inferos: Vt Ouid. in Metamor.

Sic inconsumtum Tytij semperq; renascens,
Sic perit, vt possit sæpe perire iecur.

2. *Ergo cõsule conscientiæ.*

II. Quare, Luc. 18. *Cum vadis* viator viuens *cum aduersario tuo* conscientia *ad principem* Deum vindicem fandi atque nefandi *in via* mortalis vitæ, *da operam liberari ab illo* per Confessionem.

3. *Ne culpæ sit agnitio sera.*

Alioquin sero vel damnatus fatebere: 1. Psl. 118. *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.* 2. Sicut fratres Iosephi dum frumentatum irent in Aegyptum, rodente animas vulture hoc, dicebant: Genes. 42. *Merito hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum, dum deprecaretur nos, & non audiuimus eum: ideo venit super nos ista tribulatio.* 3. Ita recordabatur, talione accepta, Adonibezech; sub cuius mensa 70. Reges abscctis manibus ac pedibus colligebant micas: & ait: Iud. 1. *Sicut feci ita reddidit mihi Deus.* Fuisti hic in Deum tyrannus? isthic dæmones patiare tyrannos.

4. *Et pœnitentia vana.*

De istis Sap. 5. *Pœnitentiam agentes:* at seram ac vanam; *& præ angustia Spiritus gementes.* At frustra.

1. Nam ait Augustinus, li. de fide ad Petrum. *Tempus acquirendi vitam æternam in ista tantum vita Deus hominibus dedit, vbi voluit etiam pœnitentiam esse fructuosam.*

2. Quid enim? Quia Iureconsulti apud Vlpia. ff de pig. action. aiunt. *Nummis adulterinis solutio nulla peragitur.* Talis damnatorum pœnitentia est. Et æternum istud

pœnitere quantulo emtum est? Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.

CONCIO SEXTA.

De æternitate pœnarum inferni.

MInatur Deus, Ierem. 17. *Succendam ignem in portis eius, & deuorabit domos Ierusalem, & non extinguetur.* Talis inferni est ignis.

Super quo nos

I. *De non procrastinanda pœnitentia.*
II. *Quod infernipœnæ sint æternæ.*
III. *Cur iustum sit inferni pœnas æternare.*
IV. *Qui corpus in pœnis æternet.*

PARS I.

De non procrastinanda pœnitentia.

I. PErfrequens admonet S. Scriptura, vt Gal. 6. *operemur bonum dum tempus habemus.* nam post hoc operari non est; sed mera cessatrix æternitas. *Iam operãdum est.*

2. Hinc orat Psal. 51. *Conuerte Domine, & eripe animam meam: saluum me fac propter misericordiam tuam. Quoniam non est in morte, qui memor sit tui.* O damnosa mortalium procrastinatio sese conuertendi?

Herus cœlo sicco sarta tecta reparat, ac brumales procellas occupat, vt resarta domus ab ea vitium non accipiat. Et nauta per æstatem nauem reficit, vt in altum prouecta, queat vndas sustinere. Ita prouidus Christianus tempori consulit saluti. *Nõ procrastinandũ.*

Ita Luc. 14. *Rex iturus committere bellum cum alio rege, prius cogitat si possit cum 10000. occurrere qui cum 20. venit ad se Alioqui, illo adhuc longe agente, legationem mittens rogat ea, quæ pacis sũt.* Quid? Aduersaris Deo; innumeras contra religiones Angelorum educenti: studes, satanæ, mundi, carni, hostibus tuis infestissimis & copias in te innumeras ductantibus: *qui respiciunt terram, & faciunt eam tremere:* neque dum *rogas ea* Deum, *quæ pacis sunt.* *Prouidendum orata pace.*

II. No-

II. *Nolite*, ait Abias Rex. 2. Par. 13. *Nolite pugnare contra Dominum Deum Patrum vestrorum; quia non vobis expedit.* 1. Ne vobis, quod Antiocho, Syriæ Regi, eueniat. 2. Mach. 9. Impius *orabat Deum à quo non erat misericordiam consecuturus.*

Nam quod dolet serũ. vix est verum.

2. Nam & Esau, Hebr. 12 *non inuenit locum pœnitentiæ, quamuis cum lacrymis exquisisset eam.* Ah: sæpe aut ficta, aut vi facta est pœnitentia agonistica.

At speres dum spiras.

1. Sanciuit Deus, *Luc.* 25. vt venditori domus fas esset intra annum retrahere venditionem pretio redhibito. Orig. hic ait: Cœlum est domus, quam habemus non manu factam, æternam in cœlis. Hanc, qui peccat, diuendit: at intra vitæ annũ reuocare licet, extra hũc, minime. 2. Ps. 87 *Nunquid mortuis facies mirabilia, aut medici suscitabunt, & confitebuntur tibi? Nunquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam, & veritatem tuam in perditione? Nunquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua, & iustitia in terra obliuionis?* Hier. legit: *aut gigantes resurgent & confitebuntur?* id est, Angeli; ob robur. Nam ita Iob. 20. *Sed & gigantes gemunt sub aquis tormentorum:* quod æternum iis opprimi habeant. Atque hæc *memorare nouissima tua.* &c.

PARS II.

Quod inferni pœnæ sint æternæ.

Damnati æternant tam dæmones.

I. SAnct. Augustinus 21. *Ciu. Dei* culpat Origenis errorem hunc; pœnas inferni non perennare; dæmonesque ipsos redimendos fore, & in salutem asserendos. At dudum id damnauit Ecclesia. Nam hoc fieri si possit; possent & angeli è cœlo deturbari, nihil foret de beatitudine certi: at hoc nequit: ergo par vtrinque firmitas est statuti.

Quamani mas.

Nec minus errabant, qui damnatos fore saluandos olim docebant: nixi isto Matth. 5. *Donec nouissimum quadrantem persoluerit.* Atqui hoc *Donec* negatiue hic sumitur, non positiue. Sicut Gen. 8. *Coruus non est reuersus, donec siccarentur aquæ:* non n. rediit coruus vnq̃. Ita Ps. 109. *Sede à dextris meis, donec ponam, &c.* Non vult, quod vnquam sit remouendus à dexteris. Igitur *Donec* æternitatem significat. *Et in inferno nulla est redemtio.*

Scripturæ teste.

II O æternitas? 1. Matth. 25. *Ite maledicti in ignem æternum.* Marc. 3. *Qui blasphemarit in S. Spiritum, non habet remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti.* 2. Thess. 1. *Pœnas dabunt in interitu æternas, à facie Domini, & à gloria virtutis eius.* Iudas. *Angelos vinculis æternis sub caligine reseruauit.* Ibid. *Sicut ciuitates exfornicatæ* (Sodoma, &c.) *& abeuntes post carnem alteram, factæ sunt in exemplum, ignis æterni pœnam sustinentes.* Ita Apoc. 14. Iere. 17. & 23. Psalm. 48. *Non dabit Deo placationem suam, nec pretium redemtionis animæ suæ,* quasi dicat, irredimibilis est damnatus semel, quia subdit, *laborauit in æternum, & viuet adhuc in finem.* Bern. l. Medit. cap. 5. *Subueni mihi Deus meus priusquam sine termino crucier in inferno.*

Metuenda æternitas est.

O æternum! Te quis non horreat: plangat? Iacob *Ge.* 37. continuo luctu doluit annis 23. sedecennem suum Iosephum, vt rebatur, occisum. Nimis est vita breuis ad mortem vnius peccati deplangendam.

Et ea cruciabilis fugienda.

III. Hæc vna de æternitate cogitatio innumeros desertis inclusit, ac cœnobiis; in vepreta ac prunas; etiam nudos abiecit. 1. Dauid Ps. 76. *Annos æternos in mẽte habuit* semper, an myriadum myriades! Non. Sed æternos. 2. Si ex oceano formica post myriades millenas educeret vnã guttulam, exhauriretur demum: at æternitas nunquam. O æternitas, & tam cruciabilis. 4. Angelus *Apoc.* 18. molare saxum in mare abiiciens ait: *Hoc impetu mittetur Babylon, ciuitas illa magna: & vltra iam non inuenietur.* 5. Fit ergo, ait Sanct. Greg. 9.

Mor.

Mor. c. 49. *miseris mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu. Quia & mors viuit, & finis semper incipit, & deficere defectus nescit.* Et sane omnia apud inferos æterna sunt: captiuitas, cruciatus, desperatio, odium, vermis, &c.

Est eadem desperata.

Figurat id fornax Chaldæa, cuius etsi flamma se eiecit supra ipsam 49. cubitos, nunquam tamen quinquagesimum attigit cubitum iubilæarij numeri, quia inferno nullum est iubilæum spei, gratiæ, &c. Aeternum permanẽdo perit, & pereundo permanet. Hinc Mal. 4. *Ecce dies veniet succensa quasi caminus, & erunt omnes superbi, & omnes facient impietatem vt stipula: & inflammabit eos dies veniens, quæ non relinquet in eis radicem & germen.* Adeo spem omnem præcidet, & stirpitus eradicabit. Nulla spes germinandi super, cum radix nulla terræ relicta est. At dies iudicij etiam fibras spei persequetur.

Est fatalis.

IV. O par seueritas, & æternitas! Et vtraque ineuitabilis. 2. Pet. 2. *Si enim Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos in iudicium reseruari:* num melius erit hominibus? 2. Quin audient: *Ite maledicti in ignem æternum* 3. Hunc in Symbolo confiteris istis: *Credo vitam æt.* ergo per contrariam consequentiam, damnationem item æternam. 4. *Hinc dolor:* ait S. Bern. l. Med. c. 5. *inde pauor, stupor, gemitus, & timor horrens in æternum, & vltra.* Quare *antequam puteus te absorbeat pœnitere, &c. Vbi non est locus confessionis. Quia in inferno nulla est redemptio.*

V. Ergone vsq; adeo, *Ps. 76. aut obliuiscetur misereri Deus, aut cõtinebit in ira sua misericordias suas?* Ita: ita. Et quidem in eo *iustus es Domine & rectum iudicium tuum.* Psal. 118.

Sed Domine cum dicas: Apoc. 18. *Quãtum glorificauit se & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum:* cum vero momentanea sit hic voluptas: iustumne, vt pro puncto rependatur æternitas? Ecce *ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.*

PARS III.

Cur iustum sit inferni pœnas æternare.

I. SAnct. Greg. respondet: *Iustum est, vt qui in Suo æterno peccauit in Deum, in æterno Dei puniatur.* Augustinus, cum pluribus demonstrasset; æternas esse pœnas; demum concludit, neque sic tamen peccata ex condigno plecti. Tantam eorum esse malitiam!

1. *Ob malitiam voluntatis peccatricis.*

Aeternitatis igitur pœnosæ *causa prima* est: malitia peccati consistens in voluntate. Hæc ni morte sisteretur, æternum procederet peccando. Quique peccator non odio culpæ, vel metu pœnæ, vel amore Dei finem imponit peccatis; sed morte cohibetur; eius voluntas velut interpretatiue permanet, quæ prius. Vnde æternans iuste æternas pœnas perdit. 1. Sicut aleatores ludunt, dum candela deficiat, hic à lusu quidem absistunt; at non à voluntate: Sic illi, cum per mortem extinguuntur: nam ægre ferunt se luce destitui. 2. Hinc Greg. 4. Dial. *Voluissent sine fine viuere, vt sine fine possent in iniquitatibus permanere.* Et alibi, *Ad magnam iustitiam pertinet iudicantis, vt nunquam careant supplicio, qui nunquam voluerunt carere peccato.*

2. *Ob infinitatem Dei.*

Secunda ratio. Quia bonum, in quod peccatur, infinitum est; ideo peccati malitia perinde est infinita. Quia autem peccator non potest esse capax pœnæ intensiue infinitæ; oportet vt extensiue eam sustineat.

3. *Ob contrarium gloriæ.*

Tertia. Meriti gloriæ, & demeriti pœnæ est par ratio. Nam contrariorum est contraria ratio. At meritum *momentaneum in gens gloriæ pondus operatur.* Ioan. 6. *Omnis enim qui videt filium, & credit in eum, habet vitam*

vitam æternam. Quare demeritum culpæ pœnam quoque æternam promeretur.

4. Obma. ieſtatem Dei. *Quarta.* Dei maieſtas, quæ à peccante profanatur, eſt infinita. Ideo par & peccati iniquitas: ſit proinde par & vindicta.

5. Ob permanentiã peccati. *Quinta.* Cuius cauſa perennat, idipſum quoque æternat. Vt, quam diu fax ardet, tam diu & lux eius fulget. Atqui peccatum, cauſa pœnarum æternat. Quia Pſal. 73. *Superbia eorum aſcendit ſemper.* Ergo & pœna item permaneat neceſſe eſt. Nam *ſemper malum pœna comitatur*, ait S. Bern. ſerm. 8. in Pſ. 90 Pſallam igitur Pſalm. 10. *Iuſtus Dominus, & iuſtitias dilexit, æquitatem vidit vultus eius.*

PARS IV.

Qui corpus in pœnis æternet?

Diuinitus. I. *Quæris*: cur in pœna æternante corpus finitum nõ conſumitur? *Dico*: id inſigne Omnipotentiæ Dei eſſe argumentum. 1. Sicut, *Dan.* 1. tres pueri in fornace nec aduſtulati fuerunt. 2. Sicut *Exod.* 3. rubus arſit, & tamen incombuſtus perſtitit.

3. S. Bern. l. Med. c. 5. ait, *ignis in inferno conſumit, vt ſemper reſeruet: ſic tormenta aguntur, vt ſemper renouentur.*

Naturalibus oſtenditur. 4. Similiter natura docet, perpetuum ardere montes; & permanere tamen integros: *quibus docemur*, ait S. Aug. l. 21. Ciu. *non eſſe incredibile, vt hominum corpora, ſempiterno ſupplicio punitorum, ſine detrimento ardeant.* 2. Salamandra ab ignibus tantum nõ abſumitur, vt etiam foueatur iiſdem. Tales in orco ſunt reprobi.

3. Deus, *Deut.* 29. ſeruauit 40. annis indetritas Iſraelitarum in deſerto veſtes: magis corpora infernalia poteſt iuſtitiæ vindicatiuæ conſeruare.

II. *Quæris* Num corpora eâ corruptioni ſubiaceant: cum ex contrariis conſtent, qualia hæc noſtra: nec ab gratia vlla inhærente conſeruentur. *Dico* incorrupta manent, non ex natura: ſed ab defectu primi mobilis, iam tum ſtantis; quod omnis corruptionis eſt cauſa externa; quia commouet contraria compoſitorum corporum. Ita liquet iſtud Apocal. 9. *In diebus illis quærent homines mortem & non inuenient eam: deſiderabunt eam, & mors fugiet ab eis.* Atque ita Mat. 25. *ibunt in ſupplicium æternum.* Hæc *memorare nouiſſima tua, &c.*

PERORATIO.

QVid non ageretis, cui neceſſe foret tota vita ſtrictiſſimis vti calceis; aut ſtrepitũ pulicis in aure tolerare; aut quairet, muſcas in faciem inuolantes ſuſtinere, aut febrem perpeti; aut in delicato ſtato irremiſſe decubare? Nihil non moliretur, vt ſe moleſtia liberaret. Quid igitur, vt inferni cruciatus euadas?

CONCIO SEPTIMA.

De infelici damnatorum ſorte.

ISaias cap. 24. horrenda deſcribens ait. *Erit, qui fugerit à voce formidinis, cadet in foueam: Et qui ſe explicauerit de fouea, tenebitur laqueo. Quia cataractæ de excelſis apertæ ſunt, &c. Grauabit eam* (terram) *iniquitas ſua, & corruet, & non adiciet, vt reſurgat: & viſitabit Dominus ſuper militiam cœli in excelſo, & ſuper Reges terræ, qui ſunt ſuper terrã. Et congregabunt in congregatione vnius faſcis in lacum, & claudentur ibi in carcerem.* Hæc ipſiſſima damnatorum ſors eſt, ex mente interpretum loci.

Nos circa ea

I. *Quod extrema damnatorum ſit infelicitas.*
II. *Fidelium ſuffragia damnatis prodeſſe nihil.*
III. *De numero damnatorum.*

PARS I.

Quod vltima damnatorum sit infelicitas.

Figura. MIseranda sors Sampsonis erat: virum tantum captiuum duci, vinculis innecti, exoculari, in pistrinum detrudi, exponi sannis ac ludibrio, demũ suapte obrui ruina & cadaueribus tectum consepeliri. *Iud.* 16. At damnatorum sors *Exemplũ.* quãto infelicior est? 2. Ex Epulonis vnius vita, sorte, vocibus æstimentur omnes, rotis pœnarum adalligati, & circumacti.

3. *Quis putas tunc mœror erit*, ait S. Victor. l. de anima, *qua tristitia, cum separabuntur impij à consortio sanctorum, à visione Dei, & traditi in potestatem ibunt cum ipsis in ignem æternum?* Hoccine est istud Ps. 82. *Pone illos vt rotam?* Orotam æternam pœnarum!

Comparationes. Lacrymosa Sedechiæ Regis sors, 4. *Reg.* 25. in carceris babylonici pedore degentis sine oculis, liberis, ac omnibus: ac etiam sine spe regni euersi restituendi: Ista tamen ad tartarea sunt nihili. Nec enim isthic rex vnus; sed plures mille millies miseriores, &c. 2. Quos si cui contueri liceret, non Spiritus in eo remaneret. Tres certi amico Iob visa eius miseria in fimeto, orbi liberis, fortunis, honoribus, auxiliis, & omnibus, emarcuerunt, obmutuerunt, corruerunt. Et ista tamen nec vmbra sunt pœnarum infernalium. 3. Hinc S. Greg. in homil. *Dum recognosco Iob in sterquilinio, Ioannem esurientem in eremo, Petrum extensum in patibulo, Iacobum decollatum ab Herode gladio: cogito, qualiter Deus in futuro cruciabit, quos reprobat, qui ita dure afflixit quos amat?*

Refert Ioann. Climacus de quodam religioso, qui, quoties ignem aspectaret, lacrymabatur, memor inferni: de quo ex isto æstimabat. Ergo, ait S. Chrys. in hom. *Cogitemus quantum sit mali in conflagratione perpetua, in tenebris?* &c.

Nobilis aut bene natus ac eductus in tetrum condatur carcerem, cataste indatur, catenis inter latrones oneretur: quis ei luctus erit? Quam sortis luctuosa memoria antegressæ? At nihil ad infernalia. Atque illa *memorare nouissima tua, & in &c.*

PARS II.

Fidelium suffragia damnatis prodesse nihil.

Narratio obiecta. I. QVod Ioann. Damascenus refert de S. Macario, inuentam ab eo caluariam, cuiusnam esset interrogatam respondisse: sacrificuli se idololatræ esse damnati, iuuarique precibus fidelium: Quodq; de S. Gregorio, orante pro anima Traiani, memoratur, eum exauditum fuisse: Neutrum auditur: reiicitur vtrumque. Constanter docet Ecclesia ne quidem orandum pro damnatis esse, minus quenquam pro iis exaudiri precantem. 1. Hinc S. Dion. Cœl. Hierarc. c. 7. ait: *Summus Sacerdos pro immundis nõ orat: quia in hoc auerteretur à diuino ordine.* *Ita sensit Ecclesia & consensus SS. Patrum.*

2. Vt igitur, ait S. Augustinus, iniuriam facit martyri, qui pro martyre orat quod salutis sit certissimus: ita orans pro damnato pœnam desperati potius augeret, quam minueret. 3. Nam Psalm. 48. Christus *frater non redimit: redimet homo*, ex inferno?

Sententia Dei est irreuocabilis. 4. Nec si Deipara, Diuique omnes supplicarent pro vno damnato. Quia in hoc decreto Deus immutabilis est. Ps. 101. *Ipsi peribunt; tu autem permanes; & sicut operterium mutabis eos, & mutabuntur, tu autem idem ipse es.* Mal. 3. *Ego enim Dominus, & non mutor:* At homo *stultus sicut luna mutatur*, Eccl. 27. Ergo qualis in essentia Deus, talis in verbis & actibus est.

Damnatus est immutabilis. Ideo, vt S. Bern. serm. 8. in Psalm. 90. *Nulla omnino credenda est futura erga impios miseratio illic, vbi nulla speranda est correctio.*

Idem

Idem l. Med. c. 5. *In carne cruciabuntur per ignem, in spiritu per conscientiæ vermem. Ibi erit dolor intolerabilis, timor horribilis, mors animæ & corporis sine spe.* 6. Inde S. Aug. palam edixit: si sciret, patrem suum damnatum esse, non magis pro ipso, quam pro dæmone oraret.

Desperati decesserũt.

Ergo istos sinamus bis mortuos, temporaliter in peccato, & æternaliter in impœnitentia. Qui cum è viuis abirent fuit eorum cymba, qualis Athenienſium nauis, qua in Cretam mittebant ab Minotauro dilaniandos liberos. Eam velis, supparis, & omnibus atris apparabant, quod orco dediti, nusquam essent rediturí. teste *Plut. in vita Thesei.* Itaq; Ps. 38. *Remitte mihi, vt refrigerer, priusquam abeam, & amplius non ero.* Iob 10. *Antequam vadam, & non reuertar; ad terram tenebrosam.*

Origenistæ refutãtur.

II. Origenistæ multi multa fabulati finxerunt, putantes pœnam imminui posse damnatis, non in infidelitate obstinata de mortuis. 1. At culpa eorum permanet: imo *superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper*: quare talis & pœna permanet. 2. Adhæc tam damnati in suo sunt centro, quam beati in sua patria. 3. Et vtrisq; iudicium vltimum decreuit irreuocabile, quod promeritum fuit. 4. Vnde vt beatorum gloria essentialis decrescere nequit; ita nec miseria damnatorum. Ita *S. Th. 3. q. 17. art. 5.*

Tartarei nesciunt nostra.

5. Potissimum quia, (vt Aug. ait l. de cura pro mort.) *ibi sunt spiritus defunctorũ, vbi non vident quæcunq; aguntur, aut eueniũt in ista vita ab hominibus.* Quod ergo ignorant suffragium; id nec sentiunt. 1. Nam nec beati sciunt quicquam eorum, quæ hic geruntur; nisi in Deo reuelante intueantur: at damnati intuitione ea in æternum priuati sunt: quare & notitia sensuq; rerum nostrarum. 2. Neq; iis, vti purgatoriis reuelant Angeli. Nam lucis ad tenebras nulla est conuentio.

Sancti eos execrãtur.

III. Quo infelicitate ipsa infelicior est omnis damnatus. 1. Quid, cuiusquam pro horum quoquam proficerent preces? Imo, Sap. 2. *Pugnabit cum Deo orbis terrarum contra insensatos.* 2. Qua in consideratione Psaltes ait, 76. *Renuit cõsolari anima mea.* Cur? *Anticipauerunt vigilias oculi mei; turbatus sum, & non sum locutus: cogitaui dies antiquos, & annos æternos in mente habui,* &c. Quoniam nulla in iis redemptio.

Disparata.

1. Ionathas, 1. *Regum* 14. addictus à patre fuit neci: totus Israel deprecatus vitam ei impetrauit condonari. 2. Thecuitis, 2. *Reg.* 14. Absolomo, à patris conspectu excluſissimo gratiam exorauit. 3. Esth. c. 7. proscriptos & edicto deditos neci Iudæos precibus liberauit ac seruauit. At vnum inferno educere damnatum nec tentarint Cœlites vniuersi. Ezech. 21. *Vt sciat omnis caro, quia ego Dominus eduxi gladium meum de vagina sua irreuocabilem.* O horror, ô dolor, ô furor, ô decretum!

Sed ideo dictum est, Matth. 25. *Hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum,* non ait, *pro omnibus*: sed *multis*: nam non pro damnatis.

Nec Cœlites, quorum intensa est charitas, precibus aut volunt, aut valent tantillum pro tartareis: quanto minus homines? Quin magis *quiuis in cœlis lætabitur iustus, cum viderit vindictam.* Ps. 57. Et Psal. 149. *Exultationes Dei in gutture eorum, & gladij ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus*, non redemptionem ex inferno.

PARS III.

De numero damnatorum.

Hic plurimus est.

I. ECcl. 1. *Stultorum infinitus est numerus* 2. Et Matth. 7. *Lata est porta, & spatiosa via, quæ ducit ad perditionem, & multi intrant per eam.* 3. Annon, *Luc.* 24. ad nuptias filij erant *multi vocati, pauci vero electi?*

Nam *cœperunt se excusare* omnes propter vile lucellum, 4. Annon, *Luc.* 8. bonum semen seminarat colonus: & quanta succreuit zizania? 5. Ita, Zach. 13. *erunt in omni terra, dicit Dominus, partes duæ, dispergentur & deficient: & tertia pars relinquetur in ea.*

Exempla paucorum saluatorũ.

II. O si tertia salua foret! 1. Nam Luc. 2. *Ecce hic positus est in ruinam multorum.* Quot horum? 2. Id ex diluuio æstima: *Gen.* 7. in quo tantum *octo animæ* saluæ *factæ sunt.* Quid si *in* secundo *diluuio aquarum multarum ad eum* numerum forte *non approximabunt?* Nam *si non propter electos abbreuiarentur dies, non fieret salua omnis caro.* 3. Ex Sodomitico incendio quot animæ seruatæ? *Gen.* 19. Tres, Loth cum filiabus: nam quarta vxoris in via lapidescebat. 4. De vniuersis Ierichuntinis superuixit ereptus nemo præter vnam meretricem Raab cum cognatione sua. Cæterum nec lapis super lapidem permansisset in terræ solo maledicto. 5. Horresco memorans! Sexcenta Israelitarum millia ex Aegypto egressa sunt: ad terram promissionis anhelarunt omnes: at peruenerunt duo soli, Caleb & Iosue. O *Iudicia Dei abyssus multa!* Quam *multi sunt vocati*, quam *pauci vero electi?*

O rem metuendam.

III. Quis animus vobis, auditores? 1. Quis fuerat Apostolis, cũ audirent, Mat. 26. *Vnus vestrum me traditurus est.* Nã quisque sibi metuebat. Et tu *nescis homo, odio, an amore dignus sis.* 2. Fac esse ciuitatem seditiosam, Rex denunciat vnum è cunctis fore viuum excoriandum, ac mille modis discruciandum, quis securus aget incolarum? At talis hic mundus est, rebellis Deo: ex quo non vnus, aut mille; sed *multi* pereunt, seruabuntur *pauci.* 3. Stet in armis exercitus, nuncietur intra horã fulmen cadens perditurum vnum è cunctis, qui metus erunt omnium? Nos in vitæ stamus militia, fulmen ruet, non *Ito*, sed *Ite maledicti*, & adhuc in bonis ducemus dies? Dicemus, *pax, pax*, cum *non est pax impio*? Quocirca *memorare nouissima tua*, &c.

Hebdomada quarta Aduentus.

DE GLORIA COELESTI
Quarto Nouissimorum.

CONCIO PRIMA.
De memoria Gloriæ cœlestis.

Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis. Eccl. 7.

EXploratores terræ promissæ, *Num.* 13. vt fertilitatis specimen præbuissent; ita eius exarsit desiderio populus; vt omnem de repetenda Aegypto cogitationem damnarent, idola proiicerent, armisque etiam inuadere staret cunctis, aut certæ occumbere morti. Ipse cœlorum vobis exploratorem agam: vos animos capessite, amores alienos damnate; detestemini scelera & abiicite, ad anteriora vos extendite mecum, ad supernum brauium persequendum.

Itaque

I. Quod admiranda sit Cœlestis gloria.
II. De quantitate & valore eiusdem.
III. Adumbratio quædam gloriæ cœlestis.
IV. De vtilitate ex memoria eiusdem.

PARS I.

Quod admiranda sit cœlestis gloria.

SImonides Philosophus, ait *Cic. 1. de Natur. Deor. & Verrina 6. Strabo l. 6.* Hieronę tyranno Syrac. sciscitante: Quid, qualisque Deus esset; diei postulauit vsuram ad cogitandum. Conuentus postridie, bidui spatium popposcit, dein tridui procrastinationem, & sic vsque pronunciauit amplius; nequedum tamen quicquã enunciauit, nisi istud: *Quo considero diutius, hoc mihi res videtur obscurior.* Rectius id de cœlesti gloria dixero.

Est inscrutabilis.

2. Sen-

Est admirabilis. *Est inæstimabilis.* *Est absolutissima.*

2. Sentioque euenire mihi, quod duobus Cherubinis, *Exod.* 25. supra Propitiatorium. Qui quo latius alas in illius intuitu explicabant, hoc minus intelligebant, & magis obstupescebant. 3. Idem expertus S. Aug. serm. 37. de Sanctis ait: *Effugit omnem sermonem, atque omnem sensum humanæ mentis excedit decus illud & maiestas.* Similia Greg. hom. 37.

Certe D. *Thom. p.* 1. *q.* 25. negat Deum posse eam beatitudinem condere perfectiorem. Sicut nec Christi humanitatem, nec matrem Iesu Mariam. Qui vidit de illa testatur, 1. Corinth. 5. quod *nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ Deus præparauit diligentibus se.* Multa mira, magna: hic attamen oculus solem videt duntaxat vnum, vnum audit sonum auris: cor fingere sibi montes potest aureos; sed nil, quod ad gloriam vel specie aspirare queat: adeo est omnia super. Hinc Isa. 64. *A sæculo non audierunt, oculus non vidit abs te, quæ præparasti exspectantibus te.*

Est incomprehensibilis.

Aug. l. 24. Ciuit. *Quod Deus præparauit diligentibus se, fide non capitur, spe non attingitur, caritate non apprehenditur, desideria & vota transgreditur. Acquiri potest: æstimari non potest.* Dauid quasi extaticòs Psal. 30. *Quã magna multitudo dulcedinis tuæ, quam abscõdisti timentibus te?* Vere Psal. 86. *Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei: sicut lætantium omnium habitatio est in te.* Quare hæc *memorare nouissima.*

PARS II.

De Quantitate & valore Gloriæ cœlestis.

Excitat exercitium sui.

1. *EA virtutis pulcritudo est,* ait Cic. 1. Off. *vt si oculis cerni posset, mirabiles sui amores excitaret.* Mirabilior gloria cœlestis, si pateret oculis. 1. Isaac primus Rebeccæ aspectus, *Genes.* 24. animo deterfit omnem, quem ex morte genitricis conceperat, mœrorem.

2. Iacob. *Gen.* 29. visa Rachaele leuem duxit bis septennem seruitutem, vt eam præ amore fallente crederet esse mométaneam. Ad cœli gloriam vero deficit omnis comparatio.

Roborat ad patientiã.

1. Paulus eam velut per rimulas introspexerat, iam vltima quæque paratus erat perpetiante, quam à Dei charitate separari. 2. *Corinth.* 11. Enimuero, inquit Roman. 8. *Existimo, quod non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* 2. Quid? Ipse Moderator gloriæ, Gloria Patris IESVS, *proposito sibi gaudio sustinuit crucem.* Cuius tamen tormenta breui oblitus omnia, quærit *Quæ?* Luc. 24. Et *nonne oportuit Christum pati, & sic intrare in gloriam?*

Reuocat à peccatis.

II. Quod efficacissimum norat à peccatis reuocandi medium, id suis admouit Petrus in 1. c. 5. *Seniores obsecro ego Consenior, tanquam testis Christi passionum, & eiusdem, quæ in futuro reuelanda est gloriæ consors,* vt abstineatis vos à peccatis. 2. Idem vsurpauit Ioannes, 2. cap. 3. *Charissimi, nunc filii tui sumus, & nondum apparuit, quid erimus. Scimus, quoniam cum apparuerit, similes Ei erimus: quoniam videbimus Eum sicuti est.* Quæ igitur hic magna videntur, fumus & vmbra sunt mera. Vnum hoc præ omnibus esse, *Filios Dei esse.* 3. Hinc ita Rom. 8. *Quod si filii, ergo & hæredes* gloriæ. 4. Inde Psalm. 15. *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei;* pars essentialis: nam præter hanc gaudia isthic innumera sunt alia.

Est incomprehensibilis.

III. S. Augustinus, *vt scribit Epistol. ad Cyrill.* statuerat scripto exquirere ex S. Hieron. quid de beatitudine sentiret: hic interim decedens apparet illis ac talia fatur. *Vide, si numerare potes stellas cœli, arenas & guttas maris. Id namque facilius est, quam gloriã dicendo explicare. Est enim res tãta, quãta, nisi ipse vidissem, nunquam credidissem. Et tam longe abest ab eo, quod ego viuens cogitabam, vt omnino sit quippiam infinitum maius.*

Et admirabile.

Euenit omnino beatis, quale Reginæ Sabæ, visa gloria Salomonis. 3. *Reg.* 10. nec gloriam Dei capiunt, nec suum de ea stuporem. Vnde S. Ambr. in funebri Theodosii Imp. ait: *Iure pietatis ascitus in illam Ierusalem supernam, vbi nunc positus dicit:* Ps. 47. *Sicut audiuimus, ita & videmus in ciuitate Dei nostri.*

PARS III.

Adumbratio quædam gloriæ cælestis.

Inuectiua in immemores gloriæ.

HOc vnum sat efficax fore iudicabat, ad peccatores conuertendos, Psalm. 4. *Vsquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium? Scitote, quoniam mirificauit Dominus Sanctum suum.* 1. Sunt, quales exteri legati illi, quos Romæ videns Augustus gestare ac diffluauiari melitæos suos, quærebat ioco: num apud eos fœminæ liberos etiam enitérentur.

2. Stupebant parentes excæcatam fascinationem Samsonis depereuntis Dalilam. Iudicum 14. *Nunquid non est mulier in filiabus fratrum tuorum, & in omni populo, quia vis capere vxorem de Philistiim, qui incircumcisi sunt?* Ita Cœlites stupent ad stuporem hominum, vanitatis amantium periuræ.

3. Miranda Israelitarum vesania fuit, *Num.* 21. vescẽtium manna omnisapido, & tamen ad ollas & allia suspirantium AEgypti. Execrabilis vero est etiã Christianorum fluxa hæc affectantium vecordia, & obliuio cœlestium.

Adumbratio gloriæ.

II. Hæc enim si dixeris complementum mirabilium omnium, mare deliciarum, diuitiarum arcam, aulam Trinitatis, &c. parum edixeris 1. Exclamat August. serm. 37. de Sanctis. *Quid hac vita beatius, vbi non est metus, &c. nemo inuidet? &c. Vbi lux sine tenebris,* &c. In soliloq. c. 35. *Vbi decor nunquam palleſcit, nec amor tepeſcit, nec gaudium decreſcit,* &c. 2. Quare Apocal. 2. *Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Numer. 2. Tim. 2. *Nemo coronabitur, nisi qui legitime certauerit.* Etenim arcam testamenti, *Exod.* 25. ambit corona & limbus aureus: ita gloriæ corona bona complectitur omnia. Vnde S. Hieron. in hoc Psalm. 64. *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ,* ait, *Quia Sanctos præmiis, & temetipsum eorum agminibus coronabis. Circulũ autem, & semper in se currentia anni tempora coronam vocauit.*

Corona similis.

Cum gemmis duodenis.

III. Est autem hæc tam pretiosa, quam gloriosa. Hinc, Psalm. 20. *Posuisti in capite eius coronam de lapide prtiioso:* & hoc duodeno: Sanitatis, Abundantiæ, Voluptatis, Scientiæ, Gaudii, Pacis, Securitatis, Luminis, Diuitiarum, Gloriæ, Aeternitatis, Vitæ. O *vita vitalis?* August. in Manuali c. 7. repetitque recensita cũ contrapositio quodque suo. Et l. Medit. c. 22. *O patria quieta, cuius finespax, termini æternitas, hæreditas deliciæ. Vbi nulla signantur tempora: sed omnia ad vnum diem reuocata sunt, vbi nox & tenebræ nullæ.*

PARS IV.

De Vtilitate memoriæ cœlestis gloriæ.

Vtilis est. 1. Ad cauc. peccat.

I. EFficax remedium aduersus peccata est gloriæ cœlestis memoria. Quis enim in eam esse volet impius patriam, cuius æternum adscribi ciuis exoptat? Dicet is mundo, carnique, quod Demosthenes meretriculæ, „p cupitis ab eo exigenti mille drachmas, aiebat: *Tanti pœnitere non emam.* Nam voluptatula vnica dominæ Carolæ pluris emitur: nimirum cæli pretio, quod perditur. Quocirca *quotiescunque,* ait Hier. Epist. ad Eustochium, *te vnica sæculi delectat ambitio: ad paradisum mẽte transgredere: Esse incipe, quod futura es, & tunc poteris dicere: Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec Flammæ obruent eam.*

Exemplū.

1. Huius erat remedii vsus Dauidi,

Ps.

Ps. 16. *Propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras.* Item Ps. 118. *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas propter retributionem.* 2. Propter hanc S. Serapion se nudauit omnibus, manuque gerens Bibliorum Codicem solum nudus per agros obibat: ac scisitantibus, quis eum spoliasset, aiebat: *Hoc* monstrans Biblia. 3. Ita S. Hieronymus Eustochio: *Egredere quaeso paulisper de carcere, & praesentis laboris tibi ante oculos pinge mercedem, quam nec oculus vidit, &c.*

2. Ptilis ad patientiam aduersis. II. Haec vero cogitatio non contemptum mundi solum affert: sed dulces quoque acerbitates reddit. 1. Ita Aug. in Manuali. *O anima si quotidie oporteret nos tormenta perferre, si ipsam gehennam longo tempore tolerare, vt Christum in gloria videre possimus, nonne dignum esset pati omne?* 2. Hoc Deus excitabat Abrahamum, Gen. 13. *Leua oculos tuos in directum &c. omnem terram* circum, *quam conspicis tibi dabo & semini tuo.* Et hoc temporale duntaxat erat. 3. Pastori Dauidi Saul percussuro Goliam, 1. Reg. 17. filiam promittebat: at Deus gloriam suam nobis, si quis *legitime certauerit*: faxa vibrans orationum, & pedum crucis. 4. Certe Moysen omnia pertulisse, testis est Apost. ad Hebr. 11. quod *aspiciebat in retributionem.* Aspectus idem nobis ad idem erit tanto efficacior, quo proprior. Nam is a longe, aspiciebat. 5. Stephanus proxime inspiciens vitam, iam morti insultabat, Act. 7. *Video* clamat, *coelos apertos, & Iesum stantem à dexteris virtutis Dei.* Ibi Euseb. Emis. *Inunctanter offert sanguinem suum, qui prae oculis habet Regem suum, simul & brauium.* O vim inexplicabilem! 6. Dominus discipulis proponebat cruces, persecutiones, &c. sed addebat, Mat. 5. *Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in coelis.*

Ad coelestia spectare. II. Hanc igitur spectate, quoniam Deus vt Ouid. in Metam. canit.

Os homini sublime dedit, coelumque tueri:
Pluraque cum spectent animalia cetera terram.

Quanda natus homo est.

1. Hinc philosophi hominem dixere arborem inuersam; cuius radix coelum spectaret: quod inde trahere eam omnia oporteat. 2. Ita Philo quoque Iudaeus: *Caeterarum plantarum capita defixit in terra: soli homini caput sublime dedit, vt alimenta coelitus incorruptibilia quaerat.* Huc igitur tendat, quo natura. Huc cogitatio tendat, quo caput spectat. 3. Spretor opū Anaxagoras, vt felicius philosopharetur, scisitanti cur natus videretur, ait: *vt coelum contempler.* Idem alteri, cur patriae curam non gereret, digito in coelum intento, ait: *Hanc curo.* Ab hisce nos ethnicis vinci patiemur?

Quia coelū patria est.

Imprimis quia inde exules sumus.

Daniel c. 6. in Babylone apertis fenestris templum versus spectare & orare sueuit nixus humi: nempe coelum contueri volupe erat. Magis captiua hic anima est in corpore: aperi intellectū, prospice coelos; despice terras, despue mundum; & sic *adiunctis manibus Deum inuocari.* ora, & adlabora. Nec vna animae fenestra est; sunt ei, quot sensus, quot res creatae, quot voces Dei, &c. Cunctis in Babylone captis Iudaeis vnum erat votū patria. Psal. 136. *Super flumina Babylonis illic sedimus & fleuimus, dum recordaremur tui Sion.* Et nos hoc minus fecerimus; quibus captiuitas acerbior, & patria est beatior? *Memorare* igitur *nouissima. &c.*

CONCIO SECVNDA

De situ, & voluptate coeli.

APocal. 21. *Veni, & ostendam tibi Sponsam vxorem Agni. Et sustulit me in spiritu in montem magnum & altum, & ostendit mihi ciuit. sanctam Ieruſ. descendentem de coelo, habentem claritatem Dei. Et lumen eius simile lapidi iaspidi, sicut crystallum. Et habebat murum*

rum magnum & altum, habentes portas XII. *& in portis angelos* XII. *&c.* fuse.

At nos explicatius

I. *De præstantia gloriæ cœlestis.*
II. *De Epithetis cœli.*
III. *De altitudine, & amplitudine eiusdem.*
IV. *De illius pulcritudine.*
V. *De cœli motu, & admiranda præstantia.*

PARS I.

De præstantia gloriæ cœlestis.

Magni fuit terra promissa.

I. SEruientes in Aegypto Israelitas, *Esth.* 3. Deus promisso terræ benedictæ solabatur, vnde Ezech. 20. *Ego Dominus Deus vester in die illa leuaui manum meam pro eis, vt educerem eos de terra Aegypti in terram, quam prouideram eis, fluentem lacte & melle: quæ est egregia inter omnes terras.* Ex quo magnis lætitiis incedebant? Ps. 125. *In cõuertendo Dominus captiuitatem nostram facti sumus sicut consolati: tunc repletum est gaudio os nostrum, &c.* Hieron. vertit: *sicut consolati facti sumus somniantes.* q. d. vix credebamus, sed vt somnium audiebamus. Eam tamen liberationem sui in beneficiis principem recolebant.

Pluris est patria cœlestis.

Quo magis nos obstricti Deo, quos excusso dæmonis iugo asseruit ad spem gloriæ Iesus: prout promisit, Psal. 35. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ: torrente voluptatis tuæ potabis eos, quoniam apud te est fons vitæ.* q. d. olim petræ aquas, montes mella dedere ad satietatem: alia cœlum nunc dabit ad vsque felicitatis ebrietatem. Sint flumina admiranda apud *Plin. libr. 2. c.* 102. Vt Lethe, inducens obliuionem: Ganges & Pactolus auriflui: aliud in Thracia in quo ligna lapidescant: Macedonicus Lynceſtis, è quo qui bibit, titubat, ac si mera vina potasset: in Bœotio Melas, qui oues reddit nigras; albas Cephissus; Nous Cilitiæ, qui potus ingenium acuit, alius in Cos insula, qui stupidum reddit: Nullus tamen est, qui legatur potus exhilarare, vti cœlestis *torrente voluptatis.*

Flumina quædam miranda.

II. Exploratores terræ referebant, Num. 15. *Terra, quam circuiuimus, valde bona est*: & cœlum quanto melius? Testis explorator raptus Paulus. In Paradiso meræ arbores erant, & fontes; eum tamen locum voluptatis nuncupauit Moyses, *Genes.* 2. Quanto rectius cœlum sic appellaris? Quid Petre, visa vnius in Thabor gloria, ais? *Bonum est nos hic esse.* Quanto beatius in cœlo? Ideo bene additur: *Nesciebat quid diceret.*

Epitheta gloriæ cæl.

Epitheta testantur ipsius præstantiam. 1. Psal. 26 *Credo videre bona Domini in Terra viuentium.* Bona innumera: Nam Moysi dũ fit promissio terrena, dicitur, Exod. 33. *Ostendam tibi omne bonum.* Dein terra hic est morientium: at ibi, Isa. 25. *præcipitabit mortem in sempiternum.* 2. Psal. 114. *Conuertere anima in requiem tuam, &c. placebo Domino in regione Viuorum.* Philosophi tres aeris regiones definiunt: Tres item sunt hominum: prima mortuorum: Psal. 133. *Non mortui laudabunt te Domine, neq; omnes qui descendunt in infernum.* Altera viuentium, vti iustorum, & mortuorum, vt iniusti sunt: De quibus Luc. 9. *Sinite mortuos sepelire mortuos.* Apoc. 3. *Nomen habes, quod viuas & mortuus es.* Tertia est viuentium, Sap. 5. *iusti autem in perpetuum viuent.* Hoc memorare.

PARS II.

De Epithetis cœli.

Nomina cœli.

I. COelum fœlicitatis est domicilium. De quo 1. Cor. 5. *Si terrena nostra habitatio dissoluatur, domum habemus non manufactam, & conseruatam in cœlis,* id est æternantem. Huc aspirans ait ad Phil. 1. *Cupio dissolui, & esse cum Christo.* Testam suam frãgi orabat. Et impetrabat. Vnde Greg. 4. Dial. *Qui Christum in cœlo esse non dubitat: nec Pauli animam in cœlo esse negat.*

1. Domus Dei.

Simile

Simile spiritus suus spondebat dicenti Psalm. 121. *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.* Cur lætaris? Quia Ps. 26. *Gloria & diuitiæ in domo eius.* At nostra lutea dicamus cum Sunamitide, 4. Reg. 4. *Nihil est in domo mea.* Idcirco Psal. 26. *Vnam petij à Domino, hanc requiram: vt inhabitem in domo Domini omnib. dieb. vitæ meæ.* Ostenditur id Ioanni. Apoc. 12. *Ecce Tabernaculum Dei cum hominibus: & habitabit cum eis.* Vt enim in Tabernaculo arcæ Psal. 98. *Dominus sedet super Cherubin*: ita & in cœlo. Ob amplitudinem quoq; *Ciuitas* dicitur cœlum: Vt Psal. 86. *Gloriosa dicta sunt de te Ciuitas Dei.* Psal. 47. *Sicut audiuimus, sic vidimus in ciuitate Domini* Apoc. 21. vt supra.

1. Tabernaculum.

3 Ciuitas Dei.

4. Regnum.

Plerumque tamen *Regnum* dicitur. Matt. 25. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum* 2. Tim. 4. *Liberabit me Dominus ab omni opere malo, & saluum faciet in regnum suum cœleste.* Regni huius Regem aspernabantur, qui aiebant, Luc. 19. *Nolumus hunc regnare super nos.* Ioann. 19. *Non habemus Regem, nisi Cæsarem.* Psalm. 11. *Quis noster Dominus est?* Factiosi illi turbines regni erant: sed luerunt, luentque quotquot sectatores habuerint. Interea regnum est pacis: vbi Isa. 31. *Sedebit populus meus in pulcritudine pacis.* Eritq; *vox exultationis & salutis in tabernaculis iustorum.* Psal. 117.

PARS III.

De cœli altitudine & amplitudine.

1. Empyreum dicatur.

I. INterea sedes illa beatorum est cœlum Empyreum; sic ab igneæ claritate dictum, ait V. Beda; vel vt B. Thomas mauult ab Angelis incolis sole clarioribus. 1. Et par est; vt ceu Orcus est imus terræ locus Psalm. 62. *Introibunt in inferiora terræ*: ita summa sit statio bonorum. 2. Vnde monti præcelso confertur. Psalm. 23. *Quis ascendet in montem Domini: aut quis stabit in loco sancto eius.* 3. Par est vt *qui se humiliat*, is thuc *exaltetur.* Vnde *deposuit potentes* Luciferianos *de sede, & exaltauit humiles.*

2. Est altissimum.

II. Quam alte? Vsque in Empyreum, id est, 1790925500. milliaribus, hoc est mille septingētis nonaginta myriadibus, nōgentis vigintiquinq; millibus & quingētis milliariis hinc à terra. Nam Chr. Clauius in cap. 1. Sphæræ Sacroboscii ita supputat: cœlū Lunæ ab terra abesse 120630. milliariis, cœlum solis 4013923. Firmamentum autem 161. 884945. *Quantæ ius altitudo.*

S. Vincentius ad istum modum computat altitudinem. Si lapis molaris è firmamento decideret, cadendo consumeret 1500. annos solares. Vnde quotidie cadendo conficeret 32780. milliaria; & singulis horis 130. O altitudinem!

III. Sed quæ amplitudo? Eam docet quintupliciter. 1. *Philosophice sic.* Axioma est, minimam firmamenti stellam esse vicies maiorem terra, centies vero, quæ minusculæ ab Astrologis numerantur 1022. Iam inter singulas stellas magna sunt interualla; suntque innumeræ stellæ, quæ à nobis videri nequeunt. 2. *Geometrice.* Geometræ aiunt Infernum esse in centro terræ infra nos 1505. milliariis, esse latum & longum 7866. milliaribus, terram totam esse longam & latam, 31500. milliariis, cœlum Empyreum ambitu suo continere milliaria 1031408571o. in latitudine vero 3600000000. 3. *Mathematice.* Mathesis docet terram cœlo collatam esse punctum, & quasi guttam ad oceanum. Docent sic: vnumquodque elementum, & quodque cœlum planetarum est altero decies maius: Vtaqua superat terram decies, aer aquam, aer em ignis, ignem orbis lunæ, lunam, &c. vt ad empyreum terra sit quasi punctum; 4. *Arithmetice.* Cœlum lunæ cursum suum peragit 30. diebus; *Amplitudo.*

solis cœlum 365. diebus & horis sex. cœlum Saturni, summi planetarum, 40000. annorum spatio se semel circumagit; Iã ex proportione requireret firmamentũ 30000. annorum; iam Empyreũ tricies maius annos 2160000. requireret ad vnicum suum cursum semel circumagendum. 5. *Theologice.* Theologi ex S. Scriptura Empyrei amplitudinem prope immẽsam constituunt; maluntque admirari, quam metiri. Hinc Baruch. 3. *O Israel quã ingens est locus possessionis Dei? Magnus est, & non habet finem, excelsus & eleuatus.*

Terra vilitas.

IV. Ite iam cosmophili, diligite terram præ cœlo, digladiemini pro glebula terræ, qualis regnum est Hispaniæ. Quid de domo, de agello tuo bone ciuis dixero? Hinc se Dauid ab regno suo nihili æstimabat. Ps. 87. *Pauper sum ego, & in laboribus.* Ps. 39. *Mẽdicus sum & pauper.* Ps. 68. *Ego sum pauper & dolẽs.* Ps. 69. *Ego vero egen⁹ & pauper.* Quia suum regnum cœlo comparabat.

Præstantia cœli.

Vel Ethnici quoque nobilitatem cœli cunctis creatis prætulerunt. Vt Aristot. 12. *Metaph. tex.* 10. *& l.* 1. *de cœlo tex.* 2. D. Thomas etiam peculiarem cœlis materiam esse docet, quam elementorum sit. Quod horum materia formas appetat varias, illa non. Nomina, quæ ei Scriptura dat, addunt ei miram dignitatis æstimationem. *Deuter.* 28. dicitur thesaurus Dei. Ps. 102. Thronus Dei. Ps. 2. Habitaculum Dei &c. Regnum Dei. Et Deus dicitur Cœli Deus, Rex, Dominus. &c.

PARS IV.

De pulchritudine Cœli.

Cœlum est pulcherrimum. 1. quia est altissimum.

IAm pulchritudo cœli hisce doceri potest. 1. Quo quidq; est altius, hoc etiam est purius, liquidius, pulchrius, ac præstãtius. Vt, terra est infima, ideo impurissima, vilissimaq;, aqua purior, aer dignior aquis; aere ignis, igne cœlum lunæ. atqui Empyreum est summum, ergo.

2. Axioma est, Aristot. 3. cœl. *Locus conuenire debet locato*: hinc quo quodque dignius, eo & altius est. At Empyreum est altissimum: ergo. Hinc Aristot. ait *Consuemus extremum, & quod sursum maxime est, vocare cœlum: in quo Diuinum omne locatum est:* Isa. 2. *Dominus, qui habitat in cœlis, irridebit eos.* 2. *Dei domicilium.*

3. Arist. 1. de cœlo. *Rerum contrariarum contraria sunt loca.* Atqui beati & damnati sunt contrarij. ergo & eorum loca sunt contraria altitudine, distantia & dignitate, & pulchritudine Ps. 138. *Si ascendero in cœlum, tu illic es,* gloria: *Si descendero in infernum, ades,* tua iustitia. 3 *Ortocontrarium.*

4. Fingamus Regem, qui vitæ certus sit ad 100. annos: an non is sibi palatium instruet quam aptissimum & splendidissimum. At æternam sibi regni sedem parauit Deus. Psalm. 101. *Opera manuum tuarum sunt cœli.* 4. *Quia est æternum.*

5. Sit prænobilis delicatissime in patria, honoratissimeq; educatus; qui peregrinans deueniat in terram, vbi malit vitam exigere, quam in patria: Et hanc quoq; Rex ipse deserat, ac in eam se nationem, deserto regno, conferat, sane ea terra videri debet præstantissima. Atqui nemo hic tam fœliciter vixit, quin beatius agat in cœlo, vt huc reuerti minime velit. Quin Rex ipse terræ Iesus hac relicta cœlum maluit, ergo est omnium beatissimum. 5 *Quia præ eo tenuiter terra.*

6. Quod est regnum tam beatum, in quo non sint curæ, miseriæ, pericula &c. & multi sceleratiq; spurci. At in cœlo cõtraria omnia. Huc *nihil coinquinatum introibit:* Sed omnis is, *qui ingreditur sine macula* Ps. 14. Quod vnquam regnum, quis locus talis esse proditur, qualis Ierusalem cœlestis describitur? *Apoc.* 21. *Quia beatum est vndiq.*

Quare vt nemo in Assueri palatium habebat aditum, nisi splendidus cultu, ac speciosus. *Esth.* 2. Nemo assistere coram *Ergo pulcri intrant pulcrum.*

Nabu-

Nabuchodonosore, nisi formosissimus audebat: Ita nemo coram Deo in cœlis, nisi sole purior. Hinc illi dicitur, Matt. 22. *Amice quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?* Isthic enim meræ aguntur nuptiæ in stola gloriæ. O miraculum *mundi, naturæ*: Opusque Dei! Admirabile templum describitur Salomonis, 3. *Reg.* 7. Sed nec vmbra est ad cœlum: cuius symmetriam Pythagoras perpetuam harmoniam appellabat.

PARS V.

De cœli motu, & admiranda præstantia.

I. HVc accedit quod cœlum sit incorruptibile: 2. quod causa rerum omnium. Arist. 2. Meteor. nam *Mundus inferior superioribus nationibus continuatur; vt omnis inde virtus deriuetur.* 3. quod sit locus æternorum ac diuinorum, vt Auerroes ait: 4. quod tres dotes habeat nobilissimas: Lumen clarissimum: formam orbicularē perfectissimam; motum celerrimū, quo intra horā decurrit, 42398437. milliaria. Quantum iter, qui quotidie conficeret 40. milliaria, decurreret intra 2904. annos.

Vel clarius: tāta est primi mobilis velocitas, quanta auis, quæ volatu terram ab ortu ad occasum circumiret 138. vicibus intra vnam horam. Ita Besseus ex Clauio. Quare si terram cœlo, terræq; res rebus cœlestibus conferas; dicas hæc terrena nugas esse, merasque imposituras: certe nec vmbras cœlestium. Hæc tamen vno nummo charitatis emuntur.

II. Est igitur hic orbis, vt multum ei tribuamus, quasi suburbium lutosum ciuitatis cœlestis. 1. Vnde Roman. 1. *inuisibilia ipsius à creatura mundi per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur.* id est, ex suburbio æstimatur de vrbe: Ex istius incolis, de huiusce ciuibus filiis Dei. 2. Si ingressus palatium cerneres coquinam, stabula, foricas, &c. auro incrustata, &c. omniaq; magnificentissima; quid nō æstimares de conclaui regio? Is mundus; hoc cœlum est. 3. *O Domine*, exclamat S. Aug. l. Medit. *Si tanta tribuis nobis in carcere; quid dabis in patria? Si tāta amicis & inimicis; quid est quod seruasti solis amicis?* 4. Similiter S. Chrys. in Epist. ad Rom. *Suspiciamus cœlum & intelligamus statum illius gloriæ tanto melius effectum, quanto luteis testis aurum est melius.*

5. Regina Saba, 3. *Reg.* 10, visa regia Salomonis, rerumq; omnium dispositione; corruit defecta animo præstupore. Quid animæ fiet ex terrenis cœlestia æstimanti? Quin igitur exclamemus: Ps. 38. *Quā dilecta tabernacula tua Domine virtutū? Concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini.* Ergo hęc *memorare nouissima tua.* &c.

CONCIO TERTIA.

De Beatis Cœli incolis.

APoc. 7. *Vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus &c. stantes ante Thronum in conspectu Agni, amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum concinentes Deo.* Hi beati sunt ex hominibus Diui.

De quibus nos in præsens

I. *De felicitate beatorum.*
II. *De sanctorum Aeternitate Beata.*
III. *An eadem sit, aut dispar gloria Sanctorum.*
IV. *De aureola Sanctorum.*

PARS I.

De felicitate beatorum.

HOminis in terra degentis dignitatem obstupescens exclamat Psalm. 8 *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in vniuersa terra! Quid est homo, quod memor &c. omnia subiecisti sub pedibus eius.* Quid si in cœlis beatorum sor- *Mirabilis Deus in beatis est.*

tem liquidius ei cognoscere licuisset? Cognouit tamen aliquid, & exclamat, Psalm. 67. *Mirabilis Deus in Sanctis suis!* q.d. Mirabilis in creatione hominum, inque redemptione. At in beatitudine mirabilior est.

Figuræ aut comparationes.

1. Ezechias, 4. *Reg.* 20. ab thesaurorum potentia Babylonis legatis, quibus eos ostenderat, admirationi extitit. At cælorum thesauri mirabiliores mundanis in cœlum receptis videntur. 2. Assuerus Rex 127. prouinciarum, ab regno, & epulo Satrapis populisque præbito admirandus videbatur. *Esth.* 2. At nihil ad æternum & regnum, & epulum Diuorum. 3. Mirus Ioseph cunctis Aegyptiis, & fratribus, Saluator omniũ. Magis Deus, qui, vti Ioseph, iubet Gen. 44. *Imple saccos* corporis & animę *frumẽto* glorię, *quantum possunt capere.* 4. Sicut pater ille bonus pro recepto in gratiam prodigo prius, mandat, Luc. 15. *Cito proferte stolam primam, &c.* ita vestit ornatque gloria egressos de corpore.

Promissa facto exhibita.

II. Hic cernitur, quod dicitur Matth. 22. *Omnia sunt parata: tauri mei occisi sunt, &c. venite ad nuptias.* 2. Hic dicitur, Cant. 5. *Bibite amici, & inebriamini charissimi.* 3. Hic Psa. 35. *inebriabuntur ab vbertate domus tuæ* Deus; *& torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Hic, vt reges, circumsidebunt, Apoc. 4. in circuitu sedis Sedilia quatuor, & super thronos 24. *Seniores sedentes, circumamicti vestimentis albis, & in capitibus eorum coronæ aureæ.* Scio S. Greg. l. 1. Reg. c. 9. per Seniores intelligere Ecclesiastas, at Glossa, Rich. à S. Vict. Rupertus. &c. de Sanctis accipiunt Patriarchis & Apostolis. Potest tamen & de quibusuis intelligi Beatis.

Exprasenzibus sunt existimanda.

3. Cæterum ex temporali remuneratione diuina, ob virtutem aliquam facta, licet de cœlesti, æternaque colligere. Sic Augustin. in Soliloq. cap. 21. *Si tanta nobis facis in carcere quid ages in palatio? Si tanta solatia in hac die lachrymarum; quanta conferes in die nuptiarum?* 2. idem in Psalm. 83. *Bona cogitate quæ dat Deus peccatoribꝰ; & hinc intelligetis, quæ seruet seruis suis fidelibus. Blasphemantibus eum quotidie dat cœlum & terram, dat fontes, fructus* &c. 3. S. Fulgentius, vt refert Sur. t. 1. visa vrbis Romanæ maiestate, aiebat: *Quam speciosa potest esse cœlestis Ierus. si sic fulget Roma terrestris. Si in hoc sæculo datur tanti honoris dignitas diligentibus vanitatem; qualis præstabitur Sanctis diligentibus veritatem?* 4. S. Procopius Epis. viso portari ad baptismum Theodosio iuniore Imp. aiebat: *Si ea, quæ paulo post euanescunt, tantam habent gloriam, quanto magis cælestia quæ parata sunt sanctis?*

PARS II.

De Sanctorum Aeternitate Beata.

I. TRia sortem beatorum reddunt admirãdam, Aeternitas, Loci dignitas, Societas. De æternitate Dan. 12. *Fulgebunt iusti quasi splendor firmamenti, & quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Ideo 14. Esd. 2. *Parati estote ad præmia regni, quia lux perpetua lucebit vobis per æternitatem temporis.* 2. Cor. 4. *Aeternum gloriæ pondus operatur in nobis*, quod modicum hic patimur.

Gaudia mundi euanescunt in luctum.

In mundo, 1. Prou. 14. *Extrema gaudii luctus occupat.* 2. Et Iob. 20. *gaudium hypocritæ instar puncti.* 3. Testis familia Iobi, filii e. ius epulabantur hilares, at breui gaudio, nam morte obruebantur. 4. Balthasar Rex, *Dan.* 5. in aula conuiuia agitabat, & manus funesta diuinitus interueniebat.

Cælestia perennant.

Non sic in cœlis. Nam Isa. 65. *Gaudebitis, & exultabitis vsque in sempiternum.* 2. Et ita: vt singulæ partes corporis ac animæ sint gauisuræ. Psalm. 50. *Auditui meo dabis gaudium & latitiam, & exultabunt ossa humiliata.*

Hinc sancti sunt vt columnæ.

Et quia hoc perenniter; ideo Diui columnis comparantur. Apoc. 3. *Qui vicerit, fa-*

faciam illum columnam in templo Dei mei, & scribam super eum nomen Dei mei. 2. Item figurantur, Cant. 3. *Ferculum fecit sibi Rex Salomon de lignis Libani, columnas eius fecit argenteas.* 3. Quare Psal. 147. *Lauda Ierusalem Dominum. &c. quoniam confortauit seras portarum tuarum*, ad æternam securitatem. 4. Vnde Apoc. 7. dicuntur *stantes ante thronum*, quasi columnæ quibus Tabernaculum Mosaicum innitebatur, 5. Eandem constantiam significabat, *Apoc.* 21. ciuitas in quadro posita.

Beata cœlorum dignitas est.

III. Cœli quoque dignitas mirifice auget gloriam beatorum. 1. Locus enim is est, vt S. Ansel. l. simili. c. 16. ait, *in quo est vita sine morte*: &c. vbi est supra Deus, circum Angeli, vndique omnia glorificata. 2. Vbi peccare nemo potest. Sicut traditur Cretam insulam omnis expertem veneni esse, nec ferre serpentem: Ita cœlum expers peccati est. 3. Errauit igitur Orig. docens beatos posse peccare; atque Angelos subinde labi. At confirmauit vtrosque Deus, Io. 16. *vt gaudium vestrum sit plenum.*

Sunt impeccabiles beati.

Obvisionem beatificam continuam.

Disceptant Theologi: Vnde fiat, quod Beati peccare nequeant? 1. Scotus. 4. Dist. 94. q. 6. ait, ex solo Dei beneplacito sanctis extrinseco. 2. At *S. Th. 1. 2 q. 4. art. 4.* ait id ex natura beatitudinis prouenire; quę est continua visio diuina; qua ita distinentur beati, vt auertere ad inordinata voluntatem nequeant.

PARS III.

De Societate beatorum.

Beata beatorum societas est.

I. SOcietas sanctis exaggerat gaudium: & illa eorum tanta charitas, tanta virtutum & voluntatum harmonia, securitas, gloria: vt defixi teneãtur in Deo; & in sese inuicem. 1. O consortium! Phocion, Dux Athen. domum proponens venum proclamari iubebat: *Et vicinum habet bonum.* Ita cœlum nobis venale proponitur: quæ autem melior vicinia, quam eiusdem? 2. *Ecce quam bonum & quam iucundũ habitare fratres in vnũ?* Psl. 132. *Et gloria diuersi.*

3. Dequo S. Aug. in Psl. 150. *Habebunt etiam tunc Sancti differentias suas consonantes: sicut concentus fit suauissimus ex diuersis quidem, sed non aduersis sonis.* 4. Quid iucundius, quam tot, tamque diuersos intueri Spiritus, ac ordines? Hinc Psalm. 83. *Melior est dies vna in atriis tuis super millia.* Hinc Isa. 3. *Dicite iusto quoniam bene.* Nota hic breuitatẽ & energiam. 5. Et cur *bene*? Quia Psl. 138. *Nimis honorati sunt amici tui Deus.*

Ex humili alte proue-cti sunt.

Vere *mirabilis Deus in Sanctis*: 1. Nam Psl. 112. est *suscitans à terra inopem, & de stercore erigens pauperem, vt collocet eum cum principibus*, Angelis. 2. Ex humili ad alta prouectus in Perside fuit Mardochæus: Iosephus à Pharaone in Aegypto. Nec ea tamen sors cum Sanctis in comparationẽ venire potest Esth. 6. *Sic, sic honoratur, quem Deus voluerit honorare.* 3. Quantus erat Baptista? Matt. 11. *Qui autem minor est in regno cœlorum, maior est illo.*

Admirandi ac venerandi sunt.

Quid Sabæa, Salomonis aulã visa, quid faris? 3. Reg. 10. *Beati viri tui, & beati serui tui hi, qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam.* Quæ diceres, cognito cœlestis aulæ ordine? An Psl. 48. *Beati, qui habitant in domo tua Domine: in sæcula sæculorum laudabunt te.* An Apoc. 19. *Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt!*

Dei commensales.

Cœna est: quia est vltimum, quod dat Dominus sub vitæ vesperam idemque æternum. 1. Vnde Psl. 16. *Satiabor, cum apparuerit gloria.* 2. Ita nimirum Dauid hinc decessurus filio commendauit: quia filii Berzellai eum fugientem refecerant. 2. *Reg.* 17. *Ipsis* inquit. 3. Reg. 2. *reddes gratiam eorum que comedentes in mensa tua.* Sic & Iesus suos commendat Patri ad beatam æternitatem. Ideo Luc. 22. ait: *Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam in re-*

gnomeo. scilicet instar Angelorum. Nam Matth. 22. *Erunt homines sicut Angeli Dei.*

PARS III.

An eadem sit, aut dispar gloria Sanctorum.

Hæresis Iouiniana & Lutherana

I. CVm *Matth.* 20. idem sub Vesperam datus fuerit omnib. denarius pro labore non eodem: Cumque imperfecta beatitudo sit, quæ minor in vno foret, quam altero, idcirco Iouinianus contendit eam parem omnibus obuenire, nec essent iam diuinam perfectius vni, quam alteri videri. Damnatam orco hæresin: Lutherus euocauit; addiditq; , nec Dei-param cæteris esse beatiorem. Istud impium; hoc etiam blasphemum est.

Et dispar.

At vniuersa negat Ecclesia, paremCœlitum esse gloriam. Ita. *D. Thom. par. 1. q. 12. art.* 6. Idque non, quod alij sint aliis obtusiores, sed quod in viuis charitate fuerint dispares, ideo ab lumine gloriæ sanctis immisso fit inæqualitas, simul tamen abundans cunctis satietas. 1. Hinc, 1. Cor. 9. *Qui parce seminat, parce & metet.* & 1. Cor. 3. *Vnusquisque propriam mercedem recipiet secundum laborem suum.* Per Denarium, ait S. Hieron. l. 2. contra Iouin. D. Thom. 2. q. 5. d. 2. intelligitur obiectum, in quo formalis beatitudo consistit intuendo. Vt in actione videndi Deum sit æqualitas, non in modo perfectionis.

1. Quia scriptū est.

2. Quia dānatorum dispar est pœna.

2. *Ratio prima* Non æqualiter omnes cruciantur eodem igne gehennali, ergo nec perinde glorificantur omnes in eadem gloria cœlesti. Nam contraria contrariorum sunt consequentia. Quia indubitata hic lex iustitiæ diuersis reis pœnas irrogat diuersas, ergo eadem & isthic paria similiter præmia.

Quia beatitudo ordinata est.

Secunda. In bene ordinata ciuitate ordines sunt gradusque hominum officiorum diuersi, at huic conferunt Scripturę beatitudinem. Hinc Ioan. 14. *In domo Patris mei sunt mansiones multæ.* id est, *ait* Aug. varij honorum gradus.

3. Quia beati stellarum sunt similes.

Tertia. Vt stellarum non idem splēdor est omnium; si pariter solem respectent eundem, vnde lumen mutuantur. Ita & Sanctorum. Nam, Dan 12. *Quasi stellæ in perpetuas æternitates fulgebunt.* Et 1. Cor. 15. *Alia est claritas solis, alia claritas lunæ, alia claritas stellarum: stella enim à stella differt claritate, sicut & resurrectio mortuorum.*

4 Figura ostendunt idem.

3. Liquidæ sunt igitur rationes diuersitatis, Figuræ item respondent. 1. Ioseph fratribus epulum præbuit in AEgypto, Gen. 43. *Maiorq; pars venit Beniamin, ita vt quinq; partib. excederet; biberuntq; & inebriati sunt in eo.* Ita Deus in cœlo amanter omnes excipit animas, reficitque abunde. Plus tamē hic diligenti plus ibi rependit. 2. Ioseph idem Oeconomus AEgypti in cunctos victum dispensabat, at fratribus demum singulis stolas addebat binas, Beniamino etiam quinas, ac insuper 300. argenteos. Ita Deus cuique stolam gloriæ dat corpori, alteramque animæ Sed plus merenti plura adiunxit, ac citra inuidiam.

PARS IV.

De aureola.

Gen. 28.

I. ESt igitur ea diuersitas, qualis in Scala Iacob erat graduum. Exiitque illa cum ab intrinseco Sanctis principio, à sua ipsorum dispositione per charitatem viæ, cui par est & charitas patriæ, tum ab extrinseco, meritorum scilicet cuiusque, quæ charitatis sunt fructus, cui par & gloriæ gustus est.

Aureola afferunt diuersitatem gloriæ.

2. Adhæc prouenit diuersitas ex Aureolis Sanctorum. i. prærogatiuis Martyrum, Doctorum, Virginum. &c. Essentialis quidem par cunctis est beatitas: quę Corona dicitur. 2. Tim. 4. *In reliquo reposita est mihi corona gloriæ.* Iac. 1. *Accipiet coronam vitæ.* 1. Pet. 5. *Immarcesibilem gloriæ coronam.*

nam. Apoc. 4. Stantes coram Agno. 24. seniores, gerebant coronas easdem. Accidentaria est alia, quæ idcirco coronula dicitur, seu aureola, operib. data supererogationis, aut excellentiæ. Talia præcipue tria Operum sunt genera ; quia Victoriarum sunt tria, quibus donãtur aureolæ: Vt sunt Martyrum, Doctorũ, Virginum: Sicut tria sunt Hostium; quibuscũ pugnanda est: Caro, Mũdus, Dæmon.

1. Est Virginum. 1. Eu promissum Victoriæ de carne Is. 56. de Eunuchis: *Dabo eis nomen melius à filiis & filiabus.* Vbi Glos. Propriam gloriã excellentiamque significat.

2. Martyrum. 2. Victoria de mundo est Martyrum, qui eo despecto gloriam Dei prætulerunt cum vitæ iactura. Quod si igitur Virginitati sua est aureola, quanto magis Martyrio? Aug. l. de sanct. Virg. *Nemo quantum puto, ausus fuit præferre Virginitatem Martyrio.*

3. Doctorũ. 3. De Doctorum victoria aduersus Satanam, Glos. in istud Eph. 1. *Vt sciatis, quæ sit supereminens*, &c. inquit: *Quoddam incrementum habent S. Doctores vltra id, quod alii communiter habebunt.* In istud Can. 8. *Vinea mea coram me est*, ait. *Ostendit, quid singularis præmii Doctoribus eius disponit.* Dan. 2. *Qui autem docti fuerint, fulgebunt sicut splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.*

II. Alii tres aureolas tribus applicant potentiis animæ, & cuiusque proprio actui, sed insignius præstito. Nam potentiæ intelligibilis actus eminens est fidem docere: Irascibilis, pro Fide zelari, Concupiscibilis, carnem edomare. Hæc ob oculos fuisse reor Apostolis, cum percunctarentur Mat. 18. *Quis putas maior est in regno cœlorum?* præ cæteris excellentius quid expectarent.

PERORATIO.

Est igitur cœlestis gloria, qualis cella Principis, in qua vasa sunt maxima, media, minima, vini optimi plena singula, vt nullum desideret quicquam. Ita Cant. 2. *Introduxit me Rex in cellam vinariam.* Neq; ego solum *satiabor cum apparuerit gloria*, sed, *& biberunt, & inebriati sunt in eo* omnes. Atq; ista *memorare nouissima tua.* &c.

CONCIA QVARTA.

De gloria ex visione beatifica.

REgina Saba, 3. *Reg.* 10. cum quantouis fastu regio inuecta Ierosolymã, ampliorem tamen maiestatem rerum omnium in regia Salomonis vidit, vt attonita miraculo semianimis corrueret. Ita quantiscunque hic admirabiles gratiis Sancti ex humanis decedant inuecti tamen in cœlestem Ierosolymam, ea vident, quibus absorpti teneantur Deique, suique admiratores.

Qua supra re nos

I. Ad quam animæ partem referenda sit potius beatitudo.
II. Quomodo fiat Dei Visio beatifica.
III. De gaudio beatorum.
IV. De scientia earundem.

PARS I.

Ad quam animæ partem referenda sit potius beatitudo.

I. QVod sapientiæ specimen dabat Salomon, erat iudicium duabus vnam sibi prolem vendicantibus, 3. Reg. 3. *Diuidite infantem viuum inquiebat, & date dimidiam partem vni, & dimidiam partem alteri.* Ita nunc intellectu, inde voluntate sibi vendicante beatitudinem vtri eam vt matri adiudicabimus.

Scotus contendit eam in operatione voluntatis consistere. 1. Quia Bonum est voluntatis obiectum: sed beatitudo est summum bonum, ergo hæc ad ipsam pertinet. 2. Beat. referri debet ad actum perfe-

perfectissimũ, sed hic est charitatis quæ à volũtate descendit: ergo ad hanc quoque pertinet beatitudo. 3. Scriptura ipsa hanc refert ad summam animæ voluptatem: vt Matt. 25. *Intra in gaudium Domini tui.* Psal. 25. *Torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Atque voluptas pertinet ad voluntatem: ergo & beatitas.

Non, sed intellectus actu.

II. D. Thomas docet eam ad actum intellectus referendam esse. 1. Quia beatitudo est adeptio vltimi finis: Sed hunc prius percipit intellectus intelligendo, quam voluntas desiderando; (hæc enim non fertur in incognitum: sed in cognitum prius ab intellectu.) Ergo beatitudo per prius & potius pertinet ad intellectũ. 2. Præstantissimi obiecti gloria debet referri ad præstantissimæ potentiæ actum: sed hic est ipsius intellectus, Ergo. Nam intellectus est director voluntatis; ergo præstantior. 3. Fauet Scriptura. Ioa. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te verum Deum.* 1. Ioan. 3. *Scimus, quoniam cum apparuerit, similes illi erimus, & videbimus eum sicuti est.* Atqui *Vita æterna*, & *Videre Deum* est ipsa beatitudo. Ergo.

Imo in vtriusq; operatione.

III. Inter hanc vtramque sententiam, imitatus Salomonem, sic discepto. *Diuidite, & date mediam beatitudinis partem actioni voluntatis, & mediam actui intellectus.* 1. Ita SS. Patres, Aug. Greg. Naz. Ambr. &c. 2. Ita Scriptura sacra. Ps. 35. *Torrente voluptatis tuæ potabis eos*, Et, *in lumine tuo videbimus lumen.* Psal. 33. *Gustate, & videte*, id voluntate, hoc intellectu.

Præcipue vero in intellectu.

S. Scriptura tamen vt plurimum stat cum Diuo Thoma. cui accedo, sto, consto. 1 En & Paulum. 1. Cor. 13. *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.*

Figura.

2. Sicut, *Exod.* 34. Moysis facies consistentis in Sinai, quibat inspici, at vbi descenderat obnubi oportuit. Ita hic Dei faciem per velamen cernimus, at in mõtibus æternitatis cernemus reuelatam. 3. Labano pecorum prædiuiti, *Genes.* 29. filiæ erant duæ; Lia fœcunda, at lippa, & Rachael formosa. Iacob hanc deamabat, proque hac seruiebat. Laban autem Lia supposita causabatur, non moris esse iuniores dare prius nuptui. Ita Deo est Fides, & Visio beatifica. Nos seruimus pro hac, at illa prius hic datur lippa, sed fructuosa, demum hæc nobis coniugio stabili iungetur. Isaac *Genes.* 24. prius munera, inque his inaures misit ad Rebeccam, quam eam fore sponsam cognosceret; Ita nobis fidem Deus iam dat, *quæ ex auditu est.* Roman. 10. datque & dona alia. Demum ipsam animam amplexabitur idem conspicuus illi. 5. Hinc Isai. 33. *Regem in decore suo videbunt oculi eius, & cernent terram de longe. Respice* anima, *Sion ciuitatem solennitatis nostræ, Oculi tui videbunt Ierusalem opulentam tabernaculum, quod nequaquam transferri poterit, nec auferetur clauis eius.* 6. Isa. 60. *Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor lunæ illuminabit te, sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam.* Ergo *memorare* hæc *nouissima tua, & in æternum non peccabis*, intellectu cæco falsum pro vero apprehendendo; & voluntate peruersa malum pro bono appetendo.

PARS II.

Quomodo fiat Dei visio Beatifica?

Hæresis Deum non videri.

I. ALmaricus, & Abailardus; item Armeni hæretici pertenderunt, ab creatura diuinam essentiam nunquam videri posse, sed illius duntaxat radium. Nitebantur istis. 1. Ioann. 4. *Deum nemo vidit vnquam*, 1. Tim. 1. *Inuisibili soli Deo.* At respondet S. Gregor. *Deum nemo vidit vnquam*, In hac vita, *S. Thomas*, visione comprehensibili, qua seipsum nouit Deus, *Ambros.* viribus naturæ solis. *August.* oculis corpo-

corporalibus. Alioquin videtur. Quia Mat.5.*Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Matth. 18. *Angeli eorum semper vident faciem Patris.* At Matth. 22. *Omnes erimus sicut Angeli* & Ioann. 3. *Videbimus eum sicut est* & Apoc.22.*Serui eius seruient illi, & videbunt faciem eius.*

II. Iam quomodo potest infinitus ab finito videri? Hic sit mihi concionator, qualia animalia Ezechielis c. 1. Habeat & pedes, ad alta pro captu vulgi explicanda pedestri, vt aiunt, oratione, habeat & alas, ad alta digne, planeque, pertractanda. Alioquin

Ludere qui nescit, cãpestribus abstinet armis.

Quis modus intelligendi humanus.

Quare sciendum. Sensus obiecta comprehendunt non ipsa, sed eorum species sensibiles, vti speculum. Intellectus vero eam apprehendit per species intelligibiles. Sic tamen, *vt nihil sit in intellectu, quod prius non fuerit in sensu.* Est enim intellectus vt charta virgo. Pura non tincta, tabula rasa, Arist. 3. de anima. Nam vt hæc omnium colorum, sic is omnium formarum est capax. Sed *intelligentem oportet phantasmata speculari.* Sunt enim sensus vt exactores regij, qui discurrunt, colligunt singula, adq; communes vnius Quæstoris rationes inferũt, nimirum ad sensum communem, qui constat ex Imaginatiua, Aestimatiua, & Phantasia. Hic eæ rursus per intellectum Agẽtem recensitę inferuntur in Arcam Regis Intellectus, qui eis, cum volet, vti potest.

Modi duo videndi Deum. Primus, Deũ videri per species, reiicitur.

III. Hinc ad Deum isthic videndum, opus est, Vel vt intellectui immediate sit vnitus, Vel mediante specie essentiæ eiusdem.

Atqui impossibile est dari speciem, quæ omnia infinita infiniti Dei repræsentent vlli creato intellectui. *Ratio* 1. Quia quicquid supra communem naturæ ordinẽ est, videri per inferiorem similitudinem nequit. Sic S. Dion. l. de diu. nom. c. 1. Ergo nec increat⁹ & infinitus Deus ab Creato finito. 2. Quia nulla potest dari species par obiecto infinito quod illa repræsentet. ergo. 3. Species repræsentans semper esse repræsentata re spiritualiõr debet, at nil est simplicius Deo: ergo & eius species dari nequit.

Alter Immediate videri probatur.

Quare videtur Deus sic, dum se ipse immediate vnit intellectui beato, sine formis, sed per modum earum. 1. Sicut ignis seipsum, non per sui species se vnit ferro, vt incandescat, nec ferrum esse videatur, sed ignis, totumque exæruginetur. 2. Nam Hebr. 12. Deus noster ignis consumens est, O felix quasi Deificatio! 3. Hinc 1. Ioann. 3. *Cum apparuerit, similes ei erimus.* Et 2. Petr. 1. *Vt per hoc efficiamini consortes diuinæ naturæ.*

At opus vt animæ potentia eleuetur supra se à Deo.

IV. Verum huc & istud necessarium est, vt Deus Lumen gloriæ roboret, ac eleuet animæ intelligentiam, quo creaturæ Creatori quodammodo proportionetur. Nam ita Psal. 35. *In lumine tuo videbimus Lumen* essentiæ. 2. Deus est Sol, ex se visibilis, at ex nobis inaspectabilis, ob infirmitatem nostram. 3. Ideo Aristot. ait in diuinis oculos nostros esse noctuarum. 4. Quare vt qui noctu per pratum iret floribus omnigenis vernans, non eos æstimaret, quia nesciret? ac diluescente die vno obtutu cerneret omnia & obstupesceret. Ita beati ex se sunt in tenebris, at ex Deo sunt in lumine, quo adiuti visione beatifica perfruuntur. Et *hæc est vita æterna, vt cognoscant te Deum verum* Ioan. 17.

PARS III.

De gaudio beatorum.

I. VIsionis beatæ excellẽtia consistit in duobus, in Gaudio, & Cognitione. Gaudium est infinitum, exsatians, & tamen accendens vsque desiderium videndi. De hoc, vt de epulo loquitur Do-

minus Luc. 22. *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo.* Ezech. 34. *In pascuis vberrimis pascam eos.*

Confertur gustatui: Cur;

I. Nam gustus delectat. Offerantur famelico odores, colores, virgines, harmoniæ. &c. & cibi, his ille tenebitur, istis neglectis. Vtrumque in beatis est Saties, & Fames, vtraque *delectantur in multitudine pacis.* Psalm. 37. 2. Per gustum arcta fit vnio cibi & cibati, imo conuersio in substantiam, quale per nullum alium fieri constat. Istud orat Dominus Ioa. 12. *Rogo te Pater, vt omnes Vnum sint. sicut tu Pater, in me, & ego in te: & ipsi in nobis vnum sint.* O Diuinam vnionem!

Describitur ab SS. Patribus.

II. Qualia S. Patres. 1. August. 10. Ciu. c. 18. *Visio Dei tantæ pulcritudinis visio est, & tanto amore dignissima, vt sine hac quibuslibet alijs bonis præditam, atque abundantem non dubitet Plotinus infelicissimum dicere.* In Soliloqu. *O gaudium super gaudium vincens omne gaudium: extra quod non est gaudium.* Quando intrabo in te, vt videam Deum meum, qui habitat in te? 2. Bernard. in medit. c. 4. *Præmium est videre Deum, qui erit omnia in omnibus.* Eia Matth. 25. *Intra in gaudium Domini tui.*

Desideratur à Prophetis.

1. Dic ergo Psal. 16. *Faciem tuam Domine requiram.* Ps. 41. *Quando veniam, & apparebo ante faciem Domini?* Psal. 79. *Ostende faciem tuam, & salui erimus.* 2. Hoc vnicum & in votis erat Moysi: Exod. 33. *Domine, ait, si inueni gratiam in oculis tuis, ostende mihi faciem tuam.* 2. Hoc vouebat sponsa Cant. 2. *Ostende mihi faciem tuam, facies enim tua decora.* 4. Quin ita Dominus Moysen docuit: Num. 6. *Loquere Aaron & filijs eius sic benedicetis filijs Israel, & dicetis eis: Benedicat tibi Dominus, & custodiat te: ostendat Dominus faciem suam tibi, & misereatur tui.* Adeo omnis retro ætas, quæ Deum agnouit, eius quoque faciem requisiuit.

Figuræ seu

Aduolauerint Reges videre faciem Salomonis, cui vis occulta inerat, quæ omnes distineret: 2. Par. 9. At Deus est, 1. Pet. 1. *in quem desiderant Angeli prospicere.* Iacob suum diu suspirans Iosephum, vt ad eum descendit in Aegyptum, visoq; ait: Gen. 46. *Iam lætus moriar, quia vidi faciem tuam.* Quis viuere hic desideret præ Dei videndi desiderio? Absolon, à patre ad biennium exclusus, acerbe indoluit. Ideo per Ioab sic obsecrat, 2. Reg. 14. *Obsecro, vt videam faciem Regis. Quod si memor est iniquitatis meæ, interficiat me.*

comparationes.

PARS VI.

De scientia beatorum.

Ea est scientia.

I. IAm de rerum notitia, pariter cum gaudio percepta quid dicam? In Deo vno vident, sciuntq; omnia prophetica, figurata, Euangelica mysteria. Naturalia omnia. 1. Regina Saba sapientissima de multis dubitabat. Audit Salomonem, illustratur mirifice: 3. Re. 10. *Nec quicquam fuit, quod non perspicuum ei fuerit.* At quid isthoc ad Beatam Visionem? Atque hæc consolatio vobis, rudioribus & rectis corde, requiescat in sinu vestro, si vultis, durate, breui scire in Deo potestis omnia. 2. Fingant Poetæ, qui in Parnasso monte somniassent, derepente poetastros euadere: Nos hic nihil fingimus. Docemus quod credimus.

Bene S. Greg. *Quid est, quod non videant, qui videntem omnia vident?* Sic August. 1. de doct. Christ. *Ad illam lucem cum veniemus, nihil est quod nesciamus.*

Sed sola scientia visionis.

II. Attamen id Theologi cum grano distinctionis docent: Nimirum beatos scire omnia, quæ Deus *Scientia visionis*, id est, præterita, præsentia, futura: At non quę *scientia simplicis Intelligentiæ* nouit Deus, id est, quæ posset adhuc facere, etsi nunquam sit facturus. Et isto superat Deus scientiam Creaturarum.

1. Hinc

1. Hinc S. Scriptura docet, Angelos aliqua ignorare; tametsi Deum intueantur. 2. Hinc superiores insinuant inferioribus. 3. Et S. Patres docent Angelorum scientiam vsque ad extremum iudicium crescere.

Qua late patet. Denique *August. 11. Ciu. c. 2. & l. in Genes. 22.* duplicem constituit Angelorum, (similis & Beatorum est.) scientiam. *Matutinam*: qua norunt omnia in Verbo. *Vespertinam*, qua eadem in seipsis norunt per formas proprias intelligibiles. Beati quoque videndo Deum, simul & res creatas vident, penitusque pernorunt, tanquam effectus in causa omnium, quæ est Deus, vnde dependent. Atque ita etiam voluntas in omnibus delectatur. Vnde Psal. 16. *Satiabor cum apparuerit gloria tua.*

CONCIO QVINTA.

De gloria corporum beatorum.

MOyses, *Exod. 15.* cum in monte Sinai cum Deo secretius egisset, tali & gaudio & gloria mens eius perfusa fuit; vt quoq; per faciem emicaret, ad instar Solis relucentem. Quid eo, nisi glorificati corporis data figura fuit?

Circa quod nos

I. De glorificatione corporum.
II. De resurgentium corporum perfectione.
III. De quatuor dotibus corporum glorificatorum.

PARS I.

De glorificatione corporum.

Est ea de fide. I. EAdem fide & animarum beatitatem, & gloriam credimus corporum. Par est enim, vt compassa, inediis, castigationibus, ærumnis emacerata corpuscula etiam conglorificentur. 1. De quo Iob. 17. *Scio, quod redemtor meus viuit, & in nouissimo die resurrecturus sum, & circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum Saluatorem meum: quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt. Reposita est hæc spes in sinu meo.* q. d. Non vlcerosus semper in fimeto sedebis: oculi non vsq; lacrymis diffluetis: lætiora sequentur. &c. 2. Ita & Psaltes se consolabatur, Ps. 29. *Concidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitia.* id est, circundes me Deo ipso, Angelis, Diuis.

Declarantur Figuris & Scripturis. II. Mardochæus, *Esth. 2.* lugebat in sacco cubans humi, ac ieiunans carnem macerabat. At hoste sublato, Secundus à Rege fulgebat purpura, corona, annulo, &c. Ita, qui nunc patiuntur, *mortui resurgent incorrupti: & nos immutabimur. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem*, 1. Cor. 15. vt assumpti in aulam coram Rege appareamus. 2. Dauid quamdiu cum Golia decertauit, pastore indutus erat: at eo deuicto Regis generum sese cultu gerebat: Ita nos vili corporis lacinia tecti cum passionibus &c. depugnamus: & Phil. 3. *Saluatorem expectamus, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ, secundum operationem quæ possit etiam sibi subjicere omnia.* 3. Arca, quo vsq; in deserto errabat cum populo, pellibus contecta seruabatur. *Exod. 38.* At in Salomonæum illata templum iam intus, foris q; puto auro incrustabatur media stans inter Cherubinos. Et nos pelle vestiti *peregrinamur à Domino, in melotis, in solitudinibus errantes*: spe futuræ gloriæ choros inter Angelorum.

Obstabunt delicta? Ea diluit pœnitentia. En prodigum: *Luc. 15.* è longinqua regione redux, lacer ac macer; sui pœnitès, Patri supplex susscipitur, penula exuitur pannosa, stola induitur glorioſa, epulo tractatur. Nostræ is sortis est typus geminæ: miseræ hic errantium, ac peccantium: beatæ isthic miserciorditer susceptorum. Ibi ecce Apoc. 7. *amicti stolis albis.* S. Ioseph fratribus in Aegypto fru-

mentantibus ſtolas binas dedit ſingulis: *Gen.* 45. Ita Deus cœlum ingreſſis corpus, animamque glorificat.

PARS II.

De reſurgentium corporum perfectione.

Erit reſurrectio.

I. REparata, rediuiuaque corpora defunctorum apparitura Deo fides dubitare non ſinit. Diu condita ſepulchro, luci reddentur glorioſa. 1. Vt Ioſeph. *Gen.* 41. ex biennali carcere imo productus ad ſumma omnia.

Et capillorum quoq; reſtitutio.

Nec è puluere ſolum exiſtent reſtituta corpora; ſed omnibus etiam numeris perfectiſſima 1. Nam Luc. 21. *Capillus de capite veſtro non peribit.* 2. Barba enim & capilli, ait *S. Thom.* 3. *q.* 80. *art.* 2. ad humani corporis decorem ſunt data, ideoque reddentur ablata. 3. Vel pueri norunt caluitiem probro dari, qui 4. *Reg.* 2. Eliſęum ab ea ludum ſuum faciebant. 4. Qualia enim in arboribus ſunt folia ad defenſionem fructuum, talia in hominibus vngues, & capilli, cilia, & ſupercilia.

Atque humorum corporis.

Idem de corporis ſucco, venarumque humorib. iudicium eſto. 1. Quia quodcunque ad corporis fabricam pertinet, cum ipſo quoque reſurgere debet. Sed iſta: ergo. 2. Nam ſic Auguſtinus, *Corpus conſtat ex membris officialibus, officialia ex cõſimilibus, conſimilia ex humoribus.* 3. Quid multa? Quale Chriſti reſurgentis Corpus fuit ac permanet; tales & nos erimus beati: Nec enim Dominus, vt Ioa. Damaſcenus ait, quod ſemel aſſumſit, vnquam dimiſit: alioquin de nihilo in Euchariſtia aſſereretur Tranſſubſtantiatio.

Sine carnis moleſtia & indigentia.

Iſtud vero 1. Cor. 2. *Caro & ſanguinis regnum Dei non poſſidebunt*: de carnis operibus accipias neceſſe eſt: de quibus Gal. 5. *Manifeſta ſunt opera carnis.* Nã, Mat. 22. *in cœlo neq; nubẽt, neque nubẽtur*: Ita nec dormitio erit, nec nutritio, vel alteratio carnis.

Coſta autem Adæ, è qua Eua extitit, reſurget in Eua; non in Ada. Quia in Ada non erat de perfectione indiuidui; Sed vt pars à Deo ad augmentum ſpeciei conſtituta. Ea igitur reſurget velut ſemen ingenerato; non in generante.

Sine defectib. membrorum.

II. Neque claudi, cæci, aut quoquo modo defectuoſi ita reſurgent. 1. Prohibet hoc Deus ſicut, 2. *Reg.* 5. Dauid, ne claudus vel cæcus templum ingrederetur 2. Noluit item Deus, *Gen.* 21. *Deut.* 15. ab habẽte næuum panes propoſitionis offerri, vel miniſterium vllum attingi, aut defectuoſum intra velum introire: minus in cœlum. 3. Hic non claudicabit Iacob, non caligabit Iſaac, non cæcutiet Tobias: ſed Iſa. 35. *ſaliet ſicut ceruus claudus.* 4. Chriſto in carne veniente cæci videbant, claudi ambulabant: magis eo in gloria venturo. 5. Iſraelitis Aegypto exeuntibus nullus erat debilis, minus quiſquam armatorum; qui erãt 600000. Pſ. 104. Non erat in tribubus eorum infirmus. 6. Ita, Apoc. 7. *Qui venerunt ex tribulatione magna, & lauerunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni: ideo ſunt ante thronum die ac nocte in templo eius: neque eſurient, neque ſitient amplius, neque cadet ſuper illos ſol, neq; vllus æſtus, abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.* 7. Iſa. 25. *Præcipitabit mortem in ſempiternum, & auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie.*

In quo ætate perfecta.

III. Quin & eadem in ætate reſurgemus omnes. 1. Eph. 4. *Occurremus omnes in virum perfectum, in menſurã ætatis plenitudinis Chriſti.* Pſal. 102. *Renouabitur vt Aquilæ iuuentus mea*; quaſi foret in ætatis anno 30. iuxta Auguſtinum. D. Th. 4 ſent. diſt. 44. q. 1. art. 5. & p. 3. q. 81. art. 2. Itaque par omnium ſtatura erit, non tamen eadem in qualitate corporis.

Ita conſolantur in aduerſis, & aſperis. Ita Auguſt. in Enchir. *Frangant ergo corpus ieiunia, premant carnem veſtimenta, labores gra-*

grauent vigiliæ exsiccent, &c. infletur stomachus, palleſcat vultus, deficiat in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus, ingrediatur putredo in ossibus meis, & subter me scateat vt requiescam in die tribulationis, & ascendam ad populum accinctum nostrum.

PARS III.

De quatuor dotibus corporum glorificatorum.

DOtes glorificati corporis præcipuè sunt quatuor. 1. IMPASSIBILITAS 1. Cor. 15. *Seminatur in corruptione, & resurget in incorruptione.* Quicquid enim pati, idem & corrumpi potest. Sed non corrumpentur: ergo nec patientur glorificati. 2. Dein fortius non patietur ab inferiori; at Sanctorum corporibus nullum erit fortius: Nam 1. Cor. 15. *Seminatur in infirmitate, resurget in virtute, & potentia.* 3. Bene S. Anselmus ait. Sancti etiam Samsones robore vincent. 4. Gloriabatur Archimedes; Si pedem extra mundum ponere posset; se terram pede propulsurum vt globum. Vanum hoc: at verum Sanctis terram instar pilæ futuram. 5. Quod si igitur Dei nutu Israelitarum vestes intra 40. annos peregrinationis illæsæ durarunt, quanto magis Sanctorum corpora in patria? 6. Plane quæ immunia sunt à morte Duce, etiam ab eius satellitio morborum, dolorum, & accidentium sunt securi.

Ast vnde ea existet impassibilitas? 1. Non quod elementa tunc aduersantes suas qualitates corruptrices sint perditura: quia sic forent, quam modo imperfectiora, ac plusquam emasculata suis Propriis. 2. Alii fingunt non adimendas iis qualitates; sed actiones earum corruptrices. At ita adimunt intrinsecum dotem impassibilitatis corporibus glorificatis. Nam sic etiamnum esse impatibiles possumus. 3. Alii quintam essentiam affingunt glorificatis. Absurde. Non enim vis vlla naturalis corpora solidabit: Sed Ipse Deus *reformabit corpus humilitatis nostræ*, Phil. 3. munere diuino.

4. Quare in ipsis causa inerit corporibus, quia tam examussim parebūt animæ suæ, quam hæc Deo. Nam axioma est Philosophorum: Omnis passio fit per victorias agentis super patiens: Atqui hominum corpus soli erit animę subiectū, cunctisque creatis cæteris superius: ergo & fortius: proinde & inuictum.

II. SVBTILITAS omnium penetratiua, etiam cœlorum. Nam 1. Cor. 15. *Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale.* Id ostendit IESVS resurgens clauso sepulcro, & clausis intrans ianuis. Sequitur igitur subtilitas ad nobilitatem corporis. Hæreses ex ea natas nil moramur. 1. Fuerunt enim, qui corpora in spiritus conuertenda dicerent, nec ipsa resurrecturа. 2. Alii subtilitatem eam fore corporum rarefactionem instar venti: At contra Luc. vltim. *Spiritus carnem & ossa non habet.* Iob. 19. *In carne mea videbo Deum.*

III. AGILITAS. 1. Nam 1. Corinth. 15. *Resurget in virtute:* Vbi Glossa ait, *mobile, & viuum.* 2. Quia tarditas est inimica spiritui: atqui corpus perfecte erit subditum spiritui: ergo non tardum. 3. Nam ex anima beata vis redundat in corpus, per quam sit ei tam integre subiectum, vt nil eius vim motricem retardet. 4. Hinc Sap. 3. *Sicut scintillæ in arundineto discurrent* Ezech. 1. *Ibant, & reuertebantur instar fulguris.* Isa. 40. *Assument pennas sicut aquilæ, current, & non laborabunt: volabunt, & non deficient.*

5. Si enim intelligentiæ, vt Arist. ait, vt nos, Angeli cœlorum orbes tanta celeritate impellant, vt dictum Concio. 2. p. 5. cum quanta animæ ferent sua corpora cœlis subtiliora? 6. Angelus Aba-

cucum, *Dan.* 4. momento transtulit cum prandiolo ex Iudæa in Babylonem per 500. milliaria. 7. Bene Augustin. *Vbi volet Spiritus, ibi erit & corpus.*

Neque eum tamen motum instantaneum contra Philosophos asserũt Theologi, sed tam contentum, vt nihil supra. Non simul mouentur & mota sunt: sic enim simul essent in termino à quo & ad quem, id est, duobus locis simul eodem instanti.

IV. CLARITAS. 1. Nam Matth. 13. *Fulgebunt iusti sicut sol in regno Patris mei.* Sap. 3. *Fulgebunt iusti, & tanquam scintillæ, &c.* 2. Dan. 12. *Qui docti fuerint fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* 3. Chrys. hom. 6. *in ad Hebr. Vnumquemque Sanctorum plusquam radios solis videbimus refulgentem ex illa gloria, cuius candorem & coruscationes oculus humanus non potest aspicere.*

Ex anima autem in corpus redundabit is splendor. Testis *Matth.* 17. Thabor in a transfiguratio.

Quid si corpora Sanctorum ab istis dotibus essent ipsos angelos superatura? 1. Sicut *Genes.* 45. Ioseph fratribus quidẽ singulis & stolas binas, & partes in epulo æquas; atquinas iuniori dedit Beniamino: Ita Deus hominibus nato minoribus, quam Angelis, dotes dabit corporis, quas Angelis negabit. 2. *Tunc apparebit quid erimus.* Iam enim corpora sunt, vt arbores in bruma: quarum vigor ac decor, in vere ostenditur. Hæc igitur *memorare nouissima*: vim permagnam habent ad consolationem, &c.

CONCIO SEXTA.

Rerum mundi cum cœlestibus comparatio.

ELias, 3. *Reg.* 19. vixdum scintillam de gloria Domini viderat; cum pallio vultum obnubere cogebatur. Ita qui aliquem gloriæ cælestis gustum, vel odore procul percepere, continuo auerterunt *oculos* suos *ne videant vanitatem* mundi.

De quo nos in præsens

I. Vilescunt terrena præ cœlestium præstantia.
II. De rerum fluxarum transitu, ac inopia.
III. De earundem delusione ac tabe.
IV. Per aduersa tendendum ad supera esse.

PARS I.

Vilescunt terrena præ cœlestium præstantia.

ERgone ab Ethnico monebimur Cicerone; qui ait: *Cogitantes supera, atque cœlestia, hæc nostra exigua & minima contemnamus.* 2. Ita & Palladius in dial. de S. Chrysost. ait, Christianus, qui ad cœlestem anhelat Ierusalem, mori optat, terrena spernit, & mente in cœlestibus ambulat. 3. Phil. 3. *Nostra autem conuersatio est in cœlis.* *Cœlestia sunt quærenda.*

Et hæc ô quantarum est deliciarum? 1. Gustarat Paulus, simul omnem mundi gustum perdiderat: ad superna aspirabat. Philip. 1. *Cupio dissolui & esse cum Christo*, etsi dissectus in mille partes dissoluerer. 2. Et Psaltes, 119. *Heu mihi! quia incolatus meus prolongatus est, multum incola fuit anima mea.* q. d. *Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?* Psalm. 41. Nam tunc *satiabor, cum apparuerit gloria eius.* Ps. 16. *Quia præ dulcia.*

Iure quæritur auide. 1. Nam Matth. 13. *Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, quem qui inuenit homo, vadit, & vendit omnia quæ habet, & emit illum.* O latum, & feracissimum agrum! Aliud ibidem simile de margarita declarat idem. Ergo Luc. 19. *Negotiamini vsque dum venio.* *Regificæ.*

Alex. Magnus audita Indiæ opulentia, sua regna cætera inter amicos diuisit, vt ad Indicum acquirendum fidam sibi *Et opulenta sunt.*

sibi præstarent operam, ac miranti Hephæstioni ait: Opes Indiæ regnis meis præualent cunctis. Ita, quæ hic sunt tanta, iis omnibus præstantiora sint cœlestium minima? 2. Testis est *Iul. Cæsar lib. 1. de Bello Gall.* Heluetios comperta Galliæ fertilitate, sic illius exarsisse desiderio; vt & sedes suas reliquerint, & exusserint quoque, ac vrbes mœnibus nudauerint; ne spes cuiquam foret reuertendi. Sicque signa in Gallias intulerunt. Iam cum *regnum cœlorum vim patitur* libenter, quin hanc illi & nos facimus heluetice, id est, heroice? Huc facit hoc: *Memorare nouissima &c.*

PARS II.

De fluxarum rerum transitu ac inopia.

Mundus transit. I. FLuxa pereunt terrena; cœlestia perennant, ideoque incomparabilia sunt vtraque. Nam 1. Ioann. 2. *transit mundus, & concupiscētia eius.* Vt fumus sunt Monarchiæ, Colossi, Reges, Cæsares, Hercules, Samsones, Salomones, Absolones, Epulones Luc. 16. *Et sepultus est in inferno.* Psalm. 36. *Vidi impium eleuatum, & exaltatum sicut Cedros Libani, transiui & ecce non erat.*

Implicat suos & curis. 1. Est mundus vt mulus Absolomi: insessores suos Deo rebelles vt vexit vsque ad fatalem ambitionis arborem, eique desideriorum capillis inhærere sentit; pertransit heropendulo relicto. Qua re 1. Cor. 7. *Hoc dico, vt, qui mundo vtuntur, tanquam non vtantur, præterit enim figura mundi huius.*

Et vanis opusculis. 2. De mundanis ait Isaias 59. *Telas araneas texuerunt*: ita se, vt araneæ, euiscerant fragili honorum, opum, &c. tela texenda, qua muscæ captantur. 3. Aedificant stolidi in arena, *Matth.* 5. & domus leui turbine æquatur solo.

Ac hisce mox ruituris. II. Sapienter itaque Ioseph, *Gen.* 40. qui tametsi tota potiretur Aegypto, fundos tamen nullos sibi, posterisue parare volebat; quod olim emigraturos inde sciret Israelitas, iubente Deo. 2. Ita & Daniel, etsi quinque Reges in babylone consilio direxisset; noluit tamen ibidem sibi domicilium figere; quod eum perpes eius spes ac suspiratio in patriam non sinebat. *Ergo fugienda possessio eius.*

At vero cœlum æternat, eiusque diuitiæ infinitæ: de quo bene sponsa: Cant. 1. *Tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cypressina:* quod vtrumque ligni genus nec cariem sentit vnquam, nec vitium. *At cœlestia æternant.*

Mundi pusillitas. III. Mundus autem ad cœlum est instar puncti mathematici: vt fictam eius magnitudinem admirentur ij, qui cœli non æstimant pretium. 1. Scintillæ videntur stellæ: terra si dimidiata in distantia cerni posset, minor appareret. 2. Iam deludimur terræ vana magnitudine: quia *sensibile supra sensum positum non facit sensationem*; aiunt Philosophi, oculos in terram affigimus. Si pauxillum abstraheremus, iam ipsum despueremus impostorem: diceremusque Psalm. 39. *Beatus vir, cuius est nomen Domini spes eius, & non respexit in vanitates & insanias falsas.*

Et inopia rerum. IV. Iam diuitiæ mundi cœlestiū comparatione inaniæ sunt & inopiæ meræ. Harum creatio sextiduo perfecta fuit, totaque supellex eius curta capite vno recensita ab Mose. Summa breuis, quia res pauca. Ampullator ille mendax, *Mat.* 4. momēto ostēdit, edixit verbo: *Ostendit* autem *omnia regna mundi & gloriam eorum.* Pauca verba egent paucis.

Quas mutuas sumit carens proprijs. Diues est qui suo viuit censu, non alieno: pauper, qui in diem victitat, & mutuato. Mundus proprium habet nihil, aquam sumit à mari, à cœlo pluuias, calores à sole, &c. sumit mutuo. At propria possidet cœlum, & omnia, Psal. 3. *Gloria & diuitiæ in domo eius.*

In

In Naami domo aderant diuitiæ, sed & miseriæ, non gloria. In epulonis domo diuitiæ, sed & ignominia. At in cœlo ea sunt, ac tanta, quæ effari nemo queat.

PARS III.

De rerum mundanarum tabe ac delusione.

Mundus rerum imposturis deludit.

RE s sunt mundo, sed cum fluxæ, tum fucatæ. Dum teneri videntur, dilabuntur, dum satiare putantur; sitim accendunt. Hydropisis hæc est, & vtinam sola, nam sæpe coniuncta cum peste est. 1. Vtraque æstuabat Alexand. Magnus. Nam

Vnus Pellæo Iuueni non sufficit orbis.

Alia vrebatur siti Psaltes 41. *Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?* q.d. Ex cœlo fons die veni. Huc vocat Isaias cap. 55. *Omnes sitientes venite ad aquas.* Hæ sine satie satiant, & sine siti sitiuntur.

2. At mundus est vt Heliogabalus Imper. Roman. qui ad epulas vocauit Rom. quibus mere pictos apponebat cibos. Non sic Dominus: 1. Ideo Psal. 106. *Confiteantur Domino misericordiæ eius, & mirabilia eius filijs hominum, quoniam satiauit animam inanem, & animam esurientem satiauit bonis.* 2. Vidit illa bona tantum Petrus *Matth. 7.* & iam clamabat: *Bonum est nos hic esse.* Vbi Augustinus: *Si vna gutta ex Paradisi flumine hausta omnem huius mundi sitim extinxit; quid inexhaustum bonorum omnium pelagus non efficiet?*

3. Mundus arida est Lybia illa, in quam filius prodigus concesserat, vbi & vltima perpessus fero demum resipiscebat, suspirans ac reuertens ad *Beatos, qui habitant in domo tua Domine.* Psal. 83. 4. Mundus est AEgyptus cæposa, alliosa, carnalis. &c. 5. Est bestiarum stabulatio; & hominum peregrinatio: vbi 2. Corint. 5. *peregrinamur à Domino,* Psal. 38. *Aduena ego sum in terra & peregrinus, sicut omnes patres mei.* Hebr. 13. *Non habemus hic manentem ciuitatem.*

6. Quia locus hic est mortis. Psalm. 88. *Quis est homo, qui viuet, & non videbit mortem?* Est peste contagiosus. quippe Rom. 8. *in quo omnes peccauerunt, & mortui sunt.* At in cœlo contraria omnia Ps. 83. *Melior est dies vna in atrijs tuis super millia.* Per rimã gustarat, qui ait Roma. 7. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius.*

Ergo fuge littus autorum.

II. Ecquid igitur, cosmophili, *diligitis vanitatem & quæritis mendacium?* 1. Repetite animis fata infelicia Esau; pro lenticulæ pulmento primogenita vendidit: & tota vita indoluit. *Genes. 25. & 27.* Iniquius est, cœlum terrena voluptatula commutare. 2. Talium nundinatorum vox est, at fera, Sap. 5. *Nos insensati, quid nobis profuit superbia? Aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tamquam vmbra.*

Lysimachus Rex Thraciæ, cum à Scythis bello pressus, siti vreretur ad mortẽ pene; se hosti dedit sic, vt quantum allubesceret, biberet. Bibit, simul errorem agnoscens, ait. *Quam breuis voluptatis causa & libertatem, & regnum amisi?* Tales mundo, ventriq; dediti. Sap. 2. *Talia dixerunt in inferno hi, qui peccauerunt.*

PARS IV.

Per aduersa tendendum ad supera.

Labor astra subit.

I. NOn nisi labore fideli cœlum emitur. 1. Act. 14. *Per multas tribulationes oportet intrare in regnum cœlorum.* 2. Et 2. Tim. 2. *Nemo coronatur, nisi qui legitime certauerit.* 3. Nec denarius datur operarijs, nisi sub vesperum, *Matt.* 20. Vbi non dicitur, *Voca* disertos, doctos, diuites, musicos. &c. sed *operarios.*

Figura.

3. Noluit Deus, *Leu.* 21. claudos, mancos, deformes, &c. inire templum, aram adire.

adire. Significatur ab operibus bonis vacui. 4. Ad templum, 3. *Reg.* 6. nullus adhibebatur lapis, nisi bene edolatus, tales & in cœlum inferendi tentati & probati per omnia.

Exemplum Christi.

1. Qui viam nobis præiit Iesus, ait. Matth. 16 *Qui vult venire post me, abneget semet ipsum, & tollat crucem suam.* 2. Ea conditio petentibus regni consortium dabatur. Matt. 20 *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* 3. Et ipsi hūc bibere fuit necesse prius, quam cœlos Victor iniret. Luc. 24. *Nonne oportebat Christum pati, & ita intrare in gloriam?* Si hoc ipsum. &c. quid non oportebit NOS? &c. Quos qualesue in cœlis vidit Ioannes? Apoc. 7. *Hi sunt qui venerunt ex magna tribulatione:* Satin? *Et lauerunt stolas suas; & dealbauerunt eas in sanguine Agni.*

Diuorum que. Nam aduersa 1. Fructificant. 2. Sanant. 3. Euehūt.

II. Nimirum nec agricola messem sperarit, ni brumam ager prius senserit. Ita &c. 2. Sunt Lauri folia amara quidem; at perquam salutaria pellendis morbis. Tales sunt ærumnæ, pœnitentiæ. &c. 3. Arca Noachi quanto inhorrescentibus vndis, procellisque furentibus iactabatur sæuius, tanto ad cœlum assurgebat propius; *Genes.* 8. Ita euehunt animas aduersa cœlo propinquantes. 4. Et vero grandiores, ac sapidiores pisces salsis in aquis reperiūtur, viliores in insulsis; ac dulcibus; ita magni amici Iesu, Sancti magni in tribulationum vndis circumferuntur obscuri; olim tanto admirabiliores apparituri. Nam, vt corporum impedit corruptionē sal: ita & tribulatio impedit animarū putrefactionē in peccatis.

4. Pretiosum reddunt.

Exempla.

1. Testes SS. Martyres, Confessores, &c. Quique dicere poterant, Psalm. 43. *Propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis.* q. d. quia tali nos præiisti exemplo patiendi, hæc patimur imitatores. 2. Hæc Paulum obarmauit cogitatio, vt Deo & Ecclesiæ spondere auderet, Ro. 8. *Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque Princ. neque Virt. neque Instantia, neque futura, neq; alt. neq; prof. neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei.* O zelum, aduersorum omnium temptorem.

Conferuntur alii gloriū.

Eccur? 1. Corin. 4. *Quod enim momentaneum est, & leue tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* At quæ proportio inter instans, & æternum? 1. Hoc fecit Sanctos exsibilare cruces, mortes &c. & deliciari consolationibus inter aduersa. Vnde Bern. *Filii huius sæculi vident cruces nostras, & non consolationes nostras* q. d. abhorrent ab his, quæ cernunt in nobis, & quibus pascimur, nec cernunt, nec appetunt. 1. *Et consolatus Pater, quoniam ita complacuit coram te.* Quia tu es 2. Cor. 1. *Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nost. Quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis; ita & abundat consolatio nostra* 3. Vix enim sentimus horrorem, iam simul is præteriit, subeuntque gaudia cœli. *Respiciunt enim ad cœlestia præmia,* ait Greg. li. contra Celsum. 4. Et Tert. li. de Coro. Mil. cap. 14. *Christus fauos post mella gustauit, nec antea rex gloriæ à cœlestibus salutatus est, quam Rex Iudæorum præscriptus in cruce, minoratus primum à Patre modicum quid citra Angelos, & ita gloria & honore coronatus.*

Mundique contemtū.

Et consolationem mirificam.

Figura, per crucem iri ad gloria lucem.

III. Declararunt idem figuræ. 1. Iacob duos Iosephi filios Manasses & Ephraim benedicturus, manus eis cancellatim in formam crucis imponebat, qui exinde ritus benedicendi obtinuit. Id quod innuit Crucem prius subeundam, quam benedictio auferatur. 2. In Templo erat, Ezech. 41. *in rotundum ascendens sursum per coch'eam,* ita per sinuosa tribulationum itur ad astra. Apoc. 2. *Participes in tribulatione* prius, tum *& regno.* Nam 2. Tim. 2. *Si sustinebimus, & conregna-*

gnabimus. 3. Et vero ideo beatitas corona dicitur, quia sudore paratur & pugna. Apoc. 2. *Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* 2. Tim. 2. *In reliquo reposita est mihi corona Iustitiæ.* Ibidem. *Nemo coronabitur, nisi qui legitime certauerit.* 4. Ea causa voluit Deus Israelitas iter ad terram promissionis inire per modum instructæ aciei, *Num.* 2. Vt sciremus, quod *sit militia hominis vita super terram.* 5. Ideo Cant. 7. *statura tua assimilata est palmæ*, quæ sub onere debet crescere, & dari victoribus assolet, quibus cœlestem Deus gloriam cessit.

PERORATIO.

1. ET quisquam cessabit iners ac desidiosus, velut abdomini natus Christianus? 1. Quin magis cum Seneca quisque secum ita statuat, *Maior sum, & ad maiora genitus, quam vt mancipium sim mei corporis.* 2. Cœlo te surrige, ac terras despice, Sin, iam, vt solem, cœlumque sudum obuaporant nebulæ, ita terrenarum & desideria, & curæ te inuoluunt tenebris, vt nihil cœlestium contueri sat queas. 3. Vnde S. Laur. Iust. l. de disc. Mon. c. 4. *Hic affectus præsentia amat, temporalia cumulat, spiritualia negligit, & cum totus se spargit in imis, nil potest amare de summis.* 4. Vt hoc cœlos, terras illo tueri non est: ita, ait Chrys. hom. 35. in Gen. *non est possibile, vt, qui præsentibus est mancipatus, ineffabilium bonorum desiderium accipiat vnquam.*

II. Ideo Dominus Matth. 6. *Quærite primum regnum Dei.* 2. Ideo Isaac in benedictionis formula Gen. 23. ait: *Det tibi Deus de rore cœli* prius, dein *& de pinguedine terræ.* 3. Dimittendi è captiuitate Babylonica Iudæi, (quod potior pars curæ ipsorum esset de restaurandis domibus, quam templo,) his arguuntur ab Aggæo, cap. 1, *Domus mea deserta est: & vos festinatis vnusquisque in domum suam.* Quid dicas terrena potius quam cœlestia accurantibus? An mortis horrorem ingesseris? An furorem Iudicij? An terrorem inferni, aut beatorum gloriam inculcaris? Hoc age, quisque ipse *memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.*

FINIS.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto; Sicut erat in principio & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum Amen.

AD

AD LECTOREM.

Quia Amice Lector Concio hæc, de S. Ioanne ante Portam Latinam, destinato suo loco, qui est pag. 524. post finitam De Exultat. Cruc. &c. ob commissum in describendo errorem inseri nequiit; libuit eam potius sub finem, ne ea plane frustreris, apponere.

IN FESTO S. IOANNIS ante Portam Latinam.

Accessit ad Iesum mater filiorum Zebedæi. Matth. 20.

BEniamino, *Gen.* 44. natu minimo ac dilectissimo honorem & duplicia omnia præ confratribus dedit. Ita Ioannes *hic est discipulus ille, quem diligebat IESVS*; deditque ei præ alijs quinque partes, gloriam sensuum, vestem duplicē corporis & animi glorioſiorem; Scyphum passionis, & olei bullientis. *Ibi Benianin adolescentulus in mentis excessu*, Pſ. 67. præsertim etiam ad pectus Domini, dum accubuit.

De eo nos

I. *Mortuus ne sit, an viuat mortalis.*
II. *Cur se nominet Discipulum, quem diligebat Dominus?*
III. *De Recubitu Ioannis super pectus Domini.*
IV. *De S. Ioannis Martyrio.*
V. *De oleo eiusdem.*

PARS I.

S. Ioan. mortuusne sit, an mortalis viuat?

1. *Viuere.* I. QVæstio de morte S Ioa. inter S. Patres cœpit: Ioa. 21. *Exijt sermo inter fratres, quod discipulus ille nō moritur*: dicēte Domino: *sic eum volo manere, donec veniam.* 1. Hinc Theophy. In Ioan. *Quidam dicunt Ioannem viuere, & ab Antichristo occidendū, cum Elia prædicantem Christum.* 2. Aretas Cæsarien. in hoc 10. Apocal. *Oportet te iterum prædicare gentibus*, inde ait multos idem opinari. 3. S. Hyppol. orat. de consumm. sæc. ait. *Prior aduentus Domini habuit præcursorem Baptistā posterior autem Enoch, Eliam, & Ioa. Theologum exhibebit.* Ita & Metaphr. & Ioan. Damasc. &c.

Ratio 1. Id Christi innuunt verba. 2. Nemo adhuc ei⁹ ossa, sepulcrū, vel mortuum vidit. 3. Contra Antichristum Enoch tuebitur statum naturæ, Elias Legis; Ergo Euangelij Ioannes, cæteris Euangelistis nobilior, cui forte ideo factæ sunt in Apocal. reuelationes de Antichristo.

4. Apoc. 10. *Oportet te iterum prophetare gentibus, & populis, & linguis, & regibus multis.* At tum vix Epheso excessit, certe non Græcia. 5. Promisit Dominus Apostolis per mortes eos cœlum inuasuros. Hunc honorem cur negasset? ergo viuit: quia nondum martyrisatus est, at calicem Domini bibet. 6. Cur Deus eum non permisit in oleo extingui, nisi vt moreretur cum moriente mundo: *sic volo. &c. donec veniam.*

2. Obiisse. II. Communior sententia est, vere mortuũ anno LXVIII. post Christi mortem. Sic *Hero. l. de Scrip. Eccl. Polycrates apud Euseb l. 3. Eccl. hist. c. 31. Tert. l. de anima. c* 50. Aug. Ser. 149. de Temp. *Sic eum volo manere, & mori sine martyrij cruciatu, nolo me sequatur per crucem, tu me sequere.* Glossa, Haymo, Beda: qui *hom. de S. Ioa.* ait viuum intrasse fossam, precatum obdormisse. Sic & *Epiphan. hær. 79. Dorotheus in Synopsi.*

Ratio 1. Ipse refutat secus opinantes: *Non dixit ei Iesus, non moritur.* 2. Sic tota sensit semper Ecclesia: quæ errare nequit: proinde eius patrocinium implorat vt in cœlis sancti. At viuus nondum potest censeri beatus: festoque celebrari solenni.

4. Ratio. 1. Ephesinum Conc. to. 3. Conc. c. 16. ait separatam *Sacras beatißimi Ioa. Theologi atque Euang. reliquias videndi, easdemque complectendi desiderio flagrantibus* ostendere. 2. Cœlestinus Papa in Epist. ad Syn. Ephe. scribit: *Ioannis reliquias præsentes honoratis.* 3. Chrys. ait. *Apostolorum plurimorum ossa nescimus, vbi iaceant: Petri. Pauli, Ioannis, & Thomæ manifesta sunt sepulcra.* 4. Petrus Dam. ser. 2. de Ioa. *Pium est arbitrari, sicut de B. Dei Genitrice creditur, ita Ioannẽ iam surrexisse.* Sic & Niceph. l. 1. c. 35. Isid. in Etymol. S. Tho. 4. dist. q. 43. a. 3. B. Alb. Magnus. &c.

PARS II.

Cur se nominet Discipulum, quem diligebat Dominus.

1. AD S. Ioan. Laudes opus Ciceronis verbis, eloquentia Demost. memoria Plut. iudicio Homeri, Arist. doctrina, Platonis genio, ingenio Angelorum. Nã Angelus est puritate, Propheta reuelatione, Apostolus electione, Euangelista historia, Martyr passione, Doctor scriptis & prædicatione, Confessor exilio. Eccles. 45. *Dilectus Deo & hominibus, cuius memoria in benedictione est.*

Ipse sibi tria describit priuilegia: 1. *Quem diligebat Iesus:* 2. *Recubuit super pectus Domini.* 3. Arcanorum scisitatio: *Domine quis est, qui te traditurus est?* 1. Tria Ioan. priuilegia.

Notabilis eius modestia in hoc: quod non scripserit: *quem præ cæteris diligebat.* Quod tamen S. August. tract. in Ioan. scribit. Euthy. in Ioan. Theoph. hom. 17. in Ioa. 1 Dilectus Iesu.

D. Tho. in 21. Ioan. & in 13. Ioa. causam dat. 1. ob Castitatem suam, 2 Ob doctrinę sublimitatem aquilarem. 3. Ob amorem in Iesum. Ob tria.

1. Bene. *Apoc.* 14. describit sui similes agni sequaces cantare. 2. Vere, Sap. 6. *Incorruptio facit proximum Deo,* 3. Et Prou. 22. *Qui diligit munditiam, habebit amicum Regem* IESVM. 1 Ob virginit.

4. Si bene confitebatur Deo Tobias cap. 3 *Tuscis, quia mundam seruauit animam meam, ab omni concupiscentia:* iustius idem S. Ioa. dicet.

II. Illius gratia eum iunxit Dominus Virgini Matri: Matth. 27. *Fili,* non serue, *ecce Mater tua,* non Domina. Vbi Ambr. *autor hum. generis,* ait, *in cruce pendens pietatis officia distribuebat: persecutionem Apostolis, pacem discipulis, Corpus Iudæis, Patri Spiritum, Virgini paranymphum, latroni paradisum, peccatoribus infernum, Christianis pœnitentibus veniam legauit.* Ideo B.V. ei data mater.

1. Iacob Ioseph, Genes. 48. amorem præ cæteris isto declarat: *Do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo.* IESVS Ioanni isto: *Ecce Mater tua,* quam tuli in arcu passionis merito, de manu Amorrhæi, peccati & diaboli. Typus.

2. Sisara, *Iud.* 5. diutius domo absente sua socrus matrem mœstam his solaba-

mur.

tur. *Forsitan nunc diuidit spolia, & pulcerrima feminarum eligitur ei.* Christus in cruce spolia distribuit, & totam pulcram amicam suam dedit Ioanni.

Grata mē. beneficiorum. III. Quid circo, quæ recepit beneficia, vt hoc, commemorat gratus: non obsequia, quæ præstitit. 1. Fecit votum sponsæ, Cant. 8. *Pone me vt signaculum amoris super cor tuum, vt sign. super brachium tuum. Quia fortis vt mors dilectio*, corde, & ore recolens beneficia accepta.

Typus. 2. Nimirum, Leu. 6. *Ignis* grati amoris *in altari cordis semper ardebit, quem nutriet sacerdos, subiiciens ligna mane per singulos dies. Ignis est perpetuus, qui nunquam deficiat in altari.* 1. beneficia recolens nutrit amorem Dei. Ita Psaltes 115. *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? In tali meditatione exardescit ignis.*

Exempla. 1. Quare Ps. 7. *Ego semper sperabo; & adijciam super omnem laudem tuam*, beneficiorum rememorator: ac plurium inde tum meritor tum sperator. 2. Ita Iacob occurrēti Esau, Gen. 38. *Paruuli sunt, quos donauit mihi Deus seruo suo.* Item, *suscipe benedictionem, quam attuli tibi, & quam donauit mihi DEVS tribuens omnia.* En, vt omnia Deo referant accepta boni. At Esau, durioris capilli, secus: *Habeo*, inquit, *plurima, frater mi; sint tua tibi.* Nulla huic memoria Dei. Ita Ioannes Dei donum memorans ait: *Discipulus, quem dil.* 3. Ita Ioseph, patrem sequens sua proles, Genes. 45. *DEVS me fecit Dominū vniuersæ domus Pharaonis, ac Principem in omni terra AEgypti.* 4. Ita Dauid, & amplius, *Venite, audite, & narrabo vobis, omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ.*

4. Rebecca, *Gen.* 24. accepta sponsi cimelia protinus parentibus ostentat, testandæ illius opulentiæ, sic anima pij grata, Dei prædicat dona. 5. Assueruscūcta sibi facta bene in annales referri curabat, quibus lectitandis insomnes ducebat noctes: *Esther.* 6. Quo plus Christianum vsurpari simile oportet, euoluēdo libros beneficiorum Dei naturales, spiritales, mundum, seipsum. &c.

S. Ioannes vel cognomen suum commutat in id, in quo beneficij diuini commonefieret. *Discipulus, quem dilig. Iesus.* cum se Apostolum, Euangelistam, prophetam vocare potuisset. Fecit, vt Gen. 41. Ioseph vocans natu maiorem Manassen, dicens, *Obliuisci me fecit Deus omnium laborum meorum*: minorem Ephraim, dicens. *Crescere me fecit DEVS in terra paupertatis meæ.* Ita se, filiosque ipso nominum admonitu ad gratitudinem commonefaciebat. *Cognomen memorabile.*

PARS III.

De recubitu Ioannis super pectus Domini.

I. STud vero; Vni concessum soli, vt super pectus Domini reclinaret; quantæ gratiæ est? 1. Baptista reuerebatur caput Christi attingere manu: Thomas digito latus: pedes Magdalena: at Ioannes familiariter recumbit in sinu toto totus. 2. Moyses Deum. *Exod.* 33. videre volens facie, vix posteriora potuit: Isaias, Ezechiel, *cap.* 1. in reuelationibus suis Deum in throno tantum videre: Iacob scalæ innixum: Daniel lino candido indutum. *Fuit is ei magna prærogatiua.*

At Ioannes in natura & Diuinitate eum cognouit. 1. *Certum est*, ait Orig. hom. 1. in Cant. *quod Ioannes in principali cordis IESV, atque in ternis doctrinæ eius sensibus requieuisse dicatur; ibi requirens & perscrutans thesauros sapientiæ & scientiæ qui reconditi erant in Christo.* *Magna scientia.*

2. Laur. Iustin. l. de agone Christi cap. 5. *Ibi arcana rimaris, curris per Angelos, discurris per Archangelos.* &c. *De Angelis.*

Hinc æternæ generatiōis mysteriū hau- *De diuinitate.*

sit, istud: *In principio erat Verbum.* &c. Hinc Christi cum Patre æternitatem, & distinctionem relationum ac personalitatum, dum ait: *Verbum erat apud Deum*: Hinc consubstantialitatem: *Deus erat Verbum.* Hinc assumtâ Humanitatem didicit: *Verbum caro factum est.* Profecto, ait Aug. in Ioan. *Si altius volasset, totus mundus eum capere non potuisset.*

Scientior fuit Apostolus.

II. Sunt, qui dicant, Diuinam Essentiã tunc ab eo conspectam fuisse: Id equidem non ausim: 1. Attamen si de aliis pro suo in eos affectu dixit: Ioan. 15. *Iam non dicam vos seruos; sed amicos: quia omnia, quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis*: quanto plura fecerit nota Ioanni, tantum præ cæteris dilecto? 2. Si ad tertium raptus cœlum, 1. Cor. 2. *Audiuit arcana quæ non licet homini loqui*: tanto arcaniora viderit Ioannes, quanto pectus Christi est cœlo tertio diuinius.

Etiam Paulo.

3. Quorum cæteros, eorum & Ioannem secretorum fecit conscium; atque etiam plurium: liquet in Euangelio. Passionis mysterium cunctis aperuit. *Matth.* 20. Transfigurationis, tribus: in his Ioannes, *Matth.* 18. Resurrectionis, duobus, in his Ioannes, *Io. vlt.* At Incarnationis soli Ioanni. 4. Hinc *Orig. & Aug. in Ioan.* tradunt eum ad pectus fuisse in paradisum paradisorum raptum, ad arcana SS. Trinitatis peruidenda: Hinc 1. Ioan. 1. *Quod fuit ab initio, quod vidimus.*

Theologus dicitur.

III. Ideo *Theologi* nomen apud Ecclesiam sibi inuenit per excellentiam, vti S. Patres eum appellant. Damia. ser. 1. de Excell. Ioann. eum paradisi fluuium nominat.

Enimuero, Eccl. 15. *Impleuit eum Dominus spiritu sapientiæ & intellectus.* Dicam de eo, quod Rex Balthasar de Daniele, cap. 5. *Audiui de te, quoniam spiritum Deorum habeas; & scientia, intelligentia, ac sapientia ampliores inuentæ sunt in te.*

Angeli ab eo didicerunt.

Certe S. Chry. ait Angelos multa à Ioanne mysteria condidicisse: idque isto confirmat Eph. 3. *Vt innotescat Principatibus & potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei, quam fecit in Christo Iesu Domino nostro.*

Idem malleus hæreticorum extitit. 1. Nicolaitarum communitatem fœminarum Apoc. 2. damnauit. 2. Contra Ebionitas, Christum esse Deum negantes, scripsit Euangelium. 3. Contra Cerinthum, fingentem in carne phantastica Christum apparuisse, vulgauit epistolas.

PARS IV.

De S. Ioannis Martyrio.

I. SVb annum Christi nati 92. à Domitiano Romam Epheso euocatus; capite rasus, virgis cæsus, in oleo feruente torretur illæsus.

Rasura symbolum varium.

Tonsura capillaris duo significat. 1. Sacerdotij dignitatem Regiam. Apocal. 5. *Qui fecit nos Deo nostro Reges, & Sacerdotes.* 2. Perpetuum Dei cultum, cui se ab adolescentia dedicarat. *I.* Sicut Romani bello subactos detondebant, sicque hastæ subiiciebant in perennem seruiturem. De quo Deut. 32. De captiuitate nudati inimicorum capitis. 2. Sic in Moysis Lege prius detondebantur oues quam sacrificabantur.

3. Abiectio capilli est contemtus cuiusque terreni. 4. Indicium militis est rasura. Professio militiæ aduersus Carnem, Mundum, Dæm. Ideo Alexander, vt aptiores bello redderet, cæsariem radi suis iussit. 5. Contumeliæ & fatuitatis est signum: quales videri seruos Christi oportet. 2. Corinth. *Nos stulti propter Christum.* &c. E contra mundani, Rom. 1. *Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt.*

II. Sic

II. Sic rasus oleo immergitur igneo, Christi. 1. *Pet.* 2. passi pro nobis in exemplum, secutus vestigia Christi aurichalcea, vti eum viderat, *Apocal.* 1. id est, ignita. Mori sic poterat: nisi morte & martyrio fortior superasset.

Martyrs. b cruce.

Quid si plura subisset victor plurium? Sub Christi cruce adstitit intrepidus; hoc cum dolore acriore, quo magis & amabat & amabatur. Si Paulus vere, Gal. 2. *Christo confixus sum cruci*: verius Ioannes.

Typus.

Vaccæ. 1. *Reg.* 6. Arcam ex Philisthiim transferentes in Israel, desiderio vitulorum mugiebant relictorum, quantum doluerit amator tantus tam immanium spectator, separatus à tali? 1. Reg. 14. *Ascendit Ionathas, manibus & pedibus reptans: & armiger eius secutus est eum* per aspera & arduaque: Ita Ioannes Dominū. Acre ei vas olei feruentis, acerbior ei aspectus Christi morientis erat. Ardens balneum potuit risisse: at Domini mortem non potuit non planxisse.

PARS V.

De oleo S. Ioannis.

Balneum sanguinis.

VT igitur mors Christi Ioanni non accidit sine martyrio, ita olei balneum non sine mysterio. 1. Thomyris regina Massagetarū, Cyri, qui filium eius occiderat, comprehensi in bello, caput dolio sanguinis pleno immersit dicens: *Bibe sanguinem, quem sitisti.* 2. Parthi M. Crasso Rom. Imp. auri cupido, capto aurum in os liquidum infuderunt.

Auri.

Dum petit Euphratem, fatis lacrymantibus, aurum,
Quod sitiit Crassus, mortuus ille bibit.

Ita Romani vnctum Christum Domini ista olei vnctione luserunt: sed delusi sunt ipsi.

Oleum in pacificis.

1. Oleum gaudii symbolum, Pacificis victimis addi lex vetus iubebat: at non Propitiatorijs pro peccato: quod gaudiū peccatori nullum sit verum. *Propterea*, S. Ioannes, Ps. 44. *vnxit te DEVS, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.*

Inpalæstris.

2. Luctatorum erat præungi oleo, vt & robur eis fortius esset, & elapsus lubricior. Luctator Ioannes erat oleumque ei conueniebat.

In variis.

3. Oleo tria sunt: coloribus addere lumen, ignem alere, mederi. Ioan. Ecclesiā martyrio hoc illustrabat, exemplo accendebat & miraculo: infidelibus medebatur inuictus. Ideo Ps. 122. *Impinguasti oleo caput* eius & corpus.

In inaugurationibus.

Reges, Prophetæ, Pontifices oleo inaugurabantur: hæc tria Ioannes erat: quare & oleo perungendus. Vere *Sacerdos Magnus, qui in diebus suis placuit Deo*, in oleaceo gratiarum balneo innatans.

Copia olei est gratiæ.

II. S. Greg. *in* 1. *Reg.* 10. *& Moral.* 15. *& in Ezech. ho.* 2. notat, Oleum in lenticula, paucitate notare paruam gratiam: magnam oleum in cornu: Ergo maximam quod in dolio.

Eccl. 9. *Omni tempore sint vestimenta tua candida, & oleum de capite tuo non deficiat.* i. Sapientia cum virtutum studio. At Ioanni nec toto corpore defecit. Iob. 29. *Lauabā pedes meos butyro, & petra fundebat mihi riuos olei*, felicitatem suam prædicat: felicior Ioannes, quo ab oleo affluentior.

Est perēnationis.

Isaac de Iacobo, Gen. 27. *Frumento, vino, & oleo stabiliui eum.* Christus Ioannē panis & vini sacerdotio, & olei Martyrio. Volebat Christus Ioannis imaginem ferre ætatem, ideo pingebat eam oleo: non colore aqueo.

Est scientia.

Ezech. 16. *Oleum meum & thymiama meū posuisti coram eis* in ara. *Hier. in Ose.* 2. ait oleum in aris idolorum ponere, esse donis Dei abuti, & è sancta doctrina errores elicere. In Ose. 12. Ferre oleum in Aegyptum, esse, scientias sacras miscere profanis: quod Ps. 140. *oleum peccatoris* dicitur. Ioannes oleo sancto contra oleum impiorum

piorum est vsus, cunctos etiam Sanctos superans doctrina, sapientia, gratia. Ps. 83. *Oleo sancto meo vnxi eum.*

Illæsus ab oleo.

III. Sed illæsus emersit ex oleo: quia, *sic eum volo manere, donec veniam.* Sic Duces ad Dauidem, 2. Reg. 21. *Non egredieris amplius nobiscum in prælium; ne extinguas lucernam Israel.* Ita Deus, Diuique hodie ad emergentem. Eo quod, Sap. 10. *Custodiuit illum ab inimicis, & à seductoribus tutauit illum, & certamen forte dedit illi, vt vinceret.* Cur? Psal. 90. *Quoniam in me sperauit, liberabo eum, eripiam eum, & glorificabo eum.* Si τὸ *sperare* tantum potest, quantum non τὸ *diligere?*

Noluerit autem Deus eum in oleo perire, quod oleum magnarum fit rerum hyerogliphicum. Vt 1. Diuinitatis; quod aliis humoribus non misceatur: ita Diuinitas non permista Humanitati, sed supernatabat quasi. Non commixtione substantiæ, sed vnitate personæ. In hoc oleo, Act. 17. *viuimus, mouemur, & sumus.* Non ergo morti esse debuit. 2. Virginitatis. Hinc ab adulterarum sacrificio excludebatur oleum: quippe purum nulli permistibile. Oleo purior Ioannes: Hinc illæsior, quam tres in camino Babylonico. Miraculum miramini? potius gratiam Sancti, qui tantus quantus miraculum est Dei.

Ob olei mysteria.



INDEX

INDEX
RERVM, VERBORVM, ET MATERIARVM, MAXIME MEMORABILIVM, QVÆ HOC OPERE CONtinentur.

A

Abiectio capilli est contemptus cuiusdam terreni. 974
Abrahæ ignis & gladius. 566
Abrahæ ostensa dies extremi iudicij. 908
Abraham angelos excipit. 817
Abyssus misericordiæ Christi. 308
Accidentia existentia in S. Eucharistia. 553
Accubitus S. Ioannis supra pectus Christi incomparabilis. 351
Accusator in extremo iudicio quis futurus. 921
Achitophel Absolonis consiliarius pessimus. 885
Adæ lapsus. 217
Adami ætas quanta. 842
Adami ossa à Noacho in arca seruata. 875
Adiuncta mortis quatuor. 895
Dolores mortis. ibid.
iniquitates anteactæ vitæ. ibid.
pericula inferni. ibid.
demonum insultus. ibid.
Adolescentis Euangelici defuncti suscitatio. 832
Admiratio gloriæ cœlestis. 948
Admirator sui est contemptor proximi. 204
in eo virtutes male habitant. ibid.
est hypocrita. ibid.
Admonitionum vtilitas. 807
Aduersa virtutum sunt fomenta. 334
Aduersa accidunt ad gloriam Dei. 829
ad pœnam alieni peccati. 829
Aduersa inter diuersos effecta diuersa sortiri. 130
Aduersitas prospera. 261
Aduersorum & prosperorum effectus contrarij. 261
Aduersa ad Deum adducunt. 260
docent orare. ibid.
Deum agnoscere. ibid.
seipsum. ibid.
sanant. ibid.
faciunt gratos. ibid.
Aduersa fidelibus conducere. 438
Adulator. 270
sæpe verum dicit. ibid.
sed nocet. ibid.
cauendus. ibid.
Deo execrabilis. 271
damnosus. ibid.
temporizans. ibid.
Adulatio principibus cauenda. 271
maxime prædicatoribus. ibid.
Adulterij crimen omnibus aliis grauius. 819
ex multiplici iniuria. ibid.
ex Ethnicorum detestatione. 819
ab Ægyptijs grauius homicidio puniebatur. ibid.
eius pœnæ. 819
mors. ibid.
excidium. ibid.

carcer. ibid.
diluuium. ibid.
aliæ grauissimæ pœnæ. 820
Adulteri pœna infamia. 820
ex legum ciuilium constitutionibus. ibid.
Adulteræ Euangelicæ à Christo absolutio. 821
cur absolutæ. ibid.
eius accusatores & iudices erant grauioribus criminibus obnoxij. 821
Adumbratio quædam eiusdem. 950
Aer soni vehiculum. 480
Ægrorum cura. 260
Ægypti idola omnia corruisse ea nocte, qua Israelitæ exibant. 906
Ægyptij quale sceptrum regibus suis dare soliti. 925
Ægypti in conuiuiis caluariam hominis inferebant, ad memoriam mortis refricandam. 758
Æstus & frigus in inferno. 935
Ætas quæ futura resurgentium. 964
per Aduersa ad superæ tendendum. 968
Ætas Pauli conuersi. 405
Ætas duodennis lubrica. 35
Æternitas beata sanctorum. 956
Æternus ignis qualis. 927
Æternitas pœnarum inferni. 942
eas fore æternas probatur. 943
ideoque metuendæ. ibid.
eas æternas futuras esse, cur iustum sit. 944
Afflictiones beant. 714
Afflictiones sunt perutiles otio pellendo. 812
acuendæ virtuti. ibid.
cauendæ ruinæ. ibid.
humilitati stabiliendæ. ibid.
animæ euehendæ. ibid.
Afflictorum consolatio. 155
Agathocles Siciliæ rex. 760
Agoniæ Christi causæ multæ. 857.859
Agni tantum & hœdi in extremo iudicio aderunt. 919
& qui sub illis intelliguntur. ibid.
Alexander milites cæsariem radere voluit. 974
Alexandri M. responsio legatis Persicis data arrogantissima. 837
Alexandri III. decretum de cultu sanctorum. 739
Altitudo cœli. 953
Ambitio dolet Ecclesiæ. 21
Ambitio malorum fons. 635
Ambitionis malum quantum. 776
Ambitio rapit, non accipit. 313
ethnicis exosa. ibid.
& Christianis. ibid.
Ambitio summos quosq; tetare audet, vt perdat. 635
Ambitionis emblema viuum. 636
etiam infœmineo pectore regnat. 637
animos amat viles, & degeneres. ibid.
Amicitia triplex. 704
Amicitiæ fides. 15
Amnistia permagni facienda. 768
signum prædestinationis. ibid.
Amor Dei causa rerum omnium. 490
Amoris diuini in nos excessus. 491
amantis nos inimicos. ibid.
in nos incomparabilis. 492
Amor Dei nos quærentis. 492
Amor Domini Eucharisticus maior est amore incarnationis. 528
Amor duplex. 242
amicitiæ. ibid.
concupiscentiæ. ibid.
amicitiæ Deus diligendus. ibid.
Amori Dei omnia postponenda. 216
Amoris pondus. 217
Amor rex est affectuum. 244
Amor proximi est Luna. 245
altera ala. ibid.
diplois spiritus Dei. ibid.
Amor omnia vincit. 444
Amor fortis omnia vincit. 489
Amor Dei in hominem. 885
Amor coniugalis. 337
Amor diuisus punitur. 217
Amor efficit diuinos. 244
Amor patriæ naturalis. 201
Amoris status. 626
Amor super omnia diuinus. 490
Amplitudo cœli. 953
philosophice demonstratur. ibid.
mathematice. ibid.
arithme-

arithmetice. ibid.
geometrice. ibid.
Theologice. 954
eius admiranda præstantia. 955
Anachoreta quidam cuius nam libri potissime lectione se delectari dixerit. 901
S. Andreæ fortitudo & constantia. 300
Angelus castius est. 729
Angelus & virgo quomodo differant. 730
Angelis etiam expedit vt ruina humani generis. 851
Angelos etiam nationibus & populis esse præpositos. 752
singulis quoque hominibus singulos custodes, pædagogos & præsides esse adiunctos. ibid.
Angelis à Deo varia delegantur munera. 751
Angelus Christum in horto confortat. 858
Angeli cogniti. 687
Angelus cur sit nuncius incarnationis Christi. 468
& tam dispar ab aliis angelis. ibid.
Angeli omnes homini deseruiunt. 683
sunt necessarij nostri & præsidiarij. 684
innumeri sunt. ibid.
pulcherrimi. ibid.
cur custodes nostri. 685
Ethnicis non ignorati. ibid.
angelicæ custodiæ exemplum. ibid.
Animalia non ruminantia quos designent. 920
Animæ peccatricis vastitas. 199
Animæ obcæcatio. 628
in barathrum præcipitat. ibid.
Animæ tentationes. 895
à sathana. ibid.
qui latro animarum. ibid.
Animarum diuersa receptacula. 9,2
Anima orantis centurioni euangelico comparata. 763
Animæ facultates singulæ in inferno patientur. 937
in animas quomodo ignis infernalis agere possit. 939
imaginatione. ibid.
hyperphysice, & realiter. ibid.
Anima est denarius variis modis. 272
Animæ tres motus. 91
Anima deserta à Deo & repudiata, est quasi annihilata. 793
exarida. ibid.
Anima vnde zizaniosa. 60
Anima Christi semper fuit beata, non tamen corpus. 784
Animæ prima in morbis cura esto. 261
Animus mundi contemptor maximum in orbe. 614
S. Annam monogamam fuisse, & vniparam. 639
quibusdam et tres maritos tribuentibus. ibid.
& è singulis filias singulas, ibid.
S. Annæ matris Deiparæ laus. 641
Annæ quatuor. 641
Antichristi calliditas. 286
fraudulentia. ibid.
erit geraستes. ibid.
recutitus. ibid.
tridæmon. ibid.
taumaturgus. ibid.
polydorus. ibid.
Antichristi nomina, 284
Antichristi tyrannis. 287
qualis. ibid.
Antigonus diadema regium execratur. 638
Antiochia caput Syriæ. 429
& ecclesiæ. ibid.
Antiochiæ ad fidem conuersæ occasio. 429
Antiochi mors horrenda. 894
Antiquitas vsus templorum. 823
Apelles quicquid pingebat, in publicum exponebat, aliorum iudicia auditurus. 807
Aphrica sanctorum martyrum corporibus plena. 751
Apostolorum numerus duodenarius. 606
Apostoli duo eximij. 606
Apostoli cœlibes fuere. 813
Apostoli nostra vota sciunt. 610
Apostoli ad structuram ecclesiæ fundati. 301
Apostolorum miracula. 806
Apostoli tonitura sunt. 634
& cur. ibid.
Apostolorum typi. 501

Apostolorum præconium typicum. 503
Apostoli testes Christi. 140
admirabiles doctrinis. ibid.
admirandi aborigine. ibid.
oculati & auriti testes. ibid.
concordantes & constantes. ibid.
Apostoli sunt orbis incendiarium. 145
Dei legati. 146
metuendi. ibid.
orbis domini. ibid.
Apostoli iudices erunt cum Christo. 431
itemque sancti. ibid.
& sunt etiam rerum secularium. ibid.
Apostolica missio. 700
cur sine baculo facta. ibid.
cur sine pera & calceis. 701
Apostoli pro nobis orant. 445
Apostolorum encomia quædam. 498
sunt dij terræ. 498
scuta ecclesiæ. ibid.
duodenarius eorum numerus typicus. 499
œconomi Christi. ibid.
Aquæ mirandæ fontes. 788
Aquæ mundi fugiendæ. 818
Aquæ Dei gustatæ mutant mentes. 818
sanant lepram. ibid.
Aquæ mundi sunt periculosæ. ibid.
Aquila quomodo pullos suos, genuini an sint, probet. 817
Ara cordis mortis recordatione decineranda. 874
eius aræ vasa sunt facultates animæ. ibid.
Arabes Astrologi inter omnia hieroglyphica nullum habere religiosius, cruce effigiata. 674
est hoc vexillum & signum Thau. ibid.
ei omnia merita Christi tribuuntur. ibid.
typus eius. 675
arbor vitæ. ibid.
refugium peccatorum. ibid.
Arbori homo comparatur. 798
Arbores multæ bonæ fructum interdum insipidum asserunt. 189
Arboris bonæ fructus. 189
cuiusque proprij fructus. ibid.
quidam alieni. ibid.
de arbore parabolico errores. 190
Arca fœderis humi adoranda. 610
Arces vitiorum sedes. 221
Ardor precandi ex aduersis surgit. 222
Areopagitæ voluptarios, veluti perduellionis reos peragebant, & morti addicebant. 801
Areopagi iudicium quale. 696
in eo philosophi athei damnati. ibid.
Argentinenses à Patriarcha Constantinopolitano circa materiam Eucharisticam reprobati. 543.
Arma peccati sunt pœnitentiæ. 626
Armatura ecclesiæ. 777
Arrogantia Deo exosa. 205
Artaxerxes iudicibus iniustis cutem detraxit. 931
Arte ficiata minima ex maximis facta. 553
Ascensio Christi in cœlos dat spem portus desperatis. 488
addit animum sequendi. ibid.
& auxilium. ibid.
Aspera coronant. 440
Assessores iudicij extremi. 912
Athei olim qui. 749
Attila Hunnorum Rex sæuissimus ad Leonis papæ conspectum mitescit. 824
Attributa Dei duo misericordia, & iudicium. 435
Auaritia continua febris est. 815
Auaritiæ malum quantum. 776
omnium malorum principium. ibid.
Auaritia malum. 680
Auari sunt obstinati. 79
naufragi. ibid.
infelices. ibid.
Auaritia. 158
deprimit. ibid.
implicat. ibid.
inquinat. ibid.
non agnoscit morbum suum. ibid.
damnosa est. ibid.
anxia. ibid.
famelica. ibid.
asina. ibid.
Deo exosa. 159
cœli prodiga. ibid.

Auari-

Auaritia malorum radix. 225
ignis est. ibid.
infernus. ibid.
mare inquietum. 226
ianua Orci. ibid.
materia iudicij extremi. ibid.
idololatria. ibid.
finis eius interitus. ibid.
Auaritia memoria mortis aufertur. 877
Aues in arbore sinapina nidificantes. 64
Auersio Dei est summa infelicitas. 941
Augustus Imp. Alexandriam obsessam solo æquare noluit. 655
& cur. ibid.
Aureolæ asserunt diuersitatem gloriæ. 958
Aureolæ tres tribus potentiis animæ applicatæ. 959
Auricularis confessio astruitur. 223
Austeritas iniqua. 120
noxia. ibid.
caret benedictione Dei. 121
Author mortis quis. 882
Auulsio hominum à mundo difficilis. 834
Auxilium gratiæ. 613
Auxilium Dei serum. 111
at verum. ibid.

B

Bachanalia agitantes Christum tradunt. 85
Balnea ad carnis delicias fouendas faciunt. 518
Balneum vitæ. 624
S. Barnabas an Apostolus fuerit. 597
honorem diuinum refutat. 598
fulminabat prædicando. ibid.
Barnabæ charitas in egenos. 599
martyrium. ibid.
S. Bartholomæus quis fuerit. 662
an filius regis fuerit. 663
sed piscator idiota. ibid.
Indis prædicauit. ibid.
eius martyrium. 664
reliquit pellem passionum. 664
mundi. ibid.
corporis. ibid.
pusculæ de pelle detractæ. 665
Beatorum felicitas. 955
Beatorum gaudium. 961
Beatorum scientia. 962
Beati ipsa quod sancti. 737
Beatorum societas. 957
an eadem omnium, an vero dispar. 958
Beatitudo ad quam animæ partem sit referenda. 959
Beatitudo cœlestis. 783
admiranda. 784
summe amanda. ibid.
Deo pro ea seruiendum. ibid.
omnia perferenda. ibid.
Beatitudo beatorum quanta. 709
est beatissima. ibid.
qualis sit. 710
Beati differunt accidentaliter. 711
Bellonæ sacrificaturi atris induti. 563
Bene semper agendum. 239
Bene cœptum male finitum, perditum est totum. 225
S. Benedicti contemplatio. 618
scientia prophetica. 619
sapientia. ibid.
S. Benedictus fugit mundum. 614
ob altiorem amorem. 615
concupiscentia. ibid.
benevolentiæ. ibid.
Benefacere alijs regum est. 183
Beneficiorum ingratitudo parit lapsum. 330
parit idololatriam. ibid.
Benignitas aduersus maledicos opponenda exemplo Christi. 163
Blasphemi puniendi. 169
Boni & mali in ecclesia. 60
Boni appetendi. 329
Bonum hic esse. Petri dictum explicatur. 786
Bonum cœli esse. 787
Bonum malum. 261
Bonum impedire nefas. 86
Bona omnia corporis fluxa. 760
Bona opera sunt salutifera, at in Christo. 72
Bona opera discreta sint. 333
Bona dissipata peccatori. 195

Bona opera an ad salutem consequendam requirantur. 185
an vero sola voluntas sufficiat. ibid.
Bonorum operum recordatio est potens ad Deum flectendum. 331
eorum meritum & pretium. 708

C

Caecitas misera. 85
pœnosa. ibid.
nemini exprobranda. ibid.
sæpe à Deo est. ibid.
Cæci triplices. 42
Calendarum Ianuar. origo. 369
cur institutæ. ibid.
Calumniator sacer & intestabilis esto. 162
propalator silendorum. 162
fugiendus. ibid.
metuendus. ibid.
Canonismus fraudibus obstat. 739
Canonismus quid. 737
quid conferat sanctis. ibid.
docetur scripturis. ibid.
est debitus sanctis. ibid.
vtilis nobis. ibid.
charitatis est Christianæ. 738
necessarius. ibid.
debet esse infallibilis, & proinde tantum Pontificius. ibid.
Cantus mundi. 277
Cantus galli negante Petro Christum. 865
Caro mortificanda. 27
Carnis & spiritus pugna. 851
inimica & noxia. 852
Castis honor ab angelis defertur. 729
S. Catharina quas dotes habuerit. 731
deuota Deo. 732
mundum contempsit. ibid.
& formam. ibid.
eius humilitas. ibid.
fortitudo. ibid.
in virginitate. ibid.
in mortificatione affectuum. 733
in castigatione corporis. ibid.
eius victoria de hostibus. 733
martyrium. ibid.
Cathedra Petri. 796
Clauibus duabus vtitur. ibid.
columna veritatis. ibid.
thronus Dei. 797
Antagonista Antichristi. ibid.
Cathedra S. Petri docet infallibiliter. 432
estque audienda. ibid.
Cathedræ vox. 415
variæ eius notiones. ibid.
Cathedrarum species. ibid.
Cathedra S. Petri magistra veritatis, & mendacij. 416
Cathedra quid. 427
quotuplex. ibid.
est signum amoris Dei in ecclesiam. ibid.
Cathedræ S. Petri potestas & dignitas. 429
transit cum Petro Romam. ibid.
Cathedra regia. 430
Cathegoriæ decem mundi. 272
Catenæ morales duæ boni & mali. 645
aliæ duæ: culpæ & pœnæ. ibid.
duæ catenæ Herodianæ luxuriæ & consuetudinis. ibid.
Causæ humanæ mortalitatis. 889
Cedrus nec cariem sentit, nec vermes. 518
Censoraliorum ipse culpabilis. 238
non est vir bonus. ibid.
peior ethnico. ibid.
Centurio Euangelicus quis. 763
Centurionis Euangelici qui milites. 763
quis eius seruus. 764
Charitatis præcellentia. 241
præcipua in virtutibus. ibid.
Charitas & zelus dos tertia prædicatoris. 610
Charitas necessaria. 766
etiam erga inimicos. ibid.
Charitas proximi commendatur. 208
Charitas necessaria est. 704
Charitatis excessus bonus. 243
Chari Deo num afflictiones sentiant. 834
imo, vel imprimis. ibid.
sed vt benedicantur. ibid.
libe-

liberentur. ibid.
nevanis delectentur. ibid.
Christianæ legis incomparabilis præstantia. 826
ad eam aliæ legcs collatæ nihili sunt. ibid.
& omnis philosophia ei subiacet. ibid.
Christiani surdastri. 77
Christianus est planta Christi. 798
Christianæ doctrinæ isagoge. 825
Christus cur circumcisus. 365
Christus nos expectat. 446
& vocat. ibid.
Christi generationis æternæ cum temporaneæ comparatio. 343
Christus rex. 265
Christus redemptor pro nobis soluit. 307
Christus nobis peregrinus. 316
Christus cur parabolis vsus. 264
Christus solus verax. 272
Christus nos gratia præuenit. 817
territans minis. ibid.
inuitans suauiter. ibid.
eius iugum suaue. ibid.
Christus manus patris. 212
in ea quinque digiti. ibid.
minimus, humilis obedientiæ. ibid.
medicus misericordiæ, peccatorum sanatricis. ibid.
medius miraculorum operator. ibid.
index prudentiæ. ibid.
pollex fortitudinis passionis & mortis. ibid.
Christi gemitus causæ. 212
Christi diuinitatis triplex index. 251
Christum confiteri necesse. 425
Christi nuptiæ cum ecclesia. 254
ter factæ. ibid.
Christi vulnera vera & realia. 114
non ingloriæ ei. ibid.
cum omni sanguine fuso resurrexisse creditur. ibid.
vulnera ea quomodo in S. Scriptura dicantur. ibid.
quæ de causa retenta à Christo. 115
per ea Deus placandus. ibid.
Christus quater fleuit. 199
Christus quomodo ianuis clausis ad discipulos ingressus. 112
Medium verum. 113.
Christus lux illuminans. 404
scrutans. ibid.
sagittans. ibid.
Christus Rex. 105
mansuetus. ibid.
aduentu lætus. ibid.
in altis humilis. ibid.
in lætis subtristis. ibid.
Christus seruator maria quæ transiuerit. 98
S. Trinitatis. ibid.
incarnationis. ibid.
natiuitatis. ibid.
mundi. ibid.
passionis. ibid.
Christus flagellatur. 867
in eum Iudæorum sæuitia. 868
baiulat crucem. ibid.
cruci affixus. 869
inter medios latrones. ibid.
illusus. ibid.
deprecatio pro Iudæis crucifigentibus. 870
Christi splendor solaris in transfiguratione. 791
Christus quem in monte tempore transfigurationis suæ habuerit. 792
Christi tentatio cur trina fuerit. 91
Christum abire ad patrem cur Apostolis expedierit. 132
Christus seruator innocens. 101
etiam hostibus testibus. ibid.
Christus cur in parabolis locutus. 75
Christus semen dictus. 76
Christi passio ex amore. 83
illi compassio à nobis debetur. ibid.
eoque maior, quo est multis ea rarior. ibid.
Christus cur in nuptiis Mariam matrem mulieris nomine compellarit. 42
Christus dux noster in asperis. 51
Christus seruator quomodo in ruinam & signum positus dicatur. 31
varie dicitur signum. 32
Christi humilitas. 14

mundi ostentationem arguit. ibid.
Christi arma ara crucis. 519
Christus Ioannem Baptist. laudat ab aliis desertum. 15.
suspectum. ibid.
absentem. ibid
afflictum. 16
constantem. ibid
modestum habitu. ibid
Christus fatigatus. 816
& cur. ibid.
ex inopinato occurrens, salutem offert. ibid.
Christus crucifixus cum serpente exaltato confertur. 520
Christum ob Christum relinqui. 121
Christus est ens. 477
Dans omnia. ibid.
Christi potentia. 473
eius peregrinatio. ibid.
votiua. ibid.
completa. ibid.
Christi generatio duplex. 339
æternæ modus. ibid.
temporanea. ibid.
Christus signum in scriptura varie dicitur. 32
Christus aduentus finis. 468
Christum sequi maximum omnium. 614
Christum esse totum sub vtraque specie eucharistica separatim. 583
Christus aptauit sibi corpus ad patiendum aptum. 784
Christi triumphus triumphis Cæsarum glorioſior. 484
ineffabilis. ibid.
Christus filius hominis dictus. 484
nunc dicitur Dominus. ibid
Christus virtute propria ascendit in cœlos. 485
ascensus eius adiuncta. 485
comitatus. ibid.
terminus. ibid.
dies. ibid.
triumphus. ibid.
hora. 486
figuræ de ascensione. ibid.
eius causa prior humilitas Christi. 487
altera reseratio cœli. 488
Christus discipulos tres in hortum transiturus assumit. 856
& cur hoc. ibid.
eius agoniæ causæ multæ. 857
horror mortis. ibid.
amor vitæ. ibid.
satisfactio pro nobis. ibid.
Christi amor dantis se in escam in eucharistia. 570
Christus pastor verus. 845
clamans in cruce oues conuocat. ibid.
eius voces multæ. ibid.
à paucis auditur. 846
Christus sectator humilitatis. 844
Christus verus medicus. 814
Christus in horto captus. 861
eius reliqua gesta in horto. 862
Christi querela de se sequi nolentibus. 794
Christus & Petrus sunt Petra. 426
Christus miserorum saluator. 162
Christus rex. 253
Christus in respondendo benignissimus. 164
in arguendo suauis. 165
Christus rex est. 867
rex regum. ibid.
Christus coram Pilato accusatus. 866
eius accusationis capita. ibid.
Christus Annæ sacerdoti sistitur. 863
in eum testimonia falsa. 864
eius silentium. 864
adiurati responsum. ibid.
damnatur. ibid.
in eum sæuitia satellitum. ibid.
Christi passiones 852
quatenus passiones assumpserit. ibid.
causæ assumptionis. 853
differentia earum à nostris. 853
Christi clarificatio. 853
Christi passio ineffabilis. 854
& eo magis flebilis. 855
Christus hortum intrat. 856
Christi lachrimarum causa externa. 835
interna. ibid.

mortuos tres in terra dum ambularet, excitauit. 835
Christus quos ad sacram cœnam Eucharisticam vocet. 545
vocat solos cum ipso patientes. ibid.
proximo compatientes. ibid.
passionis suæ memores. ibid.
Christus trames pœnitentiæ. 628
Cinerum efficacia 758
ad iram Dei placandam. ibid.
ad gratiam. ibid.
securitatem. 759
solatium. ibid.
Regum sunt propriÿ. 759
& matronarum. ibid.
Circumcisionis lex præcipua legum. 364
Circumcisio spiritalis vsurpanda. 370
est ea sensuum & cordis necessaria. ibid.
Circumcisio est typus castrationis. 730
Circumcisio professio fidei & cultus Dei. 365
Circumcisio Christi spontanea. 367
Claues Dei quatuor. 180
Clauis triplex remittendi. 251
Clauium vsus. 418
abusus. ibid.
Clauium sanctimonia. ibid
vulnitata. ibid.
Clauis duplex. 418
alia Christianorum & Christi. ibid.
Cleopatræ conuiuium. 154
Cœlestium rerum cum terrenis comparatio. 966
Cœlestia perennia. 956
Cœlestia esse petenda à Deo. 135
Cœlibatus S. Petri. 813
Cœlites omnes sunt reges coronati. 389
Cœli epitheta & nomina. 952
Cœli amplitudo. 953
altitudo. ibid.
pulchritudo. 954
orco contrarium. ibid.
æternum. ibid.
motus. 955
admiranda præstantia. ibid.
Cœlum labore inuaditur. 475
Cœlum patria nostra. 951
Cœli pretium labor. 67
Cœli visi aperti. 347
Cœli suspectio est salutaris. 348
Cœna parabolica in Euang. cur magna dicatur. 156
eius fercula maxima, suauissima, tutissima, dolore carentia. ibid.
Cœnam magnam Eucharistiam negligentes. 547
repudiantur à Deo. ibid.
ad vltima rediguntur. ibid.
infamia notantur. ibid.
Cogitationes malæ. 810
initio premendæ. 811
Cognitio sui necessaria. 17
vtilis. ibid.
peruetus disciplina. ibid.
Turcica. ibid.
Christiana. ibid.
omnium. ibid.
prima sapientia. ibid.
sciatur, aut pereat. ibid.
reprobis aufertur. ibid.
datur electis. ibid.
diuina est. ibid.
Communicaturo quæ præparatio necessaria. 562
Communio ad cibandam animam, non ad peccatorum remissionem instituta. 555
Concilium sacerdotum aduersus Christum congregatum. 849
occasio eius suscitatio Lazari. ibid.
idem sæpius habitum. ibid.
erat fatale. ibid.
eius sententia. ibid.
Consilium bonum à viro malo. 851
Concionatorum sors misera. 666
Concionatores praui sunt lupi. 188
boni describuntur. ibid.
Concordia cordis & operis poscitur. 271
Concupiscentia cauenda communicaturo. 564
carnalia item. ibid.
& pollutiones. ibid.
Concupiscentia humana paralytica. 764
iacet. ibid.

eget opulatrice manu. ibid.
molestat & infestat dominum suum. 765
Confessio fidelium sustentat ecclesiam. 425
Confessio triplex. 382
fidei. ibid.
criminis. ibid.
laudis. ibid.
Confessio auricularis astruitur. 223
Coniugalis amor. 337
Coniugium fuit de præcepto V.T. 730
Coniugium vnius religionis esto. 698
Coniugium fructum affert tricesimum. 729
Coniuncta valent. 497
Conscientia fluctuans. 195
Consiliarij sint candidi. 86
taciti. ibid.
pacifici. ibid.
cauti. ibid.
tardi. 87
Consilium Dei donum. 497
Consilia spiritus. 497
Consiliorum semitæ inuentu & ambulatu difficiliores. ibid.
Consolationes spirituales non dantur carnalibus. 132
Consuetudo peccandi incorrigibilis. 278
execrabilis. ibid.
à Contemplatione ad actionem peragendum. 26
Contemptus mundi. 614
Continentiæ votum an impossibile. 360
Conuersio magnatum difficilior, quam plebis. 695
Conuersio orbis verbo Dei debetur. 814
Conuersio peccatoris est solius Dei. 646
& opus maximum. ibid.
Conuersio peccatoris verum miraculum. 780
Conuersionis impedimenta quatuor. 645
Conuiuijs nuptialibus etiã spirituales adhibendi. 41
Conuiuiorum Herodianorum inuectiua. 666
Conuiuia quæ possint. 666
Cor in homine princeps est. 810
lectulus Dei. ibid.
cui debetur. ibid.
custodiendum. ibid.
Cor inprimis custodiendum. 500
Cor læsum Deo offerendum. 349
orandum pro malefacientibus. 349
Cor Deo debetur. 216
Cordis mare à Deo pacatur. 506
Cordis custodia necessaria ad sapientiam. 25
ad robur spiritus. ibid.
terrorem hostis. ibid.
religionem internam. ibid.
securitatem. ibid.
Cordis & oris sit harmonia in Christiano. 811
Corpus repugnat spiritui. ibid.
ideo subneruandum. ibid.
Corporis dolores moribundi. 894
Corpus Christi simul eodem instanti pluribus est in locis. 552
existentiæ illius inuisibilitas. ibid.
in hoc mysterio oculi fallunt, non fides. ibid.
Corpora in extremo iudicio resurgent integra. 281
omnium. ibid.
gloriosa. ibid.
non tamen omnium gloriosa. 282
Corpori aliquid dandum, vt seruo. 274
Corporum beatorum glorificatio. 963
resurgentium perfectio. 964
eorum dotes quatuor. 965
Corpus quî in pœnis æternis non consumatur. 945
Corpori Christi modus essendi est conuersio. 550
eius quantitas est sine loco. ibid.
demonstratur, id fieri posse. ibid.
& alias factum esse. ibid.
Corporis glorificati dotes. 334
Corporis bona omnia fluxa. 760
Correctionum vtilitas. 807
Correctio fraterna. 808
præstanda proximo. ibid.
necessaria in republ. ibid.
qualis esse debeat. ibid.
Credere est prius & mortalis, at videre posterius, & beatorum. 331
Credendum simpliciter, non curiosè quærendum. 152
& humiliter. ibid.

Crinium nouus vsus. 629
ligantium Deum & peccata. ibid.
Critici aliorum. 18
Crux Christi. 520
quadrangula. ibid.
eius encomia. ibid.
Crux regina arborum. 303
Crux exaltata signum Christi. 521
refugium nostrum. ibid.
sedes donorum spiritus S. 521
robur, salus. ibid.
Crux sancta defoditur. 527
inuenitur. ibid.
Crucis exaltationis festum cur institutum. ibid.
Crucis honoratio. 523
Christo regnum tribuit. ibid.
ab Aegyptijs culta. ibid.
qui Deo suo Serapidi crucem è pectore suspendebant. ibid.
Crux nobis liber vitæ. 521
Crux prodigium. 524
portentum. ibid.
miraculum. ibid.
Crucis exaltatæ causa. 676
& orbis & crucis mysticæ quatuor plagæ. ibid.
exaltata vt solium Christi. 676
probrosa fuit ethnicis. 677
est potentia Dei. ibid.
S. Crucis encomia. 674
etiam gentibus honorata. ibid.
Crucis ara arma Christi. 519
Crux peccantium. 520
pœnitentium. ibid.
optanda. ibid.
sequenda. ibid.
non abycienda. ibid.
Crucis bellatricis præconium. 519
Cruciatus inferni quis propriè. 939
Crucis exaltatæ efficacia. 521
Crucis signum in extremo iudicio ante salutare, tum necis ineuitabilis. 7
Culpa est causa morbi. 250
Cupido cur sagittis & flammis armatur. 489
habetur inter Deos ab ethnicis. 490
Cura pro mortuis. 717
pro mortuis orandum. 717
offerendum. ibid.
danda eloemosyna. ibid.
ieiunandum. ibid.
bona agenda. ibid
variarum gentium varia cura in defunctos. 718
quibus hæretici crudeliores. ibid.
Curiositas hominum temeraria. 804
Currus Dei ex Thalmudistis. 687

D.

Damnatus est inemendabilis. 946
Damnati nesciunt nostra. 947
eos sancti execrantur. ibid.
Damnatorum numerus. ibid.
Damnatorum extrema infelicitas. 946
ijs fidelium suffragia nil prodesse. 946
Damnatis nulla memoria præteritarum voluptatum. 474
Debachatio quam Christi passionis memoria frequentior. 84
Debitores varij declinantes per omnes casus. 266
Debitum æris finitum, peccatum infinitum. 267
Dæmon infestat omnes. 544
Dæmones latrones animæ. 895
accusatores hominum. 896
Dæmonum horribilitas. ibid.
Dæmones aliquos in aere vagari. 939
vsque ad iudicium. ibid.
Defuncti sepeliuntur obliuione. 234
Denarius Euangelicus. 72
Desertum tentatoris quid notet. 88
Desertum est pœnitentiæ campus. 89
via ad terram sanctam. ibid.
alter baptismi locus. ibid.
locus illuminationis. ibid.
timoris & amoris Dei. ibid.
in eo Christus. ibid.
& cur. ibid.
Detractores feræ pessimæ. 161
Deo exosi. ibid.
viperæ sunt & dæmones. ibid.
Deus resistit præsidentibus in robore, & per paruum quid. 888

Deus incomprehensibilis. 142.148
ob gloriam. ibid.
magnitudinem. ibid.
naturam suam. ibid.
ineffabilis. ibid.
eius perscrutatio periculosa. 149
Deus templis coli vult. 822
probatur. ibid.
amat iuuare pœnitentem. 627
an nostra gubernet, cum sic iusti affligantur. 694.
semper in maiori necessitate occurrit. 472
cur suos affligi cernat. 695
infirma elegit. 689
in creatis Laudandus. 189
sequentes se pascit. 181
Deus iudex mitis. 192
non præceps. ibid.
clementer vult nos obiurgari. 192
& ex charitate. ibid.
mixta tamen seueritate. 193
memor tribulatorum. 11
seruator animarum. ibid.
dives est. 192
in que se solo. ibid.
nec minuitur. ibid.
Deus punit. 199
& protegit. ibid.
dissimulat delicta. ibid.
dolet ob ea. 200
cur diligendus. 217
ex toto corde diligendus. 216
Dei amori omnia postponenda. 216
Deus dat plura petitis. 251
est infinitus. 244
cum omnia amant. 244
in medio nostrum est, omnium refugium. 164
non accipit personas. 805
cur ad testimonium martyrio obsignandum quosuis, pueros etiam & fœminas admittat. 733
non est author peccati. 60
Deus sanctus sanctorum. 634
Deus seminator dictus. 55
tolerat lolium. 56
cur. ibid.
hominum amans. 68
citius ad iuuandum, tardus ad puniendum. ibid.
vocatione nos præuenit. ibid.
pacto se nobis adstringit. ibid.
pactum illud scripto firmat. ibid.
ceremoniis item. ibid.
hominis est debitor. 68
ex suo ipsius pacto. 69
homo tamen mercenarius. 69
vocat obstrictos vltro accurrere. 69
virtutis modum, non tempus remunerator. 72
vocat voce. 254
voce sua. ibid.
prophetarum. ibid.
Apostolorum. ibid.
est centrum. 244
Deus & amor infiniti sunt. ibid.
Deus cur suos affligat. 262
Deus in via confortat. 440
Deus omnium prima causa. 553
Deus inuitat ad pœnitentiam immisso igne. 623
Dei præsentia lætitia est, absentia tristitia. 131
Dei gloriam videre quid. 348
Deo vocanti cooperandum. 309
Deo nil occultum. 735
Deo danda quæ Dei sunt. 14
Dei potentia in mari se se declarare sueuit. 49
Deum Diui clare, nos obscure videmus. 150
eum cognoscendi via duplex. ibid.
de hoc Ethnicorum doctrina. ibid.
Deus Trinus fide inquirendus, non sensu. 150
noscitur item ex effectibus. 151
Deo apparente comes & ignis. 143
Dei nutritoris beneficia alumnos obligant. 554
Dei amantis & mundum colentis scitum schisma. 834
Deum perdere in aduersis, 132
in prosperis. 132
Deum & hominem passum difficile captu. 81
& quibus. ibid.

Causæ eius difficultatis. ibid.
Deo soli seruiendum. 227
Deum multi amant ob beneficia. 51
Deum immediate per nos ipsos tantum precari, an vtilius sit, an mediate, sanctis adhibitis compre catoribus. 747
Deus oratur dupliciter. 747
quomodo per cœlites oretur. 748
vtiliter oratur solus. ibid.
vtilius per sanctos. ibid.
at vtroque modo orare, vtilißimum. 749
Deum esse nescitur naturaliter. 149
eum vnum esse sapientes agnouerunt. ibid.
eum stulti negant. ibid.
facile agnoscitur ex creaturis. 150
ex rationibus naturalibus. ibid.
Diaboli conatus ad Messiæ aduentū impediendum. 314
Diabolus impugnator perseuerantiæ. 138
Diaboli filiæ enuptæ. 202
Diabolus potens. 95
sensuum obsessor. ibid.
cur homines excæcet. ibid.
cur elingues reddat. 96
cur surdos. ibid.
Dies festis multi infesti. 35
cur. ibid.
Dies 40. pœnitentiales sunt. 761
Diei iudicialis horror. 908
dies est vltionis. ibid.
nescitur, quando futurus. 909
dies erit ignis. ibid.
Dij Ethnicorum plerumque armati pingebantur. 475
Dilecti o inimicorum. 766
Dilecti nomen singulare est. 351
commune Ioanni cum Christo. ibid.
Dilectionis signum. 245
modus. 243. & 596
gradus. 596
typus. ibid.
cingulum. 597
typus. ibid.
Diluuium secundum igneum erit. 285
& quasi tempestas. ibid.
S. Dionysius adfuit sepulturæ B. virginis Mariæ. 698
annos 90. vixit. 699
quæ passus. ibid.
quis fuerit. 695
fuit Astrologus & Stoicus. 697
Theologus. ibid.
ad prædicationem S. Pauli cur tam cito conuersus. 697
Discipulorum Christi fuga. 863
Diuinorum initia quantilla. 62
fines quanti. ibid.
Diuites immites. 354
stulti. ibid.
infructuosi. 355
Diuitiæ & mundanæ vexant habentem. 256
grauant. ibid.
periculosæ sunt diuitiæ. ibid.
mortiferæ. ibid.
insidiosæ. ibid.
Diuitiæ lacerant, perdunt. 79
Deum vrunt vitijs. ibid.
Damnant hominem. ibid.
non nocent. 228
Diuitiarum damna & noxiæ. 153
Diuitiæ hostibus occasionem nos inuadendi præbent. ibid.
possidentem necant. ibid.
in peccatum ducunt. ibid.
earum abusus. 153
venenosus. ibid.
idololatricus. ibid.
Diuorum modi in exaudiendo preces. 326
Domus hospita Christi, felix. 239
Dona naturalia homini facta sunt magna. 490
Dona Dei in Deum referenda. 87
Donis Dei abuti probrosum. 312
Donorum Dei diuersitas. 316
Donis Dei bene vtentibus, bene, male vtentibus, male. 314
Dotes corporis glorificati. 334
Dotes episcopales quæ. 376
Dotes vxoriæ quales esse debeant. 40

sint sanctitas. 41
modestia. 40
castitas. 41
omnigena virtus. ibid.
Duella impia sunt. 769
Duellantium pœna. 769
Duodenarius numerus. 605
eius mystica figura. ibid.
Duriora auxilio Dei egent. 497

E.

Ecclesia fluctuat. 769
non tamen vnquam mergitur. 770
Ecclesia domus est. 777
thronus. ibid.
tabernaculum. ibid.
turris Dauidica. ibid.
origo & perfectio. ibid.
firmitas. ibid.
crescit aduersis. 778
triumphans & militans dissimiliter reuelant. 691
Ecclesiæ doctrina inuicta & infallibilis. 796
proin ei parendum. ibid.
Ecclesia indiscissa. 50
seruatur diuinitus. ibid.
periclitatur humanitus. ibid.
Ecclesiam constare gentibus & Iudæis conuersis. 372
Ecclesia magni fit à Christo. 388
fermentatrix dicta. 66
nauis est. 771
integra. ibid.
bellica. ibid.
Dauidica. ibid.
arca Noha. ibid.
Ecclesiæ initium à grano. 62
Ecclesia est visibilis. 809
regnum est. 252
non defecit in missa ad idololatriam. 581
probatur. ibid.
Ecclesiastæ boni rari. 71
perfecti quales. ibid.
Egenis subueniendum. 183. & 268
Electus esse debet vir. 450
non puer. ibid.
integer vitæ & doctrinæ. ibid.
caritate pollens. ibid.
& scientia. ibid.
Electio regitur oratione. 450
Electionis & reprobationis nota. 77
Electio hominum sæpe Dei non est. 633
Eleemosynæ peccata abolent. 195
superant naturam. 196
seruant in periculo. 196
ditant. ibid.
gratiam parant. ibid.
Elementis quatuor omnia in rerum vniuerso constant. 480
Eleusynia sacra. 211
Elias an mortuus. 889
Elias cur in transfiguratione Christi præsens. 792
Enoch an mortuus. 889
Episcopus sit misericors. 315
Episcopos quales esse oporteat. 721
Episcopales dotes duæ. 376
Episcopus quisque lux est. 377
& sol. ibid.
Columna lucens & ardens. ibid.
Episcopus non bonæ vitæ est horologium disturbatum. 378
Episcopatus fuga. 449
Epulones. 154
Ethnici mortem contempsere. 897
Ethnici sua sacra secreta seruauerunt. 211
Euangelium pauperibus prædicari miraculum. 15
at maius ipsos prædicare. ibid.
Euangelij præconum encomia. 797
præsulum sacrorum potestas. 797
reuerentia. ibid.
tituli. ibid.
officia. 798
pericula. ibid.
Euangelistarum præcellentia. 481
ob Euangelium traditum, non legem. ibid.

Euangelij & Legis comparatio. 481
Euangeliſtæ teſtes diuinitatis & humanitatis Chriſti. 479
myſterioſi, & cœleſtes. ibid.
currus triumphalis Dei. ibid.
Euangeliſtarum quatuor myſticæ figuræ. 480
concordia. ibid.
prædicatio. ibid.
infallibilitas. ibid.
Euangeliſtæ ſunt columnæ veritatis. 478
Euchariſtiæ figura. 99
eius conuiuium incomparabile. ibid.
in cibo. ibid.
in conuiuiis. ibid.
in donis. ibid.
in effectis. ibid.
Euchariſtia eſt trinominis. 555
eius effectus in anima, quo ad peccata, & opera mortificata. 555
Euchariſticum epulum. 544
Euchariſtici ſacrificij perfectio. 577
docetur ex nouo teſtamento. ibid.
rationibus. 578
SS. patrum conſenſu. 578
& vſu. ibid. & ſeq.
S. Euchariſtiæ ſacramentum credendum, non ſcrutandum. 525
reuerenter adeundum. ibid.
clero concreditum. ibid.
ſilendum eſt. ibid.
mirabile. 526
finis & perfectio cæterorum. ibid.
vnum ſummum omnium. ibid.
theſaurus abſconditus. 527
Euchariſtici panis tituli. 527
panis vitæ. ibid.
angelorum. ibid.
ſuperſubſtantialis. ibid.
eius figuræ. ibid.
manna viuificans. 528
in eo quatuor cum manna ſimilia. ibid.
S. Euchariſtiæ fructus. 589
Chriſtianus ex vna ſpecie. ibid.
Lutheranus ex vtraque. ibia.
Caluinianus fructus. 590
S. Euchariſtiæ finis & fructus eſt animas viuentium Deo nutrire, & corroborare per gratiã. 591
de SS. Euchariſtica ſpecie vna & vtraque. 582
de ea controuerſia quando primum mota. ibid.
quæ contra vnam ſpeciem Lutherus. ibid.
in SS. Euchariſtiæ inſtituto quæ ſubſtantiæ non quæ circumſtantiæ, neceſſaria ſunt obſeruatu. 585
Euchariſtia bifariam attendi poteſt, vt ſacrificium, & vt ſacramentum. 584
SS. Euchariſtiæ inſtitutio. 584
& præceptum. ibid. & ſeq.
S. Euchariſtia myſterium fidei. 531
Euchariſtia cur cœna dicatur. 545
cur magna. ibid.
ad eam inuitati omnes accumbunt, excluſo nemine. 546
Euchariſtiam indigne ſumentibus pœna mortis incumbit. 564
cibus hic vitæ eſt, non mortis. 565
S. Euchariſtiæ cœnam negligentes quales ſint. 548
S. Euchariſtiæ vſum ſub vna ſpecie non eſſe contra, ſed maxime ſecundum S. Scripturam. 592
non contra Chriſti dationem. ibid.
nec contra inſtitutionem Domini. ibid.
non contra vſum inſtitutionis à Domino ipſo vſurpatum. ibid.
de digna ad eam acceſſione. 593
S. Euchariſtiæ princeps effectus remiſſio peccatorum. 593
Euchariſtia rubus ardens & incombuſtus. 570
eius multiplex dignitas. 571
eius communionis effectus contrarij 571
in ea humanitas glorioſior, quam in Incarnatione. 572
ad eam præparatione ſolicita opus. 572
& puritate. 573
in vna Euchariſtia & ſacrificium, & ſacramentum. 574
S. Euchariſtiæ ſacramentum eſt monumentum gloriæ. 549
vitæ actæ. ibid.

victo-

victoriæ. ibid.
cultus Dei. ibid.
adorationis. ibid.
Eucharistia sancta reuiuificat opera mortificata. 556
reaccendit charitatem. ibid. & 557
retardat à peccatis, & admissa absorbet obliuione. ibid.
concupiscentias restinguit. ibid.
petita impetrat. ibid.
corroborat fortitudinem spiritus. 558
hostes fugat & persequitur. ibid.
præseruat à defectione. ibid.
SS. Eucharistiæ effectus corporales. 558
morbos consanat. ibid.
per corpus tralucet. ibid.
seruat ab infortuniis. 559
& à morte. ibid.
immortalitatem causat. ibid.
resurrectionis tessera & causa. ibid.
confert dona innumera & innominata. 560
dat robur ad hostes debellandos. 560
Eucharistiæ mensæ honor. 561
est homini confortatiua. ibid.
honorificentissima. ibid.
gratiosissima. ibid.
Exaltatio moralis Christiana. 419
Exaltationis propitiatoriæ typus. 521
Examen quale in extremo iudicio instituendum. 920. 922
Excommunicatio est iurisdictionis. 809
eius pœnæ grauitas. ibid.
excommunicatus priuatur bonis Christianorum. 809
meritis fidelium. ibid.
deditur sathanæ. ibid.
sepultura Christiana priuatur. ibid.
Excusationis vitium naturale. 157
diabolicum. ibid.
Exemplorum vis magna. 51
Exempla docent. 67
Exempla docent, & visa mouent. 265
Exemplorum in aduersis quanta vis. 658
Existentia realis in SS. Eucharistia. 532
de ea hæreses. ibid.
Caluiniana. 533
Capharnaitarum. ibid.
Corinthiorum. ibid.
Manichæorum. ibid.
Nestorianorum. 533
Scoti. ibid.
Berengarij. ibid.
Hussi & VVicleſi. ibid.
hodiernorum. ibid.
Caluinismi explicatio. 534
refutatio. ibid.
ijs obstat consensus Euangelistarum. 535
testamenti formalis ratio. ibid.
Hoc vocis demonstratio. 535
Theologia orthodoxa. ibid.
Christi protestatio professa. 536
de præsentia, siue reali existentia fides Catholica astruitur. 536
veritas eius docetur figuris. 537
& rationibus. ibid.

F.

FAba Diis manibus sacra. 565
Facta sanctorum mira. 512
Fama bona curanda. 423
Famæ bonæ fructus. 424
effectus. ibid.
impinguat. ibid.
honorat. ibid.
æternat. ibid.
memorat. ibid.
Famæ bonæ nota. 191
in mortuis iustis est fragrantissima. ibid.
sanctorum eos catalogo adscribit. ibid.
Fatalis necessitatis memoria. 876
ad quid conducat. ibid.
vtilis ad contemptum mundi. 877
Fatui sunt immemores iudicij extremi. 1
quod vix credunt. ibid.
Deum rident. ibid.
qui arguendi. 2
Febris varia. 814. & 263
tertiana. 815
quartana. ibid.

continua, auaritia est. ibid. lenta. ibid. pestilens. ibid.
Felicitati publicæ quatuor necessaria. 132
cura commeatus. ibid.
munitio loci. ibid.
vnitas & concordia. ibid.
principum fauor. ibid.
adde quintum, Dei fauorem. ibid.
Felix infelicitas. 261
Fermentum parabolicum. 65
Festa colenda non prophananda. 33
Fides nihil addit rei creditæ. 538
Fides est basis vna omnium spiritualium rerum. 539
Fides eucharistica est clara, & obscura. 539
Fidei septem fundamenta. 207
oracula prophetarum. ibid. scripturæ consensus. ibid. authorum sanctitas & vita. ibid. congruentia rationi, æquitati, honestati. ibid. martyrum constantia. ibid
fidei perseuerantia. ibid.
miracula. 208
non est ex intellectu. 731
à Deo est. 208
Fidei vis. 510
dignitas. 247
vis immensa. ibid.
Fides communionis. 249
Fides iustificans. 250
est operosa. ibid.
Fiducia iustorum. 184
Figuræ de vnitate naturarum duarum. 469
Filiarum corruptio. 276
sæpe parentum fit studio. ibid.
Filiæ diaboli enuptæ. 202
Filij vnigeniti donatio quanti. 492
Filius prodigus Euang. 802
patri pudor & mœror. 80
Filium Dei incarnari necesse fuit. 466
ob bellum infernale. ibid.
implacabilitatem patris. ibid
diuinæ prouidentiæ decretum. 467
ob humanam impossibilitatem ad satisfaciendum Deo. ibid.
ad profligãdos hostes inferni, mundi, carnis. ibid.
Flere pios docet. 199
Flumina quædam miranda. 952
Fœmina malum. 10
ob insitam malitiam. ibid.
sæuitiam. ibid.
garrulitatem. ibid.
maledicentiam. ibid.
ob originem peccati. ibid.
persequendi cupiditatem. ibid.
mille artifex. ibid.
Fontes & aquæ mirandæ. 788
Fortitudo S. Spiritus donum. 497
S. Francisci humilitas & paupertas. 691
reuelatum ei vt vinceret sathanam. ibid.
Franciscus multis fuit causa salutis. 693
eius ordo quatenus præ aliis sit ordinibus. 693
labantem ecclesiam sustentat. 694
reliquit omnia. ibid.
eius stigmata. 692
quorum causa amor excessiuus. ibid.
sub signum suum vocauit multos. 693
eius vulnera cum vulneribus Christi comparantur. 693
Frater quid in S. Scriptura significet. 640
Fratres Iesu in Euangelio qui. 842
Fraus in Deo nulla. 708
Fuga ad religionem est heroica. 35
etiam repugnante mundo. ibid.
Fuga mundi. 614
Funebris honor & mos. 235

G.

Gaudium beatorum. 961
Gaudium mundi. 125
falsum. ibid.
breue. ibid.
somnium. ibid.
noxium. ibid.
carni & spiritui bellicosum. ibid.
præposterum. ibid.
turpe. ibid.
eius remedium. ibid.
Gaudium mundi excæcat rationem. 126
priuat solatio diuino. ibid.

lachrymosum. 127
Gemitus Christi causa. 212
amor nostri. ibid.
grauitas peccati. ibid.
pœnarum immensitas. ibid.
Generatio Christi duplex est æterna & temporaria 339
Genouefa virgo. 362
Gentium est cura anxia cura corporis. 230
Genuflexio Iudaica. 202
Gladij Dei vsus. 927
Gloria mundi inanis. 843
mundi suada. ibid.
saluti inimica. ibid.
Gloria cœlestis admiranda. 948
incomprehensibilis. 949
eius quantitas & valor. ibid.
eius adumbratio quædam. 950
eius memoria quam vtilis. ibid.
Gloriæ fuga. 840
eam & ethnici fugerunt. ibid.
eam Deo deberi probatur. ibid.
vana damnosa. 841
Gloria vera est in iuuentute virtutem cœpisse. 660
Gloriæ cœlestis præmium. 790
nuncij & testes istius gloriæ. ibid.
Gloria sanctorum dispar. 511
Gloria magna Deo ex conuersione peccatorum. 679
Gloria vana virtutum hostis, & pestis. 45
Gloriam Dei videre quid. 348
Gratiæ diuersæ diuersis dantur. 805
Gratia sustentat. 507
Gratia iustificat. 839
auget virtutes. ibid.
fugat peccata. ibid.
detegit vanitatem mundi. ibid.
prodit peccatorum grauitatem. ibid.

H.

HAsta insigne regium. 333
Hæretici qui circa incarnationis Christi mysterium naufragium fecerunt. 338
Hæreticorum imprudentia & dementia in oppugnando S. Eucharistiæ sacramento. 568
Hæretici Christi transitum per ianuas clausas negantes. 335
Hæreticos esse eradicandos. 57
probatur. ibid.
praxi ethnicorum. ibid.
iure ciuili. ibid.
lege diuina. ibid.
exemplis. ibid.
ratione. ibid.
Hæreticorum impostura. 180
peccatores sunt ferè. 187
& diaboli. 188
Hæretici deteriores tentatore diabolo. 543
Hæreticorum libri fugiendi. 190
Heliogabali luxus. 154
Herodis turbatio. 374
Herodianæ luxuriæ nequitiæ. 667
Hierarchiæ tres. 685
eius custodiæ effectus. ibid.
Hierosolyma, varias clades passa. 197
vastatur. 198
instauratur, sed cum multo defectu. ibid.
eius cæcitas ostenditur. ibid.
S. Hieronymus virgo. 452
similis S. Mariæ. ibid.
Ioseph cum Maria Deipara desponsationis causæ. 452
ætas eius quæ. 453
quam diu vixerit. ibid.
Homicidij immanitas. 177
Homicidium punitur intus à conscientia. ibid.
punitur lege. 178
à multis vindicatur. ibid.
Homo Dei villicus. 192
Homo vitæ breuis. 833
Homo quadriceps pingendus, cum capite vno prouidentiæ, alio sapientiæ, tertio virtutis, quarto fortunæ. 669
Homo, & filius hominis differunt. 421
Homines bruta imitantur. 421
bestiis sunt peiores. 422
imo Diabolis. ibid.

monstra hominum. 423
Homo est peregrinus. 473
Homo flos. 888
Homo Dei villicus, à pluribus accusatur. 194
à dæmone. ibid.
angelis. ibid.
rebus inanimatis. ibid.
meritis propriorum priorum peccatorum. ibid.
sed tamen spe salua facta homini. ibid.
Homines terreni. 65
vani. ibid.
religiosi. ibid.
Hominum duo genera. ibid.
Homo Deum non sequitur, nisi trahatur. 210
Homo malus dæmone peior. 59
Homo ab angelo regitur. 683
Homo ouis perdita. 164
quæritur à Christo. ibid.
& cur. ibid.
Homo puluis & puluerescet. 759
eius domus lutea. ibid.
& caduca. ibid.
Hominis fragilitas. ibid
ab Hermete miraculum magnum dictus. ibid
à Pythagora Deus mortalis. ibid.
at tamen vere figulinus & fragilis. 760
istius memoria humiliat. 760
etiam potentissimos. ibid.
Homo est varius vsuarius doni. 317
Homo natus est cœlo, non mundo debetur. 255
Homo brutus. 884
immortalis fit mortalis. ibid.
qui potuisset se conseruare immortalem. ibid.
Homo est creatura vniuersalis. 244
Homo non iudicet. 443
Hominis similitudo cum Deo. 885
causa eius. ibid.
eius status post lapsum. ibid.
effectus consecuti ad lapsum. 886
Homo omnis mortalis. 886
ex necessitate fatali. 887
omnia hominis sunt contingentia præter mortem. 887
ab ea nullum priuilegium. 888
Hominis est proprium intelligere. 269
Homini semel tantum moriendum. 889
Homines sancti per Christum orantem, & id merentem. 735
Homines omnes in extremo iudicio resurgent. 918
sed non omnes ad gloriam. 360
Homines tricolores. 563
Homines sunt arbores. 189
infructiferæ Deo exosæ. ibid.
Honorari est onerari. 632
Honos onus. 117
inprimis ecclesiasticus. ibid.
solicitus est. ibid.
sæpe pernitiosus. ibid.
periculosus. ibid.
tentationum campus. ibid.
seditiosus. ibid.
Honores sunt periculosi honoratis, & honorantibus. 633
Honores periculosi. 630
& vix vmbræ. ibid.
cauendi 631
Hora mortis Deo reseruata. 891
Christo nota. ibid.
ideo vigilandum. ibid.
Hora mortis incerta. 890
Hospitalem mensam cædecruentasse nefas. 565
Humana vita exilium est & mors. 670
deflenda, vel ridenda. ibid.
Humanitas infamis cur à Deo adamata. 468
Humilitas omnia vincit. 410
reges. ibid.
angelos. ibid.
dæmones. ibid.
Deum. ibid.
Iesum. 411
dat pretium operibus bonis. 411
dat robur. ibid.
Humilitas exaltat. 487
Humilium Deus curator. 261
in Humilitate vna omnia sunt. 205
Humilitas beat. 205. honorem dat. ibid.
Deo amatur. 206. vniuersalis virtus est omnium virtutum. 205

Humiles sua non norunt. 206
in Deo viuunt. ibid.
vincunt vel cum vitiis. ibid.
exaudiuntur orantes. ibid.
Hypocrisis execrabilis. 271
Hyssopus locis lapidosis crescit. 789

I.

S. *Iacobus cur minor dictus.* 502
eius rigor vitæ. ibid.
frater Domini. ibid.
primus patriarcha. ibid.
missam primum publice ceremoniis exornauit, & celebrauit. 503
S. *Iacobus Apostolus suauis & acris.* 634
Ieiunij obseruatio. 327
Ieiunij effectus. 761
eius finis. ibid.
Iesu nomen admirabile. 368
est nouum. ibid.
ob opus nouum. ibid.
prædictum. ibid.
complectens omnia olim reuelata. ibid.
Ignaui mortem metuunt. 897
Ignis infernalis quomodo in animas agere possit. 939
Ignis purgatorij veritas exemplo nupero monstrata. 719
Ignis horrendus extremi iudicij. 921
Ignominia prædicatoribus fide irrogatur. 302
Imaginum tria genera. 273
cuius effectus. ibid.
Imago Dei in nobis honoranda. ibid.
imitanda. ibid.
non deformanda. ibid.
ex ea Deus agnoscendus. 274
Imagines sanctorum colendæ. 274
Immites hominibus sæpe bestiis benefici sunt. 184
Impedimenta conuersionis quatuor. 645
Impiorum ruina. 24
Impij quomodo pœna gaudeant. 442
Impij iustificatio. 210.212
Impiorum præmium temporale. 86
Impijs nil sanctum. 239
Impij sunt, qui non credunt, sed scire malunt. 532
Improbis etiam benigne faciendum. 268
Improborum societas fugienda. 219
Improbis turba fauet. 249
Promissa & si parua, non parum lædunt. 139
Incarnatio Christi est digna admiratione & veneratione. 29
quia homines angelis æquat. ibid.
aut præfert. ibid.
mysteria veteris testamenti superat. 30
nouum est miraculum. ibid.
multam benedictionem dedit. ibid.
& irreuocabilem illam. ibid.
ostendit Dei potentiam, humilitatem. ibid.
Incarnationis Christi mysterium. 337
incomprehensibile. ibid.
mysterium mysteriorum. 338
adoratur, creditur. 338
ingenio non capitur. ibid.
Incorruptibilitas ex triplici causa. 884
eius signa. ibid.
Infantes ab Herode cæsi Deo grati. 356
Infelicitas felicitas. 261
Inferiora reguntur per superiora. 683
Inferni portæ & vectes. 939
Inferni metus necessarius. 929
& cur. ibid.
vtilitas eiusdem memoriæ. 930
Infernus quid. 931.932
Infernus qualis. 932
vbi sit. 933
Inferni pœnæ. 934
variæ sunt. ibid.
singulares aliæ duæ. 935
illarum diuersitas. 936
earum etiam loca diuersa, vt & pœnæ ipsæ. ibid.
eas esse necesse est. 937
de pœna sensus. ibid.
visus. ibid.
auditus. 938
odoratus. ibid.
gustus. ibid.
tactus. ibid.
Infideles credunt, quod vident. 531

Infirmitas quo conferat. 258
Ingrati animi detestatio. 156
Ingratitudinis exempla. 156
Ingrati Deo exosi. 48
vita indigni. ibid.
Ingratitudo detestabilis. 224
Gratitudo sit cita. 224
& integra. ibid.
Ingratitudo consistit in obliuiscendo benefactorum. 225
offendendo benefactorem. ibid.
Iniuriæ remittendæ. 169
Innocentiæ status infeliciter perditus. 883
Inobedientia hominum. 54
Inopia in mundo ipsa copia est. 41
Insons arguere alios potest. 102
Instituti diuini modus non semper necessarius. 585
Inueterati in peccato ægre conuertuntur. 330
Inuidia gloriæ comes. 825
turbatrix multorum. ibid.
Inuidia adumbrata. 236
quid sit. ibid.
qualis. ibid.
vnde sit. ibid.
effectus eius. ibid.
Ioann. Bapt. captiui interrogatio & legatio ad Christum cur instituta. 13
ob defunctos. ibid.
ob discipulos. ibid.
ob Zelum. ibid.
ob mysteria & figuras. ibid.
ob mores. ibid.
Ioann. Bapt. vox verbi. 19
semper sonora. ibid.
inuicta vbique. ibid.
clamans consone Christo. ibid.
clamans in publico. 20
castigans non blandiens. ibid.
imitanda prædicatori. ibid.
etsi ægre auditur. ibid.
S. Ioannes Bapt. angelus apocalypticus. 599
functione, non natura. ibid.
so ipso supra Angelos. ibid.
singularis hierarchiæ post Christum & Mariam Virg. 600
eius natalia illustria. ibid.
de eo ominationes. ibid.
Ioann. Bapt. super omnes martyres. 668
angelus qualitate, non natura fuit. 669
qualis lucerna fuerit, quamque magnus. 669
S. Ioannes Bapt. sanctificatus in vtero. 601
nunquam peccauit. ibid.
eius dotes. ibid.
primus vidit Christum. 602
solus singularis. ibid.
eremum intrat. ibid.
eius vestitus. 603
antro se abdit. ibid.
ignis est vrens improbos. ibid.
paranymphus Christi & Ecclesiæ. ibid.
vnde & quibus magnus. 604
vita. ibid.
factis. ibid.
humilitate. ibid.
maximus omnium baptizando Christo. ibid.
honore visitationis à Christo. ibid.
officio præconij sui. 605
S. Ioann. Euangelistarum maximus. 350
S. Ioannes Euang. an mortuus. 971
cur se nominet discipulum, quem Dominus diligebat. 972
eius tria priuilegia. ibid.
ei B. Virgo mater data. ibid.
eius recubitus super pectus Domini. 973
Theologus dictus. 974
eius martyrium. ibid.
oleum. 975
S. Iosephi Christi nutritij desponsatio. 457
cuicunque titulis par. 458
maior S. Ioanne Euangelista. ibid.
choris angelorum maior. ibid.
proficit ex familiaritate S. Virginis. ibid.
ex amore sponsæ. ibid.
quantus ei honor Christi patrem dici. 459
Iosephus quomodo vir iustus dicatur. 460
ei morienti Christus cum Maria adfuerunt. 463

cum corpore in cœlum assumptus putatur. ibid.
in gloria vicinus Christo. 464
exauditur facile dum pro nobis orat. ibid.
Ira columbina bona. 178
Ira moderanda. ibid.
per clementiam. ibid.
Iræ dedecora. 179
Ira stulti est. ibid.
sæuientis in seipsum. ibid.
voluntarie insanientis. ibid.
Iræ æstuantis figuræ. ibid.
Iræ victoria est vere vindicta. 769
Iram in Deum cadere. 822
Isagoga doctrinæ Christianæ. 825
ortus. ibid.
confirmatio. ibid.
publicatio. ibid.
attestatio per miracula. ibid.
acceptatio per orbem. ibid.
Iudæ noui & sacrilegi. 778
plerique & asini. ibid.
à Deo flagellandi. ibid.
Iudæ maledictiones. 435
peccata quatuor. ibid.
Iudæ proditio. 860.861
ei plures similes. 861
S. Iudas quis fuerit. 707
prænobilis. ibid.
Iudæ casus est Matthiæ exultatio. 449
Iudex extremi iudicij terribilis. 8
ab ira. ibid.
à visis. ibid.
horrore diei. ibid.
à voce. ibid.
eius memoria non negligenda. 8
Iudex extremi iudicij cognoscendus. 2
Iudicij extremi memoria efficax. 2
terret peccantes. ibid
Iudex in extremo iudicio. 911
qualis. ibid.
quis. 912
eius assessores. ibid.
horribilis erit ob iram. 913
vindictam. ibid.
maiestatem. ibid.
Iudicis in extremo iudico vox horrenda. 925
Iudicis in extremo iudicio comitatus. 914
eius vox horribilis. 915
eius gladius iudicialis. 916
Iudicia Dei verenda. 804
non quærenda. ibid.
Iudiciaria dignitas est penes sedem Pontificiam. 431
ea magna fuit in veteri lege. 431
Iudicium Dei sapiens & seuerum. 279.916
ad iudicium extremum homines omnes congregandi. 917
& omnes iudicabuntur. ibid.
Iudicium subitum temerarium. 168
improborum est. ibid.
sordidum est. 169
sui ignarum. ibid.
ex malitia prodit. ibid.
ex stultitia. 169
bonis & malis iniquum. ibid.
mendax est. ibid.
& cauendum. ibid.
Iudicium apud Iudæos triplex. 179
Iudicij extremi memoria. 901
necessaria. 902
sanctis familiaris. ibid.
terrifica. ibid.
vtiliter vsurpata. ibid.
cunctis commendandæ. ibid.
& Ethnicis non neglectæ. ibid.
Iudicij extremi horror. 773
Iudicium extremum erit generale. 774
horrificum ob nomina. ibid.
ob euentum. ibid.
ob peccata reuelata. ibid.
ob iratum numen. 775
Iudicis in eo adiuncta. 775
alius tum erit, quam ante. ibid.
visu reprobis intolerabilis. ibid.
& voce. ibid.
formidabilis. ibid.
in eo qui iudicandi. 776

Iudicij extremi locus in quo celebrandum. 919. & 282
Iugum præceptorum Dei & Christi. 447
Iustificatio operum Dei maximum. 762
maius creatione. ibid.
Iustificatio opus difficilimum. 251
Iustificatio Impij. 212
Iustitiæ notio. 176
Iustitia pharisaica est valore bonorum operum merere gratiam. 176
Iustitia pharisaica qualis. 176. & seq.
Iustorum cur plorare sit in hoc mundo. 127
vt humilientur. ibid.
Deus glorificetur. ibid.
constantia effulgeat. 128
ad cœlestia plus suspirent. ibid.
Iusti & iniusti mors diuersa. 900
Iustis in extremo iudicio prius sententia dicetur. 925
Iusti mundo sunt despecti, & exosi. 53
peregrini. 53
pretiosi. ibid.
ergo cauti esse debent. ibid.
Iudæ desperatio. 865
Iustos cur Deus affligi velit. 141
ne prosperis mundi corripiantur. ibid.
vt certius saluentur. 142
vt subarrhatos cœlo se sentiant. ibid.
Iustus periclitatur intentatione. 465
sed in occasione peccandi seruatur à Deo. 466
oratio tamen necessaria tentato. ibid.
Iustorum pretium. 56
conseruatio. ibid.
auxilium in temporalibus. ibid.
Iusti sunt Deo grati. 349
secus improbi. ibid.
Iusti tribulati fiunt aurum. 9
Deo dicati. ibid.
diuites. ibid.
Dei hortuli. ibid.
semper integri. ibid.
contemplatiui. ibid.
vigiles. ibid
cœlestes. ibid.
inuicti. ibid.
grati. 10
Iustorum expurgatio per ignem. 284

L.

Laboris symbolum apud Aegyptios. 67
Labore opus est ad salutem adsequendam. ibid.
Lachrimæ Deum cogunt. 620
cibant animas, & lauant, vt purgatorium. 620
Lacrimæ debentur Deo. 626
Lachrimarum præconia. 197
præstantia. ibid.
efficacia. ibid.
exempla. ibid.
dant temporalia. ibid.
eluunt peccata. ibid.
thesaurizant Deo. ibid.
propriæ sunt mortalium. 197
non tamen mundi. ibid.
sunt beandorum. ibid.
Deo sacrificium. ibid.
Lachrimarum quanta vis. 619
pœnitentium veræ notæ prædestinationis. ibid.
Laicis an vtraque species Eucharistica porrigenda. 582
Laici imitentur liberalitatem in egentes. 218
Lampades duplices. 390
Lapsis commiserandum. 268
S. Laurentij martyrium. 650
fuit sacrificium incruentum. 651
spolium è mundo transiens ignem. ibid.
primitiæ frugum. ibid.
vstus, sed incombustus. 652
maius eius martyrium Scæuolæ constantia. 652
Lazari resuscitatio. 835
Lætis & tristibus aptum esse non est cuiusuis. 141
Legatio Iudæorum ad Ioan. Bapt. quanta. 17
cur ad Ioannem, non ad Christum. ibid.
Leo Imp. Isonomachus. 736
Leprosi spirituales. 44
fœtent. ibid.
plagam accersunt. ibid.
improbos pariunt. ibid.
Lex vetus antiquatur

ob inutilitatem. ibid.
detrimentum. ibid.
Lex vetus inefficax gratiæ. 218
Lex de primogenitis. 413
Lex noua veteri præstat. 174
prohibitione cogitati mali. ibid.
perfectione operis. ibid.
dignitate. ibid.
facultate. ibid.
auxilio gratiæ. ibid.
veritate rerum. ibid.
claritate interpretandi mysteria. ibid.
cognitione mysteriorum. 175
eius cum veteri comparatio dispar. 175
Liberi parentibus curandi. 421
Liberorum cura. 260
Liberorum mores & pietas cura sit parentum. 34
Libri memoriæ Dei in extremo iudicio aperiendi. 922
Lingua periculosa est. 270
teste Deo. ibid.
dæmone. ibid.
natura. ibid.
ergo frenanda. ibid.
Litera Pythagorica. 574
Longæuum tria efficiunt. 518
S. Lucas Euangelista qualis fuerit. 702
Theologus. ibid.
medicus. ibid.
pictor & historicus. ibid.
virgo permansit. ibid.
eius Euangelium. 703
de eius boue symbolico. ibid.
martyrium eius. ibid.
Lucis proprietates. 839
Lupanorum proprietates hæreticis accõmodantur. 188
Hæretici maledici. 188
blasphemi. ibid.
damnatas hæreses renouant. ibid.
flagitiosi sunt. ibid.
immemores Dei. ibid.
oderunt oues. ibid.
Lux & crux sequenda. 840
Lux Dei vocat, vt vox. 403
Luxuriæ vitium. 159
Luxuriæ effectus. 160
corrumpit corpus & animam. ibid.
notat infamia. 161
Luxuria malum. 10
cæca. ibid.
orcus. ibid.
semper punita. 11
sæua. ibid.
Luxuria est vrsa vorax. 667
perdit Samsones. ibid.
Luxuria eneruat. 802
spoliat regno. ibid.
honore. ibid.
omnibus. ibid.
Luxuriæ Herodianæ nequitia. 667
Luxuriosi sunt leprosi. 221
Lycurgus fratris prolis regnum defert. 605

M.

Magdalenæ duæ. 621
Magdalenæ illius peccatricis vitia. 621
superbia. ibid.
luxuria. ibid.
odium. ibid.
concupiscentia. ibid.
ebrietas. ibid.
crudelitas. ibid.
fraudulentia. 621
stultitia. ibid.
eius peccata quatuor aggrauant. 621
quia carnalia. ibid.
notoria. ibid.
multa. 622
varia. ibid.
Magi in Euang. quales. 371
per excellentiam magi dicti. ibid.
ex Persia venerunt. 372
idque die 13. non biennio post natiuitatem. ibid.
Magorum adoratio. 374
Magistratus sit sciens. 18
Magisterij ambitio. 432

Magnatum conuersio difficilior, quam plebis. 695
Magnatum exitium. 24
Magni & docti ægre conuertuntur. 330
Malatria cuiusque ciuitatis. 121
Mali cognitio est initium boni. 623
tantum absit procrastinatio. ibid.
Malitia muliebris. 665
Malitiæ peccatum. 237
punitur. ibid.
Malum bono vincendum. 170
Malum bonum. 261
Manus Dei mutat Saulum. 409
similiter omnem conuersum. ibid.
Manus Dei duplex. 209
iustitiæ. ibid.
misericordiæ. ibid.
S. Marcus Euangelista quis fuerit. 482
Romæ scripsit. ibid.
in Aegyptum missus. 482
corpus eius in Italia. ibid.
impauidus. 483
rector Aegypti. ibid.
dux LXXII. discipulorum. ibid.
Euangelistarum secundus. ibid.
Mare mundi quale. 98
Apostolis. ibid.
Christo. ibid.
S. Maria Deipara quo triũpho ad cœlos euecta. 656
de cultu Assumptæ debito. 657
eius glorificatæ dotes. ibid.
penetrans cœlos, transcendens Angelos, proxima consistit Deo. ibid.
non tamen fit Dea. ibid.
colenda est. 657
bis tantum legitur fuisse locuta hominibus. 657
S. Maria Deipara quando nata. 670
cur tam sero. ibid.
S. Maria Deipara suscitata. 654
ab incorruptione seruata. 655
vt immunis à peccato originali. ibid.
fuit cum filio mortis, ita etiam suscitationis particeps. 655
mors eius miraculis & priuilegiis plena. 656
sine dolore, vel morbo. ibid.
ad eam sub obitum omnes Apostoli ex toto orbe diuinitus congregati. ibid.
S. Mariæ Virginis supereminens excellentia. 653
eius humilitas. 611
eius humilitatis causa altitudo eius. ibid.
ad eam Iosephi reuerentia. ibid.
est super omnia. ibid.
perfectione. ibid.
castitate. ibid.
charitate. ibid.
factore. ibid.
opere omnipotentiæ diuinæ. ibid.
forma. ibid.
in scriptura non habetur esse mortuam. ibid.
cur Filio superstes fuerit. 654
non martyrizata. ibid.
sed mortua partim vt filius, amore. ibid.
an sine dolore. ibid.
ægra tamen amore. ibid.
S. Mariæ Deiparæ præconia. 468
S. Maria Virgo scala terrenis ad supera. 673
arca salutis. ibid.
meritissima est. ibid.
omnium glorioſissima. ibid.
S. Martini status militaris. 723
S. Martinus monachum induit. 724
vt vinceret carnem. ibid.
sathanam. ibid.
mundum. ibid.
aggregat sibi confratres. ibid.
dux factus & pater monachorum. 725
Martyres vindicandi. 739
Martyrij præstantia. 344
Martyrium gradus ad cœlum. 648
ecclesiæ indumentum. ibid.
Martyrum ordo inuictissimus. 648
Martyrium est præliumpatientiæ. 649
seminarium ecclesiæ. ibid.
perfectio charitatis. ibid.
martyrij heroismus. 649
triumphus. 650
& beatitudo. ibid.
Martyres colendi. 650

Martyrij innumeri causæ. 380
summa voluptas. 381
Martyres sunt fortes ecclesiæ. 345
Martyres primi. 347
Matrimonium bonum est. 38
sacramentum. 39
insolubile. ibid.
infra tamen virginitatem. ibid.
Matrimonium virginale. 454
excellentius virginitate. ibid.
S. Matthæus fit Apostolus. 681
primus Euangelistarum. 682
Scriptor Christi humanitatis & contemplator. 683
S. Matthæus dominum vocantem sequitur. 680
Matthias cur illaudatus à S. Luca. 450
Maxima mundo sunt parua Deo. 311
Medici honorandi. 278
Meditationis vtilitas. 28
Meditari cœlestia est Christiani. ibid.
iusti. ibid.
spiritalis. ibid.
illuminati. ibid.
deuotione feruentis. ibid.
Merces operariorum in Euang. 72
Mercedis fraudatio iniusta est. 70
homicidialis. ibid.
Mercedes variæ. 387
Angelorum. ibid.
prælatorum. ibid.
obedientium. ibid.
contemplatiuorum. ibid.
practicorum. ibid.
proficientium. ibid.
perfectorum. ibid.
patientium. ibid.
perseuerantium. ibid.
Mercenarius quis propriè. 123
tituli eius. ibid.
pœna. ibid.
Mercenarij notæ. 122
præfiguratæ. ibid.
Meriti trutina triplex. 73
temporis. ibid.
laboris. ibid.
charitatis. ibid.
Messias in Scriptura S. bellatòr præpotens proponitur. 519
at pacificus. ibid.
spiritalis ipsius hostis armis. ibid.
S. Michaelis Angeli heroica facta. 688
archidux exercituum Dei. ibid.
in qua hierarchia sit princeps, an in prima, an in tertia. ibid.
in prima primus. 689
ab Hebræis Mitaton dicitur. 689
Militem bonum auarum & genio indulgentem esse debere, quidam dixit. 623
Miracula cur in primitiua ecclesia. 806
Miracula hæreticorum qualia. 782
Miracula Apostolorum. 806
naturæ. ibid.
ecclesiæ gratis data. ibid.
Miraculum gratum facientia. ibid.
Miracula quæ Epiphaniorum contigerunt. 43
Miracula nullæ apud hæreticos. 805
Miseria est fuisse felicem. 941
Miseriæ vitæ humanæ. 33
propriæ huius, ex statu humano. ibid.
quandoque à mundo. ibid.
Misericordiæ Dei præcellentia. 180
Misericordia semper cum iustitia est. 442
Misericordia fœcundat. 184
vitam prolongat. ibid.
Misericordiæ excellentia. 166
mandata. ibid.
Deo chara. ibid.
altior virtutibus omnibus. ibid.
fons omnium virtutum. ibid.
Dei arca. ibid.
cœli porta. ibid.
est pro iustitia. ibid.
ditatur à Deo. 167
beat. ibid.
Deo suppares & filios facit. ibid.
Dei propria. ibid.
à Deo mandata. ibid.
quæ adeam incendant. ibid.

innata brutis. ibid.
terrestribus. ibid.
volatilibus. 168
terræ. ibid.
eius exempla. ibid.
Misericordia in Deo eminet. 263
Misericordia Dei super omnia eius opera. 787
ei omnia debemus. ibid.
Missæ officium esse vere sacrificium probatur. 575. & 576.
repræsentatio cruenti in cruce. ibid.
Missæ institutio. 581
continuatio. ibid.
eius cultores beati appellandi. 582
Missæ substantia. 589
Missa non est vox græca. ibid.
nec hebraica. ibid.
sed Latina. ibid.
sacrificium est. ibid.
& sacramentum. ibid.
eius substantia immutabilis. ibid.
in ea Iesus sacrificans. ibid.
minister solum instrumentum. ibid.
Missæ sacrificium requiritur ad merita applicanda, sacrificium vero Crucis sufficit ad merendum. 581
Mithridates Rex linguas subditorum populorum 22. callebat. 121
Mithridati venenum pro cibo. 130
Modestiæ exempla. 21
Modestia sui accusatoria grata. 205
Modicum in Euang. quid. 124
Modus in diuinis rebus sæpe nescitur. 742
modi decē. quibus sancti nostra cognoscunt. 744
ipsa sanctorum præsentia. ibid.
per homines. ibid.
per angelos. ibid.
per Dei immediatam reuelationem, vel mediatam. ibid.
per Dei visionem. ibid.
docentur hi modi exemplis. ibid.
authoritate. 745
ratione. ibid.
Mœchi castas vxores adulteras reddunt. 820
Mœror mundi in mundo est. 103
& cur. ibid.
Monarchiæ orbis. 23
præfiguratæ. ibid.
Morbi à natura. 259
ab Adamo. ibid.
à fato pro satisfactione. ibid.
Mortales dicuntur sancti. 736
Mortuus in consuetudine peccandi quis. 835
Mortui tres à Christo excitati. 835
Mors incautos obruit. 890
Mors cita breuis vita. 715
Mors memoranda. ibid.
Mortis memoria quam vtilis. 716
mortificatum reddit. ibid.
sortis communis. 717
Mors vita felicior. 900
Mors liberorum hilariter accepta. ibid.
lugeri vetita. ibid.
Mors communis. 889
Mors homini non metuenda. 898
& cur. ibid.
in nos benefica. ibid.
nostri reparatrix. 899
exoneratrix nostri. ibid.
merces iustorum. ibid.
Mors facile me etiam fortissimos sternit. 888
Mortis meditatio, & agnitio sui illuminant. 830
Mors præcox ob peccata. 832
Mortis author quis. 882
non Deus. ibid.
quia mors nihil est. ibid.
non est bonum quid. ibid.
sed peccatum eius. ibid.
causa eius. 882
an homini sit à natura, an à peccato. ibid.
Mortis triplex genus. 231
occidit lanceam. ibid.
vorat dentata. ibid.
territat trifaux. ibid.
concutit orbem. ibid.
mors corporis necat. ibid.
animæ damnat. ibid.
inferni vindicat. ibid.

singulæ terribilissimæ. ibid.
Mortis necessitas. 231
Mortis obliuio dæmoni amica. 232
inimica Deo. ibid.
Mortis memoria est hominis propria. 232
scientia maxima. ibid.
parit memoriam mortis. 233
defendit à dæmone. ibid.
libidinem frenat. ibid.
abducit à vitiis. ibid.
Mors quid. 879
horrifica. ibid.
malorum omnium genitrix. ibid.
eius effectus. 880
qualis sit. ibid.
eius imago. ibid.
eius tituli. ibid.
quanta eius vis. 881
regina imperatrix omnium. ibid.
Mortis memoria. 871
quæ homini commoda præstet. ibid.
necessaria. 872
& cur. ibid.
ad eius memoriam apta veterum instituta. 873
Turcicum. ibid.
Spartanorum. ibid.
philosophicum. ibid.
Mosaicum. ibid.
gentilitium. ibid.
Christianum. ibid.
eius obliuio deploranda. 876
Mortis genus, non mors timenda. 891
Mors improuisa impiis placet. 892
secus piis. ibid.
ad eam subeundam homo sepræparet. 891
Mortis adiuncta. 893
Mors horribilissima. ibid.
Mors omnibus & diuitibus & pauperibus imminet. 155
Mortis memoria est medela salutis. 235
Mors præuisa horrida minus. 139
Mors mortis. 109
Moses cur in transfiguratione Christi præsens. 792
Muliebris malitia. 665
confertur bestiali. 665
mulieris lachrimæ. 666
mulier, mare, ignis, tria mala impie dicitur. ibid.
Mundicolarum figuræ. 842
Mundifugarum figura. 843
Mundifuga & solitarius. 617
Mundifugæ. 89
Mundani inquieti sunt. 195
insueti asperis. ibid.
Mundani vani. 171
minores opprimunt. ibid.
tentationibus expositi. ibid.
Dei gratiæ ingratissimi. ibid.
iis miseria mundi dulcis. 171
Mundana nec debent optari. 254
sperni debent. ibid.
debent animo subiici. 255
sunt noxia. ibid.
sunt insufficientia. ibid.
Mundi iugum. 255
multiplex. ibid.
seruile. ibid.
graue. ibid.
obruit suos. ibid.
Mundus homini nouerca. 252
eius proditor & occisor. ibid.
impostor. ibid.
Mundus & caro violenti. 645
Mundus discrutiat cruciabiles. 256
enecat inglorios, etsi ditatos. 257
Mundus prædo est. 278
Mundus reprobus. 126
deplorandus. ibid.
Mundus mare dicitur. 50
varius. ibid.
vndosus. ibid.
mortuorum ossor. ibid.
minorum oppressor. ibid.
sterilis. ibid.
periculosus. ibid.
monstrosus. ibid.
hospes militans. ibid.

amarus. ibid.
insatiabilis. ibid.
Mundus mare est. 770
& periculosum. ibid.
in eo omnia naufragiorum plena. 771
Mundus crudele hospitium. 842
spretum etiam ab ethnicis. ibid.
cultum à stolidis. ibid.
cunctis periculosum. ibid.
Mundus dum blanditur insidiatur. 106
Mundus semper obstitit pia molientibus. 248
Mundus hospitium nostrum. 715
Mundus desertum est. 88
vitis plenus. ibid.
exitium. ibid.
infamis. ibid.
latrocinosus. ibid.
campus tentationum. ibid.
Mundus lachrymas odit. 619
Mundus vinea Christi. 797
Mundus transit. 967
Mundanarum rerum transitus, & inopia. 967
Mundus rerum impostur is deludit. 968
Mundi cantus. 277
causa eius. ibid.
eius risus. ibid.
Mundi & diuitiarum ingenium. 256
Mundi strepitus magnus est. 902
Mundi gaudia in luctum exeunt. 956
Mundi schema. 547
& scena. ibid.
Mundi initia quanta. 62
fines quantuli. ibid.
Mundi vinum quale. 42
Mundi sitis & aridit as. 240
Mundi fauor vitreus. 12
Mundi fucus & vmbra natalium. 18
Mundi contemptus. 614
Mundo omnia desunt. 41
præter fraudem. ibid.
Mundum sequi est homine indignum. 616
Mundi inconstantia. 24
Munera quæ offerenda. 375
Muti in confessione. 209
Mysterium occultata incarnationis Christi. 465
Mysteria de reprobatione Iudæorum & vocatione gentium per Iesum facta. 49
per Apostolos. ibid.
per prædicatores. ibid.
Mysteria altiora turbam celanda. 211

N.

NAtura ethnicos docet. 67
Natura homini nouerca. 833
Naturalis rerum vicissitudo. 434
Nudatio magna est pœna. 924
Necari præstat, quam condemnari. 395
Negligentia in magistratibus vetita. 59
est in pœnam populi. ibid.
officij indignos facit. ibid.
Nobiles stemmate, non virtute. 221
lunæ cur similes dicantur. 221
Noctes infructuosæ. 172
Nomen Iesu in oratione inuocandum. 136
Notæ mercenarij. 122
præfiguratæ. ibid.
Notitia est admirationis causa. 29
& feruoris. ibid.
& virtutum. ibid.
Notitia sui alta est scientia. 598
Nouatorum signa. 782
Numerus duodenarius typicus. 662
Nuptialis conuiuij vsus peruetustus. 38
Nutrire diuinum est. 183

O.

OBlatio parua & humilis. 412
Obstinatio apex peccati. 436
Odium inter Christum & diabolum summum. 94
perantiquum. ibid.
Odium proximi maximum est peccatum. 767
excludit peccati remissionem. ibid.
cassas & irritas faciunt preces. 768

Odium cauendum. 349
Odium Dei in impios in inferno. 941
Odij peſtis. 766
Odium diſperdit omnia. ibid.
inprimis ipſum oſorem. ibid.
vindictam omnibus præfert. ibid.
Oleum S. Ioann. Euang. 975
Olympi montis altitudo. 714
Omnes iudicabuntur, & omnia. 266
etiam iuſti. ibid.
& occulta. ibid.
Omnia quibus modis reddi poßint. 267
Omnipotentia Dei interdum in ſacramento Euchariſtico. 553
Onerum tria genera. 443
Opera quædam magna. 61
Opus maius. ibid.
maximum. ibid.
Operibus bonis fructificandum. 80
Opera ſine gratia non ſunt meritoria. 213
Opera, non verba in iudicio valent. 195
Opera bona ſunt meritoria ſalutis æternæ. 708
Opes habere non nocet. 228
ſed modus habendi. ibid.
Orandum eſt in nomine Ieſu. 136
Orationum ſitus priſcus. 202
Oratio breuis ſit. 222
Oratio faſtuoſi. 203
Oratio optima ſortitio eſt. 437
Orationis breuitas proficit. 45
Oratio perfecta. 46
Orandi ſitus. 46
Orationis tituli & commendatio. 134
quæ virtutum arx & complexio. ibid.
panoplia Chriſtiana. ibid.
profugatio hoſtium. ibid.
eiuſdem cum plura epitheta & elogia. ibid.
Orationi quanta vis inſit. 92
ſuperat cœlorum vim. ibid.
naturalem vim. ibid.
animalem. ibid.
humana omnia. ibid.
dæmones. ibid.
angelos. ibid.
Deum ipſum. ibid.
Orationis perfectæ partes quatuor. ibid.
Orationis efficacia. 136
liberat. ibid.
impetrat. ibid.
redimit nos. ibid.
conuertit. ibid.
valet ad omnia. ibid.
conſeruat eccleſiam. ibid.
iuſtificat. ibid.
vincit Deum. ibid.
tyrannos. ibid.
diabolum. ibid.
hoſtes. 137
naturam. ibid.
angelos. ibid.
creaturas. ibid.
virtutes eius comites. ibid.
humilitas. ibid.
charitas operoſa. ibid.
perſeuerantia. 138
Orationem ſolam decet importunitas, pertinacia, & violentia. 138
Ordines in eccleſia varij. 648
Ordo rerum Deo conſuetus. 576
naturalium. ibid.
ſpiritalium, ſeu legalium. ibid.
Orthodoxis non opus eſt ſignis. 781
Otioſi & ſalutis negligentes illaqueantur. 58
ſordent, ruunt. ibid.
excidunt gratia. ibid.
euaſtantur. ibid.
exarmantur. ibid.
accuſandi. ibid.
Otioſi in hora vndecima qui in Euangelio dicantur. 69
Otium in loco grauius. 70
Otium criminoſum. 70
infame. ibid.
etiam apud Ethnicos. ibid.

P.

PAnis transſubſtantiatus. 97
immenſus. ibid.

ex Deo. ibid.
præfiguratus. ibid.
Papa declarat hæreticos. 738
Papa indicit festa. 738
Papæ libertati ab inimicis. 643
Papa non est Antichristus. 286
Paradisus an adhuc extet. 890
Paralyticus Euangelicus humanũ genus notat. 789
& cur tale hoc. ibid.
Parentes causa mortis liberorum. ibid.
Parentum vota tria. 632
Parentum amor inæqualis. 632
Parentum amor in liberos. 595
Paruuli non baptizati an etiam in iudicio extremo comparituri. 919
Paruuli triplices. 441
Paruuli non baptizati an in iudicio extremo comparebunt. 283
Passionis Christi seruat memoria, reuocat ad frugem. 100
sanat. ibid.
seruat à pœna. ibid.
à culpa. ibid.
memoriam reddit beneficiorum. ibid.
conformat nos Christo. ibid.
æquat pene martyrio. ibid.
mortificat. 101
humiliat. ibid.
absterret ab occasione peccandi. ibid.
Passiones Christi. 852
Passionis dominicæ memoria ad quid cõducat. 473
seruat à malo. ibid.
Passionum species tres. 500
Passionum vis. 499
Passiones regi, non tolli possunt. 506
Pastores duplices. 122
Pastor verus nullus præter Christum. 117
quæ ab eo requirantur. 118
eius idea viua. ibid.
Pastores maiore subditos amore complectantur, quam parentes liberos. 595
Pastoris boni proprietates. 118
fidelitas. ibid.
humilitas. ibid.
fuga vanitatis. ibid.
prudentia. 119
paternitas solicita. ibid.
scientia. 120
veritas. ibid.
honorum fuga. ibid.
constantia. ibid.
laborum tolerantia. ibid.
vita exemplaris. ibid.
benignitas compatiens. ibid.
mansuetudo. ibid.
agnitio sui. ibid.
Pastoris mali actus. 119
Pastoralis regiminis partes. 121. munia. ibid.
Pastorales virtutes. ibid.
Patientia Dei peccatores tolerantis admirãda. 54
pene scopulosa. 55
at pœnitentiæ commoda. ibid.
Patriæ amor naturalis. 201
Patria multis aduersa. 805
Paulus ex pessimo optimus. 408
sese exinaniuit. 409
abnegatione sui. ibid.
vitæ & actionis præteritæ. ibid.
æstimationis sui. ibid.
Pauli conuersi typus. 403
Paulus bos domini. 404
Pauli & peccatoris conuersi typus. 404
S. Pauli in prædicando authoritas, & scientia. 609
prædicator perfectus. ibid.
authoritate missionis. ibid.
scientia supra ceteros Apostolos. ibid.
eloquentia mirus. ibid.
in eo duplex charitas. 610
Dei & proximi. ibid.
Paulo eremitæ coruus 60. annis dimidium panem ad speluncam indies affert. 661
Pax Ethnicis culta temporalis. 476
prædicta à prophetis. ibid.
præstita à Iesu. ibid.
dominatur orbi. ibid.
Peccatum cœcos facit. 441
Pax spiritualis ab & cum Iesu est. 477
Pax Christi. 113. mundi. ibid.
cordis

cordis pax vera. ibid.
mundi falsa. ibid.
oris tantum. ibid.
serpentina. 114
pernitiosa. ibid.
mors ipsa. ibid.
pro Peccatoribus orandum. 200
Peccatum lepra dicitur. 220
quia inficit. ibid.
fœtet. ibid.
abominabile est. ibid.
eneruat. ibid.
excæcat. ibid.
peccati & lepræ species septem. 221
Peccatrix in Euangelio quæ fuerit. 620
non fuit soror Lazari. ibid.
Peccati tres gradus. 680
Peccata vrbana sunt grauiora obscandalum. 622
ob occasiones pias. ibid.
ob facilitatem deuitandi. ibid.
Peccator mundo mortuus. 234
Peccator per se non potest resurgere. 213
mancinatus est sathanæ. ibid.
Peccata propria deflenda. 200
& aliena lugenda. ibid.
Peccata causa ruinæ vrbium. 198
Peccata cuiusque in extremo iudicio reuelanda. 923
Peccatum nusquam tolerabile. 833
Peccati & peccatoris distantia. 803
Peccatum mors est. 831
fulmini simile. ibid.
terribilissimum. ibid.
malum infinitum. ibid.
cœlo eiicit. 832
Peccatum fugiendum. 93
fugiendo eius occasionem. ibid.
locum. ibid.
cogitationes. ibid.
Peccatrices Euangelicæ tres. 93
Peccati grauitas. 212
Peccator quam procul à Deo. 671
Peccati arma fiunt pœnitentia. 626
Peccatores cæci. 14
surdi. ibid.
leprosi. 15
mortui. ibid.
Peccandi consuetudo est incorrigibilis. 278
Peccati onus pergraue. 444
ab eo auocamur per inspirationes. ibid.
per tribulationes. ibid.
per prædicatores. ibid.
Perfectionis Euangelicæ gradus. 397
Perfectio Euangelica. 397
Perfectionis studium per ardua. 612
Perseuerantia Chananæa. 93
Personæ tres omne iudicium constituunt. 921
quales & quæ in extremo iudicio futuræ. ibid.
Pestis pœna peccati. 659
inter Dei tria flagella numerata. ibid.
Pestis vnde dicta. 659
quando eius prima mentio fiat. ibid.
annis 2400. ab orbe condito non fuit. ibid.
eius causa. ibid.
Pestiferis ministrantes sunt martyres. 661
S. Petrus angelis venerandus. 608
fidelis Dei vicarius. ibid.
S. Petri Apostoli tituli eximij. 606
est supra angelos. ibid.
primatum est meritus. ibid.
costa Christi. ibid.
titulus ecclesiæ. ibid.
asylum in tribulationibus exaltans. 607
infallibile. ibid.
sternit inimicos. ibid.
de honore Christi participat. ibid.
Clauibus regni cœlorum donatur. ibid.
cum vtraque iurisdictione. ibid.
S. Petri cœlibatus. 813
solus maritus inter cæteros Apostolos. ibid.
eius socrus febricitans. 814
S. Petrus negans Christum. 865
eius negatio an fatalis. ibid.
an ex societate mala. ibid.
Petrus sit petra. 426
S. Petri honor eximius. 417
Petri in horto somnolentia. 857
Phidias cur Venerem hirco insidentẽ finxerit. 548

Philautia. 275. subinde boni est occasio. ibid.
S. Philippus apostolus draconem sub statua latentem extrahit. 516. martyr suspenditur. ibid.
Philippi Apostoli prædicatio. 501.
familiaritas eius cum Christo. 502
prudentia. 502 pietas. ibid. mors. ibid.
Philosophia Christum irridet. 82
Phryne prædives meretrix. 802
Pilatus Christum secrete examinat. 866
eius confessionem propriam quærit. ibid.
Piscatores boni & mali. 173
& qui vtrique. ibid.
Piscina probatica. 788
quæ significet. ibid.
Pœna damni in quo consistat. 940
quanta sit. ibid.
Pœnæ inferni æternæ. 943
cæsse æternas, cur sit iustum. 944
Pœnitentia signum digiti Dei. 780
Pœnitentium sordidatio. 624
Pœnitentia prædicanda. 22
S. Scripturæ exemplo. ibid. maiorum. ibid.
Angelorum. ibid. figurarum. ibid.
in ea vtendum charitate aurea. 23
& prædicatione columbina, sed mœsta. ibid.
Pœnitentiæ vis & efficacia. 758
Pœnitentia sacramentum efficax. ibid.
peccata eluit. ibid. restituit gratiæ. ibid.
Pœnitentiæ quatuor præuia. 623
Pœnitentiæ confessionalis timor. 646
Pœnitentia maturanda. 626
Pœnitentia non procrastinanda. 943
Politici multiscij. 214
bestiæ sunt. ibid. cæci. ibid. reprobi. ibid.
damnosi. ibid
Portæ humanæ quatuor, per vtrosque angelos obsessæ. 686.
prima porta vani gaudij. ibid. mœroris pij. ibid.
doloris mundani. 687. gaudij pij. ibid
præsumptionis. ibid. timoris Dei. ibid.
metus infandi. ibid. bonæ spei. ibid
Porticus probaticæ piscinæ. 789
Praui fugiendi. 329
Prædicatio nouissimorum. 257
Prædicatoribus pro fide irrogatur ignominia. 302
Prædicatores vani. 172. peccatores. ibid.
Prædestinationis effectus. 299
à solo Deo volente. 435
Prædicator sit exemplaris. 76. publicus. ibid.
non auarus. 77
Prædicator sit popularis. 634
non affectet vaniloquentiam. 635
sit conuersus & acris. ibid.
Prædicatores fabulosi. 64
zelosi. ibid pomposi. ibid. neruosi. ibid. vani ibid.
simplices, veri, sed fortes ac certo ictu. 64
Prælati mali destruunt. 420
sunt simiæ. ibid animicidæ. ibid.
Prælatorum propria sit charitas in subditos. 594
pascendos. ibid. regendos. 595
in Prælato tria necessaria. 315
Prælati sunt ruina sui ipsius. 31
Præsulum vigilantia necessaria. 54 salutaris. ibid.
Precatio assidua Deum vincit. 52
sit facilis vsu. ibid. perutilis. ibid.
Preces sint gratiarum actiones. 203
sint sui accusatoriæ. ibid. non laudatoriæ. ibid.
sed humiles. 204. non fucatæ. ibid.
Principiis obuiandum. 395
Principia rerum tria. 91
Principum est arcere lupos. 189
Processiones in Deo duæ. 151
docetur scripturis. ibid.
Prodigalitas noxia. 801
infamis. ibid. legibus proscripta. ibid.
capitalis. ibid. Deo exosa. ibid.
prosapiarum interitus. 24
prospera aduersitas. 261
Prospera dementant. 262
Protomartyrij prærogatiua. 346
Prouidentiæ Dei fidendum. 229
Prouidentia Dei. 180
Prouidentiæ scala. ibid. exempla. 181
Prouinciæ Apostolorum singulæ singulorum. 430
Proximus diligendus in aduersis. 245 & cur. 246
Prudentia seculi. 195
Pseudomartyres. 749
Pseudoprophetarum genera. 183

Pseudoprophetæ sunt seuientes gladio. 186
dolo. ibid. verbo. ibid. voto. ibid.
Publicani an omnes soligentiles. 682
Iudæi erant. ibid. Romanis honorati. ibid.
Iudæis exosi. ibid. & peccatores. ibid.
Publicanus quis. 205. *eius preces quales.* ibid.
Puellæ raro prodeant. 278

Q.

Quadriga Dei Thalmudica. 687
Quaternarij mysterium est Euangelistarum perfectio. 479. *ecclesiæ irrogatio.* ibid.
eruditio. ibid. munitio. ibid. vniuersalitas. ibid.
congregatio. ibid.
Quæstus ex reliquiis. 739
Querelæ priscorum quatuor. 341
prim. quod Deus inaccessibilis. ibid.
quod manus Dei nimis graues. ibid.
quod in loquendo nimium durus. ibid.
quod maiestate & in throno terribilis. ibid.
nunc sublatæ. ibid.

R.

Ratio omnium reddenda. 193
vtut sera, vera tamen. 193
eam sapiens præuidet. ibid. metuitque. ibid.
neglectæ deploratur. ibid. sæpius instituenda. 194
super cuiusque vocatione. ibid. non aliena. ibid.
Receptacula diuersa animarum. 932
primum beatorum. ibid. damnatorum. ibid.
limbus patrum. ibid.
infantium non baptizatorum. ibid.
purgatorium. ibid.
Rectitudo triplex. 706
cordis. ibid. spiritus siue mentis. ibid. pedum. ibid.
Redemptio in Cruce facta. 445
Regio longinqua in Euang quid. 803
Regnorum, præter ius commune, sunt priuata quædam statuta. 889
Regnorum trium statuta priuata. 889
cœlestis. ibid. infernalis. ibid. terrestris. ibid.
Regnum cœlorum quodnam. 252
Regni terreni pompa & interitus. 62
Regnorum excidium. 25
Regem an lachrymæ deceant. 199
Regum licentia. 666
Rex sit minister iustitiæ. 265
sed in primis misericordiæ. ibid.
Rex humanus esto. 254
sin, ruet regnum. ibid.
Regum conuersio difficilis. 372
Regum maiestas magna. 370
& potentia magna. ibid.
ijs par sit animi constantia. ibid.
maior misericordia. ibid.
& iustitia. ibid.
Reges à Deo habent, quod sint reges. ibid.
Religiosis necesse omnia perfecte relinquere. 397
Religiosi multi degeneres. 618
Religiosi sunt sustinentes. 181
sunt de longe. ibid. alij aliis longius. ibid.
sustinentia meritum. 181
perseuerantiæ encomia. 182. *figuræ.* ibid.
sola coronatur. ibid. perfectum facit. ibid.
oblatio Deo. ibid. compendium virtutum. ibid.
Reliquiarum vis. 277
Reprobatio ex peccato. 435
Reprobationis peccatorum causæ. 794
modus. ibid.
Reprobatio an sit mutabilis. 795
Resurrectio est incomprehensibilis. 107
credibilis tamen vel ex figuris. ibid.
Deo possibilis. ibid.
Resurrectionis certitudo. 107
causa triplex. ibid.
Resurrectionis Domini causæ. 110. *iustitia.* ibid.
causa diuinitatis ostentandæ. ibid.
ob fidem nostram. 111.
obscripturas figurarum. 111
ob peccata. ibid.
Risus mundi. 277
S. Rochi infantia. 660
& adolescentia. ibid.
S. Rocho fuit gratia apostolica sanationum. 661
peste correptus ejicitur. ibid.
fontem ei Deus aperit. ibid.
canis ei panes fert. ibid.

S.

Sacerdotalis castitas ornat templa. 824
Sacerdotes loca suspecta fugiant. 276

Sacerdotes honorandi. 47
eorum vitia tegenda. 48
Sacerdotes imitentur pietatem in lapsos. 218
Sacerdotes honorandi. 223
etiam vitiosi. ibid. Dei alumni. ibid.
regum similes. ibid. angeli sunt. ibid.
Dij sunt. ibid. à Deo solo puniendi. ibid.
lapsus eorum tegendi. 224
Sacramentum Eucharistiæ sub vtraque specie an dandum. 562
sub vna docetur, & probatur. ibid.
ratione ex verbo Dei. ibid.
figuris. ibid.
Sacramenta æqualia sunt, & inæqualia. 531
eo magis credenda, quo obscuriora. ibid.
Sacrificium & sacerdotium nouum debent æternare cum ecclesia. 581. sic figuræ docent. ibid.
sic prophetiæ. ibid.
Sacrificium fuisse semper. 579
& esse oportere. ibid.
hocque naturæ inditium. ibid.
in lege Mosaica. ibid.
ergo & in Christiana. ibid.
Salus in omni loco, gente, tempore. 807
Salus omnis ex vno Iesu. 218
Sanctorum æternitas beata. 956
Sancti mortui duplices. 735
purgatorij. ibid. qui adiuuandi. 736
& verè patiuntur. ibid. & sancti in cælo. 736
qui perfectè sancti. ibid.
Sanctitas ministerij. 735
Christiani. ibid.
Sanctitas conseruanda. 735
Sanctorum nota probabilis. 737. infallibilis. ibid.
Sanctorum gloria dispar. 511
quia charitas dispar. ibi. & merita disparia. ibi.
Sanctorum facta mira. 512
Sanctitas Christiana. 634
ex Sanctis aliquos patronos & præsides deligere fas esse. 752
prolixè probatur. ibid. & seq.
Sanctos huic, vel illo bono procurando, vel malo auertendo præponi, pie creditur. 750
Sanctorum canonizatio. 736
Sancti imitandi. 384
Sancti nostra cognoscunt generatim. 740
cognoscunt & preces nostras. ibid.
& quomodo has cognoscant. 742
Sancti sunt diui, non dij. 739
Sanctos inuocare quatenus cuilibet necessarium sit. 747
Sanctorum defectus cur proponantur. 331
ijs malè abutuntur. ibid.
boni bene vtuntur. ibid.
Sanctorum imagines colendæ. 274
Sanguis Christi circumcisi est sacrificium. 366
arrha redemptionis. 367
Sanitas præ opibus est. 248
Sapientia Dei in cœli regimine magna. 304
Sapientia diuinorum est specialis electorum. 318
& quidem perfectorum. ibid.
Sapientes triplices. 441
Sapientia est donum diuinum. 496
humana vana. ibid.
cœlestis paruulis datur. 497
quam mundus non habet. ibid.
docet omnes scientias. ibid.
Sapientia diuinorum non est sapientia superborum. 690
Sapientia mundi à Deo negligitur. ibid.
Saturno sacrificaturi puniceis induti. 563
Sauli ferocia indomita. 407
Scala Iacob. 712. Dei. 434
Scotus SS. Eucharistiæ sacramentum impugnat. 567
Scientia Christi. 826. infinita. 826
Scientiarum laus multa. 696
Scientiæ in malis malæ sunt. 697
Scientia comes virtus. 215
Scientia Spiritus S. donum. 498
Seculares vanè laborantes. 172
Seculi prudentia. 195
ignara spiritualis consilij. 195
Seculari omnia relinquere solo affectu est periculosum. 398
perdifficile ibid. damnosum. ibid.
Sedes confessionales vitæ in Apocal. 433
Sedes misericordiæ geminæ. 433

Sedes Patriarchales. 480
quatuor. ibid.
Semen secus viam in Euang. quid. 78
Senex otiosus est. 69
Senex odiosus. 70. impius. ibid. inutilis. ibid.
fatuus. ibid. ætati contraria gerens. ibid.
Sententia definitiua in reprobos à iudice in extremo iudicio ferenda. 927
Sententia definitiua in extremo iudicio. 924
Sententia Dei irreuocabilis. 946
Sensus fallantur & fallunt. 554
fidei aduersantur. ibid.
Septenarius numerus in S. Scriptura pro infinito, siue indeterminato accipitur. 495
Sepulturæ honor. 831
negatus, pœna est. ibid. sepulturæ laus. ibid.
Sequela duplex. 400
in abnegatione sui. ibid. in resignatione sui. ibid.
Sequela Christiana par nomini esse debet. 400
Sermo bonus efficax est. 473
Serui infausti Dominis. 261
Seruus dominans nocet subditis. 71
& dominis. ibid.
Serui duorum quales. 227
merces eorum, laborare, & decipi. ibid.
deseri. ibid.
Serui vitiorum innumerorum. 227
Signa extremum iudicium antecessura. 904
Signa Nouatorum. 782
Signa pœnarum ex historiis. 3
signant Dei misericordiam. ibid. iustitiam. ibid.
Signa Zodiaci Euangelij, & Christi viuentis quæ. 3
Signa Deo punituro consueta. 6
Signa extremi iudicij sæuissima. ibid.
erunt præcipua quatuor. 7. quæ. ibid.
Signum esse infernum. 781
Signum esse prouidentiam Dei, nutrientis egentes. ibid.
Signa Catholicorum. 781
Signa Eucharistica. ibid.
Signum Ionæ quod. 780
Signum in Luna, tempore extremi iudicij 906
S. Simeon qualis fuerit. 704
Simeones plures illustres. 705
S. Simeon Episcopus Hierosolymitanus post S. Iacobum. ibid.
Apostolatus dignus. ibid. quantus zelotes. 706
maximus in prædicando. ibid.
Sitis & aqua cœlestis. 241
Societas malorum fugienda. 848
Societas prauorum vitanda. 219
Solis encomium. 837
Solis & Dei vnitas. ibid.
splendor essentialis ibid. immutabilitas. ibid.
æternitas. 838. vniformitas in multis formis. ibid.
Solis qualitates. 791
Sol signum iustitiæ. 5
vitæ, ibid. fauoris. ibid. vindictæ seruit. ibid.
monet fugiētis æui. 6. cōfunditur ob peccata. ibid.
ob Deum ibid. ob hominem. ibid.
Solicitudo temporalium. 228
nimia à sathana. ibid.
est onus voluntarium stolidorum. 229
fur animæ. ibid. maledicitur à Deo. ibid.
adultera. ibid.
Solitudo quæ caueat peccata. 26
contemplanti apta. ibid. amorem Dei fouet. ibid.
Solitudo est sanctorum. 21
securorum. ibid. socia Angelorum. ibid.
Soror quid in S. Scriptura significet. 640
Sors Matthiæ ignea. 447
Sortes duplices. 448
bonorum in prædestinatione. ibid.
in conuersione. ibid. in beatificatione. ibid.
Sors bona à solo Deo est. 448
Sorti Dei cooperandum. ibid.
in feruore charitatis. ibid.
Sortium vsus. 436
Sors diuinatoria. 450
Iudæis frequens. 451
Sors vel inspiratio diuina, vel apparitio aliqua. ibid.
Spartani iuuentutem exemplis docent. 658
Speciei vnius vsus probatur ex vsu Christi in Emaus. 586
docetur patrum consensu ibid. textu. ibid.
effectu. ibid. vsu Apostolico. 587. vsu ecclesiastico. 588. ex communione domestica. ibid.

Spes metusque finis attenti animam pascit. 131
humiliat. ibid. mansuefacit. ibid.
seruat sibi Iesum. 132
Spes acuitur aduersis. 438
Spes honoris augendi etiam in hac vita. 438
in Spem peccantes triplices. 510
Spes præmij extimulat. 511. maxime cœlestis. ibid.
Spiritus Sanctus verus Deus. 147
suscitat mortuos. ibid. euehit in cœlos. ibid.
Spiritus S. quater missus. 806
Spiritus S. necessarius quomodo impetrandus. 144
precibus impetrandus. ibid.
Spiritus S. cur in igne apparuerit. 143
Spiritus S. dono vno omnia. 492
Spiritus S. donum ex merito filij. 493
Spiritus S. quo fine datus. 493
Spiritus S. quibus figuris in S. pagina præfiguratus. 494
Spiritus S. processio. 494
vox in Apostolis. ibid.
septiformis incomprehensibilis. ibid.
fœcundans omnia. 495
eius dona septem in Christo. 495
& à Christo ad nos. ibid.
Spiritus cur ventus & sonus dicatur. 146
S. Spiritus effecta. 139
de S. spiritu hæreses. ibid. eius munia. ibid.
Spiritu pauper. 712. omnium ditissimus. ibid.
vacuus à possessionibus. 713. miraculum. ibid.
vere suus & liber. ibid.
Status mundi triplices. 699
in singulis animi operarij certi. ibid.
at in tertio eximij. 699
Status tres in ecclesia quorum summus est virginum. 729
Status tres Ecclesiæ. 38. qui singuli boni. ibid.
Stellæ quæ sequendæ. 375
Stellarum signa sub aduentum extremi iudicij. 907
Stellæ sanctos notant. ibid.
Stigmatum seruatorum à Christo causa. 477
Subditi curæ esse debent superioribus. 420
Succinus lapis paleas trahit. 489
Superbia est impietas. 202
Superbia vitiorum deterrima. 201
à Deo auertit. 202. omnia peccata causat. ibid.
æquat se Deo. ibid. omnes virtutes elidit. ibid.
maxime punit. ibid.
Synagoga fuit gloriosa. 642
eam tamen superat gloria ecclesia. 643

T.

Talenta à manu Dei accipiantur, non ambiantur. 313
Tela sathanæ tria. 91
Temeritas cauenda. 498
Tempestas in elementis quatuor sub aduentum iudicij extremi. 910
Templi vox æquiuoca. 777
Templorum antiquitas. 823
in veteri Testamento. ibid. in Nouo. ibid.
Templorum profanatores simoniaci. 823
à Deo & angelis puniendi. 824
ornantur sanctimonia sacerdotali. ibid.
Temporalium defectum Deus supplet. 43
Terra promissa magni fuit. 952
Tentationum initia sinapina sunt fines arborei. 63
Tentatores. 272
Tentationum initia sinapina. 84
Testamenti veteris quot. 481
Testamentum nouum exemplis ad patientiam mouet. 658. & ad martyrium. ibid.
Thabor & Caluariæ montium comparatio. 786
Thomæ incredulitas excusatur. 330
Timor humanus nocet. 509 spernendus. ibid.
Timor pœnæ ad quid conferat. 928
Timoris vis. 499. vincenda. ibid.
Traditiones. 812
Transfigurationis figuræ. 784
Transfiguratio similibus declarata. 785
miraculosa. ibid. admiranda. ibid.
veneranda. ibid.
Transfiguratio in Christo quintuplex. 791
Incarnationis ibid. transsubstantiationis. ibid.
passionis. ibid. resurrectionis. ibid. in monte Tabor facta. ibid.
Transsubstantiationis vocabulum hæreticis exosum. 540. quod exterminatum volunt. ibid.
blasphemiis incessit Caluinus. ibid. quæ tamen vox tessera fidelium 841. vox electorum. ibid.

signum salutis. ibid. contra eam Transsubstantiationem obiectiones hæreticorum. 541
contra eius antiquitatem. ibid.
eam fieri dicenti fidei credendum est. 542
ad eum quatuor requisita. 542
pro eadem rationes adducuntur. ibid.
examinantur. ibid.
Tribulatio quibus prosit. 275. quibus obsit. ibid.
Tribulatio omnis breuis. 129
Tribulationum multiplex emolumentum. 274
Tribulatio magna in extremo iudicio. 285
Tribulationes sunt vtiles 258
sunt magnificæ. ibid. illuminant ibid.
transitoriæ sunt. ibid. consolatoriæ. ibid.
quærendæ ibid. testes virtutum. ibid.
necessariæ. ibid.
Tribulatio exonerat à seruitute mundi, & adstringit ad seruitutem Dei. 440
Triduum Dei. 773
nostrum. ibid. tyranni. ibid. religiosi. ibid.
de SS. Trinitate testimonia. 152
figuræ, signa. ibid. similia naturalia. ibid.
Tristitia iustorum è quatuor est. 509
Tristitiæ turbatio nocet. 508
Tristitia seculi. 508
Tristia ad Deum ducunt. 835
Triumphus quo Deipara Virgo ad cœlum euecta. 656
Tuba extremi iudicij quid. 7. vocis Dei. ibid.
ad conuocationem hominum. ibid.
maiestatem. ibid. iudicium. ibid. migrationem. ibid.
Tuba fauet improbis. 249
Turba nocet. 210
fœminæ maxime. ibid. maculat. 211
cauenda. ibid. sylua est malorum. ibid.
hostis est. ibid. immunda. ibid. deserenda. ibid.
Turbatio duplex. 505
eius sedes duæ. 506. motus quatuor. ibid.
immoderatæ fœtus vitia. ibid.
eius initijs resistendum. ibid.
Turbatores sunt principes sæpe. 500
Turbabilia in homine sex. 500
mens & spiritus. ibid. anima. ibid. oculus. ibid.
cor. ibid. sensus. ibid. ossa. ibid.
Turbatores prædicatorum arguendi. 87
Turbationum antidota Euangelica. 510
Tyrannis Antichristi. 287
Tyranni Christianorum. 771
eorum funestus exitus. ibid.

V.

in VAlle periculum animæ. 602
Varietas febrium. 263
Verbæ quinque in Ecclesia loqui. 410
Verbum Dei non audientibus fit in iudicium. 846
ex eo capitur signum prædestinationis, vel reprobationis. ibid. auditu suaue est. 847
efficit mitem. ibid. pœnitentem. ibid.
religiosum. ibid. orthodoxum. ibid.
Verbum Dei corda expugnat. 844
expellit peccata. 845
contemptum mundi persuadet. ibid.
Verbum Dei variis rebus in S. Scriptura comparatum. 74. pluuiæ. ibid. securi. ibid. fermento. ibid. gladio. ibid.
Verbi Dei efficacia, vis & eloquentia. 170
ei nulla eloquentia par. ibid.
audiendum zeloſe. 171
indicium dat prædestinationis. ibid.
Veritatis odium. 237
Veritatis prædicator est tuba. 12
nubes. ibid. venator. ibid.
Veritas exosa. 11
maxime in aulis. ibid.
Veritas exosa magnatibus. 867
Vermis conscientiæ. 942
Vestium luxus. 154
eius exempla. ibid. infelicis exitus. ibid.
Via Domini quæ. 27
Viarum difficultates. 28
Viæ ad astra plures. 712
Viæ per mundum plures. ibid.
Vicarij Christi cum pari potestate. 336
Vicissitudo rerum naturalis. 434
Videre Christi est iustificari. 679
Viduæ Deo curæ. 235
Viduitas affert fructum sexagesimum. 729
Vigilantiæ exempla. 59
Vinculorum S. Petri festum cur celebretur. 643

Vindictæ cupiditas execrabilis. 349
Vindictæ cupiditas. 768
in Vindicantes vindicat ipse Deus. ibid.
& e contra ignoscentes euehit. ibid.
Vineæ Christi trium propaginum. 800
Vinitores. ibid.
Vinum mundi quale. 42
Virginitas coniugalis. 454
defenditur ratione. ibid.
testimonio. ibid.
Virginitas admiranda. 360
superior angelis. ibid. à Christo laudatur. ibid.
encomia eius. ibid.
martyrium & apex virtutum. 361
Virginitatis castitas honorat hominem. 161
eam Deus honorat. ibid. in Iudæis. ibid.
in ethnicis etiam. ibid. fundamentum est Ecclesiæ. ibid. nota Ecclesiæ. 362. & supra naturam. ibid.
Virginitas est præconiugio ob fructum. 729
Virginitatis triplex priuilegium. 389
Virginitas cœlo confertur à Christo. 388
ea est in virgine admirabilissima. ibid.
Virginitas est de consilio. 730
Virginitas fructum centesimum affert. 729
Virginitatis laureola maior. 390. melior. ibid.
superatu difficilior. ibid. irrecuperabilis. ibid.
Christo similior & propior. ibid.
Virginitas est supra naturam. 730
virtutum maxima. ibid. imo miraculum. ibid.
ideo suasa non iussa. ibid.
eius aureola supra gloriam communem. 731
promissa. ibid. monstrata. ibid.
Virgines duplices. 391
Virgines sunt reges regum. 389
Virgo Deipara quanta ac qualis. 411. imitãda. 412
quam pura ab omni motu actuali, & originali. ibid.
Viri & vxoris diuersa cura sit in vna domo. 65
Virtus sola nobilitat. 707
Virtutes cœlorum, quæ mouebuntur in extremo iudicio. 905
& cur talia in natura monstra sint euentura. ibid.
Virtutes quatuor cardinales. 480
Virtus ex Christo exit. 383
Virtus trifariam cernitur. 363
Virtus scientiæ iungenda. 215
Virtutis amans honorem fugit. 20
Virtus in mediocritate consistit. 544
secus in virtute Dei quæ in excessu. ibid.
Visionis Dei effectus magni. 679
Visio domini est causa omnis boni. 309
Visio Dei beatifica quomodo fiat. 960
Visitationis B. Virginis effecta. 613
Vita humana vanior, an miserior sit dubitatur. 87
Vita nihil. 173
Vita nedum diaria. 833
adeoque nihil. 834
Vita nihil nisi rota. 104
Vita humana est flebilis. 471
corruptibilis. ibid. misera. ibid.
eam plus æquo amantes dementes sunt. ibid.
rationes. ibid.
Vita deflenda, mors gratulanda. 471
eius vna felicitas, breuitas est. ibid.
Vitæ onera varia. 443
Vita onus flebile. 443
Vitæ humanæ miseriæ. 33
Vitæ fletus. 626
Vita humana exilium est & mors. 670
Vitia tria mundo imperant. 158
Vitia loquentium. 707
Vitium premit virtutem. 12
Viuentium preces sanctorum. 735
Vocatio miserentis, non merentis. 403
Dei terrentis. ibid.
consolantis. ibid.
Vocatio amorem Dei in nos ostendit. 299
Vocatio duplex sufficiens & duplex. 299
Vocationem sequentium benedictio, maledictio non sequentium. 607
Vocatio efficax. 681
Vocis Dominicæ vis magna in sensu carentibus magna. 405
in Vocatione Pauli maxima. 406
Voluptas noxia. 801
Votaparentum tria. 632

Vox

Vox Domini præpotens est vocationis. 407
plena dilectionis. ibid.
Vrbs quando fugienda. 126
Vrbium ruinæ causa peccata. 198
Vrbes theatra fortunæ & tragœdiarum. 198
Vrbes sunt peccatorum vrbes. 622
Vrbicolæ infames. 842
Vulnera visa mouent. 478
Vxor viri socia. 34
sed vsque ad aram. ibid.
Vxores viris deferant. 31
Vxor domum curet, vir cætera. 355
Vxor an ducenda. 159
an secunda ducenda. ibid.
altera mors est. 160
Vxor caste diligenda. 39
iubente Deo. ibid.
natura. ibid.
necessitate. ibid.
sit tamen Deus pro vxore. 40
Vxor ducenda intuitu Dei. 40
non formæ. ibid.
non fastus causa. ibid.
sed fidelis. ibid.

Z.

ZElus contra peccantes in templo. 778

Soc.tis IESV Paderborna.

FINIS.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN